BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
31 H
6

Digitized by Google

Digitized by Google

8.31.H.6

R. A. P.
ILDEPHONSI
DE PADILLA.
IN HABACVC
PROPHETAM
COMMENTARIA.

Digitized by Google

R. A. P.
ILDEPHONSI DE PADILLA
SACRI MINIMORVM ORDINIS
S. FRANCISCI
DE PAULA

Lectoris Iubilati, Cath. Maieſt. Concion. Granaten. Prou. ſemel, & iterùm Prouincialis, necnon in Suprema Hiſpaniarum Inquiſitione Qualificatoris.

IN HABACVC
PROPHETAM
COMMENTARIA

Annotationes ad litteram, & diſcurſus ad mores complectentia poſt Hiſpanicam, & Germanicam editionem,

Nunc tertiò emendatiora in lucem prodeunt.

STVDIO, ET OPERA

R. A. P. IOSEPHI SAPORITI DE PAVLA

Eiuſdem Ordinis, & primariæ S. P. Franciſci Prouinciæ Lectoris Iubilati, & in Romano pro eadem Prouincia eiuſdem S. Patris Collegio Studiorum Regentis, & Correctoris.

REVERENDISS. PATRI NOSTRO

P. IOSEPHO GASCH
LECTORI IVBILATO,

Concionatori celeberrimo, Valentinenſis Prouinciæ Ex-Prouinciali, pro Hiſpanica Natione Ex-Collegæ, & Vicario Generali, SS. Inquiſit. Qualificatori, & nunc demùm totius Minimorum Ord. Electorum omnium plauſu Correctori Gen. electo.

AB EODEM EX CORDE DICATA.

ROMÆ, Typis, & Sumptibus Joſephi Uannaccij. M.DC.XCVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

REV.MO PATRI NOSTRO

P. IOSEPHO GASCH,

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORI IVBILATO,

SS. Inquiſitionis Hiſpaniarum Qualificatori, ac totius Ordinis Minimorum Correctori Generali Præſtantiſſimo:

REVERENDISSIME IN CHRISTO PATER.

TOT, tantaque me iamdudùm præclariſsima meritorum Tuorum teſtimonia cogitantem, hanc, quam publicæ vtilitatis zelo, Commentatoris eximij PADILLAE noſtri, operis præſtantiſsimi, reimpreſsionem exhibeo, Tibi ſoli, corde hinc ſyncero, recta indè mente ſiſtere, & ipſa etiam pluſquam efficacia motiua impellebant, REVERENDISSIME PATER, vt ipſis honorabilitèr, ſuauitèrque cedens, extunc, non àlteri, quàm Tibi, iure à Te quidem exigitam, & à me debitam, eiuſdem oblationem facere, conſtanter, firmiterque decreueram. Cui enim potiùs nobillimus Eccleſiaſtes, qui ſic pere-

Google

gregiè ſcripſit, quàm diſertiſsimo Concionatori offerendus, qui ſic peroptimè ſemper dicere conſueuit, vt hoc ſolùm ad ipſum ſuffecerit conteſtandum benè dixiſſe, ipſum ſcilicet dixiſſe? Nec ſola Fama fuit, quæ Tuæ eloquentiæ ſonum ex Hiſpanijs in Italiam vſque, tanto Tuæ virtutis honore, Nationis plauſu, Religioniſque gloria, inuexerit; Italia ipſa, duæ nimirùm principaliores eius, quin & Orbis etiam, Vrbes, Roma, & Neapolis, ità Te mirificè perorantem audiuere, vt non irrationabilitèr dixerint, ex Hiſpanijs denuò Senecas ad Italiæ mores componendos non minùs, quàm ad mentes etiam inſtruendas aduenìſſe. Accedebat dehinc Inclytæ Nationis ratio, qua Scriptorem, vtpotè Tuum Conterraneum optimè meritum, Tuo ſoli Patrocinio tutandum vltrò me tradere obſtringebat. Vlteriùs erat item Religionis gradus, Generalis nimirum pro Tua Iberica Natione Collegæ, & in Hiſpaniarum Prouincijs Viſitatoris etiam Generalis meritiſsimi, quo tunc temporis fruebaris, qui viuorum, non tantùm, aſt potiori iure mortuorum, & laudabilium præcipuè, vrgebat adhuc Tibi ſoli tutelam committere ſubditorum. Tandem, & quod inter cætera potiſsimum, pergratiſsimæ obligationis meæ pondus, quod ad ſolum Tuæ humaniſsimæ generoſitatis centrum, vndè ipſum exiuit, debito quidem, aſt miro circularis motus impetu, reuertebatur.

Hæc

Hæc tùnc, cùm iam tactam reimpreſsionem exequi meditabar, nobilliſſima motiua erant, quæ ad indifferentiam meam in Te ſolo determinandam, firmandamque, vna vi, & vnica æquè, ac altera præpotenti, ratione currebant. Modò autem proximis iam Valentiæ, quæ Tibi, REVERENDISSIME PATER, replicatum ortum, vtrumque glorioſiſsimum, Mundo, & Religioni dedit, Generalibus in nupèr habitis Comitijs, ad totius Ordinis, Electorum omnium plauſu., Præfecturam euectus, ea, quæ antea erant mihi aliquatenùs libera, omnimodè neceſſaria reddidiſti. Hinc ſi priùs Tibi opus dicare, & quidem vrgentiſsimis ex rationibus, vt vidiſti, volebam, volebam nihilominùs, nunc autem debeo; itaut ſi rationes modò omnes ceſſarent, ea ſolùm eſſet ratio, Sacroſancti nimirùm, inuiolabiliſque iuris exigentia, quæ viciſſim, & filiorum bona Patribus deferenda, & à Patribus recipienda, præſcribit. Verùm hac ex mihi modò fœlicitèr orta neceſsitate, hoc mihi pergrande inter maiora ſolatium, meum ſcilicet, ſi eſt offerre, Tuum eſſe etiam acceptare. Liberè Tu nihilominùs, PATER REVERENDISSIME, acceptabis, vt offerentis exilitati, quamuis non ſic Auctoris, oblati ſcilicet doni, magnitudini, occaſionem facias merendi; Libertati enim Tuæ, qua recipies, Liber-

tas

tas vltrò mea, qua deſeram, correſpondebit. Sed quicquid de hoc ſit, etiamſi neceſsitas, ſemper pro me glorioſa, cùm ex Tuo merito, ex Tua virtute, ex Tua fortuna prouenta. Hoc vnum animo meo intimis ex præcordijs ſuis offerenti ſufficiet, ſecurum ſcilicet de Tua remanere acceptatione, quam ego non obnixiùs à Te depoſco, nè Regiminis Tui integritati, nec minimum etiam valeam præiudicium, quamuis adhùc inuolitum, irrogare: Illud à Te nimirùm expoſcendo, quod benignitatem, rectitudinemque Tuam, iam ego infallibilitèr ſcio, abſque meis precibus, conceſſuras. Cæterùm, hoc pro me fauſtum, fortunatumque, vt vna ſimul cum ipſo me ipſum adiungens, & ego à Te merear conſueta Comitatis Tuæ beneuolentia, poſt impartitam Paternæ Tuæ benedictionis affluentiam, cum ſyncera filialis meæ deuotionis exuberantia, vt ſubſcribo, humilitèr recipi, & acceptari.

PATERNITATIS TVAE REV.MÆ

Romæ Ex Noſtro S. Franciſci de Paula ad Montes Collegio die 5. Septembris Anno 1697.

Inter Minimos Minimus, & obſequentiſs. in Chriſto, Seruus & Filius

Fr. Ioſephus Saporitus de Paula.

LECTO-

LECTORI
PROLOQVIVM.

TERTIO', en tandem in lucem prodit, peremni quamuis, & in hominum mentibus immortali luce gaudens, nobiliſſimus noſter Eccleſiaſtes. Miraculum quæſo, quod Præli eſt, pluſquam naturæ alterum in Phœnice decantatum, in voluminibus æternitate dignis, Lector admirare. Miraculum herclè, renaſci ſemper, & mori nunquam; Quid pulcriùs perpetuum ſinè occidente ſic oriens non amittere, vt continuò lucem ſit petere, & lucem continuò poſſidere? Hoc alterius rei nè ſignum, quàm euidens certè argumentum operum excellentiæ, in quibus Auctor excellentiſſimus mori non patitur, eorumdemque bonitatis, quam Lectores amantiſſimi ſic expetunt, vt ipſa ſemper expetant renaſci? Hiſpaniarum natiua tellus primum operi eximio feliciſſimum dedit ad lucem ortum, extera poſtmodum Germaniæ altera, tertia tandem communis Itala. En quò Terrarum ſubitò ſama peragrauit; Bonum, bonum, vtique non eſſet, ſi quàquà verſus diffundi non pateretur. Vbique opus cognitum, vbique diffuſum. Non minùs ab ijs, à quibus bonitas cognita ardentiſſimè peroptata, quàm ijſdem etiam, à quibus peroptata, diffuſiſſimè tradita. Habes hinc, Amice Lector, meæ mentis arcanum, quo nimirùm ad iterùm luci opus, non ad operi lucem dandam, iam iam ego inbæſitantèr ſtatui, & exequi modo firmiùs non hæſito. Nolebam profectò litterarum altricem Italiam noſtram, de re litteraria ſic benemerito viro deficere, ſicut Italiæ noſtræ litteraria ſua opera deficiebant. Audiuere omnes, & multoties quidem à Sacris Declamatoribus noſtris conceptus, acumina, reflexioneſque omni admiratione dignas, ex ipſis ſubtilitèr ſumptas, ab ijsdemque publicè allatas, & illicò inquirere cæperunt Fontem, riuulorum dulcedinem præguſtantes. Tellus autem noſtra vt peregrinas aquas illas poſſidens, non poſt multum euenit, vt maximo eruditorum dolore, ob multorum haurientium copiam, neminis verò reſtituentis, fuerit pænitus exſiccata; En igitur Fons peremnis, & Romæ prodit, in Italiæ non minùs, quam totius ſcilicet Orbis capite, vt toti Orbi pariter, ſicut & Italiæ valeat potiſſimùm diffundi. Ex meo nihil eſt aliud, quam ingens certè deſiderium ſitim, non modo tuam, quin imò penè dicam vniuerſalem explendi; ex tuo nihil aliud quæro, quàm vt bibas. Bibe ergò, & ex aquæ dono Auctori ſuo gratiam habe, ex eiuſdem autem abundantia, non aliam habebis mihi, quàm illam ſic grato animo recipiendo, vt ego amanti corde paraui. Vale.

	Errata.	Corrige.
pag 2.	fortius	fortiens
pag. 3.	diſceprionem	diſceprationem
ibid.	Ecclcſiaſticæ	Eccleſiaſticæ
pag. 14.	voſtræ	noſtræ
pag. 16.	ſurrexi	ſurrexitq.
ibid.	nece:	nece
pag. 19.	deſperaine	deſperatione
ibid.	eccepit:	accepit
pag. 335.	Sic	Sic
pag 632.	Apax	Apex.

Alia, ſed pauca, forſitan occurrent, quæ facili negotio, beneuolus lector corrigere dignebitur; conſiſtunt enim potiſſimum, in vſurpatione potiùs litterarum, vnius videlicet loco alterius, & præſertim u vocalis, pro v conſonantis, & è conuerſo, quod ex Typographi incuria paſſim occurrere ſolet.

AVCTO-

AVCTORIS PROLOGVS.

HABES (ſtudioſe Lector) Commentarios litterales,ac morales in Habacuc Prophetam luci,ac iudicio tuo expoſitos:quos vtinam vtiles cenſeas,vt tua meis votis reſpondeāt,quæ cunctis ſacræ doctrinæ Oratoribus aliquid proficere gliſcunt, & omnibus placere ambiunt. Difficilem planè prouinciam aggredimur,dum omnibus hoc opus gratum eſſe conamur,ea tempeſtate, qua præſtantiſſima ingenia id cum magna felicitate ſunt aſſecuta: quod in omni ætate cunctis maioris exceptionis viris per difficilè viſum eſt,vt dicebat Plinius II. in Præfat.ad Veſpaſian. *Res ardua, vetuſtis nouitatem dare, nouis authoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubijs fidem, omnibus verò naturam, & naturæ ſuæ omnia.* Hoc,inquam, quod penè inſuperabile iudicatur, vincere intendimus, & ſi fruſtra, intendiſſe non pudet;quandoquidem non deſiderij,ſed impotentiæ defectu peccamus. Abinuentis pluries receſſimus, aut addere curauimus, ne Authoris nomen titulus eſſet ſinè re, & Senecæ reprehenſionem incurrerem. *Omnes itaque*(aiebat ep.33.)*nunquam Authores, ſemper interpretes, ſub aliena vmbra latentes, nihil puto habere generoſi, nunquam auſos aliquando facere, quod diù didicerant. Memoriam in alienis exercuerunt. Aliud eſt meminiſſe: aliud ſcire. Meminiſſe eſt rem commiſſam memoriæ cuſtodire; at contra ſcire eſt, & ſua facere quæque nec ab exemplari pendere, & toties ad Magiſtrum reſpicere. Pater omnibus veritas, nondum eſt occupata: multum ex illa etiam futuris relictum eſt.* Nec taliter nouitas nobis arriſit, vt vetera contemneremus; hæc planè multoties illuſtrauimus, & recenti ſale condimus, ſcientes, apes ex florum varietate, quos ſedula ſolicitudine per prata libant,& ad aluearia deferunt, ſtudioſè laborātes dulces condire fauos:aut quia mella ex ipſis iam facta colligunt;aut quia ex illis illa conficiunt,ſiue proprijs,ſiue alienis non parum proficientes. Quo documento monebat Seneca ep.84. librorum lectione fore vtendum. *Nec ſcribere tantùm,nec tantùm legere debemus. Altera res contriſtabit, & vires exauriet; altera ſoluet ac diluet. Apes (vt aiunt) debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde quidquid attulere diſponunt, ac per fauos digerunt. De illis non ſatis conſtat, vtrum ſuccum ex floribus ducant, qui protinus mel ſit: an quæ collegerunt in hunc ſaporem mixtura quadam, & proprietate ſpiritus ſui mutent.* Nihil in his Commentarijs ex alijs ſine nouo ſapore deprehendes, ita vt dicere poſſimus id, quod Seneca vbi ſup. *Deinde adhibita ingenij noſtri cura, & facultate in vnum ſaporem varia illa libamenta confundimus; vt etiamſi apparuerit vndè ſumptum ſit, aliud tamen eſſe, quam vndè ſumptum eſt, appareat.*

Excurſus, quibus Chriſtianam politiam, & morum probitatem inſtruere intendimus, non phantaſtici vultus & ſubſtantiæ; ſed eorum, quæ vel in publica Superiorum vita,vel in ſubditorum priuata paſſim occurrunt corrigenda: remedia namque (ſi talia vocanda ſunt, quæ nunquam experimur) non imaginarijs, ſed actualibus applicanda ſunt morbis. PP. doctrina, quam tradimus, confirmare procuro, ad idque aſſidua eorum lectione inuigilaui, eorum, inquam, qui magna Eccleſiæ luminaria cenſentur. Longam namque ſcriptorum ſeriem citare non ambio: ſcio namque numeroſæ librorum turbæ lectionem nunquam prodeſſe. *Quo mihi* (verba ſunt Senecæ de tranquillitate animæ cap.9.) *Innumerabiles libros, & bibliothecas, quarum dominus vix tota vita ſua indices perlegit? Onerat diſcentem turba, non inſtruit: multoque ſatius eſt paucis te Authoribus tradere; quam errare per multos.* Stylus planus eſt, apertus,& enodatus: quia legentes lectores eſſe volui, non diuinatores, ambagibus vanæ,& affectatæ eloquentiæ irretitos. Metaphoræ & tranſlationes,quibus latina eloquentia abundat, neque auſas, neque improbas eſſe,ſtudui; vt & nouitatis laſciuientem ambitionem, & puerilis elocutionis vacuitatem euitarem, atque vt doctrinæ grauitatem, & proficuam Concionatoribus loquendi methodum commendarem. Litteram maiori, qua potuimus, breuitate tranſcurrimus, & eruditione perluſtrauimus: ne moroſus Commentator, & lectoribus, & mihi moleſtus fierem. Nec litteralis expoſitio aliud expoſcit, quam ſenſum propalare iuxta PP. probabiliorem ſententiam, à qua recedere nefas, & periculoſum eſſet,& eam colluſtrare,quam ductricē nobis lucem relinquere. Qualecunq; ergò hoc opus tibi videbitur,debitorem te teneo:ſi enim vtile iudices,id creditor exigam,quod accepiſſe fateris:ſin minùs,parcendi,atque merendi materiam tibi ſubminiſtro. Vale.

FACVL-

FACVLTAS SVPERIORVM ORDINIS.

FR. IOSEPHVS GASCH

Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus.

SS. Inquiſitionis Hiſpaniarum Qualificator, ac totius Ordinis Minimorum Corrector Generalis.

Libros, qui ob ſingularem eruditionem, & vnctionem animis excolendis, moribuſque componendis idonei ſunt, neceſsè eſt nouis ſemper prælis mandari. Talis eſt Commentarius in Prophetam Habacuc à R.A.P. Ildephonſo de Padilla Ordinis noſtri Lectore Iubilato, ac per vniuerſam Hiſpaniam celeberrimo Concionatore, Studio non vulgari elaboratus, & propter miram auctoris ſubtilitatem, & in explanandis difficillimorum Sacræ Scripturæ myſteriorum locis facilitatem, maximo cum applauſu pluriès acceptus. Eapropter laudamus conſilium R.A.P. Ioſephi Saporiti de Paula S. Theologiæ Lectoris Iubilati, & in noſtro Romano Collegio Correctoris, ac Studiorum Regentis, qui publicis concionatorum, aliorumque Sacræ Scripturæ Studioſorum votis obſequens, præfati Commentarij nouam emendatiorem, ac elegantiorem editionem dare meditatur. Pro cuius executione eidem quantum in nobis eſt neceſſariam facultatem libentiſſimè impertimur. Dat. Madriti 13. Iulij 1697.

Fr. Ioſephus Gaſch Corrector Generalis.

De mandato Reuerendiſſimi.

Fr. Antonius Conſtantinus Procollega Generalis Gallus.

Reimpri-

Reimprimatur.

Si videbitur Reuerendiſs.Pat.Magiſt.Sac.Pal. Apoſt.

Sperellus Epiſc.Interamnen.Viceſg.

Reimprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinius Sacri Apoſtolici Palatij Magiſt. Ordinis Prædicatorum.

PROLO-

INDEX ANNOTATIONVM. ET DISCVRSVVM.

Qui in hoc Volumine continentur.

PROLOGOMENA AD COMMENTARIOS.

CAPVT I.

I. ANNOTATIO in cap. 1. verſ. 1. Expoſitio litteræ. fol. 5.
DISCVRSVS 1. In obiurgandis Principum, ac ſuperiorum erratis publico ſermonis iaculo haud vtendum. 6.
2. Quicumque ſit ſuperior, maximo honore reuereri debet. 7.
3. Egregius modus reducendi ſubditos, ferire delicta, non perſonam. 8.
4. Peccatum, etſi aereum videatur, ponderoſius plumbo ſentitur. 10.
II. ANNOT. in cap. 1. verſ. 2. Expoſitio litteræ. 12.
DISCVRS. 1. Sæpè clamant, & non audiuntur Sancti: non quod Deus amicos ſuos audire nolit, ſed quoniam peccata eorum, pro quibus orant, vindictam celerem expoſcunt. 12.
2. In magnis doloribus ruſticum, ac barbarum apparere, magis elegantes reddit. 14.
3. Minùs illiberale eſt, referre, quod antea ſenſeris, vbi ſenſum illum abieciſti, quam ſentire eadem, & proferri publicè, aut exprobrare alteri. 15.
4. Decet Principes, & Præſules, ſuis priùs benefacere, quam exteris. 17.
5. Sæpè magna tribulatio facit, nè homines ità facilè vacent Dei laudibus. 19.
6. Ea hominum natura eſt, vt non tantam gratiam habeant pro ijs, quæ illis tribueris, quantum dolorem ſuper ijs, quæ illis negaueris. 20.
III. ANNOT. in cap. 1. verſ. 3. Expoſitio litteræ. 22.
DISCVRS. 1. Res maximi doloris eſt, quod dignioribus depreſſis, indigni ad dignitatem ſubleuentur. 23.
2. Dolendum, quod manſuetis, & ſedatis viris depreſſis, rixoſi, & tumulenti rerum publicarum potiantur. 25.
3. Iudicum æquitas, & conſtantia animi, & rectitudo legum eſt. 26.
4. Frequenter ſapientia caret præmio, ſtultitiæ nunquam deeſt. 27.
5. Quod fauor, & præmium indignis conferatur, non ſat eſt, vt à ſuperioribus auellamur. 29.
6. Diſcordes animi cogunt aufugere Deum, & eos deſerere. 30.
7. Vnuſquiſque dum quærit quæ ſua ſunt,

ſunt, de aliorum exitio non dolet. 33.
IV. ANNOT. in cap. 1. verſ. 4. Expoſitio litteræ. 35.
DISCVRS. 1. Euerſio Ciuitatis, Gubernatorum eſt diſſidium. 35.
2. Difficultèr Deo attendunt, qui humanis rebus adhæreſcunt. 37.
3. Iudex, qui citò punit, ſimilis parcenti eſt. 39.
4. Magna calamitas Reipublicæ mors iuſti eo, quod ſuis præcibus à vindicta Deum retrahit. 40.
5. Quod digno ſpreto indignus ad dignitatem euehatur, non pœna hæc digno exiſtimanda eſt. 42.
6. Primi legis fractores, ſeueriùs puniendi. 43.
7. Iniqui Iudices, qui poteſtate ad opprimendum abutuntur. 44.
V. ANNOT. in cap. 1. verſ. 5. Expoſitio litteræ. 46.
DISCVRS. 1. Quia homines ad Deum, vt ipſe vult, amore non accedunt; terroribus, minis, ac ſupplicijs facit, vt reſipiſcant. 47.
1. Noua in fide fugienda. 49.
3. Concionator, qui læta prædicat, gratiam, qui triſtia, odium ſibi conciliat. 50.
VI. ANNOT. in cap. 1. v. 6. & 7. Expoſitio litteræ. 52.
DISCVRS. 1. Amore Ieſo nullus infenſior hoſtis. 53.
2. Qui ſine cauſa lædunt, non homines, ſed humanitatis monſtra ſunt. 55.
3. Nulla maior impietas, quam ob pietatem Dei, Deum contemnere, ob impietatem hominum, homines vereri. 57.
4. Infelix, qui alieno malo non docetur. 58.
5. Qui non habet vndè viuat, & viuit, & non laborat, aut viuit miraculo, aut furto. 60.
6. Mors idea, & paradigma vitæ eſt, nonniſi miraculosè diſſimilis. 62.
7. Vt quiſque eſt, ſic putat alios. 64.
8. Tacenda parua, magna plectenda. 65.
VII. ANNOTAT. in cap. 1. verſ. 8. & 9. Expoſitio litteræ. 67.
DISCVRS. 1. Aliena rapere, & eis vti tanquam proprijs, proprium porentum ingenium. 69.
2. Æquiori animo Deus ſuas, quam iuſtorum ferr iniurias; iuſti ſuas, quam Dei. 70.
3. Vel ſolo viſu pauperis auarus diues ſuffocatur. 72.
4. Qui Deum ſuarum penarum auctorem non agnoſcit, facilè ad impatientiam ſtimulatur. 73.
5. Sanctiſſimus Parens Franciſcus de Paula Regalis Aquila carnes haud veſcens. 75.
6. Humilitas regia, & potentiſſima virtus. 80.
VIII. ANNOT. in cap. 1. verſ. 10. Expoſitio litteræ. 82.
DISCVRS. 1. Egregiæ virtutes infortunatæ, & moribundæ. 83.
2. Vera magnitudo omnes ambit extremitates: Falſa autem vnam tantum, illamque ſuperiorem. 86.
IX. ANNOTAT. in cap. 1. verſ. 11. & 12. Expoſitio litteræ. 88.
DISCVVS. 1. Dei ſeruitus, compendium vitæ, & gratiæ abortus. 90.
2. Rarus Miniſter eſt, qui in commiſſione non excedat. 91.
3. Magnitudo ſine proprijs meritis facilè ruitura. 93.
4. Mortis hora ſic periculoſa eſt, vt quaſi Deo duplici indigeat. 95.
5. Iuſti moriuntur vt viuant: peccatores, vt moriantur. 97.
6. Apud bonos Præſules quique ſunt mali arguuntur: apud malos, ij ſolùm, qui ab eis diſſentire videntur. 98.
7. Perſæpè quod minùs velit, id ſe dicit velle Deus, & quod nolle dicit, ipſum vult. 100.
8. Iuſtorum ſocietas nunquam non vtilis. 102.
X. ANNOT. in cap. 1. verſ. 13. Expoſitio litteræ. 104.
DISCVRS. 1. Plerumq; calumnijs nobilitatur laceſſitus homo. 105.
2. Homo iniuriæ ſuæ admodum exaggerator, beneficij contractor eſt: è contra Deus obſequij exaggerator, offenſæ eſt contractor. 107.
XI. ANNOT. in cap. 1. verſ. 14. & 15. Expoſitio litteræ. 109
DISCVRS. 1. Diuites, & potentes pau-

pauperes, & inualidos excorient, & ligurriunt. 110.
2. Bonum publicum priuato præferendum. 112.
3. Non homo à Demone, ſed demon ab hominum ſumptibus ſaginatur. 114.
4. Non omnibus conceſſis expetit potiri, ne in prohibita dilabamur. 116.
XII. ANNOT. in cap. 1. verſ. 16. & 17. Expoſitio litteræ. 118.
DISCVRS. 1. Acriùs iuſtos, quam peccatores Diabolus inſequitur. 120.
2. De quo ſe quis iactat, id illi deeſt. fol. 122.
3. Diuitijs honores deferuntur. 124.
4. Sæpè Diabolus maiora mala nobis infert, cum poſt commiſſa ſcelera aditum ad alia præcludit, quam cum denuò ad noua prouocat committenda. 125.
5. Superior, qui legibus ſubditos aſtringere vult, & punire, eis neceſſaria ad victum debet tribuere. 127.
6. Verè conuerſionis inſigne ramquam amara faſtidire, quæ dulcia arridebant. 128.
7. Tanta quorumdam filiorum diaboli eſt prauitas, vt iam non ſuos, ſed & aliorum inimicos, ob adulationem odio habeant. 130.

CAPVT II.

I. ANNOT. in cap. 2. verſ. 1. Expoſitio litteræ. 135.
DISCVRS. 1. Deo diſplicet quiſquis, vt ipſi incumbat à proprio ſe ſubtrahit munere. 137.
2. Ægerrimè fert Deus, vt ſegnitèr, & quaſi ex occaſione noſtræ ſaluti intendamus. 138.
3. Vnuſquiſque de ſuo agat numere. fol. 440.
4. Perplexitas grauis animi cruciatus. 142.
5. Conſtantia compendium, virtutumque corona. 143.
6. Via, qua Deus dirigit, quærenda ſalus. 146.
II. ANNOT. in cap. 2. verſ. 2. Expoſitio litteræ. 148.
DISCVRS. 1. Caueat Eccleſiaſtes, ne Dei Verbum vllis ænigmatum difficultatibus obſcuretur. 150.
2. Sacer Eccleſiaſtes ſit quod loquitur. 152.
3. Apoſtolici concionatoris munus eſt, non blandiri, ſed obiurgare cuiuſcumque ſint vitia. 154.
4. Non eget humani eloquij præſidio verbum Dei, vt aridos peccatorum animos fœcundet. 156.
5. Hominum iudicio ſe ſubijcit Deus, vt apud ipſos ſua iuſtificetur cauſa. 158.
III. ANNOT. in cap. 2. verſ. 3. Expoſitio litteræ. 160.
DISCVRS. 1. Finale iudicium ità æquum erit, vt non ſolùm homines Deo, ſed Deus hominibus ſit rationem redditurus. 162.
2. Extrema iudicij dies adeò eſt periculoſa, & formidabilis, vt peccatoribus nulla euadẽdi effulgeat ſpes, & iuſtis ſit cauſa formidinis. 164.
3. Iuſtorum ærumnis extrema iudicij dies eſt ſolatium. 168.
4. Apud homines nullo veritas, maximo mendacium habetur pretio. 167.
5. Magna dæmonis tentatio, mortem diſtantem obijcere. 169.
6. Incerta mortis, ac iudicij certitudo. 171.
IV. ANNOT: in cap. 2. verſ. 4. & 5. Expoſitio litteræ. 172.
DISCVRS. 1. Parum Chriſtiani nomen tibi prodcrit, ſi Chriſtiani opera non feceris. 175.
2. Quo magis ſuperbus aſcendere conatur, magis cadit. 177.
3. Cum cætera vitia citrà condignum plectantur; ſuperbia ad extremum vſque punitur. 179.
4. Magnarum eſt virium felicitatis oneri non ſuccumbere. 181.
5. Qui aſcendere ſatagit, commilitonibus ſuis aſcendere pollicetur, quos poſtea ad ima demittit. 183.
6. Nullum incurabilius, nullumque abiectius malum eſt inuidia. 185.
7. Nihil grauiùs ingenuis viris, quam illudi. 187.
V. ANNOT. in cap. 2. verſ. 6. Expoſitio litteræ. 189.

DISCVRS. 1. In ſtátu adulatio, in declinatione conuitium præfecturæ comes eſt. 190.
2. Reges tributa auferentes, & regna firmant, & arctiùs ſubditos efficiunt tributarios. 192.
3. Fortunata adulatio ob malefacta coronatur. 193.
4. Tranſitus extremæ paupertatis ad diuitiarum extremum, inter opera Dei non computatur. 195.
5. Omnes quibus indigent, blandiuntur. 197.
6. Imperandi deſiderium non ſemper reprehenſibile. 198.
7. Regni tutores ob nulla commoda debent ipſum non ſeruare. 200.
8. Plus alienis bonis, quam proprijs malis cruciatur inuidus. 202.
VI. ANNOT. in cap. 2. verſ. 7. & 8. Expoſitio litteræ. 204.
DISCVRS. 1. Ambitioſus bonorum perditione multatur, & dum non poſſeſſa quærit, poſſeſſa amittit. fol. 206.
2. Non deſinunt raptoribus, & inhumanis, qui eos mordeant, & ſpolient. 207.
3. Homines non videntur habere, niſi quod ab illis aufertur. 209.
4. Quæ ſubditus pro ſubueniendo Principe offert, non ſunt violenter extorquenda. 211.
5. Cauſidici velut ſentes iuſtitiam, ſepiunt; ſi lanam non deponas, ad illam non accedes. 213.
6. Inter omnia ſcelera maximè Deum impellit ad ſupplicium tenuiorum expilatio. 215.
7. Nemo ſe in præfectura perpetuare gliſcat. 217.
8. Principis nomine indignus eſt, qui vel cum ſuo periculo ciues ab iniurijs non tutatur. 219.
9. Opera proximo exibita, ad æqualitatem Deus rependit. 221.
VII. ANNOT. in cap. 2. verſ. 9. 10. & 11. Expoſitio litteræ. 223.
DISCVRS. 1. Non proſunt, ſed obſunt, quæ Deo derelicto, peccatis acquiruntur. 225.
2. Nihil refert præſtantiores miniſtros eſſe in iuſtitia præſtantes, ſi inferiores ſunt auari. 228.
3. Nec gratis quídem licet, apud malos miniſtros mori. 229.
4. Sæpè Deus hominibus, qui pro dirandis filijs mala agunt, hæredes permittit, qui eorum bona diſperdant, quin de ipſorum animabus curam habeant. 231.
5. Peccatoris aures ità obtunduntur, vt neque voces validas valeat audire. 233.
6. Vel neceſſitatibus oppreſſi debent ſubditi in publicis calamitatibus Principibus ſubuenire. 235.
7. Noſtra peccata nos exarmant: noſtra ſcelera non expugnant. 236.
8. Pudoris, & cõfuſionis ſupplicium ipſa morte, & gehenna grauius eſt. 239.
9. Gubernatorum frugalitas publicam calamitatem clamitet. 240.
10. Nullum non frangit auaritia vinculum. 243.
11. Nihil in iudicibus turpius, quam auaritia. 244.
12. Theſauri rapina comparati ignis ſunt, qui bona alia conſumit. 246.
13. Vel vna ſola filia totam domum euertit. 248.
VIII. ANNOT. in cap. 2. verſ. 12. 13. & 14. Expoſitio litteræ. 251.
DISCVRS. 1. Tributa non Regi, ſed miniſtris inſeruiunt: maximè cum iniuſtè imponuntur. 253.
2. Lethaliter regnum nutat ad ruinam, cum vel remedia non occurrunt, vel quæ occurrunt non proficiunt. & corrumpuntur. 256.
3. Qui non abſtinet à ſuperfluis, citò indiget neceſſarijs. 258.
4. Res vt ægritudine dilectione pereunt. 261.
5. Vt ſimus grati, non eſt opus Deum præcipere: ne grati ſimus, non ſat videtur etſi prohibeat. 263.
6. Excuſſo Dei iugo mille alia accipimus grauiora, 264.
7. Non minùs ſtolidi ſunt nonnulli in adhibendo placationis genere, quã impij in deferendo Deo. 266.
IX. ANNOT. in cap. 2. verſ. 15. 16. & 27. Expoſitio litteræ. 268.
DISCVRS. 1. Eccleſia aliena à vectigalibus. 271.
2. Regni excidium Eccleſiæ vectigalia. 273.

3. Pec-

3. Peccata, quæ extra templum caſus videntur intra præcipitia ſunt. fol. 275.
4. Dei ſacratiſſima templa, magna reuerentia tractanda, & illorum iniuria maxima pœna plectenda. fol. 277.
5. Non leui cauſa ab amicis recedendum. 278.
6. Fraternitas, quæ concordiæ vinculum eſſe debet, plerumque diſcordiarum ſeminarium eſt. 280.
7. Nihil deteſtabilius, quam amicum os præferre, & inimicum cor geſtare. 282.
8. Qui amicitiæ larua ſe nimis introducunt, infidelitatis ſuſpicionem incurrunt. 284.
9. Bona fama, præcipuè in ſuperioribus adipiſcenda, & conſeruanda, mala autem nimis fugienda. 286.
10. Fama pluſquam dimidium laudibus detrahit, vt vituperijs adaugeat. fol. 287.
11. Nulla facilior, nullaque ſenſibilior iactura honoris eſt. 289.
12. Religioſorum noxæ ad exteros non deferendæ; ne euangelica ratio in contemptum imperitorum, & improborum deueniat. 291.
13. Nunquam mendacium impunitum: ne Deus, quem deſtruere tentat, in illud conſentire videatur. 293.
14. Plerumque Deus beneficia contrahit, vt noſtræ vtilitati conſulat. 295.
15. Negotioſa honoris ambitio ipſa ſolicitudine inhonoratur, ſublimitate ipſa decreſcit. 297.
16. Propter Principes populi, & propter populos Principes viciſſim pęnas luunt. 299.
17. Monſtruoſum flagitium eſt beneficium largitori inſidiari. 301.
18. Ingratis benefaciēs ſupplicijs Deus adauget. 303.
19. Sic beneficia infortunata ſunt, vt tutiùs ſit aliquos offendere, quam fauoribus proſequi. 305.
20. Aliena proba facilè, glorioſa geſta, difficilè credunt homines. 306.
21. Difficultèr reddit, qui aliena rapuit. 308.
22. Honoris priuatio ambitioſo mortis quoddam imo, & inferni genus eſt. fol. 310.
X. ANNOT. in cap. 2. verſ. 18. 19. & 20. Expoſitio litteræ. 312.
DISCVRS. 1. Qui de ſuis non curat, non homo, ſed ſpectrum eſt. 314.
2. Vel ignorans Iudex veritatem, inuenict, ſi recto animo illam ſcrutatur. 316.
3. Quo veritas timidior, eo mendacium audacius. 317.
4. Quod quiſque cupit id ſibi perſuadet. 319.
5. Scelerum magiſtri prius, & grauius puniendi. 321.
6. Acutiora, & fortiora ſunt auri tela, quam ferri. 322.
7. Sacerdotum flagitia ipſis, non Sacramentis, neque ſacramenta ſuſcipientibus officiunt. 324.
8. Qui ſilet ad iniurias, Deum habet defenſorem. 325.
9. Vltima peccatoris miſeria, Deum perdere, & non ſentire, ſalutis ſignum, de illius amiſſione dolere. fol. 327.
10. Paruum donum amicum, magnum inimicum reddit accipientem. 329.
11. Dignitas abſque meritorum ornamento, non honorem, ſed pudorem inducit. 330.
12. Iudicis munus quomodo exercendum. 331.
13. Ingenui animi fauoribus ſeruiles ſupplicijs meliùs reducuntur. 333.
14. Sit caro ſpiritui ſubiecta, vt perfectos fœtus producat. 335.
15. Ad bona ſupernaturalia acquirenda, quies animæ, & imperturbatio neceſſaria eſt. 336.
16. Sapientes, qui rempublicam tutantur, proinde in vita exaltandi ſunt, nouiſi poſt mortem honorantur. fol. 337.
17. Etſi homini propria pulchra, aliena fęda videantur; tamen iuſtus ſibi ipſi diſplicet. 339.
18. Nonniſi cana ſenectus potentes virtutem edocet. 340.
19. Quam amabilis, quamque perniicioſa ſit ſingularitas, oſtenditur. fol. 341.

Digitized by Google

CAPVT III.

I. ANNOT. in cap.3. verſ.1. Expoſitio litteræ. 346.
DISCVRS. 1. Vel in ipſorum erratis virtutis ſigna ſancti præſeferunt. fol. 347.
2. Dolendum maximè de Sacerdotum caſibus; quia eo periculoſiores ſũt, quo dignitas eorum eſt præſtantior. 350.
3. Humilitas oculatiſſima virtus, quæ ſuperbis abſconduntur, rimatur myſteria. 351.
4. Ad fortiùs reſurgendum prodeſt aliquando corruiſſe. 353.
5. Chriſtiani vel à vitijs abſtinere debent, ne Ethnicos ad nefandas blaſphemias inducant. 356.
6. Peccati confeſſio, vnicum ſalutis medicamentum. 358.
II. ANNOT. in cap.3. verſ.2. Expoſitio litteræ. 359.
DISCVRS. 1. Adeò Deus ſuum in carne aduentum diſtulit, vt magis ab hominibus haberetur in prætio. fol. 362.
2. Vt legem finiret, circumciſionis legem Chriſtus adimpleuit. 364.
3. Amor Dei erga creaturas occaſum neſcit, & finem ignorat. 361.
4. Acrè inſurgit certamen inter Dei miſericordiam, & hominum malitiam: vt dum magis in Deum inſurgit homo, magis ad miſericordiam Deus videatur exurgere. fol. 368.
5. Etſi quandoque naufraget, plerumque Dei timor ſalutis portum feliciter attingit. 370.
6. Qui à prætenſo repulſam patitur, bona excludentis verba audiat. fol. 371.
7. Fides humana ex auditu incerta, ex munerum acceptione mendax. fol. 373.
8. In æqua meritorum lance cana ſapientia iuniori eſt præferenda. fol. 375.
9. Pudeat ſenectutem à vitijs non abſtinere. 377.
10. Sic lingua impudenter audet, ad malitiam, vt Dei moderamine indigeat. 379.
11. Durum Dei verbum lenitatis eſt omen: miſericordia vices cum iuſtitia reciprocat. 380.
12. Regiminis inuerſio, Gubernatorum garrulitas. 382.
13. Homines non ex rei patratæ merito, ſed ex patratoris fama rem exiſtimant. 384.
14. Sic charitas vrget ad proximos ſubueniendos, vt cum facultates deſunt, ad miraculum recurrere compellat. 386.
15. Auditoris conſcientia optima ſermonis interpretatrix eſt. 388.
III. ANNOT. in cap.3. verſ.3. Expoſitio litteræ. 389.
DISCVRS. 1. Chriſtus Dominus nulla ex parte non ſanctus, & impeccabilis prorſus fuit. 392.
2. Subtiliori, & obſcuriori doctrina, ſæpiùs ad Dei agnitionem capimur. 393.
3. Difficultas ad condonandum hominum ignobilem, facilitas Dei naturā prædicant nobiliſſimam. 395.
4. Placida manſuetudo, fortior perſuaſionis energia eſt. 399.
5. Comitas ingenuitatis, ac dignitatis illuſtrius ſtemma eſt. 400.
6. Principis crudelitas, & odium gignit, & regnum euertit. 402.
7. Dignitas, quæ confertur digno, ab omnibus habetur. 404.
8. Iudex, niſi æquus ſit, iniquus erit. fol. 405.
9. Plus Chriſtum cruciauit electorum paucitas, quam tormentorum multitudo. 407.
10. Deus vnus eſt, vt faciliùs ſeruiatur, Trinus, vt abundantiùs benefaciat. 408.
11. Sit homo in re virtutis piè audax, & impoſſibilia tentet. 410.
12. Spes gloriæ merorem fugat animumque tranquillat. 411.
13. Tunc ad Deum per ſimilitudinem aſcendimus, cum bona noſtra opera non infecunda ſunt, ſed ſe mutuò gignunt. 413.
IV. ANNOT. in cap. 3. verſ.4.&5. Expoſitio litteræ. 415.
DISCVRS. 1. Crux Chriſti regni, ac Diuinitatis eius veritatem propalauit. 417.

2. Chri-

Digitized by Google

2. Chriſti Sanguis in Cruce fecundior. 420.
3. Non maiorum ſtemmata, ſed propriæ virtutes veram nobilitatem cudunt. 422.
4. Res cum propè ſunt ad interitum magis placent. 423.
5. Princeps, quæ ipſi incumbunt, per ſeipſum exequatur. 424.
6. Deus cum ſupplicia infert, quodammodò naturam mutare videtur. fol. 426.
7. Plura Deus, quam euulgat, hominibus confert beneficia. 428.
8. Lacrymabilis dolor à vita mortem mutuare. 430.
V. ANNOT. in cap. 3. verſ. 6. Expoſitio litteræ. 431.
DISCVRS. I. Auguſtior virtus à nobilitate eſt. 433.
2. Ijs, qui in expugnatione hoſtium fortitèr dimicarunt, præmia largiatur Princeps. 435.
3. Diuinum, & planè regium eſt pœnas non aſpicere, ſed præmium. fol. 437.
4. Diues impunè delinqnit, pauper inualidus pœnæ obnoxius eſt. 439.
5. Magnatorum eſt vitium ſola auctoritate praua ſua conſilia defendere. 440.
6. Subditorũ ſcelera ſuperioribus imputantur. 442.
7. Impunitas vitia fouet, ſupplicium auertit. 443.
8. Seditioſus eiuis bellum in Republica fouet, vt ex illo lucrum captet. fol. 445.
9. Veniam meritò demeretur, qui poſt accepta beneficia delinquit. 446.
10. Magnitudine res decreſcunt. 447.
VI. ANNOT. in cap. 3. verſ. 7. Expoſitio litteræ. 449.
DISCVRS. I. Chriſtus Dominus in Euchariſtia non ſolùm inuiſibiles; ſed, & viſibiles hoſtes expugnat. fol. 450.
2. Fides Diuina in Sacramento Altaris adeò triumphat, vt non ſolùm intellectum, ſed & ſenſus quodammodò in captiuitatem rediget. fol. 452.
3. Charitas, & amor vt homines ditent, Deum in Euchariſtia deprædantur. 453.
4. In almo Euchariſtiæ Sacramento duplex Chriſti vita ſpecialis, & gloriæ, & redemptionis actiuæ ſuſcipientibus quodammodò confertur. 455.
5. Pretium libertatis, & redemptricem vitam quodammodò Chriſtus in Euchariſtia largitur. 457.
6. Non ſolùm anima, ſed & ſenſus Euchariſtiæ ſuauitate beantur. 459.
5. In Euchariſtia Verbum caro efficitur. 461.
8. Chriſtus Dominus in Euchariſtia realitèr adeſt. 462.
9. Qui ad menſam Euchariſticam ſine ea, quæ ad tantùm Sacramentum decet, puritate accedit, inſanire videtur. 464.
10. Chriſti amor in Euchariſtia ſic delicatus eſt, vt vel tenuiſſima aura lædatur. 466.
11. Qui poſt Euchariſticam cœnam ſomno torpet, interitum ſibi parat. 468.
12. Ad Euchariſtiam nonniſi in gratia accedendum. 469.
13. Perfidia Iudaica nonniſi ignis flagratione punienda. 471.
14. Iudaica perfidia mortem deuorat. fol. 473.
15. Nullum non vile agit ambitio. 474.
VII. ANNOT. in cap. 3. verſ. 8. & 9. Expoſitio litteræ. 476.
DISCVRS. I. Delitias, opeſque Deus ſubmouet, vt obſtinatam in peccando licentiam coerceat. 478.
2. Facilis, & plaua iam nobis via ad cœlum eſt. 480.
3. Subditorum mos Præſules impetere, qui eos rectè viuere compellunt. 481.
4. Diligenda vxor, ſed illi graue negetium non pandendum. 483.
5. Superiorum munus dura ſeruitus. fol. 485.
6. Vtroque pede claudicat, qui ad neutram manum inclinat. 487.
7. Dignitas benemerito, etiamſi inimicus ſit conferenda. 488.
8. Chriſtus Dominus in Aſcenſione docuit fideles palam agere de regno cœlorum. 490.
9. Chriſtus Dominus pluſquam mortem ſuos relinquere ægrè tulit. 492.
10. Quan-

10. Quandoque diſſentiones bonæ, & optimæ Reipublicę. 494.
11. Mala facere, & queri, potentiorum eſt ingenium. 495.
12. Reſurrectionis Chriſti Domini luces, & vmbrę traduntur. 496.
13. Subditi vel inuiti in via virtutis ſunt educandi. 498.
14. Principem omnes reuerentur, maximè qui nobilitatis habent ſtemmata. 500.
15. Prelatus nullus ad quietem multiplex ad laborem. 501.
VIII. ANNOT. in cap.3. verſ.11. & 12. Expoſitio litteræ. 503.
DISCVRS. 1. Semper in gratiam ſtetit, nunquam in originariam culpam cecidit B.Virgo. 504.
2. Maria ſub Aſtrorum gratiæ benigno aſpectu concipitur, ne culpę influxu eam aſpiciat. 506.
3. Mariæ habitaculum vniuerſale culpę diluuium non ingreditur. 509.
4. Maria non decertando, ſed deterrendo triumphum de ſerpente reportauit, vt nobiliori potiretur victoria. 510.
5. Maria Paradiſus ſemper virens, lux numquam deficiens. 513.
6. Vt totus naturę ordo in Mariæ conceptione videatur inuerſus, non tantum capite, ſed & pedibus coronatis incedit. 514.
7. Nec leuem culpæ ſuſpicionem Mariæ Conceptio patitur. 516.
8. Ex ſpinetu ſentibus originalis culpæ vallato mollis roſa Maria ſurgit. 518.
9. Venenoſus ſerpens numquam ad Mariam accedere fuit auſus. 520.
10. Maria cerua à trifauci diaboli ore recedens. 522.
11. Maria palma ſemper virens, numquam gratia viduata. 524.
12. Quoties Marię puritas periclitari videtur, toties noua perfectione fulcitur. 526.
13. Voluit Chriſtus Dominus, vt omnis eius victoria Virgini Matri tribueretur. 528.
14. Vt debitum Matri rependeret Chriſtus Euchariſtiam inſtituit. 530.
15. Maria flos, & in Conceptione, & in Partu intemeratus. 531.
16. A Deipara pietatem Chriſtus hauſit, ad ipſiuſque nutum munera diſpenſat. 533.
17. Mariæ cruciatus in Chriſti morte exagerantur. 534.
18. Vt antipelargię legem adimpleat Chriſtus maternum corpus in Cœlum aduexit. 536.
19. Vt neceſſitates noſtras proſpiciat Maria in Cœlum erigitur. 539.
20. Æqualitas prę mij excidium Reipublicæ. 541.
21. Non Deus punit vt interimat, ſed vt illuminet. 543.
22. Superiorum vita adeò eſt detractionibus obnoxia, vt omnium oculi ad ipſorum manibus attendant. fol. 544.
23. Obduratio peccatoris Deum quodammodò fatigat. 546.
24. Eccleſiæ Catholicæ fortitudo ſemper inuicta, eo quod vnico eius innititur ſponſo. 547.
25. Nihil gratiùs, dulciuſue nobili Matronæ, quam in domo ſponſi ſui permanere. 548.
26. Non minùs ægrè Deus fert, vt illum tepidè quæramus, quam quod auertamur ab ipſo. 550.
27. Summa dementia, & infelicitas eſt, à virtutis tramite recedere. 551.
IX. ANNOT. in cap.3. verſ.13. Expoſitio litteræ. 554.
DISCVRS. 1. Pugnare cum Deo, vincere, ſine Deo vinci eſt. 555.
2. Plus Deus noſtræ ſalutis ſolicitus eſt; quam nos. 557.
3. Gloriatur Deus de animæ deperditæ conuerſione. 558.
4. Aberrat, qui per virtutis viam abſq; ductore incedit. 560.
5. Malorum contagium vel ſanctos lædit. 562.
6. Neque nimio timore, neque ſpe nimia ad Cœlum itur. 563.
7. Ignobilium proprium vitium eſt detractio. 564.
8. Munera cum diſcretione conferenda. 566.
X. ANNOT. in cap.3. verſ. 14. Expoſitio litteræ. 568.
DISCVRS. 1. Proximorum lapſus ſuos iuſti reputant. 569.
2. Grandis poteſtas timeat, humilis à timo-

à timore ſecurus. 570.
3. Lex non multiplex debet eſſe. 572.
4. Simulationem, & hypocriſim toto animo Deus aborret. 574.
5. Tametſi Deus pientiſſimus ſit, in publica ſcelera maximè excandeſcit. 575.
6. Criſpati, & comati molles, & effeminati, ad bellaque inepti. 577.
7. Malus ſuperior impios, bonus pios iuxta ſe habet miniſtros. 579.
8. Humilis indignitate aſper, & ſuperbus, nobilis blandus, & humilis. 581.
XI. ANNOT. in cap.3.verſ.15. Expoſitio litteræ. 582.
DISCVRS. 1. Magnis beneficijs ſupplicia Deus compenſat. 583.
2. Mundialium rerum abdicatio mirabile Dei opus. 585.
3. Quod licet ingratum eſt. 586.
4. Nonniſi Deo auſpice, & acritèr pugnaute, importunæ carnis illecebræ ſuperantur. 588.
5. Ad meretrices cognoſcendas olim, nunc ad continentes prophetiæ opus eſt. 589.
6. Mortis caſtitas, vitæ impudicitiæ expers. 591.
7. Commercium viri, ac mulieris, etſi per iocum ſit, reus facti habetur. 593.
8. Timenda cunctis libido, eo quod totam hominis vitam, & ſtudium ſorbet. 595.
9. Adulterium vel à barbaris deteſtatum, in barbariem degenerat. 566.
XII. ANNOT. in cap.3.verſ.16. Expoſitio litteræ. 598.
DISCVRS.1. Maiora mala faciunt, vt minora bona videautur. 599.
2. Pudor eſt pro æterna gloria non præſtari, quod pro peritura facimus. 601.
3. Cinis exhomologeſis adiutor diuinæ pietatis illex, & validiſſimus hoſtium expugnator. 603.
4. In morte vel minima peccata nos præmunt. 606.
5. Ij tantùm cum mortuis aliquo connectuntur vinculo, præſtantioraque miſericordiæ opera exercent, qui ſuffragijs eorum recordantur. fol. 607.
6. Perfecti viri ea eſt conditio, vt quot gradibus fauore aſcendit, tot propria abiectione deſcendat. 609.
7. Non fas eſt ante laborem quieſcere. 613.
8. Prȩmia alunt virtutes. 613.
9. Delitijs, & voluptatibus langueſcunt animi: virtute roborantur, fol. 614.
XIII. ANNOT. in cap.3. verſ.17.18. & 19. Expoſitio litteræ.
DISCVRS.1. Iudæorum maxima infelicitas, terram fodere, & fructum ex ea non colligere. 617.
2. Plerumque plebei, nobiles in virtute ſuperant. 619.
3. Anticipata virtutum opera fructus Deo gratiſſimus. 620.
4. Tanti extimat Chriſtus Dominus hominis ſalutem, vt pro illa faciat, quidquid pro ſua faceret, ſi indigeret, & ſuam reputet gloriam. fol. 621.
5. Ferè omnes temporalium, pauci ſunt, qui æternorum ſentiant iacturam. 623.
6. Mali ciues propter lucra fructus abſcondentes, aut inimicis deferentes rerum penuriæ cauſa ſunt. 624.
7. Sanctorum cum Deo de bonis operibus eſt concertatio: ipſi Deo illa attribuunt, inſtis Deus. 626.
8. Res ſummi doloris eſt æquales feliciores contueri. 627.
9. Qui cadendi occaſionem non aufugit, etſi non cadat, cecidiſſe videtur. 629.
10. Sic cadendi occaſionem pertimeſcere debemus, vt & impoſſibilem caueamus. 630.
11. Poſſe, & nolle vindictam ſumere, potentiæ, ac nobilitatis eſt apex. fol. 632.
12. Parcendum inimicis, ſed eis non fidendum. 634.
13. Ex naturæ iuſtitiæ debito inimicis parcere tenemur. 636.
14. Iniuriarum venia ad cœlum, vndè deſcendit, via regia ducit, tantumque ex ea reportatur lucrum, vt non ſolùm omuium debitorum remiſſionem conſequatur, ſed cum perſecutoribus amicitiam conciliet. 637.

Digitized by Google

Index Annotationum,

15. Iniuriarum venia, quæ non propter Deum, ſed ob alios reſpectus confertur, ſuſpecta eſt. 639.
16. Ieiunium dæmonem fugat, cæleſtem vitam refert, ſanctitatis eſt compendium, intemperantia libidinis. fol. 641.
17. Monaſticæ, & ſolitariæ vitæ elogia traduntur, à cuius perfectione qui deficit, impudentèr delinquit. 643.
18. Cęleſtia anhelans, terrena contemnit, & pericula deſpicit. 646.
19. Anima vt fructum afferat, ſemper eſt colenda. 647.
20. Amor ſubditorum in Principes, victorias parat. 648.
21. Victoria de inimicis feliciter reportat oratio. 649.
22. Plerique hominum ad cœlum ire cupiunt, non per cœli viam, ſed per tartarorum iter. 650.
23. Quod pro Deo largimur non minuitur, ſed eum ingenti lucro recipimus. 652.
24. Hoſpitalitas Dei virtus, & beatitudinis complementum. 654.
25. Cęleſtis Vrbs Ieruſalem arx eſt mortificationibus munita, & pœnitentium patria. 655.

Digitized by Google

ELENCHIVS
AD
SACRAS CONCIONES
DE
TEMPORE, ET DE SANCTIS.

DOMINICA I. ADVENTVS.

Lucæ 21.

E*RVNT ſigna in Sole, Luna, & Stellis, &c.* Quod certo futurum eſt iudicium prænunciat, eius tamen diem non reuelat, vt pendula ſpe omnes habeant incertam mortis, ac iudicij certitudinem. pag.171.

Erunt ſigna in Sole, &c. Ad iuſtitiæ ſeueritatem miſericordiæ præcurrunt ſigna; quia in æquo Iudice poteſtas ad abſoluendum poteſtati ad puniendum præponenda eſt. pag. 44.

Erunt ſigna in Sole, &c. Ne homo lenocinetur de futura vita, iudicij reticetur hora: nam magna dæmonis tentatio eſt mortem diſtantem obijcere. p.169.

Erunt ſigna in Sole, Luna, & Stellis, &c. Etiam inferiores iuſtitiæ diuinæ miniſtri in reos armantur, quia nihil præſtat Iudicem eſſe in iuſtitia præſtantem, ſi praui ſunt inferiores miniſtri. p.228.

Areſcentibus hominibus præ timore, &c. Etiam iuſti areſcere dicuntur: quia extrema iudicij dies adeò eſt periculoſa, & formidabilis, vt peccatoribus nulla euadendi affulgeat ſpes, & iuſtis ſit cauſa formidinis. p.164.

Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, &c. Fortè expectatione homines areſcere dicuntur, vt nulla in illa die veniæ ſuperſit expectatio: nam Iudex, qui ſupplicia protrahit, ſeueriſſimè plectit; qui verò citò punit, ſimilis parcenti eſt. p.39.

Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione. Timor, & ſpes præcedunt iudicium, vt laxatæ timore vires ſpei dilatatione reficiantur, & neque nimia ſpe; neque timore nimio ad cœlum ire queant. p.563.

Areſcentibus hominibus præ timore. Naufragante mundo rectè timor nauclerus hominibus deſignatur: nam etſi quandoque naufraget, plerumque Dei timor portum fœliciter attingit. p.370.

Videte ficulneam, & omnes arbores, &c. Reprobis areſcentibus Sanctorum erigitur ſpes futuri regni aduentantis: quia iuſtorum ærumnis extrema iudicij dies erit ſolatium. pag. 166.

Tunc videbunt Filium hominis, &c. Irata Chriſti Domini facies, quæ tot amoris ſigna dederat, immitem tunc contra reprobos fulminabit ſententiam: quia amore læſo nullus infenſior hoſtis. p.53.

Tunc videbunt Filium hominis, &c. Vel Deus ipſe ſiſtitur in iudicio, quia ita æquum erit, vt non ſolùm homines Deo, ſed Deus hominibus ſit rationem redditurus. p.162.

¶ *Ex alijs Euangeliſtis completur iudicij finalis narratio.*

Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, &c. Obſcurari dicuntur cœleſtia lumina, vbi à ſuis muneribus vacant: quia quæ proprio muneri non incumbunt non eſſe, reputantur. p.424.

Matthæi 25.

Tunc dicet Rex ijs, qui à dextris eius erunt, venite benedicti, &c. Iuſtos aduocare neceſsè fuit, vt accederent: peccatores verò longiùs propellere, quia nimis ſe lateribus in-

ſeruerant, *diſcedite à me maledicti, &c.* Nam ſæpè, qui amicitiæ larua ſe nimis introducunt, infidelitatis ſuſpitionem incurrunt. pag. 284.

Ite maledicti in ignem æternum. Palam reproborum ſcelera prodit, vt prius quam igne eos pudore acerbiùs cruciet: nam pudoris, & confuſionis ſupplicium ipſa morte, & gehenna grauius eſt. p.239.

Venite benedicti Patris mei. Per ſeipſum præmia largitur electis, reproborum autem ſupplicium alijs commendat: nam diuinum, & planè Regium eſt pœnas non aſpicere, ſed præmium. p.337.

Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. Hanc inter reliquas iuſtorum prius remunerat virtutem: quia cæteris tempore anteibat, & in æqua meritorum lance cana ſapientia iuniori eſt præferenda. p.375.

¶ *Iudicis munus quomodò exercendum habes.* p.331.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Matthæi 11.

C*Vm audiſſet Ioannes in vinculis, &c.* Illuſtrior Ioannis virtus, dum viuit, vinculis in decore mancipatur: quia illuſtres viri nonniſi poſt mortem honorantur. p.337.

Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti miſit duos, &c. In vinculis, & preſſura dubitat, an Chriſtus ſit venturus Meſſias, non antea: quia vexatio, & labor mentem illuminant. p.543.

Tu es, qui venturus es, &c. Dubitat Ioannes, an Ieſus ſit Chriſtus, quia nondum ſe operibus oſtenderat: & niſi per ſeipſum Princeps, quæ ipſi incumbunt exequatur, non eſſe reputatur. p.424.

Tu es, qui venturus es. Altè de Chriſto ſentiebat Ioannes, quia eximius virtutis ipſe erat obſeruator, & vt quiſque eſt, ſic putat alios. p.64.

Tu es, qui venturus es; Cupit agnoſcere an ſit Chriſtus, ne dubitationum fluctibus vagetur, & torqueatur: nam perplexitas grauis animi eſt cruciatus. p.142.

Tu es, qui venturus es. Quamuis mirifica Chriſti opera audiret, adhuc ambigit, an diuina ſint: quia nondum Chriſti fama inualuerat, & homines non ex rei patratæ merito, ſed ex patratoris fama rem exiſtimant. p.384.

Illis autem abeuntibus cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne. Vbi Ioannes in carcere detinetur oppreſſus, in ipſius ſe laudes diffundit Chriſtus, qui ad ſuas iniurias toties tacuit: nam æquiori animo Deus ſuas quam iuſtorum fert iniurias: iuſti ſuas quam Dei. p.70.

Cæci vident, claudi ambulant, &c. Sciſcitantibus an eſſet Deus, non diuinam originem, ſed egregia ſua opera oſtendit: quia non maiorum ſtemmata, ſed propriæ virtutes veram nobilitatem cudunt. p.422.

Cæci vident, claudi ambulant, mortui ſurgunt, pauperes euangelizantur. Non dixit pauperes ditantur, quod conſequenter ad ſuperiora dicendum videbatur: quia tranſitus extremæ paupertatis ad diuitiarum extremum inter opera Dei non computatur. p.195.

Cæci vident, claudi ambulant, &c. Sedulò incumbit Chriſtus, vt ſuis operibus bonam ſibi conciliet opinionem: nam bona fama, præcipuè in ſuperioribus conſeruanda eſt: mala autem nimis fugienda. p.281.

Hominem mollibus veſtitum. Renunciauerat Ioannes mundi delitijs, vt inuicto labore virtutibus vacaret: quia delitijs, & voluptatibus langueſcunt animi: virtute roborantur. p.614.

Qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt. Benè qui prophano habitu, & affectata facie incedit, in domo deliciarum eſſe perhibetur, non in deſerto, non in bello: quia comati, & criſpati molles ſunt, & effæminati, ad bellaque inepti. p.577.

Arundinem vento agitatam. Vt Ioannis firmitudinem oſtendat, arundini illum confert, quæ nullo frangitur vento propter ſuam humilitatem: enimuerò grandis poteſtas timere debet; humilis à timore eſt ſecurus. p.572.

Ecce ego mitto Angelum meum. Quamuis homo eſſet, Angelicam Ioannes ambibat perfectionem: quia homo in re virtutis piè debet eſſe audax, & impoſſibilia tentare. pag. 410.

DOMINICA III. ADVENTVS.

Ioann. 1.

M*Iſerunt Iudæi Sacerdotes, & Leuitas, &c.* Magnates populi ſummam Ioanni dignitatem offerunt, quam poſſidebant, ne eam amittant, & ipſum deuinctum habeant ambitionis artificio, cum tamen in dignitate non ſit ambienda perpetuitas. p.217.

Miſerunt Iudæi Sacerdotes, &c. Quamuis moribus, & vita Ioannes Iudæorum vitia reprehenderet, illiſque aduerſaretur, ipſi tamen ſupremam dignitatem offerunt: nam dignitas benemerito, etiamſi inimicus ſit, conferenda eſt. p.488.

Miſerunt Iudæi, &c. Non abnuunt Primates Hebræi populi dignitatem Ioanni deferre conſcij meritorum illius: quia dignitas, quæ confertur digno, ab omnibus habetur. pag. 404.

Et confeſſus eſt, & non negauit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Non modo non ambit Ioannes dignitatem, ſed oblatam recuſat, ne dedecoris næuum incurrat: nam negotioſa honoris ambitio ipſa ſolicitudine

dine inhonoratur, ſublimitate ipſa decreſcit. p.297.

Et confeſſus eſt, & non negauit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Sæpè negat ſe eſſe Chriſtum, vt veritati authoritatem conciliet: nam apud homines nullo veritas, maximo mendacium habetur pretio. p.167.

Elias es tu? Et dixit: non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: non: Vbi ipſum iugiter negantem audiunt, non vltra præfecturam offerunt, imò aduerſus eum ſtomachantur: nam ea hominum natura eſt, vt non tantam gratiam habeant pro ijs, quæ illis tribueris, quantum dolorem ſuper ijs, quæ illis negaueris. p.20.

Quis es? Vt reſponſum demus ijs, &c. Tantum illis fuit commiſſum, vt interrogarent eum an eſſet Meſſias; & mandatum tranſcendentes abſolutè quis ſit geſtiunt indagare: quia rarus miniſter eſt, qui in commiſſione non excedat. p.91.

Ego vox clamantis in deſerto. In deſerto clamat, ſibique aduerſatur, quia acriter vitia pungit: nam Prædicator, qui læta prædicat gratiam, qui triſtia, odium ſibi conciliat. p 50.

Ego vox clamantis in deſerto. Qualitates Sacri Eccleſiaſtes, illiuſque eloquij vbertim traduntur. p.150. vſque ad 156.

Ego vox clamantis in deſerto. Monaſticæ, & ſolitariæ vitæ elogia traduntur. p.643.

Dirigite viam Domini. Scilicet ſpirituales auſcultando Magiſtros: nam aberrat, qui per virtutis viam abſque ductore incedit. p.560.

Dirigite viam Domini. Non quia obliqua ſit: nam recta, facilis, & plana iam nobis via ad cœlum eſt. p.560.

Ego baptizo in aqua. Suum extenuat, vt Chriſti baptiſmum exaltet, qui in eius laudibus ſe iam diffuderat: nam Sanctorum cum Deo de bonis operibus eſt concertatio, ipſi Deo illa attribuunt, iuſtis Deus. p.682.

Cuius non ſum dignus vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. Vbi ſe de nobilitate originis humiliare exambit, plus extollitur: quia humilitas regia eſt virtus. p.80.

Cuius non ſum dignus, &c. Humiliari ſatagit, cum ſe ad dignitatem electum vidit, vt originis nobilitatem oſtendat: quia nobilis in dignitate blandus eſt, & humilis: humilis aſper, & ſuperbus. p.581.

Cuius non ſum dignus vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. A Phariſæis magno in pretio habitus, à Chriſto laudibus euectus, ſeipſum deſpicit: quia perfecti viri ea eſt conditio, vt quot gradibus fauore aſcendit, tot propria abiectione deſcendat. p.609.

Quid ergo baptizas? Si non es Chriſtus, neque Propheta. Quem honore maximo proſequebantur, vbi Meſſiam eſſe putabant, iam virulentis verbis reprehendunt: nam in ſtatu, adulatio, in declinatione, conuitium præſectuæ comes eſt. p.190.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Lucæ 3.

Sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha. Fortè hos iniquos Præſules indigitat Euangeliſta, vbi Ioannem poſteà relegatum in deſerto oſtendit, vt dolorem excitet: quia dolendum eſt maximè, quod digni oribus depreſſis, indigni ad dignitates ſubleuentur. p.23.

Sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha. Fortè & ipſi Principes ſub principatu erant, quia præfectura non tam leuat Principes, quam aggrauat: etenim Superiorum munus dura eſt ſeruitus. p.485.

Imperij Tiberij Cæſaris imperante Pontio Pilato, &c. Dedecora horum Principum, qui non benè in pluribus egerunt, tacet Euangeliſta: quia in obiurgandis Principum, ac Superiorum erratis, publico ſermonis iaculo haud vtendum eſt. p.6.

Factum eſt verbum Domini. Dei Verbum factum dicitur, quia Dei eloquium operatio eſt; non ſic hominum, qui grandi loquentia ſe exaltant, quia nihil operantur, & de quo ſe iactent, id illis deeſt. p.122.

Super Ioannem Zachariæ filium. E Sanctiſſimo parente Ioannes perhibetur procreatus, vt eius Sanctitas commendetur: nam auguſtior virtus à nobilitate eſt. p.433.

In deſerto. Non in vrbe, ſed in deſerto Ioannes prædicat, ne Magnatibus blandiri videatur, & vel ipſa habitus auſteritate vitia reprehendat: nam Apoſtolici Concionatoris eſt non blandiri, ſed obiurgare cuiuſcunque ſint vitia. p.154.

In deſerto. Etiam vitæ Sanctitate Ioannes prædicat: quia facer Eccleſiaſtes id debet eſſe, quod loquitur. p.152.

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Cæleſtis vrbs Ieruſalem arx eſt mortificationibus munita, & pœnitentium patria. p.655.

Prædicans baptiſmum pœnitentia in remiſſionem peccatorum. Enimuerò peccati confeſſio, quam prædicabat Ioannes, vnicum ſalutis medicamentum eſt. p.358.

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Sic hominis peccata, Chriſtiana pœnitentia delentur, vt ad fortiùs reſurgenduni, proſit aliquando corruiſſe. p.353.

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Baptiſmo, qui omnia expurgat, pœnitentia aſſimilari debet, nam tepida non minùs quam peccatum Deum exacerbat. p.550.

In deſerto prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Non in vrbium frequentia, vbi humanæ eloquentiæ viget ſtudium, ſed in eremo, vbi rudis minerua loquitur, prædicat Ioannes: quia Verbum Dei non indiget humani eloquij præſidio, vt aridos peccatorum animos fœcundet. p.156.

Omnis vallis implebitur. Diuina gratia, & Sapien-

pientia non montes, ſed valles, qui humiles referunt, impleri dicuntur: nam humilitas oculatiſſima eſt virtus, & quæ ſuperbis abſconduntur, rimatur myſteria. p.351.

Omnis mons, & collis humiliabitur. Benè quidem, nam ſuperbus quo magis aſcendere conatur, magis cadit. p.177.

IN NATIVITATE DOMINI.

Ioann. 1.

IN *principio erat Verbum*. Æternitatem, qua omnia tempora præceſſit, Verbum recenſet Euangeliſta, vt moram, & cunctationem eius in carne aduentus manifeſtet, quem adeò diſtulit, vt magis ab hominibus haberetur in prætio. p.362.

In principio erat Verbum. Nobilitatem Verbi ab antiquitate oſtendit, vt eius virtutem commendet: nam auguſtior virtus à nobilitate eſt. p.433.

In principio erat Verbum. Vbi ad hominum conſortium Verbum adduxit amor, æternitas eius patefit, vt innuatur, amorem Dei erga creaturas occaſum neſcire, & finem ignorare. p.366.

In principio erat Verbum. Vt pretium incarnationis operi acceſceret, diuinam prodit naturam: nam homines non ex rei patratæ merito, ſed ex patratoris fama rem exiſtimant. p.384.

In principio erat Verbum. Nobiliſſima Verbi natura propalatur, vbi morti obnoxium in carne naſcitur: quia egregiæ excellentiæ infortunatæ ſunt, & moribundæ. p.83.

Et Verbum erat apud Deum. Ille ipſe, qui apud Patrem effluebat delitijs, non ſibi indulſit, ſed humanitatis pertulit incommoda, vt omnium hominum ſaluti conſuleret, bonum publicum præſerens priuato. p.112.

In ipſo vita erat. Vita dicitur, cum Patris de aſſumenda carne adimplet mandatum: quia Dei ſeruitus compendium vitæ eſt. p.90.

Erat lux vera. Ad homines deſcendens lux vera Verbum comprobatur, quia cœleſtia lumina, vtpotè nobilitate prædita, humiliari non recuſant. p.80.

Erat lux vera. Nulla tenebrarum caligine immerſa: nam Chriſtus Dominus nulla ex parte non Sanctus, & impeccabilis prorſus fuit. p.392.

Et tenebræ eam non comprehenderunt. Singulare huius mundiſſimæ lucis priuilegium à vicinis tenebris non inquinari: quandoquidèm malorum contagium, vel Sanctos lædit. p.562.

Mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. Mundus, cui tam munificus extiterat, ipſum ad gratiam ignorat, & recognoſcit ad offenſam: ſic beneficia infortunata ſunt, vt tutiùs ſit aliquem offendere, quam fauoribus proſequi. p.305.

In propria venit, & ſui eum non receperunt. Suorum immitem perſecutionem, non receptionem vocat: plerumq; ſanguinis propinquitas, & fraternitas, quæ concordiæ vinculum eſſe deberent, diſcordiarum, & perſecutionum ſeminaria ſunt. p.280.

Verbum caro factum eſt. Vnus ſolus filius fac eſt vniuerſam reputare naturam, ſicut vna ſola filia totam domum euertere. p.248.

Verbum caro factum eſt. Verba factis debent correſpondere, nam parum tibi Chriſtianum nomen proderit, ſi Chriſtiani opera non feceris. p.175.

Verbum caro factum eſt. Verbum, qui Filius æterna generatione eſt, naſcitur in tempore Filius, non Pater, neque Spiritus Sanctus: nam vnuſquiſque de ſuo debet munere agere. p.140.

Verbum caro factum eſt. Deus ipſe, qui homines creauerat, carnem aſſumit moriturus, vt eos redimeret, Deique nomen non amitteret: nam Principis nomine indignus eſt, qui vel cum ſuo periculo ſuos ab iniurijs non tutatur. p.219.

Et vidimus gloriam eius. Tanti æſtimat Chriſtus Dominus hominis ſalutem, vt pro illa faciat quidquid pro ſua faceret ſi indigeret, ſuamque reputet gloriam. p.621.

¶ *Vide, quæ dicuntur in feſto Annunciationis.*

IN CIRCVMCISIONE DOMINI.

Lucæ 2.

PO*ſtquam conſummati ſunt dies octo*. Circumciſionis dies conſummati dicuntur, vbi Chriſtus circumciditur: quia vt legem finiret, & conſummaret, circumciſionis legem adimpleuit. p.364.

Vt circumcideretur puer. Infantulus ſanguinem effundere inchoauit vt Patri placeret: nam anticipata virtutis opera fructus Deo gratiſſimus eſt. p.620.

Vt circumcideretur puer. Non virtutis habitu peccatum occultat, ſed peccatoris virtutem: nam diſſimulationem, & hypocriſim toto animo Deus abhorret. p.574.

Vt circumcideretur puer. Indebitè legem adimpleuit, quia plura Deus, quam euulgat, hominibus confert beneficia. p.428.

Vt circumcideretur puer. Pudeat ſenectutem à vitijs non abſtinere, infantiam Dei in carne cruentatam aſpicientem. p.377.

Vt circumcideretur puer. Vix vita fruitur, & legem adimplet, vt ſecuriùs viuat: quia in obſeruantia legis] principia vitæ iaciuntur. pag. 90.

Vt circumcideretur puer. Vbi primum inter homines commoratur, leges derogare curat: nam lex non multiplex debet eſſe. pag. 572.

Vt circumcideretur puer. Pauperibus faſcijs natus legem abſque obligatione adimplet,

ne

ne reus tranſgreſſionis legis reputetur, & pœnæ: quia pauper inualidus pœnæ obnoxius eſt; diues impunè delinquit. p.439.

Vt circumcideretur puer. Non dicitur circumciſus: vel vmbram peccati refugit Euangeliſta in Chriſto effigiare, quia omni ex parte ſanctus, & impeccabilis prorſus fuit. pag. p.392.

Vt circumcideretur puer. Non tam ſanguinis effuſione, quam peccatoris imagine cruciatur in circumciſione Chrius: nam confuſionis, & pudoris tormentum ipſa morte, & gehenna grauius eſt. p.239.

Vt circumcideretur puer. Adhuc tenellus infans pro nobis peccatorem apparere non recuſat, vt acriùs cruciaretur: nam nulla ſenſibilior iactura honoris eſt. p.289.

Vt circumcideretur puer. Vt ſpiritus creſcat, circumcidatur corpus: ſit caro ſpiritui ſubiecta, vt perfectos fœtus producat. p.335.

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Circumciſionis arduo, & laborioſo opere confecto, nobile Ieſu nomen, in quo quieſcat aſſumit, non antea: nam non] fas eſt ante laborem quieſcere. p.611.

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Operis ſui merito glorioſum Ieſu nomen adſcribit, vt ad alia opera egregia feſtinaret: nam præmia fouent, & alunt virtutes. p.613.

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Ideſt, ſalus. De hoc nomine maximè gloriatur, qui pro noſtra ſalute fecit, quidquid pro ſua faceret, ſi indigeret. p.621.

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Non ante ſanguinis effuſionem dignitatis nomen aſſumpſit nam dignitas abſque meritorum ornamento non honorem, ſed pudorem inducit. p.330.

IN EPIPHANIA.

Matthæi 2.

E*cce Magi ab Oriente venerunt*. Tanquam quid mirabile refert Euangeliſta, quod ab Oriente Magi Chriſtum adorare aduenerint: nam potentes non ab Oriente, & primæua ætate, ſed ab Occidente, & ſenectute virtutem ſequuntur. p. 340.

Vbi eſt, qui natus eſt Rex. Qui Rex erat ante ſæcula, Rex in tempore naſcitur moriturus, duplicem quaſi perſonam agens: nam ſuperior multiplex debet eſſe ad laborem; nullus ad quietem. p.501.

Vbi eſt, qui natus eſt Rex. Eum, qui natiua vrgebat dignitate, & quem potentem, & opulentum ſuſpicabantur, adorare veniunt: quia diuitijs honores deferuntur. p.124.

Vidimus ſtellam eius. Stella eius dicitur proprietate, non influxu: quia Princeps, non ſiderium ſimpathia, ſed meritorum habita ratione munera debet conferre. p.566.

Vidimus ſtellam eius. Non proprio impulſu, ſed Dei ſtella ducti Deum exquirunt; nam via, qua Deus dirigit, quærenda eſt ſalus. pag. 146.

Venimus adorare eum. Regem Reges adorare gliſcunt: nam omnes Principem reuerentur, maximè qui nobilitatis habent ſtemmata. pag. 500.

Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt. Turbatur, quia timet à regia dignitate deponi? Nam ambitioſo honoris priuatio ipſa morte, & gehenna grauior eſt. p.310.

Turbatus eſt, Quia præſagiebat omnium, quæ poſſidebat, ruinam, recentis Regis nati principatum ambiens: nam ambitioſus bonorum perditione multatur: & dum non poſſeſſa quęrit, poſſeſſa amittit. p.206.

Turbatus eſt Herodes. Annihilationis regni pręſagium fuit illa turbatio, quæ mentem ad remedia obcæcabat: nam læthaliter Regnum nutat ad ruinam, cum vel remedia non occurrunt, vel, quæ occurrunt non proficiunt, & corrumpuntur. p.256.

Et omnis Ieroſolyma cum illo. Leui aura turbatur populus, nam ſeditioſi ciues ſpe melioris fortunæ turbationes, & bella fouent, vt ex eis lucrum captent. p.445.

Et omnis Ieroſolyma cum illo. Malum, quod imminebat Regi populus formidat: nam propter Principes populi, & propter populos Principes viciſſim pœnas luunt. p.299.

Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas. Miniſtros timore, & auaritia poſſeſſos, quales illi erant, potiùs diſiungere, quam congregare debuit, vt praua illorum diſſiparet conſilia: etenim multoties diuiſiones bonæ, & optimæ ſolent eſſe Reipublicæ. p.494.

Vt & ego veniens adorem eum. Quem proſequebatur odio, adorare pollicetur, ad malitiæ exaggerationem: quia nihil eſt deteſtabilius, quam amicum os præferre, & inimicum cor geſtare. p.282.

Obtulerunt ei munera. Miraberis quod Magi, qui ſapientes erant beneuole à Rege excipiantur, eorumque munera grata extiterint: quia apud Principes infortunata ſolet eſſe ſapientia, felix ſtultitia. p.27.

Obtulerunt ei munera. Egenti Regi ſpontè munera offerunt: quia quæ populus pro ſubueniendo Principe offert, non ſunt violenter extorquenda. p.211.

Obtulerunt ei munera, Etiam vbi itineris ſumptus ad reuertendum inſtabant, munera egeno Principe obtulerunt: quia vel neceſſitatibus oppreſſi debent ſubditi in publicis neceſſitatibus Principibus ſubuenire. p.235.

Obtulerunt ei munera. Ei, non miniſtris ſeruitutis tributa pendunt: nam quæ Principi non immediatè ſoluuntur, non ipſi, ſed miniſtris inſeruiunt. p.239.

Obtulerunt ei munera. Quia propitium eum habere cupiebant, munera offerunt, probè ſcientes nihil eſſe tam Sanctum, nihil

tam

tam munitum, quod non flecti muneribus poſſit. p.322.

Obtulerunt ei munera. Munera largiuntur, non accipiunt, vt eorum probetur fides: nam ex munerum acceptione ſolet eſſe mendax. p.373.

DOMINICA INFFRA OCT. EPIPHANIÆ.

Lucæ 2.

A*Scendentibus illis Ieroſolymam.* Vbi parentes religionis cauſa aſcendunt, aſcendit filius, oſtendens ſe in virtute talium parentum filium: nam auguſtior virtus à nobilitate eſt. p.433.

Remanſit puer Ieſus. Conſulto in domo virtutis detinetur, vt ipſi iugiter incumbat: quia anima vt fructum afferat, ſemper eſt colenda. p.647.

Remanſit puer Ieſus. Fortè quia ardenter illum amabant parentes, ipſum amittunt: nam res vt ægritudine; dilectione pereunt. p.261.

Poſt triduum inuenerunt illum. Impensè, & ſolicitè quæritur, vt inuentus maiorem voluptatem afferat: quia ex laboribus, quibus comparantur, æſtimantur res. p.359.

Audientem illos, & interrogantem. Vide Chriſti vrbanitatem, quæ dignitatis, & ingenuitatis illuſtrius ſtemma eſt. p.406.

Audientem illos, & interrogantem. Non dedignatur puer, etſi omnia ſciret, aliqua interrogare vt Doctores honoret annoſos: nam cana ſapientia iuniori eſt præſerenda. pag. 375.

Quid eſt, quod me quærebatis. Ægrè fert Chriſtus ab erudiendi munere ad quod venerat, auelli: nam nequit placere Deo quiſquis, vt ipſi incumbat, à proprio ſe ſubtrahit munere. p.137.

Neſciebatis, quia in ijs, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Parentum abnuit ſocietatem, vt Patris adimpleat mandatum, omniumque hominum ſaluti incumbat: nam bonum publicum priuato ſemper eſt præferendum. p.112.

Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Non ſolùm curat Chriſtus Deo placere, ſed apud homines bonam habere opinionem: nam bona fama præcipuè in ſuperioribus obtinenda eſt, & conſeruanda. p.287.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Ioann. 2.

V*Ocatus eſt autem Ieſus, & Diſcipuli eius ad nuptias.* Diſcipulos, qui in laboribus ipſum comitabantur, ad nuptiarum voluptatem defert: nam ijs, qui pro tuendo Principe laborarunt, præmia ſunt largienda. p.435.

Quid mihi, & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea. Hac non obſtante repulſa confidenter pia mater miniſtris præcipit hydrias adiplere, quia ſciebat, quod per ſæpè quod minùs vult, id ſe nolle dicit velle Deus, & quod nolle dicit, ipſum vult. p.100.

Quid mihi, & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea. Quamuis matrem minùs beneuolè alloquatur, ipſa tamen indè miraculum patraturum arguit: nam durum Dei Verbum lenitatis eſt omen: miſericordia vices cum iuſtitia reciprocat. p.381.

Nondum venit hora mea: Quia nondum eius opinio inualuerat, vnde miraculum minùs haberetur in pretio: nam homines non ex rei patratæ merito, ſed ex patratoris fama rem exiſtimant. p.384.

Nondum venit hora mea. Ne benefacere omittat, beneficia tempore non opportuno negat: plerumque Deus beneficia contrahit, vt noſtræ vtilitati conſulat. p.295.

Nondum venit hora mea. Negat beneficium, quod conferre decreuerat: quia plura quam euulgat, hominibus Deus largitur. p. 428.

Capientes ſinguli metretas binas, vel ternas. Hac moderatione loquitur Hiſtoricus ſacer, ne à veritate recedat: quia eo veritas eſt timidior, quo audacius mendacium. p.317.

Nuptijs Chriſtus adeſt in limine, vt deteſtabilem adulterij labem exterminet, vtpotè vitium à Barbaris deteſtatum, & in barbariem degenerans. p.596.

Vt intra debitum ſe contrahentes contineant, Chriſtus nuptijs adeſſe non recuſat: nam nonniſi Deo auſpice, & acriter pugnante importunæ carnis illecebræ ſuperantur. pag. 588.

Feſtiuos ludos inter vtrioſque ſexus perſonas in nuptijs vſitatos Chriſtus exterminate accedit: quia commercium viri, ac mulieris, etſi per iocum ſit, reus facti habetur. p.593.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

Matthæi 20.

Q*Vi exijt primo manè.* Nec ſomno indulget, vt vineæ prouideat: nam ſuperior nullus debet eſſe ad quietem; multiplex ad laborem. p.501.

Conuentione autem facta ex denario diurno. Etiã ijs, qui circa horam nonam venerant, quibus ex pacto non tenebatur denarium ſoluere, illud largitur: quia plura Deus, quam euulgat hominibus confert beneficia. p.428.

Quid hic ſtatis tota die otioſi? Otioſos faſtidit, quia mercedem recipere ſunt incapaces: nam ijs tantùm præmia debet largiri Princeps, qui antea laborauerant. p.435.

Quid hic ſtatis tota die otioſi? Otium pauperum reprehendit, quia furti ſolet eſſe ſuſpectum: nam qui non habet vndè viuat, & viuit, & non laborat, aut viuit miraculo, aut furto. pag. 60.

Ite

Ite & vos in vineam meam. Subditi, vel inuiti in via virtutis ſunt educandi. p.498.

Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis. Mercedem poſt laborem meritò pollicetur: nam non fas eſt ante laborem quieſcere. p.611.

Et quod iuſtum fuerit dabo vobis. Præcepit, vt quæ habituri ſunt, iuſtè poſſideant, ne omnia amittant: nam res iniuſtè poſſeſſæ ignis ſunt, qui bona alia conſumit. p.246.

Et quod iuſtum fuerit dabo vobis. Bonus Dominus, qui ab ipſo bona ſeruos accipere curat, nam quæ Deo derelicto acquiruntur, non proſunt, ſed obſunt. p.225.

Voca operarios, & redde illis mercedem. Coram ſe mercedem ſoluere præcipit: quia Principes, quę ipſi incumbunt, per ſeipſum exequi debet. p.424.

Murmurabant aduersùs Patrem familias. Cur conqueruntur, eo quod nouiſſimi plus ęquo munerentur, ſi nihil ipſis de mercede detrahitur? Fortè, quia homines non videntur habere, niſi quod ab alijs aufertur. pag. 209.

Et murmurabant. Immeritò detrahunt Patri familias, illique aduerſantur, quia gratioſè pluſquam merebantur, alijs præſtaret: nam quod fauor, & gratia indignis confeꝛatur, non ſat eſt, vt à ſuperioribus auellamur. p.29.

Murmurabant aduersùs Patrem. De quo detrahebant? De liberalitate erga nouiſſimos, quos vltra meritum munerauit: at hęc non murmurationis, ſed laudis erat materia. Plerumque calumnijs nobilitatur Ieſus homo. p.105.

Murmurabant. Opportunè ſub perſona operariorum introducuntur hic murmuratores: nam ignobilium proprium vitium eſt detractio. p.564.

Et pares illos nobis feciſti. Non ſine cauſa dolent quamuis ſine cauſa murmurent; nam ſumma infelicitas eſt, inferiores, aut æquales feliciores contueri. p.627.

Et pares illos nobis feciſti: Paritas mercedis non leue murmurationis fomentum extitit: quia ęqualitas præmij excidium ſolet eſſe Reipublicæ. p.541.

DOMINICA IN SÈXAGESIMA.

Lucæ 8.

Exijt qui ſeminat. Seminantis ſimilitudine aptè Deus vtitur, quia eius opera mutuò ſe gignunt: ad ipſumque per ſimilitudinem accedimus, cum bona noſtra opera non inſœcunda ſunt. p.413.

Exijt qui ſeminat ſeminare. Seminare exijt, qui antequam exeat, ſeminat, vt curam, & ſolicitudinem oſtendat: Nam plus Deus noſtræ ſalutis ſolicitus eſt, quam nos. p.557.

Exijt qui ſeminat. Terram dilacerat Agricola, vt meliorem afferat fructum: ſic Deus pœnam inducit, vt occaſio ſit vberioris beneficentiæ. p.583.

Exijt qui ſeminat. Seminantis metaphora vtitur, qui ſpe fructus ſemina ſpargit, cum timore tamen ſemen amittendi; quia nec ſpe nimia, neque nimio timore ad cœlum itur. pag. 563.

Aliud cecidit ſupra petram. Opportunè petræ comparantur, qui Deo vocanti reſiſtunt propter obduratam renitentiam, quæ Deum quodammodò fatigat. p.546.

Et natum aruit, quia non habebat humorem. Infortunatè, quod benè iucæperat, malè deſiſtit: nam ſumma infelicitas eſt à virtutis tramite recedere. p.551.

Et aliud cecidit ſecus viam. Miſera ſors, ſecus viam aberrare, & à vita mortem mutuare. pag. 430.

Et aliud cecidit ſecùs viam. Hoc Iudæo populo contigit, qui ſecùs viam aberrauit, cuius maxima infelicitas fuit terram fodere, & fructum ex ea non colligere. p.617.

Aliud cecidit inter ſpinas. Non mirum, quod ſpinæ, quæ diuitias referunt, Chriſto Domino exponente, pauperculum, granum ſuffocent: nam diuites, & potentes pauperes excoriant, & liguriunt. p.110.

Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum. Vbi ſemen fructificare exiſtimat, machinamenta applicat, vt perdat: acriùs iuſtos, quam peccatores diabolus inſequitur. pag. 120.

Qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Nihil præſtat benè incipere ſi poſtea recedas: nam ſola conſtantia virtutum eſt compendium, & corona. p.143.

Et voluptatibus vitæ. Delitijs, & voluptatibus langueſcunt animi: virtute roborantur. pag. 614.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

Lucæ 18.

Aſſumpſit Ieſus duodecim Diſcipulos ſuos. Quaſi coactè Chriſtum ſequuntur, non vltrò ſe illius lateri ingerunt: nam qui amicitiæ larua ſe nimis introducunt, infidelitatis ſuſpitionem incurrunt: p.284.

Aſſumpſit Ieſus duodecim Diſcipulos ſuos ſecretò. Res tanti ponderis, qualis erat Chriſti mors, ſecretò tractatur. Diſerta politia: nam Gubernatorum garulitas regiminis ſolet eſſe inuerſio. p.382.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam. Suis cum aſeclis aſcendit; non ſic ambitioſus, qui dum aſcendere ſatagit, commilitonibus ſuis conſcendere pollicetur, quos poſtea ad ima demittit. p.118.

Ecce aſcendimus. Verè aſcendit Chriſtus, vbi

d ad

ad mortis humiliationem appropinquat; non ſic ſuperbus, qui, quo magis aſcendere per elationem conatur, magis cadit. pag. 117.

Tradetur enim gentibus, & illudetur. Mortem iam vicinam agnoſcit, ne Dæmonis arti ſuccumbat: nam magna diaboli tentatio eſt, mortem diſtantem obijcere. p.169.

Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur. Omnia hæc minùs doluerunt, quam plurimorum perditio: nam plus Chriſtum cruciauit electorum paucitas, quam tormentorum multitudo. p.407.

Et illudetur. Ad exagerationem paſſionis irriſionem memorat: quia nihil eſt grauius ingenuis viris, quam illudi. p.187.

Et tertia die reſurget. Paſſionis narrationi reſurrectionis gaudium ſubiunxit, vt morti ſolatium afferret: nam ſpes gloriæ mærorem fugat, animumque tranquillat. p.411.

Et ipſi nihil horum intellexerunt. Palam locutus eſt Chriſtus, & tamen Diſcipuli non intelligebant: ſubtiliori doctrina ſæpius ad Dei agnitionem capimur. p.393.

Et erat Verbum iſtud abſconditum ab eis. Quamuis perſpicuè Chriſtus loqueretur, adhuc Diſcipuli ignorare, quæ diceeat, perhibentur: vt Concionatores ſciant Dei Verbum nullis enigmatum difficultatibus eſſe obſcurandum, ne auditores ieiuni recedant. pag. 150.

Cæcus quidam. Verè à Deo cæcitatem veniſſe autumabat; à quo remedium expetebat, vt eam patientèr ſuſtineret: nam qui Deum pœnarum ſuarum authorem non agnoſcit facilè ad impatientiam ſtimulatur. p.73.

Et Ieſus dixit illi: reſpice: Vt viſum reſtitueret, cæcitatem Chriſtus induxit: nam Deus non punit, vt interimat, ſed vt illuminet. pag. 543.

Et Ieſus dixit illi: reſpice. Mendicans perhibetur cæcus, ad cuius nutum Chriſtus miraculum patrauit: quia ſic charitas vrget ad proximos ſubueniendos vt cum facultates deſint, ad miraculum recurrere compellat. pag. 386.

Et ſequebatur eum magnificans eum. Gratitudinis ſigna præbet, nullo vrgente præcepto: quia vt ſimus grati, non eſt opus Deum percipere: ne grati ſimus, non ſat videtur, etſi prohibeat. p.263.

Et ſequebatur eum magnificans eum. Poſt affecutionem viſus Deum magnificat: non antea: quia ſæpè magna tribulatio facit, ne homines ita facilè vacent Dei landibus. pag. 19.

Et omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo. Neceſſe fuit plebem oculorum euidentia de miraculo certiorari, vt ipſum crederet: nam aliena proba facilè; glorioſa geſta difficilè credunt homines. p.306.

FERIA IV. CINERVM.

Geneſis 3.

Memento homo, quia puluis es. Mortis recordatio intimatur, vbi de vita Chriſtiana inſtruenda impensè curat Eccleſia: nam mors idea eſt, & paradigma vitæ, non-niſi miraculosè diſſimilis. p.62.

Memento homo, quia puluis es. Crebrò mortis obijcitur hominibus recordatio, vt imminentia in morte pericula anteuertat: nam mortis hora ſic periculoſa eſt, vt quaſi Deo duplici indigeat. p.95.

Memento homo, quia puluis es. Puluerem eſſe, dum adhuc viuit, homini denunciatur, quaſi iam mortem incurriſſet: vt ſaltem ſe morti proximum agnoſcat: quia magna Dæmonis tentatio eſt, mortem diſtantem obijcere. p.169.

Mementò homo, quia puluis es. Mortis ſententia aduersùs hominem publicatur; non tamen executionis dies, vt cautè operetur, ſciens incertam eſſe mortis, ac iudicij certitudinem. p.171.

Memento homo, quia puluis es. Mortis recordatio ingeritur, vt auidiùs homo vitam diligat, & curet eam in æternum ſeruare: nam res cum propè ſunt ad interitum, magis placent. p.423.

Memento homo, quia puluis es. Sciat homo, iam mortis ſubiiſſe à natiuitate imperium, & cineris ſe mortui formam portare, vt doleat de vita, quæ mortem gignit: nam lacrymabilis dolor eſt, à vita mortem mutuare. p.430.

Memento homo, quia puluis es. Vbi Diuina deſiderantur auxilia ad ſuperandos ſpiritnales hoſtes, mortis adiungitur memoria: nam mortis, ac cineris recordatio adiutor Diuinæ pietatis eſt illex, & validiſſimus hoſtium expugnator. p.603.

Memento homo, quia puluis es. Vt homo aduerſùs inimica tela in morte muniatur, mortis recordari oportet, & illorum, quæ tunc inſtabunt, ante acta vitæ criminum: nam in morte, vel minima peccata præmunt. pag. 606.

Memento homo, quia puluis es. Vt homo ſemel moriatur; mortem præoccupare memoria debet, ne in peccata diſcedat, & ſecundam mortem incurrat: nam iuſti moriuntur, vt viuant: peccatores, vt moriantur. p.97.

Matthæi 6.

Cum ieiunatis. Homines ieiunantes ſupponit, quaſi præcepto non indigeat tantæ vtilitatis res: nam ieiunium Dæmonem fugat, cæleſtem vitam refert, ſanctitatis eſt compendium; intemperantia libidinis. p.641.

Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Impensè Chriſtus curat, ne homines hypocriſis labem

bem incurrant: quia ſimulationem, & hypocriſim toto animo abhorret. p.574.

Nolite fieri ſicut hypocritæ. A mentita, & interiori non reſpondente facie ſuos Chriſtus arcet: quia nihil eſt deteſtabilius, quam amicum os præferre, & inimicum cor geſtare. p.282.

Nolite fieri ſicut hypocritæ. Ne Deum ficti vultus cogant inferre ſupplicia, hypocriſim auertere ſatagit: quia nunquam mendacium remanet impunitum, ne Deus, quem deſtruere tentat, in illud conſentire videatur. p.293.

Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum. Vt ieiunium honeſtatem generet, & Diuinæ operationis imitationem: nam tunc ad Deum per ſimilitudinem aſcendimus, cum bona noſtra opera non infœcunda ſunt; ſed ſe mutuò gignunt. p.413.

Vnge caput tuum, & faciem tuam laua. Suos in militia ſpirituali, inſtruit, & faciem lauare, atque caput vngere præcipit; non è contra faciem vngere, & caput lauare: quia criſpati, & comati molles ſunt, & effœminari, ad bellaque inepti. p.577.

Vnge caput tuum, & faciem tuam laua. Faciem vngere tacitè prohibet, ne virtus interior exteriori fuco vitium reputetur, & vaticinari ſit neceſsè, vt agnoſcatur, ſicut ſæpè contigit; nā ſicut olim ad merettices agnoſcendas prophetia opus erat, ſic nunc ad continentes. p.589.

Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Mercedem à Patre dandam promittit, vt virtuti cultores conciliet: quia præmia fouent, & alant virrutes. p.613.

Nolite theſaurizare vobis theſauros. De auaritia non pauca habes verbo Diuitiæ.

FERIA VI. POST CINERES.

Matthæi 5.

E*Go autem dico vobis: diligite inimicos veſtros*. Ideſt, propter me, nullo alio inducti motiuo inimicis indulgere, vt animo pacato credamini: nam iniuriarum venia, quæ non propter me, ſed ob alios reſpectus confertur, ſuſpecta eſt. p.639.

Diligite inimicos veſtros. Verbis non præceptiuis, ſed conſultorijs iniungitur inimicorum dilectio, quaſi ſuperuacaneum eſſet præceptum: nam ex naturæ, ac iuſtitiæ debito inimicis parcere tenemur. p.636.

Diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Patris veſtri. De diuina origine meritò gloriatur, qui inimicis indulget, vindictam ſumere non impotens: nam poſſe, & nolle vindictam ſumere, potentiæ, ac nobilitatis eſt apex. p.632.

Diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Patris veſtri. Copioſa iniurias condonantibus merces præparatur in cœlis: nam iniuriarum venia ad cœlum vndè deſcendit, via regia ducit: tantumque ex ea reportatur lucrum, vt non ſolùm omnium debitorum remiſſionem conſequatur, ſed cum perſecutoribus amicitiam conciliet. p.637.

Vt ſitis filij Patris veſtri. Hæc egregia virtus filios Dei gignit: nam difficultas ad condonandum, hominum ignobilem, facilitas Dei nobiliſſimam prædicat naturam. p.395.

Vt ſitis filij Patris veſtri. Patrem ſe Deus, & protectorem iniurias tolerantium conſtituit: nam qui ſilet ad iniurias, Deum habet defenſorem. p.325.

Vt ſitis filij Patris veſtri. Vt ad Deum per ſimilitudinem aſcendant, eorum animos conciliare ſatagit: nam diſcordes animi cogunt aufugere Deum, & eos deſerere. p.30.

Diligite inimicos veſtros. Supponit aliorum inimicos homines non odiſſe, ideò non præcipit vt illos diligant: at tanta aliquorum hominum eſt prauitas, vt non iam ſuos, ſed aliorum inimicos ob adulationem odio habeant. p.130.

Diligite inimicos veſtros. Inimicorum nomine non ſolùm exteros, ſed & propinquos etiam & fratres comprehendit: quia fraternitas plerumque diſcordiarum ſeminarium eſt. pag. 280.

Diligite inimicos veſtros. Vt nulla oppoſitio, ſed concordia omnibus appareat: nam vbi pax interior, vt par eſt, inter fratres non ſeruatur, exterior ſaltem videri oportet, ne eorum noxijs ad exteros delatis, Euangelica ratio in contemptum imperitorum, & improborum deueniat. p.291.

Benefacite ijs, qui oderunt vos. Non dixit fidete ipſis, illiſque veſtram vitam aut honorem commendate: nam etſi inimicis parcendum ſit: eis tamen non eſt fidendum. pag. 634.

¶ *Qui de eleemoſyna, & hypocriſi agere voluerit, legat in Indice verbum* eleemoſyna, & hypocriſis.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Matthæi 4.

D*Vctus eſt Ieſus à ſpiritu in deſertum, vt tentaretur*. Non vltrò ſe deſtinat certamine, ſed ductus perhibetur, ne pericula laceſſere videatur, & tentationi ſuccumbere: nam qui cadendi occaſionem non aufugit, & ſi non cadat cecidiſſe videtur. p.629.

Ductus eſt Ieſus à ſpiritu. Ducitur Chriſtus ad locum conflictus, non ſpontè ſe pugnæ ingerit, quamuis certò ſciret victorem euaſurum, vtpotè qui Deus erat: quia cadendi occaſionem ſic pertimeſcere debemus, vt & impoſſibilem caueamus. p.163.

In deſertum. A mundi familiaritate ſequeſtratur, Deo auſpice, præliatur: nam qui ſæcularibus renunciauit curis, perpetuum

Digitized by Google

Deum comitem habet. p.643.

Et cum ieiunaſſet. Ad dimicandum cum diabolo ieiunio munitur: nam ieiunium dæmonem fugat, cœleſtem vitam refert, ſanctitatis eſt compendium intemperantia libidinis. p.641.

Et cum ieiunaſſet. Certamen ieiunus, & roboratus aggreditur, quia virtute roborantur animi, delitijs, & voluptatibus langueſcunt. p.614.

Dic, vt lapides iſti panes fiant. Cur non triticum offert ex quo panis conficitur, ſed lapides, vndè fieri non ſolet: quia vt nos perdat, noua in fide ſuggerit dæmon. p.49.

Dic, vt lapides iſti panes fiant. Cur eſurienti cibum non offert, ſed conſulit, vt efficiat, quia non homo à dæmone, ſed dæmon ab hominum ſumptibus ſaginatur. p.114.

Dic, vt lapides iſti panes fiant. Vbi Chriſtum iugiter ieiunantem vidit, vaferrimè ipſum adoritur: quia acriùs iuſtos, quam peccatores diabolus inſequitur. p.20.

Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem. Vel coactum dæmon in viam vitiorum Chriſtum adducere tentat, vt ſciant ſuperiores, vel inuitos ſubditos in via virtutis eſſe educandos. p.498.

Et ſtatuit eum ſupra pinaculum templi. Vt validiùs præcipitet in ruinam, Chriſtum ad faſtigium erexit; nam cum cætera vitia citrà condignum plectantur, ſuperbia ad extremum vſque punitur. p.179.

Mitte te deorſum. Ei, quem in templo ſuperari ſatagit; præcipitium ſuggerit: nam peccata, quæ extra templum caſus videntur, intra, præcipitia ſunt. p.575.

Mitte te deorſum. Statim, ac templi aſcendit verticem, ad ima pauimenti impellitur: nam magnitudine res decreſcunt. p.447.

Mitte te deorſum. Diſſipit dæmon Chriſto aſcenſum tenuenti, deſcenſum ſuggetens: nam ſolus ambitioſus negotioſa ſolicitudine inhonoratur, & ſublimitate decreſcit. pag. 297.

Mitte te deorſum. Ac ſi diceret: ſi deſcendas poſt faſtigium, te verè magnum agnoſcam: nam vera magnitudo omnes ambit extremitates: falſa autem vnam tantum, illamque ſuperiorem. p.86.

Mitte te deorſum. Ideſt, ſi humiliari non recuſas, te Dei filium agnoſcam: nam humilitas regia virtus eſt. p.80.

Et oſtendit ei omnia regna mundi. Vt Chriſtum ad ſui adorationem inducat, poſſeſſorem ſe omnium rerum temporalium oſtendit, & eorum abundantia adoratione dignum: quia probè ſciebat, diuitijs honores deferri. pag. 184.

Hæc omnia tibi dabo. Qui nihil largitur, omnia pollicetur: è contra Deus plura, quam euulgat, hominibus confert beneficia. pag. 428.

Hæc omnia tibi dabo. Satis ſe in promiſſione doloſum hoſtem oſtendit, homini extremè indigenti omnia promittens: nam tranſitus extremæ paupertatis ad diuitiarum extremum inter opera Dei non computatur. pag. 195.

Hæc omnia tibi dabo. Chtiſto, cuius omnia erant, quæ vſurpauerat Dęmon, non ſine nauſea reſtituere pollicetur; nam difficultèr reddit, qui aliena rapuit. p.308.

Vade poſt me Satana. Vbi Chriſtum Dęmon vidit terrena bona deſpicere, Deum eſſe compertum habuit quia mundialium rerũ abdicatio mirabile eſt Dei opus. p.585.

Vade poſt me Satana. Meritò Dęmon terrena promittens repellitur: nam bona, quæ Deo dereclicto acquiruntur, non proſunt, ſed obſunt. p.585.

Et ecce Angeli accedebant, & miniſtrabant ei. Poſt certamen, & victoriam Angeli ad quietem Chriſto famulantur, non antè: quia non fas eſt, ante laborem quieſcere. p.611.

FERIA IV. A DOM. I. QVADRAGESIMÆ.

Matthæi 12.

M*Agiſter volumus à te ſignum videre*. Multa ſigna viderant omnibus proficua; ſed ipſis tantùm vtilia ambibant: quam amabilis, quamq; pernicioſa ſit hominibus ſingularitas, oſtenditur. p.341.

Magiſter, volumus à te ſignum videre. Quamuis iniquè agerent Phariſæi, à Chriſto miracula expectant, blandientes Magiſtri encomio: nam ſæpè adulatio ob malè facta coronatur. p.193.

Magiſter, volumus à te ſignum videre. Magiſtri honorifico vocabulo inteſtinum odium diſſimulant, quod Chriſtus ægrè tulit: nam nihil eſt deteſtabiliùs, quam amicum os præferre, & inimicum cor geſtare. p.282.

Magiſter volumus à te ſignum videre. Quia ſignum cupiebant, verſipelli aſſentatione adulabantur: nam omnes, quibus indigent blandiuntur. p.197.

Generatio mala, & adultera. Quamuis blandè ipſi loquerentur, aſperè eos reprehendit: quia duplicitate, & alijs vitijs languebant, & apud bonos præſules quique ſunt mali, argountur: apud malos ij ſolùm, qui ab eis diſſentire videntur. p.99.

Generatio mala, & adultera. Signum quærebant, non omnibus, ſed ipſis tantùm proficuum, vndè meritò repelluntur: nam bonum publicum priuato ſemper eſt præferendum. p.112.

Generatio mala, & adultera. Vitia carpit, ſed perſonas tacet: nam egregius modus reducendi ſubditos eſt, ferire delicta non perſonam. p.8.

Generatio mala, & adultera. Acritèr verſutiam Phariſæorum arguit: nam vitia non

verbo-

verborum lenocinio, ſed acri voce ſunt reprehendenda. p.51.

Generatio mala, & adultera. Quia diſcipulorum larua odium ſimulabant, vehementer iraſcitur contra ipſos: nam ſimulationem & hypocriſim toto animo Deus abhorret. pag. 574.

Generatio mala, & adultera. Opportunè adulterij labe eos infectos notat, vt ab humanitate degeneraſſe innuat: nam adulterium vel à Barbaris deteſtatum in barbariem degenerat. p.596.

Signum non dabitur vobis. Plerumque Deus beneficia contrahit, vt noſtræ vtilitati conſulat. p.295.

Signum non dabitur vobis. Beneficium negare, plerumque beneficium eſt: quia ingratis benefaciens ſupplicia Deus adauget. p.303.

Signum non dabitur vobis, niſi ſignum Iona Propheta. Signum petunt, ſignum negat, & ſignum dare pollicetur: nam perſæpè quod minus vult, id ſe dicit velle Deus; & quod nolle dicit, ipſum vult. p.100.

Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam. Ad diem iudicij, vbi igni damnabuntur reprobi, meritò differtur Iudæorum ſupdlicium: nam Iædaica perfidia nonniſi ignis flagratione eſt punienda. p.471.

Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam. Cur non à Deo condemnandi perhibentur Hebræi; quia diuinum, & planè Regium eſt, pœnam non aſpicere, ſed præmium. p.437.

Regina Auſtri ſurget in iudicio. Prauæ generationis ſupplicium ad extremum diem protrahitur: quia ita erit periculoſa, & formidabilis, vt peccatoribus nulla euadendi affulgeat ſpes; & iuſtis ſit cauſa formidinis. pag. 165.

FERIA VI. A DOM. I. QVADRAGESIMÆ.

Ioann. 5.

ERat dies feſtus Iudæorum. Non tam Iudęis, quam Chriſto dies ille feſtiuus extitit, in quo paralyticum ad corporalem, & ſpiritualem ſalutem reſtituit: nam ſic exiſtimat hominum ſalutem, vt ſuammet reputet gloriam. p.621.

In his iacebat multitudo magna languentium. Aliquandò in ægritudine non ſolùm languet corpus, ſed animi virtus? Nam ſæpè magna tribulatio facit, ne homines ità facilè vacent Dei laudibus. p.19.

Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus. Quid, timetur à præſcripto Angelum tranſgreſſurum, quod tempus ei ad hoc munus deſignatur? Etenim etſi Angelus ſit, rarus Miniſter eſt, qui in commiſſione non excedat. p.91.

Angelus autem Domini deſcendebat. Bonus Dominus bonis vtitur miniſtris: nam nihil præſtat præſtantiores miniſtros eſſe præſtantes, ſi praui ſunt inferiores. p.229.

Erat autem quidam homo ibi triginta, & octo annos habens in infirmitate ſua. En peccatoris imago, qui onere peccati oppreſſus, nec greſſum quidem ad ſalutem dederat: etenim peccatum etſi aereum videatur, ponderoſius plumbo ſentitur. p.10.

Triginta, & octo annos habens in infirmitate ſua. Semel lapſum præpeditum diabolus ad alia crimina habuit: quia ſæpè maiora mala nobis infert, cum poſt commiſſa peccata aditum ad alia præcludit; quam cum denuò ad noua prouocat committenda. pag. 125.

Triginta, & octo annos habens in infirmitate ſua. Huic inquam diu iacenti medelam Chriſtus attulit, quia vbi homo induratur ad culpam, ad indulgentiam induratur Deus: tamque acre inſurgit certamen inter Dei miſericordiam, & hominum malitiam, vt dum magis in Deum inſurgit homo, magis ad miſerendum Deus videatur exurgere. pag. 368.

Triginta, & octo annos habens in infirmitate ſua. Ad exaggerationem medelæ, & medici laborem diuturnitas infirmitatis deſcribitur: quia obduratio peccatoris, Deum quodammodò fatigat. p.546.

Hunc cum vidiſſet Ieſus. Vidit ad ſalutem eum qui à ſeipſo per obliuionem receſſerat: nam plus Deus noſtræ ſalutis ſolicitus eſt, quam nos. p.557.

Vis ſanus fieri? Superfluum videtur interrogare infirmum, an ſalutem exoptet: at Deus, vt poſtulata concedat, rogare exambit. pag. 100.

Domine hominem non habeo. Si infirmitas eſſet ab homine, lepidè reſponderet: nam apud homines diues impunè delinquit; pauper inualidus pœnæ obnoxius eſt. pag. 439.

Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Ab infirmitatis loco exire præcipitur, ne non ſanus crederetur: nam qui cadendi occaſionem non aufugit, etſi non cadat, cecidiſſe videtur. p.629.

Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Poſt longam ęgritudinis tribulationem integram ſanitatem accepit: quia magnis beneficijs ſupplicia Deus compenſat. p.583.

Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum. Etſi illicita eſſet, tempeſtiuè detractio Iudæorum permittitur, vt magis publicetur miraculum: nam plerumque calumnijs nobilitatur læſus homo. p.105.

Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: tolle grabatum tuum, & ambula. Facillimè mandato vitam, & ſalutem tribuentis parebat. Superior ergo, qui legibus ſubditos adſtringere vult, & punire, eis neceſſaria ad vitam

tam debet tribuere. p.127.

Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: tolle grabatum tuum, & ambula. Rectè ambulabat, quandoquidèm beneficium à Chriſto acceptum non negauit, vt placeret Iudæis: etenim ille vtroque pede claudicat, qui ad neutram manum inclinat. p.487.

Ecce ſanus factus es, iam noli peccare. Rectè de iuſtitia obſeruanda ſalutem nactus admonetur: nam magnarum eſt virium fœlicitatis oneri non ſuccumbere. p.181.

Noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat. Nempè ſine indulgentia delinquere: nam veniam meritò demeretur, qui poſt accepta beneficia delinquit. p.446.

Abijt ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum. Etſi nullo teneretur præcepto, gratitudinis ſigna præbet: quia vt grati ſimus, non eſt opus Deum præcipere; ne grati videamur, non ſat videtur, etſi prohibeat. p.263.

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Matthæi 17.

ASſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, &c. Meritò tres excellentiores Diſcipulos ſecum duxit ad gloriam, cæteris dimiſſis, ne omnes æque numeraret: nam æqualitas præmij excidium ſolet eſſe Reipublicæ. p.541.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem. Coniunctiores ſibi ad gloriam delegit, vt ſtatuat, Principes decere, & Præſules, ſuis priùs benefacere, quam exteris. pag. 17.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, &c. Ne Iudam aſſumat, alios relinquit, dignioribus electis: nam res ſummi doloris eſt, quod dignioribus depreſſis, indigni ad dignitates ſubleuentur. p.23.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, &c. Ne Iudæ indignitatem propalaret, alios benemeritos ipſo relinquit: quia Sacerdotum noxæ non ſunt detegendæ, ne Euangelica ratio in contemptum imperitorum, & improborum deueniat. p.291.

Et duxit illos in montem excelſum ſeorſum. Per aſperam, & ſalebroſam viam eos ducit ad gloriam, vt videant quantùm aberrent, qui non per aſperam cœli viam, ſed per tartarorum iter ad cœlum ire cupiunt. p.650.

Et duxit illos in montem excelſum ſeorſum. Vt laborem impendant, eos per arduam viam ducit ad gloriam; nam pudor eſt pro æterna gloria non præſtare, quod pro peritura facimus. p.601.

Et duxit illos. Ne à via declinent, eos ducit: nam aberrat, qui per virtutis viam abſque ductore incedit. p.560.

Et transfiguratus eſt ante eos. Teſtes adducit, vt gloriæ fides adhibeatur: nam aliena probra facilè, glorioſa geſta difficilè credunt homines. p.306.

Et transfiguratus eſt ante eos. Vt alacritèr virtutis ſtadium currant, gloriæ mercedem oſtendit: nam ſpes gloriæ mærorem fugat, animumque tranquillat. p.411.

Et reſplenduit facies eius ſicut Sol. Non alijs micantioribus ſplendet fulgoribus, ne à paupertate, in qua erat, excedere videretur: nam ſuperiorum frugalitas publicam calamitatem debet proclamare. p.240.

Et reſplenduit facies eius ſicut Sol. Non totæ diuinitatis, ſed Solis luce fulget, quæ ſat erat gloriam indigitare, ne ſuperuacanea videretur tantæ lucis effuſio: nam, qui non abſtinet à ſuperfluis, citò indiget neceſſarijs. p.258.

Et ecce apparuerunt illi Moyſes, & Elias. Eliæ ſeueritati lenitatem Moyſis adiungit, ne præ nimia ſæuitia odibilis efficiatur: nam Principis crudelitas, & odium gignit, & regnum euertit. p.402.

Et ecce apparuerunt illi Moyſes, & Elias. Meritò hos ingenuos adduxit miniſtros, vbi Princeps apparere voluit: nam malus ſuperior impios; bonus pios iuxta ſe habet miniſtros. p.579.

Bonum eſt nos hic eſſe. Ad gloriæ intuitum omnium rerum terrenarum Petrus obliuiſcitur, vt illam aſſequatur, & ſupra vires audet: quia cœleſtia anhelans, terrena contemnit, & pericula deſpicit. 646.

Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moiſi vnum, &c. Hoſpitibus tabernacula facere capit; & hoſpitalitatis munus exercere, vt beatitudo plus ipſi arrideat: nam hoſpitalitas Dei virtus eſt, & gloriæ complementum. p.654.

Neſciebat quid diceret. Fortè Petri ignorantia exundantis gloriæ exaggeratur affluentia, quæ ipſum adimpleuit: nam in magnis gaudijs barbaries ſæpè committitur; ſicut in magnis doloribus ruſticitas, quæ maior ſolet eſſe elegantia. p.14.

Nemini dixeritis. Ne inuidiam cæterorum excitent, ſilere præcipit ſuam fælicitatem: nam plus alienis bonis, quam proprijs malis cruciatur inuidus. p.202.

Nemini dixeritis. Cautè ſilentium iniungit, ne cæteri condiſcipuli inuidia tabeſcant: nam res ſummi doloris eſt æquales fœliciores contueri. p.627.

Nemini dixeritis viſionem. Conſultiſſimè Chriſtus in Eccleſiæ Proceribus ſecretum exigit: nam Gubernatorum garulitas regimini ſolet eſſe inuerſio. p.382.

FERIA

FERIA IV. A DOM. II. QVADRAGESIMÆ.

Matthæi 20.

¶ *Ad priorem partem huius Euangelij multa habes in Dominica Quinquageſimæ.*

¶ *Ad poſteriorem vero adi Feſtum S. Iacobi, vbi plura inuenies.*

FERIA VI. A DOM. II. QVADRAGESIMÆ.

Matthæi 21.

Homo erat Pater familias, qui plantauit vineam. Vbi Deus ſub perſona Patris familias introducitur, laboraſſe in vineæ plantatione dicitur: quia Prælatus multiplex debet eſſe ad laborem; nullus adquietem. p.501.

Homo erat Pater familias, qui plantauit vineam. Impensè laborat Dominus, quaſi operarius eſſet, in vineæ plantatione: nam ſuperiorum munus dura eſt ſeruitus. p.485.

Qui plantauit vineam. Per ſe ipſum vineæ labori incumbit, ne non homo videatur: nam qui de ſuis non curat, non homo ſed ſpectrum eſt. p.314.

Sepem circumdedit ei. Id eſt, legem impoſuit: non pluribus, ſed vna tantùm lege vineæ cuſtodiæ prouidit: nam lex non multiplex debet eſſe. p.572.

Fodit in ea torcular. Vt vberem ſanguinis ſui fructum colligeret Chriſtus, torcular Crucis calcauit, nam eius ſanguis in Cruce fæcundior extitit. p.420.

Et ædificauit turrim. Vt tutiùs vineam muniret, & eius indemnitati conſuleret, turrim extruxit, vbi hoſtium ictus exciperet: nam ſuperioris nomine indignus eſt, qui vel cum ſuo periculo ſuos ab iniurijs non tutatur. pag. 219.

Cum autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſeruos ſuos. Fortè quia exactores mittit, fructum perdit: nam tributa non Regi; ſed miniſtris ea exigentibus inſeruire ſolent. pag. 253.

Miſit alios ſeruos plures prioribus, & fecerunt ſimiliter. Contendit Diuina pietas cum agricolarum peruicacia, tamque acre inſurgit certamen inter Dei miſericordiam, & hominum malitiam? Vt dum magis in Deum inſurgit homo, magis ad miſerendum Deus videatur exurgere. p.368.

Alios lapidauerunt. &c. Mortem ſeruis intulerunt, & redditus vineæ ſibi vſurparunt, nam neque gratis quidem licet apud malos miniſtros mori. p.229.

Miſit alios ſeruos. Nimis blandè Pater familias redditus exigebat, etſi ex juſtitia ipſi deberentur, vt moneat, quod, quæ populus pro ſubueniendo Principe offert, non ſunt violentèr extorquenda. p.211.

Et fecerunt ſimiliter. Iniquè redditus denegant agricolæ; quandoquidem vel neceſſitatibus oppreſſi debent ſubditi in publicis calamitatibus Principibus ſubuenire. p.235.

Nouiſſimè autem miſit filium ſuum. Patientèr ſuſtinet iniurias, quas vltione proſequi facilè poterat: nam poſſe, & nolle vindictam ſumere, potentiæ ac nobilitatis eſt apex. pag. 632.

Nouiſimè autem miſit filium ſuum. Redundans Patris familias manſuetudo, qui non ſolùm iniurias ſeruis illatas condonauit, ſed filium ad hoſtes miſit: nam etſi parcendum ſit inimicis, illis tamen non eſt fidendum. pag. 634.

Miſit filium ſuum. Alijs, & alijs ſeruis occiſis filium mittit, nihil vltrà ad miſericordiam efficiendum reſtabat: obduratio peccatoris Deum quodammodo fatigat. p.546.

Hic eſt heres, venite occidamus eum, & habebimus hereditatem eius, Auaritia poſſeſſi fructus denegant, fame pereunte Domini hereditatis domo, ſic mali ciues, qui propter lucra fructus abſcondunt, aut inimicis deferunt, rerum penuriæ cauſa ſunt. p.624.

Et habebimus hereditatem eius. Filium, Dominum heredem occiderunt, vt hereditatem poſſiderent: quia nullum non frangit auaritia vinculum. p.243.

Et eiecerunt eum extra vineam, & occiderunt. Maluit Pater filium occidi, quam minùs erga obſtinatos agricolas videri beneuolum: nam amor Dei erga homines occaſum neſcit, & finem ignorat. p.336.

Malos malè perdet. Eos, qui alios perdiderunt meritò perdit Pater: nam opera proximo exibita ad æqualitatem Deus rependit. pag. 222.

Auferetur à vobis regnum Dei. Locata vinea, quæ ingens agricolis erat beneficium, mortis filij extitit occaſio; vnde meritò Pater contra agricolas iraſcitur: nam monſtruoſum flagitium eſt beneficium largitori inſidiari. p.301.

Et vineam ſuam locabit alijs agricolis. Fortè vineæ prouentus auferre miſericordiæ fuit opus: quia ingratis benefaciens, ſupplicia Deus adauget. p.303.

Auferetur à vobis regnum Dei. Mortis ſententia intimatur Iudæis. quia Chriſtum occiderunt, & ex tunc Iudaica perfidia mortem deuorat. p.473.

Auferetur à vobis regnum Dei. Ex locatione vineæ, quę magnum erat beneficium tot Pater ſuſtinuit iniurias: ſic beneficia infortunata ſunt, vt tutiùs ſit aliquem offendere, quam fauoribus proſequi. p.305.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Lucæ. 11.

Erat Ieſus eijciens Dæmonium. Vim facere videtur Chriſtus, vt Dæmonem ab homi-

ne

ne expellat; cuius domininm vſurpauerat: nam difficultèr reddit, qui aliena rapuit. pag. 308.

Erat Ieſus eijciens Dæmonium. Ly *erat*. Pugnam, & animoſam raſiſtentiam ſignificat: enim vero obduratio peccatoris Deum quodammodo fatigat. p.546.

Et illud erat mutum. Fortè beneficium fuit, voce illum orbare: nam ſic humana lingua impudentèr audet ad malitiam, vt Dei moderamine indigeat. p.379.

Et illud erat mutum. Ne peccata proderet ad remedium, vocem abſtulit Dœmon, ſciens peccati confeſſionem vnicum ſalutis medicamentum eſſe. p.358.

Et illud erat mutum. Quid, linguam Dœmon ligat, quæ homines ad perditionem ducit? Sæpe diabolus maiora mala nobis infert, cum poſt commiſſa crimina aditum adalia præcludit; quam cum denuò ad noua prouocat committenda. p.125.

Et illud erat mutum. Vocis, & aliarum vitæ functionum diſpendio diabolum miſer ille excepit: nam non homo à Dæmone; ſed Dœmon ad hominum ſumptibus ſaginatur. pag. 114.

Et illud erat mutum. Mirùm, quod aduerſus notum peccatorem tanta auiditate ſæuiat Diabolus, qui acriùs iuſtos, quam peccatores inſequitur. p.120.

Et illud erat mutum. Infami ſeruituti ſub Dæmonis tyranide mancipatur homo: quia excuſſo Dei iugo, mille alia grauiora accipimus. p.264.

Et illud erat mutum. Fortè quia mututus ad vexationem Dæmonis erat, à captiuitate liberatur: nam qui ſilet ad iniurias, Deum habet defenſorem. p.325.

Et ſurdum. Fuiſſe narrat alins Euangeliſta: quia peccatoris aures ita obtunduntur, vt neque voces validas valeat audire. p.233.

Et ſurdum. Inſenſatus omnimodè perhibetur vt eius infelicitas arguatur: nam vltima miſeria peccatoris eſt, Deum perdere, & non ſentire ſalutis ſignum, de illius amiſſione dolere. p.327.

Et cum eieciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus. Vbi Deus adeſt auxiliator, ſuperatur inimicus: quia pugnare cum ipſo vincere; ſine ipſo vinci eſt. p.555.

Et cum eieciſſet Dæmonium. Nihil de ſua ſalute curabat vexatus à Dæmone homo, cum Deus ipſi accurrit: quia plus noſtræ ſalutis ſolicitus eſt, quam nos. p.556.

In Beelzebub Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia. Grande miraculum, meliùs detractione, quam laude publicatur: nam plerumque calumnijs nobilitatur læſus homo. pag. 105.

In Beelzebub Principe Dæmoniorum eijcit Demonia. Miraculum elogio dignum, & Dei virtute actum, à Beelzebub patratum, fama ad vituperium promulgat: quia ſæpe pluſquam dimidium laudibus detrahit, vt vituperijs adaugeat. p.287.

In Beelzebub Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia. Nec mirabile opus gratiam Chriſto Phariſæorum conciliauit, quia liuore erant poſſeſſi nullumque incurabilius, nullum abiectius malum eſt inuidia. p.185

In Beelzebub Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia. Mirum quod eum qui tanta illis intulit beneficia, nullamque quærimoniæ dederat occaſionem, odio proſequantur: nam qui ſine cauſa lædunt, non homines, ſed humanitatis monſtra ſunt. p.55.

In Belzebub Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia. Adhuc cæcutiunt, timere debebant in Dæmonijs poſſeſſionem, ſicut miſer ille, incidere, & à blaſphemia abſtinere. Infelix, qui alieno malo non docetur. p.555.

Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur. Et quis Phariſæorum regnum turbauit? Sanè imperandi deſiderium: nam mali ciues bellum in Republica fouent, vt ex illo lucrum captent. p.445.

Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur. Scilicet Dei receſſu: nam diſcordes animi cogunt aufugere Deum, & illos deſerere. p.30.

Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur. Phariſæorum regnum diuiſione ruit, etſi quandoque diſſenſiones bonæ, & optimæ ſint Reipublicæ. p.494.

FERIA IV. A DOM. III. QVADRAG.

Matthæi 19.

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Mirum, quod Phariſæi, qui de nobilitate gloriabantur, palam detrahant Diſcipulorum obſeruantiæ: nam ignobilium proprium vitium ſolet eſſe detractio. p.564.

Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem? Ipſi, qui nullam non frangebant legem, Diſcipulos de tranſgreſſione legis accuſant, quia fauore erant deſtituti: etenim diues impunè delinquit; pauper inualidus pœnæ obnoxius eſt. p.439.

Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem? Vel in Sanctitatis Proceribus culpatur prohibitorum tranſgreſſio: quia omnes prohibita anhelant; quod licet, ingratum eſt. pag. 586.

Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem? Etſi traditio eſſet, non lex; tamen à manuum lotione abſtinere oporteret: quia non omnibus conceſſis potiri expedit, ne in prohibita dilabamur. p.116.

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem? Fortè non aliam huius traditionis tranſgreſſionem viderant, quandoquidem tam ſeuerè inſurgunt in Diſcipulos: ſanè primi

legis

legis fractores ſeueriùs, & grauiùs ſunt puniendi. p.43.

Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem? Verſutia Phariſæorum eſt, nouarum legum, & traditionum affectare obſeruantiam; cum tamen noua in fide ſemper ſint fugienda. pag. 49.

Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem? Vel leuiſſimæ tranſgreſſionis macula diſcipulorum opinionem ſordidare procurant: nam nulla facilior, nulla ſenſibilior iactura honoris eſt. p.289.

Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem? Quam Diſcipulorum culpam putabant, palam obijciunt faſtidioſi Scribæ detractionis ingenio, non emendationis zelo: nam in obiurgandis Principum, ac Superiorum erratis, publico ſermonis iaculo haud vtendum eſt. p.6.

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem? Diſcipulorum famæ inſidiabantur Phariſæi, dum eorum perſonas in reprehenſione indigitant: non illos emendare cupiebant: nam egregius modus reducendi ſubditos eſt, ferire delicta, non perſonas. p.8.

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem? Et ſi calumnia eſſet Phariſæorum loquela, cautiores tamen debuit Diſcipulos reddere, & nos: nam Chriſtiani, vel à vitijs abſtinere debent, ne infideles ad nefandas blaſphemias inducant. p.356.

Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem? Clàm Chriſto detrahunt: nam ſubditorum ſcelera ſuperioribus imputantur. p.442.

Non enim lauant manus, cum panem manducant; Phariſæorum liuor non patitur leuem noxam diſſimulare, quamuis parua crimina tacenda ſint, magna plectenda. p.65.

Quare & vos trangredimini mandatum Dei? Ægrè tulit Chriſtus vel mendosè Diſcipulis crimen imponi: etenim dolendum maximè eſt de Sacerdotum caſibus, eo quod eo periculoſiores ſunt, quo dignitas eorum eſt præſtantior, p.350.

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei? Iuſta retributio detrahentibus peccata obijcere. Opera namque proximo exhibita, ad æqualitatem Deus rependit. p.222.

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei? Quaſi dicat: fas eſſet, quod vos, qui officio, & ætate exceditis à tranſgreſſione præceptorum abſtineritis: nam pudor eſt ſenectutem vitijs vacare. p.377.

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei? Tranſgreſſores tranſgreſſionem accuſant: quia praua conſcientia ſiniſtrè de alijs cogitat. p.64.

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei? Conſultiſſimè Chriſtus tranſgreſſionem Phariſæorum oſtendit, vbi de obſeruantia legum gloriabantur, vt innuat, quod de quo ſe quis iactat, id illi deeſt. p.122.

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei? Nō approbat Chriſtus Diſcipulorum omiſſionem, ſicut ſua opera approbabant Scribæ: quia etſi homini propria pulchra, aliena ſœda videantur: Iuſtus tamen ſibi ipſi diſplicet. p.339.

FERIA VI. A DOM. III. QVADRAG.

Ioann.4.

I*Eſus ergo fatigatus ex itinere, &c.* Vt dià peccatricem mulierem reducat, fatigatur Chriſtus: quia obduratio peccatoris Deum quodammodò fatigat: p.546.

Ieſus ergo fatigatus ex itinere ſedebat. Non ad quietem, ſed ad prædicationem ſedet: quia Prælatus nullus debet eſſe ad requiem: multiplex ad laborem. p.501.

Hora erat quaſi ſexta. Non determinat horam Euangeliſta, quia non exploratam omninò eam habebat, vt veritatis ſcrupuloſus videatur obſeruator: nam eo veritas eſt timidior: quo mendacium eſt audacius. pag. 317.

Venit mulier Samaritana. Ad certamen nempè quaſi laceſſita in campum venit impudicitia cum caſtitate, & Deo pugnatura: nam nonniſi Deo auſpice, & acriter pugnante importunæ carnis illicebræ ſuperantur. pag. 588.

Venit mulier Samaritana. Quia meretrix erat, non erubuit extra ciuitatem abſque ſocietate exire: non ſic pudicæ matronæ, quibus nihil gratius, dulciuſue, quam in propria domo permanere. p.548.

Quomodò tu Iudæus cum ſis, bibere à me petis? Patientèr Chriſtus ſuſtinet mulierculæ effrontem loquelam, & tandem eam verbis beneuolis demulcens ad ſalutis viam reduxit: quia placida manſuetudo fortior perſuaſionis energia eſt. p.399.

Quomodò tu Iudæus cum ſis, bibere à me petis? Non coutebantur Iudæi, & Samaritani: indè anſam arripuit mulier, vt Chriſti loquelam argueret, quia duplicitas ei videbatur, & neque ſuæ, neque alienæ genti fidem ſeruare: nam vtroque pede claudicat, qui ad neutram manum inclinat. p.487.

Et dediſſet tibi aquam viuam. Aquam Chriſtus petit, & vitalem aquam reddere pollicetur, etenim quod pro Deo largimur, non minuitur, ſed cum ingenti lucro recipimus. pag. 652.

Et dediſſet tibi aquam viuam. Aqua à caſtitatis fonte emanans vitam pręſtat: nam mortis caſtitas vitæ impudicitia eſt expers. pag. 591.

Nunquid tu maior es Patre noſtro Iacob. Colloquium Iudæorum recuſat mulier, & de Iudæorum ſtirpe gloriatur, planè diſſipit. Saltem propter hoc timenda eſt libido, quia

toram hominis vitam, & ſtudium abſorbet. p.595.

Voca virum tuum. Vel donum ſpirituale ſine viri interuentu non accipiat vxor, ne in manus offenſi amoris incidat: quia amore læſo nullus eſt infenſior hoſtis, p.53.

Voca virum tuum. Quaſi non audet Chriſtus ſine viri conſortio mulierem alloqui, ac ſi luxuriæ toxico timuerit inquinari, nam commercium viri, & mulieris, etſi per iocum ſit, reus facti habetur. p.593.

Quinque viros habuiſti. Mulierculæ dedecora detegit, vbi illam conuertere tentat: quia ſeruiles animi ſupplicijs: ingenui verò fauoribus meliùs reducuntur, p.333.

Quinque viros habuiſti. Adulterium vt abominabile obijcit; nam & Barbari illud deteſtantur, in barbariemque degenerat. pag. 596.

Domine, vt video, Propheta es tu. Non abſq; ratione mulier arguit Chriſtum propheriæ dono pollere, vbi illius detegit libidinem: quia olim ad meretrices cognoſcendas prophetia opus erat; nunc ad continentes. pag. 589.

Mulier crede mihi, &c. Mirùm, quod longiunculum Chriſtus inſerat cum muliere ſermonem, & tot ei diuina reuelet myſteria; nam graue negotium non eſt pandendum mulieri. p.483.

Mulier crede mihi, &c. Cunctantèr Chriſtus alloquitur Samaritidem; quia gloriatur de animæ deperditæ conuerſione. p.558.

Reliquit ergo hydriam. Peccatis inſeruiens miſeræ erat addicta ſeruituti: quia excuſſo Dei iugo mille alia accipimus grauiora. pag. 264.

Multi crediderunt Samaritanorum propter verbum mulieris. Vel indocta mulier Chriſtum prædicans fructificat: quia non indiget humanæ ſapientiæ præſidio Verbum Dei, vt aridos peccatorum animos fecundet. p.156.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Ioann. 6.

SEquebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna. Propter ſuum commodum Chriſtum ſequebantur, aliorum immemores: nam vnuſquiſque, dum quærit quæ ſua ſunt, de aliorum exitio non curat. pag. 33.

Sequebatur eum multitudo magna. Non ex occaſione, ſed ex profeſſo Chriſtum ſequuntur; nam ægerrimè Deus fert, vt ſegnitèr, & quaſi ex occaſione noſtræ ſaluti intendamus. p.138.

Quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper ijs, qui infirmabantur. Magna auiditate etiam corporales hominum infirmitates Chriſtus curabat, vt oſtenderet, hoſpitalitatem Dei virtutem eſſe, & beatitudinis complementum. p.654.

Cum ſubleuaſſet ergo Ieſus oculos. Oculos eleuat, vt miſereatur, qui, cum ſupplicia infert, quodammodò naturam mutare videtur. p.426.

Vndè ememus panes, vt manducent hi? Vt miraculum, quod patrare intendit cibaria producens, tale eſſe oſtendat, priùs nullas habere facultates manifeſtat: nam qui non habet, vnde viuat, & viuit: & non laborat, aut viuit miraculo, aut furto. p.60.

Vndè ememus panes? Sanè ad ipſum ſpectabat frumenta adminiſtrare, vt ſubditos haberet obſeruantes: nam ſuperior, qui ſubditos legibus adſtringere vult, & punire, eis neceſſaria ad victum debet tribuere. p.127.

Vndè ememus panes? Conſulit Chriſtus Diſcipulos, vt oſtendat, nullum humanæ ſapientiæ prodeſſe conſilium ad neceſſitatem ſubleuandam, & niſi ipſe adeſſet, omnes periclitaturos: etenim lethaliter regnum nutat ad ruinam, cum vel remedia non occurrunt, vel quæ occurrunt non proficiunt, & corrumpuntur. p.256.

Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt. Nihil ſufficit miniſtris ad propriæ domus ſumptus etiam cum omnes premit neceſſitas cum tamen fas eſſet Gubernatorum frugalitatem publicam, calamitatem vocitare. p.240.

Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt. Nihil ſibi ſufficere iudicant miniſtri, etſi vectigalia ipſis, non Principi inſeruiant, maximè cum iniuſtè imponuntur. p.253.

Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes, &c. Etſi pauper eſſet puer, egenti Principi non debuit negare ſubſidium: nam vel neceſſitatibus oppreſſi debent ſubditi in publicis calamitatibus Principibus ſubuenire. pag. 235.

Eſt puer vnus hic, &c. Ad pauperis annonam confugiunt: ſic ſemper diuites, & potentes, pauperes execotiant, & liguriunt. p.110.

Eſt puer vnus hic, &c. Mirùm, quod pauperem ſinat Chriſtus panibus orbare, nam nihil tam Deum impulit ad vindictam, quam tenuiorum expilatio. p.215.

Sed hæc quid inter tantos? Vbi humana defecerunt remedia ad ſuſtentandas hominum myriades miraculum parat Chriſtus: nam ſic Charitas vrget ad proximis ſubueniendum, vt cum facultates deſint, ad miraculum recurrere compellat. p.38.

Facite homines diſcumbere. Turmatim ſedere præcipit, & alios ab alijs diſgregare, ne ex confuſione tumultus oriatur. Quandoque diſſenſiones bonæ, & optimæ ſolent eſſe Reipublicæ. p.494.

Facite homines diſcumbere. Mulieres ab hominibus ſeparari curat: nam commercium viri,

Digitized by Google

viri, ac mulieris, etſi per iocum ſit, reus facti habetut. p.593.

Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta. Non turbis, ſed Diſcipulis fragmenta porrigit: quia licet ſuperioribus, ſuis prius beneſacere, quam exteris. p.17.

Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta. Fruſta, quæ ſupererant, aſſeruari iuſſit, vt neceſſitati venturæ prouideret: nam qui non abſtinet à ſuperfluis, citò indiget neceſſarijs. p.258.

Vt facerent eum Regem. Vt tutiùs doceat, fugit dignitatem, non quia illicitum ſit eam admittere: etenim imperandi deſiderium non ſemper eſt reprehenſibile. p.198.

Vt facerent eum Regem. Omnes ijs, quibus indigent, blandiuntur. p.197.

Vt facerent eum Regem. Ob fruſta panis Regem agnoſcunt ipſi, qui ad alia præclara beneficia contra Chriſtum inſaniebant: quia paruum donum amicum, magnum inimicum reddit accipientem. p.329.

FERIA IV. A DOM. IV. QVADRAG.

Ioann.9.

P*Raseriens Ieſus vidit hominem cæcum*. Non infirmus ſalutem, ſed ſalus quærebat infirmum: quia plus Deus ſalutis noſtræ ſolicitus eſt, quam nos. p.557.

Vidit hominem cæcum. Cæcus naſcitur vt reſtituatur ad lucem: quia non Deus punit, vt interimat, ſed vt illuminet. p.543.

Vidit hominem cæcum. Fortè oculorum orbitas, quæ illi viſum impediebat, refrenandæ proficiebat concupiſcentiæ. Sic cadendi periculum pertimeſcere debemus, vt, & impoſſibile caueamus. p.630.

Vidit hominem cæcum. A natiuitate delitiarum vſu perhibetur ſpoliatus, ne inſolentiùs peccet: delitias namque Deus ſubmouet, vt obſtinatam in peccando licentiam coerceat. p.478.

Quis peccauit, vt cæcus naſceretur. Non benè ex cæcitate cæci peccatum inferunt: nam propter Principes populi, & propter populos Pritcipes ſæpè pœnas luunt. p.299.

Quis peccauit, hic aut parentes eius? Ex parentum crimine filij arguunt cœcam in peccando licentiam: nam ſæpè Deus ijs, qui pro ditandis filijs mala agunt, heredes permittit, qui eorum bona diſperdant, quinde ipſorum animabus curam habeant. pag. 231.

Quis peccauit, hic, aut parentes eius? Fortè ſi filia eſſet non dubitarent, vndè paternæ domus oriebatur iactura: nam vna ſola filia ſat eſt totam domum euertere. p.248.

Quis peccauit, hic, aut parentes eius? Non importunè dubitant, an propter parentum peccata filius cæcus naſceretur: nam ſicut illuſtrior virtus à nobilitate eſt, ſic vitia à degeneti proſapia. p.433.

Quis peccauit, vt cæcus naſceretur? Ptobè ſciebant, cæcitatem culpæ eſſe reatum: nam etſi peccatum aereum videatur, ponderoſius plumbo ſentitur. p.10.

Quis peccauit, vt cæcus naſceretur? Siue publicæ, ſiue priuatæ miſeriæ, à peccato ſunt. Noſtra peccata nos exarmant, noſtra ſcelera nos expugnant. p.236.

Neque hic peccauit, &c. Non erat odio dignus, ſed dilectione, propterea cæcus naſcitur: nam res vt ægritudine, dilectione pereunt. p.261.

Neque hic peccauie, &c. Etſi cæcitas ſupplicium non eſſet, fortè illi proderat ad ſalutem; nam aliquandò Deus ſua beneficia contrahit, vt noſtræ vtilitati conſulat. pag. 295.

Sed vt manifeſtentur opera Dei in illo. Cum beneficia Deus hominibus impertitur, manifeſtati exambit; cum ſupplicia infert, ſic ſe occultare procurat, vt quodammodò naturam mutare videatur. p.426.

Sed vt manifeſtentur opera Dei in illo. Propter Dei gloriam cæcus naſcitur, dignus ergo eſt lucem accipere: nam ijs, qui pro gloria Principis incommoda patiuntur, præmia debet largiri. p.435.

Expuit in terram, & fecit lutum. Non præcipit Diſcipulis, vt lutum conficiant: quia Ptinceps, quæ ipſi incumbunt, per ſeipſum exequi debet. p.424.

Expuit in terram. Vt miraculum patret, ad terram ſe inclinat, ex illaque lutum efficit: nam humilitas regia eſt, & potentiſſima virtus. p.80.

Et liniuit lutum ſuper oculos eius. Ex humili puluere colirium conficit ad viſum acuendum: quia humilitas oculatiſſima eſt virtus, & quæ ſuperbis abſconduntur, rimatur myſteria. p.351.

Vade, &c. Rectè iam videnti præcipitur ambulare, non ſic, ſi cæcus adhùc permaneret: etenim munera cum diſcretione ſunt conferenda. p.566.

FERIA VI. A DOM. IV. QVADRAGESIMÆ.

Ioann.11.

M*Iſerunt ſorores eius ad eum*. Nuncium nempè, non epiſtolas, quas non accipiebat, quia non eis erat reſponſurus, ne inciuilis videretur: quia comitas ingenuitatis, & dignitatis illuſtrius ſtemma eſt. pag. 400.

Ecce, quem amas, infirmatur. Fortè, quia dilectus ægrotat, & moritur; nam res vt ægritudine, dilectione pereunt. p.261.

Ecce, quem amas, infirmatur. Vt feruentiorem in Chriſto amorem Lazari excitent, eum morti proximum deſcribunt; nam res

Digitized by Google

cum propè ſunt ad interitum magis placent. p.423.

Ecce, quem amas, infirmatur. Vt medelam conferret, ſat fuit infirmitatem obijcere: nam hoſpitalitas Dei virtus eſt, & beatitudinis complementum. p.654.

Ecce, quem amas, infirmatur. Amorem repræſentant, quia ſciebant, Chriſtum ab eo non defecturum: nam amor Dei erga creaturas Occaſum neſcit, & finem ignorat. p.360.

Infirmitas hæc non eſt ad mortem. Si Lazarus realitèr mortuus eſt, quomodò eius infirmitas non erat ad mortem? Niſi quia iuſti moriuntur vt viuant; peccatores, vt moriantur. p.97.

Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei. Sanè hominum ſalutem ſuam gloriam Chriſtus reputat. p.621.

Nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc. Infirmitatis remedium petebant ſorores, non Chriſti diſpendium: at ipſe, vt ægroto ſuccurrat periculum non abhorret: nam Principis nomine indignus eſt, qui vel cum ſuo periculo ſuos ab iniurijs non tutatur. p.219.

Lazarus amicus noſter dormit. Adhùc Chriſtus poſt mortem in Lazari amicitia perſeuerat, vt nos doceat, non leui cauſa ab amicis diſcedere. p.278.

Lazarus amicus noſter dormit. Veræ amicitiæ coticula abſentia eſt, & receſſus: nam qui amicitiæ larua ſe nimis introducunt, infidelitatis ſuſpicionem incurrunt. p.284.

Lazarus amicus noſter dormit. Chriſti amicitia, quæ videtur in ore, in corde latebat: quia nihil eſt deteſtabilius, quam amicum os præferre, & inimicum cor geſtare. p.282.

Eamus & nos, & moriamur cum illo. Animoſa hæc Thomæ verba videntur, & tamen imbecilliotanimo omnibus erat: quia de quo ſe quis iactat, id illi deeſt. p.122.

Eamus & nos, & moriamur cum illo. Propter hoc facinus poſtea dignitas, quæ cæteris Apoſtolis, Thomæ fuit collata, etſi infidelis tunc temporis eſſet: quia dignitas benemerito, etiamſi inimicus ſit, conferenda eſt. p.448.

Infremuit ſpiritu. Quia notum peccatorem Lazarus referebat, ingemit Chriſtus, & turbatur: nam tametſi Deus pientiſſimus ſit, in publica ſcelera maximè excandeſcit. pag. 575.

Lacrymatus eſt ieſus. Quia vt ita morte Lazari gaudebat, modo eo reſurgente lacrymatur, quia adhuc ligatus tepidam referebat pœnitentiam: & non minùs ægrè Deus fert, vt illum tepidè quæramus, quam quod auertamur ab ipſo. p.550.

Voce magna clamauit. Ad peccatoris imaginem voce magna inclamat, vt audiatur: nam peccatoris aures ita obtunduntur, vt neque voces validas valeat audire. p.233.

Voce magna clamauit. Tot doloris ſigna præbet, quia vnum, tantùm reuocabat ad vitam: etenim plus Chriſtum cruciauit electorum paucitas quam tormentorum multitudo. p.407.

Lazare veni foras. Etiam iam viuenti neceſsè fuit præcipere, quod à ſepulchro exiret: nam non minùs ſtulti nonnulli ſunt peccatores in adhibendo placationis genere, quã impij in deſerendo Deo. p.266.

Legatus pedes, & manus inſtitis. Adhuc mortis & peccati ligamenta portat ſtrictiſſima: nam in morte, vel minima peccata nos premunt. p.606.

Soluite, & ſinite abire. Securiùs quam antea graditur excitatus à more; ad fortiùs reſurgendum prodeſt aliquando corruiſſe. p.353.

Vide ſororum erga fratrem mortuum ſollcitudinem, quæ & amorem & charitatem oſtendit: nam ij ſolùm cum mortuis aliquo connectuntur vinculo, præſtantioraque miſericordiæ opera exercent, qui ſuffragijs eorum recordantur. p.607.

DOMINICA DE PASSIONE.

Ioann. 8.

Qvis ex vobis arguet me de peccato? Cauet Chriſtus, non ſolùm de peccato conuinci, ſed argui, quamuis non conuincatur, quia ſat eſſet, eius deuenuſtare opinionem; nam nulla facilior iactura honoris eſt. p.289.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Nullus præter Chriſtum poterat ad hoc certamen tuto laceſſere, quippè qui omni ex parte ſanctus, & impeccabilis prorſus fuit. p.392.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Sanctitatis robore munitus non recuſat certamen: quia ſicut vitijs langueſcunt animi, ſic virtute roborantur. p.614.

Quis ex vobis arguet me de peccato? At hoc hominibus nulla ratione præditi, quales erant Phariſæi, non erat difficile: nam magnatorum eſt vitium, ſola authoritate praua ſua vota defendere. p.440.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Vox digna, vt à quolibet Chriſtiano coram infidelibus proferatur: nam Chriſtiani vel à vitijs abſtinere debent, ne Ethnicis ad nefandas blaſphemias materiam miniſtrent. p.356.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Audet Chriſtus in diſputationem venire, & palam ab inimicis reprehendi, ſi aliquod haberet delictum, quia ſciebat nullo eſſe infectum: alitèr ageret, ſi criminis ſuſpitionem haberet: quia Religioſorum noxæ ad exteros non ſunt deferendæ, ne Euangelica ratio in contemptum imperitorum, & improborum deueniat. p.291.

Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi?

Ob id ſanè: nam apud homines nullo veritas, maximo mendacium habetur, pretio. p.167.

Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi? Solùs Chriſtus audactèr veritatem loquitur, vtpote Deus: nam apud homines quo mendacium eſt audacius, eo veritas ſolet eſſe timidior. p.317.

Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi? Veritatis ſe oſtentat obſeruatorem, quia recta intentione eam ſectabatur. Vel ignorans Iudex veritatem inueniet, ſi bono animo illam ſcrutetur. p.316.

Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi? Impensè curat Chriſtus bonæ opinionis nitorem: quia bona fama, præcipuè in ſuperioribus, adipiſcenda eſt, & conſeruanda; mala autem nimis fugienda. p.186.

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Ergo qui ex Deo non eſt, ſurdus reputatur? Ita equidem: nam peccatoris aures ita obtunduntur, vt neque voces validas valeat audire. pag. 233.

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes? Seuerè Chriſtum denigrare, & reprehendere procurant, quia eorum prauis moribus non aſſentiebat: nam ſicut apud bonos Præſules ij tantùm, qui mali ſunt, arguuntur, ſic apud malos illi ſolùm, qui ab eis diſſentire videntur. p.98.

Ego Dæmonium non habeo. Non patitur Chriſtus mendacium, ne in illud conſentire videatur. p.293.

Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham. Fatuè de Abrahæ ſtirpe gloriantur, qui moribus ab eo diſſentiebant: nam non maiorum ſtemmata, ſed propriæ virtutes veram nobilitatem cudunt. p.422.

Tulerunt ergo lapides. Quærimonijs lapides adiungunt: quia mala facere, & quæri potentiorum eſt ingenium. p.495.

Ieſus ergo abſcondit ſe: & exiuit de templo. Ne immane lapidationis facinus in templo perpetrarent, ab illo Chriſtus recedit: nam peccata, quæ extra templum caſus videntur, intra, præcipitia ſunt. p.275.

Et exiuit de templo. Ne templo debitum honorem violarent, Chriſtus diſparuit: nam Deiſacratiſſima templa magna reuerentia ſunt tractanda, & illorum iniuria maxima pœna plectenda. p.277.

FERIA IV. A DOMINICA IN PASSIONE.

Ioann. 10.

F*Acta ſunt encenia in Ieroſolymis.* Id eſt feſtum renouationum: crebrò renouanda eſt virtus: nam tunc ad Deum per ſimilitudinem aſcendimus cum bona noſtra opera non infæcunda ſunt, ſed ſe mutuò gignunt. pag. 413.

Ambulabat Ieſus in templo in porticu Salomonis. In porticu verſatur, ne flagitia, quæ intra templum à Sacerdotibus perpetrabantur videret: dolendum namque maximè eſt de Sacerdotum caſibus, quia eo periculoſiores ſunt, quo dignitas eorum eſt præſtantior. p.350.

Ambulabat Ieſus in porticu. Non ingreditur templum, ne Sacerdotum crimina aſpiciat, quamuis ipſis ſolis, non Sacramentis, quæ adminiſtrant, neque Sacramenta ſuſcipientibus officiant. p.324.

Et hiems erat. Tepida hic aliquorum notatur deuotio, quam Deus abhorret: nam non minùs ægrè fert, vt illum tepidè queramus, quam quod auertamur ab ipſo. p.550.

Circumdederunt ergo eum Iudæi. More canum ipſum circumdant, & mordent, quia eorum vitia arguebat: nam ſubditorum mos eſt Præſules impetere; qui eos rectè viuere compellunt. p.481.

Quo vſque animam noſtram tollis? Taciturnitatem Chriſti ferebant iniquè: ille autem ſe non omninò manifeſtabat, quia ſic oportebat, vt in rebus magni momenti ſilentium conſuleret: nam Gubernatorum garulitas regiminis ſolet eſſe inuerſio, p.382.

Quo vſque animam noſtram tollis? Verè dicunt agere animam, vbi à Chriſto per incredulitatem diſcredunt: quia Iudaica perfidia mortem deuorat. p.473.

Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Virtutis prætextu ſcire intendunt, an ſit Chriſtus, quod ipſe ægrè tulit: nam ſimulationem & hypocriſim toto animo Deus abhorret. p.574.

Si tu es Chriſtus dic nobis palam. In Prophetijs erant educati, quæ venturum indigitabant Meſſiam, & tandem ipſum non agnoſcunt. Hæc maxima Iudæorum fuit infelicitas, terram fodere, & ex illa fructus non colligere. 617.

Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum me lapidatis? Non videbatur credibile, quod propter beneficia in ipſos collata eum lapidarent: nam monſtruoſum flagitium eſt, beneficium largitori inſidiari. Pag. 301.

Propter quod eorum me lapidatis? Propter omnia: nam paruum donum amicum, magnum, inimicum reddit accipientem. pag. 329.

Propter quod eorum me lapidatis? Nihil exaggeratius. Sic beneficia infortunata ſunt, vt tutiùs ſit aliquem offendere, quam fauoribus proſequi. p.305.

Propter quod eorum me lapidatis. Fortè quia multa erant opera, ipſis nociua extitere. Plerùmque Deus ſua beneficia contrahit, vt noſtræ vtilitati conſulat. p.295.

Multa bona opera oſtendi vobis. Oculorum euidentia eos ad fidem inducit, non aurium recitatione: nam fides humana ex auditu in-

certa

Digitized by Google

certa eſt, ex munerum acceptione mendax. pag. 373.

FERIA V. A DOMINICA IN PASSIONE.

Lucæ 7.

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Peccatrix indefinitè dicitur proſtituta fœmina quaſi omnium eſſet criminum rea: quia libido totam hominis vitam, & ſtudium ſorbet. p.595.

Ecce, mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Quaſi ignota eſſet, eius nomen tacet Euangeliſta: quia ad meretrices cognoſcendas olim prophetia opus erat; nunc ad continentes pag. 589.

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Sunt qui exiſtiment, nonproſtitutam fuiſſe, ſed tantùm vanitati deditam, quæ tam infamem ipſi attulit opinionem. Sanè peccatum etſi aereum videatur, ponderoſi s plumbo ſentitur. p.

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Impudentem fœminæ in peccando licentiam carpit: quia tametſi Deus pientiſſimus ſit, in publica ſcelera maximè excandeſcit. pag. 575.

Et ſtans retrò. Retrò ſtat verecundiæ tormentum declinans: nam confuſionis, & pudoris ſupplicium ipſa morte & gehenna grauius eſt. p.239.

Et ſtans retrò. Non agit, ſed agitur Maria retrò accedens, quia ſic eam Chriſtus vocabat, & via, qua Deus, dirigit, quærenda eſt ſalus. p.146.

Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat. Capillos, quos calamiſtro criſpabat, humi ſerpere, & inquinari non recuſat: etenim veræ conuerſionis eſt inſigne tanquam amara faſtidire, quæ pulchra arridebant. p.128.

Lacrymis cœpit rigare pedes eius. Oculorum lacrimis anteactæ vitæ crimine prodit: nam peccati confeſſio vnicum ſalutis medicamentum eſt. p.358.

Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat. Feruentioris contritionis ſigna præbet: quia tepida pœnitentia non minùs quam peccatum Deum exacerbat. pag. 550.

Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat. Vt luxuriam vincat, aliquid Sanctitatis Chriſti affricare prætendit: nam non niſi Deo auſpice, & acritèr pugnante, importunæ carnis illecebræ ſuperantur. p 588.

Lacrymis cœpit rigare pedes eius, &c. Piè audet mulier Chriſtum attrectando, & cautè timet ſuam perditionem: quia neque nimio timore, neque ſpe nimia ad cœlum itur. pag. 563.

Et capillis capitis ſui tergebat. Prophanam capillorum curam abiecit, quæ vel in mulieribus culpabilis ſemper fuit. Quid erit in viris, qui huiuſmodi affectatione ſe in mulieres transformant? Sanè comati, & criſpati molles ſunt, & effœminati, ad bellaque inepti. p.577.

Et capillis capitis ſui tergebat. Benè corporis oblectamenta & lenocinia ad duram pœnitentiam deponit: ſit caro ſpiritui ſubiecta, vt perfectos fætus producat. p.335.

Lacrymis cœpit rigare pedes eius. Doloris ſigna præbet, quæ ſalutis ſunt prophetia: etenim vltima peccatoris miſeria eſt, Deum perdere, & non ſentire, ſalutis, ſignum, de illius amiſſione dolere. p.327.

Hic, ſi eſſet Propheta, ſciret, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum. Miratur, nec fatuè, Phariſæus, quod Chriſtus ſe à muliere meretrici contrectari permittat: quia commercium viri ac mulieris, etſi per iocum ſit, reus facti habetur, p.593.

Hic, ſi eſſet Propheta, ſciret, &c. Putat Phariſæus Chriſtum à laſciua fœmina inquinari: quia malorum contagium vel Sanctos lædit. p.562.

Hic, ſi eſſet Propheta, &c. Chriſto detrahit eo quod cum Magdalena conuerſetur: adeò ſuperiorum vita detractionibus eſt obnoxia, vt omnium oculi ad ipſorum manus attendant. p.544.

Simon habeo tibi aliquid dicere. &c. Longiunculam Chriſtus de obſequio Magdalenæ texit orationem: quia maximè gloriatur de animæ deperditæ conuerſione. p.558.

Habeo aliqud tibi dicere, &c. Taceate Maria, quæ conuitijs à Phariſæo impetebatur, in ipſius apologiam Chriſtus diffunditur: nam qui ſilet ad iniurias, Deum habet defenſorem. p.325.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Sanè ad fortiùs reſurgendum, prodeſt aliquando corruiſſe. p.553.

FERIA VI. A DOMINICA IN PASSIONE.

Ioann. 11.

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium aduersùs Ieſum. Populi authoritate eius proceres ſine ratione Chriſtum damnare eo adunantur: quia magnatorum eſt ingenium, ſola authoritate praua ſua conſilia defendere. p.440.

Collegerunt Pontifices, &c. Nulla iuſtitiæ habita ratione, ſed inuidia poſſeſſi agebant de Chriſti cauſa: nihil ab hoc concilio non turpè expectandum eſt: nam Iudicum æquitas, & conſtantia anima, & rectitudo legum eſt. p.26.

Quid facimus? Quia hic homo multa ſigna facit. Liuoris hæc verba ſunt: nam non tam proprijs malis, quam alienis bonis cruciatur inuidus. p.202.

Quid

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Propter hoc ſaltem ab illius perſecutione abſtinere debebant: nam monſtruoſum flagitium eſt, beneficium largitori inſidiari. p.301.

Venient Romani, & tollent locum noſtrum. Miror, quod auaram cupiditatem retinendi poteſtatem, & illius prouentus detegant: nam nihil eſt in Iudice auaritia turpiùs. pag. 244.

Venient Romani, & tollent locum noſtrum. Vehementer dolent de amiſſione regiminis. quia ambitioſo honoris priuatio mortis quoddam, imò & gehennæ genus eſt. pag. 310.

Venient Romani, & tollent locum noſtrum. Imò propter infame Chriſti Domini facinus, veſtrum locum tollent: etenim negotioſa honoris ambitio ipſa ſolicitudine inhonoratur, ſublimitate ipſa decreſcit. p.297.

Venient Romani, & tollent locum noſtrum. Ità erit: nam ambitioſus bonorum perditione multatur, & dum non poſſeſſa quærit, poſſeſſa amittit. p.206.

Vos neſcitis quidam. Inſcios in ſupremo Senatu habebat miniſtros Caiphas: quia ſapientia ſemper caret præmio; ſtultitiæ nunquam deeſt. p.27.

Vos neſcitis quidquam. Fortè non tam ignorantia, quam praua intentio illis nocebat: nam vel ignorans Iudex veritatem inueniet, ſi recto animo illam ſcruretur. p.316.

Vos neſcitis quidquam. Ex hac maximè ſuffragiorum repugnantia interitum Reipublicæ præſagire poterat: nam, vbi capita inter ſe pugnant, haud poteſt conſeruari Reſpublica. p.35.

Vos neſcitis quidquam. Sanè hæc contentio expediebat ad Redemptionis beneficium: quandoque diſſenſiones bonæ, & optimæ ſolent eſſe Reipublicæ. p.494.

Vos neſcitis quidquam. Exindè Præſidis prauitas agnoſcitur: nam bonus ſuperior bonos, malus impios iuxta ſe habet miniſtros. pag. 579.

Vos neſcitis quidquam. Arrogantiſſima Præſulis vox, & quæ degenerem eius arguebat naturam: nam humilis in dignitate aſper eſt, & ſuperbus: nobilis blandus, & humilis. p.581.

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo. Non abſoluit, ſed damnat: planè iniquus eſt Iudex, qui poteſtate ad opprimendum abutitur. p.44.

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo. Iuſtè a dignitate fuit depoſitus, qui tam nefandam docuit fulminare ſententiam: nam ſcelerum Magiſtri priùs, & grauiùs ſunt puniendi. p.321.

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo. Eodem conſilio, quo dominium perpetuare ambiebat, illud amiſit. Lethaliter Regnum nutat ad ruinam, cum vel remedia non occurrunt, vel quæ occurrunt, non proficiunt, & corrumpuntur. p.256.

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo. Si benè cogitaſſet, non malè loquitur: nam regni tutores ob nulla commoda debent ipſum non ſeruare. p.200.

Iudicis munus quomodò exercendum habes. p.331.

DOMINICA IN PALMIS.

Matthæi 21.

Miſit duos de Diſcipulis ſuis. Diſcipulos virtute præſtantes mittit, ne per exactionem mandata tranſcendant: nam rarus miniſter eſt, qui in commiſſione non excedat. p.91.

Inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea. Non triumphalem currum quærit ad pompam, quia paupertate laborabat; & Superiorum frugalitas publicam calamitatem clamare debet. p.240.

Soluite, & adducite mihi. Vel Diſcipulis neceſsè fuit iniungere, vt Domino afferrent, quæ ipſius nomine exigebant: quia tributa non Regi, ſed miniſtris inſeruire ſolent. pag. 253.

Dicite, quia Dominus his opus habet. Vel neceſſitatibus oppreſſi debent ſubditi in publicis calamitatibus Principibus ſubuenire. p.235.

Dicite, quia Dominus his opus habet. Quam benè neceſſitati ſubſidia vltrò largienda petit: nam quæ populus pro ſubueniendo Principe offert, non ſunt violentèr extorquenda. p.211.

Dicite, quia Dominus his opus habet. Ad vſum, & poſteà reſtituenda bruta expoſcit. Non ſic Potentes, qui aliena rapiunt, & eis tanquam proprijs vtuntur. p.69.

Dicite, quia Dominus his opus habet. Sedulò incumbit Chriſtus, vt mutuata eſſe animalia videantur: ne furtiua reputentur in homine indigente: nam qui non habet vndè viuat, & viuit, & non laborat, aut viuit miraculo, aut furto. p.60.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Rebellem populum humanitate Chriſtus allicere tentat: nam placida manſuetudo fortior perſuaſionis energia eſt. p.399.

Ecce Rex tuus, &c. Die, qua Ieroſolyma Regem ſuum amore proſequitur, victorem acclamat: nam amor ſubditorum in Principem victoria parat. p.648.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Vbi turbis beneuolus apparet, ipſum acclamantes ſequuntur: aliter ſi inhumanus eſſet: nam Regis crudelitas, & odium gignit, & Regnum euertit. p.402.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Manſuetum, & vrbanum ſe præbet Chriſtus; vbi

Regis

Regis titulo acclamatur : nam comitas ingenuitatis, & dignitatis illuſtriùs ſtenima eſt. p.400.

Hoſanna filij David. Illum ipſum, cui paulò poſteà dicent:: *Tolle, tolle, crucifige, crucifige*, nunc cum regali pompa excipitur, applaudunt : quia in ſtatu adulatio, in declinatione conuitium dignitatis eſt comes. pag. 190.

Benedictus, qui venit in nomine Domini. Vel hæc ſola populi conuenientia irrefragabile erat Diuinitatis Chriſti argumentum : nam aliena proba facilè, glorioſas excellentias difficilè credunt homines. p.306.

PRO NEGATIONE, ET LACRYMIS D. PETRI.

Lucæ 22.

Et egreſſus foras, fleuit amarè. A domo criminis egreditur, vt ſalutarem agat pœnitentiam : nam qui cadendi occaſionem non aufugit, etſi non cadat, cecidiſſe videtur. p.629.

Et egreſſus foras, fleuit amarè. Longè à relabendi periculo abijt: nam ſic formidandum eſt, vt & impoſſibile caueamus. p.630.

Et egreſſus foras. Impiorum conſortium declinat, vt tutiùs remedium inueniat : nam non minùs ſtolidi ſunt nonnulli in adhibendo placationis genere, quam impij in deſerendo Deum. p.630.

Et egreſſus foras, fleuit amarè. Lacrymarum piaculo ſordes abluit, nitoremque adauget innocentiæ : ſæpè ad fortiùs reſurgendum corruiſſe prodeſt. p.353.

Et egreſſus foras, fleuit amarè. Vix cadit, cum reſurgit. Vel in ipſorum erratis virtutis ſigna præſeferunt Sancti. p.347.

Et egreſſus foras. A tumultu recedit, vt ad gratiam reducatur : nam ad dona ſupernaturalia acquirenda quies animæ, & imperturbatio neceſſaria eſt. p.336.

Egreſſus foras, fleuit amarè. Lacrymis, quæ lingua animæ ſunt, peccata confitetur, vt reſurgat ; nam peccati confeſſio vnicum ſalutis medicamentum eſt. p.358.

Et egreſſus foras, fleuit amarè. Chriſtum deſerit, vt pœnitentiæ, quam agere tenebatur, intendat : nam Deo diſplicet quiſquis ; vt ipſi incumbat, à proprio ſe ſubtrahit munere. p.137.

Et egreſſus foras, fleuit amarè. Non ſat eſt flere, niſi amarè fleueris : nam ægerrimè fert Deus vt ſegnitèr, & quaſi ex occaſione noſtræ ſaluti intendamus. p. 138.

Et egreſſus foras, fleuit amarè. Conſultiſſimè Chriſtus peccatum permiſit eius, qui caput Eccleſiæ conſtituendus erat : vt innueret Sacerdotum flagitia ipſis, non Sacramentis, neque Sacramenta ſuſcipientibus officere. pag. 324.

PRO BONO LATRONE.

Lucæ 23.

Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. Qui vitam agebat crimino ſam ſupplicij immemor, vicinitas ad mortem ad pœnitentiam impulit : nam in morte, vel minima peccata nos premunt. p.606.

Domine memento mei. Animam exhalans Dei auxilium vehementer implorat : quia mortis hora ſic periculoſa eſt, vt quaſi Deo duplici indigeat. p.95.

Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. Iam pœnitens alterius vitæ recordatur : nam iuſti moriuntur, vt viuant, peccatores vt moriantur. p.97.

Domine memento mei. Grande miraculum, quod qui impiè vixerat, piè moriatur: nam mors idea eſt, & paradigma vitæ, nonniſi miraculosè diſſimilis. p.62.

Domine memento mei. Mortis inſtantia in fidem latronem adegit : nam cinis exhomologeſis adiutor diuitiæ pietatis eſt illex, & & validiſſimus hoſtium expugnator. p.603.

Domine memento mei. Deum à ſe elongari timebat, quod initium fuit ſuæ fœlicitatis : nam vltima peccatoris miſeria eſt Deum perdere, & non ſentire ; ſalutis ſignum de illius amiſſione dolere. p.327.

Nos quidem digna factis recipimus. Cruciatus, quem patitur, cauſam Deum agnoſcit, ne facilè ad impatientiam ſtimuletur. p.73.

Hodie mecum eris in Paradiſo. Quid tam feſtinanter Chriſtum impulit aduenia m? niſi gloriatio de animæ deperditæ conuerſione? pag. 458.

Hodie mecum eris in Paradiſo. Ità acre inſurgit certamen inter Dei miſericordiam, & hominum malitiam, vt dum magis in Deum inſurgit homo, magis ad miſerendum Deus videatur exurgere. p.368.

Hodie mecum eris in Paradiſo. Non procraſtinat Chriſtus veniam, quia difficultas ad condonandum iniurias hominum ignobilem, facilitas Dei naturam prædicat nobiliſſimam. p.395.

Hodie mecum eris in Paradiſo. Timuit damnationem æternam latro, ſed non diffidit : nam, etſi quandoque naufraget, plerumque

Dei

Dei timor portum fœliciter attingit. pag. 370.

Hodie mecum eris in Paradiſo. A Chriſti conſortio ſalutem aucupatur: nam iuſtorum ſocietas nunquam eſt non vtilis. p.102.

Hodie mecum eris in Paradiſo. Confitenti palam ſua flagitia cœleſte regnum pollicetur: quia peccati confeſſio vnicum ſalutis eſt medicamentum. p.358.

Hodie mecum eris in Paradiſo. Petenti regnum non ipſum ſicut Apoſtolis conceſſit, ſed Paradiſum: nam in æqua meritorum lance cana merita ſunt præferenda. p.374.

Hodie mecum eris in Paradiſo. Non ſicut Apoſtolis iudiciariā poteſtatem latroni promiſit, quia aliquando inimicus extitit: & & quamuis parcendum ſit inimicis; eis tamen non eſt fidendum. p.634.

Hodie mecum eris in Paradiſo. Nam cœleſtis vrbs Ieruſalem, pœnitentium eſt patria. pag. 655.

FERIA V. IN COENA DOMINI.

Ioann.13.

Sciens Ieſus, quia venit hora eius. Solus Chriſtus Dominus mortis horam ſciebat; cæteris incerta eſt mortis certitudo. p.171.

Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Ideſt, vltra finem: nam amor Dei erga creaturas occaſum neſcit, & finem ignorat. p.366.

Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Ardentiorem in fine charitatem oſtendit: quia res cum propè ſunt ad interitum magis placent. p.423.

Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Propter ſuorum amorem ſeſe morti obtulit: nam tes vt ægritudine, dilectione pereunt. pag. 261.

Et cœna facta. Euchariſticæ menſæ elogia copioſè traduntur, à pag. 450. vſque ad pag. 471.

Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus. Mortis hora Patris, ac propriæ Diuinitatis recordatur: nam ſic periculoſa eſt, vt quaſi Deo duplici indigeat. p.95.

Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus. Obſequioſo, quem ſuis exhibebat, famulatui memoriam ſui principatus, & omnipotentiæ adiunxit: quia comitas ingenuitatis, ac dignitatis illuſtrius ſtemma eſt. p.400.

Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus. Salutem hominum, quam operabatur, omnia vocat; quaſi nihil haberet, niſi eam lucraretur. p.621.

Cæpit lauare pedes Diſcipulorum ſuorum. Tam humilem exhibet famulatum, quia Dominus erat & Magiſter: Superiorum namque munus dura eſt ſeruitus. p.485.

Cæpit lauare pedes Diſcipulorm ſuorum. Sunt, qui exiſtiment, à Iuda incæpiſſe, quin Diſcipuli de illa præeminentia quæterentur: nam quod fauor, & gratia indignis confeȓatur, non ſat eſt, vt à ſuperioribus auellamur. p.29.

Cæpit lauare pedes. Probat dominium, & omnipotentiam, quorum memoriam fecit, profunda famulantis ſummiſſione: nam humilitas regia eſt, & potentiſſima virtus. p. 80.

Cæpit lauare pedes. Omnipotentiæ à Patre acceptæ abiectiorem humilitatem ſubiungit, vt ſe Dominum oſtenderet: nam vera magnitudo, & excelſam, & humilem ambit extremitatem. p.86.

Cæpit lauare pedes. Magnum obſequium, quod cæteros deuinxit, Iudam deteriorauit: quia ingenui animi fauotibus, ſeruiles verò, ſupplicijs meliùs reducuntur. p.333.

Venit ergo ad Simonem Petrum. Iam Iudam lauerat, quem publicè honorat, ſi fortè eum reducere queat: nam egregius modus reducendi ſubditos eſt, ferire delicta, non perſonam. p.8.

Non lauabis mihi pedes in æternum. Non audet Petrus Chriſti honorificam ſeruitutem pottare: quia magnarum eſt virium fœlicitatis oneri non ſuccumbere. p.181.

Si non lauero te, non habebis partem mecum. Renuente Petro Chriſtus adhuc eius pedes lauare contendit: nam vel inuiti ſubditi in via virtutis ſunt educandi. p.498.

Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet. Vt Chriſti tantùm, qui via eſt, tenerent veſtigia, & ne aliorſum declinarent, lotos pedes habere oportuit: nam vtroque pede claudicat, qui ad neutram manum omnimodè inclinat. p.487.

Et vos debetis alter alterius lauare pedes. Impensè curat Chriſtus ſuorum concordiam, & vnitatem; quia diſcordes animi cogunt Deum aufugere, & eos deſerere. p.30.

Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodùm feci vobis, ita & vos faciatis. Quid? Homo Deum æmulari poterit? Sanè homo in re virtutis piè debet eſſe audax, & impoſſibilia tentare. p.410.

PRO COMPASSIONE, ET SOLITVDINE B. MARIÆ.

MARIÆ Cruciatus in morte Filij exagerantur. p.534.

FERIA II. RESVRRECTIONIS.

Lucæ 24.

Duo ex diſcipulis Ieſu. Sedulò Euangeliſta nomina Diſcipulorum tacet, vbi eorum incredulitatem reprehendit: nam egregius modus reducendi ſubditos eſt, ferire delicta, non perſonas. p.8.

Et quia in corrigendis ſuperiorum erratis publico ſermonis iaculo haud vtendum eſt. pag. 6.

Et factum eſt cum fabularentur, & ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis. Opportunè illis loquentibus Chriſtus adeſt, vt moderatè loquantur: nam ſic lingua impudenter audet, vt Dei moderamine indigeat. p.379.

Et ipſe Ieſus appropinquans, &c. Vt iterum cruciaretur infidelitatis errore; nam plus ipſum cruciauit electorum paucitas, quam tormentorum multitudo. p.407.

Et ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis. Perhumanitèr Diſcipulis ſe immiſcet errore lapſis, vt eos ad fidem reducat: nam placida manſuetudo fortior perſuaſionis energia eſt. p.399.

Et eſtis triſtes. Impensè curat Chriſtus à ſuis relegare triſtitiam: nam ſæpè magna tribulatio facit, ne hominea ità facilè vacent Dei laudibus. p.19.

Tu ſolus peregrinus es. Etſi peregrinus Chriſtus inter homines videretur; tamen eius amor exilium in patriam commutauit. pag. 492.

Nos autem ſperabamus. Breuiſſimo temporis interuallo deſperant, vndè meritò increpantur: nam conſtantia compendium eſt, virtutumque corona. p.143.

O ſtulti, & tardi corde ad credendum. Aſperè eos reprehendit, & poſteà blandè illis alloquitur, atque ſcripturas detegit: quia durum Dei verbum lenitatis eſt omen, miſericordia vices cum iuſtitia reciprocat. pag. 380.

Sed & mulieres quadam ex noſtris. Mulieribus Reſurrectionis ſigna exhibentibus diſcredunt: quia fides humana ex auditu incerta eſt: ex munerum acceptione mendax. p.373.

O ſtulti, & tardi corde ad credendum. Arguit Chriſtus Diſcipulos, qui propter breuiſſimam horam à fide defecerant: nam non leui cauſa ab amicis eſt recedendum. p.278.

Et ità intrare in gloriam ſuam. Triſtitia laborantibus gloriæ recordationem ingerit, vt eos erigat: nam ſpes gloriæ mærorem fugat, animumque tranquillat. p.411.

Nonnè cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur? Quare? Niſi quia auditoris conſcientia optima ſermonis interpetratrix eſt. pag. 388.

Nonnè cor noſtrum ardens erat in nobis? Adhùc per ænigmata Chriſto loquente, quæ dixerat, altè percipiunt, ipſumque agnoſcunt: nam ſubtiliori, & obſcuriori doctrina ſæpiùs ad Dei agnitionem trahimur. p.393.

Accepit panem, & cognouerunt eum in fractione panis. Benè in fractione, & largitione panis agnoſcitur Chriſtus, ſicut in illius ſubreptione, cuius, iniquus, qui propter lucra fructus abſcondit, vt inimicis deferat. pag. 624.

DOMINICA IN ALBIS.

Ioann.20.

VBi erant Diſcipuli congregati. Coadunatis Diſcipulis præſtò adeſt Deus; aliter ſi eſſent diuiſi: nam diſcordes animi cogunt eum aufugere, & illos deſerere. p.30.

Venit Ieſus, & ſtetit in medio. Vt æquè omnibus ſe præberet munificum, in medio collocatur: nam ſuperior niſi æquus ſit, iniquus erit. p.404.

Stetit in medio. Vt publico, non particulari commodo prouideat: nam bonum publicum priuato eſt præferendum. p.112.

Stetit in medio. Ne partialis videretur: quam amabilis, quamque pernitioſa ſit ſingularitas oſtenditur. p.341.

Stetit in medio. Vt omnium eſſe ſine diſcrimine oſtendat, & prælatura dignum: nam dignitas, quæ confertur benemerito, æqualiter omnium eſt, & ab omnibus habetur. pag. 404.

Et dixit eis: Pax vobis. In communitate Sanctorum pax iugitèr ſuggerenda eſt; at in improborum Reipublica multotiès diſſenſiones vtilitèr introducuntur. p.494.

Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, non credam. Non credit Thomas, Diſcipulos vidiſſe Dominum, quem ipſe non viderat, ne torqueatur: nam res ſummi doloris eſt, æquales fœliciores contueri. pag. 627.

Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, non credam. Vt Præſulem agnoſcat, eius manus contrectare ambit: ſanè ſuperiorum vita adeò eſt detractionibus obnoxia, vt omnium oculi ad ipſorum manus attendant. p.544.

Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, non credam. Gloriam reſurrectionis Thomas credere abnuit: quia aliena probra facilè, glorioſa geſta difficilè credunt homines. p.306.

Infer digitum tuum huc. Speciali Thomam proſequitur fauore, vt illum errantem emendet: quia ingenui animi fauoribus, ſeruiles verò ſupplicijs meliùs reducuntur. pag. 333.

Infer digitum tuum huc. Vulnera præbet attrectanda, quæ cœli ſternebant iter, vt oſtendat, facilem, & planam iam viam nobis ad cœlum eſſe. p.480.

Infer digitum tuum huc. Cæteris Apoſtolis oculorum euidentia ad fidem ſufficiebat; Thomæ, quia magis erat incredulus, vulnera contrectanda obtulit: vt oſtenderet, munera cum diſcretione eſſe conferenda. p.566.

Infer digitum tuum huc. Aliter Thomam, alitèr cæteros fauore proſequitur: ſanè æqualitas præmij excidium ſolet eſſe Reipublicæ. pag. 541.

Dominus meus, & Deus meus. Poſt gratiam, & fa-

& fauorem fidelem ſe oſtendit in confeſſione: quia præmia alunt virtutes. p.613.

IN LITANIIS MAIORIBVS, ET MINORIBVS.

Lucæ 11.

Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte. Importuno tempore amicus rogatur, nempè in tenebris, quaſi erubeſcat, amicus videri: at hæc veræ amicitiæ comprobatio eſt: nam qui garriunt, & nimis ſe introducunt, infidelitatis ſuſpicionem incurrunt. p.284.

Et ibit ad illum media nocte. Petiturus eleemoſynam temporis incommoda non attendit: quandoquidem ſic Charitas vrget ad proximis ſubueniendum, vt cum facultates deſint, ad miraculum recurrere compellat. pag. 386.

Amice, accommoda mihi tres panes. Poſtulata obtenturus amicum compellat, vt amicitiæ munera obeat: nam deteſtabile eſt amicum os præferre, & inimicum cor geſtare. p.282.

Quoniam amicus meus venit ad me de via. Solicitè incumbit, vt hoſpitalitatis lucra capiat, ſciens Dei eſſe virtutem, & beatitudinis complementum. p.654.

Accommoda mihi tres panes. Non datos, ſed commodatos panes exigit: nam quæ pro Deo largimur, non minuuntur; ſed cum ingenti lucro illa recipimus. p.653.

Noli mihi moleſtus eſſe. Vrbanè ſe excuſat, quia poſtulata negabat: nam qui à prætenſo repulſam patitur bona excludentis verba audire debet. p.371.

Et pueri mei mecum ſunt in cubili. Solertèr bonus pater filios domi clauſos habere procurat, ſciens quod vna ſola filia totam domum ſolet euertere. p.248.

Propter improbitatem ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios. Tandem vincunt importunę preces: quia victoriam ſemper reportat oratio. p.649.

Non poſſum ſurgere. Non poſſe ſurgere affirmat, & tandem ſurgit; quia perſæpè quod minùs vùlt, id ſe dicit velle Deus: & quod nolle dicit, ipſum vult. p.100.

Non poſſum dare. Plerumqne Deus beneficia contrahit, vt noſtræ vtilitati conſulat. pag. 295.

Non poſſum dare. Fortè ex hac repulſa in ſpem aſſequendi erigitur exorator: nam durum Dei verbum lenitatis eſt omen, miſericordia vices cnm iuſtitia reciprocat. p.380.

Surget, & dabit illi, quotquot habet neceſſarios. Pluſquam petebat accepit: quia plura Deus, quam euulgat, hominibus confert beneficia. p.428.

Surget, & dabit illi. A lectulo quietis tempore ſurgit, quia domi cura ipſi incnmbebat, & Prælatus nullus cum ſit ad quietem, multiplex debet eſſe ad laborem. p.501.

IN DIE ASCENSIONIS.

Marci 16.

Recumbentibus vndecim Diſcipulis, &c. Prandentes Diſcipulos Chriſtus increpat: quia ſuperior, qui ſubditos legibus adſtringere vult, & punire, neceſſaria eis ad victum debet tribuere. p.127.

Et exprobrauit incrudelitatem eorum. Aſperè corripit, vt emendet: nam impunitas vitia fouet, ſupplicium auertit. p.443.

Et exprobrauit incrudelitatem eorum. Eos ad fidem efficacitèr reuocare procurat: nam ſubditi, vel inuiti, in via virtutis ſunt educandi. p.498.

Et exprobrauit incrudelitatem eorum, & duritiam cordis. Non fruſtrà prandentinm increpatur infidelitas, quaſi prandium illius eſſet occaſio: quia delitijs, & voluptatibus langueſcunt animi, virtute roborantur. p.614.

Quia ijs, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Et quare narrantibus Reſurrectionem Chriſti fidem denegant? Niſi ne alienæ infelicitentur fortunam: nam res ſummi doloris eſt, æquales feliciores contueri. pag. 627.

Euntes in vniuerſum mundum prædicate Euangelium. Qualis oporteat eſſe Sacer Eccleſiaſtes copioſè habes. p.150. vſque ad pag. 154.

Linguis loquentur nouis. Sed non noua: nam in fide noua fugienda ſunt. p.49.

Linguis loquentur nouis. Ipſe illos comitatur, vt quod fas eſt loquantur: nam ſic lingua impudentèr audet ad malitiam, vt Dei moderamine indigeat. p.379.

Et Dominus quidem Ieſus aſſumptus eſt in cælum. Vbi eos mittit ad prædicandum Euangelium, cœlum ſcandit: quia in Aſcenſione docuit Fideles palàm agere de regno cœlorum. p.490.

Aſſumptus eſt in cælum. Non vltrò aſcendit, ſed violentèr rapitur: quia plus quam mortem ſuos relinquere ægrè tulit. p.492.

Et ſedet à dextris Dei. Hæc eſt noſtra lætitia, Chriſti iam glorioſi expectare viſionem: nam ſpes gloriæ mærorem fugat, animumque tranquillat. p.411.

Et ſedet à dextris Dei. Iter nobis Chriſtus in Aſcenſione ſternit: vndè iam plana, & facilis via ad cœlum eſt, p.480.

Et ſedet à dextris Dei. Meritò quies labori ſucceſſit: nam non fas eſt ante laborem quieſcere. p.611.

Et ſedet à dextris Dei. Remunerator adeſt, vt nos ad virtutem alliciat: quia præmia alunt virtutes. p.613.

Digitized by Google

Elenchius ad Sacras Conciones.

IN DIE PENTECOSTES.

Actor.2.

C*Vm complerentur dies Pentecoſtes*. Ipſomet die, quo multiplex lex data fuit Moyſi, Sancti Spiritus aduentione abrogatur, & vnica tantùm ſtatuitur; quia lex non multiplex debet eſſe. p.572.

Et erant omnes paritèr in eodem loco. Non parua diſcipulorum prærogatiua fuit vnanimes eſſe: nam fraternitas, quæ concordiæ vinculum debet eſſe, plerumque diſcordiarum ſeminarium eſt. p.280.

Erant omnes paritèr in eodem loco. Diſcipulorum vnitas Spiritum Sanctum ſuper ipſos adduxit: diſcordes animi illum aufugere cogunt. p.30.

Et factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis. Magno impetu Spiritus Sanctus ſuper Diſcipulos, qui tunc conſtituebant Eccleſiam, deſcendit: vt innueret Eccleſiæ Catholicæ fortitudinem, fore ſemper inuictam. p.547.

Tanquam aduenientis Spiritus vehementis. Terret, quos muneribus implet, vt neque nimis confidant, nec deſperent nimis: quia neque nimio timore, neque ſpe nimia ad cœlum itur. p.563.

Tanquam aduenientis Spiritus. Spiritus, qui amor eſt, venit, vt munera conferat: non vt carnem aſſumat, & moriatur, ne Dei amor videatur occiſus: nam occaſum neſcit, & finem ignorat, p.366.

Tanquam aduenientis Spiritus vehementis. Fortè impetuosè aduenit, vt ſe oſtendat contra infenſores implacabilem, quatenùs amor eſt: nam amore læſo nullus eſt infenſior hoſtis. p.53.

Et repleuit totam domum. Sic, ſic probat, Spiritum eſſe à Patre procedentem, propriæ domus curæ incumbens: nam qui non ità agit, non vera perſona, ſed ſpectrum eſt. pag. 314.

Et apparuerunt diſpertitæ linguæ. In linguis potiſſimè Deus aduenit, vt illarum impetum moderetur: nam ſic lingua impudentèr audet ad malitiam, vt Dei moderamine indigeat. p.379.

Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ. Iuxta vniuſcuiuſque genium dona diſtribuit: quia munera cum diſcretione ſunt conferenda. pag. 566.

Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ. Non vna tantùm, ſed diuerſis linguis Spiritus Sanctus illabitur in Diſcipulos: nam quandoque diuiſiones bonæ & optimæ ſolent eſſe Reipublicæ: p.494.

Diſpertitæ linguæ tanquam ignis. Rectè in igne, qui omnia conſumit, amor apparet: nam res vt ægritudine, dilectione pereunt. pag. 261.

Seditque ſupra ſingulos eorum. Diuerſis diuerſa dona contulit: quia æqualitas præmij excidium ſolet eſſe Reipublicæ. p.541.

Seditque ſupra ſingulos eorum. Nullus impræmiatus relinquitur: etenim ijs, qui in expugnatione hoſtium fortitèr dimicarunt, præmia debet largiri Princeps. p.435.

Seditque ſupra ſingulos eorum. Etſi ſupra vnum tantùm ſederet, ſederet ſupra omnes, nam dignitas, quæ confertur digno, ab omnibus habetur. p.404.

IN FESTO SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Matthæi 25.

D*Ata eſt mihi omnis poteſtas*. Quaſi humiliatione mortis, non naturæ hæreditate poteſtatem fuiſſet nactus: quia humilitas regia eſt & potentiſſima virtus. p.81.

Data eſt mihi omnis poteſtas: euntes ergo docete. Ly *ergo* vim habet conſequentiæ: quaſi beneficentia ſequela ſit poteſtatis: etenim in ſuperiore poteſtas ad benefaciendum, poteſtati ad opprimendum præponenda eſt. pag. 402.

Euntes ergo docete. Spirituales mundo mittit miniſtros, ne abſque Magiſtros à recto tramite deuient: nam aberrat, qui per virtutis viam abſque ductore incedit. p.560.

Euntes ergo docete. Non ad ſcholas eos mittit. vt prius diſcant, quam doceant, nam non eget humani eloquij præſidio Verbum Dei, vt aridos peccatorum animos fœcundet. pag. 156.

Euntes ergo docete. Rectè ijs, quos Magiſtros & Doctores conſtituerat, docere præcipit: nam vnuſquiſque de ſuo debet munere agere. p.140.

Euntes ergo docete. Non ſolùm verbo, ſed etiam opere: nam Sacer Eccleſiaſtes id debet eſſe & operari, quod loquitur. p.152.

Baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti. Trinitatem Perſonarum pandit, vt munificentiorem ſe hominibus oſtendat: nam Deus vnus eſt, vt faciliùs ſeruiatur: Trinus, vt abundantiùs benefaciat. p.408.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Vbi Deus beneficia largitur naturam & Perſonas detegit: vbi ſupplicia infert, quodammodò naturam mutare videtur. p.426.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Perſonarum Trinitatis oppoſitio ad intra eſt; ad extra non niſi vnitas apparet; vt concordiam in fidelibus adſtruat: p.292.n.3.

Baptizantes eos in nomine Patris, &c. Beatiſſimam Trinitatem impensè Dæmon hominibus abſcondere ſatagit: p.410.n.5.

Docentes ſeruare omnia. Strictè Christus Dominus præcepta ſeruari ſtudet, quia ſciebat, quam auidè homines prohibita ſuſpirent,

rent,

rent, quamque conceſſa faſtidiant: etenim quod licet, ingratum eſt. p.586.

Docentes ſeruare omnia. Non ſat eſt baptizari, niſi præcepta obſeruentur: nam parum Chriſtiani nomen tibi proderit, ſi Chriſtiani opera non feceris. p.175.

Docentes ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Quæ ipſe dixerat, ſeruare præcipit, neque aliquid nouum addere permittit: nam noua in fide fugienda ſunt. p.49.

Et ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Stabile eſſe regnum pollicetur ipſius aſſiſtentia: Eccleſiæ namque Catholicæ fortitudo ſemper erit inuicta, eo quod vnico ſuo innitatur Sponſo: p.547.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Ioann.6.

DE *Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento late, & vberrimè agitur per integros Diſc.* a pag.450. vſque ad p.469.

PRO SANCTIS.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

Matthæi 4.

A*Mbulans Ieſus iuxta mare Galilææ.* Ambulabat Ieſus quaſi cogitans, vt miniſtros eligat idoneos, qui bonam Principis opinionem confirment: nam bonus ſuperior bonos; malus autem impios iuxta ſe habet miniſtros. p.579.

Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ. Non dedignatur Chriſtus per littora maris diſcurrere, vt diſcipulos aduocet: nam comitas ſuperioris illuſtrius ſtemma eſt. p.400.

Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ. Diſcipulorum electionem non alij commendat, ſed per ſeipſum efficit: quia Princeps, quæ ipſi incumbunt, per ſeipſum exequi debet. pag. 424.

Vidit duos fratres. Fraternitas eius oculos allexit ad gratiam: quia in animis charitate coniunctis toto animo complacet; à diſcordibus exulat. p.30.

Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum. Munera non mutat, ſed perficit, & iuxta cuiuſque genium ea diſtribuit: quia cum diſcretione ſunt conferenda. p.566.

Faciam vos fieri piſcatores hominum. Non eos terret, ſed munerat vt ad ſequelam inducat: quia ingenui animi fauoribus, ſeruiles vero ſupplicijs meliùs reducuntur. p.333.

Faciam vos fieri piſcatores hominum. Non mutat officia, vt vnuſquiſque de ſuo agat munere. p.140.

Faciam vos fieri piſcatores hominum. Piſcatores relinquit, quos piſcatores inuenit: nam Deo diſplicet, quiſquis, vt ipſi incumbat, à proprio ſe ſubtrahit munere. p.137.

Venite poſt me. Eos ducit, ne aberrent: nam via, qua Deus ducit, quærenda eſt ſalus. pag. 146.

At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. Retia relinquunt, vt Chriſtum ſequantur, qui vnde viuerent, aliunde non habebant: ſanè homo in re virtutis piè debet eſſe audax, & impoſſibilia tentare. p.410.

At illi relictis retibus ſecuti ſunt eum. Vide gratiæ efficaciam; quæ habebant, vltrò relinquunt, vt Chriſtum ſequantur: enim vero mundialium rerum abdicatio mirabile eſt Dei opus. p.585.

At illi relictis retibus ſecuti ſunt eum. Chriſto ſequelam tantùm ſuadente, ipſi tandem retia relinquunt paupertatis aſſeclæ, vt arctiùs Chriſto adiungantur: quia tunc ad Deum per ſimilitudinem aſcendimus, cum bona noſtra opera non infæcunda ſunt, ſed ſe mutuò gignunt. p.413.

At illi relictis retibus & patre ſecuti ſunt eum. Omnia, quæ habebant, relinquunt, vt Chriſto famulentur: nam pudor eſt pro æterna gloria non præſtare, quod pro peritura facimus. p601.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B.MARIÆ.

Lucæ 11.

E*Xtollens vocem quædam mulier de turba.* Non illuſtris, ſed vulgaris fæmina Mariam laudat: quia plerumque plebei nobiles in virtute ſuperant. p.619.

Hinc Maria nobilitatem virtutis generis nobilitati præpoſuit. p.422.

Beatus venter, qui te portauit. Filius de diabolo triumphat, & laudes Mariæ adſcribuntur: quia voluit Chriſtus Dominus, vt omnis eius victoria Virgini Matri tribueretur. pag. 528.

Beatus venter, qui te portauit. Filius vincit, & Maria extollitur, quia ipſa Filium dæmonem ſuperare docuit. p.511.n.3.

Beatus venter, qui te portauit. Meritò venter laudatur, vnde pietatem Chriſtus hauſit. pag.533.n.1. Ardorem diuinæ iuſtitiæ Mariæ viſcera temperarunt, ibid. n.2. Miſericordię Matrem eſſe gloriatur. ibid. Clementiæ affectum affricarunt Filio materna viſcera ibidem. Iuxta Mariæ voluntatem munera & ſupplicia Deus diſpenſat. ibid.

Beatus venter, qui te portauit. Vbi Chriſtus pietatem erga miſerum hominem exercuit, Maria laudatur, cuius deprecatione liberatur: quia commune mundi propiciatorium eſt: hominesque in huius vitæ mari fluctuantes ad littus perducit. p.539.

Beatus venter, qui te portauit. Venter celebratur vbi omnes homines ſunt regenerati; ſiquidem omnes Maria peperit, omniumque Mater effecta eſt. p.534.

Beatus

Digitized by Google

Beatus venter qui te portauit. Opportunè laudatur venter, qui nullam originariæ culpæ labem contraxit. p.517.n.3.
Beatus venter qui te portauit. Vt debitum Mariæ rependeret, à qua robur aduerſus dæmonem accepit laudes ad illam inflectit: nam quæ Matri titulo iuſtitiæ debebat, exactè perſoluit. p.530.
Beatus venter qui te portauit. Vincit Chriſtus in agone Dæmonem, & victrix Maria exultat, quæ non dimicauerat: ſanè non decertando, ſed deterrendo triumphum à ſerpente reportauit, vt nobiliori potiretur victoria. p.510.

IN FESTO IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS DEIPARÆ.

Matthæi 1.

A *Labe Originalis culpæ vindicata oſtenditur B.Virgo fusè, & vbertim.* à p.504. *per duodecim integros diſcurſus.*

IN FESTO S.LVCIÆ.

Matthæi 13.

S*Imile eſt regnum cœlorum theſauro, &c.* Stipendium ſectantibus virtutem proponitur in theſauro, vt auidiùs perquiratur: nam præmia alunt virtutes. p.613.
Simile eſt Regnum cœlorum theſauro abſcondito. Sed non difficilis conſequi: nam iam facilis & plana via ad cœlum eſt. p.480.
Vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum. Non recuſat felix theſauri inuentor omnia pro illo aſſequando vendere: nam pudor eſt pro æterna gloria non præſtare, quod pro peritura facimus. p.601.
Vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum. Bonus theſauri inuentor, qui omnia diuendit temporalia, vt æterna poſſideat; cum ferè omnes temporalium, pauci ſint, qui æternorum ſentiant iacturam. p.623.
Vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum. Ager anima eſt, qui, vt fructum afferat, ſemper eſt colendus. p.647.
Vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum. Nam qui cœleſtia anhelat, terrena omnia contemnit, & pericula deſpicit. p.646.
Vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum. Peritus fænerator omnia pro cœleſti gloria vendit: nam quod pro Deo largimur, non minuitur; ſed cum ingenti lucro illud recimus. p.652.
Vendit vniuerſa, quæ habet. Nempè illa, quæ illi nocebant, vt poſſideret profectura: nam magnarum eſt virium felicitatis oneri non ſuccumbere. p.181.
Vendit vniuerſa, quæ habet. Sanè ſuffragante gratia, omnibus, quæ poſſidebat, renuntiauit: nam mundialium rerum abdicatio mirabile eſt Dei opus. p.585.
Vendit vniuerſa quæ habet. Nihil non tentauit, vt theſauro frueretur: quia homo in re virtutis piè deber eſſe audax, & impoſſibilia aggredi. p.410.
Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare. Extrema iudicij dies deſcribitur: de qua multa habes. p.162. per totam p.167.

IN FESTO EXPECTATIONIS B.MARIÆ.

R*Ecognoſce, quæ dicuntur in feſto Annuntiationis.*

IN FESTO S.THOMÆ APOSTOLI.

V*Ide, quæ notata ſunt pro Dominica in Albis.*

IN FESTO S.STEPHANI PROTHOMARTYRIS.

Matthæi 23.

E*Cce ego mitto ad uos Prophetas*. Prophetas mittit, vt ventura prædicent; non vt occulta delicta, & illa patrantes reuelent, quo magis proficiant ad emendationem: nam egregius modus reducendi ſubditos eſt, ferire crimina, non perſonas. p.8.
Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Scribas, & Sapientes, & ex illis occidetis. Sapientibus propinqua eſt mors: quia egregiæ virtutes infortunatæ ſunt, & moribundæ. p.83.
Ecce ego mitto ad vos Sapientes, & ex illis occidetis. Si inſipientes eſſent, non eos occiderent: quia ſapientia ſemper caret præmio; ſtultitiæ nunquam deeſt. p.27.
Ecce ego mitto ad vos Sapientes, & ex illis occidetis. Vt maiori in pretio habeantur: nam Sapientes, qui rempublicam tuentur proindeque in vita exaltandi ſunt, nonniſi poſt mortem honorantur. p.337.
Et ex illis occidetis. Scilicet, vitali morte: nam iuſti moriuntur, vt viuant; peccatores vt moriantur. p.97.
Et ex illis occidetis. Morte videlicet apparente, & vitali vſura: nam Dei ſeruitus compendium vitæ eſt, & gratiæ abortus. p.90.
Et flagellabitis in ſynagogis veſtris. Ad exaggerationem doloris dicitur, coram Principibus fore denudandos, vt flagellantur: nam pudoris, & confuſionis tormentum ipſa morte, & gehenna grauius eſt. p.239.
Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus. Mors iuſti magna calamitas Reipublicæ; eo quod ſuis precibus à vindicta Deum retrahat. pag. 40.
Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus. Maximè Deus contra Phariſæos Prophetas occidentes iraſcitur: nam etſi pientiſſimus ſit, in publica ſcelera maximè excandeſcit. pag. 575.
Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus. Sanguis

Digitized by Google

guis Prophetarum, quem effuderunt Scribæ, ſupra ipſos relabitur: nam opera proximo exhibita ad æqualitatem Deus rependit. 222.

Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus. Acerbior Phariſæis paratur vindicta, quia non lædentes perſecuti ſunt, & qui ſine cauſa lædunt, non homines ſunt, ſed humanitatis monſtra. p.55.

Venient hæc omnia ſuper generationem iſtam. Proceribus populi peccantibus, omnis populus plectitur: nam propter Principes populi, & propter populos Principes viciſſim pœnas luunt. p.299.

Ecce relinquetur domus ueſtra deſerta. Iudæorum vltimam ruinam prænuntiat: quia ipſorum perfidia mortem deuorat. p.473.

Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. In deuaſtatione Ieroſolymæ adimpletum fuit hoc vaticinium, vbi ignis omnia conſumpſit: quia Iudaica perfidia non niſi ignis flagratione eſt punienda. p.471.

IN FESTO SANCTI IOANNIS EVANGELISTÆ.

Ioann.21.

D*Ixit Ieſus Petro: ſequere me*. Chriſto vocanti Petrus annuit: nam via, qua Deus dirigit, quærenda eſt ſalus. p.146.

Vidit illum Diſcipulum, quem diligebat Ieſus. Meritò præ cæteris Ioannes diligitur, quia cæteros meritis anteibat: & æqualitas præmij excidium ſolet eſſe Reipublicæ. pag. 541.

Vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus. Credo dolorem Petri hic excitari, vbi præ cæteris Ioannem dilectum vidit: nam res ſummi doloris eſt, æquales feliciores contueri. p.627.

Qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius. Ioannis prærogatiua non arcet Petrum à conſortio Magiſtri: quia non leui cauſa ab amicis eſt recedendum. p.278.

Qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius. Ioannem amicitia, & ſanguine coniunctum prætulit: quia licet ſuperioribus, ſuis priùs benefacere, quam exteris. p.17.

Qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius. Non ex approximatione probatur amicitia: quia multoties, qui illius prætextu ſe nimis introducunt, infidelitatis ſuſpicionem incurrunt. p.284.

Domine, qui eſt qui tradet te? Vt criminoſiùs ageret, ſe cælauerat proditor, & ſub diſcipuli cortina virus abſcondebat. Sanè nihil eſt deteſtabilius, quam amicum os præferre, & inimicum cor geſtare. p.282.

Domine, hic autem quid? Porrò virginalis Ioannis decor Diſcipulos adduxit, vt crederent, mortis euaſurum imperium: quia ſicut vitæ impudicitia, ita caſtitas eſt mortis expers. p.591.

Domine hic autem quid? Vbi Ioannis dilectio memoratur, ſtatim de eius morte Petrus agit: nam res vt ægritudine, dilectione pereunt. p.261.

Domine, hic autem quid? De morte Ioannis, cum de eximia erga ipſum Chriſti dilectione, tractatur: quia res eum propè ſunt ad interitum, magis placent. p.423.

Domine, hic autem quid? Mirantur omnes, quod Ioannes, qui iunior erat, tam profecerit in virtute: nam nonniſi cana ſenectus homines virtutem edocet. p.340.

Domine, hic autem quid? Turbantur omnes, vbi Ioannem ſingulariter à morte immunem ſuſpicantur. Quam amabilis, quamque pernicioſa ſit hominibus ſingularitas oſtenditur. p.341.

Exijt ſermo inter fratres. Suſurrantium de Ioannis excellentia erat ſermo: etenim fraternitas, quæ concordiæ vinculum eſſe debet, plerumque diſcordiarum ſeminarium eſt. pag. 280.

Et non dixit Ieſus non moritur. Malè, & audacter Chriſti verba interpretantur: quia quo veritas eſt timidior, eo mendacium eſt audacius. p.317.

Quid ad te? Meritò reprehenditur Petrus, quia ea perquirebat, quæ non accedebant ad ipſum: & vnuſquiſque de ſuo tantùm munere agere debet. p.141.

Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his. ſcilicet, quæ vidit: nam fides humana ex auditu incerta eſt, ex munerum acceptione mendax. p.373.

IN FESTO S. ANTONII ABBATIS.

Lucæ 12.

S*Int lumbi veſtri præcincti*. Vitam cingere præcipiuntur, ne in morte periclitentur: quia mors idea eſt, & paradigma vitæ, non niſi miraculoſe diſſimilis. p.62.

Sint lumbi veſtri præcincti. Scilicet ad ſtadium virtutis currendum, vt illius vitalia lucra reportent: nam Dei ſeruitus compendium vitæ eſt, & gratiæ abortus. p.90.

Sint lumbi veſtri præcincti. Caro attenuatur, vt augeatur Spiritus. Sit caro Spiritui ſubiecta, vt perfectos fœtus producat. p.335.

Sint lumbi veſtri præcincti. Strictè cingenda eſt caro, ne effrænetur libido, quæ totam hominis vitam, & ſtudium ſorbet. p.595.

Sint lumbi veſtri præcincti. Dignitas ambitio compeſcitur: quæ ipſa eleuatione inhonoratur, ſublimitate decreſcit. p.297.

Sint lumbi veſtri præcincti. Præcingitur ad vitium caro, vt ad virtutis incrementum auidè ſe diſtendat: quia homo in ſe virtutis piè debet

debet eſſe audax, & impoſſibilia tentare. pag. 410.

Sint lumbi veſtri præcincti. Mortem expectantes arctiùs cingendi ſunt: quia mortis hora ſic periculoſa eſt, vt quaſi Deo duplici indigeat. p.95.

Sint lumbi veſtri præcincti. Non ſolùm vt illicita fugiant; ſed vt à prohibitis abſtineant nam qui omnibus conceſſis vult potiri, in prohibita ſæpè dilabitur. p.116.

Sint lumbi veſtri præcincti. In procinctu nos eſſe procutat, quaſi iam inſtet mors: quia magna Dæmonis tentatio eſt mortem diſtantem obijcere. p.169.

Sint lumbi veſtri præcincti. Vt curriculum inceptæ virtutis perficiant, præcinguntur: nam ſumma dementia eſt, à virtutis tramite diſcedere. p.551.

Et lucernæ ardentes in manibus veſtris. Videlicet vt fax iter oſtendat, & dirigat in via: nam aberrat, qui per virtutis ſemitam abſque ductore incedit. p.560.

Et lucernæ ardentes in manibus veſtris. Vt iter & metam non aberrent, ad quam pertingere debent, præambula luce ducuntur: nam plerique hominum ad cœlum ire cupiunt, non per cœli viam, ſed per tartarorum iter. p.650.

Et vos ſimiles hominibus ſpectantibus Dominum ſuum. Lumborum cinctorio eos terret, & ſpectatione Domini erigit: quia neque nimio timore, neque ſpe nimia ad cœlum itur. p.563.

Et vos ſimiles hominibus. Alijs ſuos ſimiles eſſe vult, ne de ſingularitate virtutis glorientur: quam amabilis, quamque pernitioſa ſit ſingularitas oſtenditur. p.341.

Præcinget ſe, & tranſiens Miniſtrabit illis. Remuneraturus Dominus cingitur, vt nos doceat neceſſaria tantùm diſpendere: nam qui non abſtinet à ſuperfluis, citò indiget neceſſatijs. p.258.

Et ſi in tertia vigilia venerit. Multoties ad tertiam vigiliam, quæ ſenectute attingit, Deus aduentum protrahit: quia nonniſi cana ſenectus potentes virtutem edocet. p.340.

Et ſi in tertia vigilia venerit. Cur non in quarta? Fortè, quia non profecturum agnouit: vel ob hoc ſolùm erubeſcere debet ſenectus, de non abſtinentia vitiorum. pag. 377.

IN FESTO SS. FABIANI, ET SEBASTIANI.

Lucæ 6.

M*Vltitudo copioſa plebis, &c. Vt ſanarentur*. Sanè infirma valetudo plebem ad Chriſti ſequelam induxit: nam quia homines ad Deum, vt ipſe vult, amore non accedunt, terroribus, minis ac ſupplicijs facit, vt teſipiſcant. p.47.

Vt ſanarentur à languoribus ſuis. Propter ſanitatem conſequendam Chriſtum ſequuntur, ipſique famulantur: nam omnes quibus indigent blandiuntur. p.196.

Beati pauperes. Non ſolùm paupertate, ſed maiorum rapacitate laborant ægeni: nam potentes, pauperes, & inualidos excoriant, & liguriunt. p.110.

Beati pauperes. Videlicèt, qui criminoſis iudicum accuſationibus ſubiacent: nam inualida paupertas, pœnæ obnoxia eſt: diues impune delinquit. p.439.

Beati pauperes. Scilicet, qui ab omnibus irridentur: nam diuitijs tantùm honores deferuntur. p.124.

Beati, qui nunc eſuritis. Vehemens acquirendæ virtutis deſiderium Chriſtus exigit: nam ægerrimè fert, vt ſegnitèr, & quaſi ex occaſione noſtræ ſaluti intendamus. p.138.

Beati eritis, cum vos oderint homines. Nempè, quia Deo obſequimini, ne illis placeatis, arguentes eorum iniquitatem: nam nulla maior impietas eſt, quam ob pietatem Dei Deum contemnere; ob impietatem hominum homines reuereri. p.57.

Cum vos oderint homines. Non quia illis nocumentum aliquod inferatis; ſed vt alijs placeant, vos odio proſequentur: etenim quorumdam filiorum diaboli, tanta eſt prauitas, vt non iam ſuos, ſed aliorum inimicos ob adulationem odio habeant. pag. 130.

Et cum ſeparauerint vos. Credo gratiam in ſeparatione ipſis conferti, ne ipſis commoueantur, & inficiantur: nam malorum ſocietas, vel ſanctos lædit. p.562.

Et exprobrauerint. Sanè hæc vltima, & maior perſecutionum eſt: nam nihil eſt tam ſenſibile ingenuis viris, quàm illudi. pag. 187.

Et eiecerint nomen veſtrum tanquam malum. Iudicum iniquitas in his omnibus perſecutionibus deſcribitur, qui poteſtate ad opprimendum abutuntur. p.44.

Gaudete in illa die, & exultate, quia merces veſtra copioſa eſt apud Deum. Mercedem proponit, vt virilitèr pugnent: quia præmia alunt virtutes. p.613.

Merces veſtra multa eſt in cœlo. Scilicet æterna, & beata vita: nam iuſti moriuntur, vt viuant; peccatores, vt moriantur. pag. 97.

Merces veſtra multa eſt in cœlo. Rectè labori ſuccedit requies: nam non fas eſt ante laborem quieſcere. p.611.

IN FESTO S. AGNETIS.

Matthæi 25.

E*Vangelium expenditur in Feſto Sanctæ Catharinæ*.

IN FESTO S. ILDEPHONSI.

Matthæi 5.

A *Di Feſtum Sancti Auguſtini.*

IN CONVERSIONE D. PAULI.

Matthæi 19.

E *Cce nos reliquimus omnia.* Bona diuitunt, quæ relinquere non tenebantur, vt ſecuriùs virtuti incumbant: nam non omnibus conceſſis expedit potiri, ne in prohibita dilabamur. p.116.

Ecce nos reliquimus omnia. Si bona, vel iuſtè poſſeſſa obſtant ad virtutem, quantùm furto comparata præpedient? Sanè non proſunt, ſed obſunt, quæ Deo derelicto peccatis acquiruntur. p.225.

Ecce nos reliquimus omnia. Non coacti bona proſequendo Magiſtro deſerunt, ſed ſpontaneè: quia quæ ſubditus pro obſequio Principis offert, non ſunt violenter extorquenda. p.211.

Ecce nos reliquimus omnia. Benè omnibus renunciant, qui pauperum collegio aſſociantur, vt priuata paupertas publicæ eſſet teſtimonium. Expedit namque quod Gubernatorum frugalitas publicam neceſſitatem clamitet. p.240.

Ecce nos reliquimus omnia. Vocantis auxilij ſuperna vis hic agnoſcitur: nam mundialium rerum abdicatio mirabile eſt Dei opus. pag. 585.

Ecce nos reliquimus omnia. Cœleſtia anhelans terrena contemnit, & pericula deſpicit. pag. 646.

Et ſecuti ſumus te. Ne Chriſto & mundo ſimul ſeruire videantur, omnibus, quæ poſſidebant, renuntiarunt: nam vtroque pede claudicat, qui ad neutram manum inclinat. p.487.

Quid ergo erit nobis? Non fruſtra pro derelictione bonorum præmia expetunt: nam quod pro Deo largimur, non minuitur, ſed cum ingenti, lucro recipimus, p.653.

Quid ergo erit nobis? Vt auidiùs in virtute proficiant, mercedem ambiunt: nam præmia alunt virtutes. p.613.

Sedebitis, & vos iudicantes. Non recenter conuerſos, ſed probatos multo tempore diſcipulos Iudices conſtituit: nam in æqua meritorum lance ad præfecturam cana ſapientia iuniori eſt præferenda. p.375.

Sedebitis & vos iudicantes. Iuſtè eos munerat, qui mundum ſubiugarunt doctrina: nam ijs, qui in expugnatione hoſtium fortitèr dimicarunt, præmia debet largiri Princeps. pag. 435.

Sedebitis, & vos iudicantes. Qui proprijs renunciauerant bonis, certè alienis non inſidiarentur: ideò meritò Iudices conſtituuntur: nam nihil in Iudicibus eſt auaritia turpiùs. p.244.

Sedebitis, & vos iudicantes. Magnum ſolarium, Iudices habere à bonorum cupiditate alienos: quandoquidèm apud humanos Iudices, nec gratis quis moritur. p.229.

Sedebitis, & vos iudicantes. Mira rerum commutatio, pauperes iudicandi honore, & munere fruuntur: cum apud humanos Principes honores diuitijs tantùm deferantur. pag. 124.

Sedebitis, & vos iudicantes. Iudicis munus quomodò exercendum habes. p.331.

Sedebitis, & vos iudicantes. Venturum ſæculum expectatur, vt præficiantur diſcipuli: nam ſapientes nonniſi poſt mortem honorantur. p.337.

Sedebitis, & vos iudicantes. Honore, & præmio allicit ad ſequelam: quia ingenui animi fauoribus, ſeruiles meliùs ſupplicijs reducuntur. p.333.

IN FESTO PVRIFICATIONIS BEATÆ MARIÆ.

Lucæ 2.

P *Oſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ.* In Conceptione, & Purificatione puritas, in partu virginitas periclitari videbantur: at ea eſt Mariæ excellentia, vt quoties eius puritas periclitari videtur, toties noua perfectione fulciatur. p.526.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Ad quid purificatur flos in conceptione, & in partu intemeratus. p.531.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Vt quid purificatur iam puerpera, in qua nec Baptiſmus quidem quid lauaret inuenit. pag. 516.& p.524.n.3.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Otiosè Purificationis legem adimplet, quæ natiuum habuit candorem. p.513.n.2.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Etſi legis obſeruantia nullam ipſi præſtare poſſet puritatem, adhuc Maria purificari ambit: quia virtus piè debet eſſe audax, & impoſſibilia tentare. p.410.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Quamuis Mariæ non vrgeret præceptum adhùc purificatur, vt ſicut in Conceptione, ità, & in vita nec leuem culpæ ſuſpitionem admitteret. p.516.

Secundum legem Moyſi. Etiam ſi immunis eſſet à lege, illam adimplet, quia vnica erat: nam lex non multiplex debet eſſe, vt obſeruetur. p.572.

Secundum legem Moyſi. An Maria more hominum, quibus quod licet ingratum eſt, præceptum ad quod non tenebatur adimplet? p.586.

Tulerunt Ieſum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domi-

Domino. In prima infantia ſiſtitut Chriſtus Deo Patri: quia anticipata virtutis opera fructus ſunt Deo gratiſſimi. p.620.
Vt ſiſterent eum Domino. Benè cum Maria ſiſtitur Chriſtus, vt pietatis officia erga homines auidiùs peragat: nam à Deipara pietatem Chriſtus hauſit, ad ipſiuſque nutum munera diſpenſat. p.533.
Vt ſiſterent eum Domino. Libet Mariæ placandi Deum formam ſumere: nam non minùs ſtolidi ſolent eſſe nonnulli in adhibendo placationis genere, quam impij in deſerendo Deo. p.266.
Vt ſiſterent eum Domino. Vnicus Mariæ Filius ſat eſt vniuerſum mundum inſtaurare dilapſum, ſicut vna ſola filia totam patris euertere domum. p.248.
Et vt darent hoſtiam. Vel Deus ipſe vectigalia templis ſoluit, non ab eis tributum extorquet: vt doceat Eccleſiam alienam eſſe à vectigalibus. p.270. Illa autem exigere excidium regni eſt. p.273.
Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Non ſuæ tantùm gentis, ſed vniuerſi remedium cupiebat ſenex: nam bonum publicum priuato eſt præferendum. p.112.

PRO SANCTO MATTHIA APOSTOLO.

Matthæi 11.

Qvia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Sanè humilitas ex Dominico teſtimonio oculatiſſima virtus eſt, & quæ ſuperbis abſconduntur, rimatur myſteria. p.351.
Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus. Tali cœleſtium rerum multantur ignorantia, qui de ſua ſapientia ſuperbiunt: nam cum cętera vitia citra condignum plectantur, ſuperbia ad extremum vſque punitur. p.179.
Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus. Superbis de ſe magna ſentientibus nutrimentum ſpiritualium reuelationum Deus ſubtrahit. pag. 351.n.2.
Et reuelaſti ea paruulis. Quid non aſſequetur humilitas, quæ recondita Dei myſteria penetrat? Etenim regia eſt, & potentiſſima virtus. p.80.
Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Tanti æſtimat Chriſtus Dominus hominum ſalutem, vt omnia ſibi reputet. p.621.
Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Benè laborantibus requiem pollicetur, non quieſcentibus: quia non fas eſt, antè laborem quieſcere. pag. 611.
Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Vide ſeruatoris lenitatem in admonendis hominibus: planè placida manſuetudo fortior perſuaſionis energia eſt. p.399.
Quia mitis ſum. Manſuetudine ſuos allicit, & ad amorem inducit: nam Principis crudelitas, & odium gignit, & regnum euertit. pag. 402.
Et inuenietis requiem animabus veſtris. Sola humilitas requiem affert; nam ambitioſus bonorum perditione multatur, & dum non poſſeſſa quærit poſſeſſa amittit. p.206.
Et inuenietis requiem animabus veſtris. Decoroſa quies comitatur humilitatē, ſicut ambitionem vile, & indecorum obſequium. p.474.
Iugum enim meum ſuaue eſt. Non ſolùm leuamen illam obſeruantibus affert Dei lex, ſed leuiſſima eſt reſpectiuè ad onus peccati; nam excuſſo Dei iugo, mille alia accipimus grauiora. p.264.
Iugum enim meum ſuaue eſt. Imò ſuauiſſimum, & vtiliſſimum: nam Dei ſeruitus compendium vitæ eſt, & gratiæ abortus. pag. 90.
Iugum enim meum ſuaue eſt. Scilicèt quia non multorum, ſed vniùs Domini famulatum admittit: Deus namque vnus eſt, vt faciliùs ſeruiatur: Trinus, vt abundantiùs beneſaciat. p.408.
Et onus meum leue. Non ſic peccati iugum: nam etſi æreum videatur, ponderoſius plumbo ſentitur. p.10.
Etſi Matthias eligatur, & excludatur Ioſeph: tamen Ioſeph honorifica verba detulit, & iuſtus conſultiſſimè nominatur: nam qui à prætenſo repulſam patitur, bona excludentis debet audire verba. p.371.
Non conqueritur Ioſeph de electione Matthiæ, quia dignus erat, & cum dignitas benemerito confertur, ab omnibus habetur. pag. 404.

IN FESTO S. THOMÆ AQVINATIS.

A Di feſtum S. Auguſtini.

PRO SANCTO IOANNE DEI.

Lucæ 12.

R Ecognoſce, quæ dicta ſunt in feſto S. Antonij Abbatis.

IN FESTO SANCTI IOSEPH DEIPARÆ SPONSI.

CVm eſſet deſponſata, Mater Ieſu Maria Ioſeph. De muliere maritata naſcitur Chriſtus, ne Mater adulterij eſſet ſuſpecta: quod vel à barbaris deteſtatum in barbariem degenerat. p.596.
Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu. Ne leuis dedecoris notam Chriſtus, & eius mater incurrerent, de nupta naſcitur muliere: quia nulla facilior, nullaque ſenſibilior iactura honoris eſt. p.289.
Cum eſſet deſponſata. Sedulò matris honori, & ſuo incumbit Chriſtus: nam bona fama præci-

præcipuè in ſuperioribus, acquirenda eſt, & conſeruanda, mala autem nimis fugienda. p.286.

Voluit occultè dimittere eam. Suam ſuſpicionem Mariæ non detegit Ioſeph, ne vtriuſque honor detetius periclitaretur: etenim diligenda eſt vxor; ſed illi graue negotium non pandendum. p.483.

Voluit occultere dimittere eam. Vxoris ſuſpectum crimen punire vult, ſed occultè, vt eam emendet, illiuſque honorem ſeruet innocuum: nam egregius modus reducendi ſubditos eſt, ferire delicta, non perſonam pag. 8.

Voluit occultè dimittere eam. Non machinatur contrà illins vitam, pro qua pudicitia certabat: nam caſtitas mortis eſt ſemper expers. p.591.

Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto. Admiratur Ioſeph vultus pudicitiam, ſed adhùc non ſedatur: quia olim ad cognoſcendas impudicas, prophetia opus erat; nunc ad continentes. p.589.

Voluit occultè dimittere eam. Ægrè ferebat Ioſeph, à Mariæ conſortio ſeparati, & grauius illi erat, neſciens tori commercia, illam pregnantem aſpicere; ideòque ſeparationem elegit, ac ſi illi eſſet commoda: quia maiora mala faciunt, vt minora pro bonis habeantur. p.599.

Voluit occultè dimittere eam. In detetiorem ſuſpicionis partem inclinare videbatur, & non benè de Mariæ pudicitia cogitate: quia commercium viri ac mulietis, etſi per iocum ſit, reus facti habetur. p.593.

Voluit occultè dimittere eam. Quam ardenter diligebat, & ſuſpectam habet, apud ſe habere recuſat, ne illius vitæ inſidiaretur amor: nam amore læſo nullus eſt infenſior hoſtis. p.53.

Hæc autem eo cogitante. A diuerſis cogitationibus agitatus, neſciens quid crederet vehementer angebatur: nam perplexitas grauis animi eſt cruciatus. p.142.

Hæc autem eo cogitante. Non videtur veriſimile ſiniſtrè de Maria Ioſeph cogitaſſe in re pudicitiæ, quam ipſe ſtudioſè colebat: quia vt quiſque eſt, ſic putat alios. p.64.

Hæc autem eo cogitante. Mente verſabat ſuſpicionem; ſed eam verbis non exprimebat, ne detrahere de vxoris pudore videretur: nam ignobilium proprium vitium eſt detractio. p.564.

Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, &c. Ioſeph non benè de Mariæ pudicitia cogitante, Angelus adeſt, illius puritatis vindex: nam quoties Mariæ puritas periclitari videtur, toties noua perfectione fulcitur. p.526.

Ecce Angelus Domini. Feſtinat Angelus, ne Ioſeph Mariam traducat, & illius priuetur conſortio, atque lucro: nam Sanctorum ſocietas nunquam eſt non vtilis. p.102.

Ecce Angelus Domini. Illuſtre Marianæ puritatis Angelus exhibuit teſtimonium, vbi de illius pudore hæſitabat ſponſus. Plerumque calumnijs nobilitatur læſus homo. pag. 105.

Ecce Angelus Domini. Non ſe excuſat à crimine, ſed Dei Angelus eius Apologiam ſuſcipit: Sanè, qui ſilet ad iniurias Deum habet defenſorem. p.325.

IN FESTO ANNVNCIATIONIS BEATÆ MARIÆ.

Lucæ 1.

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo. Adeò Deus ſuum in carne aduentum diſtulit, vt magis ab hominibus haberetur in pretio. p.362.

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad Virginem. Opportunè conceptura Virgo moratur in Nazareth, quæ interpretatur flos: nam Maria flos fuit, & in Conceptione, & in partu intemeratus. p.531.

Veluti apes ad flores verbum ad Mariam acceſſit. ibid.

A ſeipſo Chriſtus Paradiſum Mariæ cuſtodiuit. ibid.

Sicut flos odorem ſpirans, integritatem non amittit: ſic Maria Verbum concipiens, & pariens. ibid.

Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena. Copulam ab oratione ſalutans Mariam Angelus abſtulit, vt nullam in conceptione Verbi copulam interuenturam innueret. ibid.

Et ingreſſus Angelus ad eam, &c. In ſecretiori, & penetrali domo habitabat Virgo Sanctiſſima: quia nihil eſt gratius dulciuſuè nobili Matronæ quam in domo Sponſi ſui permanere. p.548.

Et ingreſſus Angelus ad eam, &c. Sacrum Mariæ cubile ingreditur Angelus, ad quod nullus inimico patuit acceſſus: quia flos fuit ſeptus, ab inimica manu nunquam temeratus. p.513.& 531.

Aue gratia plena. Vbi de ſua virginitate angitur Maria, plena gratia ab Angelo perhibetur: nam quoties eius puritas periclitari videtur, toties noua perfectione fulcitur. pag. 526.

Et turbata eſt in ſermone eius. Vel in colloquio Angeli ſpeciem hominis referentis, turbatur Maria: quia commercium viri, ac mulieris, etſi per iocum ſit, reus facti habetur. pag. 593.

Et turbata eſt in ſermone eius. Timet vbi impoſſibile erat pudicitiæ periculum: quia vel impoſſibile cauendum eſt. p.630.

Turbata eſt in ſermone eius. Quæ pudorem amittere timebat, meritò Dei mater eligi-

Digitized by Google

tur: nam etſi quandoque naufraget plerumque Dei timor portum feliciter attingit. p.370.

Inueniſti enim gratiam apud Deum. Videlicet illam, quam primus Parens deceptus perdiderat. p.505.n.2.

Hic erit Magnus. Virtute, quam à matris hæreditauit nobilitate: nam auguſtior virtus à nobilitate eſt. p.433.

Hic erit magnus. Scilicet natura, & miſericordiæ titulo, quam à matre hæreditauit. pag. 533.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Mirabile Incarnationis Sacramentum Mariæ humilitate conficitur. Planè humilitatis regia eſt, & potentiſſima virtus. p.80.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Vbi humilem ſe præbuit myſterium percaluit, & ſedatur; quia humilitas oculatiſſima eſt, & quæ ſuperbis abſconduntur, rimatur myſteria. p.351.

Ecce ancilla Domini. Statim ac obedientiam præſtitit, Verbum concepit: ſit caro ſpiritui ſubiecta, vt perfectos fætus producat. pag. 335.

IN FESTO SS. PARENTIS N. FRANCISCI DE PAVLA.

Lucæ 12.

NOlite timere puſillus grex. Opportunè à puſillis depellitur pauor: quia grandis poteſtas timere debet: humilis à timore eſt ſecurus. p.570.

Nolite timere puſillus grex. Ne nimio timore præpediantur, ſpe cæleſtis gloriæ fulciuntur: nam neque nimio timore, neque ſpe nimia ad cœlum itur. p.563.

Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare nobis regnum. Timore oppreſſi promiſſione ſupernæ patriæ eriguntur: nam ſpes gloriæ mærorem fugat animumque tranquillat. p.411.

Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Iure timentibus regnum promittitur: nam etſi quandoque naufraget; plerumque Dei timor portum feliciter attingit. p.370.

Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Quaſi formidabilis eſſet glorioſa merces, ad illam deferendam roborantur: quia magnarum eſt virium fœlicitatis oneri non ſuccumbere. pag. 181.

Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Non ambientes, & puſilli eleuantur ad regnum; vndè ſoliciti, & ambitioſi eijciuntur: nam negotioſa honoris ambitio ipſa ſolicitudine inhonoratur, ſublimitate ipſa decreſcit. p.297.

Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Magna regnandi poteſtate muneràntur humiles: quia humilitas regia eſt, & potentiſſima virtus. pag. 80.

Quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Mortificationibus attritis meritò cœleſte reguum promittitur: nam cœleſtis vrbs Ieruſalem arx eſt mortificationibus munita, & pœnitentium patria. p.655.

Quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Vbi arcana quæque penetrabunt ſacramenta: nam humilitas oculatiſſima eſt virtus, & quæ ſuperbis abſconduntur, rimatur myſteria. p.351.

Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Parum hoc: nam ſic charitas vrget ad proximis ſubueniendum, vt cum facultates deſunt, ad miraculum recurrere compellat. pag. 386.

Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Non ſolùm vt egenis accurrant, ſed vt tutiùs propriæ ſaluti incumbant, omnibus renunciare iubentur; delitias namque opeſque Deus ſubmouet, vt obſtinatam in peccando licentiam coerceat. p.478.

Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Præuia regni promiſſione difficillimè bonorum renunciationi ſuos diſponit: enimuerò mundialium rerum abdicatio mirabile eſt Dei opus. p.585.

Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Vt iucundiùs beatitudine fruantur, omnia in pauperes erogare præcipit: nam hoſpitalitas Dei virtus eſt, & beatitudinis complementum. p.654.

Facite vobis ſacculos. Ad quid ſacculi his, quibus iniungitur, omnia pauperibus donare? ſanè vt ea ipſa cum incremento recipiant: nam quod pro Deo largimur, non minuitur; ſed cum ingenti lucro recipimus. p.652.

Nolite timere puſillus grex. Aptè Sanctiſſimo Parenti Franciſco de Paula, & eius familiæ adaptatur gregis epitectum, qui ex herbis victitat, quia regalis fuit Aquila carnes haud veſcens. p.75.

Primæuam Abelis ſanctitatē reſculpſit. ibi.n.3.

Modico herbarum victu ſanctitatis characterem exarauit. ibi.n.4.

Nobilitatem regiam acquiſiuit. ibi.n.5.

Innocentiæ ſtatum inſtaurauit, & ad conſortium Deitatis aſcendit. ibi.

Angelicam reuerberauit puritatē. ibi.n.7.& 8.

Vel vmbram carnalis cibi à ſuis relegare ſtuduit. ibi.n.9.

Cœleſtem vitam ſuis ſibique delegit. ibi.n.8.

Quia à puncto minimo ad extremum humilitatis peruenit, magnitudinis maximum attigit extremum. p.86.

Profunda humilitate, & mirifica ciborum abſtinentia, miraculorum patrator factus eſt maximus. p.80.n.3.

Eu-

Elenchius ad Sacras Conciones.

Euchariſtiæ pabulo tantùm per quadraginta dies fuit enutritus. p.455.n.1.

IN FESTO APOSTOLORVM PHILIPPI, ET IACOBI.

Ioann. 14.

Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Mærorem à ſuorum cordibus Chriſtus expellere procurat, ne retardentur ad cœleſtia: nam ſæpè magna tribulatio facit, ne homines ità facilè vacet Dei laudibus.p.19.

Non turbetur cor veſtrum. Corda nimio timore deiecta ſpe cœleſtis patriæ corroborat: nam neque ſpe nimia ad cœlum itur.p.563.

Creditis in Deum, & in me credite. In fide,quam acceperant, ſuos perſeuerare ſatagit, ne noua dogmata accipiant: nam noua quælibet in fide fugienda ſunt. p.49.

Creditis in Deum, & in me credite. Quia eorum fides Dei teſtimonio nitebatur, omnis falſitatis ſuſpitio erat releganda; non ſic in humana fide,quæ ex auditu incerta eſt, ex munerum acceptione mendax. p.373.

In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Ideſt diuerſi mercedes gradus meritorum inęqualitati correſpondentes, vt rectus in remunerarione ſeruetur ordo: quia æqualitas præmij excidium ſolet eſſe Reipublicæ. p.541.

In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Cęleſtis gloriæ promiſſione animos præ triſtitia languentes exhilarat: nam ſpes gloriæ mærorem fugat,animumque tranquillat.p.411.

Quia vado parare vobis locum. Impensè curat Chriſtus mercedem pro ipſo laborantibus conferendam: nam ijs, qui pro gloria Principis incommoda patiuntur, præmia debet largiri. p.435.

Quia ego vado parare vobis locum. Non ſponrè ſe abſentat, ſed vt ſuis manſiones præparet: nam Chriſtus Dominus pluſquam mortem ſuos relinquere, ægrè tulit. p.492.

Iterum venio. Neque in ipſa beatitudine Chriſtus quieſcit, vt ſuis accurrat: ſanè ſuperiorum munus eſt dura ſeruitus. p.485.

*Iterum venio.*Nondum abijt,& iterū venit irrequieta ſolicitudine: etenim Prælatus nullus eſt ad quietem multiplex ad laborem.p.501.

Si cognouiſſetis me, & Patrem meum vtique cognouiſſetis. Cum de mercede agit, Patrem detegit: nam Deus vnus eſt, vt faciliùs ſeruiatur; Trinus, vt abundantiùs benefaciat. pag. 408.

Dicit ei Philippus:Domine oſtende nobis Patrem. Planè deſipit Philippus, dum Deum oculis corporeis intueri ſatagit; at feruentioris charitatis, & animoſæ fidei illa petitio erat argumentum, vel in erratis virtutis ſigna præſeferunt ſancti. p.347.

*Alioquin propter opera ipſa credite.*In re ſupernaturali viget ratio: nam in naturalibus non perſona iudicatur ex operibus; ſed ex perſona opera cenſentur. p.384.

IN FESTO INVENTIONIS SANCTÆ CRVCIS.

*Ioann.*3.

Sanctiſſimæ Crucis laudes, & elogia ubertim habes. p.417.vſque ad 422.

IN NATIVITATE S.IO: BAPTISTÆ.

Lucæ 1.

Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. Vnius filij ortu tota felicitatur domus, ſicut vnius filiæ tota ſolet euerti. p.248.

Quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa. Gaudet Deus agnoſci, beneficia conferens: quippè qui, cum ſupplicia inſert, quodammodò naturam mutare videtur. p.426.

Et congratulabantur ei. Mirùm, quod cognati concordent in lætitia: nam plerumq; fraternitas diſcordiarum eſt ſeminarium. p.286.

Et congratulabantur ei. Hoc etiam Ioannis Natiuitas habuit admirabile, quod de parentum felicitate lætentur vicini: quandoquidèm præ inuidia plus alienis bonis, quam proprijs malis cruciantur homines. p.202.

Et vocabat eum nomine patris ſui Zachariam. Quamuis excelſum ſit nomen Ioannis: tamen patris nomen propheria erat ſanctitatis filij, quam à parentis nobilitate hęreditabat: quia auguſtior virtus à nobilitate eſt. p.433.

Et reſpondens mater eius dixit: nequaquam, ſed vocabitur Ioannes. Multùm profuit matris renitentia in nominis impoſitione: at raro idem continget: nam maternus amor nociuus ſolet eſſe filijs. p.499.n.3.

Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes. Non parùm audet mater, dum nomina, quæ ad fidem circumciſionis ſpectabant, innouat: nam noua in fide fugienda ſunt. p.49.

Innuebant patri eius, quem vellet vocari eum. Rectè patri, cui incumbebat, totum negotium committitur: nam vnuſquiſque de ſuo munere agere debet. p.140.

Quem vellet vocari eum. Patri, vt par erat, nominis impoſitio relinquitur: quia ſuperior, quæ ad ipſum ſpectant, per ipſum exequi debet. p.424.

Apertum eſt illicò os eius. Quod ſcilicet fuerat clauſum propter incredulitatem erga filij promiſſionem, quia in Sara, quæ ſimilirer de Diuina promiſſione diffidit, non fuit edoctus: Infelix ſanè eſt, qui alieno malo non docetur. p.58.

Et poſtulans pugillarem ſcripſit. De antiquis ſcribendi materijs. Vide p.148.

Diuulgabantur omnia verba hæc. Mirùm, quod inrer agreſtes homines, & montium incolas, quæ ad excellentiam Ioannis ſpectabant, diuulgantur: nam ignobilium propria ſoler eſſe non laus;ſed detractio.p.564.

Et ſuper omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc. Zachariæ verba, quæ glo-

ria, & Ioannis gratiam extollebant, fideliter ad montium habitatores fama detulit: alitèr inter aulicos ſolet accidere, vbi fama pluſquam dimidium laudibus detrahit, vt vituperijs adaugeat. p.287.

Quis putas puer iſte erit? A pueri exiguitate magnitudinem auguratur; quia humilitas regia eſt, & potentiſſima virtus. p.80.

Etenim manus Domini erat cum illo. Adhuc puer, ſed gratia excelſus, & virtute præclarus Ioãnes à Deo diligitur: quia anticipata virtutũ opera fructus ſunt Deo gratiſſimi. p.620.

Et Zacharias repletus eſt Spiritus Sancto, & prophetauit. Cum vocis reſtitutione prophetiæ donum accepit, quo anteà carebat: quia Deus non ſolùm ablata reſtituit, ſed inſpirata concedit. p.382.n.5.

Et prophetauit. Mirùm, quod prophetet, qui pater erat, & familiæ caput: nam prophetia cũ gubernationis munere nõ cohæret. p.9.n.12.

IN FESTO SS. PETRI, ET PAVLI,

Matthæi 16.

QVem dicunt homines eſſe filium hominis? Sedulò incumbit Chriſtus, vt ſciat, quæ de ipſo feratur opinio: nam bona fama in ſuperioribus diligentiſſimè adipiſcenda eſt, & conſeruanda. p.286.

Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Hominum iudicio ſe Deus ſubijcit, vt apud ipſos ſua iuſtificetur cauſa. p.158.

Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Diſcipulos ſuos ſapientiæ proceres ſuper grauiſſimum negotium conſulit ſupremus Princeps; non ſic humani, apud quos exoſa ſapientia eſt. p.27.

Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Etſi præclara opera efficeret, adhuc dubitat, quæ de ipſo circumferatur opinio: nam homines non ex operibus perſonam, ſed ex perſona opera iudicant. p.384.

Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Quamuis irreprehenſibilis eſſet, curat vel falſos vitare rumores: quia nulla facilior, nullaque ſenſibilior iactura honoris eſt. p.289.

Vos autem quem me eſſe dicitis? Audierat Chriſtus hominum errores, & inueſtigare ambit, an diſcipuli etiam errarent, cauens eorum lapſum: quia dolẽdum maximè eſt de ſacerdotum caſibus, nam eo periculoſiores ſunt, quo dignitas eorum eſt præſtantior. p.350.

Reſpondens autem Simon Petrus dixit. Multum audet Petrus in re naturalem captum excedente, reſponſum præbens: verum homo in re virtutis piè debet eſſe audax, & impoſſibilia tentare. p.410.

Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Quamuis ſupernaturali eſſet ſuffultus auxilio, etiã naturali erga Magiſtrum affectui innitebatur, vt veridica confeſſione, eius Diuinitatẽ propalaret: nam vel ignorans Superior veritatem inueniet, ſi recto animo illam ſcrutetur. p.316.

Beatus es Simon Bariona, &c. Spiritus Sancti, & Ioannis filium hoc nomẽ ſonat, vt dignitati filiationis Spiritus Sancti humilitatem Patris naturalis Petrus haberet adiunctam: nam perfecti viri ea eſt conditio, vt quot gradibus fauote aſcendit, tot propria abiectione deſcendat. p.609.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Cur non Ioannem dilectum ad dignitatẽ euchit? Sanè quia iunior erat Petro, & meritis non anteibat: in æqua autem meritorum lance cana ſapientia iuniori eſt præferenda. p.375.

Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Neq; triſtantur, neq; conqueruntur cæteri diſcipuli de Petri ad Pontificatum aſſumptione, quaſi omnes eſſent rẽmunerati, quia dignus erat: dignitas autem, quę confertur benemerito, ab omnibus habetur. p.404.

Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Meritò fidem impauidè cõfitenti fidei committitur tutela, & Pontificatus apex: nã munera cum diſcretione ſunt cõferenda. p.566.

Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Mirùm, quod de Petri prærogatiua non triſtentur Apoſtoli: quandoquidèm res ſummi doloris eſt, æquales feliciores cõtueri. p.617.

Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Ad perpetuitatem Eccleſiæ hæc ſpectat prophetia: etenim eius fortitudo ſemper erit inuicta, eo quod Chriſto vnico eius ſponſo innitatur. p.547.

Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Benemeritum, etſi diſcipulum merito ad ſupremam dignitatem aſſumpſit: vt oſtenderet, decere Principes, & Præſules ſuis priùs benefacere, quam exteris. p.17.

Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Iuſtè muneratur in confeſſione Diuinitatis, qui vel in erratis virtutis ſigna præbuit. pag. 347.

Et tibi dabo claues regni cælorum. Cœli, homo, non Angelus Clauicularius conſtituitur, vt benignum ſe præbeat pœnitentibus. p.158. num.2.

Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, &c. Ampliſſimam poteſtatem ſuo Vicario Chriſtus pollicetur, quam quicumque Præſules ſuis ſucceſſoribus relinquere tenentur, vt debitè munera exerceant. pag. 217.n.2.& ſequen.

IN FESTO VISITATIONIS B. MARIÆ,

Lucæ 1.

EXurgens Maria. Benè exurgens deſcribitur, quæ ſuperna vi eleuata pondere originalis culpæ non ſuccubuit. p.524.

Exurgens Maria. Scilicet vt domum Eliſabeth felicitaret: ſemper namque Maria exurgit, vt noſtras neceſſitates proſpiciat. p.539.

Abijt in montana cum feſtinatione. Feſtinat Maria munus ſuum adimplere: quia egerrimè fert

fert Deus, vt ſegniter noſtræ ſaluti intendamus. p.138.
Abijt in montana cum feſtinatione. Feſtinat in via, ne retrocedere videatur: nam ſumma inſelicitas eſt à virtutis tramite recedere. pag. 551.
Et intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Domi Mariam expectat Eliſabeth, quia maritata erat: & nihil eſt dulciùs gratiùſue nobili Matronæ, quam in domo ſponſi ſui permanere. p.548.
Et ſalutauit Eliſabeth. Maria Deo grauida priùs viſitat, & ſalutat Eliſabeth: quia vrbanitas illuſtriùs dignitatis ſtemma eſt. p.400.
Exultauit infans in vtero eius. Quaſi à vinculis originalis culpæ ſolueretur, in Mariæ conſpectu exultat Ioannes: etenim venenoſus ſerpens à Mariæ præſentia profligatus recedit. p.520.
Exultauit infans in vtero eius. Vbi Ioannes ad Mariæ præſentiam ſiſtitur, nondum natus miſericordiæ ſenſit Authorem: quia à Mariç viſceribus pietatem Chriſtus hauſit. p.533.
Exultauit infans in vtero eius. Accepta gratia, quæ ſemen eſt gloriæ, exultat Ioannes: quia ſpes gloriæ mœrorem fugat, animumque tranquillat. p.411.
Exultauit infans. Pudeat ſenectutem à vitijs non abſtinere, quæ hanc infantiam viderit ſanctitate exultantem. p.577.
Exultauit infans. Exultat Ioannes, quaſi in Maria matrem agnoſceret ſpiritualia alimenta præbentem, quo onere præexcelſum occupat locum. p.540.n.3.
Et repleta eſt Spiritu Sancto. Quia Maria gratia erat plena gratia replet Eliſabeth: nam ſanctorũ ſocietas nũquam eſt non vtilis. p.102.
Et benedictus fructus ventris tui. Planè cognouit, & confitetur Eliſabeth originalem Mariæ puritatem, ventrem eius dillaudans. pag. 517.n.3.
Et benedictus fructus ventris tui. Non ſolùm ventris, ſed ſpiritus Mariæ fructus vbertiſſimus fuit, & benedictus, quia corpus menti ſubiecit: ſit caro ſpiritui ſubiecta, vt perfectos fœtus producat. p.335.
Magna Eliſabeth felicitas, quę Mariam ſuſcepit hoſpitio: nam hoſpitalitas Dei virtus eſt, & beatitudinis complementum. p.654.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Adi Feria 5. à Dominica in Paſſione.

IN FESTO SANCTI IACOBI APOSTOLI.

Matthæi 20.

Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedęi adorans & petens. Mirare, quod non adoret quæ petitura accedebat: nam omes, quibus indigent blandiuntur. p.197.
Adorans & petens. Chriſtum adorat, non propter ſuam excellentiam, ſed quia filijs primum locum ambibat, & nihil non vile agit ambitio. p.474.
Dic, vt ſedeant hi duo filij mei. At hoc aſcendere ambitionis artificio, cadere eſt: Sanè ambitioſus quo magis ſcandere conatur, magis deſcendit. p.177.
Dic, vt ſedeant hi duo filij mei. Non bene audit indignitatem ambientibus otioſa ſeſſio: nam Prælatus nullus debet eſſe ad quietem; multiplex ad laborem. p.501.
Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & vnus ad ſiniſtram. Præſtaret vtriuſque ſedem ad dexteram, quæ locus eſt electorum petere, vt fida hæc mulier videretur: nam vtroque pede in amicitia claudicat, qui ad neutram manum inclinat. p.487.
Vnus ad dexteram, & vnus ad ſiniſtram. Miraberis quod mater non vtrumque ad dexteram collocari ſatagit, ne vnus alium feliciorem videat: nam res ſummi doloris eſt, æquales feliciores contueri. p.627.
Neſcitis quid petatis. Stultitię nęno dehoneſtãtur diſcipuli, primas ſedes ambiẽtes: quia negotioſa honoris ambitio ipſa ſolicitudine inhonoratur, ſublimitate ipſa decreſcit. p.297.
Neſcitis quid petatis. Quamuis meritò hic reprehendantur diſcipuli; tamẽ imperãdi deſideriũ non ſemper eſt reprehenſibile. p.198.
Neſcitis quid petatis. Confuſione & pudore, qui ingenuis viris grauius tormentum eſt multantur, p.239.
Quia cum cætera vitia extra condignum corripiantur ambitio ad extremum vſque punitur. p.179.
Neſcitis quid petatis. Stultitiæ arguuntur, & quia apud diuinum Principem res agebatur, à dignitate arcentur; aliter apud humanos Principes, apud quos ſapientia caret præmio, ſtultitiæ nunquam deeſt. p.27.
Neſcitis quid petatis. Mater petebat, & tamen acerba reſponſio non ipſi dirigitur: quia qui à prætenſo repulſam patitur, non fas eſt, vt verba ſeueriora audiat. p.371.
Poteſtis bibere calicem? Superuacanea hæc interrogatio videtur: nam qui repulſus à dignitate ſubſiſtit, faciliùs mortem ſubibit: quandoquidem honoris priuatio, ambitioſo mortis quoddam, imo, & gehennæ genus eſt. p.310.
Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Sanè impoſſibile erat, quod purus homo eandem ac Chriſtus mortem ſubiret; & tamen diſcipuli audacter poſſe reſpondent: quia in re virtutis piè homo debet eſſe audax, & impoſſibilia tentare. p.410.
Non eſt meum dare vobis. Suæ potentiæ Chriſtus detrahit, ne amori deficere videretur quia amor Dei erga creaturas occaſum neſcit, & finem ignorat. p.366.
Sed quibus paratum eſt à Patre meo. Non leue ambientibus hoc fuit ſolatium, ſcilicet ſedes dandas, illas merentibus: nam dignitas, quæ confertur digno, ab omnibus habetur. p.404.

Sed

Sed quibus paratum eſt à Patre meo. Id eſt ijs, quorum merita ſedes exigunt, quibuſque honorem adducent: nam dignitas abſque meritorum ornamento non honorem, ſed pudorem affert, p.330.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. MARIÆ.

Lucæ 10.

I*Ntrauit Ieſus in quoddam caſtellum*. Maria caſtellum, & arx fuit pugnaciſſima, à qua arcentur inimici. p.521.n.2.

Et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam. Aptè, dum de gloria Mariæ agitur, hoſpitans Chriſtum, Martha introducitur: quia Hoſpitalitas Dei virtus eſt, & beatitudinis complementum. p.654.

Excepit illum in domum ſuam. Domum fraternali amore, & amico fœdere tranquillam Chriſtus ingreditur, qui ab animis diſcordibus procul exulat. p.30.

Huic erat ſoror nomine Maria. Soror quidem natura, non originali gratia: nam in originali iuſtitia ſolus Chriſtus Mariæ fuit frater. p.508.n.5.

Quæ etiam ſedens ſecùs pedes Domini. Benè, vbi de corona gloriæ Mariæ introducitur ſermo ſecùs pedes filij corona redimitos ſedet vt, & ipſa pedibus coronetur, quæ in verſo toto naturæ ordine à conceptione coronatis pedibus inceſſit. p.514.

Quæ de ſorore ſua conqueſta. Non mirùm, quod Martha de Mariæ felicitate conqueratur: nam res ſummi doloris eſt æquales feliciores contueri. p.627.

Dic ergo illi, vt me adiuuet. Non indiget Maria præcepto, vt nobis accurrat, quippè quæ vt neceſſitates noſtras proſpiceret, in cælum erigitur. 539. Vberiori auxilio è cœlo terram fouet. ibid. Cū onere filijs alimēta præbendi, præexcelſum occupat locum. ibid.

Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima. Quia domi regimini intendebat, geminato nomine compellatur *Martha, Martha*, quaſi duplex eſſet ad gubernium perſona: nam ſuperior nullus debet eſſe ad quietem, multiplex ad laborem. p.501.

Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima. Domeſticis curis implicata, contemplationi haud vacare poterat: nam difficulter Deo attendunt, qui humanis rebus adhæreſcunt. p.37.

Maria optimam partem elegit. Elegit: an electa fuit ad optimam partem? Nam vt Anthipelagiæ legem adimpleret Chriſtus, maternum corpus in cœlum aduexit. p.536.

Maria optimam partem elegit. Et ſibi & nobis optimam partem elegit Maria, nam ab illa pietatem Chriſtus hauſit, ad illiuſque nutum munera diſpenſat. p.533.

Maria optimam partem elegit. Scilicet, quia maternitatis titulo in cælo maiorē gloriam, & in terris Euchariſticum cibum iure promeruit. p.530.

Maria optimam partem elegit. Ideſt gloriam, quam pœnitentia fuit nacta: nam cœleſtis Vrbs Ieruſalem arx eſt mortificationibus munita, & pœnitentium patria. p.655.

IN FESTO S.BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Lucæ 6.

E*Xijt Ieſus in montem orare*. Benè oraturus montem aſcendit: nam cæleſtia anhelans, terrena contē[illegible]it, & pericula deſpicit. p.646.

Exijt Ieſus in montem orare. Solitariæ vitæ in ſeceſſu degentium elogia traduntur. p.643.

Et erat pernoctans in oratione Dei. Victoriam de inimicis feliciter reportat oratio. p.649.

Et erat pernoctans in oratione Dei. Non curſim, ſed aſſiduè vacat orationi: quia anima, vt fructum afferat, ſemper eſt colenda. p.647.

Et erat pernoctans in oratione Dei. In monte, vbi nulla erat perturbatio, iugiter orationi incumbit: quia ad dona ſupernaturalia accipienda, quies animæ neceſſaria eſt. p.336.

Et vocauit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim. Quaſi longè abeſſent Diſcipuli ad dignitatem vocantur: quo eorum merita commendantur: nam qui amicitiæ larua ſe nimis ſuperiorum lateribus inſerunt, infidelitatis ſuſpicionem incurrunt. p.284.

Et vocauit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim. Meritò honorantur illi, quos vocare neceſſè fuit: ſicut de dignitate ſolliciti repelluntur: nam negotioſa honoris ambitio ipſa ſollicitudine inhonoratur, ſublimitate ipſa decreſcit. p.297.

Et vocauit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis. Ad Apoſtolatus dignitatem ex ſuis elegit, quia benemeriti erant, decetq; Principes, & Præſules ſuis priùs benefacere, quam exteris. p.17.

Et elegit duodecim ex eis. Quos expertos habebat in virtute præſtantes elegit: nam bonus Principes pios; malus autem impios eligit miniſtros. p.579.

Et elegit duodecim ex ipſis. Meritis excellentiores, & virtute præclatos viros elegit: nam res maximi doloris eſt, quod dignioribus depreſſis, indigni ad dignitatem ſubleuentur. p.23.

Simonem, quem cognominauit Petrum. Antè omnes Diſcipulos ſemper recenſetur Petrus; quia ſanctitas non renuntiauit vrbanitati, & comitas ſuperioris illuſtrius ſtemma eſt. p.400.

Et Iudam Iſcariotē, qui fuit prodior. Cur eligitur qui futurus era proditor? Sanè quando eligitur, nondum erat præuaricatus, & dignitas illi, qui meretur, etiamſi inimicus futurus ſit, conferenda eſt. p.488.

IN FESTO S.AVGVSTINI.

Matthæi 5.

V*Os eſtis ſal terræ*. Quo ſale debeat condiri Verbum Dei vbertim habes. à p.150. vſque ad p.158.

Vos

Vos eſtis ſal terræ. Non ſolùm debet mulcere fauoribus Præſul, ſed tanquam ſal aſperitate corripere; nam impunitas vitia fouet: ſupplicium auertit. p.433.

Vos eſtis ſal terræ. Sal, etſi mordeat, non corrumpit, ſed præſeruat. Porrò Prælatus vitia ſubditorum ferire debet, non perſonam. p.8.

Vos eſtis ſal terræ. Ne, ſicut ſal ſenſum carpit, Prælatus nimia vtatur ſeueritate: nam ſæpè placida menſuetudo fortior perſuaſionis energia eſt. p.399.

Vos eſtis ſal terræ. Sicut ſali tribuitur, quod caro ſibi adiuncta corrumpatur; ſic ſubditorum ſcelera ſuperioribus imputantur. p.442.

Vos eſtis ſal terræ. Vt alteri proficiat, & inſeruiat, ſal liqueſit: quia ſuperiorum munus dura eſt ſeruitus. p.485.

Vos eſtis ſal terræ. Cum proprio diſpendio ſal alijs proficit. Etenim Principis nomine indignus eſt, qui vel cum ſuo periculo ſuos ab iniurijs non tutatur. p.219. Vndè regni Tutores ob nulla commoda propria debent ipſum non ſeruare innocuum. p.200.

Vos eſtis ſal terræ. Sal, niſi deſinat eſſe, non proficit: quia Sapientes, qui Rempublicam tuentur proindeque in vita exaltandi ſunt, non niſi poſt mortem honorantur. p.337.

Quod ſi ſal euanuerit, ad nihilum valet vltra. Lethaliter regnum nutat ad ruinam, quandocumque capitum conſilia non proficiunt & corrumpuntur. p.256.

Ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras. Ideſt, vt deponatur à dignitate, quod mortis quoddam, imò & inferni genus eſt p.510.

Vos eſtis lux mundi. Videlicet ſapientiæ luce exornati, cui aduerſantur inimicæ tenebræ: quia frequenter ſapientia caret præmio: ſtultitiæ nunquam deeſt. p.27.

Vos eſti lux mundi. Rectè luci, quæ reliquas creaturas in eatū creatione anteiuit, Prælatus conferturnam in æqua meritorum lance caua ſapeintia iniuniori eſt præferenda. pag. 375.

Vos eſtis lux mundi. Lux beſtias relegat, aues garrire facit: ſic bonus Præſul pios iuxta ſe habet miniſtros, impios longè abigit. pag. 579.

Vos eſtis lux mundi. Lux quidem ad intellectum pertinet, vt ſciat ſuperior merita trutinare, & vniuſcuiuſque genij habita ratione munera impertiri. p.566.

Vos eſtis lux mundi. Lux nullum non fouet, & illuſtrat locum: quia dignitas in luce deſcripta, cui meretur, etiamſi inimicus ſit, conferenda eſt. p.488.

Vos eſtis lux mundi. Facillimè à tenebris lux extinguitur: ſic præclaræ virtutes infortunatæ ſunt & moribundæ. p.83.

Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Ciuitas, in qua præfectura deſcribitur, commune eſt omnium habitaculum: quia dignitas quæ confertur digno, ab omnibus poſſidetur. p.404.

Non poteſt ciuitas abſcondi. Opportunè dignitas integræ ciuitati confertur, vt ſciat Præſul bonum publicum communitatis priuato eſſe præferendum. p.112.

Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Ideſt, ſupra merita fundata, vt ſubſiſtat: nam magnitudo ſinè proprijs meritis facilè eſt ruitura. p.93.

IN FESTO NATIVITATIS B.MARIÆ VIRGINIS.

Matthæi 1.

Liber generationis Ieſu Criſti. In Mariæ Natiuitate Liber Generationis Chriſti legitur: vt vtriuſque Generationis idem feratur iudicium aſtronomicum: nam vterque ſub aſtrorum gratiæ benigno aſpectu concipitur & naſcitur, ne culpæ influxus matrem aut filium reſpiciat. p.506.

Liber generationis Ieſu Chriſti. Quamuis ſuperfluum videretur nobilem Chriſti proſapiam referre, quia nota omnibus erat: tamen quia aliquando Chriſtus dictus fuit Samaritanus, neceſsè fuit hanc notam depellere: nam nulla facilior, nullaque ſenſibilior iactura honoris eſt. p.289.

Filij Dauid, filij Abraham. Anteit Dauid Abraham in narrationis ſerie, quia à tyrannide Philiſthæi populum liberauit, antequam illum deuinceret. p.525.n.3.

Filij Dauid, filij Abraham. Proauorum Chriſti recenſetur nobilitas, vt eius virtus magis exaltetur: quia illuſtrior virtus à nobilitate eſt. p.433.

Phares, & Zaram de Thamar. Beneficium Redemptionis à perditiſſimis, ſuæ proſapiæ fœminis, qualis erat Thamar, inchoauit: quia decet Principes, & Præſules ſuis priùs benefacere, quam exteris. p.17.

Booz autem genuit Obed ex Ruth. Ruthæ, Thamaris, Berſabeæ, & aliorum parentum impietate, & ſqualore non deuenuſtatur Chriſti nobilitas, imò illuſtratur eius clementia: quia dum magis in Deum inſurgit hominum malitia, magis ad miſerendum Deus exurgit: p.368.

Ex ea, quæ fuit Vriæ. Fortè cauet Euangeliſta fœminam nominare impudicam: vide, quam ſit periculoſum viri, ac mulieris commercium. p.593.

Salathiel autem genuit Zorobabel. At in Ieremia dicitur. Salathiel fuiſſe ſterilem: fortè quia eius filij à regno fuerunt depoſiti, honoriſque priuatio mortis quoddam & gehennæ genus eſt. p.310.

Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ. Poſt tot gratiæ mortes relatas, & languidas virtute, Mariæ recenſetur gratia: quia cæteris Adæ filijs areſcentibus, illa ſemper virebat. p.513.n.1.

Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ. Non narratur naturalis Mariæ propago: quia om-

Beatus venter qui te portauit. Opportunè laudatur venter, qui nullam originariæ culpæ labem contraxit. p.517.n.3.
Beatus venter qui te portauit. Vt debitum Mariæ rependeret, à qua robur aduerſus dæmonem accepit laudes ad illam inflectit: nam quæ Matri titulo iuſtitiæ debebat, exactè perſoluit. p.530.
Beatus venter qui te portauit. Vincit Chriſtus in agone Dæmonem, & victrix Maria exultat, quæ non dimicauerat: ſanè non decertando, ſed deterrendo triumphum à ſerpente reportauit, vt nobiliori potiretur victoria. p.510.

IN FESTO IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS DEIPARÆ.

Matthæi 1.

A *Labe Originalis culpæ vindicata oſtenditur B.Virgo fuſè, & vbertim*. à p.504. *per duodecim integros diſcurſus*.

IN FESTO S.LVCIÆ.

Matthæi 13.

Simile eſt regnum cælorum theſauro, &c. Stipendium ſectantibus virtutem proponitur in theſauro, vt auidiùs perquiratur: nam præmia alunt virtutes. p.613.
Simile eſt Regnum cælorum theſauro abſcondito. Sed non difficilis conſequi: nam iam facilis & plana via ad cœlum eſt. p.480.
Vendit vniuerſa, quæ habet; & emit agrum illum. Non recuſat felix theſauri inuentor omnia pro illo aſſequando vendere: nam pudor eſt pro æterna gloria non præſtare, quod pro peritura facimus. p.601.
Vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum. Bonus theſauri inuentor, qui omnia diuendit temporalia, vt æterna poſſideat; cum ferè omnes temporalium, pauci ſint, qui æternorum ſentiant iacturam. p.623.
Vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum. Ager anima eſt, qui, vt fructum afferat, ſemper eſt colendus. p.647.
Vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum. Nam qui cœleſtia anhelat, terrena omnia contemnit, & pericula deſpicit. p.646.
Vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum. Peritus fænerator omnia pro cœleſti gloria vendit: nam quod pro Deo largimur, non minuitur; ſed cum ingenti lucro illud recimus. p.652.
Vendit vniuerſa, quæ habet. Nempè illa, quæ illi nocebant, vt poſſideret profectura: nam magnarum eſt virium felicitatis oneri non ſuccumbere. p.181.
Vendit vniuerſa, quæ habet. Sanè ſuffragante gratia, omnibus, quæ poſſidebat, renunciauit: nam mundialium rerum abdicatio mirabile eſt Dei opus. p.585.
Vendit vniuerſa quæ habet. Nihil non tentauit, vt theſauro frueretur: quia homo in re virtutis piè debet eſſe audax, & impoſſibilia aggredi. p.410.
Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare. Extrema iudicij dies deſcribitur: de qua multa habes. p.162. per totam p.167.

IN FESTO EXPECTATIONIS B.MARIÆ.

R*Ecognoſce, quæ dicuntur in feſto Annuntiationis*.

IN FESTO S.THOMÆ APOSTOLI.

V*Ide, quæ notata ſunt pro Dominica in Albis*.

IN FESTO S.STEPHANI PROTHOMARTYRIS.

Matthæi 23.

E*cce ego mitto ad vos Prophetas*. Prophetas mittit, vt ventura prædicent; non vt occulta delicta, & illa patrantes reuelent, quo magis proficiant ad emendationem: nam egregius modus reducendi ſubditos eſt, ferire crimina, non perſonas. p.8.
Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Scribas, & Sapientes, & ex illis occidetis. Sapientibus propinqua eſt mors: quia egregiæ virtutes infortunatæ ſunt, & moribundæ. p.83.
Ecce ego mitto ad vos Sapientes, & ex illis occidetis. Si inſipientes eſſent, non eos occiderent: quia ſapientia ſemper caret præmio; ſtultitiæ nunquam deeſt. p.27.
Ecce ego mitto ad vos Sapientes, & ex illis occidetis. Vt maiori in pretio habeantur: nam Sapientes, qui rempublicam tuentur proindeque in vita exaltandi ſunt, nonniſi poſt mortem honorantur. p.337.
Et ex illis occidetis. Scilicet, vitali morte: nam iuſti moriuntur, vt viuant, peccatores vt moriantur. p.97.
Et ex illis occidetis. Morte videlicet apparente, & vitali vſura: nam Dei ſeruitus compendium vitæ eſt, & gratiæ abortus. p.90.
Et flagellabitis in ſynagogis veſtris. Ad exaggerationem doloris dicitur, coram Principibus fore denudandos, vt flagellantur: nam pudoris, & confuſionis tormentum ipſa morte, & gehenna grauius eſt. p.239.
Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus. Mors iuſti magna calamitas Reipublicæ; eo quod ſuis precibus à vindicta Deum retrahat. pag. 40.
Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtius. Maximè Deus contra Phariſæos Prophetas occidentes iraſcitur: nam etſi pienriſſimus ſit, inpublica ſcelera maximè excandeſcit. pag. 575.
Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus. Sanguis

guis Prophetarum, quem effuderunt Scribæ, ſupra ipſos relabitur; nam opera proximo exhibita ad æqualitatem Deus rependit. 222.

Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus. Acerbior Phariſæis paratur vindicta, quia non lædentes perſecuti ſunt, & qui ſine cauſa lædunt, non homines ſunt, ſed humanitatis monſtra. p.55.

Venient hæc omnia ſuper generationem iſtam. Proceribus populi peccantibus, omnis populus plectitur: nam propter Principes populi, & propter populos Principes viciſſim pœnas luunt. p.299.

Ecce relinquetur domus noſtra deſerta. Iudæorum vltimam ruinam prænuntiat: quia ipſorum perfidia mortem deuorat. p.473.

Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. In deuaſtatione Ieroſolymæ adimpletum fuit hoc vaticinium, vbi ignis omnia conſumpſit: quia Iudaica perfidia non niſi ignis flagratione eſt punienda. p.471.

IN FESTO SANCTI IOANNIS EVANGELISTÆ.

Ioann.21.

D*Ixit Ieſus Petro: ſequere me.* Chriſto vocanti Petrus annuit: nam via, qua Deus dirigit, quærenda eſt ſalus. p.146.

Vidit illum Diſcipulum, quem diligebat Ieſus. Meritò præ cæteris Ioannes diligitur, quia cæteros meritis anteibat: & æqualitas præmij excidium ſolet eſſe Reipublicæ. pag. 541.

Vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus. Credo dolorem Petri hic excitari, vbi præ cæteris Ioannem dilectum vidit: nam res ſummi doloris eſt, æquales feliciores contueri. p.627.

Qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius. Ioannis prærogatiua non arcet Petrum à conſortio Magiſtri: quia non leui cauſa ab amicis eſt recedendum. p.278.

Qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius. Ioannem amicitia, & ſanguine coniunctum prætulit: quia licet ſuperioribus, ſuis priùs benefacere, quam exteris. p.17.

Qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius. Non ex approximatione probatur amicitia: quia multoties, qui illius prætextu ſe nimis introducunt, infidelitatis ſuſpicionem incurrunt. p.284.

Domine, qui eſt qui tradet te? Vt criminoſiùs ageret, ſe cælauerat proditor, & ſub diſcipuli cortina virus abſcondebat. Sanè nihil eſt deteſtabilius, quam amicum os præferre, & inimicum cor geſtare. p.282.

Domine, hic autem quid? Porrò virginalis Ioannis decor Diſcipulos adduxit, vt crederent, mortis euaſurum imperium: quia ſicut vitæ impudicitia, ita caſtitas eſt mortis expers. p.591.

Domine hic autem quid? Vbi Ioannis dilectio memoratur, ſtatim de eius morte Petrus agit: nam res vt ægritudine, dilectione pereunt. p.261.

Domine, hic autem quid? De morte Ioannis, cum de eximia erga ipſum Chriſti dilectione, tractatur: quia res cum propè ſunt ad interitum, magis placent. p.423.

Domine, hic autem quid? Mirantur omnes, quod Ioannes, qui iunior erat, tam profecerit in virtute: nam nonniſi cana ſenectus homines virtutem edocet. p.340.

Domine, hic autem quid? Turbantur omnes, vbi Ioannem ſingulatiter à morte immunem ſuſpicantur. Quam amabilis, quamque pernitioſa ſit hominibus ſingularitas oſtenditur. p.341.

Exijt ſermo inter fratres. Suſurrantium de Ioannis excellentia erat ſermo: etenim fraternitas, quæ concordiæ vinculum eſſe debet, plerumque diſcordiarum ſeminarium eſt. pag. 280.

Et non dixit Ieſus non moritur. Malè, & audactèr Chriſti verba interpretantur: quia quo veritas eſt timidior, eo mendacium eſt audacius. p.317.

Quid ad te? Meritò reprehenditur Petrus, quia ea perquirebat, quæ non accedebant ad ipſum: & vnuſquiſque de ſuo tantùm munere agere debet. p.141.

Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his. Scilicet, quæ vidit: nam fides humana ex auditu incerta eſt, ex munerum acceptione mendax. p.373.

IN FESTO S. ANTONII ABBATIS.

Lucæ 12.

S*Int lumbi veſtri præcincti.* Vitam cingere præcipiuntur, ne in morte periclitentur: quia mors idea eſt, & paradigma vitæ, non niſi miraculose diſſimilis. p.62.

Sint lumbi veſtri præcincti. Scilicet ad ſtadium virtutis currendum, vt illius vitalia lucra reportent: nam Dei ſeruitus compendium vitæ eſt, & gratiæ abortus. p.90.

Sint lumbi veſtri præcincti. Caro attenuatur, vt augeatur Spiritus. Sit caro Spiritui ſubiecta, vt perfectos fœtus producat. p.335.

Sint lumbi veſtri præcincti. Strictè cingenda eſt caro, ne effrænetur libido, quæ totam hominis vitam, & ſtudium ſorbet. p.595.

Sint lumbi veſtri præcincti. Dignitas ambitio compeſcitur: quæ ipſa eleuatione inhonoratur, ſublimitate decreſcit. p.297.

Sint lumbi veſtri præcincti. Præcingitur ad vitium caro, vt ad virtutis incrementum auidè ſe diſtendat: quia homo in re virtutis piè

debet

debet eſſe audax, & impoſſibilia tentare. pag. 410.

Sint lumbi veſtri pracincti. Mortem expectantes arctiùs cingendi ſunt: quia mortis hora ſic periculoſa eſt, vt quaſi Deo duplici indigeat. p.95.

Sint lumbi veſtri pracincti. Non ſolùm vt illicita fugiant; ſed vt à prohibitis abſtineant nam qui omnibus conceſſis vult potiri, in prohibita ſæpè dilabitur. p.116.

Sint lumbi veſtri pracincti. In procinctu nos eſſe procutat, quaſi iam inſtet mots: quia magna Dæmonis tentatio eſt mortem diſtantem obijcere. p.169.

Sint lumbi veſtri pracincti. Vt curriculum incæptæ virtutis perficiant, ptæcinguntur: nam ſumma dementia eſt, à virtutis tramite diſcedere. p.551.

Et lucernæ ardentes in manibus veſtris. Videlicet vt fax iter oſtendat, & ditigat in via: nam aberrat, qui per virtutis ſemitam abſque ductore incedit. p.560.

Et lucernæ ardentes in manibus veſtris. Vt iter & metam non aberrent, ad quam pertingere debent, præambula luce ducuntur: nam plerique hominum ad cœlum ire cupiunt, non per cœli viam, ſed per tartarorum iter. p.650.

Et vos ſimiles hominibus ſpectantibus Dominum ſuum. Lumbotum cinctotio eos tertet, & ſpectatione Domini erigit: quia neque nimio timote, neque ſpe nimia ad cœlum itut. p.563.

Et vos ſimiles hominibus. Alijs ſuos ſimiles eſſe vult, ne de ſingularitate virtutis glorientur: quam amabilis, quamque pernitioſa ſit ſingularitas oſtenditur. p.341.

Præcinget ſe, & tranſiens Miniſtrabit illis. Remuneraturus Dominus cingitur, vt nos doceat neceſſaria tantùm diſpendere: nam qui non abſtinet à ſuperfluis, citò indiget neceſſarijs. p.258.

Et ſi in tertia vigilia venerit. Multoties ad tertiam vigiliam, quæ ſenectute attingit, Deus aduentum protrahit: quia nonniſi cana ſenectus potentes virtutem edocet. p.340.

Et ſi in tertia vigilia venerit. Cur non in quarta? Fortè, quia non profecturum agnouit: vel ob hoc ſolùm erubeſcere debet ſenectus, de non abſtinentia vitiorum. pag. 377.

IN FESTO SS. FABIANI, ET SEBASTIANI.

Lucæ 6.

M*Vltitudo copioſa plebis, &c. Vt ſanarentur*. Sanè infirma valetudo plebem ad Chriſti ſequelam induxit: nam quia homines ad Deum, vt ipſe vult, amote non accedunt, terroribus, minis ac ſupplicijs facit, vt reſipiſcant. p.47.

Vt ſanarentur à languoribus ſuis. Propter ſanitatem conſequendam Chtiſtum ſequuntur, ipſique famulautur: nam omnes quibus indigent blandiuntur. p.196.

Beati pauperes. Non ſolùm paupertate, ſed maiorum tapacitate laborant ægeni: nam potentes, paupetes, & inualidos excotiant, & ligutiunt. p.110.

Beati pauperes. Videlicèt, qui criminoſis iudicium accuſationibus ſubiacent: nam inualida paupertas, pœnæ obnoxia eſt: diues impune delinquit. p.439.

Beati pauperes. Scilicet, qui ab omnibus irridentur: nam diuitijs tantùm honotes deferuntur. p.124.

Beati, qui nunc eſuritis. Vehemens acquirendæ virtutis deſiderium Chriſtus exigit: nam ægerrimè fert, vt ſegnitèt, & quaſi ex occaſione noſtræ ſaluti intendamus. p.138.

Beati eritis, cum vos oderint homines. Nempè, quia Deo obſequimini, ne illis placeatis, arguentes eorum iniquitatem: nam nulla maior impietas eſt, quam ob pietatem Dei Deum contemnere; ob impietatem hominum homines reuereri. p.57.

Cum vos oderint homines. Non quia illis nocumentum aliquod inferatis; ſed vt alijs placeant, vos odio proſequentur: etenim quotuuidam filiorum diaboli, tanta eſt prauitas, vt non iam ſuos, ſed aliorum inimicos ob adulationem odio habeant. pag. 130.

Et cum ſeparauerint vos. Credo gratiam in ſeparatione ipſis conferri, ne ipſis commotentur, & inficiantut: nam malorum ſocietas, vel ſanctos lædit. p.562.

Et exprobrauerint. Sanè hæc vltima, & maior perſecutionum eſt: nam nihil eſt tam ſenſibile ingenuis vitis, quàm illudi. pag. 187.

Et eiecerint nomen veſtrum tanquam malum. Iudicum iniquitas in his omnibus perſecutionibus deſcribitur, qui poteſtate ad opprimendum abutuntut. p.44.

Gaudete in illa die, & exultate, quia merces veſtra copioſa eſt apud Deum. Mercedem proponit, vt vitilitèt pugnent: quia præmia alunt virtutes. p.613.

Merces veſtra multa eſt in cœlo. Scilicet æterna, & beata vita: nam iuſti moriuntur, vt viuant; peccatores, vt moriantut. pag. 97.

Merces veſtra multa eſt in cœlo. Rectè labori ſuccedit tequies: nam non fas eſt ante laborem quieſcere. p.611.

IN FESTO S. AGNETIS.

Matthæi 25.

E*Vangelium expenditur in Feſto Sanctæ Catharinæ.*

IN

Digitized by Google

Elenchius ad Sacras Conciones.

IN FESTO S. ILDEPHONSI.

Matthæi 5.

A *Di Feſtum Sancti Auguſtini.*

IN CONVERSIONE D. PAULI.

Matthæi 19.

E *Cce nos reliquimus omnia.* Bona dimittunt, quæ relinquere non tenebantur, vt ſecuriùs virtuti incumbant: nam non omnibus conceſſis expedit potiri, ne in prohibita dilabamur. p.116.

Ecce nos reliquimus omnia. Si bona, vel iuſtè poſſeſſa obſtant ad virtutem, quantùm furro comparata præpedient? Sanè non proſunt, ſed obſunt, quæ Deo derelicto peccatis acquiruntur. p.225.

Ecce nos reliquimus omnia. Non coacti bona proſequendo Magiſtro deſerunt, ſed ſpontaneè: quia quæ ſubditus pro obſequio Principis offert, non ſunt violentèr extorquenda. p.211.

Ecce nos reliquimus omnia. Benè omnibus renunciant, qui pauperum collegio aſſociantur, vt priuata paupertas publicæ eſſet reſtimonium. Expedit namque quod Gubernatorum frugalitas publicam neceſſitatem clamitet. p.240.

Ecce nos reliquimus omnia. Vocantis auxilij ſuperna vis hic agnoſcitur: nam mundialium rerum abdicatio mirabile eſt Dei opus. pag. 585.

Ecce nos reliquimus omnia. Cœleſtia anhelans terrena contemnit, & pericula deſpicit. pag. 646.

Et ſecuti ſumus te. Ne Chriſto & mundo ſimul ſeruire videantur, omnibus, quæ poſſidebant, renunciarunt: nam vtroque pede claudicat, qui ad neutram manum inclinat. p.487.

Quid ergo erit nobis? Non fruſtra pro derelictione bonorum præmia expetunt: nam quod pro Deo largimur, non minuitur, ſed cum ingenti, lucro recipimus, p.653.

Quid ergo erit nobis? Vt auidiùs in virtute proficiant, mercedem ambiunt: nam præmia alunt virtutes. p.613.

Sedebitis, & vos iudicantes. Non recenter conuerſos, ſed probatos multo tempore diſcipulos Iudices conſtituit: nam in æqua meritorum lance ad præfecturam cana ſapientia iuniori eſt præferenda. p.375.

Sedebitis & vos iudicantes. Iuſtè eos munerat, qui mundum ſubiugarunt doctrina: nam iis, qui in expugnatione hoſtium fortitèr dimicarunt, præmia debet largiri Princeps. pag. 435.

Sedebitis, & vos iudicantes. Qui proprijs renunciauerant bonis, certè alienis non inſidiarentur: ideò meritò Iudices conſtituuntur: nam nihil in Iudicibus eſt auaritia turpiùs. p.244.

Sedebitis, & vos iudicantes. Magnum ſolatium, Iudices habere à bonorum cupiditate alienos: quandoquidèm apud humanos Iudices, nec gratis quis moritur. p.229.

Sedebitis, & vos iudicantes. Mira rerum commutatio, pauperes iudicandi honore, & munere fruuntur: cum apud humanos Principes honores diuitijs tantùm deferantur. pag. 124.

Sedebitis, & vos iudicantes. Iudicis munus quomodò exercendum habes. p.331.

Sedebitis, & vos iudicantes. Venturum ſæculum expectatur, vt præficiantur diſcipuli: nam ſapientes nonniſi poſt mortem honorantur. p.337.

Sedebitis, & vos iudicantes. Honore, & præmio allicit ad ſequelam: quia ingenui animi fauoribus, ſeruiles meliùs ſupplicijs reducuntur. p.333.

IN FESTO PVRIFICATIONIS BEATÆ MARIÆ.

Lucæ 2.

P *Oſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ.* In Conceptione, & Purificatione puritas, in partu virginitas periclitari videbantur: at ea eſt Mariæ excellentia, vt quoties eius puritas periclitari videtur, toties noua perfectione fulciatur. p.526.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Ad quid purificatur flos in conceptione, & in partu intemeratus. p.531.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Vt quid purificatur iam puerpera, in qua nec Baptiſmus quidem quid lauaret inuenit. pag. 516.& p.524.n.3.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Otiosè Purificationis legem adimplet, quæ natiuum habuit candorem. p.513.n.2.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Etſi legis obſeruantia nullam ipſi præſtare poſſet puritatem, adhuc Maria purificari ambit: quia virtus piè debet eſſe audax, & impoſſibilia tentare. p.410.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Quamuis Mariæ non vrgeret præceptum adhùc purificatur, vt ſicut in Conceptione, ità, & in vita nec leuem culpæ ſuſpitionem admitteret. p.516.

Secundum legem Moyſi. Etiam ſi immunis eſſet à lege, illam adimplet, quia vnica erat: nam lex non multiplex debet eſſe, vt obſeruetur. p.572.

Secundum legem Moyſi. An Maria more hominum, quibus quod licet ingratum eſt, præceptum ad quod non tenebatur adimplet? p.586.

Tulerunt Ieſum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domi-

Domino. In prima infantia ſiſtitur Chriſtus Deo Patri: quia anticipata virtutis opera fructus ſunt Deo gratiſſimi. p.620.

Vt ſiſterent eum Domino. Benè cum Maria ſiſtitur Chriſtus, vt pietatis officia erga homines auidiùs peragat: nam à Deipara pietatem Chriſtus hauſit, ad ipſiuſque nutum munera diſpenſat. p.533.

Vt ſiſterent eum Domino. Libet Mariæ placandi Deum formam ſumere: nam non minùs ſtolidi ſolent eſſe nonnulli in adhibendo placationis genere, quam impij in deſerendo Deo. p.266.

Vt ſiſterent eum Domino. Vnicus Mariæ Filius ſat eſt vniuerſum mundum inſtaurare dilapſum, ſicut vna ſola filia totam patris euertere domum. p.248.

Et vt darent hoſtiam. Vel Deus ipſe vectigalia templis ſoluit, non ab eis tributum extorquet: vt doceat Eccleſiam alienam eſſe à vectigalibus. p.270. Illa autem exigere excidium regni eſt. p.273.

Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Non ſuæ tantùm gentis, ſed vniuerſi remedium cupiebat ſenex: nam bonum publicum priuato eſt præferendum. p.112.

PRO SANCTO MATTHIA APOSTOLO.

Matthæi 11.

Q*Via abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis*. Sanè humilitas ex Dominico teſtimonio oculatiſſima virtus eſt, & quæ ſuperbis abſconduntur, rimatur myſteria. p.351.

Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus. Tali cœleſtium rerum multantur ignorantia, qui de ſua ſapientia ſuperbiunt: nam cum cętera vitia citra condignum plectantur, ſuperbia ad extremum vſque punitur. p.179.

Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus. Superbis de ſe magna ſentientibus nutrimentum ſpiritualium reuelationum Deus ſubtrahit. pag. 351.n.2.

Et reuelaſti ea paruulis. Quid non aſſequetur humilitas, quæ recondita Dei myſteria penetrat? Etenim regia eſt, & potentiſſima virtus. p.80.

Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Tanti æſtimat Chriſtus Dominus hominum ſalutem, vt omnia ſibi reputet. p.621.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Benè laborantibus requiem pollicetur, non quieſcentibus: quia non fas eſt, antè laborem quieſcere. pag. 611.

Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Vide ſeruatoris lenitatem in admonendis hominibus: planè placida manſuetudo fortior perſuaſionis energia eſt. p.399.

Quia mitis ſum. Manſuetudine ſuos allicit, & ad amorem inducit: nam Principis crudelitas, & odium gignit, & regnum euertit. pag. 402.

Et inuenietis requiem animabus veſtris. Sola humilitas requiem affert; nam ambitioſus bonorum perditione multatur, & dum non poſſeſſa quærit poſſeſſa amittit. p.206.

Et inuenietis requiem animabus veſtris. Decoroſa quies comitatur humilitatē, ſicut ambitionem vile, & indecorum obſequium. p.474.

Iugum enim meum ſuaue eſt. Non ſolùm leuamen illam obſeruantibus affert Dei lex, ſed leuiſſima eſt reſpectiuè ad onus peccati; nam excuſſo Dei iugo, mille alia accipimus grauiora. p.264.

Iugum enim meum ſuaue eſt. Imò ſuauiſſimum, & vtiliſſimum: nam Dei ſeruitus compendium vitæ eſt, & gratiæ abortus. pag. 90.

Iugum enim meum ſuaue eſt. Scilicèt quia non multorum, ſed vniùs Domini famulatum admittit: Deus namque vnus eſt, vt faciliùs ſeruiatur: Trinus, vt abundantiùs benefaciat. p.408.

Et onus meum leue. Non ſic peccati iugum: nam etſi aëreum vdeatur, ponderoſius plumbo ſentitur. p.10.

Etſi Matthias eligatur, & excludatur Ioſeph: tamen Ioſeph honorifica verba detulit, & iuſtus conſultiſſimè nominatur: nam qui à prætenſo repulſam patitur, bona excludentis debet audire verba. p.371.

Non conqueritur Ioſeph de electione Matthiæ, quia dignus erat, & cum dignitas benemerito confertur, ab omnibus habetur. pag. 404.

IN FESTO S. THOMÆ AQVINATIS.

A*Di feſtum S. Auguſtini*.

PRO SANCTO IOANNE DEI.

Lucæ 12.

R*Ecognoſce, quæ dicta ſunt in feſto S. Antonij Abbatis*.

IN FESTO SANCTI IOSEPH DEIPARÆ SPONSI.

C*Vm eſſet deſponſata, Mater Ieſu Maria Ioſeph*. De muliere maritata naſcitur Chriſtus, ne Mater adulterij eſſet ſuſpecta: quod vel à barbaris deteſtatum in barbariem degenerat. p.596.

Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu. Ne leuis dedecoris notam Chriſtus, & eius mater incurrerent, de nupta naſcitur muliere: quia nulla facilior, nullaque ſenſibilior iactura honoris eſt. p.289.

Cum eſſet deſponſata. Sedulò matris honori, & ſuo incumbit Chriſtus: nam bona fama præci-

præcipuè in ſuperioribus, acquirenda eſt, & conſeruanda, mala autem nimis fugienda. p.286.

Voluit occultè dimittere eam. Suam ſuſpicionem Mariæ non detegit Ioſeph, ne vtriuſque honor deterius periclitaretur: etenim diligenda eſt vxor; ſed illi graue negotium non pandendum. p.483.

Voluit occultere dimittere eam. Vxoris ſuſpectum crimen punire vult, ſed occultè, vt eam emendet, illiuſque honorem ſeruet innocuum: uam egregius modus reducendi ſubditos eſt, ferire delicta, non perſonam pag. 8.

Voluit occultè dimittere eam. Non machinatur contrà illius vitam, pro qua pudicitia certabat: nam caſtitas mortis eſt ſemper expers. p.591.

Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto. Admiratur Ioſeph vultus pudicitiam, ſed adhùc non ſedatur: quia olim ad cognoſcendas impudicas, prophetia opus erat; nunc ad continentes. p.589.

Voluit occultè dimittere eam. Ægrè ferebat Ioſeph, à Mariæ conſortio ſeparari, & gratius illi erat, neſciens tori commercia, illam pregnantem aſpicere: ideòque ſeparationem elegit, ac ſi illi eſſet commoda: quia maiora mala faciunt, vt minora pro bonis habeantur. p.599.

Voluit occultè dimittere eam. In deteriorem ſuſpicionis partem inclinare videbatur, & non benè de Mariæ pudicitia cogitare: quia commercium viri ac mulieris, etſi per iocum ſit, reus facti habetur. p.593.

Voluit occultè dimittere eam. Quam ardenter diligebat, & ſuſpectam habet, apud ſe habere recuſat, ne illius vitæ inſidiaretur amor: nam amore læſo nullus eſt infenſior hoſtis. p.53.

Hæc autem eo cogitante. A diuerſis cogitationibus agitatus, neſciens quid crederet vehementèr angebatur: nam perplexitas granis animi eſt cruciatus. p.142.

Hæc autem eo cogitante. Non videtur veriſimile ſiniſtrè de Maria Ioſeph cogitaſſe in re pudicitiæ, quam ipſe ſtudioſè colebat: quia vt quiſque eſt, ſic putat alios. p.64.

Hæc autem eo cogitante. Mente verſabat ſuſpicionem; ſed eam verbis non exprimebat, ne detrahere de vxoris pudore videretur: nam ignobilium proprium vitium eſt detractio. p.564.

Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, &c. Ioſeph non benè de Mariæ pudicitia cogitante, Angelus adeſt, illius puritatis vindex: nam quoties Mariæ puritas periclitari videtur, toties noua perfectione fulcitur. p.526.

Ecce Angelus Domini. Feſtinat Angelus, ne Ioſeph Mariam traducat, & illius priuetur conſortio, atque lucro: nam Sanctorum ſocietas nunquam eſt non vtilis. p.101.

Ecce Angelus Domini. Illuſtre Marianæ puritatis Angelus exhibuit teſtimonium, vbi de illius pudore hæſitabat ſponſus. Plerumque calumnijs nobilitatur læſus homo. pag. 105.

Ecce Angelus Domini. Non ſe excuſat à crimine, ſed Dei Angelus eius Apologiam ſuſcipit: Sanè, qui ſilet ad iniurias Deum habet defenſorem. p.325.

IN FESTO ANNVNCIATIONIS BEATÆ MARIÆ.

Lucæ 1.

M*Iſſus eſt Angelus Gabriel à Deo.* Adeò Deus ſuum in carne aduentum diſtulit, vt magis ab hominibus haberetur in pretio. p.362.

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad Virginem. Opportunè conceptura Virgo moratur in Nazareth, quæ interpretatur flos: nam Maria flos fuit, & in Conceptione, & in partu intemeratus. p.531.

Veluti apes ad flores verbum ad Mariam acceſſit. ibid.

A ſeipſo Chriſtus Paradiſum Mariæ cuſtodiuit. ibid.

Sicut flos odorem ſpirans, integritatem non amittit: ſic Maria Verbum concipiens, & pariens. ibid.

Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena. Copulam ab oratione ſalutans Mariam Angelus abſtulit, vt nullam in conceptione Verbi copulam interuenturam innueret. ibid.

Et ingreſſus Angelus ad eam, &c. In ſecretiori, & penetrali domo habitabat Virgo Sanctiſſima quia nihil eſt gratius dulciuſuè nobili Matronæ quam in domo Sponſi ſui permanere. p.548.

Et ingreſſus Angelus ad eam, &c. Sacrum Mariæ cubile ingreditur Angelus, ad quod nullus inimico patuit acceſſus: quia flos fuit ſeptus, ab inimica manu nunquam temeratus. p.513.& 531.

Aue gratia plena. Vbi de ſua virginitate angitur Maria, plena gratia ab Angelo perhibetur: nam quoties eius puritas periclitari videtur, toties noua perfectione fulcitur. pag. 526.

Et turbata eſt in ſermone eius. Vel in colloquio Angeli ſpeciem hominis referentis, turbatur Maria: quia commercium viri, ac mulieris, etſi per iocum ſit, reus facti habetur. pag. 593.

Et turbata eſt in ſermone eius. Timet vbi impoſſibile erat pudicitiæ periculum: quia vel impoſſibile cauendum eſt. p.630.

Turbata eſt in ſermone eius. Quæ pudorem amittere timebat, meritò Dei mater eligitur:

tur: nam etſi quandoque naufraget plerumque Dei timor portum feliciter attingit. p.370.

Inueniſti enim gratiam apud Deum. Videlicet illam, quam primus Parens deceptus perdiderat. p.505.n.2.

Hic erit Magnus. Virtute, quam à matris hæreditauit nobilitate: nam auguſtior virtus à nobilitate eſt. p.433.

Hic erit magnus. Scilicet natura, & miſericordiæ titulo, quam à matre hæreditauit. pag. 533.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Mirabile Incarnationis Sacramentum Mariæ humilitate conficitur. Planè humilitatis regia eſt, & potentiſſima virtus. p.80.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Vbi humilem ſe præbuit myſterium percaluit, & ſedatur; quia humilitas oculatiſſima eſt, & quæ ſuperbis abſconduntur, rimatur myſteria. p.351.

Ecce ancilla Domini. Statim ac obedientiam præſtitit, Verbum concepit: ſit caro ſpiritui ſubiecta, vt perfectos fætus producat. pag. 335.

IN FESTO SS. PARENTIS N. FRANCISCI DE PAVLA.

Lucæ 12.

Nolite timere puſillus grex. Opportunè à puſillis depellitur pauor: quia grandis poteſtas timere debet: humilis à timore eſt ſecurus. p.570.

Nolite timere puſillus grex. Ne nimio timore præpediantur, ſpe cæleſtis gloriæ fulciuntur: nam neque nimio timore, neque ſpe nimia ad cœlum itur. p.563.

Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare nobis regnum. Timore oppreſſi promiſſione ſupernæ patriæ eriguntur: nam ſpes gloriæ mærorem fugat animumque tranquillat. p.411.

Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Iure timentibus regnum promittitur: nam etſi quandoque naufraget; plerumque Dei timor portum feliciter attingit. p.370.

Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Quaſi formidabilis eſſet glorioſa merces, ad illam deferendam roborantur: quia magnarum eſt virium felicitatis oneri non ſuccumbere. pag. 181.

Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Non ambientes, & puſilli eleuantur ad regnum; vndè ſoliciti, & ambitioſi eijciuntur: nam negotioſa honoris ambitio ipſa ſolicitudine inhonoratur, ſublimitate ipſa decreſcit. p.297.

Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Magna regnandi poteſtate munerantur humiles: quia humilitas regia eſt, & potentiſſima virtus. pag. 80.

Quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Mortificationibus attritis meritò cœleſte regnum promittitur: nam cœleſtis vrbs Ieruſalem arx eſt mortificationibus munita, & pœnitentium patria. p.655.

Quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Vbi arcana quæque penetrabunt ſacramenta: nam humilitas oculatiſſima eſt virtus, & quæ ſuperbis abſconduntur, rimatur myſteria. p.351.

Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Parum hoc: nam ſic charitas vrget ad proximis ſubueniendum, vt cum facultates deſunt, ad miraculum recurrere compellat. pag. 386.

Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Non ſolùm vt egenis accurrant, ſed vt tutiùs propriæ ſaluti incumbant, omnibus renunciare iubentur: delitias namque opeſque Deus ſubmouet, vt obſtinatam in peccando licentiam coerceat. p.478.

Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Præuia regni promiſſione difficillimè bonorum renunciationi ſuos diſponit: enimuerò mundialium rerum abdicatio mirabile eſt Dei opus. p.585.

Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Vt iucundiùs beatitudine fruantur, omnia in pauperes erogare præcipit: nam hoſpitalitas Dei virtus eſt, & beatitudinis complementum. p.654.

Facite vobis ſacculos. Ad quid ſacculi his, quibus iniungitur, omnia pauperibus donare? ſanè vt ea ipſa cum incremento reaccipiant: nam quod pro Deo largimur, non minuitur; ſed cum ingenti lucro recipimus. p.652.

Nolite timere puſillus grex. Aptè Sanctiſſimo Parenti Franciſco de Paula, & eius familiæ adaptatur gregis epitectum, qui ex herbis victitat, quia regalis fuit Aquila carnes haud veſcens. p.75.

Primæuam Abelis ſanctitatẽ reſculpſit. ibi.n.3.

Modico herbarum victu ſanctitatis characterem exarauit. ibi.n.4.

Nobilitatem regiam acquiſiuit. ibi.n.5.

Innocentiæ ſtatum inſtaurauit, & ad conſortium Deitatis aſcendit. ibi.

Angelicam reuerberauit puritatẽ. ibi.n.7.& 8.

Vel vmbram carnalis cibi à ſuis relegare ſtuduit. ibi.n.9.

Cœleſtem vitam ſuis ſibique delegit. ibi.n.8.

Quia à puncto minimo ad extremum humilitatis peruenit, magnitudinis maximum attigit extremum. p.86.

Profunda humilitate, & mirifica ciborum abſtinentia, miraculorum patrator factus eſt maximus. p.80.n.3.

Eu-

Euchariſtiæ pabulo tantùm per quadraginta dies fuit enutritus. p.455.n.1.

IN FESTO APOSTOLORVM PHILIPPI, ET IACOBI.

Ioann. 14.

NOn turbetur cor veſtrum, neque formidet. Mærorem à ſuorum cordibus Chriſtus expellere procurat, ne retardentur ad cœleſtia: nam ſæpè magna tribulatio facit, ne homines ità facilè vacĕt Dei laudibus. p.19.

Non turbetur cor veſtrum. Corda nimio timore deiecta ſpe cœleſtis patriæ corroborat: nam neque ſpe nimia ad cœlum itur. p.563.

Creditis in Deum, & in me credite. In fide, quam acceperant, ſuos perſeuerare ſatagit, ne noua dogmata accipiant: nam noua quælibet in fide fugienda ſunt. p.49.

Creditis in Deum, & in me credite. Quia eorum fides Dei teſtimonio nitebatur, omnis falſitatis ſuſpitio erat releganda; non ſic in humana fide, quæ ex auditu incerta eſt, ex munerum acceptione mendax. p.373.

In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Ideſt diuerſi mercedes gradus meritorum inæqualitati correſpondentes, vt rectus in remuneratione ſeruetur ordo: quia æqualitas præmij excidium ſolet eſſe Reipublicæ. p.541.

In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Cæleſtis gloriæ promiſſione animos præ triſtitia languentes exhilarat: nam ſpes gloriæ mærorem fugat, animumque tranquillat. p.411.

Quia vado parare vobis locum. Impensè curat Chriſtus mercedem pro ipſo laborantibus conferendam: nam iis, qui pro gloria Principis incommoda patiuntur, præmia debet largiri. p.435.

Quia ego vado parare vobis locum. Non ſpontè ſe abſentat, ſed vt ſuis manſiones præparet: nam Chriſtus Dominus pluſquam mortem ſuos relinquere, ægrè tulit. p.492.

Iterum venio. Neque in ipſa beatitudine Chriſtus quieſcit, vt ſuis accurrat: ſanè ſuperiorum munus eſt dura ſeruitus. p.485.

Iterum venio. Nondum abijt, & iterū venit irrequieta ſolicitudine: etenim Prælatus nullus eſt ad quietem, multiplex ad laborem. p.501.

Si cognouiſſetis me, & Patrem meum vtique cognouiſſetis. Cum de mercede agit, Patrem detegit: nam Deus vnus eſt, vt faciliùs ſeruiatur; Trinus, vt abundantiùs benefaciat. pag. 408.

Dicit ei Philippus: Domine oſtende nobis Patrem. Planè deſipit Philippus, dum Deum oculis corporeis intueri ſatagit; at feruentioris charitatis, & animoſæ fidei illa petitio erat argumentum, vel in erratis virtutis ſigna præſeferunt ſancti. p.347.

Alioquin propter opera ipſa credite. In re ſupernaturali viget ratio: nam in naturalibus non perſona iudicatur ex operibus; ſed ex perſona opera cenſentur. p.383.

IN FESTO INVENTIONIS SANCTÆ CRVCIS.

Ioann. 3.

SAnctiſſimæ Crucis laudes, & elogia vbertim habes. p.417. vſque ad 422.

IN NATIVITATE S. IO: BAPTISTÆ.

Luca 1.

ELiſabeth impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. Vnius filij ortu tota felicitatur domus, ſicut vnius filiæ tota ſolet euerti. p.248.

Quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa. Gaudet Deus agnoſci, beneficia conferens: quippè qui, cum ſupplicia infert, quodammodò naturam mutare videtur. p.426.

Et congratulabantur ei. Mirùm, quod cognati concordent in lætitia: nam plerumq; fraternitas diſcordiarum eſt ſeminarium. p.286.

Et congratulabantur ei. Hoc etiam Ioannis Natiuitas habuit admirabile, quod de parentum felicitate lætentur vicini: quandoquidèm præ inuidia plus alienis bonis, quàm proprijs malis cruciantur homines. p.202.

Et vocabat eum nomine patris ſui Zachariam. Quamuis excelſum ſit nomen Ioannis: tamen patris nomen prophetia erat ſanctitatis filij, quam à parentis nobilitate hæreditabat: quia auguſtior virtus à nobilitate eſt. p.433.

Et reſpondens mater eius dixit: nequaquam, ſed vocabitur Ioannes. Multùm profuit matris renitentia in nominis impoſitione; at rarò idem continget: nam maternus amor nociuus ſolet eſſe filijs. p.499.n.3.

Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes. Non parùm audet mater, dum nomina, quæ ad fidem circumciſionis ſpectabant, innouat: nam noua in fide fugienda ſunt. p.49.

Innuebant patri eius, quem vellet vocari eum. Rectè patri, cui incumbebat, totum negotium committitur: nam vnuſquiſque de ſuo munere agere debet. p.140.

Quem vellet vocari eum. Patri, vt par erat, nominis impoſitio relinquitur: quia ſuperior, quæ ad ipſum ſpectant, per ipſum exequi debet. p.424.

Apertum eſt illicò os eius. Quod ſcilicet fuerat clauſum propter incredulitatem erga filij promiſſionem, quia in Sara, quæ ſimiliter de Diuina promiſſione diffidit, non fuit edoctus: Infelix ſanè eſt, qui alieno malo non docetur. p.58.

Et poſtulans pugillarem ſcripſit. De antiquis ſcribendi materijs. Vide p.148.

Diuulgabantur omnia verba hæc. Mirùm, quod inter agreſtes homines, & montium incolas, quæ ad excellentiam Ioannis ſpectabant, diuulgantur: nam ignobilium propria ſolet eſſe non laus; ſed detractio. p.564.

Et ſuper omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc. Zachariæ verba, quæ glo-

ria, & Ioannis gratiam extollebant, fideliter ad montium habitatores fama detulit: alitèr inter aulicos ſolet accidere, vbi fama pluſquam dimidium laudibus detrahit, vt vituperijs adaugeat. p.287.

Quis putas puer iſte erit? A pueri exiguitate magnitudinem auguratur; quia humilitas regia eſt, & potentiſſima virtus. p.80.

Etenim manus Domini erat cum illo. Adhuc puer, ſed gratia excelſus, & virtute præclarus Ioãnes à Deo diligitur; quia anticipata virtutũ opera fructus ſunt Deo gratiſſimi. p.620.

Et Zacharias repletus eſt Spiritus Sancto, & prophetauit. Cum vocis reſtitutione propheriæ donum accepit, quo anteà carebat: quia Deus non ſolùm ablata reſtituit, ſed inſpirata concedit. p.382.n.5.

Et prophetauit. Mirùm, quod prophetet, qui pater erat, & familiæ caput: nam prophetia cũ gubernationis munere nõ cohęret. p.9.n.12.

IN FESTO SS. PETRI, ET PAVLI.

Matthæi 16.

QVem dicunt homines eſſe filium hominis? Sedulò incumbit Chriſtus, vt ſciat, quæ de ipſo feratur opinio: nam bona fama in ſuperioribus diligentiſſimè adipiſcenda eſt, & conſeruanda. p.286.

Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Hominum iudicio ſe Deus ſubijcit, vt apud ipſos ſua iuſtificetur cauſa. p.158.

Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Diſcipulos ſuos ſapientiæ proceres ſuper grauiſſimum negotium conſulit ſupremus Princeps; non ſic humani, apud quos exoſa ſapientia eſt. p.27.

Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Etſi præclara opera efficeret, adhuc dubitat, quæ de ipſo circumſetatur opinio: nam homines non ex operibus perſonam, ſed ex perſona opera judicant. p.384.

Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Quamuis irreprehenſibilis eſſet, curat vel falſos vitare rumores: quia nulla facilior, nullaque ſenſibilior iactura honoris eſt. p.289.

Vos autem quem me eſſe dicitis? Audierat Chriſtus hominum errores, & inueſtigare ambit, an diſcipuli etiam errarent, cauens eorum lapſum: quia dolẽdum maximè eſt de ſacerdotum caſibus, nam eo periculoſiores ſunt, quo dignitas eorum eſt præſtantior. p.350.

Reſpondens autem Simon Petrus dixit. Multum audet Petrus in re naturalem captum excedente, reſponſum præbens: verum homo in re virtutis piè debet eſſe audax, & impoſſibilia tentare. p.410.

Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Quamuis ſupernaturali eſſet ſuffultus auxilio, etiã naturali erga Magiſtrum affectui innitebatur, vt veridica confeſſione, eius Diuinitatẽ propalaret: nam vel ignorans Superior veritatem inueniet, ſi recto animo illam ſcrutetur. p.316.

Beatus es Simon Bariona, &c. Spiritus Sancti, & Ioannis filium hoc nomẽ ſonat, vt dignitati filiationis Spiritus Sancti humilitatem Patris naturalis Petrus haberet adiunctam: nam perfecti viri ea eſt conditio, vt quot gradibus fauore aſcendit, tot propria abiectione deſcendat. p.609.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hác petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Cur non Ioannem dilectum ad dignitatẽ euehit? Sanè quia iunior erat Petro, & meritis non anteibat: in æqua autem meritorum lance cana ſapientia iuniori eſt præferenda. p.375.

Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Neq; triſtantur, neq; conqueruntur cæteri diſcipuli de Petri ad Pontificatum aſſumptione, quaſi omnes eſſent rèmunerati, quia dignus erat: dignitas autem, quę confertur benemerito, ab omnibus habetur. p.404.

Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Meritò fidem impauidè cõfitenti fidei committitur tutela, & Pontificatus apex: nã munera cum diſcretione ſunt cõferenda. p.566.

Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Mirùm, quod de Petri prærogatiua non triſtentur Apoſtoli: quandoquidèm res ſummi doloris eſt, ęquales feliciores cõrueri. p.617.

Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Ad perpetuitatem Eccleſiæ hæc ſpectat prophetia: etenim eius fortitudo ſemper erit inuicta, eo quod Chriſto vnico eius ſponſo innitatur. p.547.

Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Benemeritum, etſi diſcipulum merito ad ſupremam dignitatem aſſumpſit: vt oſtenderet, decere Principes, & Præſules ſuis priùs benefacere, quam exteris. p.17.

Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Iuſtè muneratur in confeſſione Diuinitatis, qui vel in erratis virtutis ſigna præbuit. pag. 347.

Et tibi dabo claues regni cęlorum. Cœli, homo, non Angelus Clauicularius conſtituitur, vt benignum ſe præbeat pęnitentibus. p.158. num.2.

Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, &c. Ampliſſimam poteſtatem ſuo Vicario Chriſtus pollicetur, quam quicumque Præſules ſuis ſucceſſoribus relinquere tenentur, vt debitè munera exerceant. pag. 217.n.2.& ſequen.

IN FESTO VISITATIONIS B. MARIÆ.

Lucæ 1.

EXurgens Maria. Benè exurgens deſcribitur, quæ ſuperna vi eleuata pondere originalis culpæ non ſuccubuit. p.524.

Exurgens Maria. Scilicet vt domum Eliſabeth felicitaret: ſemper namque Maria exurgit, vt noſtras neceſſitates proſpiciat. p.539.

Abijt in montana cum feſtinatione. Feſtinat Maria munus ſuum adimplere: quia egerrimè

fert

ſert Deus, vt ſegniter noſtræ ſaluti intendamus. p.138.

Abijt in montana cum feſtinatione. Feſtinat in via, ne retrocedere videatur: nam ſumma infelicitas eſt à virtutis tramite recedere. pag. 551.

Et intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Domi Mariam expectat Eliſabeth, quia maritata erat: & nihil eſt dulciùs gratiùſue nobili Matronæ, quam in domo ſponſi ſui permanere. p.548.

Et ſalutauit Eliſabeth. Maria Deo grauida priùs viſitat, & ſalutat Eliſabeth: quia vrbanitas illuſtriùs dignitatis ſtemma eſt. p.400.

Exultauit infans in vtero eius. Quaſi à vinculis originalis culpæ ſolueretur, in Mariæ conſpectu exultat Ioannes: etenim venenoſus ſerpens à Mariæ præſentia profligatus recedit. p.520.

Exultauit infans in vtero eius. Vbi Ioannes ad Mariæ præſentiam ſiſtitur, nondum natus miſericordiæ ſenſit Authorem: quia à Mariæ viſceribus pietatem Chriſtus hauſit. p.533.

Exultauit infans in vtero eius. Accepta gratia, quæ ſemen eſt gloriæ, exultat Ioannes: quia ſpes gloriæ mærorem fugat, animumque tranquillat. p.411.

Exultauit infans. Pudeat ſenectutem à vitijs non abſtinere, quæ hanc infantiam viderit ſanctitate exultantem. p.577.

Exultauit infans. Exultat Ioannes, quaſi in Maria matrem agnoſceret ſpiritualia alimenta præbentem, quo onere præexcelſum occupat locum. p.540.n.3.

Et repleta eſt Spiritu Sancto. Quia Maria gratia erat plena gratia replet Eliſabeth: nam ſanctorũ ſocietas nũquam eſt non vtilis. p.102.

Et benedictus fructus ventris tui. Planè cognouit, & confitetur Eliſabeth originalem Mariæ puritatem, ventrem eius dillandans. pag. 517.n.3.

Et benedictus fructus ventris tui. Non ſolùm ventris, ſed ſpiritus Mariæ fructus vbertiſſimus fuit, & benedictus, quia corpus menti ſubiecit: ſit caro ſpiritui ſubiecta, vt perfectos fætus producat. p.335.

Magna Eliſabeth felicitas, quę Mariam ſuſcepit hoſpitio: nam hoſpitalitas Dei virtus eſt, & beatitudinis complementum. p.654.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Adi Feria 5. à Dominica in Paſſione.

IN FESTO SANCTI IACOBI APOSTOLI.

Matthæi 20.

ACceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedęi adorans & petens. Mirare, quod non adoret quæ petitura accedebat: nam omes, quibus indigent blandiuntur. p.197.

Adorans & petens. Chriſtum adorat, non propter ſuam excellentiam, ſed quia filijs primum locum ambibat, & nihil non vile agit ambitio. p.474.

Dic, vt ſedeant hi duo filij mei. At hoc aſcendere ambitionis artificio, cadere eſt: Sanè ambitioſus quo magis ſcandere conatur, magis deſcendit. p.177.

Dic, vt ſedeant hi duo filij mei. Non bene audit indignitatem ambientibus otioſa ſeſſio: nam Prælatus nullus debet eſſe ad quietem; multiplex ad laborem. p.501.

Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & vnus ad ſiniſtram. Præſtaret vtriuſque ſedem ad dexteram, quæ locus eſt electorum petere, vt fida hæc mulier videretur: nam vtroque pede in amicitia claudicat, qui ad neutram manum inclinat. p.487.

Vnus ad dexteram, & vnus ad ſiniſtram. Miraberis quod mater non vtrumque ad dexteram collocari ſatagit, ne vnus alium feliciorem videat: nam res ſummi doloris eſt, ęquales feliciores contueri. p.627.

Neſcitis quid petatis. Stultitię nęuo dehoneſtãtur diſcipuli, primas ſedes ambiẽtes: quia negotioſa honoris ambitio ipſa ſolicitudine inhonoratur, ſublimitate ipſa decreſcit. p.297.

Neſcitis quid petatis. Quamuis meritò hic reprehendantur diſcipuli; tamẽ imperãdi deſideriũ non ſemper eſt reprehenſibile. p.198.

Neſcitis quid petatis. Confuſione & pudore, qui ingenuis viris grauius tormentum eſt multantur, p.239.

Quia cum cætera vitia extra condignum corripiantur ambitio ad extremum vſque punitur. p.179.

Neſcitis quid petatis. Stultitiæ arguuntur, & quia apud diuinum Principem res agebatur, à dignitate arcentur; alitèr apud humanos Principes, apud quos ſapientia caret præmio, ſtultitiæ nunquam deeſt. p.27.

Neſcitis quid petatis. Mater petebat, & tamen acerba reſponſio non ipſi dirigitur: quia qui à prætenſo repulſam patitur, non fas eſt, vt verba ſeueriora audiat. p.371.

Poteſtis bibere calicem? Superuacanea hæc interrogatio videtur: nam qui repulſus à dignitate ſubſiſtit, faciliùs mortem ſubibit: quandoquidem honoris priuatio, ambitioſo mortis quoddam, imo, & gehennæ genus eſt. p.310.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Sanè impoſſibile erat, quod purus homo eandem ac Chriſtus mortem ſubiret; & tamen diſcipuli audacter poſſe reſpondent: quia in re virtutis piè homo debet eſſe audax, & impoſſibilia tentare. p.410.

Non eſt meum dare vobis. Suæ potentiæ Chriſtus detrahit, ne amori deficere videretur quia amor Dei erga creaturas occaſum neſcit, & finem ignorat. p.366.

Sed quibus paratum eſt à Patre meo. Non leue ambientibus hoc fuit ſolatium, ſcilicèt ſedes dandas, illas merentibus: nam dignitas, quæ confertur digno, ab omnibus habetur. p.404.

Sed

Elenchius ad Sacras Conciones.

Sed quibus paratum eſt à Patre meo. Id eſt ijs, quorum merita ſedes exigunt, quibuſque honorem adducent: nam dignitas abſque meritorum ornamento non honorem, ſed pudorem affert, p.336.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. MARIÆ.

Lucæ 10.

INtrauit Ieſus in quoddam caſtellum. Maria caſtellum, & arx fuit pugnaciſſima, à qua arcentur inimici. p.521.n.2.

Et mulier quadam Martha nomine excepit illum in domum ſuam. Aptè, dum de gloria Mariæ agitur, hoſpitans Chriſtum, Martha introducitur: quia Hoſpitalitas Dei virtus eſt, & beatitudinis complementum. p.654.

Excepit illum in domum ſuam. Domum fraternali amore, & amico fœdere tranquillam Chriſtus ingreditur, qui ab animis diſcordibus procul exulat. p.30.

Huic erat ſoror nomine Maria. Soror quidem natura, non originali gratia: nam in originali iuſtitia ſolus Chriſtus Mariæ fuit frater. p.508.n.5.

Quæ etiam ſedens ſecùs pedes Domini. Benè, vbi de corona gloriæ Mariæ introducitur ſermo ſecùs pedes filij corona redimitos ſedet vt, & ipſa pedibus coronetur, quæ in verſo toto naturæ ordine à conceptione coronatis pedibus inceſſit. p.514.

Quæ de ſorore ſua conqueſta. Non mirùm, quod Martha de Mariæ felicitate conqueratur: nam res ſummi doloris eſt æquales felíciores contueri. p.627.

Dic ergo illi, vt me adiuuet. Non indiget Maria præcepto, vt nobis accurrat, quippè quæ vt neceſſitates noſtras proſpiceret, in cęlum erigitur. 539. Vberiori auxilio è cœlo terram fouet. ibid. Cũ onere filijs alimẽta prębendi, prçexcelſum occupat locum. ibid.

Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima. Quia domi regimini intendebat, geminato nomine compellatur *Martha, Martha*, quaſi duplex eſſet ad gubernium perſona: nam ſuperior nullus debet eſſe ad quietem, multiplex ad laborem. p.501.

Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima. Domeſticis curis implicata, contemplationi haud vacare poterat: nam difficulter Deo attendunt, qui humanis rebus adhæreſcunt. p.37.

Maria optimam partem elegit. Elegit: an electa fuit ad optimam partem? Nam vt Anthipelagiæ legem adimpleret Chriſtus, maternum corpus in cœlum aduexit. p.536.

Maria optimam partem elegit. Et ſibi & nobis optimam partem elegit Maria, nam ab illa pietatem Chriſtus hauſit, ad illiuſque nutum munera diſpenſat. p.533.

Maria optimam partem elegit. Scilicet, quia maternitatis titulo in cęlo maiorẽ gloriam, & in terris Euchariſticum cibum iure promeruit. p.530.

Maria optimam partem elegit. Ideſt gloriam, quam pœnitentia fuit nacta: nam cœleſt is Vrbs Ieruſalem arx eſt mortificationibus munita, & pœnitentium patria. p.655.

IN FESTO S.BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Lucæ 6.

EXijt Ieſus in montem orare. Benè oraturus montem aſcendit: nam cęleſtia anhelans, terrena contẽ nit, & pericula deſpicit. p.646.

Exijt Ieſus in montem orare. Solitariæ vitæ in ſeceſſu degentium elogia traduntur. p.643.

Et erat pernoctans in oratione Dei. Victoriam de inimicis feliciter reportat oratio. p.649.

Et erat pernoctans in oratione Dei. Non curſim, ſed aſſiduè vacat orationi: quia anima, vt fructum afferat, ſemper eſt colenda. p.647.

Et erat pernoctans in oratione Dei. In monte, vbi nulla erat perturbatio, iugiter orationi incumbit: quia ad dona ſupernaturalia accipienda, quies animæ neceſſaria eſt. p.336.

Et vocauit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim. Quaſi longè abeſſent Diſcipuli ad dignitatem vocantur: quo eorum merita commendantur: nam qui amicitiæ larua ſe nimis ſuperiorum lateribus inſerunt, infidelitatis ſuſpicionem incurrunt. p.284.

Et vocauit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim. Meritò honorantur illi, quos vocare neceſsè fuit: ſicut de dignitate ſolliciti repelluntur: nam negotioſa honoris ambitio ipſa ſolicitudine inhonoratur, ſublimitate ipſa decreſcit. p.297.

Et vocauit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis. Ad Apoſtolatus dignitatem ex ſuis elegit, quia benemeriti erant, decetq; Principes, & Præſules ſuis priùs benefacere, quam exteris. p.17.

Et elegit duodecim ex eis. Quos expertos habebat in virtute præſtantes elegit: nam bonus Princeps pios; malus autem impios eligit miniſtros. p.579.

Et elegit duodecim ex ipſis. Meritis excellentiores, & virtute præclaros viros elegit: nam res maximi doloris eſt, quod dignioribus depreſſis, indigni ad dignitatem ſubleuentur. p.23.

Simonem, quem cognominauit Petrum. Antè omnes Diſcipulos ſemper recenſetur Petrus; quia ſanctitas non renuntiauit vrbanitati, & comitas ſuperioris illuſtrius ſtemma eſt. p.400.

Et Iudam Iſcariotẽ, qui fuit proditor. Cur eligitur qui futurus era proditor? Sanè quando eligitur, nondum erat præuaricatus, & dignitas illi, qui meretur, etiamſi inimicus futurus ſit, conferenda eſt. p.488.

IN FESTO S.AVGVSTINI.

Matthæi 5.

VOs eſtis ſal terræ. Quo ſale debeat condiri Verbum Dei vbertim habes. à p.150. vſque ad p.158.

Vos

Vos eſtis ſal terræ. Non ſolùm debet mulcere fauoribus Præſul, ſed tanquam ſal aſperitate corripere; nam impunitas vitia fouet: ſupplicium auertit. p.433.

Vos eſtis ſal terræ. Sal, etſi mordeat, non corrumpit, ſed præſeruat. Porrò Prælatus vitia ſubditorum ferire debet, non perſonam. p.8.

Vos eſtis ſal terræ. Ne, ſicut ſal ſenſum carpit, Prælatus nimia vtatur ſeueritate: nam ſępè placida menſuetudo fortior perſuaſionis energia eſt. p.399.

Vos eſtis ſal terræ. Sicut ſali tribuitur, quod caro ſibi adiuncta corrumpatur: ſic ſubditorum ſcelera ſuperioribus imputantur. p.442.

Vos eſtis ſal terræ. Vt alteri proficiat, & inſeruiat, ſal liqueſit: quia ſuperiorum munus dura eſt ſeruitus. p.485.

Vos eſtis ſal terræ. Cum proprio diſpendio ſal alijs proficit. Etenim Principis nomine indignus eſt, qui vel cum ſuo periculo ſuos ab iniurijs non tutatur. p.219. Vndè regni Tutores ob nulla commoda propria debent ipſum non ſeruare innocuum. p.200.

Vos eſtis ſal terræ. Sal, niſi deſinat eſſe, non proficit: quia Sapientes, qui Rempublicam tuentur proindeque in vita exaltandi ſunt, non niſi poſt mortem honorantur. p.337.

Quod ſi ſal euanuerit, ad nihilum valet vltra. Lethaliter regnum nutat ad ruinam, quandocumque capitum conſilia non proficiunt & corrumpuntur. p.256.

Ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras. Ideſt, vt deponatur à dignitate, quod mortis quoddam, imò & inferni genus eſt p.510.

Vos eſtis lux mundi. Videlicet ſapientiæ luce exornati, cui aduerſantur inimicæ tenebræ: quia frequenter ſapientia caret præmio; ſtultitiæ nunquam deeſt. p.27.

Vos eſti lux mundi. Rectè luci, quæ reliquas creaturas in earũ creatione anteiuit, Prçlatus confertur: nam in ęqua meritorum lance caua ſapeintia iniuniori eſt præferenda pag. 375.

Vos eſtis lux mundi. Lux beſtias relegat, aues garrire facit: ſic bonus Præſul pios iuxta ſe habet miniſtros, impios longè abigit. pag. 579.

Vos eſtis lux mundi. Lux quidem ad intellectum pertinet, vt ſciat ſuperior merita trutinare, & vniuſcuiuſque genij habita ratione munera impertiri. p.566.

Vos eſtis lux mundi. Lux nullum non fouet, & illuſtrat locum: quia dignitas in luce deſcripta, cui meretur, etiamſi inimicus ſit, conferenda eſt. p.488.

Vos eſtis lux mundi. Facillimè à tenebris lux extinguitur: ſic præclarę virtutes infortunatæ ſunt & moribundæ. p.83.

Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Ciuitas, in qua præfectura deſcribitur, commune eſt omnium habitaculum: quia dignitas quæ confertur digno, ab omnibus poſſidetur. p.404.

Non poteſt ciuitas abſcondi. Opportunè dignitas integræ ciuitati confertur, vt ſciat Præſul bonum publicum communitatis priuato eſſe præferendum. p.112.

Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Ideſt, ſupra merita fundata, vt ſubſiſtat: nam magnitudo ſinè proprijs meritis facilè eſt ruitura. p.93.

IN FESTO NATIVITATIS B.MARIÆ VIRGINIS.

Matthæi 1.

Liber generationis Ieſu Criſti. In Mariæ Natiuitate Liber Generationis Chriſti legitur: vt vtriuſque Generationis idem feratur iudicium aſtronomicum: nam vterque ſub aſtrorum gratiæ benigno aſpectu concipitur & naſcitur, ne culpæ influxus matrem aut filium reſpiciat. p.506.

Liber generationis Ieſu Chriſti. Quamuis ſuperfluum videretur nobilem Chriſti proſapiam referre, quia nota omnibus erat: tamen quia aliquando Chriſtus dictus fuit Samaritanus, neceſsè fuit hanc notam depellere: nam nulla facilior, nullaque ſenſibilior iactura honoris eſt. p.289.

Filij Dauid, filij Abraham. Anteit Dauid Abraham in narrationis ſerie, quia à tyrannide Philiſthæi populum liberauit, antequam illum deuinceret. p.525.n.3.

Filij Dauid, filij Abraham. Proauorum Chriſti recenſetur nobilitas, vt eius virtus magis exaltetur: quia illuſtrior virtus à nobilitate eſt. p.433.

Phares, & Zaram de Thamar. Beneficium Redemptionis à perditiſſimis, ſuæ proſapiæ fœminis, qualis erat Thamar, inchoauit: quia decet Principes, & Præſules ſuis priùs benefacere, quam exteris. p.17.

Booz autem genuit Obed ex Ruth. Ruthæ, Thamaris, Berſabeæ, & aliorum parentum impietate, & ſqualore non deuenuſtatur Chriſti nobilitas, imò illuſtratur eius clementia: quia dum magis in Deum inſurgit hominum malitia, magis ad miſerendum Deus exurgit: p.368.

Ex ea, quæ fuit Vriæ. Fortè cauet Euangeliſta fœminam nominare impudicam: vide, quam ſit periculoſum viri, ac mulieris commercium. p.593.

Salathiel autem genuit Zorobabel. At in Ieremia dicitur. Salathiel fuiſſe ſterilem: fortè quia eius filij à regno fuerunt depoſiti, honoriſque priuatio mortis quoddam & gehennæ genus eſt. p.310.

Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ. Poſt tot gratiæ mortes relatas, & languidas virtute, Mariæ recenſetur gratia: quia cæteris Adæ filijs areſcentibus, illa ſemper virebat. p.513.n.1.

Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ. Non narratur naturalis Mariæ propago: quia om-

omnibus à primo parente hereditate poſſidendis, renunciauit. p.517.n.2.

De qua natus eſt Ieſus. Cur de Maria eius ſit filia non dicitur, ſed eius ſit mater; Planè vt innuatur, nullam à ſuis parentibus culpam contraxiſſe. p.525.n.3.

De qua natus eſt Ieſus. Non ſolùm Chriſtus, ſed omnes ex Maria naſcimur: quia omnium mater effecta eſt. p.534.

De qua natus eſt Ieſus. Gaudet Chriſtus filiationis debitum publicari: quia illi Euchariſtiæ inſtitutione ſatisfecit. pag.586.n.5. & pag.537.n.2.

De qua natus eſt Ieſus. Mariæ parentes non recenſetur, ſed matrem Chriſti fuiſſe perhibetur, quod ſaltem de congruo ſua virtute promeruit, nobilitatemque virtutis generis nobilitati præpoſuit. p.423.n.4.

De qua natus eſt Ieſus. Non ſolùm Chriſtus, ſed eius miſericordia ſoboles eſt Mariæ:nam ab illa pietatem hauſit, ad ipſiuſque nutum munera diſpenſat. p.533.

IN EXALTATIONE SANCTÆ CRVCIS.

Ioann. 12.

Adi feſtum Inuentionis S. Crucis.

IN FESTO S.MICHAELIS ARCHANGELI.

Matth. 18.

QVis putas maior eſt in regno cælorum? Maximè triſtabantur diſcipuli cogitantes, eorum aliquem cæteris eſſe præponendum, quia res ſummi doloris eſt, æquales feliciores contueri. p.627.

Quis putas maior eſt in regno cælorum. Vnuſquiſq; interrogantium potiorem ſibi locum cupiebat, & ambibat; ideò meritò repelluntur: nam negotioſa honoris ambitio ipſa ſolicitudine inhonoratur, ſublimitate ipſa decreſcit. p.297.

Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Vt optatum ſupremum locum aſſequātur, paruulos effici oportebat:nam vera magnitudo omnes ambit extremitates, & ſupremam, & infimam. p.86.

Et efficiamini ſicut paruuli. Benè faſtigium anhelantes, relabuntur ad extremum paruitatis: quia quo magis ambitioſus aſcendere conatur, magis cadit. p.177.

Et efficiamini ſicut paruuli. De extremo magnitudinis optato ad extremum humilitatis retrahuntur: quia cum cętera vitia citrà condignum plectantur, ſuperbia ad extremum vſque punitur. p.179.

Et efficiamini ſicut paruuli. Non ſolùm pro tunc concupita non aſſequuntur, ſed ab eo quod erant, ſuggeruntur cadere: quia ambitioſus bonorum perditione multatur, & dum non poſſeſſa quærit, poſſeſſa amittit. pag. 206.

Et efficiamini ſicut paruuli. Vbi incrementa accipere autumabant, diminutionem capiunt; Sanè magnitudine res decreſcunt. pag. 447.

Et efficiamini ſicut paruuli. Profectò hoc non erit difficilè ambitioni, quippè quæ nullum non vile agit. p.474.

Niſi efficiamini ſicut paruuli. Durum conſilium à magno paruum effici: nam honoris priuatio ambitioſo mortis quoddam, imò & gehennæ genus eſt. p.310.

Niſi efficiamini ſicut paruuli. Non reprehendit Chriſtus præfecturæ cupiditatem, imò media proponit, quibus illam aſſequantur: ſanè imperandi deſiderium non ſemper eſt reprehenſibile. p.198.

Quicumque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cælorum. Merita hic non diſcipulorum perſonas Chriſtus anteponit ad dignitatem, quod magnum omnibus erat ſolatium: nam dignitas, quæ confertur digno, ab omnibus habetur. pag. 404.

Hic maior eſt in regno cælorum. Scilicèt vbi benemeriti æternâ potientur dignitatem: nam in temporalibus non eſt ambienda perpetuitas. p.217.

Hic maior eſt in regno cælorum. Non omnibus, ſed plus merenti potiorem locum pollicetur: nam æqualitas præmij excidium ſolet eſſe Reipublicæ. p.541.

Hic maior eſt in regno cælorum. Meritò humilibus, & animo pacatis præfectura reſeruatur cœleſtis: nam res maximi doloris eſt, quod manſuetis, & ſedatis viris depteſſis, rixoſi, & turbulenti rerum publicarum potiantur. p.23.

Hic maior eſt in regno cælorum. Non toruo ſupercilio, ſed blanda manſuetudine reprehendit Chriſtus, & inſtruit, quos à maioritate excludebat: nam qui à prætenſo repulſam patitur, bona excludentis debet audire verba. p.371.

Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, &c. Manus ſcandalum parit, quandocunque à Dei famulatu ad mundi voluptates diuertimus, quod claudicare vbique eſt: nam qui ad neutram manum omninò inclinat, vtroque pede claudicat. pag. 487.

IN FESTO S. HIERONYMI ECCLESIÆ DOCTORIS.

Matthæi 5.

Recognoſce, quæ dicta ſunt in feſto S. Auguſtini.

IN FESTO SANCTI ANGELI CVSTODIS.

Matthæi 18.

Euangelium expenditur in feſto Sancti Michaelis.

IN

Digitized by Google

IN FESTO S. FRANCISCI CONFESSORIS.

Matthæi 11.

Pro explanatione Euangelij adi feſtum Sancti Matthiæ.

IN FESTO S. THERESIÆ VIRGINIS.

Matthæi 25.

Adi feſtum B. Cathatinæ.

IN FESTO SANCTI LVCÆ EVANGELISTÆ.

Luca 10.

D*Eſignauit Dominus, & alios ſeptuaginta duos*. A Deo, qui omnium genium agnoſcebat, idonei Euangelicæ prædicationis deſtinantur miniſtri; etenim munera cum diſcretione ſunt conferenda. p.566.

Miſit illos binos. Vt vnus alteri ſolatium eſſet, virtutemque affricaret: nam iuſtorum ſocietas nunquam eſt non vtilis. p.102.

Miſit illos binos. Non ſolos mittit, ne à muneris ſingularitate ſuperbiant, & periclitentur: quam amabilis, quamque perniciosa ſit ſingularitas oſtenditur. pag. 341.

In omnem ciuitatem, & locum. Omnibus ciuitatibus iuſtos vult aſſociari, ne illorum defraudentur prouentibus: enimuerò magna calamitas Reipublicæ eſt mors, & abſentia iuſti, eo quod ſuis precibus à vindicta Deum retrahit. p.40.

In omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipſe venturus. Non excuſatur à peregrinatione diſcipulorum miſſione: quia Princeps, quæ ipſi incumbunt, per ſeipſum exequi debet. pag. 424.

Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Si meſſis non ſpiritualis eſſet, è contra accideret: eſſet quidem parua, & operarij plurimi: nam ferè omnes temporalium: pauci ſunt, qui æternorum ſentiant iacturam. pag. 623.

Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Vndè opus eſt, vt inceſſantèr laborent, qui huic muneri deſtinantur, vt ſaltem æquiualentèr multiplicentur miniſtri: ſanè Prælatus nullus debet eſſe ad quietem: multiplex ad laborem. p.501.

Operarij autem pauci. Lacrymabilis dolor, nam anima, vt fructum afferat, ſemper eſt colenda. p.647.

Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. Graue periculum vbique imminet virtutem ſectanti: quare oportet, vt ſit piè audax, & impoſſibilia tentet. p.410.

Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. Etiam tanto diſcrimini expoſiti; adire, vbi Chriſtus præcipit, non recuſant: quia via, qua Deus dirigit, quærenda eſt ſalus. p.146.

Neminem per viam ſalutaueritis. Qui Deo famulantur, totos oportet ſuo muneri eſſe intentos, & aliorſum non diuerti: quia egerrimè Deus fert, vt ſegnitèr, & quaſi ex occaſione noſtræ ſaluti intendamus. 138.

Primum dicite pax huic domui. Vt Deum vobiſcum eſſe credarut: nam ſicut à diſcordibus exulat, ſic in omnis charitatis vinculo vnitis complacet. p.30.

In eadem autem domo manete, donec exeatis. Etiamſi malè tractentur, permanere præcipiuntur; quia non leui cauſa ab amicis ſemel aſſumptis, eſt recedendum. p.278.

Edentes & bibentes, quæ apud illos ſunt. Prædicatores Euangelici omnibus in licitis perhumanitèr ſe accomodare debent: nam placida manſuetudo fortior perſuaſionis energia eſt. p.399.

Nolite tranſiere de domo in domum. Cauet Chriſtus, ne ſui inconſtantia arguantur in amicorum ſequela: nam vtroque pede claudicat: qui ad neutram manum inclinat. p.487.

Appropinquat in vos regnum Dei. Facilis & plana iam nobis via ad cœlum eſt. p.480.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Matthæi 5.

B*Eati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Hæc prima beatitudo octauæ correſpondet in præmio, vbi perſecutionem patientes, regni cœleſtis poſſeſſores perhibentur, quaſi idem ſit pauperem eſſe, & perſecutionem perpeti, quia aduerſus pauperes diuites cruentè inſurgunt, quorum vel ſolo viſu ſuffocantur. p.72.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Regalis honor donatur illis, qui pro Deo diuitias amittunt: quia quod pro Deo largimur non minuitur: ſed cum ingenti lucro recipiunus. p.652.

Beati pauperes ſpiritu. Illi ſcilicet, qui omnibus renunciarunt, vt Dei prouidentiam exaltarent: nam mundialium rerum abdicatio mirabile eſt Dei opus. p.585.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Paupertatem ſectantibus ſtatim merces obijcitur, vt feruentiùs eam ſequantur: nam præmia alunt virtutes. p.613.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Non dixit: Quia ditabuntur: nam tranſitus extremæ paupertatis ad diuitiarum extremum inter opera Dei non computatur. p.195.

Beati mites, quoniã ipſi poſſidebunt terram. Ideſt ad ſuam doctrinam ſectandam, audientes efficacitèr inducent, quia placida manſuetudo fortior perſuaſionis energia eſt. p.399.

Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Videlicet in finali iudicio: nam iuſtorũ ęrumnis extrema iudicij dies erit ſolatium. pag. 166.

Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. Ardens hic aſſequendi virtutem ſignificatur deſiderium

rium

rium: quia ægerrimè fert Deus, vt ſegnitet & quaſi ex occaſione noſtræ ſaluti intendamus. p.138.

Beati miſericordes. Opportunè hæc beatitudo vocatur: nam hoſpitalitas erga pauperes diuina virtus eſt, & beatitudinis complementum. p.654

Beati mundo corde. Cordis, non oris munditia Deo placet: quia nihil eſt deteſtabilius, quã amicum os præferre, & inimicum cor geſtare. p.282.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Sanè Dei verbum refert, qui verbum inimico non denegat: ſed amicè cum eo loquitur. p.638.

Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Solùm egeni propter iuſtitiam patiuntur: nam diues impunè delinquit: pauper inualidus pœnæ obnoxius eſt. p.439.

Beati eſtis cum maledixerunt vobis. Hæc vltima & maior iuſtorum perſecutio eſt, conuitijs nempè impeti: nam nihil eſt grauius ingenuis viris, quam illudi. p.187.

Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Gloriæ promiſſione ad lętitiam prouocat: quia ſpes gloriæ merorem fugat, animumque tranquillat. p.411.

Quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Meritò tot labores ſubeuntibus cœleſte regnum promittitur: nam ijs, qui in expugnatione hoſtium fortiter dimicarunt, & propter gloriam Principis incommoda pertulerunt, præmia debet largiri. p.435.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS.

Matthæi 25.

Simile eſt regnum cælorum decem virginibus. Perpetuum fore regnum cœlorum oſtenditur ex comparatione ad virginitatem, nam caſtitas mortis eſt expers. p.591.

Simile eſt regnum cælorum decem virginibus. Fœcunda virginitas, cui cœlum confertur ideſt Eccleſia militans: vbi tunc ad Deum per ſimilitudinem aſcendimus, cum bona noſtra opera non infœcunda ſunt, ſed ſe mutuò gignunt. p.413.

Quæ accipientes lampades ſuas. Feſtiuant virgines, & inuigilant, vt cœleſti placeant Sponſo, & intra beatitudinem recipiantur: nam pudor eſt pro æterna gloria non præſtare, quod pro peritura facimus. p.601.

Exierunt obuiam Sponſo. Sedulò virginitatem ſeruare ſtudentibus aſſociatur Sponſus, vt auxilium præſtet: nam nonniſi Deo auſpice, & actiter pugnante, importunæ carnis illecebræ ſuperantur. p.588.

Exierunt obuiam Sponſo. Cautè morti occurrunt, vt oſtendant, eam, fuiſſe ſuſpicatas, in proximo eſſe: nam magna dæmonis tentatio eſt, mortem diſtantem obijcere. p.169.

Quinque autem ex eis erant prudentes. Apud Diuinum Iudicē munerantur prudentes, fortè apud humanum plecterentur: quia egregiæ virtute infortunatæ ſunt, & moribundæ. p.83.

Quinque autem ex eis erant fatuæ. Miror, quod fatuæ à nuptijs excludantur: nam ſæpè ſapientia caret præmio: ſtultitiæ nunquam deeſt. p.27.

Dormitauerunt omnes. Vel ob leuem dormitationem repulſam patiuntur æternam: etenim in mortem, vel minima peccata nos premunt. p.606.

Date nobis de oleo veſtro. Sinè proprijs non proſunt aliena opera. p.12.

Date nobis de oleo veſtro. Quid agerent alieno oleo præuentæ & proprio deſtitutæ, quandoquidem magnitudo ſiuè proprijs meritis facilè eſt ruitura. p.93.

Date nobis de oleo veſtro. De alieno lucere procurant: nam homines videntur habere, niſi quod ab alijs aufertur. p.209.

Domine, Domine, aperi nobis. Bis Dominum inuocant, vbi finis inſtat: nam mortis hora ſic periculoſa eſt, vt quaſi Deo duplici indigeat. p.95.

Domine, Domine, aperi nobis. Meritò repelluntur, quæ duplicem Dominum implorant: nam vtroque pede claudicat, qui ad neutram manum in famulatu inclinat. p.487.

Domine, Domine, aperi nobis. Fortè dominia ingeminant, vt pluralitatem perſonarum in auxilium aduocent ſcientes Deum vnum natura eſſe, vt faciliùs ſeruiatur: multiplicem in perſonis, vt abundantiùs benefaciat. pag. 408.

Neſcio vos. Somnio torpentes, quamuis validiſſimè inclament, excludit: quia non minùs ægrè Deus fert, quod illum tepidè quæramus, quam quod auertamur ab ipſo. pag. 550.

Intrauerunt cum eo ad nuptias. Vbi perpetua erit exultatio: nam Eccleſiæ Catholicę fortitudo ſemper erit inuicta, eo quod vnico ſuo innitatur ſponſo. p.547.

Extremi iudicij ſeueritas hic deſcribitur: de quo plura habes, per tres integros diſcurſus, à p.162. vſque ad p.167.

PROLO-

PROLOGOMENA
IN
HABACVC
PROPHETAM.

1\. QVI de quacumque diſciplina tractatus edunt, Prologomena quædam addere ſolent, quæ Lectoris animum inflamment ad totius operis notitiam ſibi comparandam; qua ratione (vt ſcitè ad modum monet celebris Carpathiorum Epiſcopus Philo in caput prim. Cant. tom. 1. Bibliothecæ Patrum) in magnificis ædibus ſunt veſtibula quædam, & atria, porticus deambulacra, aliaque huiuſmodi, quibus cætera, quæ in ſecretioris domus promptuario, & penetrali, tricliniorumque receſſibus continentur, fiunt manifeſta; eadem omninò totius ſubiectæ materiæ ordo, dignitas, & præſtantia vno quaſi intuitu in hiſce præludijs agnoſcetur, vt argui meritò debeamus, ſi tritam hanc ſcribendi formam neglexerimus, vt Noſter Sapientiſſimus Camath in Præfatione de rebus Eliæ adnotauit, ob hanc ergo cauſam ſequentia Prologomena in noſtrum vatem breuiter præmittemus, ne tempus inutiliter teramus.

*

Digitized by Google

PROLOGOMENON I.

De Patria, & Genere Habacuc.

2. EX Vaticinio Habacuc nulla, vel coniectura ſumi poteſt, de eius patria, aut genere: fuiſſe tamen de Tribu Simeon,& ex agro Bethſacar communis ferè omnium ſententia eſt, quam tenet ex antiquis Epiphanius, Iſidorus, Dorotheus, & ex recentioribus quamplures: Paraphraſtes Chaldæus fœminæ Sunamitidis filium fuiſſe Habacuc tradit, illum ſcilicet, quem Eliſæus Propheta à mortuis excitauit.

PROLOGOMENON II.

De tempore, quo Prophetauit Habacuc.

3. INcertum valde eſt, quo tempore, & ſub quo Regum Habacuc prophetauerit. Genebrardus in Chronicis, quem ſequitur Ribera præludio ſecundo in Habacuc, & Sanchez Prologomeno 2. in eundem Prophetam exiſtimant Habacuc Diſcophorum, id eſt,qui panes introduxit in alueolum, ſeu qui meſſorum prandium Babylonem ad Danielem attulit, fuiſſe ab hoc noſtro, in quo nunc noſtra laborat expoſitio, diuerſum, qui duos eſſe dicunt eiuſdem quidem nominis, ſed ætatis diuerſæ, vtrumque Prophetam, non ſic eiuſdem vtrumque tribus.

4. Interpretes ferè omnes in oppoſitam conſpirauerunt ſententiam,& quod caput eſt, plerique Patrum, & pictura, quam Eccleſia in Sacris Biblijs in limine huius prophetiæ exarauit: ſic Hieronymus pro mille. *Et vt ſcias* (ait in Prologo ad hunc vatem) *eo tempore fuiſſe Habacuc,quo iam duæ tribus (quæ vocabantur Iuda) ductæ erant in captiuitatem, Daniel te docere poterit* 14. *ad quem in lacum Leonum Habacuc cum prandio mittitur*. Ego verò his potius aſſentio, qui ante Ieroſolymæ ruinam, & ante captiuitatem Iudæorum Habacuc propthetâſſe, & vaticinia detonuiſſe arbitrantur, vt totius vaticinij indicat contextus, nam non Prophetæ, ſed poetarum nugatio eſt, de præteritis quaſi de rebus venturis vaticinari; itaque exiſtimo ex profeſſo contra Iudam, & Beniamin onus tollere prophetiæ, eoſque primum graui, & moleſto captiuitatis pondere degrauare; mox ex occaſione inter colloquendum cum Deo vaſtationem Chaldæorum inſerere: ita Guevara in cap. 1. ad hunc vatem. Deinde cenſeo illum in vltimo Manaſſæ Regis annis, nihilque inde incommodi, aut abſurdi eſſe; quandoquidem commune ſcriptoribus omnibus eſt, eos, qui fuerunt annorum viciniitate coniuncti, ad eandem referre ætatem; itaque Nahum, Ioel, & Habacuc in diebus Manaſſæ vaticinati ſunt, ſic Montanus ad cap. 1. noſtri vatis, qui hoc probat ex Hebræorum annalibus, Euſebio, & alijs, & per hæc non erit operoſum rationibus in contrarium adductis ſatisfacere.

PROLOGOMENON III.

De nomine, vita: & morte Habacuc.

5. HAbacuc (vt Author eſt Hieronymus in Prologo huius prophetiæ) amplexum ſignificat, & luctatorem. *Habacuc* (inquit) *vel ex eo, quod amabilis eſt, vocatur amplexatio; vel quod in certamen, & luctam (vt ita dicam) amplexu cum Deo congreditur, amplexantis, id eſt, luctantis, fortius eſt nomen. Nullus enim tam audaci*

voce auſus eſt Deum in diſceptionem iuſtitiæ prouocare, & dicere ei: cur in rebus humanis, & in mundi iſtius tanta rerum verſetur iniquitas: vſquequo Domine clamabo, & non exaudies:

6. De vita, & morte nihil amplius habemus, niſi fuiſſe mortuum biennio, antequam duæ tribus redirent ab exilio, illud accipe à Kalendario Romano eius feſtum recolente ad diem 15. Ian. quo die veriſimile eſt deceſſiſſe Habacuc; nam ſanctorum plerumque non tam natalitij dies, quam extremi vitæ celebrantur: ſic autem habet Kalendarium ad prædictum diem Ianuarij, *in Iudæa ſanctorum Habacuc, & Michææ prophetarum, quorum corpora ſub Theodoſio ſeniore diuina reuelatione reperta ſunt*. Licet Monologium Græcorum hos duos Prophetas tempore diſcludat, quia Habacuc 2. Decemb. Michææ verò 24. Ian. memoriam facit; & Kalendarium Romanum de translatione corporum horum prophetarum intelligi debere tenet Sozomenus lib. 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. vlt. *At qui non hæc ſola Religionem cohoneſtabant, verum etiam Habacuc, & poſt eum non longo interuallo Michæas inter Prophetas primi circa hoc tempus apparuerunt. Amborum autem corpora, vt intellexi, per diuinam in ſomnijs viſionem indicata ſunt Sebeno tunc temporis Eleutheropolis Epiſcopo, erat autem nomen eius Ciuitatis Cela, quæ ante Ceila vocabatur, in qua repertus fuit Habacuc. At Baratſacia locus eſt circiter decem ſtadijs ab ea ciuitate diſtans, in quo Michææ ſepulchrum erat, quod monumentum fidele vocabant indignæ ignari, quid dicerent.*

PROLOGOMENON IV.

Quo ſpectet Prophetia hæc.

7. Communis interpretum ſententia cum Hieronymo exiſtimat totum hoc vaticinium ad Chaldæos contorqueri, qui duas tribus Iuda, & Beniamin ſubuerterunt, ſicut vaticinium Nahum, quod præceſſit, ad Aſſyrios, qui vaſtauerunt decem tribus: placet tamen quod addit Sanchez in 4. Prologomeno ad hunc vatem; nempè ad illos deuolui hoc vaticinium, qui aut iniquis conſilijs, comptiſque iudicijs, aut abſque vlla ſimulatione, aperta vi, iuſtorum, & inopum opes, & ſalutem oppugnant, quòd rectè colligit ex eo, quod Propheta in principio duriùs videbatur accipere, & ea de re cum Deo expoſtulare liberiùs, quaſi iuſtorum, & pauperum adieciſſet curam, & illorum res, & cauſas iniquorum libidini permiſiſſet; cui reſpondit Dominus ſibi curæ eſſe iuſtorum ſalutem, nec viros illos iniuſtos, & violentos iniquitatem, & audaciam laturos impune, aderit enim Chaldæorum Rex erectus, cui ipſe ducem ſe præbebit, quo in horum hominum conſilia animaduerteret ſeuerè, & ab illis extorquebit opes, & ſanguinem exprimet, quæ è pauperum vſu, ac vita in ſuam ſibi vitam, & vſus tranſtulerunt. Sed quia ipſi quoque Chaldæi iniquius ſe gerent in alios, & immitiùs, quam Deus ipſis in populum Iudaicum conceſſerat, aduersùs illos dicit paratum etiam eſſe ſupplicium, in quo deſcribendo multus eſt, mirificus Propheta; cum autem à Chaldæis populus ille diù captiuus grauiter eſſet, & ignominioſè vexandus ne putaret Propheta fuiſſe Deum afflictorum, & pauperum immemorem, addit ad extremum ſingulare illud beneficium, quod tùm illi populo, tum orbi vniuerſo præſtitit, cum aſſumpta carne inter homines illorum naturæ ſocius conuerſari voluit. Cum autem iam Propheta clariùs intelligeret quàm Deus curaret omnia, & quam in humanum genus eſſet munificus, beneficium illud agnoſcit, & prædicat, & in illo ſibi gaudendum, atque in extremo rerum diſcrimine ſperandum eſſe ſubſidium confitetur. Hæc aptè affert Sanchez, quæ ad verbum retuli, quia pro huius prophetiæ ſtylo nil rectius dici potuit.

Digitized by Google

IN HABACVC PROPHETAM.

Perſcriptio Capitis Primi.

VIDENS noſter Propheta Nabuchodonoſorem armatum, & intelligens velle Deum ei tradere non ſolum Iudæam, ſed & omnia Aſiæ regna zelo inardeſcens querimonias coram Deo effundit, eo quod fidelem populum infideli traderet tyranno, & quodammodò expoſtulat cum Deo, eo quòd à potentioribus, & iudicibus infirmior turba impunè laceretur; quem ſolatur Dominus, dum ait venturum eſſe Chaldæorum Regem, qui tàm de his, quám de vicinis populis, qui Iudæorum rebus, atque conſilijs fuerunt inſenſi, graues exigat pœnas. Chaldæorum in rebellica ſtrenuam virtutem, ingeniumque ad omnem crudelitatem promptum, & incitatum amplificat. Cumque Propheta, quid à Chaldæis Iudæorum populus eſſet paſſurus, iam inde ab eo tempore cognoſceret, queritur iterum, licèt magis, quam antea, modeſtè, quam ab impio Chaldæorum genere minus impius Iudæorum populus barbarum in modum tractaretur; cum verò illius quoque interitum oculis intueretur propheticis, meliori eſt animo, & ſibi, ac genti ſuæ libertatem, & pacem à Dei benigna liberalitate promittit.

CAPVT I.

VERS. 1. Onus, quod vidit Habacuc Propheta.
2. Víquequo Domine clamabo, & non exaudies? Vociferabor à te vim patiens, & non ſalua-bis?
3. Quare oſtendiſti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam, & iniuſtitiam contra me? Et factum eſt iudicium, & contradictio potentior.
4. Propter hoc lacerata eſt lex, & non peruenit vſque ad finem iudicium: quia impius præualet aduersùs iuſtum, propterea egreditur iudicium peruerſum.
5. Aſpicite in gentibus, & videte: admiramini, & obſtupeſcite: quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet, cum narrabitur.
6. Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos, gentem amaram, & velocem ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua.
7. Horribilis, & terribilis eſt: ex ſemetipſa iudicium, & onus eius egredietur.
8. Leuiores pardis equi eius: equites namque eius de longè venient, volabunt, quaſi aquila feſtinans ad comedendum.
9. Omnes ad prædam venient facies eorum ventus vrens: & congregabit quaſi arenam captiuitatem.
10. Et ipſe de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt: ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.

11. Tunc

11. Tunc mutabitur ſpiritus, & pertranſibit, & corruet: hæc eſt fortitudo eius Dei ſui.

12. Numquid non tu à principio Domine Deus meus, ſancte meus, & non moriemur? Domine in iudicium poſuiſti eum: & fortem, vt corriperes, fundaſti eum.

13. Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. Quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe?

14. Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens Principem.

15. Totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuum. Super hoc lætabitur, & exultabit.

16. Propterea immolabit ſagenæ ſuæ: & ſacrificabit reti ſuo, quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus.

17. Propter hoc ergò expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non parcet.

Onus quod vidit Habacuc Propheta.

ANNOTATIO I.

Expoſitio Litera.

2. FRequentiſſima in Prophetis eſt hæc vox *onus*. Tres illam habent in titulo ipſo prophetiæ: Nahum, Habacuc, & Malachias, alijs locis alij. Significat autem triſtem, & plenam minarum Prophetiam, vt docet D. Hieronymus lib. 5. in Iſaiam cap. 13. & ſæpè alibi. Ratio huius nominis eſt, quòd eos, aduerſus quos vaticinatur, & prophetia contorquetur, premat, & aggrauet, vt pondus magnum, quod non ſinit eleuare ceruicem, vt idem ſanctus Doctor exponit in Prologo commentarij Nahum. Quod peculiare habet in noſtro vate, ideſt, quòd cæteri Prophetæ exponere ſolent, cuius nam onus prophetiæ ſit. Ideſt, in quem minax, & funeſta prophetia ſcribatur, vt Nahum *onus Niniue*, & ita reliqui; at Habacuc perſonam tacuit, quam vaticinium ſuum inſpiciebat, & tantùm dixit *onus, quòd vidit Habacuc*. Ratio autem huius diſcriminis ea eſt, quam affert Ribera ad hunc locum, quia cæteri Prophetæ contra certam aliquam perſonam, aut ciuitatem vaticinantur, quapropter facile fuit nomen gentis, aut ciuitatis apponere, vt Iſaiæ cap. 13. *Onus Babylonis, quòd vidit Iſaias* cap. 15. *Onus Moab.* cap. 17: *Onus Damaſci.* Nahum. 1. *Onus Niniue*. Malachiæ 1. *Onus verbi Domini ad Iſrael*: at verò Habacuc contra multos prophetauit, & ideò eorum nomina inſcribere iure omiſit; nec enim tot, tamque diuerſa rectè ſimul commemorari poterant, etenim quamuis potiſſimum videatur contra Chaldæos vaticinari, & contra Nabuchodonoſor, qui poſt paucos annos duas tribus captiuas erat adducturus, etiam contra ipſas duas tribus in hoc cap. prophetat, & contra multas alias nationes ab eo debellandas, quas non nominat. Addo, quòd licet contra Nabuchodonoſorem Regem, & contra gentem ſuam ſit vaticinatus, ipſum, & ipſam non nominat, ne mala populo perpetrata innoteſcerent, & vt Regi obſeruaret debitam reuerentiam.

DISCVR-

DISCVRSVS I. MORALIS.

In obiurgandis principum, ac ſuperiorum erratis publico ſermonis iaculo haud vtendum.

1. QVoniam vates noſter contra Nabuchodonoſor Regem impium, barbarum, & crudelem onus prophetiæ aſſumpſerat, idcirco à cæterorum prophetarum ſtylo recedens, non ſicut illi, in prophetia nomen Regis exprimit, ſed reuerentiæ cauſa clam, & latenter arguit etiam impijſſimum tyrannum; etenim quamuis talis ſit, qui clauum tenet, non publico ſermonis clauo figendus eſt; vnde Seneca libro de tranquillitate animæ conſulit, vt ab his, quæ ad perſonam publicam ſpectant, priuatæ omninò abſtineant. *Nemo nihil alieni agat, nihil quod ad iudicem ſpectet, ametur expers publicæ, priuatæque curæ tranquillitas.*

2. Cum olim populo paleę iuſſu iniuſti Pharaonis non darentur, & ab eo eadem multitudo laterum exturqueretur, miſeri Hebræi flagellati coram Pharaone conqueruntur, *Paleæ non dantur nobis, & lateres ſuper imperantur, en famuli tui flagellis cædimur, & iniuſtè agitur contra populum tuum.* Exod. 5. videtur, quòd Hebræi dolore perciti querelas commutarunt; cur non dicunt iniuſtè agis? ſed iniuſtè agitur, cum non exactores, ſed impius Rex id feciſſet? Regis tyrannidem adminiſtros deuoluunt, & innocens arguitur palam, ac Regis iniuſtitia obtegitur? Ita enim expediebat, ait Lyra, qui planè ſcopum attigit. *Non dixerunt iniuſtè agis ne Regem offenderent, vel honori Regio detraherent, ſed dicunt: iniuſtè agitur: ſcilicet ab exactoribus tuis, & contra intentionem tuam.* Regi etiam iniquo, & tyrannicè populum agitanti iniuſtè agere, noluut prudenter dicere, formam etiam iniuſtum Regem corrigendi exhibentes, in alios primo iaculum correctionis intorquent, vt impulſu primo mitigato mitius in Regem relabatur; nec audent in ſacri ſolij verticem collimare ſagittam, quin obliquis ambagibus acta tardè, maturèque ad regalem thronum appropinquet; ideòque exactorum malignitati imputant iniuſtam Regis in populum tyrannidem.

3. Potuit Dauid, ſed noluit Saulem iniquũ Regem ſibi iniuſtè infenſum prendere in ſpelunca: clamidis partem, quaſi ſecreta correctione, præſcidit: egreditur à ſpecu purpureum Maieſtatis geſtans ſpolium. *Poſt tergum Saul dicens: Domine mi Rex, & reſpexit Saul poſt ſe: & inclinans ſe Dauid pronus in terram adorauit, dixitque ad Saul, quare audis verba hominum loquentium Dauid quærit malum aduerſum te?* 1. Reg. 24. non paruam difficultatem ingerunt hæc poſteriora verba. *Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduerſum te?* Nam vt ibidem habetur. Dauid gratiſſimus erat omni populo Iſrael. *Omnis Iſrael, & Iuda diligebat Dauid, ipſe enim ingrediebatur &c.* Cur ergo vnius Saulis pallidam inuidiam arguens non illi vitium, ſed aulicis, & populo imponit, quo ingratitudinis nota inureretur, dum populo, cui erat amabilis, odium, & inuidiam Regis attribuit? Egregiè Chriſoſtom. hom. de Dauide, & Saule. *Audiamus* (inquit) *& excuſationem ipſam, cur audis verba populi dicentium tibi: ecce Dauid quærit animam tuam? Et tamen qui hanc conſcripſit hiſtoriam; prius dixit: quòd totus populus eſſet cum Dauid, & ipſe ex propria mente malitiam hanc peperiſſet; quam igitur ob cauſam crimen tranſtulit in alios, niſi vt illi præbent occaſionem excutiendi malitiam?* Prudens admodum, & diſſerta correctio: latenter odium Regis arguit, & ad diligentes conuertit: pilam iacit in alios, vt non niſi poſt geminatum ſaltum tangat regnantem: ne ſi palam improperaret, regalem decorem deuenuſtaret.

4. Deutheronom. 34. ſic Moyſis interitus narratur. *Mortuus eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab iubente Domino, & ſepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem.* Mira Moyſi corporis occultatio. Cur (quæſo) Deus prohibet mauſoleum hominis ſibi grati, & amici cognoſci; tantoque ſtudio eum recondit? Cur qui tanto honore in vita fuit habitus propter eius iuſtitiam, & ſanctitatem, poſteà eius corpus recoli, & reuereri non permittitur? Ob id enim (ait Oleaſter) quia Moyſes Princeps fuit virtutibus nitẽs, & opinione præclarus, voluit Deus quòd naturalis mortis infirmitas, & defectus non publicentur; ideòque cadauer recondi ſatagit, ne iniuriæ mortis tanto Præſuli irrogatæ patefierent. *Omnia illa* (inquit Oleaſter) *maximè occultanda ſunt, quæ fratribus, & proximis ſcandalo eſſe poſſunt, vnde tot peccatis quis obnoxius eſt, quot alijs præbuit ruinæ occaſiones: non debet in ſeruis Dei defectus aliquis etiam naturalis apparere.* Quaſi dicat: etiam naturalia peccata, & cadentis, ſeneſcentiſque naturæ debilitas, quæ mortis notiones ſunt, & vmbratiles ſpiritualium culparum effigies, à Principe debent eſſe aliena; prouidèque ab illo exulanda, & occultanda à ſubditis ſunt.

5. Præclarum ſanè documentum in ſuperiorum erratis occultandis apparet in modo, quo Chriſtus ſe geſſit cum Apoſtolorum Principe; poſtquam enim ipſum negauerat, *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus Verbi Domini, ſicut dixerat: Quia priuſquam gallus cantet ter me negabis.* Luc. 22. Quæ verba rectè expendens Chriſoſtomus hom. 9. ad populum ait. *Chriſtus reſpiciens in*

Petrum

Petrum vocem dimiſit per intuitum; quaſi diceret; Petre quid factum eſt? Palpebris, & oculorum nutibus Chriſtus Petrum interrogat, & reprehendit, & latenter arguitur; ne error Petri Iudæis innoteſceret. Idem ferè accidit Petro: cum ſuper Thaboris iuga oſtenſo Chriſti miro ſpectaculo, ſic Dominum affatur. *Domine bonum eſt nos hic eſſe.* Matth. 17. & ſtatim ſubdit ſcriptor ſacer. *Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbrauit eos*. Ibid. v. 5. Et quorſum nubes Petro adhuc ſenſum ſuum indicante ſplendida ſuper omnes cadit? Nam vt optimè notauit Abulenſis, vt Petri verba interpellarentur, inuicto terrore nubes deſcendit. *Nubes* (inquit) *operiens eos terruit ipſos, cepitque ſermonem interrumpere*. Quæ erant verba Petri, quidue continebant, quid nubes lucida, quæ ea inuolueret, de cœlo emiſſa eſt? explicauit id Marc. cap. 9. *Non enim ſciebat; quid diceret*. Ignorantiam Petri ſermo Petri complicabat, & Pontificij Principatus candidatus iam erat. Chriſtus ergò vt doceret erratum Principis non eſſe euulgandum, ſed pallio illicò tegendum, ne à præſentibus cognoſcatur; vix errorem Petrus ex ore emiſit, cum nubem inſtar pellis, ſuper eum diuina prouidentia explicauit, quæ verborum vltimam prolationem ferè proripuit.

6. Satellitibus ad hortum accedentibus, vt comprehenderent Ieſum, ipſe occurrit: cum autem ſe ipſum quærere experimento comperiſſet: ſic ait: *Si ergo me quæritis, ſine hos abire.* Ioan. 18. Superuacanea videtur hæc Saluatoris noſtri cura pro diſcipulorum libertate exorantis, nam vt ipſe ſciuerat, ac prædixerat, ipſi fugam erant arrepturi: *Vos fugam capietis*. Si ergò ipſi ſe à periculo erant erepturi, & per fugam à Magiſtri conſortio ſeparandi, cur Chriſtus, vt ipſos fugere permittant, miniſtris non modo imperat, ſed rogat, & quaſi fugam diſcipulis præcipit, quo ipſam approbare, & conſulere videretur? Caietan. altè rem meditatur. *Non rogat: ſed præcipit, vt non capiant diſcipulos, ad inſinuandum, quòd non beneficio ſatellitum, ſed ipſius Ieſu, diſcipuli non ſint comprehenſi*. Rara ſententia, & difficultalibus plena; nam Chriſtus diſcipulorum metum, & fugam approbare non potuit, maximè dum Chriſti diſcipuli dignoſcuntur, & ne eum confiteantur coram Principibus fugam capiunt. Quo ergo pacto beneficio Chriſti liberantur, & ipſe illorum fugam præcipere videtur? Aſt hic myſterium latet; conſtituerat enim Chriſtus ſuos diſcipulos Principes terræ, & hominum Præſules, eorum metum, & mortis timorem agnoſcebat, atque fugam, & derelictionem ipſius; ne igitur eorum timor, & defectus, palam exeat, & à miniſtris cognoſcatur, ipſis præcipit fugam capere, & miniſtris eam permittere, vt eorum imbecillitas, & metus obedientia videatur; fugam ſunt capturi; ergo fugam præcipiamus, vt timiditas virtus appareat, & non ipſorum metu, ſed meo beneficio videantur liberi, ne eorum defectus publicentur.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Quicumque ſit ſuperior, maximo honore revereri debet.

1. PRæſul, quicunque ſit, non ſuam, ſed Dei perſonam agit. Siue ergo nobilis ſit, ſiue ignobilis, ſiue doctus, ſiue indoctus, ſummo honore, & reuerentia ſumma habendus eſt, quippè qui loco Dei reueretur: ille enim qui imperia diſtribuit, ſuper capita ferendos ſuperiores poſuit, quod ritus olim creandi Reges eos in altum eleuando, ſuadet (vt refert Aimonius lib. 3. de geſt. tyran. cap. 6.) ſic enim antiquitus mos erat creandi Regem, eum in clypeo à militibus eleuare. Quo pacto refert Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 28. ſolere Batauos, & Germanos Regem, quem diligebant, attollere humeris, & ſcuto exceptum acclamare, quo ſumma reuerentia colendum eſſe innuebant: vnde Seneca epiſt. 64. Præſules quicunque ſint, ſummo decore reuereri monet. *Si Conſulem videro, aut Prætorem, omnia, quibus honor haberi ſolet, faciam: equo deſiliam, caput adaperiam, ſemita cedam*. Quod non latuit Ionam Prophetam, qui à barbaris nautis acerbè reprehenſus, placidè reprehenſionem ſuſtulit in eis Deum agnoſcens arguentem ipſum. *Quid tu ſopore deprimeris? Surge, & inuoca Deum tuum; quod eſt opus tuum? & quæ terra, & ex quo populo es tu? Quid feciſti? Et quid faciemus tibi, & ceſſabit mare*. Ion. 1. vbi Theodoretus, *Eo vſque turpe eſt non obedire Deo, vt Propheta aliorum præceptor non ab inſipientibus reprehendi recuſet*. Quaſi dicat: ita inobedientia Deo inuiſa eſt, ita turpe & ſceleſtum ſuperioribus, qui Dei loco ſunt, non obedire, vt Ionas ab inſipientibus reprehendi non erubuerit, Deum recognoſcens in eis, qui illum corrigebant.

2. Obiturus Iacob filium ſuum Iudam ſic benedixit. *Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti; requieſcens accubuiſti, vt Leo.* Gen. 49. D. Hieronymus. *Licet de Chriſto grande myſterium ſit, tamen ſecundum litteram ſignificatur, quòd Reges ex Iuda per Dauid ſtirpem generantur; & quod adorent eum omnes tribus*. At cur filium, qui Rex futurus erat, ex quo Reges Iſrael, & Proceres illius populi procreandi, catulum ſimul, & leonem compellat? Ad quid Leonis maieſtatem adultam, cum catuli infantia in vno Iuda coniunxit, vt exinde adorandum ab omnibus tribus eum innueret? Crediderim; vt exprimeret Regem, & ſuperiorem indiſcriminatim adorandum eſſe, non propter id, quòd perſonaliter eſt, ſed ob dignitatem

Digitized by Google

tatem, quam habet, & Dei repræſentationem, cuius vices agit. Siue Leo ſit ſiue catulus, ſiue adoleſcens, ſiue ſenex, nobilis, aut ignobilis, doctus, aut indoctus, quicumque ſit maximo honore reuerendus eſt. Quòd indicant illa verba: *ad prædam aſcendiſti*: quæ ſic vertit Hieronym. ex Hebræo, *de captiuitate aſcendiſti, vt oſtenderet*, inquit Hieron. *eum captiuos populos eſſe ducturum*. Vel (vt ego credo) nihil obſtare eum captiuum fuiſſe, & infami ſeruituti mancipatum, vt ab omnibus tribubus Rx adoraretur.

3. Poſtquam Balaam Deus oculos aperuit, vt Angelum ſtantem in via diſtricto gladio intueretur, ipſumque Prophera adorauit, ſic eum Angelus aſinam verberantem reprehendit. *Cur tertiò verberas aſinam tuam*? Num.22. Non parum Interpretes fatigat, quòd Angelus Prophetam reprehenderit, eo quòd aſinam verberaſſet non viſo ipſo Angelo. Nunquid etiam bruta Angelum cuſtodem habent, qui ſic de eius verberatione dolet? Reſpondet Lyra. *Hoc autem factum eſt, vt præſumptio Balaam confutaretur etiam per animal brutum, ſecundùm quòd dicit beatus Petrus 2. Canonic. 2. Subiugale brutum hominis voce loquens prohibuit Prophetæ inſipientiam; reprehendit ergo Angelus Prophetam, dum brutum percutit, eo quòd magis deberet eſſe gratus, eo quòd declinauerit gladium Angeli*. Etenim vel brutum animal, quod nos dirigit, non verberandum, ſed reuerendum eſt: non ſolùm ſapientes; ſed vel inſipientes, qui nos dirigunt, qui nobis præſunt, ſummo decore, & reuerentia habendi ſunt; & ſi Prælatus aſinus ſit, & brutum animal, eum reuereri tenemur.

4. Præcepit Deus per internuntium Angelũ duci illi nobiliſſimo Cornelio, quòd Petrum ad ſe iuberet acceſſiri, vt ab eo audiret verbum Dei, inſtrueretur que in ijs, quæ ad ſalutem ipſius ſpectabant. *Mitte viros in Ioppen, & accerſi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus. Hic hoſpitatur apud Simonem quemdam Coriarium, cuius eſt domus iuxta mare*. Act. 10. Cur quæſo Cornelio non dicit Angelus, eum, qui compellandus erat Eccleſiæ fundamentum, Chriſti Vicarium, apud quem Eccleſiæ, & regni Dei extabant claues? Cur nullo horum illuſtrium titulo Petrum nominat, vt illius dignitatem commendet? quin potius innuit hominem ignotum eſſe, *Hominem quemdam*. Cur Petrum non magnificat, vt Cornelius reuerenter illum vocare præciperet, & venientem magna reuerentia eum honoraret? cauſam (ſuſpicor) reddit textus ſubiungens: *Hic dicet tibi, quid te oporteat facere*. Hoc enim ſatis erat vt Cornelius ſummo honore Petrum exciperet, & magnificaret, ſiquidem illum edocere veniebat; ſciebat enim religioſus, & vrbanus vir ſuperiorem venerandum, non propter ſe, ſed propter Deum, quem repræſentat: ideòque ſuperfluum erat Petrum ab Angelo titulis nobilitari honorificis; ſatis enim fuit dicere, vt Petrum ad illum docendum, & dirigendum vocaret. *Hic dicet tibi, quid te oporteat facere*: vt ſtatim illum honoraret reuerenter, ac ſi in eo Deus veniret.

5. Prouerb. 26. Sic ſapiens eum, qui inſipientem, & indignum Præſulem extollit, carpit. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit inſipienti honorem*. Quid igitur ſapiens hac metaphora voluit exprimere? Fortè lapidi comparat indignum ad apicem præfecturæ aſſumptum, vt vim dignitati illatam, & fortitudinem brachij lapidem ad culmen dignitatis eleuantis exprimat? ſed credo ad rem noſtram myſterium eſſe; quia Mercurius numerorum Deus erat, de quibus negotiatores agunt: vndè aceruus lapillorum, qui ad calculatorium numerum ſeruiebat, aceruus Mercurij nuncupatur. In quo lapillus quiſque horum poſitus in linea centenarij numeri centum valebat, in linea millenarij mille, &c. at exinde ſepoſitus, & in aceruum miſſus nihil valebat. Quid igitur ſapiens hoc lapillorum calculatorio munere docere voluit, his lapidibus indignos conferens ad dignitates aſſumptos? Niſi arcanè erudire debitam Præſulibus reuerentiam; nam & ſi fatuus ſuperior ſit, & lapis, dum in loco dignitatis collocatur, maximo in pretio eſt habendus. Lapides illi Mercuriales ex ſe nullum habebant valorem, in nullo pretio erant ad aceruum proiecti: at in numeraria linea collocati magnum capiebant pretium. Pari ergo modo, qui ex ſe nullum habet valorem, & tanquam lapis contemnitur; ob ſolum dignitatis locum, quem occupat, magnum pretium venatur, & in ſummo honore habendus eſt: dum adeſt dignitas, magnificari debet, qui locum Dei occupat, tametſi à loco, & dignitate ſepoſitus ad aceruum reuertatur, & deſpiciatur tanquam lapis.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Egregius Modus Reducendi ſubditos ferire delicta, non perſonam.

1. ARte, & induſtriâ opus eſt ad infirmitates hominum medendas: pars affecta morbo curanda eſt, reliquę non lædendę, ne totus homo ægrotet, & à medela ſæuiat infirmitas. Et nec pars infirma reſecanda, aut ferro inurenda, cùm aliter mederi poteſt: *Quanto humanius* (aiebat Seneca lib. 1. de ira) *mitem, & paratum animum præſtare peccantibus, & illos non perſequi, ſed reuocare*. Peccantes non ferire, ſed peccata ars eſt corrigendi: pars morboſa, ſi neceſſe eſt, feriri debet, cæteræ ſouendæ, nec omnes in infirmitatem conſentiant, & irremediabilis totus homo euadat, ſic refert

fert Elianus lib. 18. cap. 45. Pergameo accidiſſe aratori; qui iuxta fontem ſerpentem cum aquila pugnantem vidit, & falce, quam ſecum tulerat, ſerpentem necauit, aquilam innocuam relinquens Sic prudens, qui crimina punit, ſerpentem criminis ferire debet, quin perſonam tangat, & honorem ſubditorum ſeruate innocuum, cùm defectus corrigit; ne laceſſitus honor inſoleſcat, & verecundiam peccandi amittat. Loquens Deus Exodi 7. de impio Rege Pharaone ſic ait. *Ego indurabo cor Pharaonis.* Durior corde hæc ſententia videtur; nam quo pacto Deus cor Pharaonis indurabit, quin cauſa obdurationis ſit? Erit ne Deus peccati Pharaonis cauſa? Abſit. Quo ergo modo Deus Pharaonis cor indurat? Rectè Auguſt. quæſt. 18. in Exod. *Videndum ſanè eſt, vtrùm etiã hic accipi poſſit: ego indurabo cor Pharaonis: tanquã diceret: quàm durum ſit demonſtrabo.* At quid quòd Deus demonſtret, & in publicum prodat Pharaonis peccata, vt ipſum indurare dicatur? Plurimum ſanè: nam ſuperior, qui ſubditorum flagitia potuit tegere, & palam prodit, illorum cor obdurat; etenim vt verecundia frenum impudentis audaciæ eſt: ita ſceleris publicatio licentia malitiæ eſt, habenarum laxatio, & delinquendi libido. Publicatio flagitij non emendationem, ſed obdurationem negotiatur.

2. Conqueritur Moyſes de populi inſolenti licentia, & impar viribus ad pondus gubernationis ſuſtinendum, ſui muneris coadiutores poſtulat. Annuit Deus Moyſis deſiderio, & ſeptuaginta viros probos, & benè moratos in conſortium regiminis delegit, qui ſpiritu prophetico pollentes, à populo magno in pretio hebentur. *Deſcenditque Deus per nubem, & locutus eſt ad eum, auferens de ſpiritu, qui erat in Moyſi, & dans ſeptuaginta Viris, cumque requieuiſſet in eis ſpiritus, prophetauerunt* Numer. 11. Statim, ac potiuntur imperandi facultate, prophetant; verum deinceps non dicitur prophetaſſe. Et cur qui prophetiæ dono præditi ad dignitatem aſſumuntur, mox, vt imperare incipiunt, illud deperdunt, & ſpiritu prophetico (ſaltem ſecundùm actus) priuantur? Maximè cum ad regimen aptè exercendum expediens eſſet, futuros euentus prævidere, & prouidere ipſis, credo enim iniuriam illis irrogatam, cum honorem tanto honoris diſpendio accipiunt. Quæſtionem mouet Theodoret., & ita reſpondet actum; *Quia non Vaticinandi, ſed gubernandi cauſa præponebantur*: quid ergo? In ſententia Theodoreti vaticinandi facultas cum gubernandi munere non cohæret? Non inquam: nam munus prophetiæ eſt occulta reuelare, & palam manifeſtari abſconditum: Præſules autem occulta ſubditorum delicta reuelare non debent. Qui gubernationi deſtinantur, ſpiritu Prophetico careant, ne moti prophetiæ impulſu ad flagitia ſubditorum detegenda impellantur. Diſcant hic præſules, qui per diuerſos, & fortè illicitos meatus ſubditorum peccata rimantur, ab huiuſmodi curioſitate (ne dicam peruerſitate) abſtinere: Prælati enim, ſi officio, ad quod aſſumuntur, ſatis facere deſiderant, ſubditoſque à ſceleribus reducere, flagitia publicare non debent; nam palam ea obijcere, non emendationis, ſed obdurationis & pertinaciæ eſt cauſa. Hinc enim 3. Reg. 7. de mari æneo, quòd inter ſupellectilia templi Salomon fabricauit, dicitur: *Et ſubter Leones, & Boues quaſi lora ex ære dependentia.* In his animalibus ſuperiores deſcribi non eſt dubium: verùm cur Boues, & Leones, præſules referẽtes loris, & catenis circumligantur, cùm expeditos eſſe expediat ad ſua munera liberè obeunda? Credo: vt innuatur, ſuperiores, & ſi Leones ſint, tamen catenis, & loris circumligari debere. *No han de ſer Leones de ſatados.* Hiſpanè dicitur, ſed catenari, qui rugire valeant, non mordere, vitia obijcere, non perſonas lacerare.

3. Propheta ille miſſus ad Ieroboam, & Dei præcepto inobediens, atque ſuaſus à Pſeudopropheta contra Dei monitum comedit, cumque rediret, Leo eum aggrediens in via occidit; ſed non audet fera deuorare Prophetam, quinimo cadauer à ferarum pabulatione cuſtodiuit. *Et Leo ſtabat iuxta cadauer.* 3. Reg. 13. mira res: ſi cibus ſumptus contra Dei mandatum adeò graue intulit Prophetæ ſupplicium, & ob id occiditur; cur non ſinit Deus Leonem Prophetæ corpus lacerare, & ex eo comedere, vt pœna correſponderet delicto? Cur etiam poſt mortem curat Deus Prophetam honorare, & occiſorem Leonem cuſtodem inducit? Egregiè Theodor. *Hac quidem ratione honorans vt Prophetam: illa verò puniens tanquam tranſgreſſorem.* Punit Deus tranſgreſſoris delictum; at non ſinit Leonem eum deuorare: imò cogit perſonam reuereri, vt innuat à ſuperioribus plectenda eſſe delicta; perſonas verò ſubditorum honorandas, contra ſubditorum honorem non debere ſæuire, nec eum cruente dilacerare. Idcircò ſponſæ labia maximè arridebant ſponſo Cant. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* De Prælatis Eccleſiæ in multorum ſententia hic ſermo habetur. At cur vittæ coccineæ eorum labia comparantur? Suſpicor alludere ſponſum ad Vittam Chirurgi, qua contracta apparet ſanguis, ſed tamen ſola contractione vittæ non effunditur, agnoſcit ſanguinem infirmus ſe ſe in venis comprimentem, ſed exteri nondum vident, vtpotè non effuſum; ſic Præſules, qui labia ſunt Eccleſiæ, ſanguinem ſignare debent, non extrahere; nec ſanguinem verbis cruentis facere fas eſt; peccata obijcere licet, quin perſonam feriant, & ſicut armorum magiſtri ſignare, ſed non ferire; docere, non vulnerare tenentur.

4. Dauid ſuos milites alloquens, & in re militari inſtruens, vt eos à fœda rapina auerte-

ret; dicebat. Pſalm. 33. *Diuites eguerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, in Hebræo eſt, *Leunculi depauperati ſunt, & eſurierunt*. Si à prædis milites ſuos Dauid ſatagit auertere, ad quid Leonum mentionem fecit? Potius à Leonibus rapacitatem, & prædam diſcent. Pulchrè Caiet. ad rem noſtram ſagacitatem, & cautelam Dauid notat. *Dauid* (inquit) *volens auertere milites à præda, non dixit eis: nolite prædare, ne videretur malam exiſtimationem habere de eis; ſed vt abominabilem propoſuit eis rapinam, nominando eam Leoninam, tanquam rem feris non hominibus congruentem*. Quid luculentius? Non ſciat ſubditus perperam à ſuperiore exiſtimari, ne in delictis obſtinetur, vt fœdum, & abominabile eius ſcelus vulneretur: ſic enim facilius ad meliorem frugem reducetur: ita enim Petrus pretium à Iudæis exhibitum pro Ieſu Iudæ memorans ſilentio præteriuit eos, à quibus pretium proditor accepit. *Hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis*. Actor. 1. Et quare ſceleſtos mercatores non nominat, qui non minus, quam Iudas, peccauerunt? rectè Chryſoſtom. ibi: *Latenter crimen aperit, quòd ita condurat ad correctionem*. Salutare monitum, & à ſuperioribus nunquam excidendum: delicta ferire, non perſonam. Hac igitur mente præditus vates noſter hic verſu. 1. obiurgat ſcelera, & abominationes Nabuchodonoſoris ſupprimens perſonam, quam in toto vaticinio non detegit, ſed latenter arguit, & hoc magiſterio ſuperiores inſtruit.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Peccatum, & ſi Aereum videatur, ponderoſius plumbo ſentitur.

1. VAnitas peccatum eſt, ſed quæ maximè ingraueſcit, vt opprimat: ipſa enim leuitate onerat. Scitè Seneca epiſt. 98. *Prima, & maxima peccantium eſt pœna peccaſſe, nec vllū ſcelus, licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, licet tueatur, ac vindicet, impunitum eſt; quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt. Sed nihilominus, & hæc, & illa ſecundæ pœnæ premunt.* Preme illud *premunt*. Quaſi peccatum onus ſit peccantem aggrauans, & opprimens, nec ſinens leuare ceruicem. Sed quòd mirari licet, talis naturæ eſt, quòd vanitate aggrauat, & pondere levat: auſculta eius naturam: peccatum in omiſſionis, & commiſſionis generaliter diuiditur; & in his duobus generibus tota peccatorum congeries comprehenditur. Omiſſionis peccatum in priuatione conſiſtere, & totum ſuum eſſe nihil eſſe, non eſt dubium: commiſſionis autem peccatum ſunt perquàm plurimi, qui affirmant, ſimiliter in priuatione conſiſtere, & illius eſſentiam priuatiuum quid eſſe, ac per conſequens nihil; priuatio enim carentiam eſſendi præſefert: quare vento, & aëri omnia peccata comparantur ad Epheſ. 2. *Secundum Principem poteſtatis aeris huius*. Quid vanius aere? Quid inanius priuatione? Quid leuius vtroque? Sed nihilominùs nulla res hoc aere inuenitur ponderoſior, nulla grauior: leuitas enim eſt ponderoſa, vanitas grauis, & incompatibilis. Audi Petrum Celleuſem in illa verba epiſt. ad Rom. 8. *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt*, ſic compte verſantem. *Ex ſententia, iuſti iudicis collum ſuperbi peccatoris religatur in hoc ſeculo ſub iugo periculoſæ vanitatis: primitiæ namque ſtipendiorum originalis, & actualis peccati ſunt retia inextricabilis vanitatis: grauis autem vſquequaque eſt vanitas, quam non leuigat ſanctitas, incuruat enim oculum rationis ad inferiora*: quid pulchriùs?

2. Huiuſmodi enim onere grauatus Dauid aiebat Pſalm. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*. Ac ſi apertè diceret: deſideria quibus angor, capiti meo inſiderunt, & illis, quaſi magno onere, me grauatum ſentio: quòd ergò onus illud erit, de quo Dauid conqueritur, & ſuper tempora inſediſſe dolet? Vanitas enim, & ſuperbia (ait Auguſt.) nam hæc capitis infirmitas eſt, cum à capite originem traxerit; vnde Septuaginta tranſtulerunt: *Iniquitates meæ ſuſtulerunt caput*, & illo erecto, ac extento collo ambulabam; ſed manifeſta implicatio in his verbis apparet, erigere enim caput eſt vanitas, & elationis argumentum. Quo ergo pacto deſiderium ita inane, quod caput erigere valet, ipſum ſic aggrauat, vt illius pondere gemat? Si aer elationis caput extollit, & eleuat, *Iniquitates meæ ſuſtulerunt caput meum*, quomodo ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper ipſum? Ob id enim? Ait Auguſt.) res monſtruoſa, & inextricabilis peccatum eſt, & effectibus contrarijs implicatur, nam leuitate grauat, & grauitate exonerat: pauca verba Auguſt. ex multis libabo, *Leuitatis eſt erigere caput; quia ergo leue eſt, quòd poteſt erigi, accipit pondus, vnde poſſit comprimi: conuertetur enim labor eius in caput eius*. Nulla enim res inter creatas eſt peccato ſimilior, quam argentum viuum; nam cum nulla ſit ita leuis, & mobilis, nulla eſt ipſo ponderoſior, & grauior: ſic igitur peccata leuitate grauant, & grauitate leuant. Quare Dauid cum ab hoc aere peſtilenti tactum ſe agnoſceret, & ad ipſius pondus ſuſtinendum impar viribus inueniatur: oppreſſus pondere gemit. *Iniquitates meæ, &c.* Peccatum enim licet aëreæ naturæ deprehendatur, lapide ponderoſius experitur.

3. Cum Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos reprehendiſſet, eo quòd de primatu decertarent, & vnuſquiſque ſibi potiorem locum de-

beri

Digitized by Google

beti præſumeret: tandem cum eorum vecordiam detexiſſet, quo deinceps cautiores fierent, ait illis: *Qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Math. 18. Et cur deſiderij propriæ excellentiæ tali pœna mulctatur? Nonne melius eſſet, vt eorum arrogantiam deprimeret, & eos ſeruituti manciparet? Nil eſt ſenſibilius animo elato, & ad imperandum propenſo, quam ſeruitus, & alterius voluntaris obtemperatio. Cur ad profundum mittatur, qui ſumma petebat, & onere ita incomportabili, ac mola aſinaria, ad profundum maris deueniat? Suſpicor: vt inde diſcipuli inſtruerentur peccati pondus formidare: ambitio enim, & dominandi deſiderium eos inuaſerat, quod inane quid eſt, & aereum: elatio enim aeris eſt naturæ; igitur non quacunque pœna multetur, ſed magni ponderis, quo ad ima deferatur. *Expedit ei, &c.* Ac ſi apertè diceret: quid arrogans, & elatus continuò deſiderio ſuæ magnitudinis, & aere propriæ excellentiæ inflatus putat elaborare, niſi lapidem immenſi Ponderis, quo in profundum demergatur; vt dum aſcendere ſatagit, deſcendere cogatur? aer enim, quo ſe ſuſtollere tentat, in petram conuerſum inueniat, neceſſe eſt: accipe Theodoretum ſic rimantem *expedit ei, &c. id eſt, congruit ei, vt cupiditas rerum temporalium, cui ſtulti, & cæci alligantur, eum denindictum pondere ſuo deducat ad interitum.* Peccata enim, quo leuiora videntur, eo grauiora ſentiuntur, & dum aeris leuitate, extollunt, plumbi grauitate opprimunt.

4. Impius Balthaſar cum optimatibus ſuis, & concubinis celeberrimo illi conuiuio aſſiſtens manum vidit ſcribentem contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regiæ, & hæc verba pingentem. *Mane. Thecel. Phares.* Daniel. c. 5. quo perteritus facies eius commutata eſt, & cogitationes eum conturbabant. Vocat aruſpices Chaldæos, vt huius rei myſteria reuelarent; quod cum efficere non valerent, & Danielem in ſua curia degere intellexiſſet, eum accerſiri iubet, & interpretationem verborum deregere deprecatur; annuenſque Daniel Regis deſiderio air: Ibid. *Hæc eſt interpretatio ſermonis. Mane. Numerauit Deus Regnum tuum, & compleuit illud: Thecel. appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens. Phares: diuiſum eſt Regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis.* Quòd Balthaſaris Regnum compleretur, & ea ipſa nocte eius animam repeterent, ita exigentibus ſuis atrocitatibus, & ſacrilegijs, benè eſt; quòd Regnum Medis, & Perſis tribuatur, facilè percipitur; verum quòd Balthaſar in ſtatera appendatur, & inueniatur minus habens, difficulter intelligitur. Si enim in vna lance Balthaſar apponitur, vt appendatur, quid in altera, vt ponderis iudicium feratur, collocatur? Vſu enim receptum eſt aliquod pondus ferri, aut lapidis determinatæ quantitatis in vna lance apponi, vt quid ponderis in appenſo exiſtat, liquidetur. Cur igitur cum Balthaſar appendi dicitur, quo pondere menſuretur, non exprimitur, & nil aliud præter aerem in alia lance oſtenditur? Quòd ſi ita fuit, redit ingentior difficultas; nam, cum ex textu conſter Balthaſarem ſic appenſum minus ponderis habuiſſe, quam id, quod in altera lance inueniebatur, non eſt veriſimile, quod aer plus ponderis habeat, quam corpus hominis adulti. Quo igitur pacto Balthaſar minus habens inuenitur? Sed myſterium inſpiciamus. Appendebatur enim Balthaſar cum ſuis peccatis, id enim eſt, quòd in alia lance fuit appoſitum, licet aer videretur, ſcelera, iniquitates, & abominationes Balthaſaris cum ipſo appenduntur, & plus ponderis, quam ipſe habent: licet aerea viderentur ponderoſiora plumbo reperiuntur. Hoc enim Danielem non latuit, nam cum eius peccata increparet, & ob ea à vita, & à regno minaretur deponendum, ſatis, quo pondere appenderetur, expreſſit, & peccatum onerosam vanitatem, quæ licet oculis leuiora paleis appareant, cum ad bilances veniunt, pluſquam plumbum grauitant: quamuis in hac vita degentibus aerea ſint, quia à vanitate oriuntur, cum eorum ratio reddatur, & in ſtatera liquidentur, ſupra modum ingraueſcere non eſt dubium,

5. Senſerat huius ponderis grauitatem Chriſtus Dominus: nam cum peccata noſtra ſuper ſe portaſſet, ipſorum pondere oppreſſus adiutorio, & leuamine indiguit, vt ſarcinam perferret, quod ponderosè dixit D. Petrus de Chriſto enim loquens ſic ait. 1. can. c. 2. *Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Et cur non ſuper humeros immediatè peccata noſtra portauit, ſed ſuper lignum? Cur pondera aggrauat, & ſupra lignū Crucis, quod pondus in compatibile fuit, ita vt adiutorio indigeret ad illud ſuſtiuendum, & multoties ad terram deuenire compulerit, noſtra delicta ſuperponit? Vt ipſorū ſine dubio grauitatem exprimeret. Licet enim lignum ex ſe ſit durum, & ponderoſum, reſpectiuè ad onus peccati leuaminis loco habetur. Solent enim, qui aliquod onus graue portant (quod frequenter in ſanctorum thronis, qui in proceſſionibus deferuntur, accidit) vt pondus non lædat, nec nimis ſentiatur, ad humeros ſacculos lana plenos applicare: & cum eis onus immediatè inſideat, quaſi exoneratur, & minoris moleſtiæ fertur. Sic igitur Chriſtus, vt peccata noſtra portaret, Crucem quaſi ſacculum laneum appoſuit: peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum; ac ſi humeri diuinitatis pondus peccati ſuſtinere non valerent: vt hoc maximè eorum grauitatem ponderaret: pondus enim, in cuius comparatione Crux leuamen extitit, & ad ſubleuandum deſeruit, omni ponde-

ponderatione eſt maius, & dignum, vt ab illius grauitate abſtineamus. Hinc vates noſter abominationes, & peccata Nabuchodonoſoris onus grauiſſimum nuncupat, hic verſ. 1. *Onus quod vidit Habacuc*. Cum tamen hoc eodem cap. v. 9. aeri aſſimilet, *Facies eorum ventus vrens*. Quia aer, & pondus peccatum eſt: nam leuitate grauat, & grauitate leuat.

Verſ. 2. Vſquequo Domine clamabo, & non exaudies? Vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis.

ANNOTATIO II.

Expoſitio Litteræ.

1. O Stenderat Dominus vati noſtro cladem, & vaſtitatem Ieruſalem per Nabuchodonoſor futuram, quæ fuit illi moleſta, & triſtis viſio: orabat quotidiè pro populo ſuo, & tentabat tantam calamitatem ſuis precibus auertere ſi quomodo poſſet, ſed cum videret firmam, & immotam ſtare ſententiam, Deumque inexorabilem, conqueritur non impatientia, ſed dolore, & commiſeratione ſuæ gentis ſe nunquam fuiſſe exauditum.

Vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Hæc eodem, quo ſuperiora, ſenſu dicta ſunt: explicandum tamen eſt, quid ſit *vim pati*. Sanchez ait forenſe verbum eſſe, quo ſignificatur aliquem calumnijs opprimi, & cum æquitate cauſæ ſit ſuperior, iniquitate Iudicis, & inimicorum fraudibus, & corruptis largitione iudicijs inferiorem eſſe: quare licet de quacumque alia vi, aut iniuria, quam pauper à potente, & iuſtus patitur ab impio ſermo ſit, tamen de illa præcipuus eſt ſermo, quam ab iniquo magiſtratu, ac iudice patitur iuſtus. Confirmat hoc placitum illud Iſaiæ 38. v. 4. *Domine vim patior, reſponde pro me*. Vbi illud indicat illud verbum *reſpondeo*, quo patroni ſignificatur munus; & iure naturali competit Principi ſupremo violentiam, & iniuſtitiam ſuo ſubdito illatam avertere, ac ſubdito de illa conqueri coram Principe ſuo. Hanc porro vim illatam à Chaldæis flet, & contra illos excitat querimoniam Propheta, vt cum Hieronymo tenent quamplurimi; placet tamen cum Sanchez, quod omnes Patres Græci ſentiunt, videlicet, deſignari illos, qui inter Iudæos per vim, & iniuriam ad ſuos vſus tenuiorum, & iuſtorum commoda detorquent, Sic Theodoret. Cyrill. Theophil. Gregor. Nazianzen. & alij.

DISCURSUS I. MORALIS.

Sæpe clamant, & non exaudiuntur Sancti: non quod Deus, amicos ſuos audire nolit, ſed quoniam peccata eorum, pro quibus orant, vindictam celerem expoſcunt.

1. NEc Diuinitatis ſolium immune eſt ab hominum querelis: ea enim eorum conditio eſt, vt quoties euentus ſuo voto non correſpondent, etiam in ipſam Deitatem querelis inſurgant: vndè Seneca lib. 2. de benef. eos arguit, qui de Deo conqueruntur, eo quod optata non aſſequantur. *Vide quam iniqui ſint diuinorum munerum æſtimatores, etiam quidam profeſſi ſapientiam. Queruntur, quod non magnitudine corporum æquemus Elephantes, velocitate ceruos, impetu tauros, & ex diuerſis, ac diſſidentibus bonis hominem non eſſe compoſitum, iniuriam vocant, & in negligentes noſtri Deos querimoniam iaciunt*. Egrè ferunt homines non exaudiri, & optata non poſſidere; cum tamen nō ſemper ob demerita poſtulantis Deus deſiderata deneget, ſed quia aut inconueniens eſt, & nociuum, id, quod petunt, vt dixit idem Seneca Ibid. *Sunt quædam nocitura*

tura impetrantibus, quæ non dare, ſed negare beneficium eſt. Aut propter indiſpoſitionem eorum, pro quibus orant: vnde non mirum, quod Propheta noſter non exaudiretur, quando toties Deum rogabat pro calamitate à ſuo populo releganda, ſi populus in peccatis obſtinatus vindictam celerem expoſcebat, defectus enim reſipiſcentiæ, & boni operis cauſa erat, ob quam Deus ſancti Prophetæ iuges preces non audiret.

2. *Si ſteterit* (aiebat Dominus ad Ieremiam) *Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum, eyce illos à facie mea, & egrediantur.* Ierem. c. 15. Quibus verbis oſtēdit Dominus peccatum Iudæ eſſe irremediale quantum ad pœnam temporalem per excluſionem orationis Moyſis, & Samuelis, quæ ſemper fuit valde efficax. Sed hinc oritur difficultas: ergo nihil proſunt orationes iuſtorum? ad quid ergo tanta cura eorum deprecationes quæruntur? reſponſum accipe à Chriſoſt. adducto à gloſſa ad hunc locum: *Quinimò iuuant plurimum: ſed tunc cum aliquid & nos boni peragimus: nam operantibus nobis cooperantur, & iuuant: quod ſi deſidioſus manebis & otioſus, nihil magnæ vtilitatis conſequeris; nam ſi poſſent aliorum preces deſides nos, & pigros ſubleuare ad cælos, quid impedit, quo minus & ipſi Gentiles omnes Chriſti fidem conſequantur? nonne pro vniuerſo orbe oramus? ſic ſancti Prophetæ, qui pro amicis exauditi ſunt, nequiuerunt ſic Iudæos perdendos tutari, ac ſaluos reddere.* Opus eſt, vt orationes Sanctorum pro nobis exorantium noſtris operibus comitentur; nam aliter prodeſſe non poſſunt.

3. Acceſſit ad Ieſum mulier illa Chananæa petens ab eo, vt eius filiam à vexante dæmone liberaret: cui cum Dominus nullum attuliſſet reſponſum, rogant diſcipuli, vt poſtulatis eius annuat: quod cum Saluator noſter renueret, mulier ipſa ſupplex, quod poſtulabat, ab eo impetrat. *Fiat ſicut vis, & ſanata eſt filia eius ex illa hora.* Matth. 15. Efficaciſſima enim erat diſcipulorum oratio, efficaciter pro Chananæa exorant, & tamen non eorum precibus, ſed proprijs orationibus filiæ ſalutem conſequitur. Cur (quæſo) Apoſtolis ſanctis, & amicis Dei denegatur id, quod poſteà gentili fœminæ conceditur? Rectè Chryſoſt. hom. 53. in Matt. *Tu verò diligenter conſidera, cum nihil ab Apoſtolis in re mulieris factum fuerit, totum ab ipſa fuiſſe perfectum; tantum quippè poteſt iugis, & feruens oratio, mauult enim noſtram Deus, qui rei ſumus, quam aliorum pro nobis orationem.* Et ſi Apoſtoli ſunt, qui pro nobis orant, dummodo non ipſis cooperamur, infructuoſa redditur oratio, & in vacuum effunduntur preces; commertium enim noſtrarum cum ſanctorum orationibus tractatus eſt, quem conſortij vocant; vbi & ſi ſancti diuitias contulerint, niſi labores, & noſtram ſollicitudinem apponamus, nihil vtilitatis lucramur.

4. Præcepit Deus olim filijs Iſrael, vt pro lampadibus oleum afferrent, ne earum lumen extingueretur, & ſemper arderent prouiſæ; ſed expenſione dignum eſt, quale oleum ad id munus Deus afferri præcepit. *Præcipuè* (inquit textus) *filijs Iſrael, vt afferant ſibi oleum de arboribus oliuarum puriſſimum, piloque contuſum, vt ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij.* Exod. 27. Superfluum videtur, quod oleum ad pabulandam flammam tabernaculi prouiſum, pilo ſit contuſum: nam quacunque arte extraheretur, eo arderet lucerna: parum enim refert, quod hoc, aut illo modo exprimatur, dummodo lucerna illo ardeat. Cur igitur pilo contuſum, & non mola expreſſum afferri iubet? Lyra reſpondet. *Quia iſtud eſt prius, quam illud quod teritur inter molas.* Aptè excogitatum, ad innuendum, quam Deus complaceat in operibus anticipatæ virtutis. Sed credo, rationem eſſe, quia oleum pilo contuſum eſt, quod ex oliuis vi brachiorum, & manuum labore exprimitur, non autem molæ miniſterio, in quo alterius labor operatur; tunc enim gratum oleum operum Deo offerimus, cum ea nos, & non alij operantur. Hac ergo ratione Leuit. c. 2. prohibetur mel in ſacrificio offerri, quia vt egregiè dixit Theodor. mel non noſtra, ſed apium arte, & induſtria elaboratur: ea autem quæ Deo placent, noſtro labore comparati debent, *Inſtruunt nos* (ait Theodor.) *ex proprijs laboribus perſoluenda eſſe ſacrificia: nam fructus apis à labore noſtro non procedit.*

5. Præſagit pia mater vinum in nuptijs Cana Galileæ conuiuis defuturum, ſupplex accurrit ad filium aiens: *Vinum non habent.* Ioan. 2. Cui filius, *Quid mihi, & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea.* Cur non annuit Chriſtus pijs pijſſimæ Matris precibus? Quid expectat ad patrationem miraculi, cum Matrem deprecantem videt? Quis miraculum exorabit, quod ſupplicatio Deiparæ non impetrat? Audi Chryſoſt. hom. 20. in Ioan. egregiè rimantem. *Alia præterea cauſa afferri poteſt non minus neceſſaria, ne aliqua in miraculo ſuſpicio oriretur* (perpende verba quæ ſubdit) *ab indigentibus enim, non à matre id quærendum erat.* Quæ potentior deprecatio, quam Mariæ: Nulla profecto puræ creaturæ: at cum Maria poſtulat, non concedit, *nondum venit hora mea*: quare? quia exſpectabat Chriſtus, quod deprecatio fieret ab indigentibus. *Ab indigentibus enim, non à Matre id quærendum erat.* Vt quod non impetrauit Maria, impetraret qui egebat. Quid exaggeratius ad neceſſitatem noſtrorum operum ponderandam?

6. Nouerint ergo, qui aliorum orationibus iuuari optant, quam ſit irrationabiliter cogitatum ſaluare ſe poſſe ſaginatos aliorum inedijs, nunquam orationi vacantes, & aliorum obſecrationibus fidentes. Nouit id ſatis Eſther, quæ hæc Mardochæo verba mandauit.

Vade,

Vade, & congrega omnes Iudæos quos in Suſan repereris, & orate pro me. Non comedatis, nec bibatis tribus diebus, & tribus noctibus. Eſther. 4. ver. 16. Cur tã graue Iudæis iniungitur onus? Cur tã aſperum ieiunium inductum? Auſculta verba, quæ Eſter ſubiũgit. *Et ego cũ ancillis meis ſimiliter ieiunabo, & tunc ingrediar ad Regem contra legem faciens* ibi. Alieno ſe muniuit ieiunio, aliorum preces, & orationes exoptauit; ſed à ſuis non abſtinuit: ineptè enim quis ſine proprio labore, alieno ſe ſperat ſaluari ſuffragio, vt illi qui Chriſto Domino dicebant: *Volumus à te ſignum videre*. Matth. 12. Miracula inſueta poſtulabant. quibus ſancti eſſent, quin ex parte ſua aliquid egiſſent. Hinc tota imprudentum Virginum ruina originem traxit: nam cum oleum in vaſis ſuis non afferrent, illud fatuè à prudentibus expetebant: *Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur*. Matth. 25. Quæ verba ſanctus Aſterius ſic verſat: *Quo docemur exemplo, aduenien te ſponſo neminem oleo alieno, ideſt, aliorum factis ſuum ad commodum, atque fructum vti: ſuis quiſque factis, quaſi veſte quadam, amictus eſt*. homil. de Oeconom.

DISCVRSVS II. MORALIS.

In magnis doloribus ruſticum, ac barbarum apparere magis elegantes reddit.

1. DV Hieron. hæc verba Prophetæ, quibus de Deo conqueritur: *Vſquequo Domine clamabo, &c.* impatientis animi, & nimis queruli affectum ſignificare putat, imò & grauius aliud fert de noſtri Prophetæ libertate iudicium: ſic enim ait in Prologo ad hunc Prophetam. *Vides, quòd temeraria vox ſit, & quodammodò blaſphemantis, creatorem ſuum ad iudicium prouocare, & vas fragile aduerſus figulum, cur tale, vel tale factum ſit, diſputare?* Et ideò (inquit Hieron.) quaſi pœnitentia ductus, quod tam eſſet locutus temerè, & dicta animumque retractans, modeſtiùs de Deo, atque ſublimiùs loquitur poſteà cap. 3. cui titulum, *pro ignorantijs*, præfixit. *Quia ſupra temere dixerat, vſquequo Domine clamabo, & non exaudies? Nunc agit pœnitentiam, & plangit, quod temerè ſit locutus; petitque veniam, vt miſericordiam conſequatur, quia ignorans fecit.* Idem iudicium fert D. Greg. Nazianzen. Orat. 1. Apol. *Quid autem* (inquit) *Habacuc? Hic quidẽ acriori etiam oratione vtitur, atq; aduerſùs Deũ ipſum ſtomachatur, ac benignum Dominum propter iudicum iniquitates clamoribus inſequitur dicens: Vſquequo Domine clamabo?* Ego autem exiſtimo nec apud noſtrum vatem, nec apud alios, qui eadem ſunt vſi libertate, quidquam dici liberiùs, & audaciùs, quam par eſt; nec modeſtiam, & obſeruantiam tranſcendere: eſt enim hoc orandi genus vſitatum, quod affectum magnum indicat, non tàm indignantis, & offenſi, quam æſtuantis animi, & vehementer deſiderantis illa, propter quæ inſtituuntur ea quæ iudicari poſſunt querimonia, cum tamen non ſit, niſi ardens, & humilis oratio, vt Pſalm. 12. *Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem? Vſquequo auertis faciem tuam à me?* Ita enim dolor aliquando diuturnus, & vehemens in verba cogit erumpere turbidioris affectus plena, etiam in eos, quos amamus, & reueremur: vnde præ magnis doloribus ruſticum quodammodò apparere, non Deo moleſtum eſt, ſed magis elegantem reddit hominem. Vnde Senec. Epiſt. 14. non improbat oratoris induſtriam, qui aliquando præ magno affectu orationem non colit, & ruſticus apparet. *Quidam præfractam* (orationem nempè) *& aſperam probant, diſturbant de induſtria, ſiquid placidius effluxit: nolunt ſine ſalebra eſſe iuncturam, virilem putant, & fortem, quæ aurem inæqualitate percutiat.* Et documento nobis eſt Propheta noſter, qui tam illuſtre à Domino oraculum accepit, poſt illa verba, quæ ruſticæ cuiuſdam, & illiberalis querelæ videbantur vt citati Patres volunt.

2. Propheta Rex ita fuit elegans, vt eius indicant Pſalmi comptè, & argutè compoſiti; aſt quando amicum ſuum Ionatham, quem ardenter diligebat, occubuiſſe audiuit, epicedium fletus compoſuit verbis, & ſententijs adeò imperfectis, & erratis plenum, vt mirentur Interpretes, dum illud in Hebræo legunt, omneſque, vt Dauidem à nota ruſticitatis vindicent, eum excuſant, eo quod animo vehementer turbato amici morte illud compoſuerit, in quo barbarum eſſe, & verbis vti truncatis, elegantia, & induſtria eſt. 2. Reg. 1. *Planxit autem Dauid planctum iſtum.* Vatabl. ibid. *Lamentatio hæc eſt difficilis: nam multa ſunt ſubaudienda, pleraque mutata; vtpotè, quæ dicuntur ab homine amicorum morte turbato.* Et Oleaſter ait, hic loqui Dauid: *More dolentium, qui multa ſupprimunt*: magnus enim dolor linguam conſtringit, & ligat, mentem turbat, & ad ſui exaggerationem errata exprimit, cum dolorem exprimere non valeat. Idem cernere licet illis verbis 2. Reg. 1. v. 20. vbi Dauid de morte Saulis, & Ionathæ dolens eam diuulgare prohibet, ne inimici glorientur. *Nolite annunciare in Get, nec annunciabitis in compitis Aſcalonis: ne fortè lætentur filiæ Philiſtim, ne exultent filiæ incircumciſorum.* Quis non miretur Dauidis turbationem, & obliuionem? Quo pacto præcipit, quod mors Saulis non publicetur in Geth, vbi iam erat enunciata, ſicut in vniuerſa terra Philiſtinorum? Nec enim iſtud celari poterat

terat

terat Philiſtinis, quia ipſi fecerant ſtragem hanc in Iſraēlitas, & ad magnificandam victoriam ſuam caput Saulis duxerunt per totam terram Philiſtinorum, corpus autem eius, & filiorum ſuſpenderunt de muro Bethſan, vt præcedenti lib. c. vlt. & 1. Paralypom. 10. dictum eſt. Abulenſ.q.14.ad cap. 2.Reg. nodum ſoluit. *Vel dicta fuerunt iſta verba per modum hominis dolentis, & plangentis; nam huiuſmodi ſolent petere ea, quæ ſunt irrationabilia, & impoſſibilia.* Animus enim dolore percitus, nec quid loquatur, ſcit; & vocum deordinatione multa ſupprimendo, plus exprimit, quam tota rethoricæ elegantia ornatus.

3. Mortuo filio mulieris Sunamitidis perrexit illa ad Eliſæum, vt eum ſuſcitaret. *Quæ cum veniſſet ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius*: ait text.4.Reg.4.v.27. Cum autem Propheta filium excitaſſet à mortuis, præcepit eam vocari, vt filium traderet: *Venit illa, & corruit ad pedes eius; & adorauit ſuper terram, tulitque filium ſuum egreſſa eſt.* Ibidem v.37. Non vacat myſterio, quod mulier cum primo accedit ad Prophetam, eius pedes tangat, & deoſculetur, non item cum ad eum venit, & filium rediuiuum accipit; cum tamen in ſecundo aduentu maiora gratitudinis ſigna exhibere debuerit. Egregiè Caietan. *Cerne diſparitatem: quod mærore afflicta ob mortem fili tenuit pedes Eliſæi, læta autem ob reſuſcitatum filium non tangit pedes Eliſæi, ſed iuxta pedes ſuper terram ſe proſtrauit ſolitam ſeruans modeſtiam (quia non audebat tangere Eliſæum) quam maternus dolor obliuioni tradiderat.* Turbatus animus omnia diſturbat: intenſus dolor, verba, & vrbaniratem peruertit. Mira Beatiſſimæ Virginis fuit eloquentia, & eam elegantiſſimum Canticum *Magnificat*, ſatis indicat: aſt vbi Chriſtum vnicum eius Filium in Cruce vidit, hæc de ſe ipſa dixit D. Bernardo dilecto ſeruo: *Iſte erat dolor meus maximus; quia videbam me deſeri ab eo, quem genueram: nec ſupererat alius, quia mihi erat vnicus: vox mea ferè perierat omnis; ſed dabam gemitus, ſuſpiridque doloris: volebam loqui, ſed dolor verba rumpebat; quia verbum iam mente conceptum, dum ad formationem procederet oris, ad ſe imperfectum reuocabat dolor intimus cordis: vox triſtis ſonabat foris vultum denuncians mentis; verba donabat amor: ſed raucè ſonabant: quia lingua magiſtra vocis vſum perdiderat loquendi: videbam morientem, quem diligebat anima mea, & tota liqueſiebam præ doloris anguſtia.* Nunquid in his imperfectis, turbatis, & truncatis verbis minus elegans Virgo fuit, quam in elegantiſſimó eius Cantico? Non credam: quoniam præ maximo dolore non elegantem apparere ſanè elegantiorem eſſe monſtrat.

4. Sapienter dixit Clemens Alexand. *Preces quoque fatentur hominis eſſe potentioris, quæ dicuntur voce barbara.* Huc ſpectat illud Pſ.8. v.3. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.* Explicatu arduum eſt, quomodo Propheta laudem perfectam inueniat in muto infantis ore. Infans qui fari neſcit, nec poteſt perfectè loqui laudare Deum perfectè poteſt? Præclarè D. Chryſoſt. hom. 67. in Matth. *Infantes autem, & lactentes nec intelligere aliquem, nec laudare poſſunt*: at hæc laus eo perfectior eſt, quò ab ore minus perfecto prodit; exaggeratior enim eloquentia non attingit metam perfectionis, ad quam laus infantium deuenit: quia intelligere non poſſunt, ideò perfectius laudant: ab infantis balbutie expeditior, & elegantior laus eſt. Nec ſolum in infantium balburie præſtantiorem elegantiam Chryſoſtom. hom. 3. in epiſt. ad Titum. inuenit, verum etiam in ipſo Deo, qui more patrum barbaro, & peregrino idiomatè ſuis filijs in vitæ rudimentis loquennium, nobis loquitur; ſic enim habet. *Si pater nullam habet ſuæ maieſtatis rationem, ſed cum puerulis ſuis lingua torta balbutit quæuis, & alimoniam quidem, & edulia, pocula quoque vocabulis appellat non elegantibus, & doctis, ſed puerili, neſcio qua, ac peregrina prorſus locutione; multo magis Deus.* Deus ipſe munera, & officia patrum exercens peregrina vtitur locutione, & puerili ſtylo nobiſcum plerumque loquitur, non in ruſticitaris indicium, ſed in maioris elegantiæ argumentum.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Minus illiberale eſt referre, quòd anteà ſenſeris, vbi ſenſum illum abieciſti, quam ſentire eadem, & profiteri publicè aut exprobrare alteri.

1. AGit Propheta apud Deum populi cauſam, & dolet, quod malè tractari videat: & licet populo illa oratio illiberalis fuerit exteriùs ſaltem: nihilominùs ruſticitatis nota, aut illiberalis audacia honeſta defenſione à noſtro Propheta depellitur, ſi dicamus illum hic referre ſenſum ſuum; non quod ipſe indignetur, & obiiciat, ſed quod ante cogitaverat, & nunc in ſe ipſo reprehendat, cum ab illo errore diuino reſponſo liberatus ſit. Sic Dauid (Authore Sanchez ſic noſtrum vatem exponente) Pſal.72. verſ.2. honeſtè refert ſe talia cogitaſſe, qualia nunc Habacuc; quæ tamen ſic ſentire, & exprobrare Deo, non eſſe honeſtum. *Mei autem penè moti ſunt pedes: penè effuſi ſunt greſſus mei; quia zelavi ſuper iniquos pacem peccatorum videns, &c. Et dixi ergo ſine cauſa iuſtificavi cor meum, & laui inter innocentes manus meas.* Retractare enim erra-

ta

Digitized by Google

ta in laudem vertitur retractantis: licet hæc modeſtia raro inveniatur, ne inconſtantia videatur: ſed cognitum errorem corrigere non leuitas, ſed ſumma prudentia eſt. Vnde dixit Seneca. *Cum magna pars conſilii ſit in tempore, neceſſe eſt evenire, ut de quibuſdam rebus, tunc ad te perferatur ſententia mea, cum iam contraria potior eſt; conſilia enim rebus adaptantur: res noſtræ feruntur, imò voluuntur: ergo conſilium ſub die naſci debet: & hoc quoque tardum nimis: ſub manu, quod aiunt, ſub manu naſcatur.* Sed quis erraſſe cogitabit, cum philautia proprij genij vnumquemque poſſideat, & cæteros antecellere vnuſquiſque præſumat? Vnde idem Seneca. *Bona mens non emitur, nec commodatur; & puto, ſi venalis eſſet, non haberet emptorem.* Suo enim ingenio quiſque contentus viuit: nemo de ſuo intellectu queritur: de paupertate, de infœlicitate plurimi: at de intellectu nullus; nec pro Platonico, aut Ariſtotelico ſuum commutaret. Hinc maximè intellectus defectus ſentiuntur, & nemo eos confitetur, ne ignorans, aut incoſtans habeatur.

2. Ioan. 12. verſ. 24. loquens de Principibus Sacerdotum ſic ait. *Verumtamen & ex Principibus multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur: ut è Synagoga non eiicerentur, dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Quam ergo gloriam Principes iiti quærebant, & diuinæ præferebant? quæ enim hæc hominum gloria fuit tanto pretio habita, ut eam præponerent Dei gloriæ? aptè Maldonat. *Diuina ab illis gloria poſtulabat, ut quod de Chriſto credebant, id publicè profiterentur, cui gloriæ, quam apud Deum, non ſolum fidei, ſed etiam charitatis, & fortitudinis ſuæ ſingulare habere poterant, illam quam apud Phariſæos habebant, prætulere: ut non leues, ſed conſtantes, ut non Chriſti, ſed Moyſis diſcipuli, ut non nouarum rerum, ſed patriæ religionis ſtudioſi viderentur.* Obſtinatè enim homines ſua vota defendunt, & conſilium ſemel aſſumptum, & ſi ſtultum ſit, pro viribus exequi conantur, & lethaliter ſentiunt ab illo diverti.

3. Expenſione dignum eſt, quod Chriſtus Dominus, antequam errata diſcipulorum primas ſedes ambientium, (quæ Euangeliſta expreſſit dicens: *Neſcitis quid petatis*) corrigeret, eos ad perferendam mortem obarmat, & ſuo exemplo inducit, *poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum.* Matth. 20. verſ. 22. & poſteà eos repellit à ſedibus, quas expetebant: *Sedere autem ad dextram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis.* Ibid. verſ. 23. Et cur non prius eos arguit propter elatum deſiderium, ſed propinatione mortis triſtatur; Egregiè Chryſomus homil. 66. in Matth. *Cum animos eorum ſublimius extuliſſet, & omni mærore ſuperiores calicis, & baptiſmi communicatione feciſſet; tunc poſtulata eorum emendat.* Ac ſi diceret: ſi ægrè ferunt homines errorum emendationem (præcipuè dum per ignorantiam delinquitur) vt priùs de morte perferenda capiendum ſit conſilium, vt ex animo ad mortem parato attemperetur homo ad ignorantiæ correctionem, quaſi aliquid morti aſſiue ſit ignorantiæ correctio. Priùs Chriſtus mortem conſulit, quam errata corrigat: & mortis dolor quaſi diſpoſitio eſt ad dolorem correctionis, ut intenſior dolor minus intenſo attemperetur: mortis denunciationem, *poſtulata eorum emendat.* Quid exaggeratius?

4. Fugiens Dauid à tyranno filio Abſalon, apud quem Achitophel, rei quidem militaris valdè peritus, & aſtutus erat; quapropter magis eum Dauid timebat, quia ingenium, & prudentiam eius agnoſcebat, hanc illi imprecationem à Deo exoptauit. *Infatua quæſo Domine conſilium Achitophel.* 2. Reg. 15. verſ. 33. Cur non aliam imprecationem, & gravius ſupplicium à Deo poſtulauit Dauid, vt tyrannus plecteretur? Sic mitis Dauid in hominem rebellem, & contra ipſum conſpirantem, vt tantum petat eius conſilia infatuari? Audi Theodor. adductum à gloſa. *Confeſtim* (inquit) *ad ſuum confugit Dominum, non petens, ut feriretur fulmine, ſed ut inane, & vacuum redderetur eius conſilium, & vt oſtenderet eum ſtultum, & inſipientem.* Ac ſi diceret: nimis rigidum, & ſeverum ſupplicium Dauid poſtulat, dum infatuari conſilium Achitophel ſatagit, & ſtultum videri cupit: non petit, ut feriatur fulmine, nam fulmine, & ipſa morte crudelior eſt ignorantia palam oſtenſa: hoc enim malum, pluſquam mortem, homines ſentiunt; & ne erubeſcant ſtultitiæ confeſſione, ipſam mortem deſiderant, & ſibi inferunt. Rem probauit euentus, etenim videns Achitophel conſilium ſuum irritum, & inane, mortem ſibi machinatur, & blanditur: *Porrò Achitophel videns, quod non fuiſſet factum conſilium ſuum, ſtravit aſinum ſuum, ſurrexique & abijt in domum ſuam, & in civitatem ſuam; & diſpoſita domo ſua ſuſpendio interijt.* 2. Reg. 17. verſ. 23. vbi Lyra. *De hoc* (inquit) *fuit valde indignatus, eo quod conſilium Chuſai approbatum fuerat, & ſuum reprobatum.* Plus voluit mortis ſubire dolorem, quam ignorantiæ verecundiam.

5. Nolebat Pharao filijs Iſraël permittere, vt irent ad ſacrificandum Deo: vult Deus peccata Pharaonis punire: & Moyſi præcipit, ut ad Pharaonem pergat, & ſic alloquatur. *Ecce manus mea erit ſuper agros tuos, & ſuper equos, & aſinos, & camelos, & boues, & oues peſtis valde granis.* Exod. 9. verſ. 3. At, quod ſupplicium Pharaoni erit mors brutorum? Quæ minæ, vt reſipiſcat, eum armentorum morte multare? Opulentiſſimus enim Rex, & ditiſſimus parvi pendet huiuſmodi ſupplicium. Quare in animantibus plectitur, & non in propria perſona? Pulchrè Origin. hom. 4. in Exod. *Animalium neee Aegyptius verberatur, ut in quibus cultum credebant eſſe diuinum,*

in

in ijs viderent durum ſupplicium. Bruta Ægyptius Rex, vt Deos venerabatur, & in illis deitatem eſſe credebat: cum autem illa mortua vidiſſet, neceſſe erat, vt falſa exiſtimatione retrocederet; & falſam opinionem, atque errorem deponeret: nullum autem eſt, adeò grave ſupplicium, quam errore, quem anteà cogitaverat, ſe victum fateri, illumque deponere. Hinc Pſalm.79. verſ.3. loquens Dauid de Deo ait: *Qui ſedes ſuper Cherubim*. Quæritur ab interpretibus, quare dicatur Deus ſedere ſuper Cherubim non verò ſuper Seraphim? Imò de Seraphinis dicitur Iſaia 6. verſ.1. *Seraphim ſtabant ſuper illud*: nempè *ſolium*, ſeu ut ex Hebræo vertit. Vatabl. *Stabant iuxta illum*, nempè *Deum*. Et cur Deus ſedet ſuper Cherubim, non ſuper Seraphim, quem habet iuxta ipſum? Numquid illos, qui ſcientia præſtant, minoris facit, quam ardentes Cherubinos zelo inflammatos? Non inquam: ſed ut abſolutum dominium omnium creaturarum exprimat, ſuper Cherubinos, qui pleni ſunt ſcientia, & intellectu, ſedere dicitur: nihil enim eſt difficilius, quam ſapientes vincere, & facere, quod depoſito proprio dictamine alteri ſe ſubiiciant; vnde nihil glorioſius Deo, quam de ſapientibus triumphare: *Qui ſedes ſuper Cherubim*. Facile enim reliquis imperabit creaturis, qui ſapientes ad ſuum imperium traxerit.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Decet principes, & præſules ſuis prius benefacere, quam exteris.

1. COmmuniter aduersùs Principes, & Præſules obmurmuratur, eo quod ſuis ſtudeant benefacere, & domeſticos, cives, amicos, & conſanguineos euehant, & extollant: quaſi hoc ipſa natura non exigeret; vel amicitia, & conſanguinitas homines indignos redderent ad munera obeunda. Falluntur ſanè: nam ſi digni ad beneficia obtinenda inveniantur, præferendi ſunt amici, conciues, conſanguinei, & qui ſimili nectuntur vinculo ijs, qui prorſus alieni ſunt, & exteri. Vnde Seneca lib.3. de benef. cap.30. *Atqui nemo dicet me plus debere ignotis, & vltra memoriam poſitis, quam patri*. Ediſce hanc politiam à Chriſto Domino: quæſtionem excitat D. Ambroſ. in cap.3. Luc. cur Chriſtus Dominus propagari elegerit ex pluribus fœminis ab impudentia, & ignobilitate famoſis? *Ex ea, quæ fuit Vria, Phares, & Zaran de Thamar*. Matth.1. Cur non tacet dedecus ſuæ proſapiæ, & quaſi gloriatur à fœminis impudentibus procreati? Congruenter ſatis, & acutè reſpondet Ambroſius: *Vt beneficium redemptionis etiam à ſuis maioribus inchoaret*. Voluit pijſſimus, & æquiſſimus Dominus, qui maculatæ originis non recuſavit iniuriam, à peccatricibus feminis propagari, vt redemptionis beneficium, quod pro peccatoribus exaratum eſt, à ſuis majoribus, vtpotè peccatoribus, inchoaret: tantùm abeſt, vt à coniunctioribus, deuiet beneficia, vt exteris largiatur æquiſſimus Iudex, qui magnum hoc beneficium priùs contulit ſuis, quam exteris.

2. Pauit Chriſtus Dominus quinque hominum millia in deſerto quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus Ioan.6. verſ.12. *Vt autem impleti ſunt* (inquit textus ſacer) *dixit diſcipulis ſuis: Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant*. Multa hic mentem pungunt: ſed quod mirari licet, id eſt, quod non turbis, ſed diſcipulis Chriſtus dederit portanda fragmenta: aptius enim videbatur, vt ſecum turbæ reliquias aſportarent ſtupendi prodigij, quæ homines beneficij accepti obliuioſos ſemper inſtigarent, nec finerent vſquam obliuiſci. Cur qui maius dedit, minus negat? Cur qui tot copias copioſi conuiuij dapibus hilarauit, illis denegat fragmenta? Qui in miraculo liberalitati ſtuduit, in denegandis fruſtis vult prodigium taxare? Crediderim id ita factum & fragmenta Apoſtolis, non turbis dediſſe, ne Apoſtoli quærerentur, quòd exteros pauiſſet, eſurientibus domeſticis, quæ vanitas, & iniuſtitia à pluribus ſæpè ſæpiùs committitur, qui lautiſſimè alunt exteros, & qui in domo ſunt indigent neceſſarijs: filij abſque cibo, mulier ſine veſte, amici, domeſtici, & conſanguinei abſque officio, cum exteri his omnibus abundent: æquius enim eſt, vt bona, dignitates, & huius generis alia amicis, & propinquis largiantur, ſi reperiantur digni, quam quod præferantur extranei domeſticis fame pereuntibus. Accipe D. Bernard. ſerm. 18. in Cant. ſic præclarè hanc mentem exarantem ſubtili calamo. *Diſce & tu, nonniſi de pleno effundere; ne Deo largior eſſe velis. Concha imitetur fontem; non manat ille in riuum, nec in lacum extenditur, donec ſuis ſatietur aquis. Non pudeat concham non eſſe ſuo fonte profuſiorem. Denique ipſe fons vitæ plenus in ſe ipſo, & plenus ſe ipſo nonuc primum quidem ebulliens, & ſaliens in proxima ſecreta cœlorum, omnia impleuit bonitate? Et tunc demum impletis ſecretioribus, ſuperioribus partibus erupit ad terras? Ac de ſuperfluo homines, & iumenta ſaluauit? Quemadmodum multiplicauit miſericordiam ſuam Deus? Priùs interna repleuit, & ſic exundans in multis miſerationibus ſuis viſitauit terram, & inebriauit eam; ergo & tu fac ſimiliter. Implere priùs, & ſic curato effundere: benigna prudenſque charitas effluere conſueuit, non effundere*. Hucuſque Bernard. eleganter, & luculenter. Premeada exempla, quibus vtitur: vt enim fons non manat in riuum, donec ſuis ſatietur aquis, nec Deus terram bonitate ſua implet, niſi poſt-

quam cœlum vtpotè ſpecialem domnm implevit: ſic Princeps, ſic Præſul coniunctioribus priùs dona debet largiri, quam exteris, ſi coniuncti digni inueniantur. Sumant extranei, ſi merentur: nec enim quia exteri à beneficijs ſunt arcendi; ſed non priùs, quam coniuncti æquè digni: nam tunc domeſticis fragmenta colligere reſeruatur, exteri ſemel tantùm comederunt, nec fruſtra colligunt, quæ poſſint alijs porrigere.

3. *A peregrino* (inquit text. Deutheron. 15. verſ. 3.) *& adnena exiges; cinem, & propinquum repetendi non habebis poteſtatem; & omninò indigens, & mendicus non erit inter vos.* Lex nimis ſevera videtur. Cur Deus præcipit a peregrino exigi tributum; civibus autem remiſſionem benignè largiri anno ſeptimo? Æquius enim eſſet, cum extero, & advena mitius agere, quam cum cive, ſic exigente hoſpitalitatis officio. Auſculta Oleaſt. ad hunc locum. *Ordinem* (inquit) *charitatis* (*vt vocant*) *docet hæc lex: vt videlicet priùs mendicis ſubuenias, qui ſunt intra portas tuas, & in terra tua; poſtmodum verò alijs.* Contra charitatem, & chriſtianam politiam agit, qui eſuriente eius domo vanitati inſerviens, in alienis bona ſua inſumit, non ſeruat eius ordinem, qui concivem (ſi dignus eſt) non exteris præponit: non illam implet, qui amicum, dignum, & coniunctum contemnit, & haud digniorem exterum ad dignitatem evehit, & extollit.

4. Defuncto Ioſue conſuluerunt filij Iſraël Dominum ſuper vno aliquo duce, qui ſuccederet in principatu, regiminiſq; pondus, belliq; ſummam adminiſtraret. *Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli?* Iudicum 1. verſ. 2. Quid ergo Deus? *Dixit Dominus: Iudas aſcendet.* Ibi id eſt, tribus Iudæ. Cùm Deus motivis rationabilibus operetur, non eſt dubium aliqua habere efficacia, ob quæ tribum Iuda cæteris, ijſque fortibus tribubus præferat, & ad ducatum eleuet. Crediderim: id ita actum, quia tribus Iuda digna erat principatu, & ulterius ex illa Chriſtus naſciturus. Idcirco prima omnium plerumque ponitur: *Ex tribu Iuda duodecim millia ſignati.* Apocalypſ. 7. verſ. 5. ut ibi Ribera ex Beda, & alijs animaduertit, ea de cauſa prima iubetur ad Orientem caſtramentari ibi verſ. 2. cap. 3. *Ad Orientem Iudas figat tentoria.* Vbi Theodor. quæſt. 3. *Iuſtiſſima dicitur cauſa: conceſſerunt Iudæ plagam Orientalem: quoniam de ipſo Chriſto Domino vates inclamat: ecce oriens nomen eius.* Quia ergo Iudæ tribus non minùs, quam cæteræ fortis erat: vtpote de qua dicitur 1. Paralyp. 5. verſ. 2. *Erat fortiſſimus inter fratres ſuos*: & alioquin Deo coniuncta, quia de ipſa tribu carnem ſumere dignatus eſt, æquum erat, vt cæteris poſtpoſitis, ea ſolùm ad ducatus faſtigium eueheretur.

5. Exorat Chriſtum Centurio, vt ſeruo ſuo moribundo ſalutem largiatur: *Domine puer meus iacet in domo paralyticus.* Matth. 8. verſ. 6. Vix finita periodo ait Dominus: *Ego veniam curabo eum.* Ibid. verſ. 7. At paulò antè in eodem cap. Leproſus pro ſua ſalute Chriſtum deprecatur: *Domine, ſi vis, potes me mundare: & extendens Ieſus manum tetigit eum dicens: volo, mundare*, ibid. 2. & 3. Admirationē ingerit, quod Chriſtus Dominus hominem lepra infectum, & lege prohibitum tangi, non ſolùm viſitet, ſed ſuam ad eum extendat manum, & eum tangat: cum tamen ſervum Centurionis (qui maxima in Iſraële pollebat fide) nec tangat, nec ad eum vadat, ſed abſens ſanitatem tribuat: Et cur ad domum hominis fidelis, & qui Chriſti laudes meruit: *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël*: Chriſtus non accedit, & tamen leproſum curat, ac propria manu tangit contra legis præſcriptum? Egregiè Rupert. c. 7. *In ſanatione leproſi ſanationē Iudæorum Dominus meditabatur, erat enim hic leproſus Iudæus, ſiquidem iubetur oſtendere ſe Sacerdoti, vt qui erat ei ſubiectus; proptereà eum Dominus ſanans ſuam extendit manum, quia ex Iudæorum gente carnem aſſumpſit, at in puero Centurionis ſanitas tractabatur Gentilium, unde nec eum Dominus tangit, nec viſitat, ſed prædicatores ad eum miſit.* Preme illa verba: *Proptereà eum Dominus ſanans ſuam extendit manum, quia ex Iudæorum gente carnem aſſumpſit.* Ex Chriſti genere erat leproſus, & aliàs fide præditus, vt ejus verba oſtendunt: *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Homini ergo per fidem digno, & per carnem Chriſto iuncto maximam gratiam, & fauorem exhibet, quam Centurionis ſeruo non contulit. Suam extendit manum ad leproſum fidelem, quia fidelibus, & aliàs non indignis manum porrigere debent præſules, vt eos extollant. Favor namque beneficium, & gratia coniunctis (ſi capaces ſunt potiùs, quam exteris exhiberi debent.

6. Paulus 1. ad Timot. 5. verſ. 8. ſic ſuæ domus negligentes arguit: *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidē negavit, & eſt infidele deterior.* Ad omne genus hominum hoc extenditur anathema: ſic Chryſoſt. Hugo, & alij quos ſequitur Magall. ad hunc locum. Significatur enim generali canone, qua criminosè agat, qui familiæ ſuæ non prouidet. Sed magna difficultas exurgit, eo quod Paulus aſſerat fidem negare, & infideli deteriorem eſſe illum, qui curam ſuæ domus contemnit: durè dictum aliquibus videtur. Caiet. ad exaggerationem ſceleris hyperbolicè dictum accipit. At D. Thom ſecutus Chryſoſt. homil. 14. ſecundum veritatem, & de vera fide locum intelligit. Quo ergo pacto ſi fides ſola infidelitate negatur, qui ſuis neceſſaria negat fidem, & infideli eſt deterior? *Quia ſcilicet* (inquit D. Thomas) *facto fidem negat, qui opera exercet fidei documentis contraria.* In hoc autem infideli eſt deterior quippe cum Gentiles ipſi familiæ, & neceſſitudinis curam imprimis habeant,

Digitized by Google

beant, & domeſticorum provideant indigentijs, ipſe ab hoc præſcripto deficit. Comptè Chryſoſtom. loco citato. *Quando* (inquit) *quod infidelis, tu facere negligis, nonne fidem negaſti? Non in ſola confeſſione, ſed multo magis in affectu operis oſtenditur; nec verò idem eſt proprium alienumque aſpernari; ſed longè maius, notum, quam ignotum, amicum, quam qui ſit unitus amicitia, ſpernere.* Hæc Chryſoſtom. pulchrè, & ſapienter. Quod non intelligendum eſt de peccato, quoad ſtatum; ſic enim peccatum infidelitatis(ut D.Thom.ex D.Auguſt.probat) maius eſt; quia nihil agunt infideles Deo acceptum: ſed de uno peccato reſpectu alterius; & ſic gravius eſt peccatum fidelis, quia facit iniuriam fidei: undè dicit: quod ſi fidelis contemnit curam ſuorum, grauius peccat, quam ſi hoc faceret infidelis ſecundum illud 2.Pet.2. verſ.21. *Melius erat eis non cognoſcere viam iuſtitiæ; quam poſt agnitionem retrorſum conuerti.* Igitur quodammodo infidele eſt deterior, qui curam eorum, qui ad ipſum accedunt, negligit. Quid exaggeratius ad rem noſtram? Hinc vates noſter verſ.2. conqueritur de Deo, non impatientia, ſed dolore, & compaſſione gentis ſuæ, à quà non poterat cladem, & ſtragem à Deo immobiliter oſtenſam ſuis precibus auertere: in quo innatam liberalitatem, & affectum, quo quiſque ſuis priùs ſtudet benefacere oſtendit, & mæret ſe non exauditum, cum fidelitate patriæ debita eius commodo ſtudebat. *Vſquequo Domine clamabo, &c.*

DISCVRSVS V. MORALIS.

Sæpè magna tribulatio facit, ne homines ita facilè vacent Dei laudibus.

1. VEhemens animi oppreſſio ſæpè ipſum lædit: nimia afflictio mentem perturbat, & non ſinit ſurgere ad perfectè operandum: vnde Seneca de tranquill. animæ. *Naſcitur ex aſſiduitate laborum animorum hebetatio quædam, & languor.* Senſus dolore percitus obiecta imperfectè percipit: præ nimia triſtitia languet animus, & inertia, quaſi ſomno ſopitus non curat, quæ æterna ſunt: nihil perfectum cogitat, & deſperatione tabeſcens ad mortem præceps ruit. Hinc Apoſt. 2.Cor. 7.v.10. *Sæculi autem triſtitia mortem operatur.* Hinc Chriſtus Dominus magna myſteria ſuis diſcipulis reuelaturus in nocte cœnæ. *Surgite* [inquit] *eamus hinc.* Ioan. 14. v.31. Et quorſum eos à cœnaculo diſcedere cogit, vt myſteria reuelet cœleſtia? Quis aptior locus ad arcana negotia pertractanda, quam vbi diuina celebrauit myſteria, & auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit? Profundè Chryſoſt. *Cum hic & huiuſmodi verbis conturbarentur, ac ſi mox capiendi eſſent: in alium eos locum ducit, vt ſecuros arbitrati, fidentiùs audirent, erant enim maxima audituri.* Ex Chriſti morte, quem audierant, maximo turbantur pauore, & ſuam arbitrantur propinquam, quo turbati, & contriſtati nimis erant; in alium ergo ſecuriorem locum eos ducit Chriſtus, vt tutiores, quæ dicturus erat, perciperent. Perturbatio namque, & animi mæſtitia mentem impedit ad diuina (vt par eſt) expeditè capienda, & ad delinquendum diſponit, & inclinat. Vnde Amos c.3. verſ.6. *Si erit malũ in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* At quomodo poſſibile eſt à Deo mala patrari? De malo pœnæ loquitur: ſed quia ſæpius hinc anſam ad peccandum homines arripiunt, mala, quæ in ciuitate fiunt, à Domino fieri Propheta dicere abhorret. Rectè Theodoret. ad hunc locum. *Malum vltionem vocauit peruulgata vſus conſuetudine: mala enim ſolemus vocare, & morbos, & ſupplicia, & mortes immaturas, peſtes, bella, atque his ſimilia; non quod hæc mala ſint; ſed quod hominibus triſtitiam afferant.* Cum triſtitiam cauſet, qui mala pœnæ exequitur, ex illa omnia oriuntur delicta; & ſic ex punitis peccatores fiunt, quoniam triſtitia afflictantur, mærore tabeſcunt: animo enim mærenti, & triſtitia affecto ferè ſemper periculum eſt ad delinquendum, fomes ad peccatum, errandi libido, & ad virtutem obſtaculum.

2. Poſt mortem filiorum Aaron Nadab, & Abiu iratus eſt maximè Moyſes contra eum, & reliquos filios: eo quod non comediſſent partes ſacrificij, quas Deus comedere in populo præcipiebat: cui Aaron, vt iratum animum fratris placaret, ait: *Mihi accidit, quod vides: quomodo potui comedere eam, aut placere Deo in cæremonijs mente lugubri? Quod cum audiſſet Moyſes, recepit ſatisfactionem.* Leuit.10. verſ.19.& 20. Nunquid lacrymæ, & triſtitia ſaluti, & orationis ſpiritui aduerſantur, quod Aaron mentis mærore excuſatur à præceptorum obſeruantia, & diffidit mente lugubri placere Deo? Fortè eiulatus, lacrimæ, & ſuſpiria libertatem lædunt, & ad obtemperandum ſunt obſtacula, quod Moyſes Aaronis ſatisfactionem admittit, & ſedatur, nec deinceps audet obiurgare. Aptè Marius ad hunc locum. *Aaroni parcit tanquam magis afflicto.* Ac ſi afflictio ſpiritus, & animi oppreſſio ſufficiens eſſet ad non obediendum excuſatio, & qui maximo cruciatur dolore, impotens reddatur ad Dei mandata exequenda. Hinc Ezechiel 24. verſ.21. aduerſùs Hebræos ſic prophetabat: *Ecce ego polluam ſanctuarium meum filij veſtri, & filiæ veſtræ, quas reliquiſtis, gladio cadent.* Cur prius deſtruitur templum Hebræorum, in quo pia precum ambitione ſuperbiunt, & poſteà ſtrages filiorum ſuccedit?

Ob id quidem. Vide calamitatis magnitudinem, prius diruitur templum, in quo quaſi in orationis domo ſupererat calamitatis leuamen; poſteà filij, & filiæ gladio cadunt. Quaſi dicat Propheta: extrema captiuitatis miſeria oppreſſi eſtis, templum veſtrum iam dirutum eſt, quia nimis oppreſſo nec ad Deum preces fundere iuuat. Animo afflicto, & tot calamitatibus ſuccumbenti benè ante tollitur templum, cum preces fundere non valeat.

3. Iob c. 10. verſ. 20. quaſi fortunæ pila hinc inde iactatus, & impar viribus ad tot labores ſuſtinendos, manum alloquens flagellantem aiebat. *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum*. Quid? Dolor vehemens, & acerba tribulatio lacrymas abſorbuerat, & libertatem, quòd plangere eum non finit? Imò hæc eadem afflictio, & oppreſſio in riuos lacrymas effundet. Quid tam oculos madefacere, & irrigare valet, & quàm labor, & ærumna cor exprimens, & in diſtillationes per oculos fundens? Qua igitur ratione obſecrat patientiſſimus vir dimitti paululum, & alleuiari, vt ſuper dolorem ſuum plangat, & lacrymetur? Egregiè Sodonis lib. 7. moral. *Flagella* (inquit) *tuæ percuſſionis tempera; vt moderatis doloribus æſtimare mala, quæ patior, flendo conualeſcam. Sicut enim moderata afflictio lacrymas exprimit; ita immoderati ſubducit, quia mæror ipſe, quaſi ſine mærore fit, quia afflicti mente deuorans ſenſum doloris tollit*. Quid elegantius? Summa namque egeſtas, afflictioq; nimia animum nonnunquam conturbat, & intenſus dolor vincere ſolet, & ſuffocare ſpiritum, orationemque, & ſpiritualia quæq; impedire exercitia.

4. Dauid quampluries honore læſus, & ad mandatorum obſeruantiam difficilis in eiulatus lugubres prorumpens aiebat. Pſal. 118. verſ. 134. *Redime me à calumnijs hominum, vt cuſtodiam mandata tua*. Quid ais ô bone Rex? ita calumniatores times, vt petas à Deo ab eis eripi, vt eius præcepta cuſtodire valeas? Fortè impotens eris ad obſeruanda præcepta detractoribus circumactus? Aut eorum malitia tuam libertatem auferet? Niſi ab illis eripiaris, mandata cuſtodire non poteris? Poterat ſanè; ſed magna cum difficultate. Audi Ambroſ. ſup. hunc Pſal. *Qui enim calumnia non facilè poteſt cuſtodire mandata diuina; triſtitiæ, neceſsè eſt plerumque, aut timori cedat*. Animus vexatus, & mærens plerumque à mandatorum obſeruantia deficit, ad cuſtodiam præceptorum retardatur, & quaſi impotens languet, atque deliquium patitur.

5. Hinc Luc. 22. verſ. 31. aiebat Chriſtus Dominus Petro. *Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum; ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*. Mirum eſt, quod malus dæmon ſæuiens in Apoſtolorum cædes, id vnum expetat, vt diſcipulos ventilet, & purget tanquam triticum: hoc enim non videtur malum. Quid optabilius diſcipulis accidere potuit; quam quòd purgentur vt triticum? Nam triticum in aera fertur, vt, quid palea, quid triticum ſit, appareat. Cur igitur hæc vota diaboli tanquam noxia auertere à diſcipulis ſuis Chriſtus ſatagit: Præclarè D. Cyprian. lib. 4. epiſt. 4. *Cribaret vos: idest, vexaret vos*. Quaſi dicat: non petit Satanas facultatem à Deo præcipitandi Apoſtolos, aut inſolentius tentandi (quam fortè non impetraret) ſed callidè tantùm facultatem petit grauius vexandi Apoſtolos, certus grauioris vexationis acerbitate vincendos fore. Vnde Chriſtus pro ſuo Petro orat, ne calamitati ſuccumbat. Ob quam etiam cauſam, vt peccandi occaſiones vitentur, quæ ex vexatione, & neceſſitate oriuntur (quando virtus infirma, & parua eſt) poſtulat Mater Eccleſia in ſuis orationibus à Deo bona temporalia, & Chriſtus Dominus in oratione Dominica quotidianum panem præcipit exorari. Et vates noſter deiectus animo, & præ triſtitia, & dolore languens, & quaſi tabeſcens excedit in querimoniis. *Vſquequo Domine clamabo, & non exaudies?* Quaſi contra Deum incaleſcens, & ad ipſius laudes impotens.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Ea hominum natura eſt, vt non tantam gratiam habeant pro his, quæ illis tribueris, quantum dolorem ſuper his, quæ illis negaueris.

1. AB ore Senecæ lib. 1. de benef. hanc diſce doctrinam: ille enim ſic ait. *Ordo beneficij per manus tranſeuntis nihilominùs ad dantem reuertitur, & totius ſpeciem perdit, ſi vſquam interruptus eſt*. Ac ſi diceret: ſi deſinas benefacere, & vnum deneges, poſt multa collata beneficia, plus indignationis, & doloris vnius negatione negotiaueris, quam gratitudinis, & beneuolentiæ omnibus elargitis. Hæc hominum conditio. E regione Deus taliter beneficia æſtimari vult, vt vnius recepti beneficij memoria plurimarum offenſionum obliuiſci cogat. Vtrumque breuiter illuſtro. Abiectiſſima, ac infami ſeruitute populus in Ægypto premebatur: patitur indignum famulatum in laterum labore occupatus: mille offenſionibus eſt obnoxius: & tamen præcepit ei Deus. *Non abominaueris Aegyptios: quia aduena fuiſti in terra eius*. Deuth. 23. v. 7. Et cur tam ſeuero præcepto oneratur populus, & neque reſpirare ſuper laborem ſuum permittitur? Si enim Pharao Dominio

minio abutitur, & tyrannicè populum vexat; cur populus oppreſſus non abominabitur eos, quos ipſum Dominum abominari neceſſe erat, & læſa pectora de tyrannide conqueri non relinquuntur? Pulchrè Oleaſter. *Sunt multi, quibus ſi multa bona feceris: propter pauca mala, in te collata bona illa multa non referunt; quos locus iſte ſubtiliter arguit: qui non abominari docet Aegyptium; licet multa mala illis intulerit, propter multa alia bona; ſuſceperat enim eos benignè, ac tempore famis pauerat, & in in optimo terræ loco fecerat habitare*, Ac ſi dicat: licet Ægyptij tyrannicè Hebræos tractarent, nullumque iniuriæ genus illis non inferrent: tamen ſemel eis benefici exiſterunt: videlicet, cum illos aduenas in Regno ſuo receperunt: & beneficij huius, quod præſtiterunt, intuitu, vult Deus omnium iniuriarum Hebræos obliuiſci,& quod Ægyptijs,à quibus tot mala ſunt perpeſſi,nullum inferant.Id ipſũ habet Philo lib. de charit.ad medium.*Nullam iniuriam Aegyptij abſtinuerant ab hac gente, nouas ſemper crudelitatis ſpecies addentes prioribus: tamen, quia ab initio non excluſerunt eam à ſuis ciuitatibus, nec arcuerunt à foribus: ob eam* (inquit) *habeant priuilegium, & ius amicitiæ*.

2. Mittens Moyſes ad Regem Sehon nuntios, qui ab eo tranſitum per eius terram poſtularent, inquit: *Nobis concedas tranſitum; ſicut fecerunt filij Eſau, qui habitant in Seir*. Deuther.2.verſ.28. Exemplo Regem inclinare tentat. Verum ſi ſacram Hiſtoriam retro voluas, inuenies filios Eſau, ideſt, Idumæos tranſitum Moyſi, eiuſque exercitui non præſtitiſſe, ſed potius eis eum poſtulantibus obſtitiſſe, & nuntijs præcepiſſe, quod Moyſi renunciarent, *Non tranſibis per me, alioquin armatus occurram tibi*. Numer.20. verſ.18. Quo ergo pacto Moyſes ſe iactat de facultate ſibi conceſſa à Rege Edon, quam tamen ille denegauerat. Auſculta Caiet. hæc concordantem: *Clarè habetur: quod, quamuis anno ſecundo Idumæi negauerint tranſitum filijs Iſrael, anno tamen quadrageſimo timentes conceſſerunt eis tranſitum, & alimenta pretio*. Semel Rex Edon tranſitum Moyſi conceſſit; ſemel denegauit: at Moyſes generoſa indole præditus beneficium ſemel acceptum memoriæ infixit. altè retinuit: iniuriam verò illatam ex animo obliterauit. Animus enim nobilis, & ingenuus iniurias tacet, beneficia prædicat, & extollit: hæc in ære ſcribit, ne obliuionis iniuriam patiantur: illas in aqua, vbi facilè dilabuntur: ad vnius beneficij intuitum multarum obliuiſcitur offenſionum.

3. Sic Chriſtus Dominus de iniurijs, quas ſibi homines in paſſione intulerunt, conqueſtus eſt. Pſal.21.verſ.17.*Foderunt manus meas, & pedes meos*. Cur obſecro non queritur, quod manus, & pedes transfixerunt, & diris inſtrumentis lacerauerunt? Pulchrè Cardinalis Hugo ad hæc verba. *Non dixit transfixerunt, ſed foderunt: vt notet fructum, qui inde ſecutus eſt; ſcilicet, æterna beatitudo*. Inter tot mala, & iniurias, quas Deo homini homines intulerunt, illud tantum bonum fecerunt, quod fructui iter panderent, quem Dominus ex eius paſſione, & morte educere cupiebat, hominum ſcilicet, ſalutem: hoc beneficium præſtiterunt manus, & pedes lacerantes: terram illam fructiferam, & ſalutarem rumpentes. Ad huius ergo boni intuitum, quod Dominus intendebat, tantum reſpexit Chriſtus, & omnium iniuriarum, quas illi homines intulerunt, obliuiſcitur. Hæc enim eius conditio eſt, quod cuiuſcunque boni memoria perennet, & iniuriarum recordationem extinguat. E contrario homines; quorum ingenium eſt, de quacumque iniuria conqueri; quin pro acceptis beneficijs gratias agant.

4. Poſtquam Patriarchæ Abraham plura, & præclara Deus contulit beneficia, ſic Deum alloquitur. *Domine Deus quid dabis mihi? Ego vadam abſque liberis: & filius procuratoris domus meæ iſte Damaſcus Eliezer. Addiditque Abraham: mihi autem non dediſti ſemen; & ecce Vernaculus meus hæres meus erit*. Geneſ. 15. verſ.2.& 3. Quæ verba non animi ſunt increduli, ſed amici conquerentis de dilatione bonorum promiſſorum. Oleaſt. ſic præcitata verba intelligit. *Domine Deus quid dabis mihi? quaſi dicat: nihil quæ mihi contuliſti, æſtimo*. Sed quid propter Dominum hucuſque feciſti bone Senex? Nunquid ſubſtantiam, aut caput iugulo ob eius gloriam obtuliſti? Minime: ſed ſolum patriam, & patrem mercede præuia reliquiſti. Nunquid tanti hoc facis, vt non pluris facias, quæ à Domino accepiſti? Nam propter te Pharaonem Ægypti Regem plagis flagellauit maximis vxorem tuam ab eo contingi prohibuir: tantam dedit ſubſtantiam, vt ad debellandos Reges, pluſquam trecentos expeditos Vernaculos habueris, & armaueris. Nunquid parum tibi videtur, polliceri terram, & ſobolem velut ſtellas cœli innumerabilem? Hæc omnia pro nihilo æſtimas: & dicis: *Domine quid dabis mihi?* Quæ huius rei cauſa? Audi Oleaſt. *Eſt & aliud, quod hic aduertas; homines ſcilicet nihili facere quæcumque illis contuleris, niſi, quæ cupiunt, addideris. Multa & præclara munera Dominus ſancto Seni contulerat: ſed quoniam cum eis non dederat optatum ſemen, ea pro nihilo reputabat; & ideò dixit; Domine quid dabis mihi? Ego vadam abſque liberis*. Hoc enim hominum ingenium eſt, non ad gratitudinem multa accepta beneficia habere, dummodo optatum denegetur.

5. Acceſſit in Paradiſo callidus Serpens ad Protoparentem primam, & vt à fœliciſſimo innocentiæ ſtatu deturbaret, ſic ait. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradiſi?* Geneſ.3.verſ.1. Supponit mendaciſſimus dæmon, omnes arbores fuiſſe vetitas,

BIBLIOTECA ... VITTORIO ...

titas, cum tamen vna duntaxat ſit prohibita, cæteris omnibus permiſſis, vt Tertullianus, Auguſtin. Chryſoſt. Rupert. & Pagnin. exiſtimant. Cur ergo non proponit arborem vetitam ſimpliciter, & abſolutè, ſed per modum exceptionis ab omni arbore, dicendo: *Non comedetis de omni ligno*. Argutè Caiet. ad hunc locum. *Exceptio ſuggeſta diſplicentiam pareret in animo mulieris, prohibitionis diuinæ: exceptio namque ſuapte natura exoſa eſt, præſertim rei eiuſdem generis, & eiuſdem rationis, ac indifferentiæ*. Sciebat optimè callidus hoſtis homines eius eſſe ingenij, vt pro nihilo faciant maxima, & plura beneficia accepta, ſi vnum tantùm illis vel ſemel denegetur: idcirco, vt diſplicentiam in animo pareret mulieris, exoſam exceptionem illi proponit eius naturæ contrariam, vt ſic pro nihilo faciat cætera à Deo accepta beneficia; ſed vnius priuatione, & prohibitione deleatur. Nihil enim tam ægrè ferunt homines, quàm quod illis aliquid non concedatur.

6. Miſerunt Iudæi legatos ad Ioannem, vt eum interrogarent, an eſſet Chriſtus in lege promiſſus: tam egregiam de illo habebant opinionem, & alte de eius ſanctitate iudicabant, vt ipſum in Meſſiam accipere non dubitarent. Igitur accedentes miniſtri primo eum interrogant: an ſit Chriſtus. Quibus ipſe reſpondit: *Non ſum Chriſtus*. Io.1. verſ.20. Secundo ſciſcitantur an ſit Elias. At ipſe: *Non ſum*. Tertioque interrogatus eſſet ne Propheta: dixit *Non*. Quo accepto reſponſo Principibus, & Scribis referunt; nec deinceps Meſſiam eſſe crediderunt. Mirum eſt, quod tam facile opinionem, quam de Ioanne habebant, deponerent, & non vltra Meſſiæ dignitatem offerant; ſed cito à propoſito deſiſtant, nec vlterius inſtent, vt Ioannes Iudæorum Princeps, & caput publicetur. Cur non iterum dignitatem offerunt? Crediderim: quia non ſibi placuit reſponſio primo exhibita. Nil aliud audierunt miniſtri ex ore Ioannis, niſi negationes. *Non ſum Chriſtus*. *Non ſum*. *Non*. Qui toties negat, non aptus ipſis videtur ad Principatum: ægrè enim ferunt ſubditi Prælati negationes, verbum *non* malignantis naturæ ipſis eſt; nec ab ore Præſulis illud audire vellent. Rei deſideratæ negatio exoſa omnibus eſt. Hoc igitur genio actus Propheta noſtèr, qui tot beneficia à Deo acceperat, & tot fauoribus erat cumulatus. Ægrè tulit, quod vnum deneget, quod poſtulabat; nempè ſui populi liberationem: & qui toties fuerat exauditus, eo quod modo non exaudiatur, nec ad optata perueniat, quaſi contra Deum inſurgit; & cœlum clamoribus, & querimonijs tundit. *Vſquequo Domine clamabo, & non exaudies?*

Verſ.3. Quare oſtendiſti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam, & iniuſtitiam contra me? Et factum eſt iudicium, & contradictio potentior.

ANNOTATIO III.

Expoſitio Litteræ.

1. *Quare oſtendiſti mihi iniquitatem? &c.* Germanus ſenſus eſt: ſi me auditurus non eras, nec ego precibus meis quidquam eram profecturus; quare mihi tanta mala oſtendebas, vt viderem, quod auertere non poteram, & maiori dolore cruciarer? Tritum namque illud eſt. *Quod non vidit oculus, cor non dolet*. Minus enim afficiunt, & mouent, quę auribus, quam quę oculis tranſmittuntur ad animum. Dolere ſane poterat Habacuc, cum audiret, quam ſine pudore, ac metu contribules ſui omni vitiorum generi immoderatè indulgerent: ſed quia audiuit in vltimis etiam terrę finibus diuinam prodi legem, & externę atque impię religioni honórem impendi, quem ſibi verùs, & unus Deus exigebat, maximè doluit. At hoc ipſum pręſens intueri, atque ita frequenter, vt nunquam non occurreret oculis, quantus dolor? Adi Ierem. Tren.3. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius*. Et Machab.lib.1.cap.2.verſ.7. *Væ mihi, ut quid natus ſum videre contritionem populi mei, & contritionis ciuitatis ſanctæ?* Hinc quibus proprijs aut ſuorum incommodis intereſſe contingit, infeliciſſimos dicam: nam & ipſi beatos appellãt illos, quos immatura mors lucis uſura priuauit, nec talia videre, aut audire permiſit.

Acci-

Accipe unum (pro innumeris) Maronis teſtimonium lib.11. Æneid. vbi ſic Euandrum in Pallantis funere loquentem inducit:

Tuque ô ſanctiſſima Coniux
Fœlix morte tua, nec in hunc ſervata dolorem.
Contra ego viuendo vici mea fata, ſuperſtes
Reſtarem, vt genitor,

Videre autem dicitur prophetica viſione, quam certam intelligebat. Et *contra me.* Id eſt coram me, me aſpiciente, in oculis meis: ſicut illud Pſal.50. verſ.5. *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* Ac ſi dicat: quócunque oculos conuerto, occurrunt prędam vis, & iniquitas, quocunque pergo, hęc tamen obuiam habeo, in hęc mala paſſim incido: eo quod vndique publicè graſſantur. Hic in mendoſis codicibus, & in Lyrano, Gloſa interliniari. Diouyſio, & Hugone hęc adduntur verba. *Quare reſpicis contemptores: & taces conculcante impio iuſtiorem ſe? Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptilia non habentia ducem.* Sed quia hęc nec ſunt in Hebręo, nec in Gręco, nec in Chaldęo, nec in Hieronym. aut in vllo veterum, nec in caſtigatioribus libris & inferius propè finem cap. ponuntur; ideò ibi à nobis exponentur.

2. *Et factum eſt iudicium, & contradictio potentior.* Variè ſumitur hęc vox *iudicium* ab interpretibus iuxta varia Hebraicę linguę vocabula, ſed pręcipuè pro litigio, & iurgio, quod idem denotat *contradictio.* Ait ergo Propheta in eo rerum conflictu accuſotorum, & iudicum, quos largitio, aut aliqua alia corrupit iniqua ratio, contradictionem ſemper æquitate & iuſtitia eſſe ſuperiorem. Vel conqueritur, quod manſuetis, ac mitibus depreſſis, & abiectis, contentioſi, & iniurii extollantur, & dominentur; dum enim manſueti, & ſedati viri facilè cedunt, rixoſi, & turbulenti rerum publicarum potiuntur, & tyrannidem in illos exercent. Conſentaneum eſt malum virum malè Iura adminiſtrare. Nullam in poſterum reuerentes rerum vindictam, & Plato: *Neceſſe eſt malam animam male imperare, atque curare:* addit Propheta: *Propter hoc lacerata eſt lex.* Cuius ſenſus eſt: iudicium factum eſt inter Iudęos, & Chaldeos, & inde fit contradictio potentior; id eſt, illic accedunt potentiores, & obtinent, quidquid volunt; nam hi non iure contendunt, ſed contradictione, clamoribus, & iurgiis; quod ęque ad potentiores Iudęorum, & Chaldęorum poteſt contorqueri.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Res maximi doloris eſt, quod dignioribus depreſſis, indigni ad dignitates ſubleuentur.

1. DIgnior eſt, quò quis, eò digniorem locum debet obtinere ipſa natura docente, quæ nobilioribus ſenſibus præſtantiorem dedit locum: atque in cœlis, & elementis obſeruatum cernimus. Hinc Auguſt. *Hæc pax domeſtica, & clara iuſtitia eſt; vt ſcilicet, qui excellunt ratione, excellant dominatione.* Pacem vocat domeſticam, quam ipſa elementa ſeruant; nam ſi accidat, quòd elementum nobilius in imo ſit, & ignobilius in ſummo, inter ſe pugnant, & præliantur. Hinc terra tremore quatitur & dehiſcit, cum aer ſub illa clauditur, & nobilius elementum ignobiliori ſubditur. Et aer ipſe ſtridet ventis, cum vapor illo ignobilior ſupra ipſum collocatur. Vnde Ariſtot. lib.2. Politic. cap.5. *Nam qui virtute præſtant, iniquo animo ſibi indigniores æquari paterentur.* Præterquamquod indignum eleuari vires malitiæ adauget, quibus dignos opprimat; ipſa enim natura animalibus nociuis alas, & pedes negauit, ne plus nocerent. Si enim boni plerumque dignitate deteriorantur, malos peiores fieri non eſt dubium. Priuata perſona, & ſi peſſima ſit parum nocet; at cum magna poteſtate plurimum. *Nam qui magnam poteſtatem habent* (dixit Ariſtotel. lib.1. Polit. cap.9.) *etiam ſi ipſi nullius pretij ſint, multum nocent.* Cautè Romani honoris templum intra virtutis fanum ædificare, ita vt huius penetralia tranſiret, qui ad templum honoris accedere cupiebat, tenentes ad honores, & dignitates non irè recto tramite, qui per meritorum ſemitas non incedit. Hinc Prouerb. 29. verſ.8. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij: ita qui tribuit inſipienti honorem.* In Hebræo eſt. *Sicut qui mittit lapidem in palma fundæ:* quæ eſt latitudo in fundæ medio exiſtens, vbi ponitur lapis ad iactum. Et cur indignus in honore poſitus lapidi æquatur, qui è funda iacitur? Aprè Lyr. *Quia ſic mittitur in altum contra naturam lapidis, cuius eſt eſſe deorſum: ita honor exhibitus*

inſi-

Digitized by Google

inſipienti eſt contra rationem: eum exhibendus ſit ſoli ſapienti. Rumpit ætherem lapis è funda iactus: fremit ille, ac rudit, quoniam id, quod deorſum natum eſt deſcendere, violento impulſu ſurſum petit; ſic omnes clamant, & gemunt, dum ſtultum, qui deorſum eſſe natus eſt, in ſummis vident violenter collocari.

2. Moriente Domino velum templi ſcinditur, Sol obſcuratur, quatitur terra, rumpuntur petræ, & monumenta patefiunt, ac reſerantur. Adi ſacrum text. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam*. Matth.27. verſ. 45.50. & 51. & paucis interiectis. *IESVS autem iterum clamans voce magna emiſit ſpiritum, & ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, &c.* Mira omnium rerum perturbatio, & commotio. Cur moriente Domino creaturæ rationis expertes, & inſenſibiles perturbantur? Lyra. *Notatur perturbatio elementorum; quaſi Chriſto morienti compatientium.* Et quid dolent creaturæ, cum Creatorem morientem vident: ipſius mortem, an iniquorum ſententiam? Audi Caſſian. ad rem noſtram verſantem lib.13.c.221. *Tremuit terra ferre non valens facinus Iudæorum; & docens, quantum corda noſtra tremere debent videntia, quod Chriſtus iuſtus pro miniſtris mortuus eſt: ſaxa autem, quæ confringebantur, ſceleris iniuſtitiam acclamabant*. Quaſi diceret: etiam muta, & inſenſibilia elementa turbabantur, & ſenſus expertia doloris ſigna dabant, dum iuſtus, & dignus naturæ Author ab iniuſtis reis figebatur; dum dignum in patibulo, & indignos, & ſceleratos in iudicij ſede intuebantur. Adeò namque res doloris plena eſt, vt depreſſis iuſtis iniuſti in altũ erigantur.

3. *An non habet* (aiebat Apoſtolus ad Rom.9.) *poteſtatem figulus facere de eodem luto aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Hinc probant Patres iure optimo poſſe Deum alios ad gloriam, alios ad inferos deſtinare. Sed ſubtiliter præcitata verba exponit Rupert. lib. 8. de operibus Trinitatis cap. 27. *Non dixit: an non habet aurifex ſiue argentarius poteſtatem facere de eodem auro, ſiue de eodem argento aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: quod indignum poſſet indicari? Sed à figulo luti argumentum ſimilitudinis competenter edixit: figulus namque luti nihil luto adimit faciendo de illo vas in contumeliam, cum ipſum lutum contumelioſum ſit: multum autem illi confert; dum ex eo vas in honorem facit*. Attende illud. *Quod indignum poſſet indicari*. Quaſi dicat: quod vas aureum, aut argenteum in honorem ſit, & in pretio habeatur, hoc decens, & æquum eſt: at quod in contumeliam fiat, hoc indignum iudicari debet: hoc nequaquam ferri poteſt. Quod digni abijciantur, & conculcentur, qui vaſa aurea ſunt: & ad honorem indigni, & lutei euehantur, intolerabile vitium eſt, & à Dei politia toto cœlo diſtans.

4. Præcepit olim Deus electioni Summi Sacerdotis omnem adeſſe populum. *Congregabis omnem populum ad oſtium tabernaculi*: ait Dominus ad Moyſen Leuit.8. verſ.3.& 4.quod ita Moyſes præſtitit. *Congregataque omni turba ante fores tabernaculi, &c.* Superflua videtur hæc populi congregatio ad electionem Sacerdotis: quia ſi Deus ad tale miniſterium eligebat, & determinatè electum præſignabat, etiam ſi populus renueret: ad quid populi concurſus? Ad quid turba popularis, quæ nec eligebat, nec electionem confirmabat? Aptè Hi.ron.hic. *Requiritur ergo in ordinando Sacerdote & populi præſentia: vt ſciant omnes, & certi ſint, quod qui præſtantior eſt omni populo, qui doctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium*. Non hominum vota Deus deſpicit: & quamuis ipſe in electione Sacerdotis errare non poſſet: nec populus in ea votum haberet deciſiuum, aut conſultiuum: nihilominùs adeſſe præcepit: vt fateatur ſe illum eligere, qui præ omnibus meretur, ne populus tumultuetur, ſi Præſulem, credat indignum eligi. Nihil enim tam conturbat Rempublicam, quam miniſtrorum indigna euectio: nec tam pacatam reddit, quam Gubernatorum iuſta aſſumptio.

5. Pulchrè ſanè notauit Rupert.lib.2. de oper.Trin. c.64. hanc politiam, in creatione hominis, & naturæ vniuerſæ, cuius Præſul futurus erat. Cum enim Dominus naturam iam creaſſet omni creaturarum pulchritudine, & varietate ornatam: agens de homine ait. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli*. Gen.1. verſ. 26. Modum loquendi Rupert.annotauit: coniunctionem nempè, perſonarum, quam in productione aliarum rerum non fecerat. *Non dixit ſcriptura, quia dixit Deus: fiat homo ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & factus eſt homo. Sed dixit: fiat lux, & facta eſt lux. Quare? Videlicet: quia non repente, ſed operosè operari deberet, vt conſummatus homo ſtaret, ad creatoris ſui imaginem, & ſimilitudinem*. Quaſi diceret: futurus eſt homo ſuperior, *Vt præſit*? Conſilio, & tractatu opus eſt: non ſtatim exeat, non repente *fiat, & factus eſt*: paulatim procedamus: *faciamus*. Ad quid in Deo conſilia, & tractatus? Errare ne poterat Deus? Abſit. Redeat Rupert.cap.5. *Vnde enim piſcibus maris, & volatilibus cœli, beſtijs quoque, & reptilibus terræ homo præeſſet · niſi ex eo quod ipſe rationalis eſt, ipſa autem irrationalia ſunt: hæc nempè differentia multum omnibus illis hominem præponit: quia non quocunque modo illis præeſt, vt ſolummodo dignior ſit: ſed ita etiam, vt omnes illorum naturas domare poſſit, ergo ad hoc vt illis præſit homo; rationalem illum eſſe ſatis eſt*. Quid eſt, *vt omnes illorum naturas domare poſſit*? quaſi dicat:

anttà

Digitized by Google

anteà Deus perfectionem, & excellentiam hominis prædixit: faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram; ne creaturæ intelligant, homini ſubditas futuras quoniam Deus vult: ſed quia id meritis, & excellentijs obtinebat, quas Deus ipſi dare ſe aſtringebat, præcauens, ne ſi aliter vidiſſent factum, creaturæ contra hominem rebellarent, eo quod non patiatur natura non dignum præponi.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Dolendum, quod manſuetis, & ſedatis viris depreſſis, rixoſi, & turbulenti rerum publicarum potiantur.

1. Languet Reipublicæ ſanior pars, cum litigioſis, & turbulentis honores deferuntur: nam digni, & benemeriti marceſcunt, & à propoſito litterarum, & virtutum deſiſtunt: tabeſcit oppreſſa virtus, & cum vitia triumphare videt, ſtimulatur ad vitium. Res perniciosè ſe habent, cum virtus, quæ imperare nata eſt, ſubeſt. Ratio & natura in virtutis fauorem ſemper conſpirant. Hinc Xenoph. lib.18. in laudē ſui Principis dicebat. *Non cenſebat conuenire cuiquam imperium, qui non melior eſſet ijs, quibus imperaret*. Si quod digni digniores antecellant, dolendum eſt: quid non plorandum, cum indigni, ſeditioſi, & litigantes ad dignitates aſſumuntur, abiectis manſuetis, & animo pacatis. Hæc monſtruoſitas àRepublicis maximèrelegāda eſt.Sic Baruch. loquens de Iſraëlitico Regno potente viribus,& maieſtate habet c.3.v.26.& 27. *O Iſraël, quam magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius? Ibi fuerunt Gigantes, ſcientes prælium, non hos elegit Deus*. Et cur Gigantes fortiſſimos robore, & ad prælia, & iura tuenda validiſſimos, corporumque proceritate cæteros excedentes Deus non elegit? Pulchrè Ambr. lib.de Cain. & Abel cap.1. *Meritò non elegit: quia prælium, non pacem ſciebant*. Qui nihil aliud ſcit niſi præliari, rixas, litigia, & iurgia fouere, meritò arcetur à dignitate.

2. Merita, quibus ad ſupremum Maieſtatis faſtigium fuit aſſumptus Dauid recenſens aiebat Pſal.77.verſ.67. *Et repulit tabernaculum Ioſeph; & tribum Ephraim non elegit: ſed elegit tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit*. Ingens hic oritur quæſtio inter Interpretes quare ſcilicet à Regia dignitate tribus Ephraim, ſeu Ioſeph ſit repulſa, & Iudæ tribus admiſſa. Nam longè melior meritis, & virtutibus fuit Ioſeph, quam Iudas; vt ex ſe patet, & dixit Auguſt.à Gloſa relatus. *Electam tribum Iudæ*, ait, *non ex meritis Iudæ; quo longè melior fuit Ioſeph; ſed quia de ea Chriſtus*. Et cur Chriſtus non traxit originem de perfectiori tribu? Quare præſtantiori relicta inferiorem ad dignitatem Regiam euexit? Deus non more hominum merita metitur, & ad ſuum placitum dignitates confert, & munera diſtribuit, quod potiorem tribuum deſpicit, & ignobiliorem ad regalem thronum elevat? Argutè Theodoret. ad hunc locum. *A ijs tribubus derelictis ſolius Ephraim meminit, futuram tyrannidem prævidens, quandoquidem ex hac Ieroboam originem ducens ex Dauidico Regno decem tribus abduxit*. Procreauit tribus Ephraim Ieroboam, qui decem tribus ſeduxit, & diſcordia introducta in populo, & lites, & rixas omnes tribus incitauit. Tribus ergo, quę lites, & contentiones ſeminauit, non erat digna, quod ad dignitatem Regiam eleuaretur, & ſi aliàs merita habeat, dum ſeditioſo, & turbulento genio pacem turbat, & concordiam dirimit, meritò à dignitate excluditur. Eligatur tribus Iuda, *quæ* (vt ait Caſſiodor.) *In confeſſione fuit humilis, & conuerſatione laudabilis*. Humiles namque, & manſueti eligendi ſunt ad dignitates, contentioſi, & turbulenti prorſus exulandi.

3. Magna illa mulier Sunamitis maxima Eliſęi extitit benefactrix: cui gratus Propheta fauorem, & gratiam, quam apud Regem habebat, obtulit, ſi fortè ea indigeret. *Numquid habes negotium, & vis, vt loquar Regi, ſeu Principi militiæ*. 4. Reg. 4. verſ.13. Cui mulier reſpondit eius non egere fauore; rationemque reddit. *In medio populi ego habito*. Fatua, & citra propoſitum reſponſio videtur: ſtulta nimis apparet Sunamitis,dum ex ra r m loquitur: nam vt vrbanè quęſito ſatisfaceret: aut illi gratiam redderet promiſſam, aut ea non indigere reſpondere debebat. Cur igitur oblato officio vatis, ſe in medio populi habitare ait, vt eo non indigere innuat? Fortè ſuſpectum habuit in ſua cauſa Eliſeum, & eo circumloquio oblatum officium excuſat ne eum vereeundia perfundat? Non inquam: ſed diſertè, & prudentiſſimè reſponſum exhibet. *In medio populi ego habito*. Quaſi diceret: nullum habeo negotium, ſeu litem, omnes ciues me magnificant, & in magno pretio, & honore habent. Hoc enim indicat locus medius. Si autem litem haberem, & iurgia, non me in medio populi habitare ſinerent, ſed in angulo ciuitatis, vel extra illam me proieciſſent. Sic enim, & ſe,& ſuam Rempublicam litigioſos non patientem laudauit. Qui enim turbulentè,& contentiosè viuit, non in medio habendus eſt, non in honore collocandus, ſed relegandus à Republica tanquam pernicioſus.

4. Refert ſacra Pagina perturbationem Saulis, eo quod Deus reſponſum non pręberet, cum Ionathas ieiunium iuramento pręſtitum confregit. Rei inquiſitionem fecit, & ad id vniuerſo populo congregato ſic affatur: *Applicate huc vniuerſos angulos populi, & ſcitote,*

tote, & videte per quem acciderit peccatum hoc hodie. 1.Reg.14.verſ.38. Fortè Saul turbatus, & ira inardeſcens verba commutauit, & quid loquatur ignorat: quid per populi augulos ſignificare vult: & cur metaphoricè loquitur, cum tranſgreſſorem detegere ſatagit? Rectè Hieronym. adductus à Gloſ. *Angulos populi Principes vocat, quibus hinc inde populi tanquam angulis parietes adhærebant*. Idem habet Caietan. *Angulos populi: hoc eſt vniuerſa capita populi tanquam per angulos diſtincti*. Prudenter nimis Saul arguit hac metaphora populi Proceres, de quibus ſuſpicabatur tranſgreſſorem, propter quam in populo illud iurgium exortum eſt; & admonet officia, quę capita populi exercere debent, angulos ea compellans: quaſi dicat: Principes vincula, & anguli ſunt, quibus populus inter ſe cohęret: ſicut enim in ædificio angulus parietes inter ſe connectit: ita Principes partes Reipublicę connectere debent; & tantùm ille Principatu dignus eſt, qui inter populos non contentiones, ſed pacem, & concordiam fouet.

5. De his, quos Deus vult ad dignitates euehi, loquitur Iſaias 2.verſ.4. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium*. Nec enim Chriſti diſcipulos ſeditioſos eſſe decet; cum ipſe magnopere pacis ſit ſtudioſus, & ſuum Principatum pacificum eſſe voluerit. Vnde Propheta noſter loquens de ipſo c.3.v.9.ait: *Stetit & menſus eſt terram*. Id eſt, vt apparuit natus, terram poſſedit: hoc enim (vt in expoſitione litterę dicemus) denotat, terram metiri. Cur ego ſtatim vt natus eſt, terram poſſidet, & Principatum habet? Quia profectò pacificus natus eſt, proptereà omnem poſſeſſionem ſibi vendicare voluit, vt innueret pacificos tantùm ad Principatum euehendos fore. Qua de cauſa cum Iſaias 16. verſ.1. præſagit eius dominationem, agnum vocat. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ*, Rectè Chriſtum dominatorem agnum compellat ad poſſidendam terram; quia pacifico, ac mite homine nihil eſt dignius ad dignitatem obtinendam, & Principatum ſubeundum. Quare cum quidam Gręcus poëta pictorem videret Chriſti ortum depingentem in ſcuto, deriſit illum, & ſic lepidè reprehendit. *O quam ſtultus pictor: qui exarat Dominum pacis in ſcuto naſci pictum*. Qui enim naſcens ſcuta combuſſit igne, quia pacem venit mittere in terram, ſtultè in ſcuto pingitur, & dignè Principatum ſtatim accipit Princeps pacis.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Iudicum Aequitas, & conſtantia anima, & rectitudo legum eſt.

1. DOlet Propheta, eo quod iniuſtitia præualeat in populo ſuo, & potentiores, qui iuſtitiam, & æquitatem omnibus debent ſeruare, eam omnibus denegent, & ſibi vbi reſeruent, vt eam violent propriæ vtilitatis deſiderio. Tunc enim iuſtitia conſtupratur, cum improbitas iudicum, & cupiditas potentiores ſunt pauperum iuſtitia, & ratione; ſuoque commodo tantum capita populi ſtudent, & ad rapinas, quibus ſuas domos ditent, propendent, aut per exceptionem ſuis familiaribus (& ſi ſcelerati ſint) indulgent, ac parcunt, cæteroſque, qui rectè viuunt, opprimunt, & perſequuntur. Rectè dixit Seneca lib.de tranquil.animæ. *Familiariter enim domeſticum aſpicimus, & ſemper iudicio fauor officit*. Iudicium namque peruerſum, de quo quæritur Propheta, illud eſt, quod non æquitas moderatur, ſed ambitio, timor, amor, aut odium, aut quæuis alia iniqua cogitatio à lege, & omni recta ratione diſtincta. Hinc D.Auguſt. quaſi miraculum narrat. *Alepium Collegam ſuum nullo affectu, odio, timore, atque præmio iuſtitiam ſubuertiſſe*. Pulchra ſanè gloſa; extat cuiuſdam iuriſconſulti ad illud proœmium vbi Imperator ait. *Imperatoriam maieſtatem, non ſolum armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe ornatam, vt vtrumque tempus, & bellorum, & pacis rectè poſſit gubernare, & Princeps Romanorum victor exiſtat*. Vbi Gloſ. *Sed etiam legibus animatis*. Etenim leges ſine anima, animæ ſine lege ſunt. Æquitas enim, & probitas iudicum anima ſine dubio legum ſunt. Et propterea lacerantur, leges, quia impius prævalet aduerſus iuſtum. Iudex iniquus non æquè leges condit, & obſeruat: ſed amore, vel odio, tamen ſine anima: quia qui ſuæ animæ curam non habet, leges interimit. Rectè Gregor. Nazianz. orat.1. optimum judicem funabulo comparat, quoniam, ſicut huius vita in æquilibrio poſita eſt, quin ad alterum latus ſe inclinet, & ſi pauculum ſit: *Sic* (inquit Gregor.) *nec parua inclinatio parvum periculum facit: Verum eorum ſalus in æquilibrio poſita eſt*. Vnde Iſaias cap.6. verſ. 3. *Iuſtitia mea fulciuit me*. Ad quæ verba Oleaſtr. ſic egregiè loquitur. *Optimum fulcrum iuſtitia eſt: cui ſi innitimur, nunquam nos deſerit, quocunque eamus. Hac de cauſa virga iuſtitiæ iudici datur, vt eum fulciat: & ſi quando eum humanus, ac terrenus affectus inclinet, virga iuſtitiæ fulciat, nec cadere permittat*. Vt ergo à fune velut funabulus non cadat, & periclitetur, iudex virgæ iuſtitiæ innitendus eſt, & quando ab affectu in-

clinari

clinari videtur, innixus caſum vitet rectè *per periculoſum funem gradiens*.

2. Iſaiæ 48. verſ.14. loquens Propheta de Rege Cyro, qui Babylonem erat expugnaturus ait. *Dominus dilexit eum: faciet voluntatem eius in Babylon*. Verba planè difficillima, & quæ vix explicari poſſunt. Nam quo pacto dicitur Dominus injuſtum, & idololatram Regem dilexiſſe? Si ethnici diliguntur à Deo, ad quid de ſuis erroribus reſipiſcent? Vtile erit in ipſis perſeuerare. Ad quid fidelis anguſtatur, vt Deo placeat, & voluntatem eius ſibi conciliet, dum audit idololatram dilectum à Deo. Pulchrè Oleaſtr. verſat hunc locum. *Sunt multi iudices* (inquit) *qui timent malos interficere ab eorum potentia deterriti: quibus hic omnis timor aufertur, dum audiunt Deum Cyrum diligere, eo quod eius voluntatem facit in vindicta Babel*. Ac ſi diceret: non approbat Deus, nec approbare poteſt infidelitatem Cyri: at complacet in ſtrage, quam intulit Babel, quia voluntatem Dei in hoc facto adimplevit. Sed premenda ſunt illa verba, quibus iniquos iudices carpit. *Sunt multi iudices, qui timent malos interficere ab eorum potentia dexterriti*. Videas taurum, qui iam iam hominem cornu petit, iam trucidatum iudicas: at fune detentus ſubito regreditur, & innocuum, quem inſequebatur, relinquit: ſic plerumque Iudices audacter iuſtitiam exercere intendunt, bono animo ad rectitudinem inclinant, & iniuſtos iuſtè punire conantur; at inter hæc iuſta deſideria neſcio quis ex fune detinuit, quod & à iuſtitia deflectunt, & timore, aut favore correpti ſceleratos reos interficere deſiſtunt. Ecce quomodo non peruenit ad finem judicium, ſed peruerſum egreditur.

3. Nuntiatur Iudæ, quod fornicata fuerit nurus eius Thamar, & intumeſcens vterus ejus appareret, ipſeque Iudas velut taurus ſæviens ait: *Producite eam, ut comburatur*. Geneſ.38. v.24. *Sana valde ſententia* (ait Caiet.) *inſinuat Iudam fuiſſe Principem loci illius. Quæ cum duceretur ad pœnam* (ſubiungit text.) *ecce alia ſanitia, cum mulier gravida cum prole ſimul occideretur, imò combureretur*. Quid tunc Thamar? Vt ſe à tanto periculo liberaret, *miſit ad ſocerum ſuum dicens: De viro cuius hæc ſunt, concepi: cognoſce cuius ſit annulus, armilla, & baculus. Et agnouit Iudas, & dixit: Iuſtior me eſt, quia non tradidi eam Selæ filio meo*. Geneſ.38. verſ.25. Et cur tam citò miteſcit, qui paulò ante eam duci præcipiebat ad comburendum? Pulchrè Caiet. *Collata cauſa Thamar cum iniuria, quam ei fecerat, negando ei maritum, abſoluit eam. Et hinc apparet quod Iudas Princeps erat pro arbitrio damnans, & abſoluens*. Vides, quomodo ferocitatem tauri Iudas depoſuit, cum fune detineretur à nuru? Sic plerique iudices cum ad vindictam iuſtitiæ audacter, & ferociter procedunt, muneribus, precibus, potentiorum epiſtolis (& vtinam non à Thamar) à iuſtitia exercenda retardantur.

4. Timuit valde Saul Philiſtinos, conſuluitque Dominum: qui cum ei nihil responderet, neque per Sacerdotes, neque per ſomnia, ſervis ſuis præcepit, vt mulierem Pythoniſſam quærerent, quæ ſuper hac re reſponſum præſtaret. 1.Reg.28. verſ.7. *Dixitque Saul ſervis ſuis: quærite mihi mulierem habentem Pythonem: & vadam ad eam, & ſciſcitabor per illam. Et dixerunt ſerui eius ad eum: eſt mulier Pythonem habens in Endor*. Quærunt interpretes, quomodo Saul huiuſmodi mulierem quæſierit, & illam invenerit: cum ipſe lege publica auulſerit eas è terra? vt habetur in eodem cap. *Et Saul abſtulit Magos, & Hariolos de terra, & interfecit eos qui Pythonem habebant in ventre*. Nodum ſoluit Hieronym. in traditionibus Hebráicis ad litteram, & ad rem noſtram. *Quamuis legatur emiſiſſe Magos, & Hariolos de terra: hanc tamen mulierem Hebræi matrem fuiſſe Abner filii Ner autumant: & per eundem Abner, ne perimeretur cum cæteris Pythoniſſis abſconſam, & reſeruatam fuiſſe*. Erat Abner unus de primis miniſtris Regis, vt habet Lyra ad præcitata verba. *Dicunt Hebræi, quod hoc dixit Saul duobus ſibi familiaribus, & ſecretis, ſcilicet Abner, & Amaſa*. Hic ergo amore filii legem inæqualiter ſeruauit matrem abſconſam reſervans. Sic ferè ſemper vigor iuſtitiæ languet in Republica, viget favor, & ad arbitrium vniuſcuiuſque iudicis leges diſpenſantur, & inanimatæ redduntur? ſcelesti, criminoſi, & fortè qui Pythonem habent immunes ſunt à culpa: pauperes, & inualidi non tantum legum pœnis ſubiacent, ſed & furori iudicis, & per exceſſum, aut defectum lacerantur leges, & in utroque peccatur extremo.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Frequenter ſapientia caret præmio: ſtultitiæ nunquam deeſt.

1. AB ore ſapientis, & experti hæc prodit ſententia: *Raro contingit* (inquit Seneca *fœlicem eſſe ſapientem*. Fortuna enim vt cæca, & negligens omnium domina, & pœnis, & muneribus errat. Raròmerita non infortunata ſunt: nunquam demerita non fortunata: & hoc plerumque, non tam ex meritorum infœlicitate, quam ex vanitate remunerantis; nam qui merenti tribuit, non liberalitatem exercet, ſed iuſtitiam: at qui non benemeritum fauoribus proſequitur, gaudet munificus, & liberalis videri. Pater ille familias, qui diverſis temporibus in vineam ſuam otioſos illos miſit operarios, veniente ſero, vt mercedem rependeret pro laboribus dixit procuratori: *Voca operarios, & redde illis mer-*

cedem incipiens à nouiſſimis. Matth.20. verſ.8. Mirum eſt, quod Deus, qui de ſua iuſtitia, & æquitate toties gloriatur, cum ad remunerandum accedit primis, & nouiſſimis, qui minus laboris impenderant, mercedem tribuat, & anſam illis, qui à prima hora laborauerant, vt conquerantur de inæqualitate mercedis. Cur à nouiſſimis, & qui breviori tempore laborauerant, prędmium inchoandum? Egregiè Chryſoſtom. in cathena. *Semper enim libentius aliquid damus illis, quibus gratis donamus: quia pro ſolo noſtro honore donamus. Ergo omnibus ſanctis Deus reddens mercedem iuſtus oſtenditur: gentibus autem dans miſericors (dicente Apoſtolo) gentes autem ſuper miſericordiam honorare Deum: & ideò dicitur: incipiens à nouiſſimis uſque ad primos*. Quoniam libentius damus id, quod gratis, & qui minus merentur auidius præmium concedimus (quia pro ſolo noſtro honore donamus) ideò dicitur, quod paterfamilias à nouiſſimis inceperit præmium, & mercedem impendere: ſic ferè ſemper, vbi minus meriti inuenitur, magis homines incitantur ad remunerandum, quia magis ibi pro ſuo honore conferunt. Hinc meritorum infœlicitas.

2. Magna ſanè fuit illa generoſa confeſſio, qua Nathanael Chriſtum Dominum Deum agnovit. *Rabbi tu es filius Dei: tu es Rex Iſraël*. Ioan.1.verſ.49. Digna ſanè (ut inquit Auguſt. tract.7. in Ioan.) ut primus inter Apoſtolos eligeretur, ſic enim ratio, & iuſtitia poſtulabant. At non ſolum primus non eſt electus inter duodecim: ſed neque medius, neque vltimus, vt cum Auguſt. tenent communiter interpretes aduerſus Rupertum, & nonnullos recentiores, quos confutat Toletus annot.49. Sed non parum mentem pulſat, quod homo fide prædictus, & omni genere ſcientiarum clarus ab Apoſtolatu reiiciatur, ad quem candidatum æqualis meriti non videbatur habere. Cur igitur repulſam patitur? Audi Auguſtin. loco citato. *Intelligere enim debemus ipſum Nathanaelem eruditum, & peritum legis fuiſſe; proptereà noluit eum Dominus inter diſcipulos ponere; quia idiotas elegit, unde confunderet mundum. Si doctus eligeretur, fortaſſe ideò ſe diceret electum quia doctrina eius meruerat eligi: Dominus autem volens ſuperborum frangere ceruices non quæſiuit per oratorem piſcatorem, ſed de piſcatore lucratus eſt Imperatorem*. En ex mente Auguſt. Nathanaelem ab Apoſtolatu excluſum, quia ſapientia pollebat: nam etſi ob alios fines Chriſtus idiotas elegit: ſapientes, quia tales, excludi, ſumma infœlicias eſt.

3. 1.Regum 19. Promiſit Saul filiam maiorem Merob ei, qui opprobrium Philiſthini faſtu inſolentiſſimo turgentis, & blaterātis abſtuliſſet ab Iſraël. Egregiè ſe geſſit Dauid, & ad arenam deueniens Gigāteam arrogantiam proſtrauit: cum autem præmio pollicito potiri debebat, factum eſt, ut Saul majorem filiam Moabitæ cuidam Hadrieli tradiderit, & Dauid iuſto præmio defraudauerit. At ſcire licet, quis fuerit iſte, quem Saul tot meritis ſuffulto Dauidi prætulit. Fortè propter excellentiam meritorum Hadrielis ipſum præpoſuit noſter Rāngolius ſic de iſto Moabita loquitur. *Poſtea data eſt Hadrieli cuidam, de cuius rebus geſtis, & virtute nihil reſtat ſcriptum in ſacris litteris: & ſolum legitur* 2.Reg.21. *filios, quos ex illa vxore ſuſcepit, poſtea crucibus ſuſpenſos eſſe à Gabaonitis*. Cur ergo homo, de cuius rebus geſtis nihil extat, præclaro viro præfertur, de quo tot, & tam egregia facta narrantur? Goliath occidit, opprobrium à populo abſtulit, inſtructus erat in politia, peritus in ſcientia, virtute pollebat. Cur ita? niſi quia merita frequenter carent præmio: ſtultia ſemper coronatur. Dauid habuit gratiam merendi: Hadriel obtinendi fœlicitatem. Ille inito certamine cum hoſte potentiſſimo glorioſè deuincit: at quando cum inſipiente pugnat, & de præmio contendit, vincitur. Sic ſemper inſipientibus fortuna ridet, ſapientes toruo aſpectu, & facie infenſa reſpicit.

4. Hinc illud monitum Sapientis alta memoria retinendum, & practicandum. *Penes Regem noli velle iudicari ſapiens*. Eccleſiaſt.7. verſ.5. Nulli magis indigent ſapientia quam Reges, nam ex decretis ſapienter diſpoſitis tota pax, & tranquillitas Regni procedit. Quare ergo hortatur Deus ſapientes, ut à Regibus fugiant, vel ſaltem affectent videri inſipientes: cum fas ſit eos in magno pretio habere, & tantum interſit illorum conſilio omnia peragi? Rectè Ianſenius. *Quia ſapientia odioſa eſt Regibus*. Solum enim apud illos ſapiens habetur, qui auribus blanditur, & aſſentatoris cautela verba loquitur adulatoria. Hinc Principes, & Phariſęi collecto concilio ſapientiorum Hebręę gentis, vt in re grauiſſima (qualis erat Chriſti cauſa, quę ex Scripturarum exacta notitia pendebat) vota proferrent, re hinc inde ventilata ſapientioribus Phariſęis, & litteratioribus, qui aderant tantę rei conſiliarij, dixit Caiphas, qui erat Princeps anni illius, & Senatui pręſidebat. *Vos neſcitis quidquam, neque cogitatis*. Ioan.11.verſ.49. quomodo appellat neſcios Phariſęos: & Scribas ſapientię Proceres: Ipſe ſibi derogat Pręſes, qui homines neſcientes quidquam in conſilium vocat. Sapientię titulos habent, ſapientię munera gerunt, & inſipientes vocantur à Pręſide, qui ſpiritu loquebatur prophetico? Pulchrè Origenes relatus in catena. *Cum eſſet Pontifex anni illius, prophetauit: ſi autem quis velit veridicum & in hoc eſſe Caipham, fatebitur etiam cuncta, quæ ſunt in hoc loco, Prophetiam eſſe veridicam incipiendo ab eo: vos nihil ſcitis, nihil enim nouerant*. Id eſt: non tantum propheticè dixit Caiphas: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo*: ſed etiam illud: *Vos neſcitis quidquam*. Itaque hi, qui ſapientiſſimi conſiliarij reputabantur, veriſſimè, imò propheticè di-

cun-

cuntur neſcire quidquam, quippè qui infœliciter ſapientes ſunt propter ſtultitiam, & fœliciter ſtulti propter prelationes, & officia, ad quę fere ſemper idiotę aſſumuntur apud malos Pręſules, qualis erat Caiphas: & vtinam non propheticè loqueretur de multis alijs futuris Conſiliarijs. Hoc autem cùm videret vates noſter in populo ſuo, & quod inſipientes, & iniurioſi extollebantur, ſapientibus, & benemeritis depreſſis, dolet, & oculos auertere ſatagit. *Quare oſtendiſti mihi iniquitatem? &c.*

DISCVRSVS V. MORALIS.

Quod favor, & præmium indignis conferatur, non ſat eſt, ut à ſuperioribus auellamur.

1. SEneca epiſtol. 9. altè de amicitia diſſerens, tandem concludit. *Detrahit amicitiæ maieſtatem ſuam, qui illam parat ad bonos caſus.* Non lucro captus, nec varietate fortunæ perterritus debet accedere ad amicitiam, qui eius generoſam indolem agnovit: nam quem amicitia allicit propter lucrum, non amicus, ſed negotiator, & contubernalis eſt. Nec ſat eſt, quod præmia, & dignitates non dignioribus conferantur, & nobis denegentur, vt à ſuperioribus aliàs amicis diſcedamus; nam ſæpè favor indignioribus exhibetur, ne publica pax turbetur, & illi reducantur: dignus autem, & amicus, vt perſeueret, non eget pręmio. *Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ vidit duos fratres Petrum, & Andreā, quos vocauit dicens: Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.* Matth. c. 4. v. 18. Pręmiū offert, & officia in melius commutare pollicetur, vt eos ad ſequelam inducat. Poſteà duos alios vidit fratres Ioannem, & Iacobum, quibus dixit: *Venite poſt me.* ibid. Quin aliud verbum, ſeu promiſſionem addat. Et cur Ioanni, & Iacobo nihil promittit pro mercede ſequelę ſicut Petro, & Andreę, quibus piſcatores hominum futuros promiſit? Auget difficultatem, quod Ioannes, & Iacobus plùs erant felicturi, quàm Petrus, & Andreas: iſti namq; ſolum reliquerunt retia: illi retia, naves, & Patrem. Cur ergo his, qui plura reliquerunt, illud ſaltem non promiſit, quod ijs, qui minùs renunciarunt? Nodum ſoluit Chryſoſt. hom. 14. in Matth. *Vocando autem nil eis promiſit, ſicut prioribus: obedientia enim eorum qui præuenerant, viam eis præparavit: ſed & multa iam de illo ante audierant, ſcilicet, tanquam familiares, & conſanguinei coniuncti.* Conſultiſſima enim Chriſti ciuilitas, & diſſertiſſima politia fuit; Petrum, & Andream ad ſequelam allicit ſpe futurarum dignitatum; quia nec amicitię, nec conſanguinitatis vinculo illos habebat adſtriſtos: at Ioannes, & Iacobus familiares Chriſti, & conſanguinei pręmio non indigebant, vt in fide, & amicitia perſiſterent, nec de aliorum ad dignitatem aſſumptione conquererentur, quin imò maiori erga ipſos confidentia gloriarentur.

2. Vocauit operarios pater ille familias in diuerſis horis diei, & in vineam ſuam laboraturos miſit, diurni laboris debitam ex pacto mercedem largiturus ſic Oeconomum alloquitur. *Voca operarios, & redde illis mercedem ſuam incipiens à nouiſſimis.* Matth. 20. verſ. 8. Noviſſimis mercedes redditur, priuſquam primis. Et cur laudatiſſimus paterfamilias mercedem pactam, & ex iuſtitia debitam, ac pręmium pro laboribus impenſum non priùs ſoluit dignioribus; ſed his poſtpoſitis à nouiſſimis pręcipit inchoare? Et quis vineam colere adhibit, cum tam diſparem videat mercedis diſtributionem: Vrbanè, ac diſſertè Chryſoſtom. homil. 56. in Matth. *Vt oſtendat inæſtimabilem miſericordiam ſuam, primum nouiſſimis, & indignioribus reddit mercedem, poſteà primis. Nimia miſericordia ordinem aſpexit.* Ac ſi diceret: qui digni, & amici ſunt, non egent mercede, vt à patrefamilias non recedant: ab extraneis, & minus dignis incipiendum eſt, vt in amicitia obfirmentur, & reducantur. Et ſi ſerò pręmium amicis conferatur, propter confidentiam habitam de ipſis, non fas erit, quod ſicut mercenarij in murmurationem prorumpant, & à patrefamilias recedant: ne non amici, ſed negotiatores videantur: dum de munere ipſis non collato conqueruntur.

3. Diffident Patres, à quonam diſcipulorum Chriſtus inceperit, cum morti proximus eorum pedes lauat. At quis dubitet Apoſtolorum Principem principem occupaſſe locum? Sic ſentiunt Auguſt. & Bernard. Oppoſitum tamen tenent Origen. hom. 32. Chryſoſt. hom. 69. in Matth. Eutimius, qui non modo negant Petrum primo fuiſſe lotum, ſed Iudam ante omnes balneo ablutum affirmant: quod text. facer innuit, dum ait. *Cæpit lauare pedes diſcipulorum*, & ſtatim adiungit. *Venit ergo ad Simonem Petrum* Ioan. 13. verſ. 5. & 6. Vbi Chryſoſt. loco cit. ait. *Credibile eſt, proditorum ſtultum exiſtentem ante Petrum recubuiſſe, quod Euang. ſignificauit, cum dixit: Cæpit lauare; deinde venit ad Petrum.* Quis non miretur, quod Iudas hominum abiectiſſimus ante Petrum ſedeat, & inurbanè pręſumat Apoſtolorum Principem anteire? At non miror, quod Iudas impudenter audeat, quandoquidem ſtultitia faſtigium ſemper ambit, & nihil veretur. Miror quod Chriſtus ipſum ſic ſedere permittat; nec dignetur illius primò inquinatos pedes abluere. Sed mira ars, mira politia in hoc facto apparet, vt pulchrè Orig. Nam ita agebatur. *Vt medicina, vbi magis morbus vrgebat, citius adhiberetur.* Quaſi diceret:

Digitized by Google

ceret: fauor, & honor his, qui magis indigent, per modum medicinę exhibendi ſunt; ſi fortè ad fidelitatem reduci poſſunt. Non eis indigent fideles, & amici, vt conſtantes in fide perſeuerent: cæteri namque Apoſtoli, etſi Iudę poſtponantur; non conqueruntur: quia fideles erant Magiſtro, nec ęgrè ferebant honorem illum primum Iudę delatum. At ipſe proditor primis cumulatur fauoribus, vt ab inimicitia reſipiſcat; & diſſerta cum illo Chriſtus vtitur politia.

4. Cum è funere Chriſtus victor reſurgeret, & Magdalena ad ipſius pedes perfuſa gaudio rueret, ſic eam alloquitur. *Vade ad fratres meos, & dic eis: aſcendo ad Patrem meū, & Patrē veſtrum*. Io.20.v.17. Hæc ſanè fuit prima apparitio ex his, quas Euangeliſtę narrant, vt ex Marco conſtat. Euangeliſtę enim (authore Toleto hic) eas duntaxat apparitiones retulerunt, quas Dominus fecit his, qui non credebant, vt eorum fides, & noſtra in eis confirmaretur. Verum ponderatione eſt dignum, quod Euangeliſtę non meminerint apparitionis, quam Chriſtus fecit Beatę Virgini: cum tamen ei apparuiſſe nemo dubitet. Cur igitur fauor exhibitus Virgini Matri reticetur, & aliorum publicatur? Qui tam pius in Matrem ſemper videri voluit, hic prętermitti patitur ipſius ad Matrem poſt Reſurrectionem acceſſus. Cur ita? rectè Toletus. *Ab Euangeliſtis non narratur, quia non fuit ei ad fidei confirmationem facta; quia firmiſſima, & conſtantiſſima ſemper in fide permanſit*. Fauor namque non amicis, & fidelibus neceſſarius eſt: ſed iis, qui illo opus habent, vt amici & fideles permaneant. Pręſuli non eſt neceſſe ſemper glorioſum, & ridentem amicis apparere. Honores largientem aſpicere, vt illi hęreamus, non hoc amicorum, ſed contubernalium genium eſt. Infenſis, & nutantibus munera impertiri politia eſt, quę in Chriſti ſchola eruditur, & practicatur. Expedit enim, & ſi pater ſit, filijs non ſemper apparere munificum, ne non filij deſperatione tabeſcant: nec filijs expedit de hoc conqueri, nec ab illius ſequela diuerti.

5. Miſſurus Chriſtus Dominus Apoſtolos ad Euangelium diuulgandum per vniuerſum orbem, de adeundo hoſpitio eos inſtruit, & inter alia hæc conſuluit. *In quamcunque autem Ciuitatem, aut Caſtellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus ſit: & ibi manete, donec exeatis*. Matth.10.verſ.11. Valdè dubium eſt, quid hoc precepto iniungere Chriſtus voluerit. Nam ſi fortè non benè hoſpitio recipiantur Apoſtoli, ſi alimentum deſit; inhumanum eſt, quod non eis liceat ad aliam domum diuertere. Cur igitur Chriſtus tam ſtrictè pręcipit, vt permaneant in primo hoſpitio, vſquedum à ciuitate exeant? Et quid, quod aliud ingrediantur hoſpitium, qui eleemoſynarijs operibus victitant? Non eis licebit hoſpitem mutare, cùm male tractantur? Non (inquam) ait Chriſtus. *Ibi manete donec exeatis*. Suſtinete, ne hoſpites, & hoſpitia experiamini: non enim hominum inconſtantiam amat Deus, qui hodiè hic edunt, cras illic, & eos ſequuntur, à quibus melius cibantur: ob quam cauſam quos heri blaſphemabant, hodie in brachijs portant. Annuit Chryſoſt. hom.33. in Matth. *Non autem ſolum dignos quærendos iubet; verùm etiam ne domum tranſeant, vt nec qui ſuſcipit, turbaretur, nec ipſi aut loco, aut ventri dediti viderentur. Quod ſignanter expreſſit, cum dicat: ibi manete, donec exeatis*. Et ſi amicus ſemel aſſumptus benefacere deſinat, ſuſtinendus eſt, ne inconſtantię arguamur, & proprio commodo ſtudiiſſe credatur. Hinc vates noſter arguitur à Sanctis Patribus, eo quod doleat, & conqueratur de Deo videns in populo ſuo dignitates, & munera indignioribus conferri: *Quare oſtendiſti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam, & iniuſtitiam contra me? Et factum eſt iudicium, & contradictio potentior*. Hic verſ.3. Vbi D.Hieron. *Non debemus ſuper hac rerum inæqualitate turbari*.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Diſcordes animi cogunt aufugere Deum, & eos deſerere.

1. DEus, cum vnus ſit, non ſolum naturę neceſſitate, ſed etiam decentię congruentia (vt dicit Tertul.cōt.Marc.c.3.) ſic vnitatem, & concordiā amat, vt ad ipſam naturali propenſione feratur propter conformitatē cum ſuis perfectionibus, quas identicè ſibi adiungit. *Deus ſi non vnus eſt, non Deus eſt*. Naturaliter Deo vnitas amabilis eſt, quia ſimile ſimili gaudet. Ideò Ægyptij Deum per punctum in medio circuli ſitum deſignarunt. Sicut enim punctum indiuiſibile, & ſimplex eſt, ita vt nec ſecari, nec in eadem ſphęra multiplicari poſſit: ita Deum hoc hieroglyphico ſimplicem, & indiuiſum indicabant. Et eadem propenſione, qua Deus vnitatem amat, diuiſionem odit, & fugit propter diſſimilitudinem ad ipſum, ac toto animo ab animis diſcordia ſeparatis declinat. Quod arcanè dixit, dum inimicorum dilectionem pręcepit. *Diligite inimicos veſtros: benefacite iis, qui oderunt vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in Cælis eſt*. Matth.5. verſ.44. In quibus verbis repetitio eiuſdem epiteti, & tautologia ſtatim apparet. Nam ſi Deus pater noſter eſt: quomodo amore inimicorum efficietur, vt filij ſimus? Si eum patrem habemus, filios eſſe neceſſe eſt. Quo ergo pacto laborabimus, vt efficiemur id, quod ſumus? Auguſt. ſic pręfata ver-

verba intelligit, vt illis inſtruamur diuinam filiationem non acquirere (cum ſupponamur eam habere) ſed conſeruare, & in dilectione inimicorum perſeuerare, ne id, quod Dei habemus, amittamus. *Non ait: facite iſta quia eſtis filij: ſed facite iſta, vt ſitis filij.* Id eſt, qui modo filij eſtis, ſtudete inimicos diligere, & pacem ſeruare, vt participationem Dei conſeruetis, & in futurum filij ſitis: nam niſi pacem, & vnionem ad inuicem habeatis, Dei participationem, & filiationem conſeruare nequibitis, & Deum vos deſerere, erit neceſſe. Aduertite filios Dei eſſe, & ad conſortium vniſſimę Trinitatis eleuatos, vt ſtrictiorem pacem diſcatis:& vt identitatem cumDeo conſeruetis, inter vos vnitatem ſeruate.

2. Miratur valde Chryſoſt. quod inter tot cęcos Gentilitatis errores diuinitatem nunquam in elementis ſuſpicaretur: neque cultum, & adorationem illis tanquam Dijs detuliſſe inueniatur. Res obſeruatione digniſſima: nam cum fere omnes creaturas tanquam Deos haberent, & eis cultum exhiberent: quin lapides, lignum, aut minutiſſimum animal ab huiuſmodi cultu exterminarent (ita vt pluſquam trecentos & triginta Deos, ſit, qui ipſis annumeret) elementa venerari, & tanquam Deos coli nunquam traditur: cum tamen ipſis potiori iure (ſi error iura diſcernit) huiuſmodi cultus deberetur. Nam portiones elementares principaliores partes ſunt vniuerſi, quibus viuentia omnia, & vegetabilia conſtant, viuunt, & creſcunt,& quaſi cauſę vniuerſales influunt, & beneficia conferunt. Quę igitur dementia ethnicos adduxit, vt abiectiſſimis creaturis diuinitatem tribuerent, & elementis denegarent? Crediderim ita accidiſſe: quia elementa perpetua pugna, & oppoſitione ſeſe mutuo agitant, & aduerſantur. Nam cum ex contrariis qualitatibus conſtent; humida pugnant cum ſiccis, & frigida cum calidis bella ſemper gerunt, nunquam quieſcunt nec ad pacem vnquam deueniunt, dum in propria permanent ſubſtantia, & natura, reliquę qualitates intermedię ex quibus mixta componuntur, in tertio quieſcunt, & fraternali pace placantur. En ratio propter quam ignis, aër, aqua, & terra à diuinitate fabuloſa excluduntur, & arcentur: nam ita eſt certum inter diſcordes, & ſe inuicem oppugnantes diuinitatem non adeſſe; vt & cęcitas Gentilica id videat, & credibilius putet Creaturas viliſſimas Deos eſſe, dum inter ſe conueniunt, & pacatè viuunt, quam elementa ſua magnitudine inter capedinem cęli occupantia, & continuo aſpera bella gerentia. Non modo Catholicę doctrinę, ſed ignorantię Gentilicę impoſſibile videtur Deitatem inter diſcordes aſſiſtere.

3. Cum Chhriſtus Dominus tempus adimpleret conſtitutum à patre, & pręfinito ſpatio in terra moratus ad cœlos eſſet reuerſurus, diſcipulos ſuos ſolatur, & Spiritum Sanctum ſuper ipſos venturum pollicetur; ac tandem ipſis ſuſpicientibus, per aëra fertur, & ad dexteram Patris aſcendit. *Et cum hæc dixiſſet, videntibus illis eleuatus eſt: & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Act.1. verſ.9. Communiter obſeruant Expoſitores Chriſtum Dominum ſpatium, quod inter cœlum, & terram apparet, lentè deambulaſſe, & ſpatioſè à diſcipulis diſceſſiſſe: ne vno ictu oculi corda eorum dolore, & męſtitia plena auelleret, & à vita deficerent: qnod & ipſe text. innuit, dum ait: *Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, &c.* Ibid. v.10. At poſtquam ad primum cœlum acceſſit, velociſſimo volatu Empireum petit, quod Ioan. in ſua Apocalypſ.12. verſ.5. teſtatur, dum rapidiſſimo motu ad thronum glorię Chriſtum aſcendiſſe perhibet. *Raptus eſt, filius eius ad Deum, & ad thronum eius.* Libet in hoc celerrimo motu parum immorari, & cauſam inquirere, cur qui à diſcipulorum pręſentia ſic lentè ſecedit; cum ad cœlos peruenit, occyſſimo volatu eos pręterit, quaſi inuiſos ſibi haberet. Cur cœleſtes aulas, quę eius gloriam concinunt, & ipſius ęternam manſionem, quaſi atria exornant, & magnificant, tàm celeriter tranſit, & nec per vnum inſtans in eis immoratur. Cur opera manuum ſuarum, de quibus toties gloriatur, ſic deſpicit? Nonne (vt dixit Iob) laudes ſuas ab ipſorum concentu audit? Cur igitur cœlos ſua pręſentia non honorat, quos ſumma cum laude ſua condidit potentia? Suſpicor ita actum, propter cœlorum oppoſitas naturas, & perpetuas contradictiones. Cœli enim, & ſi perfectę ſint ſpeciei, motibus oppoſitis continuo ſibi ipſis contrariantur: nam vnum verſus occidens, alterum verſus oriens mouetur: nec ſolum vnum alteri contradicit;ſed ſibi ipſi quodlibet opponitur, & contrariatur: nam eo tempore, quo naturali motu de occidente ad orientem mouetur, rapto motu de oriente ad occidentem trahitur. Hęc igitur cœlorum contrarietas, & oppoſitio ſat fuit, vt Chriſtus eos occyſſime pręteriret, ne videretur inter diſcordes detineri, & illis voluntariè aſſiſtere: ſic enim rixas, & diſcordias abhorret, vt inſtantaneo motu cœlos pertranſeat; & propter ſuas contrarietates eos ſua pręſentia orbet, & non tantum currere, ſed aufugere videatur.

4. Chriſtus per os Dauid de ſe ipſo locutus aiebat. *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* Pſal.63. verſ.3. Communiter de morte Chriſti hęc verba accipiuntur. At D. Bernard. ea de Chriſto in auguſtiſſimo Euchariſtię Sacramento intelligit: vbi in profundo accidentium manente Chriſto, ſubſtantia panis totaliter abeſt, & deficit. Sed notatione dignum eſt, quod Chriſtus Dominus, qui minutiſſimis, & indiuiſibilibus partibus, vtpotè Deus, poteſt adeſſe, tantum adſit in hoc Sacramento ſub ſpeciebus, vbi poſſet exiſtere

Digitized by Google

ſtere ſubſtantia panis, ſi non tranſubſtantiaretur. Hęc autem (vt docet philoſophia) in minimo naturali poteſt exiſtere, quod illa minutiſſima pars ſubſtantię eſt, in qua reperirur forma materię vnita. Vnde ſi hęc pars minutiſſima diuideretur, non eſſet ibi panis, ſed naturaliter eius ſubſtantia deficeret, & ſimiliter etiam ibi non eſſet Chriſtus. Quare? Penſitarem ad mores: quia quamuis Chriſtus plurimum amet humilitatem; tamen adeò vnitati eſt addictus, vt quamuis tunc humilior appareret, vtpotè in puncto minimo, & indiuiſibili contentus: tamen quia ibi non eſſet vnio, ibi non exiſteret Chriſtus: quia Chriſtus, vtpotè verus Deus, nonniſi in vnione reperitur; & vbi vnio deficit, ipſum deficere neceſſe eſt. Indiuiſibile, quod ad vltimam diuiſionem peruenir, nec alteri vnionis vinculo adhętet Chriſtum exterminat, & relegat.

5. Cum Dominus populum in deſerto degentem ſatiare voluiſſet; & murmurantium ora obturare, Moyſen alloquitur, vt futuram fœlicitatem populllo annunciet, & veſperè coturnicibus, mane aurem Manna cibandum fore pręd.cat. *Factum eſt ergo veſperè, & aſcendens coturnix cooperuit caſtra: mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum*. Exod.16.verſ.13. Vterque cibus, panis, & caro populo paratur, & affluentiſſima prouidentia reficitur. Sed valde notabile eſt, quod coturnix caſtra aſcendat, vt ad manus Hebręorum deueniat; Manna vero non in caſtris, ſed per circuitum pluat. Et cur cibus omni voluptate repletus, & ad vniuſcuiuſque palatum conditus caſtra non ingrediatur, ne populus laboret, vt ad tentoria adducat? Expediret enim ſuper caſtra pluere, dum populi recreationi, & commodo prouidetur. Verum non ita accidit: quia Manna typum gerebat Chriſti, & diuinitatem exprimebat; exindeque caſtra ingredi non debuit: nam in caſtris arma, & inſtrumenta bellica erant: quibus (vt dicitur Exod. 13. verſ. 18.) *Armati aſcenderunt filij Iſrael de terra Aegypti*. Igitur arma, & inſtrumenta pugnę Deus non quęrit; nec inter ea commoratur: imo ſic abhorret, vt ab eis recedat. Ideoque Manna non in caſtris pluit, ſed per circuitum, quaſi recuſans armis admiſceri, & inter ea commorari. Sic enim Deus à rixarum conſortio exulat: ſic peramanter pacem diligit, & concordiam, vt in ea toto animo placeat.

6. Creauit Deus viſibilem molem creaturarum, & in vniuſcuiuſque facto ſibi complacuit. *Vidit Deus quod eſset bonum* paſſim refert hiſtoricus. Quibus verbis non bonitatem rei creatæ, ſed actionem, & operationem, qua creata fuit, approbauit. *Ly factum* neutrum eſt, & non tam rem creatam reſpicit, quam operationem. At cum ad lucem peruenit, non actionem, ſed ipſam lucem laudat. *Et vidit Deus lucem, quod eſset bona*. Gen.1.v.4. Sola lux in propria ſpecie laudatur, & illius Deus encomiaſtes eſt: quod notans Baſil. Magnus ſuper prædictis verbis, ſic fatur: *Quas laudes non dixerimus ipſa luce dignas, quæ teſtem ſuæ pulchritudinis ipſum iam ſuum habuit creatorem? Nam apud nos oratio cedit oculis, iudicióque ipſorum, quippè cum tantum de ipſa dicere nequeat; quantum aſpectus antecedeus teſtatur.* Cur igitur Deus lucis bonitatem ſpeciali elogio commendaſſe, & præ cæteris creaturis in ipſa complacuiſſe peculiariter oſtenditur? Mitto innumeras conſequentias hinc pullulantes, & fortaſſe ſic lucem diuinos oculos allexiſſe reor; quia ipſam ſuis inimicis vnitam, & conformem viderunt. Quare cum Deus eam à tenebris ſegregare contendit, quaſi vnionem indiſſolubilem inter ipſam, & tenebras inuenit. *Et diuiſit Deus lucem à tenebris*: ait text. Quid opus fuit Dei manu, vt lux à tenebris diuideretur? Diuina vt indiget huiuſmodi diuortium? Ita planè videtur: nam lux ſic tenebris vniebatur, & tam arctis amplexibus eas ſibi conciliabat; vt Dens vim facere videretur ad eos diſſoluendos. Hoc (inquam) Deum allexit, & oculos rapuit. Quod & cuilibet continget, qui ad amplexus inimici pacate, & peramanter ruat: ſic enim Deus complacet in animis concordibus, vt in ipſorum laudes prorumpat, & ipſorum amore flagret.

7. Non parum mentem agitat illa abſimilis ſimilitudo, qua Sponſus (Cant.7.verſ.2.) de ſua Spónſa loquitur. Cum enim totius rethoricæ penicillis eam depingeret, & varijs comparationibus panegyricum exornaſſet: cum ad ventrem peruenit, air: *Venter tuus, ſicut acervus tritici*. Mitto alias improportiones, quæ oculis humanis, & humana ſapientibus ſe ſe offerunt: & hæreo in tritici cumulati comparatione. Nam ſi Sponſo arridebat ventrem tritico aſſimilare, non cum ad aceruum deuenit, ſed cum in ſpicis maturatur, aptius videbatur ei comparandus, & eleganriori metaphora deſcribendus: triticum enim, cum meſſes dealbanrur, perpulchrum eſt, & oculos intuentium maximè delectat. Cur igitur ventrem tritico comparauit non in meſſibus, ſed in aceruo? Suſpicor: quia triticum, dum in ſpica vernar, & mатureſcit, milites imitarur ad pugnam paratos, & exercitus ſe ſe inuicem inuadentes. Nam granum in ſpica armatum apparet; corticem pto galea habet, ariſtam pro lancea: & dum aëre ſpicæ afflantur, turmatim in modum exercirus mouentur, & quaſi ad inuadendum pergunt: bellicus appararus vndequaque in ſatis viderur, & ſeorſim granum à grano; & ſpica à ſpica quaſi caſtra mouentur. At in aceruo triticum inerme apparet; militares veſtes deponit: vnita omnia grana, & quaſi ad inuicem ſe amplexantia videntur. Quare Sponſo non in ſpicis placet triticum, ſed in cumulo: ventremque Sponſæ ei in aceruo comparat; quia quidquid militiam, rixas, & contentiones redolet, ipſi diſplicet,

eet, & quidquid concorde, & vnitum aſpicit, toto amore proſequitur. Sponſa, quæ niſi Eccleſia? Grana, quæ niſi fideles ſunt: Hos igitur vnanimes, & conformes intueri maximè delectat Sponſum, & ad illos toto animo propendet. Hinc quæritur vates noſter, eo quod populum ſuum à Deo derelictum aſpiciat propter contradictiones, iurgia, & contentiones, quæ inter ciues vigebant. *Et factum eſt iudicium, & contradictio, potentior.* hic verſ.3.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Vnuſquiſque dum quærit, quæ ſua ſunt, de aliorum exitio non dolet.

1. SIc hominum animos philautia occupat, vt cęterorum vtilitati attendere non ſinat; ſic charitas refrigeſcit, vt, dum ſe ipſum homo plus æquo amat, aliorum obliuiſci cogatur, & dum in propria totis viribus anhelat, aliena non curet. Vnde dixit Ariſtot. *Bonum eſt pulchrum, ſed vnicuique proprium.* Proprium bonum quiſque ſuſpirat, & dum ſe incolumem cuſtodit, de aliorum perditione non miſeretur. Frequenter enim lamentantur populi de immani, & pene tyrannica aliquorum miniſtrorum rapaci dominatione, qui proprijs lucris dediti de aliorum exterminio non dolent, & cum aliorum diſpendio, quæ ſua ſunt, adaugent: atque nonnunquam dum domos ſuas à tributis, & vectigalibus immunes vident, quaſi læto animo alienas perire inſpiciunt, & de earum incendio, & ſubuerſione à Tarpeia lætantur.

2. Cum Dominus mundum propter eius ſcelera perdere aquis decreuiſſet, Noemum vocat, eique præcipit arcam fabricare, vt viuentium reliquiæ ad propagationem futuram ſaluarentur: ac ſemel, & iterum ſuam indignationem detegit, & ruinam omnium viuentium minatur. *Non permanebit ſpiritus meus in homine quia caro eſt*, Gen.6.verſ.3.& 7. *Delebo hominem, quem creaui, à facie terræ ab homine, vſque ad animantia, à reptili vſque ad volucres cæli.* Audiuit Noe repetitam comminationem, & tamen nullum verbum reſpondit: quod admirabundus ponderauit Chryſoſt. his verbis. *Et ſemel, & iterum prædicit, & nec ſic Deo ſupplicatur.* Quis talia cogitaret de homine pio, & iuſto, & (vt par erat) ad miſericordiam propenſo, cladem audire vniuerſæ carnis, & obmuteſcere? Quis non obnixe deprecaturum, vt iram Dei auerteret, & mundum ab imminenti periculo liberaret, crederet? Moyſes cum Deum contra populum ſuum iratum, & minantem vidit, animoſa charitate eum alloquitur, & indulgentiam cum diſpendio propriæ ſalutis expoſcere audet; & conſequitur. Cur igitur Noë cum non minus iuſtus eſſet, nec minus Dei amicus, ſic tepidus (ne dicam frigidus) erga proximum apparet, vt eius ruinam audiat, & quaſi de ea complaceret, taceat: præcipuè cum Moyſes vnum populum tantum, Noë verò totam mundum videat periclitari? Eodem pacto Paulus anathema eſſe, & maledictionem pati pro fratribus ſuis, quatenus eorum ſaluti conſuleret, non dubitabat: Noë verò, quaſi timens Dei comminationi videtur, dum eam non auertere conatur: maximè cum videat Deum minas repetere, fortè ipſius ſupplicationem exſpectantem, & ad eam prouocantem. Cur igitur ſanctiſſimus Patriarcha ſic iners deprehenditur, vt pro mundi libertate non exoret? Niſi vt in eius ſilentio hominum loquatur conditio; qui dum propria proſpera vident, de aliorum exitio non dolent, nec curant. Dixerat Deus Noemo, vt arcam fabricaret ſibi. *Fac tibi arcam*, vt ſe, & ſuam domum eriperet à naufragio. *Ingredieris arcam tu, & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum.* Gen 6. verſ. 14. & 18. Se tutum vidit, cum ceteri periclitantur: periclitentur igitur. Quid ad me, dum mea familia ſaluatur, & ab vniuerſali plaga immunis redditur? Cæteri naufragium perferant: non doleo nec vllum verbum pro ipſis proferam: arca mihi eſt, & ea: dum domus mea in tuto eſt, ſit de cæteris, quidquid ſit. Sic plerumque homines, dum propria quærunt, aliena negligunt: ſic Populi vectigalibus obnoxii naufragio relinquuntur: & dum Proceres, & Magnates ſuas domos ſaluari vident, de aliorum ſubuerſione non dolent, nec vllum verbum pro ipſis proferunt: aſpiciunt eorum ſtragem, ruinam, & naufragium, & quaſi de illis gaudent, & tacent.

3. Laſſus Ionas ex itinere, cum longè à Niniue in via ſediſſet, repente virens hedera in modum tugurioli explicata ſuper ipſum, ſolis radios prohibuit, & Prophetam recreauit. Vt ergo Dominus Prophetam vidit frondoſo tegmine delitiari, miſit vermem, & confeſtim exaruit planta, & Propheta expetiuit mortem, & dixit: *Melius eſt mihi mori, quam viuere.* Et dixit Dominus ad Ionam: *Putas ne bene iraſceris tu ſuper hedera? Et dixit: bene iraſcor ego vſque ad mortem.* Ionæ 4. verſ. 8. & 9. Notat autem Strabus à Gloſ. adductus ipſum Prophetam paulò antea iratum, eo quod Deus Niniue pepercitſſet, ſimili percontatione interrogatum nihil reſpondiſſe, quaſi Deo annueret. *Et dixit Dominus: Putas ne bene iraſceris tu? Et egreſſus eſt Ionas de ciuitate* ibid. Vbi Strabus: *Propheta nihil reſpondit ſed interrogationem Dei ſilentio comprobauit.* Quis non miretur, quod tam cito Propheta deſiſtat à querela ob Niniue indulgentiam factam: nunc autem ob exſiccatam hederam,

quæ illi vmbram offerebat, *vſque ad mortem* iraſcatur, & non placetur; quaſi maior vrgeret nunc iraſcendi, & dolendi cauſa? Et cur cum agitur de re Niniue Metropolis Aſſyriorum facile acquieſcit Propheta, & conſolationẽ accipit; & cum de re tam parui momenti, ac hedera exſiccata, ſic excandeſcit, & exacerbatur? *Bene iraſcor ego vſque ad mortem.* Suſpicor: quia Niniue, etſi opulentiſſima eſſet ciuitas, & decora nimis, extranea, & aliena erat Prophetæ, nec ad ipſius vtilitatem inſeruiebat: at hedera, etſi res leuicula eſſet; tamen ad commoditatem propriam Ionæ deſeruiebat ipſum protegens, & obumbrans. Hoc autem hominum genium eſt, quod de exitio, & ruina integræ ciuitatis non doleant, dummodo ſuum umbraculum, ſuam domum immunem habeant: at dum excidium, vel infortunium ſuæ domui, vel eam obumbranti, & protegenti accidit, maximè excandeſcant, & iraſcantur. Super rebus ſuis tabeſcuut, & protegenti accidir, maximè excandeſcant, & iraſcantur. Super rebus ſuis tabeſcunt, & ſuſpirant: at ſuper alienis (etſi euerſio ſit totius Reipublicæ) minime dolent.

4. Cum Ioſue civitatem Ierico obſideret, vt eam conſiderarent, & imbecilliorem partem aduerterent, duos miſit exploratores; qui ciuitatem ingreſſi ad domum cuiuſdam mulieris Raab nomine diuertere. Illa autem, dum à miniſtris iuſtitiæ, ut eos comprehenderent, quærerentur, eos abſcondit, & apud ſe manere negauit. *Tollenſque mulier viros abſcondit, & ait: fateor, venerunt ad me: ſed neſciebam, unde eſſent: cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt. Neſcio quo abierunt.* Ioſue 2. verſ. 4. Mira res videtur, & quod mulier taceat, quod ſciebat, & quod fœmina alterius profeſſionis, & gentis cum Iſraëlitis huiuſmodi miſericordia vteretur, vt eos à manibus ſatellitum liberaret: & mirabilior, quod cum eos domi haberet, & cladem ciuitati minantem agnoſceret; nec Regi, nec eius miniſtris nuntiauerit, vt ſe munirent, & defenderent. Quis unquam ita à natura, & patriæ amore aberrauit, vt eam in manus inimici incidere, & hoſtili gladio cadere permiſerit? Naturaliter enim in patriæ dilectionem ducimur, nec in hoc amore natura agit, ſed agitur. Quis unquam in patriam, amicos, & cognatos ita crudelis, vt videat, vltimum periculum imminere, & illud non reuelet? Lyra ad hunc locum rem profunde attigit, dum huius mulieris ſolertiam laudat. *Cogitans de ſalute ſua ſpirituali, & corporali, & ſuæ conſanguinitatis, ſaluauit exploratores, vt per eos cum ſuis ſaluaretur.* Promiſerant enim exploratores mulieri inſubuerſione ciuitatis ſuam domum incolumem ſervare, quod tantum & ipſa petivit. Ibidem verſ. 12. *Nunc ergo iurate mihi per Dominum, vt quomodo ego miſericordiam feci vobiſcum, vt vos faciatis cum domo patris mei, vt ſaluetis patrem meum, & matrem, fratres, ac ſorores meas, & omnia quæ illorum ſunt.* Hæc petiuit, hęc illi ſunt polliciti: & dum ſe, ſuaque omnia tuta à periculo habet, de conciuibus non dolet, nec de excidio imminenti verbum profert; alto ſilentio retinuit ſtragem venturam, nec illam reuelauit; quia dum ſuam domum immunem à periculo videt, de ciuitatis exterminio non curat. Sic fere ſemper hominibus accidit: ſic ſemper miniſtris: ciuitates, & populos vident ruere, quin lapis ſupra lapidem remaneat: & dum ſuas domos tutas aſpiciunt, alias ſubuerti negligunt, quinimo eas impellere, & expilare ſatagunt. Sic Raab cogitans de ſua ſalute ſpirituali, & temporali, & ſuæ conſanguinitatis ſaluauit exploratores; vt per eos cum ſuis ſeruaretur incolumis.

5. Ex mercenarijs illis, quos Pater familias conduxit, qui mane ad vineam acceſſerunt, & ligone tota die laborauerunt, videntes ſolutionis tempore non ſibi plus mercedis dare, quam illis, qui in nouiſſimis diei horis ad laborandum venerunt, conqueſti ſunt dicentes: *Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus.* Matth. 20. verſ. 21. Si iniuſtitia in eo erat, quod vltimi, qui ad vndecimam horam venerunt, primis æquantur in mercede, etiam illis fiebat iniuſtitia, qui hora tertia, & nona conducti fuerant, vt enodatè annotauit Hieron. *Si iniquus eſt Pater familias, non in vno iniquus eſt, ſed in omnibus.* Si ergo iniuſtitia omnibus fieri videtur propter æqualitatem mercedis, cur illi primi non conqueruntur de iniuſtitia illata operarijs, qui tertia, & nona hora venerunt? Cur non murmurant, quod cæteri fraudati ſunt, ſiquidem hoc magis ſuam firmabat, & iuſtificabat quærelam? Crediderim: quia nemo agit niſi de ijs, quæ ad ipſum ſpectant, de alienis nemo curat. Suum vnuſquiſque ſuſpirat bonum, & dum toto animo in propriam vtilitatem anhelat, de aliorum ruina nec curat, nec triſtatur.

6. Cum Chriſtus Dominus in Thaboris vertice cum tribus diſcipulis, vt ſuam gloriam oſtenderet, appareret, Petrus gloriæ ſtillicidijs perfuſus ait: *Magiſter bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Matth. 17. verſ. 4. In monte permanere deſiderat, & gloria perpetuo potiri: quod generoſum deſiderium erat; at Collegarum obliuio, qui ad montis pedem relicti ſunt, non ſic generoſa videtur. Et cur Petrus (ſi in gloria cupit perdurare, & Chriſtum glorioſum intueri) quod cæteri aſcendant, & cum ipſo permaneant, vt gloria fruantur, non petit? Fas eſt gloriam deſiderare, ſed in aliorum conſortio; ſic enim amicitiæ leges obſeruantur, ſic charitatis. Tabernacula ſolis in monte degentibus vult eligere, & quod cæteri in defecto remaneant? Ita enim. Nam hæc eſt hominum conditio

pro-

Digitized by Google

propriæ vtilitati ſtudere, & aliorum obliuiſci. Sic Petrus, dum domum ſibi prouidit (nam in tabernaculo Chriſti cohabitare præſagiebat) alios ſine domo degere non curat. Vnuſquiſque enim vtilitati propriæ domus incumbit, & dum eam conſequitur, de aliorum exitio non angitur. Sic populus Iudaicus particularibus vniuſcuiuſque commodis incumbens cladem totius Reipublicæ non curauit: & propter pigritiam, qua res publicæ tractabantur in offenſionem iuſtitiæ, & vniuſcuiuſque Gubernatoris commodum, ad vltimam ſtragem, & ruinam peruenit, quod lacrymatur Propheta hic verſ.3 *Quae oſtendiſti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam, & iniuſtitiam contra me? Et factum eſt iudicium, & contradictio potentior.*

Verſ.4. Propter hoc lacerata eſt lex, & non peruenit vſque ad finem iudicium, quia impius præualet aduerſus iuſtum: proptereà egreditur iudicium peruerſum.

ANNOTATIO IV.

Expoſitio Litteræ.

1. Verſus hic conſequentia antecedentis eſt: nec expoſitione indiget, ſed oculis. Senſus ergò eſt: proptereà quod in Republica Iudeorum iuris, atque legum tutela iudiciorumque poteſtas, populique gubernatio ad iniquos, & iniurios ciues, ad violentos, & litigioſos deuoluta ſit, euenit, vt debilitatis, dilaniatis,& amandatis legibus,nunquam legitimum proferatur iudicium.Non peruenire ad finem iudicium (interprete Hieron.) idem eſt,atque nullum iudicium eſſe iuſtum,ſed iniquum:quia finis iudicij iuſtitia eſt,quæ à Iudicibus, & legum interpretibus declaratur. Aut idem valet; ac nunquam ad finem peruenire: *in finem* namque idem eſt, quod perpetuo ſeu quod nunquam vt Pſal.12. verſ.1. *Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem*. Id eſt, perpetuo me obliuiſceris. Et Pſal.9. *Patientia pauperum non peribit in finem*. Id eſt: nunquam peribit, ſed perpetuo vigebit, & perennabit.

2. *Quia impius præualet aduersùs iuſtum: proptereà egreditur iudicium peruerſum.* Superioris ſententiæ hæc repetitio eſt: ſed non nugatio, ſed ponderoſa explicatio eorum, quæ antea, dixerat: declarat ſiquidem Propheta, cur iudicium ad finem non perueniat, & cauſam nequitiæ exprimit; quia videlicet improbitas potens, & valida in timidis, aut cupidis iudicum animis longè fortior, & potentior eſt inermi, & ſola pauperum iuſtitia, & ratione. Iudicium autem pernerſum, & iniquum illud eſt,quod non æquitas, & iuſtitia moderatur, ſed cupiditas ambitio, odium, gratia, aut quævis alia cogitatio devians à recta ratione, & à iuſtitia diſtorta.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Euerſio ciuitatis gubernatorum eſt diſſidium.

1. Gubernari oportet malos à bonis(aiebat Euripides) *& parere ſe melioribus*. Si verò impij in ciuitate evehantur, ſurſum, atque deorſum tota vita noſtra inopinata peruertitur. *Sutores* (dixit Plato) *ſi praui, & perditi ſunt, quamquam diſſimulet ciuitas, nihil inde periculi imminet: Cuſtodes verò Reipublicæ, ac legum, ſiue vera non ſint, ſed videantur, vrbem totam funditus perdunt, ac euertunt*. Hinc quoniam ambitioſi, & inquieti (ait Propheta) Rempublicam Iudæorum adminiſtrabant, pugnaceſque, & contentioſi in ciuitate honores, & poteſtates adipiſcebantur: ob id leges laceratæ ſunt: vel (vt proprius ſignificat Hebraicum verbum) relaxatæ ſunt, ac remiſſæ, & tota Reſpublica euerſa. Quando enim cuſtodes legum inter ſe pugnant, ac litigant, haud poteſt conſeruari Reſpublica, & ſi opulentiſſima ſit. Vnde dixit Saluſtius. *Concordia paruæ res ereſcunt; diſcordia maximæ dilabuntur*. Et Paulus ſcribens ad Galat. c.5. verſ.15.

verſ.15. *Quod ſi inuicem mordetis, & comeditis: videte ne ad inuicem conſumamini*. Sic Cilurus Scita à Plutarcho relatus iam moriturus filios ſuos octoginta vocauit, & à pharetra octoginta ſagittas in vnum faſciculum alligatas ſingulis tradidit confringendas. Quas cum illorum nemo poſſet infringere? Sic ad vnitatem hortatus eſt: enodatoque ligamine, ſingulis ſingulas diſtribuit, & vnicuique iuſſit ſuam diſrumpere ſagittam: quod facillimo negotio perfecerunt. Tunc illis inquit: ſi amore mutuo colligati fueritis, inuicti permanebitis; ſi autem diſſidijs, & contentionibus diſtrahamini, expugnatu faciles eritis. Totum enim firmamentum. Reipublicæ, & inuictus ſtatus in concordia eorum, qui præſunt, conſiſtit: tota autem ruina, & euerſio in diuiſione, & contrarietate. Vnde Dauid maximè optans, vt iuſtitia in terra firmaretur, ſingulariter affatus eſt. *Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam.* Pſalm.71.verſ.3. Quaſi dicat, habeant montes pacem populo; & valles iuſtitiam obtinebunt. Montes Principes, & Iudices populi ſunt: valles verò inferiores plebis; hi autem iuſtitiam non poſſunt obtinere, niſi concordiam, & pacem ſuperiores habeant inter ſe: ſine illa namque nulla in Republica viget iuſtitia: ſed vniuerſa in ruinam abeunt. Sic Auguſt.tract.1.in cap.1.Ioan. *Montes excelſæ animæ ſunt: colles paruæ animæ ſunt. Sed ideò montes excipiunt pacem, vt colles poſſint accipere iuſtitiam: excellentes quippe in Eccleſia pacem debent vigilenti intentione conſulere: ne propter ſuos honores ſuperbe agendo ſchiſmata faciant, vnitatis compage diſrupta*. Quotieſcumque enim capita populi inter ſe mutuo pugnant, & nexus pacis diſrumpitur, totam Rempublicam funditus ruere neceſſe eſt.

2. Prædicit Dominus cladem, & ruinam Samariæ, & breui periodo eam comprehendens ait: *Ponam Samariam, quaſi aceruum lapidum in agro, cum plantatur vinea: & detraham ei vallem: lapides eius, & fundamenta eius reuelabo*. Mich.c.1.verſ.6. Sed quid proportionis euerſio habet Samariæ cum aceruo lapidum? Quid ea metaphora reuelationis fundamentorum eius exprimitur? Aptè, & perſpicuè Rupert.lib.1.ſuper cap.1. Michææ. *Congrua valde aſſimilatio eſt Samariam poni, quaſi aceruum in agro, cum plantatur vinea; quæ videlicet congeſtio lapidum nimis eſt infirma ſtructura, eo quod ſine cæmento ſit, & lapis lapidi non hæreat*. Sed vnde hæc euerſio ciuitati adeò opulentæ euenit, quod eius ruina æquatur cumulo lapidum? Audi Rupert proſequentem. *Samaria namque ſemper diſſenſiones habuit, maximè in Regibus ſuis toties demutatis, alijs percuſſis, & ſuccedentibus, imò irruentibus alijs: atque ita factum eſt, vt vſque in diem extremæ captiuitatis nunquam ſibi cohærerent aduersùs ſemetipſos ſciſſi, qui ſemetipſos ſciderant, tàm à Deo, quàm à Dauid domo*. Ciuitas namque in qua cuſtodes legum inter ſe diſſidebant, & mutuo ſe oppugnabant; non poterat non in ruinam abire. Inteſtina odia, & conſentientes capitum ſibi inuicem aduerſantium totam Rempublicam euertunt, & is veluti lapidum aceruus facilè diſſipatur. Videas parietem exſtructum lapidibus, & compage ſolidatum, quam difficulter rumpatur: vires robuſtiſſimas ipſum tundentes, & percutientes frangit, & laxat. At aceruus lapidum cum iuncturam non habeat, nec fundamentum: vel à puerulo facilè diſſipatur, & deſtruitur. Sic Reſpublica, vbi lapides ſine iunctura ſunt, ſiue vinculo, ſine vnione, facillimè diruitur, & funditus corruit. Arcane Deus cauſam expreſſit deſtructionis Samariæ, dum eius fundamenta reuelare minatur: quotieſcunque enim fundamenta Reipublicæ, quæ Iudices, & Gubernatores ſunt, ad inuicem inſurgunt, & vnus aduerſus alterum rebellat, totam à fundamentis ruit.

3. Mirè ſanè captiuitatem, & exitium Ieruſalem Dominus prædixit, & Ezechieli depingere præcepit. *Fili hominis ſume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo ciuitatem Ieruſalem. Et ordinabis aduersùs eam obſidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis agerem, & dabis contra eam caſtra, & pones arietes in gyro*. Ezech.cap.4.verſ.1. Communiter Interpretes de excidio, & ruina Ieruſalem hæc verba capiunt, in quibus mirificè obſidionem Deus deſcribit. Mitto alia, quæ in prædictis verbis ſe ſe offerunt ponderanda, & vltima verba premo. Quid per arietes in gyro poſitos ad Ieruſalem capiendam exprimitur? D.Hieron. ſic de arietibus inſtrumentis bellicis loquitur. *Arietes dicuntur, quibus murorum fundamenta quatiuntur, & lapidum iunctura diſſoluitur: dicuntur autem, ſecundum quoſdam, huiuſmodi arietes quædam inſtrumenta ferrea, quibus ligatis in funibus vtebantur in perforandis muris, & fodiendis, vel frangendis, & dicuntur arietes propter impetum percuſſionis, vel quia in modum arietis facta*. Sic Hieronym. cum quo conueniunt Hugo Cardin. & Hector Pintus, qui de illis ſic loquitur: *Machinæ bellicæ habentes capita duriſſima ferro tecta, quibus muri ſubruuntur*. Sic illa inſtrumenta bellica vocantur, quoniam ſicut hæc animalia retrocedunt, vt maiori impetu, & furore impetant, ac feriant: ſic inſtrumenta hæc, quo magis retrocedunt, vehementiori impetu muros ſubuertunt, ac ſolo æquant. Pro arietibus in Hebræo eſt *Carui*. Quod verbum agnum arietis Principis, ſeu ducem ſignificat. Vnde vertit Dauid. *Pones duces in circuitu*. Iam ergo quæres: cur ad Ieroſolymam deuaſtandam Ezechieli præcipitur, quod arietes in gyro ponat? Vt arcanè innuatur, quod tunc ciuitas funditus euertitur, quando qui eam cuſtodiunt, & cingunt, alij alios more arietum impetunt, mutuo inter ſe certant, & ad inuicem arietantur. Quando ca-

Digitized by Google

capitoſo, ferreo, & tenaci cerebro ſe ſe oppugnant, & quilibet inſurgit in alterum: cum rotus ardor Iudicum, & Gubernatorum in pugna eſt, & dum capita populi inter ſe præliantur, totum Reipublicæ corpus inimicis exponitur externis, & internis: iuſtitia languet: malitia triumphat; & confringuntur, ac lacerantur leges.

4. Hæc autem calamitas Reipublicæ ſemper oritur ex nimia Gubernatoris ambitione: quia vnuſquiſque dignitatem, & iuriſdictionem ampliare conatur: quaſi dignitas, & poteſtas ad ſe tuendum, & magnificandum fuerit inſtituta, non autem ad publicam vtilitatem. Indecens enim eſt cum communi rerum iactura pro ſe militare. Valde Reipublicæ intereſt, quod Magiſtratus, & potentiores non pro ſe, nec inter ſe pugnent: & eorum diſſidium relegabitur, ſi vnuſquiſque in gradu ſuo ſe contineat, nec alter alterius iuriſdictionem ambitioſè inuadat. Si enim quiſque iuriſdictionem ſuam, & limites ſibi præſcriptos non tranſcendat; iuſtitiam ſine Reipublicæ diſturbio, & euerſione miniſtrabit. Hinc volens Deus vlcerum plagæ Ægyptum plectere vniuerſum, præcepit Moyſi, & Aaroni, vt plenas manus cineris de camino extraherent; ſed tamen quod Moyſes coram Pharaone cinerem in cœlum ſpargeret, vt puluis ſuper omnem Ægypti terram relaberetur, & in hominibus, ac iumentis vlcera, & veſiculæ turgerent in vniuerſa terra Ægypti. *Tuleruntque cinerem* (ait textus) *de camino, & ſteterunt coram Pharaone, & ſparſit illum Moyſes in cœlum, factaq; ſunt vlcera veſicarum turgentium in hominibus, & iumentis*. Exod.9. verſ. 10. Sed notabile valde eſt, quod ſoli Moyſi præcipitur cinerem ſpargere; cum tamen ipſi, & Aaroni cinerem extrahere præcipiatur. Si ſolus Moyſes cinerem erat ſparſurus: cur ipſum extrahere Aaroni præcipitur? Aut vterque cinerem ſpargat; aut Aaroni non præcipiatur ipſum leuare. Ad quid Aaron puluerem ſumit, ſi eum in aera non erat ſparſurus? Rectè ſcopum attigit Lyra ad hunc locum. *Moyſes* (inquit) *& non Aaron: quia iſta ſparſio cineris facta eſt verſus cœlum: Aaron enim erat ordinatus in ijs, quæ pertinebant ad populum: Moyſes autem in eis, quæ pertinebant ad Deum; & ideò manu propria iuſſus eſt ſpargere cinerem, qui ſpargendus erat verſus cœlum*. Pulchrè etiam nodum ſtringit, & ſoluit Philo lib.1. de vita Moyſis. *Cæterùm hæc caſtigatio commiſſa eſt ambobus: propter puluerem fratri, penes quem erat cura pœnarum è terra prouenientium: Moyſi propter aërem mutatum ad affligendos incolas: nam hic erat miniſter calamitatum ex aere, cæloque naſcentium*. Luculenter excogitatum. Quaſi dicat: vterq; frater ſuo functus eſt officio, & neuter alterius iuriſdictionem inuadit, nec propriæ terminos tranſilit. Aaronis iuriſdictio terra erat, nec ad aërem, & cœlum ſe extendebat; & ſic terram pugno ſuſtulit: illam verò in aërem non ſparſit: quoniam aër ad Moyſis iuriſdictionem attinebat, quam Aaroni inuadere non licebat, vt inter rectos Iudices rectus ſeruetur ordo, & eorum quiſque in ſuo gremio, & ordine ſe contineat, ne perniciosſum diſturbium in Republica oriatur altero alienam iuriſdictionem inuadente, & propriæ terminos tranſgrediente.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Difficulter Deo attendunt, qui humanis rebus adhæreſcunt.

1. QVi terrenarum rerum negotioſus eſt, non habet cum Deo commercium. Qui æterna petit, peritura deſpicere tenetur, & expeditus curis temporalibus ad Deum properare: quod feſtinanter conſequetur, ſi nudus, & ſpoliatus terrenis affectibus, ſolum Deum præ oculis habeat. *Nemo alius* (aiebat Seneca ad Lucillum epiſt.18.) *eſt Deo dignus, quam qui opes contempſit. Incipe ergo mi Lucille ſequi horum conſuetudinem, & aliquos dies deſtina quibus ſecedas à tuis rebus, minimoque te facias familiarem. Incipe cum paupertate habere commercium*. Hæc Seneca: & ille alius

Audi hoſpes contenuere opes, & te quoque dignum
Finge Deo.

Terreni homines terrena ſuſpirant, peritura anhelant, & de diuinis nec cogitant, nec recordantur. Somniauit Pharao ſe vidiſſe ſeptem boues craſſas, & pingues, quæ in viridis pratis paſcebantur: *Vidit Pharao* (inquit texr.) *ſomnium: putabat ſe ſtare ſuper fluuium, de quo aſcendebant ſeptem boues pulchræ, & craſſæ nimis, & paſcebantur in locis paluſtribus*. Gen.41. verſ. 1. & 2. Aliud ſomnium narratur Daniel c.2. quod contingit Nabuchodonoſori de ſtatua illa adeò celebri, & nota. At cum vterque Rex res ſomniaſſet diuerſas, Pharao ſomnium recordatus Satrapis retulit; Nabuchodonoſor autem ſomnij penitus oblitus illud referre non valuit. *Vidi ſomnium, & mente confuſa ignoro, quid viderim*. Dan.2. verſ.3. Et cur tam immemor, qui proprij commodi, & exaltationis ſtudioſus erat? Cur quod Pharao altè memoria retinuit, & egregio eloquio narrauit, Nabuchodonoſor penitus oblitterauit, & à memoria deleuit? Si vtrumque ſomnium eſt: quo pacto Pharao recordatur, & Nabuchodonoſor penitus obliuiſcitur? Egregiè rem meditatus Rupert. *Quomodo anima ſtulti, & impij contiuere poſſet rem tanti Sacramenti, quam viderat? Nec ſomnium Pharaonis præſagium*

gium futuræ ſaturitatis præterinit vllo modo, ac ſomnium Nabuchodonoſor, quod præſagium fuit æterni regni. Ac ſi diceret: Nabuchodonoſor myſteriosum ſomnium effigiebat, quod diuinam ſupponebat potentiam minantem, & ruentem in regnum ſuum ad Monarchiam funditus labefactandam. In ſimilibus autem caſibus ad Deum attinentibus filius huius ſeculi (qualis erat Nabuchodonoſor) non recordatur: quia Dei memotia penitus à ſua euanuerat: ſomnium vero Pharaonis, cum ad res temporales, (quibus terreni homines adſtringuntur) ſpectaret, minimè obliuioni fuit deditum: quia homines terrena cogitant, & dum ipſis adhæreſcunt, Dei profunda obliuione non recordantur.

2. Satagenti Marthæ circa hoſpitium Chriſti Domini, quem in ſua domo receperat, & conquerenti de ſorore, eo quod ipſam ſolam, & ſine adiumento reliquerit miniſtrare, ait Dominus: *Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima*, Luc. 10. verſ. 41. Quorſum Chriſtus, dum Martham alloquitur, eius nomen ingeminat, & dum ipſam à domeſtica cura auertere ſatagit, & ad Mariæ ſequelam, & imitationem inducere, ſemel & iterum Virginem amatricem compellat? Quo geminatum nomen tendit? Fortè Martha obtuſas habebat aures, quod nomine repetito vocatur? Aut quæ tam ſolicita in re domeſtica videbatur, tam iners ad parendum Chriſto inuenitur, vt ſemel, & iterum eam vocare, ſit neceſsè? Cur geminato vocabulo ipſam cõpellitat, vt ipſius verbis attenta ſit? Pulchrè Caiet. ad hunc locum. *Duplicauit nominationem propter myſterium doctrinæ ſubiunctæ de vita actiua, & contemplatiua: actiuæ enim vitæ vacantes egent repetitione doctrinæ, ad hoc vt imbibant illam*: eo *quod diſtracti interius ſunt: & hic prudentes viri his repetunt mandata occupatis, & diſtractis*. Diſtracta erat Martha, & terrenis rebus occupata: ſollicita erga domeſticum miniſterium, & ſeruitium intenta erat operi: ideoque geminato vocabulo indiguit, vt Chriſti verbis, non humana, ſed diuina ſapientibus, attenderet: quia difficulter Deum audiunt, qui humanis affectibus terrena curant, & validiſſima, ac repetita indigent voce. Simile quid Paulo accidit: pergebat in Damaſcum, vt ſi quos diſcipulos Domini inueniret, vinctos in Ieroſolimã perduceret. Accidit, dum Damaſco appropinquaret, quod ſubito è cœlo lux eũ circumfulgeret: eademq; in terram audiuit Chriſti vocem ſibi loquentem: *Saule, Saule quid me perſequeris*? Act. c. 9. v. 4. Cur nominationem Sauli Chriſtus ingeminat, cum eum reducere conatur? Potius ad deterrendum, quam ad alliciendum, illa vehemens repetitio erat. Rectè Lyra. *Hæc duplicatio fit ad magis monendum eius attentionem*. Pergebat Saulus ira inardeſcens, atque vindictæ deſiderio diſtractus: nihil cœleſte cogitabat: totus erat in terrenis officijs occupatus: & homini ſeculi curis diſtractus: nihil cœleſte cogitabat: totus erat in terrenis officijs occupatus: & homini ſeculi curis diſtracto neceſsè fuit verba repetere, vt ea, quæ ipſius intererant, audire poſſet. Magnum enim, & difficillimum negotium eſt hominem terrenis rebus adhærentem ad ea, quæ Dei ſunt, attentum reddere.

3. Semel, & iterum dormiens Samſon ſuper genua Dalilæ, & ſecurus conjugalis fidei, à Philiſthinis captus, & ligatus eſt. Sed ſtatim vt exurgebat à ſomno ingenti vi, & robore, quod illi conferebat ſpiritus, ligamenta rumpebat, facileque ab eis ſolutus, & enodatis ligaminibus in Philiſthinos fortiter, & inuictè irruebat. Verum cum tertio Philiſthini magis cautè, & doloſè ad eum dormientem accederent, capillos quibus vis inerat, clauo in terram confixerunt. Exurgens Samſon ad rumorem, quem Philiſthini vociferantes fecerunt, volenſque ſe diſſoluere, & vincula diſrumpere, fecit; ſed valde difficulter: ſiquidem opus fuit, non ſolùm vincula, quibus adſtrictus erat, rumpere, ſed & clauum etiam extrahere, quo capilli in terra affigebantur. *conſurgenſque à ſomno extraxit clauum cum crinibus, & licio*: inquit text. Iudic. 16. verſ. 14. Subtiliter annotauit Ioachimus Abbas 1. part. expoſ. ſup. Apoc. prima, & ſecunda vice, quia Samſon à ſomno fuit excitatus, ſtatim Spiritum Sanctum illi ſubueniſſe, & faciliter eum à vinculis, quibus erat adſtrictus, eripuiſſe: at cum tertio excitatur à ſomno, non illi aſſiſtit, nec vires confert, niſi poſtquam clauum extraxit, quo crines in terra habebat fixos. Et cur cum tertio ligatur Samſon, non ſtatim vires experitur, quas primo, & ſecundo fuerat expertus? Niſi vt oſtendatur, quam difficulter Deus ſe communicat ijs, qui deſideria, & affectus habent rebus terrenis occupatos, & terræ inhærentes. *Vnde* (inquit Ioachimus) *& in præmiſſis duabus vicibus à principio excitato à ſomno deſcribitur affuiſſe: hic non à principio, ſed poſtquam à terræ viſcere clauus eductus eſt*. Facilè, & affluenter illi ſe Deus communicabat cum à terrenis abſtractus, & illis ſolutus excitabatur à ſomno: at poſtquam clauo ejus capilli (qui deſideria denotant, & animi affectus) in terra figebantur, & ei adhærebant, difficulter Deus affuit, & non à principio, ſed poſtquam à terra clauus eductus eſt, & ipſe à ligamento, quo terræ afficiebatur, erat ſolutus. Pigrè enim, & difficulter aſſurgit homo ad ea, quæ ſua interſunt: dum terrenis rebus adſtringitur, & pernicioſo rerum mundanarum amore irretitus eſt. Hinc miror, quod miretur vates noſter de imprudentia, & iniquitate populi ſui: quia dum eius Gubernatores humanis rebus adhærebant, & rapinæ, auaritiæ, & ambitioni ſtudebant, à Deo diſcedere, erat neceſsè, & dum à Deo deficiebant deſiderio rerum temporalium, ab ipſo deſeri par erat.

DI-

DISCVRSVS III. MORALIS.

Iudex, qui citò punit ſimilis parcenti eſt.

1. *AD pœnitentiam præparat, cito qui iudicat* aiebat Valerius Maximus lib.4.Reus, qui cito plectitur, quaſi gratus iudici ad emendationem prouocatur. Non tàm corripere videtur, qui cito punit, quàm abſoluere *Vigor iuſtitiæ* (dicebat Bern.) *ſemper feruidus ſit, ſed nunquam præceps*. Dummodo iudicium non præceps ſit maxima gratia confertur is, qui cito iudicantur.

2. Vnde idem Bernard.conſulebat Eugenio longam cauſarum procraſtinationem præſcribere. *Ergo eas, quæ ad te neceſſe erit intrare cauſas diligenter velim, & breuiter decidere aſſueſcas, fruſtratoriaſque, & venatorias præſcidere dilationes*. Reis, & toti Reipublicæ beneficus eſt Iudex præſto puniens, & lites dirimens. Nam (vt dixit Plato) *non fuerint concordes vnquam, aut interamantes ciues vbi mutuæ multæ lites iudiciales ſunt: ſed vbi eæ breuiſſimæ, & pauciſſimæ*. Iudex enim, qui breuiter lites, & cauſas concludit, & ſi puniat, non punire videtur, ſed parcere, & indulgere. Conſuluit Samuel Sauli quatenus de Amalecitis Iſraelitico populo infenſis vindictam ſumeret. Præparatus Saul ad pugnam *dixit Cinæo*. *Abite, recedite, atque diſcedite ab Amalech, ne fortè inuoluam te cum eo, tu enim feciſti miſericordiam cum omnibus filij Iſrael, cum aſcenderent de Ægypto*, 1.Regum 15.verſ.6. Caiet. loco miſericordiæ *gratiam* legit. At quænam hæc gratia fuerit, quam Cinæus, ſeu Ietro cum filijs Iſrael fecit, cum aſcenderunt de Ægypto, ſcire expedit. Abulenſ.q.16. ait, quod Moyſi Ietro author fuit in deſerto huiuſmodi miſericordię: nam (vt conſtat Exod. 18.) effecit, vt plures eſſent Iudices, quorum dexteritate lites breuiſſimè concludebantur, ne cauſæ diutius protraherentur, & populus tandiu exſpectaret litium nexibus implicatus. *Quod erat* (inquit Abulenſ.) *ad velocem totius populi interitum*. Rectè quidem: quoniam magna miſericordia, gratia magna, magnumque beneficium populo fuit præfixiſſe terminos, limiteſque litigijs, quibus populus in deſerto immorabatur, & immoriebatur. Sed adhuc ingentior reſtat difficultas. Quo pacto hanc litium breuitatem gratiam factam cum omnibus filijs Iſrael air Saul? Nunquid ijs, qui ad mortem adducebantur, & plectebantur capitali ſupplicio, gratia, & miſericordia erat, quod eorum lites, & cauſæ cito finirentur? Aptius nonne eſſet illis, & conuenientius, quod eorum cauſæ diutius protraherentur, vt vel ſic diutius vita durarct? Gratia exiſtimari poteſt ad mortem cito perduci? Ita inquam: pulchrè ſanè dictum. *Tu enim feciſti gratiam cum omnibus filij Iſrael*. Siquidem etiam eis, qui ad exitium, & mortem ducebantur, gratia, & miſericordia magna erat, quod cito damnarentur, quod ſemel morerentur, & non pluries; hæc enim mors non ſupplicium, ſed indulgentia videbatur; nam Iudex, qui cito punit, non tàm punire, quàm parcere exiſtimandus eſt.

3. Chriſtus Dominus de ſe ipſo morti proximus, aiebat Pſal.68. verſ.22. *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto*. Ad litteram dederunt Chriſto iam iam animam exhalanti, & dicenti *ſitio* potum aceti in ſpongia; fel autem antequam crucifigeretur propinarunt mixtum vino, vt patet Matth.27.verſ.34. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*. Sic Caiet.& Maldonat. Sed iam magna exurgit difficultas; quia fel non datum eſt Chriſto in eſcam, ſed in potum. *Vinum bibere cum felle*. Quo ergo pacto impletur à Propheta prædictum, nempè, quod fel in eſcam ſit Chriſto exhibitum. *Dederunt in eſcam meam fel*. Pulchrè & argutè Caiet. *Quia potus ille dabatur crucifigendis loco eſcæ confortatiuæ: ſicut infantes accipiunt lac loco eſcæ, & ægrotantes valde ſtillatis, & liquoribus nutriuntur; vnde vina illa credimus fuiſſe aromatica, tanquam eſcas conuenientiſſimas crucifigendis ad confortationem: in potu autem huiuſmodi, velut eſca danda Chriſto crucifigendo, loco aromatum appoſitum eſt fel; vnde verè dicitur: & dederunt in eſcam meam conuenientem mihi crucifigendo fel*. Non minùs egregiè nodum excitat, ſtringit, & ſoluit D. Auguſtinus ad rem noſtram ſuper prædicta verba. *Dederunt* (inquit) *in eſcam meam fel: non ipſum quod dederunt, eſca erat, potus enim erat, ſed in eſcam dederunt*. Nihil magis inhumanum, & crudelius, quam felleum liquorem, non in potum propinare, ſed in eſcam porrigere, etenim potus, quamuis amarus valde ſit, celeri repetito hauſtu, non difficultet deglutitur: at fellea eſca mandi debet, eius enim diluta ſoliditas dentium vr domanda eſt, paulatimque euincenda, & ipſa comeſtionis mora amarulentius guſtum exacerbat, & cruciat diuturnitatis tormento & dilationis crudelitate. Inde nefarij illi Iudices (etſi, quod Chriſto dederunt, potus eſſet, & non eſca) in eſcam tamen dederunt, vt diurius cruciarent. Minùs crudeles, extitiſſent, ſi potum dediſſent in potum; quia, & ſi amarus eſſet, cito deglutiretur. Iudex enim, qui cito vel mortem dat in potum, parcenti vicinus eſt: qui in eſcam, inhumanus, & ſæuiſſimus: ſiquidem diutius protrahit tormentum, & multoties illud ſuſtinere cogit. Potus erat fel Chriſto exhibitum, ſed in eſcam dederunt ad vltimam tormentorum exaggerationem. Quid amarius, quam felleum liquorem mandere, & paulatim ipſius acerbitatem, (quam vel mortuus faſtidiret) guſtare? Quid inhumanius,

Digitized by Google

manius, quam ſupplicium reo protrahere, & ad mortem ſubeundam, & ruminandam, quoties illius recordatur reducere?

4. Chriſtus Dominus cladem vltimi diei ſeueriori, quo poterat penicillo, depingens, vt homines ſaltem propter acerbitatem pœnarum ad pœnitentiam prouocaret: inter alia, aiebat Luc. 21. verſ. 29. *Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo Orbi*. Cur inter præambula Iudicij portenta memorat, quod homines exſpectatione futurorum malorum areſcent? Si patiuntur actualia tormenta, & intuentur formidabilia ſigna, cur mala futura timent? Quatitur terra, Stellæ cadunt, Sol, & Luna obſcurantur, pontus fremit, omnia imminent: & non his dicuntur terreri, ſed expectatione? Torquentur ſpe eorum, quæ futura ſunt, & actualia non pertimeſcunt? Ita erit: ait acutè Caiet. *Areſcentibus hominibus præ timore in intellectu perplexitas, in affectu timor; & expectatione non ſignificatur ſpes, ſed mora euentus.* Quod magis timent, & plus horreſcunt, mora eſt, & expectatio futuri ſupplicij: plus ſemel mori deſiderant, quam dilatam, & diu protractam mortem pati: mora ſupplicij eos cruciat: non tam acerbitate pœnæ torquentur, quam mora expectatæ ſententiæ. Sic protractum ſupplicium reos carpit, vt ad exaggerationem extremæ vindictæ expectationem pœnæ patiantur, quæ acerbior eſt ipſa morte.

5. Iam iam moriturus Chriſtus Dominus aiebat æterno Patri. *Pater (ſi poſſibile eſt) tranſeat à me calix iſte*. Matth. 26. Nunquid mortis præſentia Chriſtum affligit? Qui tam anxiè mortem deſiderabat, ſic pertimeſcit, cum mortem propinquam videt, quod eam declinare deſiderat, & vt ſuo deſiderio annuat, Patrem deprecatur? Pulchrè Venetus ad verba Cant. 3. cap. 4. *Non dixit: amoneatur, ſed differatur: longiorem moram contentus nobiſcum trahere cupiebat, vt opus redemptionis excellentius perficeret*. Non mortem recuſat Chriſtus, ſed prorogari cupit. Si ſupplicium dilatum ipſa morte eſt crudelius, tranſeat ſupplicium, differatur mors, vt vehementius ipſius mora, & expectatione crucier. Mortis dilationem optabat, non mortis metu, ſed ob patiendi deſiderium: etenim mora, & dilatio mortis vehementer dolorem auget. Hanc igitur ſuppliciorum, & cæterarum litium moram, quæ in ſua Republica doloſa miniſtrorum induſtria protrahebantur, conſiderans Habacuc, & ſuis ciuibus oppreſſis huiuſmodi calamitate compatiens, de ea conqueritur, & cœlum validiſſimis vocibus pulſat. *Propter hoc lacerata eſt lex; & non peruenit vſque ad finem iudicium*.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Magna calamitas Reipublicæ mors iuſti, eo quod ſuis precibus à vindicta Deum retrahit.

1. IVſtus non tam ſibi viuit, quam alijs: omnibus prodeſt: & ſi non rebus publicis intendat, communes Reipublicæ vtilitates negotiatur. Non ſolum qui cauſas publicas in ciuitate agit, & negotijs ciuilibus occupatur, illi proficit, ſed multo magis, qui in ſeceſſu negotiator officioſus, cum Deo eſt, & qui ſuo exemplo publicos mores corrigit. Vnde Senec. de tranquill. anim. *Nec enim is ſolus Reipublicæ prodeſt, qui candidatos extrahit, & tuetur reos, & de pace, belloque cenſet; ſed qui iuuentutem exhortatur, qui in tanta bonorum præceptorum inopia, virtute inſtruit animos: qui ad pecuniam luxuriamq; curſu ruentes prenſat, ac retrahit; & nihil aliud certè moratur; in priuato publicum negotium agit*. Quies iuſti contemplationi vacantis totum commercium cum Deo habet: negotioſa eſt, & regiminis pondus, ac Reipublicæ ſtatum ſupra ſe portat, & ſuſtentat: atque dum proſtrata orationi incumbit, aſſiduis pro Republica precibus mundum ſuſtinet. Vnde Iob 9. v. 13. de iuſtis Deum orantibus locutus dixit: *Sub quo curuantur, qui portant orbem*. Aſt quo pacto iuſti orbem portare valent, & athlanticas experiri vires? Quomodo eis orbis inſidet, & tam ingens moles membris perſæpè pœnitentia, & maceratione attritis innititur? *Oratione, & precibus ad Deum fuſis* (ait Philippus præsbyt. lib. 1. in Iob) *Sancti orbem portare dicuntur, & ne pereat, orationum fortitudine ſuſtinent*. Niſi enim viri iuſti, & Deo grati orbem ſuſtineant, & in humeris portent, rotum ruere neceſſe eſt, & in ruinam abire. Hinc Ioſia ſancto Rege extracto à Ieruſalem, & ſi alij quamplurimi concives in ea remanerent, ſola dicitur, & deſolata ploratur. *Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo*. Thren. cap. 1. verſ. 1. At quomodo ſola dicitur ciuitas, quæ plena populo perhibetur? Niſi, quia amiſſo iuſto Rege, quaſi Vrbs non eſſet in vrbe, & deſolata penitus viſa ſit. Sic ſemper Reſpublica languet; & ruit, cum iuſtis, & bene moratis hominibus orbatur, qui eam ſuſtinebant, & Deo quaſi totus orbis erant, quia totum orbem fulciunt, & ſuſtentant, ſic atteſtante Ambr. in Pſalm. 48. *Vacuus erat totus hic mundus, ante quam numero credentium eum Chriſtus impleret*. Quaſi Deo non ſit mundus, vbi non ſunt mundi. Et idcirco aiebat Dauid Pſ. 109. verſ. 6. *Iudicauit in nationibus, impleuit ruinas*. Ac ſi depopulatus eſſet mundus, & funditus euer-

euerſus, vſque dum iuſtos Deus eum habitare decreuit. Et D.Chryſoſt.ad illa verba ad Hebr.11. verſ.38. *Quibus dignus non erat mundus.* Sic inquit: *Vir inclytus, & gloria inſignis eſt inſtar orbis terræ.* Iam videas ſi iuſti orbem portant, & fulciunt, quantum Reipublicæ interſit, eos habere, & quam ſit dolendum de eorum abſentia.

2. Mirum eſt, quod Deus voluerit Enoch eripere de mundo, & in paradiſo, collocare immaturè raptum. *Ambulauitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Dominus.* Ait text.ſacer.Geneſ.5. verſ.22. Et cur iuſtum hominem, & ſibi familiarem Deus è medio tollit, & in paradiſum transfert? Nonne (ſi nondum numerus dierum erat completus) ipſum in terra morari expediens eſſet, vt ſuo exemplo, & doctrina homines erudiret, & in viam dirigeret ſalutis? Oleaſtri eſt opinio, aſſerentis ideo Enoch è mundo ſublatum, quia iam Dominus mundum ſubuertere, & aquarum vndis naufragari decreuerat. Verum quid obeſt Enoch ad diuinam vltionem,quod prius è medio tollere Deus ſatagit? Manus ligabit punientis, aut diuinam vindictam retardabit? Hominem veretur Deus, & non audet ad ipſius conſpectum mundum plectere? Ex abſentia Enoch præſagit Oleaſter mundum naufragum. Nimis fallax prognoſticum conſulit: *Imo euidentiſſimum ſignum puniitionis mundi iuſtorum ablatio. Nec hoc mundus cogitat: ſed putat eos caſu eſſe ſublatos.* Inquit inibi Oleaſter. Veritus Deus Enoch preces, & præcauens, ne diuinam retardet iram ſuis orationibus, tranſtulit ad paradiſum, & de medio tollit iuſtum, vt puniat: nam eo præſente, & indulgentiam poſtulante, mundum corripere expeditè non poſſet. Non hoc mundus cogitat: ſed fallitur: nulla enim calamitas tàm deploranda Reipublicæ accidit, quam iuſti mors, & abſentia. Mundum Deus non perdit, vſque dum Enoch exulat in paradiſo. Et poſteà, vt mundum puniat, Noë includit in arca, & à foris oſtium claudit, & clauem ſecum portat. Et cur non ſinit Noë pro libitu ſe includere? Fortè timet, quòd in pelagum ſe proijciat, & ipſum recludit, & clauicularij non permittit officium, ne temerè egrediatur ab arca. Cur ita? Rectè D. Greg. Niſen. in orat. 3. *Ne diuina vltio impediretur.* Quia facilè erat, vt Noë arcam aperiret, & magna ſtrage viſa, quam diluuium cauſabat, miſeratione motus Deum obſecraret, & placaretur, & ita Deus effectum puniendi mundum, quem intendebat, non obtineret: tantam enim reuerentiam Deus habet homini iuſto, vt Noë oculos præcludat, ne pro mundo periclitante exoret, & à vindicta ipſum retrahet.

3. Poſtquam impetrauit Loth, ne vrbs Segor ab Angelis ſubuerteretur: coegerunt illum illuc ingredi, vt nefandas ſuccenderent ciuitates. *Feſtina* (inquit text.) *& ſaluare ibi: quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris.* Gen.19. v.22. Et quis Angelos prohibebat, ne ciuitates ſuccenderent, priuſquam Loth Segor ingrederetur? Timent Angeli natura potentes ab homine impediri, quòd eum relegant, vt ciuitates exurant? Rectè Oleaſt. id ita factum ait: *Quia claudere, & ligare ſolent ſancti Deo, & Angelis manus, ne poſſint illis, aut alijs nocere, niſi voluerint ipſi: quod de ſancto Moyſe etiam legimus. Dimitte* (ait Dominus) *me, vt iraſcatur furor meus. Quis te Domine (quæſo) ligauit, vt à ſeruo ad puniendum poſtules dimitti?* Idem per pulchrè probat, quod ibidem ſacer text. refert. *Venerunt duo Angeli Sodomam.* Gen.19. verſ.1. Lypoman. hunc locum expendens quæſtionem excitat, cur duo Angeli venerint ad puniendas flagitioſas ciuitates. Nonne vnus ſufficeret non tantum quinq; ciuitates verum & vniuerſum mundum deſtruere? Ad quid igitur multiplicantur miniſtri, & quod vnus concludere valet, pluribus commendatur? Attende ad Lypoman.ſolutionem. *Duo Angeli Sodomam acceſſerunt: alter quidem, vt eam vrbem euerteret: alter vt liberaret Loth.* Sed hinc ingentior inſurgit difficultas: ſi vnus Angelus ſolus ad comburendam, ciuitatem venit; & alter ad protegendum Loth, quomodo vterque dicitur ad puniendam ciuitatem venire? *Delebimus* inquiunt: cum ſolus ille, cui executio committebatur, dicere potuerit: delebo ciuitatem. Auſculta text. *Delebimus enim locum iſtum, eo quod increuerit clamor eorum coram Domino, qui miſit nos, vt perdamus illos.* Gen.19. verſ. 13. Sed tamen rectè loquuntur Angeli, dum vtrumque delere ciuitatem dicunt, vt innuerent, quod ſi vnus Sodomam flammis deſtruebat, alter etiam ciuitatem annihilabat, & delebat auferens ab ea ſanctum Loth. Quoniam nullum aliud grauius ſupplicium Reipublicæ euenire poteſt, quam illam priuare ſocietate vnius iuſti: ſi enim Loth intra Sodomam maneret, illa minimè deleretur. Vnde Angelus: *Feſtina, & ſaluare ibi: quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illud.* Vterque Angelus ciuitatem deſtruere dicitur, quia quod flammis vnus exurebat, Loth relegatione alter annihilabat. Et de hoc maximè dolebat Propheta noſter videns iuſtos in populo ſuo iniuſtè oppreſſos potentiorum impudentia, & ad exulandum coactos. Nihil miſerabiliùs ſuo populo potuit accidere, quam iuſtorum conſortio orbari, qui Deum à vindicta retrahebant, & non minus lacrymabilis clades hæc ipſi videbatur, quam illa, quam Nabuchodonoſor illi erat illaturus. *Quia impius præualet aduerſus, iuſtum.* hic verſ.4.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Quod digno ſpreto indignus ad dignitatem euehatur, non pœna hæc digno exiſtimanda eſt.

1. SEneca lib.1.de benef. cap.14. rebus politicis politè eruditus aiebat. *Beneficium, quod quibuslibet datur, nulli gratum eſt: nemo ſe ſtabularij aut cauponis hoſpitem iudicat, nec conuiuam dantis epulum, vbi dici poteſt: quid enim in me contulit? Nempè hoc, quod in illum, & vix bene notum ſibi; & in illum etiam inimicum, ac turpiſſimum hominem. Nunquid me dignum indicauit? Morbo ſuo morem geſſit. Quod voles gratum eſſe, rarum effice.* Hæc c.14. Et c.13. refert, quod, cum Alexandro Corinthij per legatos gratulati eſſent, & ciuitate illum ſua donauiſſent, Alexanderq; hoc officij genus irrideret, vnus ex legatis dixit, Nulli ciuitatem vnquam dedimus alij, quam tibi, & Herculi: tunc libens delatum honorem accepit, cogitauitque: *Non quod ſibi ciuitatem darent, ſed cui dediſſent.* Idem. Ex eo namque beneficium exiſtimatur, quod conferatur digno: proindeque cum digno ſpreto dignitas indigno confertur, non pœna digno exiſtimanda venit; ſed potius, cum digno, & benemerito confertur. Præcepit Deus Moyſi (Deuther. 34. vt in montem Abarin conſcenderet, & in montem Nebo, vt promiſſionis terram, quam poſſidebant Chananæi, inde cerneret: Dei præcepto obtemperat, & ait ei Dominus: *Hæc eſt terra, pro qua iuraui Abrahã, Iſaac, & Iacob, dicens; Semin. tuo dabo eam, vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam. Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab iubente Domino.* Quærunt Interpretes, quare Deus ſeruis ſuis Moyſi, & Aaroni terræ ingreſſum prohibuerit. Communis patrum, & Interpretum vox eſt ita actum in pęnam delicti cõmiſſi ad aquas contradictionis; quod & Dominus ipſe oſtendit cap.27.Num.v.12. *Aſcende montem iſtum Abarin, & contemplare inde terram, quam daturus ſum filijs Iſraël: cumque videris eam; ibis & tu ad populum tuum, ſicut iuit frater tuus Aaron: quia offendiſti me in deſerto Sin in contradictione multitudinis.* Solus D.Auguſt. peculiari via incedit, & negare auſus eſt hanc vtriuſque fratris mortem ante promiſſæ terræ ingreſſum fuiſſe pœnam, & ſupplicium, quæſt. enim 53. in lib.Num.ait. *Mortem Aaronis, & Moyſis fuiſſe ſigna futurorum, non ſupplicia indignationis Dei.* Et ſuper Pſal. 98. apertè inquit id, qnod dixit Deus Moyſi, non intrabis in terram promiſſionis, figuram fuiſſe, non pœnam. Idem. *Illud* (inquit) *quod dictum eſt Moyſi, figura erat non pœna.* Et vnde hoc colligis, ò apex Theologiæ? Vnde audes tam noua ſemita incedere, & cum reliquis Eccleſiæ Proceribus ad certamen deuenire haud recuſas? Iam inquit: *Siue mors, quæ pœna? Non intrare in illam terram, quæ pœna, quo intrauerunt indigni?* Ac ſi apertè dicat: non ad pœnam Moyſes, & Aaron ſibi imputant, quod à terra promiſſa arceantur: dum in eius poſſeſſionem tot indigni introducuntur: Quod Moyſi, & Aaroni benemeritis honor ille denegetur, dum confertur indignis, non pœna exiſtimanda eſt.

2. Filius ille iunior, qui ſubſtantiæ portionem, quam à patre extorſit, viuendo luxurioſè diſſipauit, laſſatus miſera, & infami ſeruitute reuertitur ad patrem; qui lætus filij reditu lautum parat conuiuium, vt eum reficiat: *Adducite* (inquit) *Vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, & inuentus eſt.* Luc,15.verſ.23. Cumq; tota domus choreis, & canticis exultaret, regreditur ab agro maior filius, agnoſcit factum, & tanto mœrore, & pœna afficitur, vt præ indignatione patris domum ingredi noluiſſet: & cauſam roganti Patri reſpondet: *Ecce tot annis ſeruio tibi: & nunquam mandatum tuum præterini: & nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer; ſed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.* Admiratione dignum eſt, quod qui ſubſtantiæ portionem diuiſam, & iuniori fratri datam non ægrè tulit: nunc ob paruum munuſculum, vnius tantùm vituli indignetur, rumpatur inuidia, & ferali pœna excandeſcat. Qui paternum patrimonium diſſipatum, & inſumptum cùm meretricibus videt, & tacet, ad vnius vituli mortem tabeſcit mœrore, & quærimonijs inſurgit in patrem? Num dolet, quia indigno fratri, & perditiſſimo homini gratia confertur, & vitia videt coronari, cùm tamen ſibi honeſtè, & ſub paternali obedientia viuenti, nunquam pater tale fecerit conuiuium, nec ſic abundanter refecerit? Id ſanè eius verba innuunt. *Nunquam mandatum tuum præterini: & nunquam dediſti mihi hædum: ſed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit: occidiſti illi vitulum ſaginatum.* Sed hoc non credibile eſt: nam ipſum non latebat, per reuerſum ad patrem, iam fratrem reuixiſſe, & ad ſtatum gratiæ fuiſſe euectum. Quinimò oppoſitum cenſeo, quia iam digno fratri hæc facta fuit gratia, inuidet, & excandeſcit præcauens, ne ipſe à patre, vt indignior reuerſo fratre, tractaretur: idcircò patris obſequia, & fratris crimina refert, & obijcit: at quando pater portionem ſubſtantiæ fratri largitur, tacet, nec dolet: quia ob diſceſſum à patre indignus efficiebatur illius gratiæ, quam accipiebat; vnde qnamuis magna ſubſtantiæ portio illi detur, non inuidet, nec conquæritur, credens ſibi non eſſe pœnam, quod ipſi dene-

Digitized by Google

denegetur id, quod à patre, qui illum diligebat, indigno fratri donabatur. Quod ſubſtantia ipſi non detur, non doler, nec cum eam accipit, qui non meretur, mæret; quia quod indigno confertur,non pœna digno exiſtimanda eſt.

3. Chriſto Domino Petrum mittente ad mare, vt exhinde extraheret ſtaterem ſoluendum exactoribus Cæſaris: ſtatim orta eſt contentio inter diſcipulos, *Quis maior eſſet in Regno Cœlorum*. Matth.18.verſ.1. Cauſa autem huius contentionis ea fuit (authore Hieron) quod Petrum delectum vidiſſent ad illud munus, & cæteris præpoſitum, atque parem Chriſto in vectigalis ſolutione. *Qui viderant* (inquit Hieron.) *pro Petro, & Domino idem tributum redditum, ex qualitate pretij arbitrati ſunt Petrum omnibus Apoſtolis eſſe Prælatum*. Sanè mirum perpendenti, quod proditori Iudæ totam Collegij Apoſtolici pecuniam Chriſtus tradiderit; & tamen nullus Apoſtolorum de hoc conquæritur, nec Iudæ inuidet; imo (vt inquit Chryſoſt.) nullus præter Iudam pecunias ſecum afferebat: ſed (vt aduertit Caiet.ad verba Ioan. 13. *Loculos habebat*) apud Iudam conſignabant. *IESVS habebat marſupium pecun arum apud Iudam, non tantum ad victum, ſed etiam ad erogandum egenis*. Et tamen de hoc nullum Apoſtolorum ferit pœna. Er cur qui ad dimidium ſtateris pro Petro dari conturbantur, & commouentur, ad totam Collegij Apoſtolici pecuniam Iudæ traditam non dolent? Qui propria per manum furis diſpenſati vident, nec inuident, nec de hoc conquæruntur: nunc vehementer dolent, & excandeſcunt, eo quod Petrus ſoluat vectigal, & contributio per manus ipſius fiat? Cum tamen de hoc gaudere deberent, dum ſe immunes, & Petrum vectigalibus obnoxium, & à piſcis viſceribus ſtaterem extrahentem aſpiciunt, & ſupra Iudæ commiſſione conturbari, eo quod ipſis denegetur huiuſmodi cura, & Iudæ, ac ſi fidelior eſſet, commendetur. Cur igitur cum Iudam ad hoc munus deſignarum, & totam pecuniam poſſidentem vident, non afficiuntur pœna, & ad poſſeſſionem ſtateris, quæ Petro contingit, exacerbantur? Suſpicor: quoniam indigno Iudæ illa gratia fuit facta, & de gratia, quæ immeritis conceditur (ſi dignis denegetur) non eſt dolendum, nonillis pœna credenda eſt. At cum Petro, qui dignus erat, & benemeritus, pars contingit ſtateris, & præfertur cæteris, amarè dolent, & candidatos illius gratiæ, quæ digno confertur, & Petrus eſt ſortitus, ſe oſtendunt. Vnde noſter Propheta meritò à Patribus reprehenditur, & poſteà ipſe ſe reprehendit, retractans, quæ modo loquitur: dum indignationem eius vident, & pœna affici eo quod in populo Iudæorum indigni, & fraudulenti ad dignitates euehantur ſpretis iuſtis, & bene moratis: cum tamen digno huiuſmodi peruerſio non cauſa pœnæ exiſtimanda eſſet. *Quia impius præualet aduersùs iuſtum: propterea egreditur iudicium peruerſum*.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Primi legis fractores ſeuerius puniendi.

1. CVm ea ſit hominum natura, vt ſe ſe cęcè ad ſequelam inducant more ouium (quæ taliter ſequacis ſunt conditionis, vt prima ad præcipitium diſperſa, cæteræ idem præcipitium aggrediantur, nec vereantur exitium, ſed ducenti adhæreant, & in ruinam trahantur prima abherrante) neceſsè eſt leges tot difficultatibus muniri, vt nullus eas tranſgredi audeat, ne cæteti ad ipſius exēplum in eandem tranſgreſſionem dilabantur. Primus legis fractor taliter puniri debet, vt cæteri ipſum comitari formidenr, & vt author quaſi originalis culpæ condignè plectendus eſt: nam omnibus officit, qui primo limites prohibitos, & à lege præſcriptos tranſcendere audet. Vnde dixit Senec. c.16. de breuitate vitæ. *Quid aliud eſt vitia incendere, quam authores illis inſcribere Deos, & dare morbo exemplo diuinitatis excuſatam licentiam*. Vnius tranſgreſſio quaſi fomes eſt ad peccatum, & licentia excuſata ad delinquendum. Quaſi liceat omnibus, quod primus non licitè fecit, & vnius delictum excuſatio ſit aliorum. Mirum eſt quam criminosè, & ſeuerè Deus ſe geſſerit cum Adamo, & Cain: nam vterque ſui ſceleris pœnas luit ſine indulgentia, & vſque ad vltimum quadrantem plectitur. Et cur mitiſſimus Dominus tam ſeuerè iraſcitur illis tranſgreſſoribus, qui poſteà hominibus ſceleratis, & criminoſis tam facilè pepercit? Quia primi fractores legum erant: ait Tertulian.contra Marcion. circa illud Gen. 1. *Conſuerunt folia ficus*. *Attentè* (inquit) *conſiderandum eſt, quod primis legis diuinæ præuaricatoribus ſupplicia ſine venia infliguntur, vt cæteri, qui tranſgreſſionis pœnam intellexerunt, delinquere caueant, nec legem præuaricari audeant*. Primi tranſgreſſores, & criminoſi ſine vlla miſericordia plectendi ſunt: ne conſuetudo incipiat, & vnius exemplo poſteà inueteraſcat.

2. Duxit Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos, Sabbatho per ſata colligere ſpicas, vt eorum neceſſitati conſulat, & propter eam à crimine eos vindicat Iudæis accuſantibus, & contra ipſos inſanientibus. *Ecce diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbathis*. *At ille dixit eis: Non legiſtis, quid fecerit Dauid, quando eſurijt, & qui cum eo erant?* Matth.c.12. verſ.2. Sufficienter enim neceſſitate extrema excu-

excuſabantur à legis obſeruatione. Verum meminì, in lege veteri hominem ligna in Sabbatho colligentem iuſſu Dei lapidibus obrui, & capitali pœna puniri. Sic enim habetur Num. 15. verſ. 32. 33. 34. 35. & 36. *Factum eſt autem, cum eſſent filij Ieruſalem in ſolitudine, & inucuiſſent hominem colligentem ligna in die Sabbathi, obtulerunt eum Moyſi, & Aaroni, & vniuerſæ multitudini: qui recluſerunt eum in carcerem, neſcientes quid facere deberent: Dixitque Dominus ad Moyſen: Morte moriatur homo iſte obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra. Cumque eduxiſſent eum foras, obruerunt lapidibus*. Immiſericors valde in hoc facto apparet pientiſſimus Dominus, & perſonarum acceptor. Qui enim in obſeruatione Sabbathi diſpenſat cum diſcipulis ſuis, vt eorum neceſſitati prouideat; cur non diſpenſauit cum homine (vt colligitur ex collectione lignorum) neceſſitate laborante, & ob indigentiam ligna quærente? Si diſcipulis ſpicas in Sabbatho colligere licet: cur non licebit pauperi ligna colligere? Cur hominem pauperculum non abſoluit, vel ſaltem minuit pœnam? Diſcipulis, qui obſeruatiores debebant eſſe, licitum eſt, quod homini indigenti non licet, & pœna capitali mulctatur? Cur ita? Egregiè Chryſoſt. hom. 40. in Matth. *Certè quia tunc lex incipiebat: quod ſi contemni cœpiſſet, nunquam ſeruata fuiſſet*. Infœlix ille homo primus fuit transgreſſor legis, & ideò tam ſeuerè punitur: quia vt leges obſeruentur, opus eſt, quod earum primi præuaricatores, ſeuerius puniantur: vt quod exemplum lædit, & corrumpit, ſupplicij grauitas corrigat, & inſtauret. Semel enim limitibus, & præſcriptis legum calcatis, facilè itur ad culpam primis veſtigijs inhęrendo, & non ſolùm actualis culpæ reus primus tranſgreſſor eſt, ſed quaſi originalis, quia eius exemplum in omnes ſerpit.

3. Poſſeſſionem vendidit, quæ ad communes Apoſtolorum vſus pertinebat, vir quidam Ananias nomine cum Saphira vxore ſua. Cùmque partem quandam pecuniæ ad Apoſtolorum pedes detuliſſent, partem ſibi reſeruarunt, & abſconſam habuerunt. Quod cum Petrus intellexiſſet, verbo vtrumque occidit. *Confeſtim cecidit ante pedes eius, & expirauit, intrantes autem iuuenes inuenerunt illam mortuam, & extulerunt, & ſepelierunt ad virum ſuum*. Actor. 5. verſ. 10. Sæuiſſimo ſupplicio plectuntur, qui leuiſſimo videbantur digni, ne cęteros fideles tam ſeuera pęna deterrerent, & à conſortio, & fide relegarent. Tyronibus enim in virtute, & obſeruantia aliquid eſt indulgendum, ne à propoſito deſiſtant, & virtus efficiatur odibilis: nam quod timetur, nunquam gratum eſt. Cur igitur Apoſtolorum Princeps à mitiſſimo Magiſtro eruditus his delinquentibus tam ſeuerus extitit? Cur non eis parcit, & reprehendit, vt deinceps cautiores viuant? Auſculta Caiet. *Aduerte hic initio legum, in primis tranſgreſſoribus fuiſſe vindictam ſemper commendatam: nam, & in lege veteri primus violator Sabbati fuit lapidatus, & primi violatores aræ (filij ſcilicet Aaron) fuerunt extincti; & in lege noua iſti coniuges fuerunt occiſi: quia fuerunt primi tranſgreſſores*. Multum enim intererat doctrinæ, & legis, quam profitebantur Apoſtoli, & recenter conuerſi, quod Ananias, & vxor eius tam ſeuera pęna mulctarentur: ne impunita prima tranſgreſſio cęteris eſſet delinquendi fomes, & licentia peccandi.

4. Olim Deus in Monte Sinai legem daturus fulgura, ignem, & tonitrua præcedere voluit. *Ecce cœperunt audiri tonitrua, micare fulgora, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementior perſtrepebat*. Exod. 19. verſ. 16. Et cur lex tam mitis, & ſuauis tam formidabilis primo apparet, & terribilibus ſignis inuoluitur? Expediret enim in aura leni, & luce tranquilla excipi, vt animos ſubditorum alliceret, & ad obſeruantiam prouocaret. Qui poſteà in Euangelio dixit: *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue*: cum primo iugum imponere cæpit, cæpit deterrere fulguribus, & igne imminentibus? Ita enim expediebat (ait Cyril. Alexand. homil. Epheſ. habita) vt nullus legem tranſgredi auderet. *Deſcendit vniuerſorum Deus in monte Sinai in ſpecie ignis. Et cur quæſo in ſpecie ignis? Sanè quando illis promulgaturus erat legem, tunc ſalubriter ad modum in ignis ſpecie deſcendiſſe viſus eſt: nempè, quò hinc tranſgreſſores illius intelligerent rem ſibi cum igne fore*. Cauens Deus primam legis trangreſſionem, & eius conſequentias præcauens, formidabilem legem promulgat, & fulgere, igne, & tonitruo minatur ei, qui terminos præſcriptos primò tranſcenderet, ne ſi mitis appareret, auderent homines legem violare: nam primo lacerata lege, facilis ad tranſgreſſionem eſt aditus. Quod dolens vates noſter dicit, dum omnes leges irruptas, & laceratas in ſuo populo vidit, propterea quod potentiores Reipublicæ impune delinquebant. *Propter hoc lacerata eſt lex*. Hic verſ. 4.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Iniqui Iudices, qui poteſtate ad opprimendum abutuntur.

1. SIc aliquorum Iudicum ingenium inſoleſcit, & ad crudelitatem propendet, vt doleant quod non omnibus officiant, damnent, & crucient, nullum abſoluere deſiderent, & vtramque partem, (& ſi inſons vtraque ſit) condemnare conentur: cum

tamen

tamen eorum iudiciaria poteſtas ad miſericordiam potius debeat inclinare, ex officio parcere, & quaſi violenter ad puniendum accedere. Hinc antiquitus (vt refert Senec. epiſt. 81.) reus, qui paribus ſententijs, ſeu iudicum ſuffragijs afficiebatur, abſolutus erat; quia iudiciaria poteſtas potius ad abſoluendum, quam ad puniendum inſtituta pro ipſo decertabat, & in re dubia ad benignitatem debebat inclinare iuſtitia. *Reus ſententijs paribus abſoluitur; & ſemper quidquid dubium eſt, humanitas inclinat in melius.* Quærit D. Thom. 3. part. q. 14. art. 4. an Chriſtus Dominus omnes defectus corporales hominis aſſumpſerit? Et congruentius videtur eos aſſumpſiſſe: nam qui venit noſtras infirmitates curare, omnes illas aſſumere (vt melius medcretur) par erat. Sed tamen in corpore reſpondet illos tantum defectus aſſumpſiſſe, qui noſtræ redemptioni conueniebant, alios autem minimè; præſertim inclinationem ad malum, & difficultatem ad bonum. Et cur qui omnia peccata noſtra in corpore ſuo pertulit, & ſupra ſe portauit vt exoneraret homines, inclinationem ad malum, quæ primus affectus, & defectus naturæ lapſæ fuit, non aſſumpſit? Quia ipſe non ſolum Redemptoris, ſed etiam ad Iudicis munus, & officium exercendum venerat: & quamuis iuſtus eſſet, non decebat, Iudicem pronum eſſe ad malum & difficilem ad bonum. Hi enim affectus, & inclinationes procul debent eſſe à Iudice, qui ad bunum ſemper tenetur propendrre, & nonniſi coactus ad plectendum accedere. Hinc ſuæ humanitatis inclinatione propenſus Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos alloquens Matth. vltim. verſ. 18. dixit. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra.* Et illico quaſi per neceſſariam conſequentiam v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vbi Caiet vim illationis, & conſequentiæ agnouit. *Declarato potentatu ſuo, mittit ad ſalutem mundi diſcipulos*, Poteſtatem habeo, ergo ad benefaciendum. Vos ergo, qui meam poteſtatem nacti eſtis, eam in omnium vtilitatem conuertite, & iudiciariam facultatem non ad perniciem, ſed ad miſericordiam inclinate.

2. Ne iudices in plectendis reis excederent, & inhumanitate ſæuirent, lex illis dabatur pro verberando delinquente Deuth. 25. *Si autem eum, qui peccauit, dignum viderint plagis; proſternent, & coram ſe facient verberari pro menſura peccati, eritque plagarum modus, ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Verùm hac lege non obſtante Iudæi vna minus has plagas inferebant, vt conſtat ex Paulo 2. Corinth. 11. v. 24. *A Iudæis quinquies quadragenas, vna minus accepi.* Cur igitur à præſcripto legis deficiebant, & quem Deus præceperat verberare quadraginta plagis, triginta nouem plectebant? Sic Dei legis homines arbitri ſunt, vt ad ſuum nutum immutent? Egregiè Theodor. quæſt. 30. in Geneſ. *Quia maior numerus* (inquit) *vapulantem infamat: ſi enim ceciderint eum pluribus, deformis abibit frater tuus in conſpectu tuo: in eo tranſgredi legem permittuntur: ne exactum obſeruantes numerum, etiam nolentes vapulantem infament pluribus plagis illatis.* Semper vna minus inferebant, & tamen non eis imputatur ad culpam, & tranſgreſſionem: quia hæc pœnæ diminutio non vitium arguebàt, ſed clementiam Iudicis commendabat. Minus æquo reum plectere non eſt abuſus poteſtatis, ſed legitimum Iudicis temperamentum ad Dei exemplar compoſitum, qui ſemper citra condignum corripit. Vna plaga minus quadraginta infligebant, nè in vna excederent; *Quia maior numerus vapulantem infamat.* Quaſi infamia iudicis ſit, in ſupplicijs aliquantulum excedere, & egregia laus aliquid illis detrahere. Audiant, & diſcant Iudices, qui inhumaniter ſæuiunt in fratres, & humanitatis monſtra apparent, dum in ſupplicijs excedunt, & non niſi ad opprimendum poteſtate abutuntur. Aliquid ſupplicio detrahere, optima legum interpretatio eſt; aliquid addere peſſimum dedecus, & deteſtabilis infamia.

3. Opportunè notauit Ambr. & Chriſti miſericordiam in eo præcepto Matth. 10. verſ. 10. quo prohibuit diſcipulis ſuis virgam portare in via. *Non peram in via, nec duas tunicas, nec calceamenta, nec virgam &c.* & nequitiam Pilati, qui Chriſto Domino ad ſe allato dixit: *Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* Ioann. 19. Et cur virgam prohibet diſcipulis peregrinaturis per orbem, in qua iudiciaria poteſtas deſignatur, & à Pilato audit poteſtatem habere primo ad crucifigendum, & poſteà ad abſoluendum? Cur prius ſe iactat Pilatus de poteſtate ad puniendum ſibi collata, & poſteà de illa, quam habet ad abſoluendum? Nota text. *Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo, dimittere te?* Cur hæc audit ab iniquo Iudice, qui diſcipulis virgam portare vetat? Quia Apoſtoli non ſua, ſed Chriſti vtebantur poteſtate, hæc autem non in virga ad plectendum, & corripiendum apparet, ſed in humanitate ad indulgendum: ideò virgam prohibet, in qua pars iuſtitiæ puniens exprimitur. At iniqui Iudicis, qualis erat Pilatus, poteſtas potius ad ſupplicia infligenda, quam aduenìam inclinabat: & ideò prius gloriatur de poteſtate ad crucifigendum, quam abſoluendum. Audi Ambroſ. lib. 7. in Lucam cap. 7. argutè, & eleganter exarantem. *Non virgas manu iubentur tollere Apoſtoli: ſic enim Matth. 12. Quid eſt virga? Niſi præferendæ poteſtatis inſigne, & vlciſcendi inſtrumentum doloris? Eos miſit ad ſeminandum, qui non cogerent, ſed docerent; nec vim poteſtatis exercerent,*

ſed

ſed doctrinam humilitatis attollerent. Nec enim Dei maieſtas manifeſtatur hominibus malum aliquod infligendo, ſed quodcunque potius tollendo, & potius benignitatem, & beneuolentiam oſtentat: deinde cum opus fuerit, iuſtitiam prouocatus exercet. Attende ad ea quæ ſubiungit. *At vero iniqua poteſtas nihil priuſquam mala profert, nihil libentius infert, ideò Pilatus dixit Chriſto* Ioan.19. *Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & dimittere te? Vbi primo loco crucem, & mortem loquitur, eamque poteſtati connectit: quia impij ſe potentes, potius mortem inferendo, quam vitam largiendo oſtentant.* Hæc Ambroſ. pulcherrima, & enodata; quibus Iudices carpit immiſericordes, & ferarum more contra reos ſæuientes, non virulentis tantum verbis eos impetentes, ſed ſuppliciorum atrocitate vexantes.

4. Hinc ſingulare habetur beneficium, poteſtatem adimere illis, qui illa, non niſi ad malum abutuntur; quod eleganter obſeruauit Philo lib. de Cherub. in Balaan. qui gladium habere cupiebat, vt inculpatam aſinam percuteret, *Vtinam haberem gladium, vt te percuterem.* Num.22. verſ.20. *Gratia maxima* (inquit Philo) *conditoris, qui ſciens impudentia rabiem, non dedit tanquam furenti gladium: ne quoſque obuios maligna clade conficeret.* Et de his Iudicibus, qui contra reos criminoſè, & furibundè incaleſcunt, intellexit Ambr. illud Chriſti Domini, Lucæ 12. verſ.4. *Ne terreamini ab iis, qui occidunt corpus.* Et cur ab iniquo, & ſæuo Iudice non eſt timenda corporalis mors? Imo quia iniquus formidabilior eſt. Quid tam timendum, quam furor magnæ & efferatæ poteſtatis? At non timeatis (ait ibi profundè Ambr.) ſcientes *morte ſupplicij corporalis eſſe defectum.* Difficilis valde ſententia. Quo pacto mors ſupplicij corporalis dicitur defectus; cum ſupplicium vltra mortem progredi non valeat? Exceſſus ſupplicij mors plerumque eſt, præſertim innocentibus. Sed non reſpectiuè ad punitos, ſed ad Iudices loquitur Ambroſ. & horum reſpectu mortem ait *ſupplicij corporalis eſſe defectum.* Quaſi dicat: iniquo, & ſæuo Iudici vel ipſa mors defectus ſupplicij eſt: nam defectus corporalis vitæ ſupplicij ſeuerioris illi eripit materiam: crudelius ageret, ſi corpus, & vitam impetret. Supplicium namque ſæpè, ſi poſſet, repeteret; ergo benè cum reo actum eſt, ſi corporali morte ſemel percuſſus eſt. Gratias Deo, qui illi non dedit poteſtatem ſupplicium iterandi, vel animam occidendi: id enim totum faceret, ſi poſſet. Et id minus iniqui Iudices populi Hebræorum ſuis conciuibus intulerunt, nullum non ſupplicium ipſis infligentes, ex ijs, quæ corpori contingere poterant, præcipuè pauperibus, & inualidioribus, de quo dolet, & quæritur vates noſter. Hic verſ. 4. *Propter hoc lacerata eſt lex, & non peruenit vſque ad finem iudicium: quia impius præualet aduerſus iuſtum; propterea egreditur iudicium peruerſum.*

Verſ.5. Aſpicite in gentibus, & videte: admiramini & obſtupeſcite: quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet, cum narrabitur.

ANNOTATIO V.

Expoſitio Litteræ.

1. NON diu patitur miſericors Deus angi iuſtum, & expectatione torqueri: non diu ſuſtinet piorum vota eſſe irrita. Reſpondet igitur Prophetæ de iniquitate ſui populi conquerenti, iam iam Iudaicarum iniquitatum ſupplicium imminere denuncians: propè diem quippe aduentare Chaldæos trucem, atque efferam gentem, quæ debitam ultionem à Iudæis expoſcat. Ita tamen optimus artifex minas, & terrores attemperat, ut futuræ, ſeu impendentis calamitatis mole propoſita, metum audientibus incutiat, illoſque ipſos quibus terrores minatur, & ſupplicia, à corrupta, prauaque conſuetudine vitę ad morum emendationem, & correctionem hortetur, atque virtutem, & honeſtatem, ſi non amore, ſaltem pœnarum formidine ſequantur: futurum enim proculdubio, ut ſi vel minis deterriti reſipiſcant, ſupplicia quoque, & propoſitas pœnas, & prędictas calamitates euadant. Vt ergo Iudęos Deus ad ſcelerum pęnitentiam impellat, magnitudinem impendentium malorum, flagellorum acerbitatem multis, ac miris modis amplificat: hoſtium namque genus, & animos, copias, velocitatem, potentiam, promptitudinem, apparatum, & id generis cętera

tera enumerat, explicat, & exaggerat, quibus maior in bello crudelitas timeri queat. Ait enim: *Aſpicite in gentibus, & videte: admiramini, & obſtupeſcite*. Priora verba ſupplicij celeritatem, poſteriora immanitatem ſignificant. *Aſpicite in gentibus* idem eſt, quod *aſpicite gentes*. Videte propè diem ingruentes, & aduentantes Chaldęos. Sicut illud Pſalm. 18. *Quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus*, pro *hæreditas omnes gentes*, ideſt, tu conſequeris hęreditatem omnium gentium.

2. *Videte, admiramini, & obſtupeſcite*. In Hebręo idem verbum geminatur. *Admiramini, admiramini*. Quod & vertit Paguinus. Repetita autem eiuſdem aut ęquipollentis verbi geminatio vehementiorem, atque concitatiorem occaſionem efficit. *Quia opus factum eſt in diebus veſtris*. Prętetitum pro futuro, uſitatiſſimo Prophetarum more, ab Interprete vulgato, poſitum eſt. Dei ergo hęc ſunt verba ſignificantis imminentem calamitatem Iudęis, non vtique caſu, aut fortuna, ſed diuino conſilio euenturam. Ego ego ſum (ait Dominus) qui veſtris deploratiſſimis moribus meritas pœnas, & ſupplicium paro.

3. *Quod nemo credet, cum narrabitur*. Ego ſum, inquit Dominus, qui non longo poſt tempore, ſed in diebus veſtris vos hoſtibus tradam, qui nulla non dira, duraque in vos exercebunt tormenta quorum haud quaquam in poſterum quiſquam hominum habebit fidem: *Nam veritas ſine ſimilitudine* (vt dixit Cicero) *non facit fidem*. Vnde illud Naſonis.

Tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides. Videtur namque ſupra fidem eſſe, quod templum omnium, quę mundus nouerat, auguſtiſſimum, quodque Deo tantę curę fuerat, ab eodem Deo deſtruendum, ſolo ęquandum, & tradendum Chaldęorum incendio: & quod ciuitatem tam egregiè ab arte, naturaque munitam aliquando in hoſtiles manus tradat, & eo redigendos miſeros ciues, vt parentes filiorum carnibus, & filij parentum extrema vrgente fame veſcerentur. Hæc ſanè incredibilia, & ſupra fidem videbantur.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Quia homines ad Deum, vt ipſe vult, amore non accedunt, terroribus, minis, ac ſupplicijs facit, vt reſepiſcant.

1. AMore, & deſiderio virtutis, potius quam timore ſuplicij mault Deus, vt homines ad ipſum accedant. Hanc ſuſpicor fuiſſe cauſam, ob quam præcepta decalogi pœnæ abſque mentione Deus intimauerit, cum tamen ſolenne, & familiare ſit omnibus legibus, cum ſanciuntur, pœnam adſcribere, vt tranſgreſſores terreantur. Et ob eamdem rationem (vt notauit Chryſoſtom. hom. 57. in cap. 16. Matthæi) cum Dominus de regno cœlorum, & gehenna diſſeruit: *Regnum quidem, vt oculis cernatur, concedit: gehennam autem minimè. Quare ſic? Quoniam rudioribus, ac ineptioribus id neceſſarium erat: probis verò, & iam perſpicacibus ſatis fuit, à melioribus confirmari, propterea hoc multò magis illum decebat*. Vt homines ad eum irent generoſa indole, & propenſione, non timore pœnæ coacti, ſed glorię amore allecti; Verùm quia plures ad Deum virtutis amor non traducit, & in ſuis ſceleribus obſtinantur: vt ab illis reſipiſcant, illis minatur Deus ſupplicia exaggerat, & ſæpè ſæpius infligit, vt vates noſter præſagit, & ſuo populo, denuntiat, non vt eos puniat, ſed vt emendet & ad meliorem frugem reducat (vt rectè dixit Seneca ex Plat. lib. de ira) *Nemo prudens punit, quia peccatum eſt: ſed ne peccetur: reuocari enim præterita non poſſunt: futura prohibentur*. Et Philo. lib. de ſacrifi. Abel. & Cain. labores, & ſupplicia à Deo inflicta cũ luce pulchrè comparauit: *Quia ſicut ſine luce videre non poſſumus, quia nec colores, nec oculi ad videndum ſufficiunt: hanc vt vinculum natura præparauit, quo coaptaretur colori oculus, nam in tenebris neuter ſuam vim exerit: eodem modo animæ oculus nullam virtutis actionem poteſt attrectare, niſi à labore, ſeù luce adiutus*. Sicut enim oculus ſine luce caligat, nec obiecta valet percipere, & ea ſuffultus acuitur, & quidquid viſibile eſt, enodatè intuetur: ſic anima virtutis pulchritudidem ſine labore, & ærumna non valet videre: & illo illuminata ſemitam virtutis perſpicuè detegit, & per viam incedit; ideòque labores, & ſupplicia infligit Deus, vt oculos mentis illuminet, & collyrio acuat, vt non noſtram, ſed ipſius voluntatem ſequamur.

2. Huc ſpectat illud Ieremiæ cap. 1. verſ. 11.

Virgam

Virgam vigilantem ego video. In Hebræo legitur. *Virgam oculis plenam*. Quia virga diuinę Iuſtitiæ, quæ homines punit, & caſtigat, dum corripit, & percutit, oculos præbet, & illos aperire facit, vt eam cognoſcant, & reſipiſcant. Hinc B. Petrus Canonic. 2. loquens de Balaami aſina ait: *In hominis voce loquens prohibuit Prophetæ inſipientiam.* Poſtquam enim Balaam aſinam verberauit. Angelum vidit diſtricto gladio ipſi minantem, quem antea non viderat; cum tamen antè conſpectum ſuum haberet. Cur ita? Rectè D. Gregorius Magnus: *Balaam poſt afflictionem aſinæ vidit Angelum: quia plerumque caro per moleſtias menti Deum indicat, quem ipſa prius non videbat* Balaam obcæcatus ante percuſſionem aſinæ Deum non videbat; at poſtquam aſinam percuſſit, gladium vidit in manu Angeli: ſic plerumquè percuſſa caro ſupplicijs, & laboribus Deum demonſtrat minantem gladio; ad hoc enim percutit, vt oculos acuat, & ad meliorem frugem traducat; nec iam homines ſuam, ſed ipſius voluntatem faciunt.

3. Pulchram quæſtionem excitat, & ſoluit D. Hieron. Epiſt. 128. ad Damaſum: cur videlicet Iſaac vir iuſtus non illi, quem diligebat, ſed cui nolebat, benedixerit? Cur Deus amico denegat viſum, vt non optata perueniat, & benedictionem, ac primogenita Iacobo conferat, ſecundogenito, & Eſau excludat, quem ius naturæ, & Patris voluntas ad benedictionem vocabat? Accipe à Hierony. pulchram ſolutionem. *Ego puto Diuinæ diſpenſationis fuiſſe, vt oculis cæcaretur eò tempore, quo filium ſanguinariæ deditũ voluptati prætermiſit, cum vellet ſuam magis voluntatem facere, quam Dei*. Quaſi dicat tales non eſſe, & ſæpè oculis orbati melius ad Dei voluntatem adimplendam accedamus, & videntes potius ad noſtram propendeamus; id circò Deus cæcitatem in Iſaac benedictionis tempore immiſit, vt non quod ille, ſed quod Deus voluerat, faceret. Priuatio enim corporalium occulorum mentis oculos acuit, vt Dei voluntatem faceret, & cæcitas ſenſibilis intellectualem auxit viſum. Ad hoc enim Deus punit, ac ferit ſupplicijs, vt quos amore, & fauore non valet reducere, minis, & laboribus conuertat, & ad ſuam voluntatem traducat.

4. Semel, & iterum Abſalon per ſeruos ſuos ad ſe vocauit Ioab: ſemel, & iterum renuit Ioab ad ipſum accedere, & inurbanè ſe excuſauit: quid tunc? Dixit Abſalon ſeruis ſuis: *Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum habentem meſſem hordei? Ite ergo, & ſuccendite eum igni. Succenderunt ergo ſerui Abſalon ſegetem igni: ſurrexitque Ioab, & venit ad Abſalon*. 2. Reg. 14. verſ. 30. Et cur, qui ad vrbanas præces Abſalon non venerat, cum ſegetes ſuas flagrare aſpicit, ſtatim ad Abſalon accedit? Fortè indignatione percitus de damno illato vindictam ſumere venit? Non inquam: nam in filium Regis inſurgere nimimè auderet. Cur igitur quem vrbana ſupplicatio non traxerat, miſera agrorum ſtrages traducit? Rectè Eucherius locum expendens. *Cur autem non venit rogatus, & poſtea venit inuitus? Niſi quia efficacior fuit ad trahendum preſſura, quam vrbana Abſalonis ſupplicatio*. Quod vrbana ſupplicatio non fecerat, ignis concluſit. Sic plerumque Deus peccatores, qui ſuis precibus ad ipſum venire recuſant, igne tribulationis inflammat, vt ad ipſum accedant oppreſſi, qui generoſa via incedere recuſarunt: qui toties venire rogati noluerunt, inuiti preſſura, & laboribus multoties veniunt; non enim Deus corripit, vt affligat, ſed vt reducat.

5. Plerumque in Scriptura Sacta ſupplicia, quæ Deus infligit, aqua vocantur. Sic Oſeæ c. 5. verſ. 10. *Effundam quaſi aquam iram meam.* & ſæpè alibi. Et cur ſupplicium aqua vocatur, non ignis, qui congruentior videbatur? Supplicium enim vrit, & conſumit, velut ignis: aqua autem talis eſt naturæ, vt non acriter vexet, licèt præ magnitudine aliquando opprimat. Quid ergò aqua habet cum ſupplicijs commune, quòd ipſi comparantur? Accipe Rupert. lib. 2. in Oſ. ca. 5. *Magnam in ipſa ira ſonat miſericordiæ memoriam; etenim captiuitas Iudæ fuit quidem peccati debita: ſed ſicut aqua viſibilis mundare ſolet ſordes corporeas: ſic illa captiuitas mundauit populi peccata, vt iam non ſupereſſet in quibuſdam videlicet tribus quidquam peccati: propter quod in Babylonica fornace lædi deberent eorum corpora*. Aqua extergit, & abluit corporis ſordes: ita ſupplica Dei quoddam piaculum ſunt, quo abluimur, & meliores reddimur: balnea ſunt noſtræ ſalutis, quibus ad meliorem frugem adducimur. Huc affert Theodo. quod Deus Hebræos iam ab Ægypto eductos introduxit in terram non ſolùm admodum arctam, & anguſtam, verùm innumeris hoſtibus occupatam: erant enim in ea regione Hethęi, Amorræi, Phærezei, & plures alij infenſi hoſtes permixti cum Hæbreis, vt ex 3. Iudic. & alijs paſſim locis planum eſt: vndè Hębrei non tam ab vna ſeruitute erepti, quàm in aliam acerbiorem præcipitari videbantur. Cur ergo, poſt tam miſerum famulatum, ad terram tot hoſtibus incommodatam transferuntur? *Vt poſteri* (inquit Theodor. quæſt. 7. in Iud.) *neceſſitate belli compulſi Dominum ad pugnandum ſecum implorarent*. Homines non niſi neceſſitate coacti, & ſupplicio vulnerati Dei recordantur, quòd vt præſtent, pijſſimus Dominus quandoque illos punit, vt in terra promiſſa fecit, & factum lamentatur noſter Propheta in Ciuitate Ieroſolyma ingruente calamitate Chaldæorum.

DISCVR-

DISCVRSVS II. MORALIS.

Noua in fide fugienda.

1. MIrum eſt, quam alacriter, & attentè homines ad noua inhiant, quam turpiter ad vetera nauſeant, & faſtidiunt. Tritum illud Pytagoræ: *Tritam viam terendam non eſſe.* Et illud: *Per viam publicam ne ambules, ſemitam ingredito nouam.* Hinc illud egregium D. Hieron. lib. 2. Apol. contra Rufin. vbi inuehitur in eos, qui nouas in ſcriptura explicationes faſtidiunt. *Cum* (inquit) *nouas ſemper expetant voluptates, & gulæ eorum vicinia maria non ſufficiant, cui in ſolo ſtudio Scripturarum veteri ſapore contenti ſunt?* Sed licet noua guſtui, & palato ſuauiora ſint: vetera tamen ſalubriora ſunt. Cant. 7. verſ. 13. aiebat Sponſa, dum Sponſo blandiri deſiderat: *Noua, & vetera ſeruaui tibi.* Et cum placere deſiderat, vetera offert, quæ communiter faſtidiunt? Crediderim, quia etſi recentiora poma delicatiora palato, ſuauiora guſtui, oculiſque gratiora videantur: vetera tamen ſalubriora longè ſunt, Ariſtol. in proble quæſt. 25. & Medicis teſtantibus, qui nouos fructus morboſos eſſe docent. Morboſa ergò timeamus, ſequamur ſalubriora, pluris facientes à Patribus accepta, quàm à nobis excogitata.

2. Circumciſionis Ioannis die octaua accedente volentibus puerum Zachariæ patris nomine compellare, renuit mater dicens Ioannem eſſe vocandum: annuit pater, qui accepto pugillari ſcripſit Luc. 1. verſ. 63. *Ioannes eſt nomen eius, & mirati ſunt vniuerſi.* Mirum eſt, quod vniuerſi, qui aderant, mirentur ſuper huius nominis impoſitione, maximè, cum ruſticani homines eſſent, & in politia nominum parum verſati. Quid mirantur, qui myſteria nominis non calebant? Audi Caiet. *De conuenientia patris, & matris in nomine nouo cognationi illi.* Cum in tota Ioannis cognatione tale nomen non inueniretur, mirantur, quod nouiter Ioannem compellent. Adeò periculoſum eſt in rebus ad fidem pertinentibus (qualis erat impoſitio nominis in circumciſione) innouare, quod & ruſticani homines mirantur, cum patres fideles conuenire vident *in nomine nouo cognationi illi*: proindeque dixerunt ad illam: *quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine*: Ad quæ verba rectè ait Stella. *Ex his verbis intelligitur: quare cognati parentis nomen puero vellent imponere: ne forſitan à nominibus ſua cognationis viderentur diſcedere, & aliud nomen inueſtigare, & ob id matris dictis non acquieſcebant, ignorantes id fieri Spiritûs Sancti opere.* Adeò ſunt nouitates, vt periculoſæ fugiendæ, præcipuè in rebus ad fidem pertinentibus, adeò præceps á maioribus in his rebus diſcedere, vt barbari, & agreſtes homines mirentur, quod fideles patres nomina innouent, & ab ijs, quæ in cognatione ſua erant vſitata, diſcendant. Quid non dicerent, & admirarentur ruſtici illi homines, ſi repetitam, vanamq; & nouam nominum cathegoricam, quæ hodie viget, & quibus nunc filij nuncupantur, viderent, quæ à parentibus, & atauis non hæreditarunt? Tunc nominibus nudis, humilibus, & ſimplicibus gaudebant, nunc autem geminatis dominationibus, & antinomijs, blaterant, & verè antinomijs, quæ qualitati, ſtatui, & meritis non conſonant. *Nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Quam multis hoc poſſet dici?

3. Ductus Ieſus à Spiritu in deſertum, vt tentaretur à diabolo poſt 40. abſtinentię dies eſuriuit: *Et accedens tentator dixit ei. Dic vt lapides iſti Panes fiant* Matth. 4 verſ. 3. *Magna ſtultitia* (ait Chryſol.) *nec tentare noſti: eſurienti blanda debebas offerre, non dura.* Et cur dœmon non ſpicas offert Chriſto fameſcenti, vt in panem conuertat? Cur non triticum, ex quo panis conficitur? Ex lapidibus enim panem efficere nouum, & inuſitatum eſt: triticum offerat, vel quid ſimile ad cibum pertinens, ſiquidem non ei erit difficile, vt facilius ad comedendum prouocet. Vt quid lapides eſurienti offert? Egregiè Greg. Niſeno rat. 4. rem verſat, & ſoluit. *Quid enim peccauit agricultura, cuius rei gratia reſpnuntur ſemina, vt cibus ex his confectus reprodetur? Cur arguitur ſapientia Creatoris, quaſi non rectè per ſemina genus humanum alat? nam ſi lapis ad cibum aptior apparet; nimirum à debita prouidentia circa vitam humanam Dei ſapientia aberrauit.* Sic fallit dœmon homines, qui fidei, & virtutis communibus, & veteribus vijs derelictis, nouas, & peregrinas quærunt ſemitas. Pane ex tritico conficere res communis eſt, & vſitata: non hoc ſuggerit dœmon, ſed lapidem in panem conuertere: vt per arduam, & nouam viam Chriſtus incedat: ſic homines inducit: obuia fidei, & virtutis à veteribus tradita de hortatur: nouas, & peregrinas ſemitas conſulit, vt ad præcipitia hos trahat.

4. Chriſto Domino ſuper aquas ambulante mirantur, & formidant diſcipuli, atque phantaſma ſuſpicantur: ſe prodit Chriſtus, & Petrus magna fiducia pelago ſe committit: cumque ſupra vndas ambulaſſet, & periclitari cępiſſet, Magiſtrum implorat. *Cumque cæpiſſet mergi: ait: Domine ſaluum me fac.* Matth. 14. verſ. 30. Cui Dominus: *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Non miror Petrum vento valido, & maris impulſu turbari: quandoquidem hic non timor fuit: nam (vt dixit Veron. Zeno) non ipſe mare, ſed mare ipſum timet. *Timet profundum intercipere non timentem.* Valde tamen miror, quòd in fide aliquantulum vacillare videatur, itaut arguatur modicæ fidei, vt exindè Caluinus, & hæreticorum turba Petrum reprehendant, & in fide dubitaſſe garriant.

Digitized by Google

Quòd etſi error ſit (vt communiter tenent Patres Petrum apologizantes, & eum in fide non defeciſſe pro viribus defendentes) tamen negari non poteſt occaſionem Chriſto præbuiſſe, vt eum modicæ fidei arguat. At vndè Petri fides ſic quaſi degenerat ab animoſa confidentia, vt reprehenſionis dignus videatur? Cur Petrus ad Chriſtum tendit, de cuius auxilio, non erat dubius, periclitari timet, & emergi? Compendiosè Chryſoſt. hom. 5. in Matt. aureis verbis. *Ad Ieſum itinere mirabili veniebat*. Quaſi diceret: Petrus non per terram, quæ ordinaria hominum, & trita via eſt ad Chriſtum venire cupiebat: ſed per vndas, quæ inuſitata, & noua ſemita hominibus eſt: cognoſcat igitur Petrus, quam ſit periculoſum à conſueta via diſcedere, vt ad Chriſtum accedat: & timeat demergi, cum per vndas, & nouum iter ad Chriſtum ire prætendit; atque modicæ fidei tunc arguatur, cum non per tritas ſemitas ambulat. Nulla enim noua, & inſueta via in fide eſt, quæ periculis non ſit plena, & ad mergendum non ducat.

5. Angelus paſtoribus denuncians Chriſtum natum, vt ſigna præbeat quibus illum inueniant, ſic ait: Luc. 2. verſ. 12. *Inuenietis infantem poſitum in præſepio*. Valde ignota ſigna Angelus paſtoribus tradit, vt Chriſtum agnoſcant, dum tantùm præmittit belluinum præſepè occupare, & inter irrationalem pecorum paſtum reclinari. Cur non cœleſtem Angelorum comitatum prænuntiat, vt cœleſti famulatu cœleſtem Regem agnoſcant, ſed abiectiſſimum tantùm reclinatorium in ſignum præbet? Scitè Bernard. ſer. 4 de Natiu. *Quid eſt quod ſola ab Angelo commendari videtur humilitas. At fortè ſpecialius commendat Angelus humilitatem, quia ruentibus cæteris per ſuperbiam, ipſe in humilitate ſtetiſſet*. Quia Angelis iter fuit, vt à Deo non diſcederent, humilitas: rectè indicarunt Paſtoribus aptiorem eſſe viam ad illum inueniendum abiecti reclinatorij humilitatem. Semper enim periculoſa eſt via non antea trita: ideò non dicunt Verbum inueniendum Choris Angelorum circumdatum, inter Virginis brachia, ſed in Præſepio humiliter iacentem, vt viam ipſis notam, & ſecuram docerent. At cur Angeli, dum Deum in carne natum paſtoribus manifeſtare deſiderant, domum non indicant, vbi erat præſepe, nec illius Dominum, quo facilius illud inuenirent? Nam præſepe quid commune eſt ferè omnibus domibus; nec his ſignis ductos facilè erat inuenire infantem. Optimè Caiet. *Ex eo enim, quod nullam aliam conditionem addidiſſet, appoſuit, quod ſolùm erat notorium, & commune*. Ad inueniendum nempè Deum per publicas, tritas, & communes doctrinas pergendum eſt. Nihil peculiare Angelus paſtoribus indicat inſignum Chriſti inueniendi, nec domum, nec Dominum, ſed præſepe, paleas, & bruta, quæ quid commune ferè omnibus ſunt: vt non per particulares vias, & notitias ſingulares eum quærant, ſed per communes, & quę omnibus obuiæ ſunt; Vndè vates noſter præſagit ſuis verbis fidem non exhibendam: ſeo quòd noua, & inuſitata loquatur; atque præter conſuetudinem, & nunquam viſa. Hic. verſ. 5. *Aſpicite in gentibus, & videte: admiramini, & obſtupeſcite: quia opus factum eſt in diebus veſtris, quòd nemo credet, cum narrabitur*.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Concionator, qui læta prædicat, gratiam: qui triſtia, odium ſibi conciliat.

1. PVlchrè carpit Senec. Epiſt. 114. Oratores illos, qui tantum placere, & blandiri ſtudent verborum florida amœnitate, & lenocinio vocum audientium aures dulciter mulcentes ſine aliqua ſpectantium vtilitate. *Non tantum in genere ſententiarum vitium eſt, ſi autem puſillæ ſunt, & pueriles, aut improbæ, & plus cauſæ, quam pudore ſaluo licet; ſed ſi floridæ ſunt, & nimis dulces: ſi inuanum exeunt, & ſine effectu, nihil amplius quam ſonant*. Quid de orationibus Apoſtolicis diceret? Quid non reprehenderet: ſi eos non modo molliter blandientes, verba dulcia, & ad palatum audientium condita affectantes; verùm etiam aliquando, quæ ſaluo pudore vix dici poſſunt, concinnantes audiret? Ità aliquorum non oratorius ſermo, ſed modulatio videtur, & hyſtrionum perſonata loquela: ſplendidis, ſonantibus, & poeticis verbis vtuntur, vt gratiam ſibi concilient, læta prædicant, placida annunciant, & in ſordes incidunt deteſtabiles. Plantauit Dominus vineam, & cum tempus appropinquaſſet fructuum, miſit ſeruos ſuos eos accipere. At quos redditus acceperunt? Auſculta text. *Agricolæ apprehenſis eis alium cæciderunt: alium occiderunt: alium verò lapidauerunt. Iterum miſit alios ſeruos plures prioribus, & fecerunt ſimiliter*. Matt. 21. verſ. 35. & 36. Cur, ſi in lege antiqua, & noua, qui redditus vineæ exigebant, tot mala ſunt perpeſſi, iam nunc nihil horum accidit? Cur modo non flagellantur, occiduntur, ac lapidantur, quinimò beneuolè, & hilariter excipiuntur? Fortè agricolę exactoribus nunc fructus reddunt? Planè nihil minus: ſunt enim quam plures agricolæ, & vinitores, qui nec Deo, nec Regi aliquid ſoluunt. Si ergò tot ſunt, qui redditus non reddant, & tot Concionatores, qui fructus exigant, cur cum debita non ſoluunt, illis non diſconueniunt, ſicut diſconuenerunt antiqui? Ieremiam enim occiderunt: Ezechiam ſimiliter: Zachariam lapidauerunt,

uerunt: Michęæ alapam impegerunt, & Baptiſtæ caput amputarunt. Cur ergò ſerui nunc non male tractantur? Niſi quia qui hodiè fructus exigunt, res cum cultoribus non agunt, ex quibus dolor, aut triſtitia oriatur: ſed potius eas,quæ ad lætitiam prouocant: conantur aures mulcere floridis verbis, non animum terrere minacibus; non vrgent eos, qui negant redditus. Nullus Prophetarum pluſquam Dauid in vitia inuehitur, & corruptos mores reprehendit, vt teſtantur illæ propoſitiones uniuerſales. *Omnis homo mendax* Pſalm. 115. verſ. 11. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum: non eſt vſq; ad vnum* Pſalm. 52. verſ. 4. Quo ergò pacto Iſaias ſerra interfectus eſt, Ieremias cauea ſepultus, alapis Michæas cæſus, & Dauid in lectulo ſuo occubuit? Cur in eum, qui tam libere populum reprehendebat, ipſe non inſurrexit, nec contra ipſum iraſcitur? Fortè ita accidit, quia Dauid ſermonibus ſuis non offendebat, nec percutiebat aures, reprehenſiones muſicè, & poeticè dicebat, ad citharam verba concinnabat, & dulciter reprehendendo, plus aures muſica mulcebat, quam cor pungebat doctrina, erat enim eius reprehenſio velut aiebat Ezech. c. 33. verſ. 32. *Quaſi carmen muſicum, quod ſuaui modo canitur.*

2. Quærit Ioſephus lib. 10. antiquitatum capi 12. agens de Daniele Propheta, cur cũ alij vates male tractarentur, Daniel non ſolum à Regibus, & populo non fuerit afflictus, verùm in ſummo pretio, & honore habitus. Omnis enim fœlicitas ei contigit, & viuens apud Reges, & populum fuit gratiſſimus, & poſt obitum glorioſam, & ſempiternam meruit memoriam. Et vndè præter conſuetudinem Dei ſeruo talis fœlicitas contigit? Niſi quia alij labores, & calamitates populo, & Regi annunciabant ſuper ipſos venturas, atque minacibus, & virulentis verbis vrgebant, vndè maxima illis triſtitia oriebatur: Daniel autem nunquam niſi res, quæ nullum illis dolorem incutiebant, prophetauit: beneuolas, & fauſtas prophetias hebdomadarum, & temporis Meſſiæ venturi, victoriaſque glorioſiſſimas, quas reportaturi erant, prædixit; exindeq; omnibus erat amabilis. *Hic* (ait Ioſepus) *bonarum rerum vates fuit, vt propter fauſtam ominationem beneuolentiam omnium ſibi conciliaret. Alij Prophetæ cum calamitates prædicarent; ideò malam gratiam apud Reges, & multitudinem vulgarem iuireut.* Sic plerumque prædicatores, qui vitia carpunt, & populo minantur pœnas, atque relaxatos mores reprehendunt, exoſi omnibus habentur. Serui, qui vrgent fructus exigunt, neceſſe eſt, vt mille patiantur labores, ac periculo famæ, & vitę ammittendę ſe ſubijciant: qui ergò inutili garrulitate aures mulcent, & populo blandiuntur, omnes ſibi gratos, & plaudentes habent: nunquam contra illos populos incaleſcit, aut aliquis ſtomachatur.

3. Miriſſimum planè eſt, quod Chriſtus Dominus, qui tot, tantaque beneficia ciuibus Ieroſolymitanis præſtitit, nunquam apud illos, vel ſaltem quidem vnius noctis aliquando hoſpitium habuit. Quare ô infœlix, & ingratiſſima Ciuitatum tot fauoribus à Deo affecta, & cumulata ipſum hoſpitio non excipis? Qui mortuos tuos ſuſcitauit, curauit infirmos, illuminauit cæcos, & pene innumera alia beneficia tibi contulit, nec ad vnius noctis ſpatium ipſum hoſpitio recipis? Quæ huius ingratitudinis ratio? Audi Rupertum in cap. 7. Matth. ad illa verba: *Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens* verſ. 29. *Magnus Magiſter, verax, & viam Dei in veritate docebat: qui inter cætera, quæ contra auaritiam illorum diſputauit, adeò nulli vnquam adulatus eſt, vt in Ieroſolyma Ciuitate magna, & populoſa, nec ſaltem vnius noctis hoſpitium aliquando habuerit.* Quid exaggeratius? Ipſe enim prædicatorum Magiſter, plenus gratia, quia etiam plenus erat veritate, & acerrimus vitiorum accuſator, in tota vrbe Ieroſolyma gratum ipſi Ciuem non inuenit, nec vnquam aliquis ipſum ad ſuam domum diuertere ſatagebat.

4. Frequenter in ſacra Pagina ingenui Concionatores per equos deſignantur, & propterea in Apoc. cap. 19. in equo albo ſedere deſcribitur Verbum Dei, & a magno quodam exercitu in equis albis conſidente conſtipari. Sic D. Greg. hunc locum accipit, & D. Ambr. de Iſaac, & anima c. 3. & præcipuè D. Hieron. in cap. 3. noſtri vatis ad illa verba. *Viam feciſti in mari equis tuis.* Si autem inquiras, cur in equis prædicatores denotentur? Auſpicor: quoniam equus animal generoſum, ac intrepidum, nulli blanditur, indiſcriminatim omnem inſidentem ipſi in terram proijcit, etiam Principem, ac Regem, ſi equitare neſcit. Ità verus Eccleſiaſtes, cuiuſcunque ſint defectus, etiam magni Principis, debet reprehendere, ſi viam veritatis, & iuſtitiæ currere neſciat: omnes æqualiter debet arguere, nec perſonas placendi ſtudio vereri. Sed quid tunc ei continget? Eleganter ex ſacro text. enucleari poteſt: ſic enim dicitur. *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis, & verax, & cum iuſtitia iudicat, & pugnat: oculi autem eius ſicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe: & veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, & vocatur nomen eius verbum Dei.* Ibi num. 11. 12. & 13. Statim antinomia horum verborum ſe ſe obijcit: nam quo pacto Equitis nomen à nemine cognoſcitur, ſi palam, & perſpicuè ſcriptũ erat: *& vocabtur* (inquit text.) *Sermo Dei*: & Statim: *Et in femore ſuo ſcriptum Rex Regum, & Dominus dominantium.* Quo ergò pacto nomen toties repetitum, & adeò enodate ſignificatum à nemine ſcire teſtatur text. ſacer? Rationem (ſuſpicor) innuit ipſe text. *Eques erat verbum Dei, & aſ-*

Digitized by Google

perſa ſanguine erat eius veſtis. Vbi primùm Dei verbum, ſermo, & doctrina rantillum ſanguinis emittit: vbi Concionator ſeuerè (vt par eſt) ac cruente peccata reprehendit: nemo eſt, qui Concionatoris nomen ſciat: *No le ſaben ſu nombre*. Nullus prædicatorem ſuo nomine cognoſcit, omnes illum infamant, & vitam ſæpè ſæpiùs eripere conantur. At cum Deo, & hominibus impoſſibile ſit placere: non hominum indignationem, ſed Dei fas eſt timere. Vndè vates noſter non veritus Proceres populi acriter, & vehementer contra ipſos inſurgit, & tubali, atque rauca, & impolita voce ſcelera reprehendit, & ingruentem calamitatem minatur. *Aſpicite in gentibus, & videte &c.* Hic verſ. 5.

Verſ. 6. Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos, gentem amaram, & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua.

Verſ. 7. Horribilis, & terribilis eſt: ex ſemetipſa iudicium, & onus eius egredietur.

ANNOTATIO VI.

Expoſitio Litteræ.

1. QVia ecce ego. Pronomen *ego* emphaſim habet, & tum ſcelerum Iudaicorum immaniratem, tum indignationem adauget. Ego ſcilicet Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus denique Patrum veſtrorum, qui mihi vos in peculium, & funiculum hæreditatis elegeram, qui quaſi pupillam oculi cuſtodire vos conſueueram: ego ipſe ſuſcitabo Chaldæos, qui meritas pœnas ſcelerum veſtrorum ſumant. In Hæbreo, Septuaginta, & in Chaldæo non eſt *ſuſcitabo*, ſed *ſuſcito*: ac præſens pro futuro ponitur, vt res citò futura intelligatur. Quòd intelligens Hieron. vertit *ſuſcitabo*. Chaldæorum nomine Babylonios intelligit Diuina ſcriptura; fuit enim Babylon chaldæarum gentium caput, atque Metropolis, propter quam etiam reliqua Meſopotamiæ, & Aſſyriæ pars Babylonia vocata eſt.

2. *Gentem amaram*: Ideſt immitem, quam nullius calamitas, aut preces ad miſericordiam inflectant, aut quia ſtudio ſibi, ac voluptati eſſe ducat alijs eſſe moleſtam, & contriſtantem omnes, vt Pſal. 63. verſ. 4. *Intenderunt arcum rem amaram*: quæ ſimilitudo à guſtatu transfertur.

3. *Velocem*. Vel quia cito aderit, vel quia feſtinanter rem agit, & moras omnes rumpit, quantumcumque graues: celeritas namque in bello plus prodeſſe ſolet, quam virtus, vt teſtatur Flauius Vegetius: Alexanderque interroganti, quomodo tam breui tempore totius orbis imperium obtinuiſſet: reſpondit: Nihil cunctando, id eſt celeritate. Seù velox gens Chaldaica vocatur, quia quamdiù (vt ſtatim dicemus) equi ad Euphratem aluntur, velociſſimi ſunt: ſic etiam Chaldæi, quibus Euphrates inſeruit, pedum pernicitate pollent, quæ in eo, qui militarem ſequitur gloriam, non exigua commendatio eſt.

4. *Ambulantem ſuper latitudinem terræ*. Ideſt, huc, & illuc, cunctas gentes laceſſunt, atque bellis cunctas inuadunt. *Vt poſſideant taberuacula non ſua*. Nec enim alienas regiones tantùm diripiunt, vt deindè in Chaldæam reuertantur, vt vos in ſpem veniatis poſſe in Palæſtina conſiſtere. Verùm hic ſcopus calamitatis eſt, quod alienas domos inhabitant, & alienis poſſeſſionibus perfruuntur. Gens eſt, quæ ſuopte ge-

ptè genio; & inclinatione ad aliarum gentium ruinam, & ſuorum finium ampliationum ſponte rapitur: quare parata eſt per ſummas etiam difficultates, & ſalebras quamlibet commoditatem conſtanter quærere. Quibus oſtendit Propheta (vt optimè aduertit Ribera) ipſos capturos Ieruſalem.

5. *Horribilis, & terribilis eſt*. Hierony. *Antequam manum inferat, antequam prorumpat in bellum, terrorem portat in vultu*. Ideſt, vel ſolo vultu, & toruo aſpectu vehementer terret, vt de Poliphemo dixit Maro.

Nec viſu facilis, nec dictu effabilis vlli.

6. *Ex ſemet ipſa iudicium, & onus eius egredietur*. Ideſt faciet, quidquid voluerit, & pro libitu hos affliget, illis parcet: nec lege, aut ratione, ſed voluntate ducetur ſua. Hæc germana huius loci interpretatio eſt: reddit autem cauſam, cur terribilem eſſe dixit. Iudicium intelligit damnationem, & pœnam: onus autem afflictionem, & vexationem: quòd ſe vidiſſe ab initio dixerat Habacuc. Relatiuum verò *eius* populum indicat Iudæorum: cuius vates recenſuerat peccata: frequens enim in Diuinis ſcripturis eſt, relatiuum ponere pro ſuo expreſſo antecedenti: Pſal. 113. verſ. 2. *Facta eſt Iudæa Sanctificatio eius*: Dei ſcilicet. Ergò ex hac immani celerrima ſtrenua, ac terribili Chaldæorum gente ſupplicium, atque vindicta ſceleratiſſimi Iudæorum Populi egreditur: ac ſi diceret Dominus: O Habacuc, quem tu tantis contaminatum flagitijs, tantis criminibus obnoxium deploras, hac ipſa rapaciſſima, nocentiſſima, & inuidiſſima Chaldæorum manu corripiam, & eorum iniquitate, labore, præda, & iniuſtitia Iudæorum vlciſcar. Ego, qui tot beneficia eis contuli, de eorum ingratitudine vindictam ſumam;

DISCVRSVS I. MORALIS.

Amore læſo nullus infenſior hoſtis.

1. SOlet *ſpretus amor in iram conuerti*: aiebat Eraſmus Ep. 3. & D. Hier. ad Hæliod. *Amor læſus iraſci debet*. Ardentiſſimus enim amor, ſi exaſperetur, in ardentiſſimum odium tranſit, & beneuolentia ſumma, ſi efferetur, in extremam ſæuitiam, & ferociam degenerat. Licèt enim amantium animos facilè conciliari videatur) vndè Ouidius lib. 1. Metamorph.

Iupiter è cælo periuria ridet amantum.)

Id, cum leuiter ſunt offenſi, accidit. Verum cum vehementer ſæuiunt, inteſtina odia generant, & ex re optima corruptio peſſima naſcitur. Tarde, & lente mutuo ſe amantes odia concipiunt, ſed more ſyluarum ignem nutriunt, qui, quo tardius flagrat, eo vehementior apparet. Amor in odium commutatus ſæuiſſimus, & implacabilis hoſtis eſt. *Difficiles fratrum diſſenſiones* (dixit Ariſtot. lib. 7. polit. cap. 6.) *& qui valdè amant, valdè odio habent*. Amor læſus omnia inſimulat: & (vt dixit Nazianz. orat. 2. Ap.) *Amor ad accuſandum acerrimus; copioſiſſimuſque eſt*. Omnia accuſat, de omnibus conqueritur, & ſanguinem offenſoris ſuſpirat: non placatur muneribus, ſatisfactionibus ſæuit, blanditijs furit, & totus ad vindictam inuehitur; ſanguine tantum ſedatur, & gaudet non parcere, dummodo non vlciſcitur; ideòque Deus ſeueriſſimum ſupplicium Iudæis infligit: quia illi, quos vehementer dilexit, ipſum grauiter offenderunt, & ipſius amorem, & beneuolentiam in fauorem tranſmutarunt.

2. Cum Chriſtus Dominus dæmonem eieciſſet ab illo homine obſeſſo, & Iudæi blaſphemaſſent, ipſum in Belzebub Principe dæmoniorum dæmonia eijcere: vt eorum ora obtunderet, & malitiam increparet, ait illis: *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei: quicumque autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, nec in hoc ſeculo, nec in futuro*. Matth. 12. verſ. 32. Difficilis valdè quæſtio, & penè indiſſolubilis oritur ex prædictis verbis; vbi peccatum quodlibet contra ſeipſum remitti poſſe Chriſtus affirmat; at contra Spiritum Sanctum irremiſſibile teſtatur, & in hoc ſeculo, & in futuro: vnde dixit Auguſt. ſuper dicta verba. *Doceo autem charitati veſtræ: fortè in omnibus ſcripturis ſanctis nulla maior quæſtio, nulla difficilior inuenitur*. Et ſanè res videtur deſperata, & omni acerbitate plena, quod peccata contra Spiritum Sanctum commiſſa irremiſſibilia ſint: maximè cum Chriſtus præmittat, peccata contra ipſum non modo remiſſibilia eſſe, ſed de facto remitti. Impar ne eſt Chriſtus Spiritui Sancto, & clementior: aut Spiritus Sanctus maior eſt Patre? Nonne eadem Deitas, & natura, quæ offenditur in Patre, & Fi-

Digitized by Google

& Filio, offenditur in Spiritu Sancto? Aut igitur omnia peccata contra Deum irremiſſibilia ſunt: aut remiſſibilia ea, quæ contra Spiritum Sanctum committuntur. Præterquamquod qui homines propter nimiam charitatem ſuam redimere venerat, & miſericordiam tantopere commendabat, eos in deſperationem trahere non decebat. Quæ namque grauitas in peccatis contra Spiritum Sanctum commiſſis reperitur, & ipſum inexorabilem reddit, quæ in peccatis contra Perſonam Verbi patratis non inueniatur? Auguſtin. ſapienter, & argutè rationem rimatur his ſubtili calamo exaratis verbis. *Quis namque ſit iſte modus contra Spiritum Sanctum, ordo poſtulat. vt dicamus: inſinuatur ſiquidem nobis in Patre authoritas in Filio natiuitas, in Spiritu Sancto Patris, & Filij communitas: quod ergo commune eſt Patri, & Filio, & per hoc nos voluerunt habere communionem, & inter nos, & ſecum: Charitas enim Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Et paulò poſt. *Et hoc fortaſſe eſt peccare in Spiritum Sanctum; ideſt per malitiam, & inuidiam impugnare charitatem.* Quaſi diceret: Ideò peccata contra Spiritum Sanctum irremiſſibilia ſunt, quia Perſona Spiritus Sancti per appropriationem amor eſt, & charitatis vinculum inter Patrem, & Filium, & inter nos; amor autem offenſus parcere neſcit. Teneantur hæc per hyperbolem dicta: nam in re tàm difficili, & quàm dirimere Patres verentur, audacia eſſet ſine metu loqui. Sic enim amor læſus exaſperatur, vt cum peccatis contra Perſonam Verbi commiſſis non difficilè parci perhibeatur, contra Spiritum Sanctum, qui amor eſt, patrata indulgentiam non conſequantur. *Et hoc fortaſſe eſt, peccare contra Spiritum Sanctum. Id eſt per malitiam, & inuidiam impugnare charitatem.* Quid exaggeratius? Amor offenſus non ſolum rigidiſſimus delator, ſed inexorabilis videtur, dum nihil parcit, & implacabilis perhibetur.

3. Cohæret cum hac ſententia id, quod Chriſtus Dominus diſcipulis ſuis dixit cum ab eorum conſortio recedebat: nam vt eos de ſua abſentia contriſtatos ſolaretur, Spititum Sanctum venturum promiſit. *Si enim non abiero, Paraclytus non veniet ad vos, & cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio.* Ioan.16. verſ. 7. & 8. Mirum eſt, quod Chriſtus diſputationem de peccatis Spiritui Sancto relinquat, & quod cum ipſe mundum multoties àrguerit de peccato, argumentum non concluſum dimittat, vt Spiritus Sanctus proſequatur, inſtet, & replicet, quod ipſi filio iure videbatur competere: nam arguere opus eſt intellectionis, & ſapientiæ, quæ filio per attributionem accommodatur, propterea quod ſapientia genita eſt, & per intellectum procedit; ſicut Spiritui Sancto characteryſtica, & perſonali proprietate amor competit, quia à voluntate procedit, quæ ratiocinari neſcit, & amare tantùm ſcit. Quo ergo pacto Spiritus Sanctus, qui voluntas eſt, argumentum proſequetur, quo Filius, qui ſapientia eſt, excitauit? Filius arguat, qui ſapientia eſt: diligat Spiritus, qui amor eſt, ne munera commutentur, & peregrinentur obiecta in alienas potentias. Verùm & ſi ſapientiæ ſit in alijs materijs arguere, in materia de peccatis amori competit; ipſi ſapientia cedit, cum de iniurijs agitur. Amor arguat, & nihil inſimulatum relinquet, nihil parcet, omnia accuſabit, & criminosè exquiret. Hoc (inquam) munus arguendi Spiritui Sancto qui amor eſt, Filius relinquat: acerrimus enim accuſator cum ſit, nihil relinquet, quod non ſcrutetur offenſus, & læſus inſimulet. Redeat iterum Auguſt. qui in materia de charitate primam cathedram tenet: ſic argutè ait ad prædicta verba relatus in catena. *Sed quid audeat dicere, quod per diſcipulos Chriſti arguat mundum Spiritus Sanctus, & non arguat Chriſtus: cum clamet Apoſtolus. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus. Quos itaque arguit Spiritus Sanctus, vtique & Chriſtus. Sed dixit: Ille arguet mundum, quia ille diffundet in cordibus veſtris charitatem.* Arguet quidem mundum de peccato Spiritus Sanctus, quia charitatem infundet in diſcipulis, quorum linguis arguet, & loquetur, non ſapientiam præbebit ad arguendum de iniurijs, ſed amorem; qui læſus nihil parcit, & omnia criminosè accuſat. Nimis cauendum eſt amorem lædere, nam ſemel exaſperatus ad extremam crudelitatem tranſit, & acerrimè omnia inſimular.

4. Ardebat amore Ioſeph laſciua vxor Puthiphar: ipſeque ab illa inſtanter, & continuè de fraſtione caſtitatis pulſatus nullo modo acquieuit, ſed potius laſciuienti fœminæ libidinem refrænare perſuaſit, & dedecus multoties repræſentauit. Illa autem libidine ęſtuans eum impetit, at ipſe pallium in manu eius dimittit, ne dimittat pudicitiam. Quid tunc illa? Acceſſit ad maritum, iuuenemque caſtum, & pudicum ſic incuſat: *Ingreſſus eſt ad me ſeruus Hebræus, quem adduxiſti, vt illuderet mihi: cumque vidiſset me clamare, reliquit pallium, & fugit foras.* Geneſ.39.verſ.17. Mira commutatio. *O impudica mulier* (ait D.Proſperus) *ardet amans, vulnus alit venis, & cæco carpitur igne; amat, & perſequitur, concupiſcit, & ſæuit, & quia ad ſtuprum non conſentit, trucidandum eum ſtatuit, quæritque punire, quem diligebat.* Cur homicidium procuras ei, quem paulò ante vehementer diligebas? Cur trucidandum ſtatuis eum, cuius amore exardebas? In iram ſpretus amor vertitur: infenſiſſimus hoſtis amor læſus eſt. Amabat ardenter laſciua mulier pulchrum, & pudicum iuuenem: ſed quia ad ſtuprum non conſentit, in iram amor vertitur, degenerat in rabiem, exaſperatur,

vſque

vſque ad inſaniam, & quem ardenter diligebat, iam iam exoptat trucidari, & capitalis criminis inſimulat.

4. Scribit Paulus ad Epheſios epiſtolam, & inter alia documenta, quæ tradit, docet coniuges fidem, & quomodo in mutua dilectione ſe debeant gerere; & poſtquam ea modeſtia, quæ decebat Apoſtolum caſtitate nitentem, & intererat doctrinæ Chriſtianæ, quam prædicabat, rem tractauit: tandem ſermonem claudit his verbis. *Verumtamen & vos ſinguli vnuſquiſque vxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat: vxor autem timeat virum ſuum.* Ad Epheſ.5. verſ.33. Et quorſum Paulus eloquentia inſignis, & verborum proprietate diſſertiſſimus ſic inconſequenter loquitur, dum de ſtatu coniugali agit, quod viro ſtrictè præcipiat vxorem ſuam diligere: vxori autem virum ſuum timere? Cur non mutuum amorem conſuluit, vt reciproca charitate redametur vterque? Amorem viro præcipit, & timorem mulieri, vt ipſi liceat virum ſuum odiſſe? Nam *timor* (vt dixit Tertulian,) *odium ſpirat*: naturaliter formidatum odio proſequimur, & inuiſum habemus; igitur qui timere præcipit, odiſſe permittit. Expediret enim vt ad inuicem mutuum amorem hortaretur, ne diuerſitate affectuum inter ſe pugnarent, nam amor, & timor antipodę ſunt, & (vt dixit Paulus) charitas foras mittit timorem. Cur igitur qui vnitatem animorum, & corporum ſic coniugibus multoties commendauit, modo timorem incutit, qui quaſi fomes ſit ad odium, & rixas? Tamen Paulus (ait Carthuſian.) id prætendit, quod deſtruere videtur, & vxorium amorem hac monitione confirmare ſatagit, ſciebat enim, quam ſit formidabilis amor offenſus: cum igitur pręmiſiſſet, maritum vxorem ſuam diligere, vxori conſulit, virum timere, ne in manus iſi amoris incidat. *Vxor autem timeat virum ſuum: id eſt*, (ait Carthuſian.) *in reuerentia habeat eum, & caſto timore formidet, ne eum offendat.* Ac ſi apertè diceret. Timeat vxor diligentem offendere, ne amor exaſperetur, & in odium tranſeat, atque inimicum ſuſcitet implacabilem. Saltem propter timorem vxor virum diligat, & maritalem amorem non offendat: caueat amorem læſum, & non ſolùm ab offenſa coniugalis tori abſtineat, ſed ab amore remiſſo, ne maritali amori impar videatur, & illum exacerbet: nam infenſiſſimi hoſtis iras experietur, & accuſatoris omnia inſimulantis odia ſubibit.

5. Minatur Dominus ciuitatem Samarię, & Ieruſalem ſub nomine meretricis, refertque quamplurima beneficia, quæ eis præſtitit, & abominationes ab eis factas, propter quas maximum de eis ſumere ſupplicium conatur, plurimuſque eſt in illo exaggerando. At, quod illuderit? Auſculta text. *Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commixta es, & omnes, quos dilexiſti cum vniuerſis, quos oderas.* Ezechiel.cap.16.verſ.37. de flagitijs Iudæ per inimicos vlciſci conſentaneum videtur: ſic enim anteà dixerat: *Et dabo te in animas odientium te, filiarum Paleſtinarum, quæ erubeſcunt in via tua ſcelerata.* Ibi v.27. Per quas Hugo intellexit Philiſthinos, qui maximè odio habebant Iudæos, quique in terram eorum ſubintrauerant, & eos ſibi ſubiugauerant, atque adeò multos Iudæorum captos tulerunt. At quod Deus tradat Ieruſalem ad eam plectendam, & ſuam iram exaggerandam, ſuis amatoribus, & qui maximè eam diligebant, quod ſupplicium eſſe poteſt? Quæ pœna ab amica manu ita grauis, vt formidanda ſit? Audi Theodoret. ad hunc locum. *Per ipſos* (inquit) *amatores tuos vlciſcar te: emulatæs Chaldæorum, Aſſyriorum, Chananæorum, & Ægyptiorum impietatem: his contra te inſtrumentis vſus debita tibi inſligam ſupplicia, & eum amatoribus tuis eos quoque quos odiſti, coniungam: vt & iſti, & illi ingentem tuam conſpiciant iniquitatem*, Graue namque ſupplicium, & omni excogitabili maius, tradi in manus amantis iam offenſi. Ægyptij enim diligebantur à Iudæis; per hos igitur de Iudæis vlciſcitur Deus: quia Iudæorum facti inimici, acerbius ſupplicium erant inflicturi: pœna enim, quæ deſcendit ab amore læſo, nulli eſt comparabilis, omnibus eſt ingentior, nam amor offenſus ſine offenſoris ſanguine non ſedatur. Hinc maximè ſupplicia ventura ſuper Ieruſalem exaggerantur à noſtro vate: quia à Deo, qui maximè eam dilexerat, deſcendebant. *Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos &c.* Hic verſ.6.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Qui ſine cauſa lædunt, non homines, ſed humanitatis monſtra ſunt.

1. NVllum horribilius, & immanius monſtrum, quam homo, qui ſine cauſa aut propriæ, aut alterius vtilitatis lædit alium: hic non affectus hominis, ſed diaboli eſt ita pernicioſi, vt hominem perſequatur, non vt eum poſſideat (vt dixit Chryſolog. ſerm.97.) ſed vt perdat: *Non vult hominem habere, ſed perdere.* Non infligit mala ob aliquam vtilitatem, ſed vt pernicioſo ſuo genio blandiatur. Eleganter dixit Tertullian. *Sine cauſa fortè amare licebit, non ſine cauſa odiſſe.* Amor enim cum generoſus affectus ſit, in ſe ipſo complacet, nec motiuo indiget externo vnde ſine cauſa amare, ingenuam indicat indolem; at ſine cauſa odiſſe nonniſi ferarum eſt. Idem rectè dixit Plutarch.lib. de vit. cupid. *Viperas magis odimus, quam Leones: quod illæ*

illæ homines interficiunt, nec interfectorum vllus illis eſt vſus. Quod Leo hominem laceret, & liguriat, non vt hominem interimat, facit, ſed vt ſe alat, & indigentiæ propriæ, atque fami, qua torquetur, occurrat: at vipera nullo victitat cadauere, nullum emolumentum ex damno illato, & morſu mortifero ſibi accreſcit: necat ſolum, vt necet; ideòque magis horribilis magiſque odio habenda, quam Leones, qui nos terrent. Quod alium lædas, & honori detrahas, vt in poſſeſſionem alterius ingrediaris, malum graue ſanè eſt; at alteri nocere in ijs, quæ tibi nullum emolumentum important, immaniſſimum ſcelus. Hinc maximè ſęuitiam, & crudelitatem Nabuchodonoſoris ingruentem ponderauit vates, eo quod ſuoptè ingenio, & pro libito ſuo, & ſine cauſa lęſurus erat Ieroſolymę Rempublicam. *Admiramini, & obſtupeſcite: quia ego ſuſcitabo Chaldæos gentem amaram &c.* Horribilis, & terribilis comminatio: cauſamque reddens, cur ſtupore digna ſit huiuſmodi impendens tribulatio, addit: *Ex ſemetipſa iudicium, & onus eius egredietur*. Id eſt, ſine cauſa, pro voluntate, & inclinatione ſua quemcumque voluerit, lędet, vel ſolo vultu terrere debet, vtpotè immanè monſtrum; nam non homo, ſed humanitatis portentum eſt, qui ſine cauſa offendit, omnibus inuiſum, & à natura, & vita relegandum.

2. Tres, eoſque illuſtres viros Ioab cruentè occidit, Abner, & Amaſa homines egregios, & benemeritos 3. Regum 2. & Abſalonem Dauid filium, idque nimis crudeliter, & iracundè, vt refert text. ſacer 2. Reg. 18. verſ. 14. *Ioab tulit lanceas in manu ſua, & confixit eas in corde Abſalon*. Quod factum fuit contra pręceptum Regis, qui ſtans iuxta portam, cum egrederetur populus, pręcepit Ioab, & Abiſai dicens: *Seruate mihi puerum Abſalon*. Inſtat mors Regis, & Salomoni ſucceſſori ſuo hęc iniungit. *Tu quoque noſti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus Principibus exercitus Iſrael Abner filio Ner, & Amaſæ filio Lether, quos occidit, & effudit ſanguinem belli in pace*. 3. Reg. 2. verſ. 5. Mirum ſanè eſt, quod iuſtiſſimus Dauid ſolum meminerit Abner, & Amaſę mortis, & de illa vindictam ſumere pręceperit Salomoni, non verò filij Abſalonis, quem efferè, & contra eius pręceptum Ioab interfecit. Fortè mortis filij vindictam Dauid non expoſcit, ne in propria cauſa ſuſpectus videretur? Qui aliorum mortem pœna capitali multare cupit, & pręcipit, ſanguinis filij effuſi non recordatur? An filium inobedientem adhuc poſt mortem exoſum habet? Cur qui mortem Abner, & Amaſę non impunitam relinquere ſatagit, Abſalonis mortem vindicari non curat? Egregiè Abulenſ. quæſt. 40. ad cap. 23. Reg. *Ioab habuit colorem occidendi Abſalon, quia pugnabat acie contra eum, & tamen non habuit colorem occidendi Amaſam, & Abner, quia non erat bellum: vnde notanter dixit Ioab, quod effudit ſanguinem belli in pace*. Non meminit Dauid interfectionis Abſalon, quamuis eum diligeret, quoniam ad eam Ioab aliquem habuit colorem, & cauſam, nempè vt ſe defenderet, & ſuam vitam turaret ab exercitu Abſalon ipſum impetente; at occidendi Abner, & Amaſam nec cauſam, nec colorem habuit, nullo enim modo merebantur mortem, nec ex illa aliquid vtilitatis reſultabat Ioab: idcirco eorum mors iniuſtiſſima fuit; proindeque neceſſario vindicanda: & qui illos occidit, vt naturę monſtrum iuſſu pijſſimi Regis ab hominum conſpectu morte exulandum.

3. Ne diſcedas à Dauid. Miriſſimum eſt, quanta ira efferbuit in Nabal, cum neceſſitate oppreſſus, & compulſus ad eum miſit beneficia proponens, quę ipſe Dauid, & eius milites ei contulerant, & paſtoribus illius: qui ſtultiſſimè reſpondit: *Quis eſt Dauid? Et quis eſt filius Eſai? Hodie increuerunt ſerui, qui fregerunt dominos ſuos*. Quid tunc Dauid? Iracundia percitus minatur vindictam ſumere ſine miſericordia de Nabal, & ei adhęrentibus, *Iratus autem Dauid ait: Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus, qui ad ipſum pertinent, vſque mingentem ad parietem*. 1. Reg. 25. verſ. 22. Quis non miretur videns patientiſſimum Regem, qui tot mala, tot perſecutiones à Saule ęquo animo erat perpeſſus, & qui illi pepercerat, cum in manus ſuas tradidit Deus, tam iratum contra Nabal, tanta ira percitum, & adiurantem totas furori laxaturum hebenas vſque ad internecionem? Cur ita exacerbatur contra Nabal, & ipſum cum ſuis delere minatur, qui tam beneuolus fuit in reliquos inimicos? Rationem reddit Theodoret. quęſt. 55. in 1. Reg. *Recordatus ergo Dauid illorum beneficiorum, auditis ſuis conuitijs, & contumelijs, magno impetu venit armatus: cogitabat enim, quod Saul occaſionem, & irritamentum iniuriæ habebat potentiam, & regni inuidiam? Iſte autem nullum habens prætextum arrogantiæ; aduersùs eum extremis vſus ſit maledictis*. Suſtinuit Dauid iniurias, & perſecutiones Saul, patienterque ſuſtulit, quia Saul habuit prętextum, nempè metum ſuę ruinę, & Dauidis, quem diligebat Iſraël exaltationis, timuit à regno deponi; ideoque Dauid non ſtomachatur contra eum: at in Nabal, qui nullam habuit cauſam, nullum prętextum, aut colorem illum conuitijs impetendi, ita efferbuit, vt illum tanquam naturę monſtrum à viuis tentauerit exulare.

4. Non parua difficultas excitatur ab interpretibus in aſſignanda cauſa, cur Deus ita exarſerit in vindictam Amalec; vt pręceperit Iſraelitis, ne eorum iniuriarum obliuiſcerentur, ſed penitus eos, & eorum nomina abolerent. Sic enim habetur Deuther. 25. verſ. 19. *Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi re-*

quiem

quiem, & ſubiecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus eſt, delebis nomen eis ſub Cœlo. Caue ne obliuiſcaris. Incredibile videbatur, quod Deus, qui tam ſtrictè pręceperat inimicis parcere, & vltionem de iniurijs illatis non ſumere, nunc tam ardenter incaleſcat contra Amalec, vt non modo memoriam iniuriarum, quas intulerunt, pręcipiat verum etiam cruentam vindictam, & ſanguinem effundere, quò nomen Amalec obliteretur. Et quę cauſa tam extremę vltionis in extrema Dei clementia? Qui ſuo exemplo nos iniurias condonare voluit, nunc ad earum vltionem inſtigat, & ſtimulat. Theodoret. q.33. in Deuther. *Primi ſuſceperunt bellum aduerſus Iſraelem: qui tamen procul erat, nec dum attigerat terminos illorum*, Adeò immane ſcelus eſt eum lędere, à quo nihil mali paſſus es, qui nullam nocendi cauſam dedit, vt voluerit Deus Amalecitas prorſus deleri; quia vt naturę monſtra indigni erant, malum abſque cauſa inferentes, vt in hominum conſortio degerent: cum procul eſſet Iſrael ab eorum confinibus, nec ab eo aliquid mali accepiſſent, vel ſuſpicarentur ſe accepturos, ipſum inuadunt, quin ab illo aliquod emolumentum prętenderent; hi verè non homines, ſed monſtra naturę erant, proindeque ab illa obliterandi: ſicut omnes illi, qui abſque aliqua ſui vtilitate alijs damnum inferunt.

5. Hoc autem innuebat Sponſus Cantic. 2. verſ. 15. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit.* Quid? Vulpes inuadunt vineas, dum florent? Si matureſcerent, tunc periculum eſſet, quod popularentur eas vulpes. At dum nec acerbi fructus ſunt, ſed tantum floreſcunt, quid intereſt, quod ipſas ingrediantur, vt eas abigere Sponſus iubeat? Verum per has vulpes, quas Sponſus capere iubet, homines capio, qui ſine cauſa, aut vtilitate lędunt, qui nocent, non vt commodum inde accipiant, ſed prorſus vt malum inferant. Vineę ergo cuſtodiendę ſunt, non tantum cum vuas habent maturas, vel acerbas, quę hominum vtilitati eſſe poſſunt; ſed etiam dum florent ſeruandę, ne ſuopte ingenio acti ob malum duntaxat inferendum, homines illas perdant: vt ſe facere gloriantur illi perditi, de quibus Sapient. 2. verſ. 8. *Coronemus nos roſis.* In Hebręo eſt: *Coronemus nos calicibus roſarum*: antequam aperiantur, cum damnum ſolum inferunt, nec vtilitatem percipiunt. Non exſpectant roſas colligere, dum apertę purpuraſcunt, vt iam ſic ob commodum nocere viderentur; ſed dum in calicibus earum purpura obtegitur, quod ſine cauſa, & emolumento fit: ſummum enim malum, & immaniſſimum ſcelus eſt. De horum numero erant, qui dicebant Ioan. 11. verſ. 47. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Et plerique, qui alijs honoris detinent inſignia, Habitus, Familiaturas, &c. quarum forſan ipſi ſunt incapaces, & vnde nullum commodum hauriunt, ſed tantum damnum inferunt, vt diabolico ſuo genio ſatis faciant, & blandiantur.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Nulla maior impietas, quam ob pietatem Dei Deum contemnere: ob impietatem hominum homines vereri.

1. **R**Ectè aiebat Liuius: *Omnium primam rem ad multitudinem imperitam efficaciſſimam Deorum metum inijciendum ratus.* Plerumque metus Dei reuerenciam melius negotiatur quam pietas; hęc enim multotics vſque ad contemptum Deum adducit, cum tamen hominum impietas reuerentiam, & ęſtimationem conſequatur: at ille contemptus, & hęc ęſtimatio, impietas maxima eſt. Impius ille Pharao poſt octavam locuſtarum plagam feſtinanter Moyſen, & Aaron compellitat, ſicque eos alloquitur. *Peccaui in Dominum veſtrum, & in vos: ſed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, & rogate Dominum veſtrum, vt auferat à me mortem iſtam.* Exod. 10. verſ. 16. Fatetur (quamuis non ex corde) peccatum ſuum commiſſum in Deum, & in hominem; cumque prius dicat (vt par erat) peccaſſe in Deum, quam in homines: tamen veniam precatur ab hominibus prius, quam à Deo. Et cur primo obſecrat Moyſen, & Aaronem quam Deum? Cur prius hominibus placere curat cum cognoſcat ſe prius Deum, quam homines offendiſſe? Quia hoc hominum ingenium eſt. Præ metu hominem veneratur, Deum præ nimia pietatis præſumptione ſtolidè contemnit. Securus, quod Deus præ nimia miſericordia iniurias facilè condonabit, ipſum negligit veritus hominum vindicatricem naturam, ipſos prius pro venia deprecatur. Hoc expertus Seneca epiſt. 94. aiebat. *Multos inueni æquos aduerſus homines, aduersùs Deos neminem.* Hæc autem maxima hominum impietas eſt.

2. Id rimari licet in altero impio Balthaſare. Opiparo conuiuio ingurgitatus oculos mittit in parietem. *Et ecce in eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regiæ. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur.* Daniel. 5. ver. 5. Si ſola hæc ſpecies animum Regis diripuit, metuque torſit, quid aget, cum interpretationem auſcultet, Exſpecta. Expendit ſcripturam Daniel cele-

Digitized by Google

celeris mortis, vaſtationiſq; Regni nuntius his verbis mœrore, metu, & infœlicitate plenis. *Mane. Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Thecel. Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens. Phares. Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis.* Ibid. verſ. 26. 27. & 28. Immoto accepit animo Balthaſar interpretationem, & quem nudi characteres, & hominis digiti atrociter turbauerant, interpretationis rigor nullum metum incutit: imò quaſi à nimio terrore ſolutus, & plenus gaudio purpura donat Danielem: *Tunc iubente Rege indutus eſt Daniel purpura, & circumdata eſt torques aurea collo eius, & prædicatum eſt de eo, quod haberet poteſtatem tertius in regno ſuo.* Ibid. Quæ cauſa diſparem indidit qualitatem? Cur qui à digitorum ſpectro timet, ad interpretationem, quæ mortem proximam annunciat, pauorem deponit animoſus? Audit regni excidium, vitæ priuationem, & gaudet hilari vultu, & corde, qui ad intuitum calami tremit, & horreſcit? Qui manum inermem videt ſcribentem;& conturbantur, ſtat intrepidus ad regni, & vitæ excidium? Quæ huius inequalitatis cauſę? Rectè Gloſ. *Non mirum ſi quamuis audiens triſtitia premium ſolueret, cum ventura, quæ audierat, non ſtatim credit; Dei enim Prophetam honorando ſe putauit veniam promereri, non tamen obtinuit: quia ſacrilegium maius fuit quam veneratio hominis Dei.* Quod videt, digiti hominis ſunt: *Quaſi manus hominis.* Quod audit, Dei ſunt minæ: *Numerauit Deus* &c. Manus hominis impius Rex timebat: ab homine ſuſpicatum excidium maximè formidat, ideòque tunc eius membra terror laxauit: at cum audit, quod Deus eſt, qui per digitos ei minatur interitum, exuit illico timorem, priſtinæque libertatis valetudinem hilaris reaſſumit. Indè hominem ſatagit honorare purpura, torque, præconio innuens Deum faciliter placandum iri, ſeq; hominem timuiſſe non Deum: qui nunc hominem veneratur, Deum non pertimeſcit. Sic plerumque Dei ſenientis rigor antè ſuſtinetur, quam creditur hominis manus, vel in prima ſuſpicione timetur: quaſi contumelioſa Deo patientia ſua eſt: qui firmiter propitiabilis ſperatur, pro nimia pietate deſpicitur, & reuerentia ipſi debita hominibus defertur.

3. Mirum eſt id, quod contigit, cum Chriſtus Dominus ad regionem Geraſenorum venit. Occurrunt ei duo demoniaci ita ſæui, & furentes, vt nemo per viam, quam ipſi habitabant, auderet tranſire. Fremunt dœmones ad Dei conſpectum: rogant, vt in porcos ſibi abire liceat. Annuit Chriſtus: tamen ſordibus grex non valens in ſe ſufferre; quod baiulant homines, præceps in mare ruit, & in aquis miſere ſuffocatur. Currunt Paſtores, & Ciuitati deferunt miracula: vniuerſaque Ciuitas exijt obuiam Chriſto. Sed quid tunc? *Et viſo eo* [inquit text.] *rogabant eum, vt tranſiret à finibus eorum.* Matth. 8. verſ. 34. Cur (quæſo) Chriſtum rogant ab eis diſcedere, qui tam beneficus fuit, & vel non rogatus tot pręclara contulit beneficia: homines à dœmone liberauit, & ſecuram viam reddidit, vt ſua munera exercere valerent? Quid eis vtilius, quam conſortium, & commercium cum homine tam ipſis munifico? Præclare Caiet ad præcitata verba. *Et fortè illi porci alicuius Gentilis erant, à quo ſibi Ciuitas timebat, ſi ſequaces fuiſſent IESV authoris talis damni, & propterea rogauerunt IESVM, vt diſcederet ab eis.* En impiorum hominum ingenium: vt hominem iratum fugiant, Deum deſerunt, & ob eius pietatem contemnunt, qui ob impietatem hominem verentur. Ne exacerbent Dominum ſordidi gregis, Chriſtum exulare à finibus ſuis ſatagunt, & verentes indignationem hominis Deum non verentur, ſeu præ nimia ſua pietate deſpiciunt. Sic perfidi illi qui ob Romanorum metum clementiſſimum Dominum à quo fatentur plura, accepiſſe beneficia, morti tradere conantur. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit* &c. *Et venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Ioan. 11. verſ. 48. Sic ipſe Dominus vt Iudæos ad ſcelerum pœnitentiam impellat magnitudinem impendentium malorum, quæ à Chaldæis illis inferenda erant, multis, ac miris modis amplificat: hoſtium namque genus, animos mores copiam, velocitatem promptitudinem, apparatum, & id generis cætera enumerat, explicat, & exaggerat, quibus maior in bello crudelitas timeri queat: vt vel ſaltem timore hominum ad Deum accedant, illumque reuereantur, qui ob pietatem ipſum contemnebant *Videte, & obſtupeſcite ecce ego ſuſcitabo Chaldæos* &c. Hic verſ. 6.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Infœlix, qui alieno malo non docetur.

1. Stultus ſanè eſt, qui alieno non erudi-tur malo, nec periculum facit alieno capite: nimis iners, & incautus, quem aliorum aduerſa non docent. *Plures* (dicebat Tacitus lib. 4. annal.) *aliorum euentis docentur.* Aliorum infœlicitatibus fœlicitantur, qui de illis medelam conficiunt, vt ſibi medeantur, & per anatomen (quam vocant, medici) in alienis infirmitatibus proprias præcauent, & mederi docentur. Vndè rectè obſeruauit Ambr. ſuper illud ad Rom. 9. *Dicit enim ſcriptura*

Digitized by Google

tura Pharaoni &c.) Pharaonem à Deo flagellatum, & percuſſum, vt vnius vindicta fieret multorum medicina; idque ſimilitudine confirmat. *Antiqui medici* (inquit) *in hominibus morte dignis, vel mortis ſententiam conſecutis requirebant, quomodo prodeſſent viuis, quæ in homine latebant, vt apertis his cognoſcerent cauſas ægritudinis, vt pœna morientis proficiat ad ſalutem viuentium*. Eſt enim aliorum pœna veluti anatome quædam, qua ab animæ infirmitatibus curamur, & artem diſcimus nobis medendi, atque præcauendi ſimilem fortunam. Miriſſimum ſanè eſt, quot mala, ſacrilegia, & abominationes Nabuchodonoſor commiſſit. Templum diripuit, illudque ſolo æquauit: ſacra vaſa ſecum aſportauit: homines captiuos duxit, & pleraque immania ſcelera, quæ non ſine magno dolore vates noſter deplorat, & tamen Deus in regnum ſuum illum reduxit: imò de eius ſalute lis eſt apud Authores, vt videre licet apud Riberam: nepotem verò eius Balthaſarem ſtatim, ac flagitia commiſit, à regno depoſuit, & vita, eiuſque animam apud inferos detrudi iuſſit. Daniel. 5. verſ. 30. Cur æquiſſimus Deus, qui tam mitis in auum fuit, ſic excandeſcit in nepotem, nec ei ſicut Nabuchodonoſori pœnitentiæ tempus præſtitit? Rationem reddit Theodor. orat. 5. ad illa verba: *Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis*. Daniel. 5. *Quia* (inquit) *Nabuchodonoſor alterum impietatis pœnas luiſſe non conſpexerat; id circò dignum venia iuſto Dei iudicio exiſtimatur; ſed iſte ſummum patris ſupplicium ſuſpicatus nihil indè percepit vtilitatis, iure itaque iuſtus Iudex illi definito tempore ſupplicium pręſcripſit*. Grauius punitur impius Balthaſar, & ſine miſericordia plectitur, quia in patris ſupplicio non eſt edoctus, nec anatome paternæ pœnæ illi aliquid profuit: miſerè enim, & irremediabiliter perit qui in aliorum ſupplicijs propria non præcauet.

2. Non leuè dubium eſt apud interpretes, vndè lamech pœnam ſibi pręſagiat, ac inferat ſeptuagies, ſepties grauiorem, quam ſumpta fuit de Caino. *Quoniam occidi* (ait text.) *Virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum, ſeptuplum vltio dabitur de Cain. de lamech verò ſeptuagies ſepties*. Geneſ. 4 Cur grauius puniendus Lamech. quam Cain: ſi hic ſciens, & volens fratrem interemit, ille verò præter intentionem, & credens beſtiam interficere, Cain occidit? Sic cum Lyrano plures tenent. Qui venia videbatur dignus, imò qui mortem fecit non ſibi imputabilem, propterea quod non deliberauit Cain interficere, cur pœna plectitur adeò graui, vt ſeptuagies ſepties excedat Cain, qui fratrem innocentem occidit? Diſpungit nodum D. Ambroſ. libr. de Cain. & Abel. cap. vlt. *Vndè in Lamech. ſeptuagies ſepties vindicatur; quia grauior culpa eius eſt, qui nec poſt damnationem ſe correxit alterius: Cain impetu quodam improuido ante peccauerat; Lamech vtique quod in altero reprehenſum aduerterat cauere debuerat*. Grauiſſimam enim culpam Lamech commiſit, & à circumſtantia plurimum aggrauatam non periculum fecit in punitione, Cain; & nondum primi homicidæ pœna ab oculis, & auribus abierat, cum mortem perpetrauit: idcircò Lamech grauius, quam Cain plectitur, quia alieno ſupplicio non fuit edoctus.

3. De Amri Adab parente dicitur 3. Reg. 16. verſ. 25. *Fecit autem Amri malum in conſpectu Domini, & operatus eſt nequiter ſuper omnes, qui fuerunt ante eum*. Magna lis torquet interpretes ſuper huius loci explanatione, & quo pacto verum ſit, quod Amri omnibus pręcedentibus Iſrael Regibus peior fuerit: nam de Ieroboam ea opinio habetur, quod peſſimus omnium extiterit, eo quòd idolatriam in Iſrael nouiter inſtituit, Iſraelitas à cultu Dei fecit recedere, & nequiter decem tribus diuiſit. *Primus namque* (vt ait Philoſophus) *in vnoquoque genere eſt menſura cęterorum*. Quamuis enim Amri veſtigia Ieroboam fuerit ſecutus, & populum idolorum cultu conſeruauerit: tamen non ipſe idolatriam introduxit, nec ſcidit tribus non ergo peio Ieroboam habendus eſt. Sed auſculta Caiet. *Quid plus mali fecit Amri, non inuenio ſcriptum autenticè: certum tamen eſt, quod grauius peccatum eius fuit, pro quanto viderat tot vltiones diuinas in prædeceſſores, & prædictas à Prophetis, & impletas*. Supra modum ingraueſcit Amri iniquitas, dum in alijs vltiones videbat adimpletas, & inflicta ſupplicia, atque incautus permanebat. Grauius peccauit, quia alienis malis non fuit eruditus; vndè non mirum quod grauius plecteretur. Summa enim nequitia, & ſtoliditas ſumma eſt videre aliena ſupplicia, & non reſipiſcere; aliorum clades, & non pœnitere.

4. Mirum ſanè eſt, quod edocta Sara ab Angelis de pariendo filio in ſenectute, & naturali impotentia, atque oraculo renuens, & de nuntio ridens, leui tantum reprehenſione mulctetur; Zacharias verò pariter eandem promiſſionem audiens, & eadem infidelitate diffidens grauiſſima pœna plectitur, & vocis carentiam patitur. *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vſque in diem quo hæc fiant; pro eo quòd non credidiſti verbis meis*. Luc. 1. verſ. 20. Cur parilis incredulitas diſpari plectitur ſupplicio, & æqualis diffidentia inæquali pœna mulctatur? Maximè cum Sara non modo non crediderit, verùm etiam immodeſtè ſe geſſerit, & quaſi deriſerit promiſſionem; Zacharias verò etſi diffidenter, & incredule promiſſum audiuit tamen non immodeſtè riſit, quaſi de re fabuloſa. Cur igitur pœna commutatur, & quæ grauiorem merebatur, leuiori corripitur, & è contra? Egregiè Ambroſ. lib. 2. in luc. *Quod ſi quia riſit Sara, reprehenditur; iſte condemnatur, qui nec oraculo*

Digitized by Google

credidit, nec exemplo. Prima ſuit Sara, quæ in naturali impotentia, quam præcognouit in Abraham, & incapacitate in ſe ad concipiendum, fœcunditatem audiuit futuram, & in re nullum aliud habebat exemplum; proindeque aliquali venia videbatur digna, quia in alia muliere non erat edocta: at Zachariam iam Sara præceſſerat, & ſimiliter Anna Samuelis mater, in illiſque potuit, & debuit erudiri, vndè grauius plectitur, quia grauius deliquerat. Supra modum enim ingraueſcit culpa illius, qui alterius ſupplicium vidit, & ad emendationem non prouocatur. Hanc fuiſſe ſuſpicor cauſam, cur Ieremias poſtquam virgam vigilantem vidit, ollam ſuccenſam fuit intuitus. *Ollam ſuccenſam ego video*. Ierem.1. verſ. 25. vt quid ſuccenſa olla ſuccedit ad vigilantem virgam? D. Hieronym. *Vt qui noluerint percutienti virga emendari, mittantur in ollam æneam, atque ſuccenſam*. Quaſi dicat? Qui in præcedentibus ſuplicijs vel ſibi, vel alijs inflictis periculum non facit, nec ad meliorem frugem, redducitur, grauius delinquit, & æternis cruciatibus infœliciter torquetur.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Qui non habet, vndè viuat, & viuit, & non laborat: aut viuit miraculo, aut furto.

1. REctè conſulit Ariſt. lib. 5. polit. c. 8. ad præcauendum rapacitatem miniſtrorum in Republica, & prætextus, quibus deprædantur populos, opus eſſe illis neceſſaria prouideri, ne munera, & eorum functiones venalia fiant: *Sed caput eſt in Republica, vt legibus, & omni alia ratione prouiſum ſit: ne qua facultas quæſtus faciendi Magiſtratibus relinquatur*. Qui enim munus ſine munere exercet, ſi ex eo non viuit, lucro, & rapinis viuere neceſſe eſt: maximè ſi munera, & commiſſiones pretio capiant: nam tunc illis indulgendum erit; quia vendere, quod emitur (vt dixit Senec. lib. 1. de benef. c. 9.) ius gentium eſt. *Prouintias ſpoliari, & Nummarium Tribunal, audita vtrimque licitatione alteri addiei non mirum: quando quæ emeris, vendere ius gentium eſt*. Qui enim nec ex munere, nec ex proprijs habet, quo licitè viuat; & viuit ſine labore: aut miraculosè viuit, aut furto. Loqnens Dauid de Manna (cibus fuit Populo Iſtraelitico miſſus in deſerto) ait: *Et pluit illis Manna ad manducandum, & panem Cæli dedit eis, panem Angelorum manducanit homo*. Pſal. 77. verſ. 24. Cur Manna Angelorum vocatur cibus, non hominum, cum homines eo veſcantur, non Angeli? Nam (vt ait Euthimius adductus à Gloſ.) *non hoc dicit, quaſi Angeli Manna veſcantur; ſed quia Angeli illud miniſtrabant*. Si ergò tantum homines, & non Angeli hoc cibo veſcebantur, & illum Angeli ſolum elaborabant, potius comedentium: quam elaborantium cibus debuit compellari. Quis proprius rem poſſidet: qui illam ſuis ſumptibus inſumit, aut qui ipſam alienis ſumptibus inſeruiens præparat, & confert? Dicatur ergo Manna cibus hominum, qui illud inſumunt, non autem Angelorum, qui illo non veſcuntur cibo, ſed tantùm elaborant. Verùm adeò Deus addixit panem noſtrum noſtro labori, vt panem non dicat noſtrum, quem manducamus, quia illum non laboramus. Cibum illum non homines, ſed Angeli laborabant: hinc panis dicitur Angelorum, etſi non manducent, quia laborem pro ipſo impendebant; non hominis, etſi manducet, quia abſque labore illum cibum capit, & quia non furto homines habebant panem, quem non laborabant, opus fuit, vt miraculo illum haberent. Qui enim viuit, veſcitur, & non habet, vndè viuat, & veſcatur, nec laborat: furto, aut miraculo viuit, & veſcitur. Recipe Ambr.lib.4. de Sacram.c.4. noſtræ cogitationi annuentem. *Vere autem magnum eſt, & diuinum miraculum, quod populo pluit Deus Manna de Cælo, & non laborabat populus, & manducabat*. Non habebat populus in deſerto vnde viueret, non laborabat, & manducabat, cum ergò non raptu vixerit, miraculo vixiſſe opus fuit.

2. Mulctat Deus primi parentis tranſgreſſionem terræ cultura. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. Gen.3. verſ. 19. vbi multi pro ſudore *laborem* vertunt. Senſus ergo eſt, quòd in multo labore panem erat comeſturus: nam ſudor non niſi ex labore, & nimia fatigatione cauſatur. Sed cur [quæſo] addit *tuo*? Nonne ſatis ſuperque erat dicere: Veſceris pane? Panis ſudore acquiſitus proprius laborantis eſt: ſi ergò Adam laboraturus erat, vt panem ex labore perciperet, ſuperfluum eſt panem illum ſuum appellare. Sed credo id myſterio appoſitum: qui enim panem ſuum manducant, ij ſanè in labore, & ſudore, vultus ſui illum manducant: qui verò non laborant, & comedunt, hi non ſuo, ſed alieno veſcuntur pane. Etenim tanquam panis noſtri correlatiuum ſignificauit Deus laborem noſtrum: *Veſceris pane tuo*. Qui enim panem manducat, & non laborat, vel miraculo veſcitur (vt populus manducabat Manna ſine labore) vel raptum manducat panem, & non ſuum, ſed panem comedit alienum.

3. Deſcribitur in Pſalm. 127. verſ. 2. fœlicitas huius vitæ promiſſa populo Iſrael in teſtamento veteri, & domeſtica beatitudo quoad

opera

Digitized by Google

opera propria; ſicque vates Regius præſagit: *Labores manuum tuarum, quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit*. Ibid. Et quæ beatitudo labor eſt?. Quæ fœlicitas manuum operationibus victitare? Caiet. inibi. *Non quia laborabit, ſed quia comedit fructum laboris ſui*. Eſt enim hæc beatitudo per excluſionem multarum miſeriarum: puta *ſeruitutis*, ſeruus enim non comedit laborem manuum ſuarum: *mendicitatis*, nam mendicus non viuit ex labore proprio: *ægritudinis*; eger enim non gaudet fructibus vineæ, & horti ſui; *prędæ*, in terra enim rapinis ſubiecta non comedit homo fructum laborum ſuorum: ergò beatus eſt per excluſionem harum miſeriarum, *qui comedit fructum laboris ſui*, vt inquit Caiet. Qui enim non fructum laboris ſui comedit, non beatus eſt, ſed infœlix fur, & latro, qui alienorum raptu viuit. Hoc enim forſan in Hæbreo innuitur, qui ita legit. *Laborem palmarum tuarum, quoniam comedes beatitudinis tuę, & bonum tibi*. Laborem enim palmarum proprius acquiritur cibus, vnguium verò alienus: nam palma, ligone, & alijs inſtrumentis laborat, quibus qui ſic laborat, beatus eſt, quoniam cibum edit, quem laborat: vngue verò alienus cibus rapitur, hoc autem non beatos, ſed infœlices reddit homines.

3. Litiganti olim populo, quiſnam ſacerdotio dignus exiſteret, & tabernaculi adminiſtrationi idoneus, præcepit Deus ſuſcipi ab vnaquaque tribu ſingulas virgas; cumque proprio tribus nomine omneſque collectas vſque ad ſequentem diem aſſeruari iuſſiſſet, vt ſignum eius, quam Dominus elegerat, appareret cuiuſque virga germinaſſet: *Sequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperam flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati ſunt. Protulit ergo Moyſes omnes virgas de conſpectu Domini ad cunctos filios Iſrael, videruntque, & receperunt ſinguli virgas ſuas*. Num. 17. verſ. 8. & 9. Lira ibid. *Viderunt ſcilicet virgam Aaron ſolum germinaſſe miraculosè*. Et vndè cognouerunt miraculosè germinaſſe virgam Aaron? Ipſe Lyra. *Recognoſcentes virgas ſuas non mutatas, & ſic viderunt ſacerdotium remanſiſſe Aaron, & filijs eius per ſignum datum à Deo*. Virga enim, quæ non habebat radicem, & flores, fructuſque ferebat, alijs virgis non mutatis, miraculosè ſanè germinabat. Qui ergo radices non habent miniſtri, virgæ iuſtitiæ, quæ magna pompa, & apparatu incedunt, quorum domus, & vxores veluti ver gemmis, & floribus veſtiuntur, fructibus abundant, ſi miraculosè non germinant, dubio abſque ex rapto viuunt. Qui radices non habet, nec aliquid, ſupra quod Deus pluat, & vernat fructibus, atque eius mulier mille folijs veſtitur, & miraculosè non viuit, & triumphat, rapina viuere neceſſe eſt.

4. Arcanè dixit Dominus ad Ierem. 1. verſ. 13. *Quid tu vides Ieremia? Et dixit: Virgam Vigilantem ego video*: Et ſtatim iterum interrogat: *Quid tu vides: Et dixi: Ollam ſuccenſam ego video*, ibi. Et cur prius virgam, & poſtea ollam vidit Propheta, & ollæ viſio virgæ viſioni ſucceſſit? Lyra ibi: *Virgam Vigiliarum, id eſt, Vigilantium, ſeu Latronum, qui vigilant de nocte quando alij dormiunt, ad faciendum furta, & habent aliquando virgam longam in extremitate vncinũ ferreum habentem, cum quo extrahunt veſtes, vel aliàs res de domibus per feneſtras*. Quæ ergò radices non habent virgæ, & manducant, & non laborant, furto germinant; ad iſtas virgas olla ſequitur. Quæ veſtium fronde, & diuitiarum fructibus abundat (ſi Aaronis virga non eſt miraculoſa) certè Ieremiæ virga vigiliarum rapax erit.

5. Ob cæcitatem Tobia, & eleemoſinas, quas fecerat, in paupertatem redacto, vxor eius Anna, vt opus textrinum exerceret, quotidiè extra domum ibat, vt de labore manum ſuarum victum deferret. Accidit autem, vt hędum accipens detuliſſet domum: cuius cum vocem balantis Tobias eius vir audiſſet, dixit: *Videte ne fortè furtiuus ſit: reddite eum Dominis ſuis; quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere*, Tobi 2. verſ. 28. Quærunt interpretes, an Tobias malè ſe geſſerit, & contra debitum fecerit dubitatione: quia cum Anna eius vxor Dei ſerua eſſet, & eius fidelitatem multipliciter haberet expertam, & probatam; non debuit habere ſuſpicionem de ipſa, nec talia verba proferre, quibus non benè de ſua vxore ſentire videbatur, vel ad minus hæſitare. Lyra tamen reſpondet Tobiam nec Deum, nec vxorem offendiſſe: *Quia pauper erat: propter quod cibaria delicata non conſueuerat habere in domo ſua*. Suſpectus fuit Tobiæ hædus; quia cum vxor non haberet, vndè emeret prudenter dubitauit, an eſſet furtiuus. Nam qui pauperem videt gulosè, & laute comedentem, & diuite veſte indutum, non temere infert ipſum furto comedere, & veſtiri. Exindeque vates noſter præſagit Chaldeos tabernacula non ſua poſſeſſuros: quia cum nullum laborem impenderent ad colendam terram, ipſius fructus percipere erant venturi. *Vt poſſideant tabernacula non ſua*, Hic verſ. 6. vbi Gloſ. *Non eſt opus arare terram, ſed viuere rapto, & poſſidere vrbes non ſuas*. Quaſi idem ſit Chaldæos non laborare, & rapto viuere, atque non ſua poſſidere.

DIS-

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Mors idea, & Paradigma vitæ eſt, non niſi miraculosè diſſimilis.

1. ETſi natura diſpares, & contrariæ, fortuna tamen pares, & conformes mors, & vita ſunt; nec vna ab altera diſſentit, ſed vtraque alteri omni ex parte conſonat, & correſpondet: ſicut in muſica prima, & vltima vox: vt enim dixit Bernard. Serm. 28. de paruis. *Qualis vita, finis ita*. Quod & Gentilibus innotuit: interrogatus enim Ariſtipus [vt refert Laertius in vita Philoſoph.] quomodo Socrates obijſſet? Reſpondit: *Vtinam ſic ego: quia bene Socrates vixit, bene obijt*. Sic capito illud egregium, & diſficillimum Tertuliani dictum, in quo maximè digladiantur eius interpretes. *Voluit Deus, & aliàs nihil ſine exemplaribus in ſua diſpoſitione molitus, paradigmate Platonico plenius humani, vel maximè initij, ac finis lineas quotidiè agere nobiſcum, manum porrigens fidei faciliùs adiuuandæ, per imagines, & parabolas, ſicut ſermonum, ità & rerum*. Quid antiquus Pater vocat *Platonicum Paradigma*? Aliqui eius interpretes (meo iudicio rectè) Mathematicam demonſtrationem intelligunt; quaſi mors demonſtratio ſenſibilis, & idea vitæ ſit. Nam ſicut ideatum ideæ in omnibus correſpondet, ita & & mors vitæ idea eſt, & quaſi Mathematica demonſtratio, quæ vel ipſis oculis cernitur, & manibus tangitur. Paradigma, & idea vitæ mors eſt, ipſi proportionaliter, & quaſi quantitatiuè correſpondens. Inter euidentias ſenſibiles Mathematica primum locum obtinet, quia fallere non poteſt; ſic mors quaſi euidentia ſenſibilis vitæ eſt, illi in omnibus correſpondens, & quæ nunquam decipere poteſt.

2. Præcepit Deus Moyſi petram percutere in deſerto, vt populo ſitienti, & murmuranti ſatisfaceret. Qui dubius de promiſſa aqua ait populo: *Nunquid de petra hac vobis aquam poterimus elicere*? Num. 20. verſ. 10. Maximè hæc Moyſis diffidentia Deum exacerbauit, itaut illum puniret priuatione ingreſſus in promiſſam terram, & non modo ipſam non fuit ingreſſus, verùm etiam illo eodem anno à vita diſceſſit, vt communiter tenent interpretes. Sed mirari licet, quod in aqua Moyſis mortis occaſionem inuenerit, atque quæ vita populo fuit iam quaſi pereunti, Mors Moyſi extiterit. Et cur populus in aqua reficitur, & Moyſes vita priuatur. Auſculta Barrad. ad illa verba Exod. 20. *Hæc eſt aqua contradictionis. Apud aquas* (inquit) *vitam inuenit Moyſes: apud aquas inuenit mortem. Apud Aquas Nili fluminis inuentus eſt infans à filia Pharaonis, & vita donatus. Apud aquas, & propter aquas contradictionis mortis ſententiam accepit*. Qui primas vitæ functiones, & infantiam in aqua habuit, mortem in aqua inuenire congruum erat. Nec breui quidem vngue mors à vita diſcedit, aut diſſimilatur. Vitæ vmbra mors eſt, vmbra autem fideliter corporis refert imaginem, nec aliquid addit, aut detrahit. Quia in aqua naſcitur, in qua moritur, quia nunquam inter ſe mors, & vita diſſentiunt, pari ſortuna fruuntur, omnique ex parte conſonant.

3. Matth. 22. v. 11. Opiparo parato conuiuio, cum qui illud parauerat, intraret, vt videret diſcumbentes, inter ipſoſque hominem notaret non veſtitum nuptiali veſte, ſed impolita, & ſordida, ſic eum repræhendit: *Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem*? D. Cyrillus Ieroſolymitanus in procemio ad Catechiſmum maximè ponderat, quod homo ille ad menſam accubuiſſet, ediſſetque, & cum iam egredi volebat fruitus conuiuio, non illum arguat Dominus, quòd egrederetur ſordida veſte indutus, ſed quod indecenter veſtitus intraſſet. *Amice quomodo huc intraſti*? Et cur recordatur ingreſſus, cum iam inſtat exitus? Fortè in exitu politior apparet, qui deſpecta veſte intrauerat, quòd tantùm ingeſſum reprehendit: Qui male videbatur ingrediens, non benè videndus erat, dum in menſa accubuit, nec cum à conuiuio egreditur. Cur igitur tantum ad ingreſſum nauſeat Dominus, & contra ipſum ſtomachatur? Rectè Cyrill. *Amice, quomodo huc intraſti? Nonne opportunè te ingredi fuerat neceſſe, vt opportunè exires? Nunc autem importunè intraſti, vt importunè eijciaris*. Fines principij reſpondent eo modo, quo voci Echo conſonat. Qui malè intrauit, non benè erat exiturus, nec fuit neceſſe exitum arguere; nam qui indecenter intrauit, indecenter exire erat indubium: ſic exitus cum introitu conformatur: ſic mors cum vita, qui non benè viuit, non bene moritur. Hinc facilè enodabitur quæſtio illa, quæ circa Chriſti Domini verba (ex cap. 12. Luc. verſ. 38.) ſolet excitari: *Et ſi venerit in ſecunda vigilia, etſi in tertia vigilia venerit, & ità inuenerit, beati ſunt ſerui illi*. Ad militarem alludit Dominus conſuetudinem, qua in quatuor vigilias diuiditur nox, vt inuigilent milites, & arces, ſiuè caſtra cuſtodiant. Quo vigiliarum tempore ſolent, & debent à ducibus inuiſi, ne ſi ſomno torpeant, imparati ab hoſtibus inuadantur. Promittit igitur ſe ad ſuos ſeruos ſecunda, & tertia vigilia venturum, vt videat, an ſomno dediti, an genio indulgeant: an verò vigilent, & bonis operibus ſint intenti: cum tamen de prima, & quarta vigilia, nec verbum proferat. Cur ergò, qui ſecunda, & tertia vigilia venturus eſt, de ſuo aduentu in prima, & quarta non loquitur? Solutio eſt è theſi noſtra perſpicua. Quatuor noctis vigilijs hominis vita in quatuor ætates partita

adum-

adumbratur. Prima infantiam, ſecunda iuuentutem, tertia virilitatem, quarta ſenectutem ſignificat. In prima ergò ætate, quæ infantia eſt, & tempus merendi, nec demerendi non obtinet, Domini ad viſitandum non eſt opus aduentu, cum nec præmia, nec ſupplicia, pro huius ætatis operibus, reprendi debeant. Quarta vigilia, quæ ſenectus eſt, & morti proximum tempus, etiam Domini viſitatione non indiget: nam quales in ſecunda, & tertia vigilia, in iuuente, ſcilicet, & virilitate ſeruos inuenerit Dominus, tales in quarta, nempè ſenectute perſtituri eſſe procul dubio videntur. Sic ſenectus virilitati reſpondet: ſic mors vitæ anteactæ ſimillima exiſtit. At dices aliquando Dominum (vt habetur Matth. 14. verſ. 25.) quarta vigilia noctis veniſſe. *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans ſuper mare*. Verùm eſt. Fateor. Sed audi diſcipulos obloquentes. *Quia Phantaſma eſt*. Ibib. verſ. 26. Tam inſolitum eſt Dominum quarta vigilia noctis venire, vt ab Apoſtolis talis aduentus Phantaſma reputetur. Sicut corporis ſupra mare ambulantis ſupernaturalis, & miraculoſus eſt greſſus: ſicut Phantaſma quid rariſſimum eſt, & inuſitatum: ita Domini in quarta vigilia noctis aduentus: ita ſenectus virilitati diſſimilis: ita mors antè actam vitam non imitans.

4. Balaam Dei populo, quem Rex Balac volebat maledici, ipſius pulchritudinem aſpiciens benedictionem impertitur, & inter ſuæ benedictionis deſideria ſibi blandiens ait: *Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia* Num. 23. verſ. 19. Cur pſeudo Propheta non vitam iuſtorum, ſed mortem exoptauit ſibi, & qui eos in morte imitari cupiebat, non ipſorum vitam ſibi exorat. Nam etſi vita iuſtorum ærumnoſa ſit, mors ſæpè ſepius in ore gladij, & in manibus inimicis ſolet ipſis accidere. Cur igitur vitæ non inuidet,& mortem petit? Egregiè Oleaſt. ad hunc locum. *Volunt homines viuere vt peccatores, & mori vt iuſti: ſed Dominus non nouit, aut conſueuit dare mortem iuſtorum, niſi iuſtis: ſicut nec mortem impiorum, niſi impijs. Viuite ergo* (*ait Auguſt.*) *benè ne memoriamini male: quoniam ſicut non poteſt eſſe mala mors, quam bona vita præceſſit: ita non poteſt eſſe bona: quam mala anticipauit. Omittamus miracula Dei, tractamus etenim ordinem eius. Audierunt impij dicere: quoniam pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum eius, & quod peſſima ſit mors peccatorum. Vtinam diceres potius. Viuat anima mea vita iuſtorum, quam vt moriatur anima tua morte iuſtorum: quoniam naturali ordine ſequitur mors bona vitam immaculatam*. Mors idea vitæ eſt, nec eam ad viuum depingeret, ſi in aliquo diſſentiret. Chimæram ideatur, qui peccatoris vitæ iuſti mortem adiungere cupit: nec hoc naturali ordine accipit, ſed ad id miraculosè Deum operari eſt neceſſe: ſapienter enim dixit Oleaſt. quod *naturali ordine mors bona ſequitur vitam immaculatam*, & quod miraculum committit. Nam portentum eſt, quod mors bona malam comitetur vitam.

5. Recenſitis ad longum Iudæorum ſceleribus, tandem promittit Deus veniam,& indulgētiam, quòd ita refert Iſaias c. 28. v. 29. *Et hoc à Domino Deo exercituum exiuit, vt mirabile faceret conſilium, & magnificaret iuſtitiam*. At quid mirum eſt, quod peccatoribus Deus veniam tribuat, vt tanquam miraculum Propheta id referat? Quid Deo connaturalius, quam veniam porrigere, & iniurias condonare? Qui ad miſericordiam naturaliter propendet (vt dixit Apoſtolus: *Deus cui proprium eſt miſereri*) opus eſt quod miraculoſa, & ſupernaturali vtatur virtute ad indulgendum, & tanquam portentum, ac quid mirabile id recenſetur? Ità quidem: audi Procopium adductum à Gloſ. *Portentum, & admiratione dignum vocat, quod Iſraeli tantis perratorum ſordibus inquinato miſericordiæ locus pateat*. Etenim neceſſe eſt, vt ille ex Dei, & extra ordinaria intercedat potentia ad hoc, vt qui malè vixerat, benè moriatur. Mirabile,& portentum eſt, quòd Deus Iſraeli tot ſceleribus inquinato parcat, & ad finalem pœnitentiam deducat; nec hoc naturaliter, & ordinaria potentia accidit. Hinc author Eccleſiaſtici cap. 51. verſ. 13. arcanè ſanè à Deo petit bonum finem: *Exaltaſti ſuper terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecatus ſum*; Quaſi dicat: Conceſſiſti mihi vitæ proſperitatem: nunc deprecor, vt bonum habeam finem. Sed cur bonum finem mortem vocat defluentem? Credo idem eſſe defluentem, ac ordinariam: Hiſpanicè *corriente* vocatur. *Lo ordinario, lo que corre, lo comun*, quæ ſuſceptis Sacramentis Eccleſiæ contingit, quæ vitæ correſpondet: nam quæ non conſonat vitæ niſi miraculosè, & extra ordinariè non accidit.

6. Refert textus ſacer, ſolennem illum ritum Iudæorum, qui crura illorum qui ad ſupplicium ducebantur, antequam expirarent, frangebant. In Caluariæ autem monte, vbi Chriſtus cum duobus latronibus erat crucifixus, non Chriſti Crura; quia iam erat mortuus, ſed latronum fregerunt: idque ſic refert Euangeliſta: *Et primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo*. Ioan. 19. verſ. 32. Communis eſt opinio Patrum, quod Ly *primi* fidelem iam, & beatum latronem demonſtrat, cuius crura primo fregerunt, & poſtea illius, qui finali impœnitentia fuit damnatus. Cumque ita acciderit, non conſequenter loqui videtur Euangeliſta: nam cum primum latronem fidelem nominauit, ſecundum infidelem debuit dicere, non alterum, & ità contexere [vt non inconſequenter loquatur] & primi quidem fregerunt crura, & ſecundi; qui crucifixus eſt cum eo; priùs enim non

non dicitur, niſi cum relatione ad ſecundum. Cur igitur qui primum dixerat, non ſecundum ait, ſed alterum? Aut ſanè vnum, & alterum dicat, aut primum, & ſecundum, ne à recta loquendi forma recedat. Sed hoc myſterioſè ita dictum ſuſpicor, vt innueret Euangeliſta, quòd ille primus latro, qui malè vixerat, & bene erat mortuus, ſecundum non erat habiturus: nam quemque mori, vt vixit, neceſſe eſt: primus enim ſine ſecundo latro fuit: ideoque cum primum nominauit, non ſecundum, ſed alterum dixit. Nam qui male viuendo bene moritur, primus, & vnus eſt, nec ſecundum habet, cum naturaliter vnuſquiſque vt viuit, moriatur. Sic enim Chaldæorum mortem, & interitum vaticinatur Propheta noſter, & quia crudeliter vexarunt Iudæos, vexatos mori ipſos præſagit. *Ex ſemetipſa iudicium, & onus eius egredietur*, Hic verſ. 7. id eſt, ait Lyra. *Ex actibus ſuis crudelibus merebitur finaliter à Domino Iudicari, & puniri.* Et Gloſ. Moralis. *Nam ex ſuis operibus finaliter condemnabitur.* Similiter Hieronym. *Sicut fecit, fiet ei, ſicut vaſtauit, vaſtabitur*,

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Vt quiſque eſt, ſic putat alios.

1. Sicut res non videtur diſtans quin prius ſit in oculo media ſpecie viſibili: ſic aliorum defectus non videntur, quin prius in nobis ſit. Vndè rectè Nazianen. orat. ad patrem. *Non facilè de aliorum malo ſuſpicatur, qui non facilè ad malum impetitur.* Ferè nemo bonus male de alijs iudicat: malus ſemper malè de alijs audit, & cogitat. Sic Cain primus homicida à Deo flagellatus aiebat. *Ejicis me à facie tua: omnis igitur qui me inuenerit, occidet me.* Geneſ. 4. verſ. 14. Quid ais ſtulte? Inter viuentes non habes parentes? Cur eos ſaltem non excludis? Nam non eſt credibile, cum te ſolum filium poſſideant, quod tuam mortem machinentur, & ſæuiant contra te. Parentum manus times, & tuo ſanguine cruentari formidas? Vndè id pertimeſcis? Rectè Chryſoſt. Humil. de Dauide, & Saul. *Plerumque vulgus hominum ex ſuo animo de alijs iudicat: velut qui ſæpè inebriatur, haud facile credere poteſt eſſe quempiam hominem ſobriè frugaliterque bibentem: qui ſcortis indulget etiam pudicè viuentes habet pro incontinentibus.* Impius de omnibus ſiniſtrè cogitat, quia ipſe ſiniſtrè operatur; idcireò Cain, quia homicida erat, omnes ſibi ſimiles iudicabat, & vel ipſos parentes interfectores putat.

2. Penè incredibile eſt, quòd cum Dominus dilucidè, & perſpicuè peccata Sodomorum, & excidium illis inferendum Abrahę ſeruo ſuo denuntiauerit; tamen ille nihil omninò contra illos Domino detulerit. Cur non ſaltem, peccata illius gentis Domino detegente, aſſentitur ea ſuo confirmans teſtimonio? Qui vicinus Sodomæ, & Gemorræ habitabat, peccata non agnouit? Stupor quidem multiplicatus erat, & aggrauatum peccatum, atque clamor nefandarum turpitudinum vſque ad cœlum ſubleuatus, & tamen Abraham ferè ad muros, & portas illius Ciuitatis habitans, quotidiè omnia oculis ſpectans, tamen neſcit quantum libidinis, & flagitiorum illic incendia æſtuarent. Quo pacto ea ignorare potuit Abraham, quod Domino reuelanti non annuit? Pulchè Procopius. *Iuſtus* (inquit) *cum foret Abraham, & cæteros mortales iuſtos eſſe credebat; quiſque enim ex ſuo ingenio alios iudicat;* Cum enim vnuſquiſque in ſe ipſo tanquam in ſpeculo, vultus aliorum componat: qui iuſtus eſt, & reprehenſibile nihil habet, ſic reliquos eſſe putat: ideòque Abraham, etſi nefandas Ciuitares, & earum flagitia intueretur, tamen ea ignorabat, quia plus credidit propriæ conſcientiæ, quam oculis.

3. Violauit ſororem ſuam Thamar frater eius Amnon, moxque eam exoſam habuit, & foras eijcit. Exijt pulchra puella mærens, & lacrimans, ipſique occurrit frater eius Abſalon, qui abſque alijs indicijs notitia facti, ratione, ſic eam eſt affatus. *Nunquid Amnon frater tuus concubuit tecum?* 2. Reg. 13. verſ. 22. Quærunt, & merito Interpretes, quomodo Abſalon tam cito, & abſque aliquo indicio concubitum Amnon cum ſorore olfecit. Ioſephus adductus à Gloſ. putat, quod Abſalon ſtuprum agnouit, eo quòd ſororem vidit diſcoopertam, & ſpoliatam pallio, quo virgines vtebantur; additque Thamar cinere ſparſo capite iuiſſe per mediam Ciuitatem clamantem, & ingemiſcentem violentiam ſibi irrogatam. Hanc tamen ſententiam confutat Lyra, & quamuis factum conſiteatur, id poſtea accidiſſe affirmat: *Hoc* (inquit) *non fecit Thamar, ſtatim cum eiecta fuit ab Amnon: quia ſe ipſam ſcandalizaſſet: ſed poſtquam venit ad domum fratris ſui.* Quod textus innuit, & liquet ex verbis Abſalon? *Sed nunc ſoror tace frater tuus eſt.* Rem enim abſconditam diuulgare prohibet; atque adeò non potuit ſe prodere, vt ait Ioſephus. Cardinalis Hugo putat ex taciturnitate Thamar intuliſſe Abſolon ſtuprum. Sed quamuis ex eo quòd nihil reſponderit Thamar, factum agnouerit Abſalon: vndè tamen illi venit in mentem cõcubitus Amnon? cum ex pluribus alijs cauſis potuiſſet Thamar ſic validis vocibus, & eiulatibus clamare; vel quia mortuus eſſet pater, vel quidquam ſimile aliud accidiſſet; Vndè ſuſpicor ex propenſione, & inclinatione, quæ inerat Abſalon ad hoc peccatum, in alio illud ſuſpicatum fuiſſe; erat enim Abſolon ita turpis, & impu-

Digitized by Google

impudicus, quod publicè torum patris violauit. Ex ſua ergò turpitudine, & laſciuia fratris turpitudinem cum Thamar collegit: quiſque enim ex ſuo genio, & inclinatione alios iudicat, idque putat facere, quod ipſe fecit, aut facere deſiderat. Indeque Abſalon concubitum intulit, quia ad ſimilem concubitum, imò turpiorem ipſe propenderat: facilè enim credunt homines alios facturos, quòd ipſis arridet, propria inclinatione ducti. Quod pulchra ſimilitudine dixit, Nazian. orat. de pac. *Eadem terra ſanis, & rectè valentibus firma, & ſtabilis, & ijs qui vertigine correpti ſunt mouetur; nimirum aſpicientium vitio ad rem inſpectam tranſeunte.* Tranſit enim vitium vniuſcuiuſque in alios, & more laborantium vertigine, vitio proprij capitis ſe circummouentis, terram tremulam indicant, cum tamen ipſa firma perſiſtat.

4. Hinc Regius Pſaltes Dominum deprecatur. *Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum, quia mandata tua iucunda.* Pſalm. 118. Petitio nimis ſtulta, & nullo fine dicta videtur. Quis malum, quòd habet, ſuſpicatur? Suſpitio non eſt rei propriæ, ſed alienæ: nam propria ſine ſuſpitione cognoſcunt, extera ſæpè ſępius diuerſis modis ſuſpicamur: de proprijs ſcientiam habemus, ſcientia autem ſuſpitionem expellit. Quid ergò Dauid hac petitione poſtulat? Egregiè Auguſt. ſuper Pſal. 118. *Quòd de alijs ſuſpicatus eſt, hoc enim procliuius homo ſuſpicatur in alio, quod ſentit in ipſo.* Quòd de alijs ſuſpicatur Dauid, proprium malum vocat; imò opprobrium: quia homo procliuis eſt ad ſuſpicandum de alijs, quòd in ſe ipſo ſentit, & quod ſuſpicatur, iam commiſit: ideòque alienum peccatum ſuſpicatum, opprobrium proprium vocat Dauid: quia à ſuſpitione ad factum beneualet conſequentia. Hoc ergò, quòd in alio ſuſpicatus eſt, à ſe ipſo amputari poſtulat, quia præſupponit illud habere: niſi enim haberet, quòd ſuſpicaretur. Annuit pulchè Card. Hugo ad prædicta verba. *Fac ne malum ſuſpicer de alio; quòd ſi faciam, eſt opprobrium meum: quia & falſum indico, & me talem, qualem eum ſuſpicor, eſſe, vel fuiſſe, oſtendo.* Quid illuſtrius?

5. Chriſtus Dominus morti proximus ſic aiebat diſcipulis ſuis: *Vnus veſtrum me traditurus eſt.* Matth. 26. & 21. Stupent omnes, & præ timore dicunt ſinguli: *Nunquid ego ſum Domine?* Quòd cum videret Dominus, ſignum præbet, vt proditorem euidenter cognoſcant. *Qui mecum manum intingit in paropſide hic me tradet* Ibi. verſ. 23. Et vlterius Iudæ interroganti an ipſe eſſet proditor, reſpondit Ibi. verſ. 25. *Tu dixiſti:* Et nihilominus his ſignis præambulis, quæ vel cæcum ad cognitionem Iudæ ducerent, ſciſcitatur Petrus. *Domine quis eſt qui tradet te?* Ioan. 21. v. 20. Importuna interrogatio: nam ſi Chriſtus Dominus quaſi digito Iudam ſignauit tot, & tam perſpicuis indicijs, ſi Petrus Iudam intingentem manum videt: cur quærit, & non iudicat illum eſſe proditorem? Optimè Auguſt. ad hunc locum. *Signum vidit: peccatum non credit; quia diſcipulus eſt Chriſti?* Diſcipulos Chriſti non decet malum de proximis ſuſpicari; quia non licet iudicare de alijs, quod in ſe non agnoſcunt: ſuſpicari enim alterius defectum, non tam eſt alienum præſumere, quam proprium prodere. Idem Ioannes refert cap. 13. verſ. 21. hac methodo: vbi enim Chriſtus præmiſit tradendum fore à proditore, quæſiuit Ioannes. *Domine quis eſt?* Reſponditque IESVS: *Cui ego intinctum panem porrexero, & cum intinxiſſet panem, dedit Iudæ.* Quod euidentiſſimum ſignum erat, ad cognoſcendum proditorem, & tamen ipſe Ioannes ait ſe, & cœteros Apoſtolos id ignoraſſe. *Hoc autem nemò ſciuit diſcumbentium.* Ibid. verſ. 28. Et quę cauſa huius quaſi affectatæ ignorantiæ? Audiendus Chryſoſt. homil. 7. in Ioan. *Nunquid, & Ioannes? Nec ipſe; nec enim putauit diſcipulum in tantam proruptùrum iniquitatem: cum enim longe à tali ſcelere abeſſent, nec de alijs ſuſpicabantur.* Audit Ioannes à Chriſto illum eſſe proditorem, cui panem intinctum Chriſtus daret, mox antè Ioannis oculos Iudæ porrigit, & tamen non ſuſpicatur Iudam eſſe proditorem. Quid? Prius cogitat Ioannes Chriſtum poſſe decipere, quam Iudam peccare abſit. Etenim cum Ioannes longè eſſet à proditione, de nullo illam ſuſpicatur, tam etſi euidentiſſima proditionis ſigna videat. Plerumque enim nemo facilè poteſt credere alienum deteſtabile facinus, niſi qui conſueuit facere. A propria conſcientia aliena diſcitur: proindeque arcanè dicitur hic verſ. 7. de Chaldæa gente, quòd ex ſemetipſa iudicium, & onus egredietur. Quod & omnibus accidit: nam vnuſquiſque ex ſemetipſo alios iudicat, & vt quiſque eſt, ſic putat alios.

DISCVRSVS VIII. MORALIS.

Tacenda parua: magna plectenda.

1. Compendium gubernatricis prudentiæ in diſſimulatione eſt. Tritum illud Ludouici II. Francorum Regis. *Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare.* Quòd & Senec. valdè Principibus commendat Epi. 83. & noſter ſapientiſſimus Seneca Philippus II. paſſim practicabat, quamplures enim maxima ſagacitate, & prudentia diſſimulabat offenſas, & ne illas plectere cogeretur, etiam illas ſcire diſſimulabat: dicebat namque: *In omnibus euentibus veram eſſe ſapientiam, quaſi non ſapien-*

tem ſe reddere. Sapiens dictum, & à Principibus, qui magnum meruere nomen practicarum: dummodo prudentia, & diſſimulatio in ſuis limitibus à ratione præſcriptis ſe contineat, nec ad deceptionem, & doloſam artem tranſeat: quod callidus Liſander ſuo Principi conſulebat, vt potentiam fraude ſuppleret; ad idque Leoninam pellem Vulpina conſuere dicebat; vt refert Plutarc. *Quo Leonis pellis attingere non poteſt, Principi aſſumendam Vulpinam*: vt dolo, & arte aſſequeretur, quod viribus, & potentia non valebat. Et quòd magis eſt, Seneca in tragedia Thyeſt. vitiorum acerrimus reprehenſor id ipſum Principibus licere dixit. *Vbicumque tantum honeſtà dominanti licent, precariò regnatur*. Dolus enim, & quæcunque alia fraudulenta ars Principes dedecet: diſſimulare autem non dolus eſt, ſed prudentia. Nam non ſemper tenemur, quæ ſcimus, reuelare: maximè cum peccata non maxima ſunt, ſed parua; tunc enim ipſa neſcire, & diſſimulatione parcere, prudentia eſt, quam conſulit Cornelius Tacitus in vita Agricolæ. *Paruis peccatis veniam, magnis ſeueritatem commodare; nec pœna ſempar, ſed ſæpiùs pœnitentia contentos eſſe*. & D.Bernard. ad Eugenium in laudem ipſius dicebat: *Pauca caſtigas, multa diſſimulas*. Quo ſpectat illud Ouidianum.

> *Si quoties peccant homines: ſua fulmina mittat.*
> *Iupiter: exiguo tempore inermis erit.*

2. Hinc ille Pater familias, qui triticum zizanijs admixtum recognouit, non ſinit ſeruos zizania eradicare. *Ne fortè* (inquiit) *colligentes zizania, eradicetis, & triticum*. Matth. 13. verſ. 29. Ad quæ verba D. Auguſt. ſerm. 48. *Etiam ipſa zizania in triticum ſæpè tranſmutantur: diſſimulatione namque parua peccatores conuertuntur*. Multoties parua peccata punita ſæuiunt: condonata autem emendantur: magna enim ſemper plectenda ſunt; quia exemplo officiunt, & pœnitentiæ locum non relinquunt.

3. Audiuit Dominus clamorem peccati Sodomorum vſque ad Cœlos pertingentem, & quaſi ira percitus citò ad vindictam accedit. Geneſ. 18. verſ. 20. & 21. *Clamor Sodomorum, & & Gomorræorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint*. Et cur patientiſſimus Dominus patientiam prætermiſit, & diem extremi iudicij exſpectare noluit, ſed igne illius diei, antequam perueniret, nefandas Ciuitates ſuccendit? Quis non miretur, quòd qui tam pronus eſt ad miſericordiam, tam præceps ſit ad vindictam, & qui nondum peccatum conſummatum agnouit, ad ipſum plectendum accedat? Quæ huius celeritatis cauſa? Pulchrè Alcuin. quæſt. 179. *Et tamen ſine tarditate percuſſit, cum verum agnoſcendo reperit, vt nobis videlicet daret exemplum, quia maiora crimina, & tardè credenda ſunt, cum audiuntur, & citius puniendа, cum veraciter agnoſcuntur*. Nunquam magna crimina permittenda ſunt, ne exemplo, quod malitioſè ſerpit in omnes, omnes lædantur, ſed quamprimum ſuccidenda. Non leuiter eis fidem adhibere licet: priùs ſunt intuenda, & contrectanda, ne bona proximi opinio deuenuſtetur: at cum manifeſta fiunt, in ſupplicio non eſt immorandum: ſatis eſt ſi minora permittantur diutius ſubſiſtere.

4. Iacob cum tota familia è Moſopotamia redeunte, & habitante propè Sichen, Dina eius filia nimis curioſa egreditur, vt regionis illius mulieres inſpiciat. Accidit autem, quòd Sichen filius Hæmor illius ditionis Princeps illam vidit, & amore captus rapuit eam, oppreſſit, ac de eius pudicitia triumphauit. *Quòd cum audiſſet Iacob* (inquit tex. Gen. 34. verſ. 5.) *abſentibus filijs, & in paſtu pecorum occupatis, ſiluit, donec redirent*. Seù vt ex Hebreo legit Oleaſt. *Surdum ſe exhibuit, quaſi non audiret filiæ ſtuprum*. At quis crederet, quòd nobiliſſimus Patriarcha in tanto dedecore ſurdum ſe exhiberet, & non ſtatim in tragicam, & cruentam Sichimorum cladem irrumperet? Videt familiæ honorem deuenuſtatum, conſtupratam filiam, & tacet, ac diſſimulat? Surdum ſe exhibet filiæ, & nobilitatis clamoribus? Ità enim (ait Oleaſt.) ità ſe geſſit, & prudenter tacuit. *Oportet* (inquit) *prudenter hominem multa nolle audire; ne cogatur cum diſcrimine vitæ honorem tueri. Sic Saul fecit, cum in Regem vnctus eſſet: quæ enim honorem tangunt, melius diſſimulantur, quam dicuntur. Qui enim de his conqueritur, opprobrium ſuum diuulgat*. Conſonat Lyra, qui Iacob ſubſtinuiſſe ait: *Opprobrium diſſimulando prudenter, quod non poterat emendare*. Timuit Iacob ſi ſe offenſum oſtenderet, quod flagitioſiora delicta euenire poterant, quin damnum illatum repararet; ideòque prudenter diſſimulauit infamiam, & ratum habuit tolerare pauliſper minora, vt iam perpetratum melius emendaret. Sic vir prudens ſemper minora diſſimulat, ne maiora oriantur: at vltima, & grauiora nec ad momentum ſuſtinet.

5. Dauid de iuſto, & ſuæ innocentiæ ſtudioſo loquens aiebat Pſalm. 1. verſ. 1. *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit*. Non petitur à bono viro, quod non abeat in via peccatorum, licèt ab ea recedere melius ſit: ſed quod non ſtet, quod non diutiùs moretur, & in illa permaneat: verùm ad impiorum conſilium, & conſortium, nec abire permittitur. Et cur non conceditur benè morato viro ire ad conſilium impiorum, dummodo in illo non ſtet, nec impijs cooperetur? Fortè proderit impijs iuſti conſortium, & ipſi conſortium impiorum non nocebit. Cur cui permittitur abire in viam peccatorum, dummodo in illa non perſeueret,

in con-

Digitized by Google

in conſilio impiorum abire non conceditur? Rectè Ambr. *Non à te exigit, quòd vltra naturam eſt, vt peccatum non facias; ſed vt non maneas in peccato quodam ſtatione diurna: in grauiora non abeas: in leuioribus ne ſtes.* Ac ſi dicat: In conſilio impiorum magna crimina perpetrantur: in peccatorum ordinaria via minora putantur delicta: magna ergò crimina, nec ad inſtans admittenda: minora quis prudens non admittit? Satis enim ſi per correctionem non maneant diutius: *In grauiora neabeas, in leuioribus neſtes.* Nunquam grauiora delicta, vel ad momentum, ſunt permittenda, ſed quam citius occidenda, trucidanda: quæ minora ſunt, diſſimulatione plerumque melius emendantur: ſubſiſtere non permittendum eſt, tamen eis parcere plurimum ad emendationem conducit. Exindeque hic verſ. 7. ab ipſamet atrocitate, & criminum impudentia onus ſupplicij, & caſtigatio egredi dicitur: *Ex ſemetipſa iudicium, & onus egredietur*: quia inſolens Chaldæorum dominatio non patitur moram in vindicta, nec diſſimulationi locum relinquit.

Verſ. 8. Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis veſpertinis, & diffundentur equites eius: equites namque eius de longe venient: volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum.

Verſ. 9. Omnes ad prædam venient: facies eorum ventus vrens, & congregabit quaſi arenam captiuitatem.

ANNOTATIO VII.

Expoſitio Litteræ.

1. Leuiores pardis equi eius. Pardus ad Leonis naturam proximè accedit, maculoſam pellem habet, & ſæuitiam non minorem, quam Leo; ſed celeritatem longe maiorem: propter hanc hoſtes Iudæorum, ideſt Chaldæi dicuntur pardi. Ierem. 5. verſ. 6. *Pardus vigilans ſuper Ciuitatem eorum: omnis qui egreſſus fuerit ex eis, capietur.* Et pardis eorumdem equi comparantur; quia pardis velocitatem non tàm ad fugiendum, quàm ad perſequendum, & nocendum conceſſit natura; Ideóque cum ſæuitia coniuncta eſt. Sic equi Caldæorum veloces erunt ad nocendum, ad comprehendendum fugitiuos, & ad proterendum, & conculcandum hoſtes.

2. *Et velociores Lupis veſpertinis.* Lupi veſpertini, aut nocturni dicuntur: quia tunc maximè fame cruciantur, & acerrimè ſæuiunt. Quidam quoddam opinantur eſſe Luporum genus, quorum velocitas magis eſt nota, & crudelitas maior: qualeeſſe creditur in Arabia. Et Septuag. vertunt. *Velociores ſuper Lupos Arabiæ.* Ego quidem cum Sanchez exiſtimo hoſce Lupos non pertinere ad Arabiam, licèt in Arabia fortaſſe Lupi ſint veloces, & feri, quique optimè equorum, qui ad Euphratem aluntur; naturam, & celeritatem exprimunt. Sed arbitror potius Luporum exprimi celeritatem, & rabiem, quæ tunc apparent maximè, cum tempus aduenit nocturnum, ſeù quod idem eſt, veſpertinum: tunc enim cum fames vrgeat in ieiunio ventre (quia interdiù Lupi cum prædari non audeant, totum diem tranſeunt per inediam) vbi primum obrepere nox incipit, è cubilibus ſuis ad prædam egrediuntur. Quòd etiam alijs feris vſitatum eſt, & apertè traditur Pſalm. 103. verſ. 20. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ: catuli Leonum* rugien-

rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt: & in cubilibus ſuis collocabuntur. Nocturnos igitur Lupos, ſeù veſperrinos plerique volunt, quod nocturno potiſſimum tempore prædas agant, atque cibos conquirant. Veſperè quippè vocabulo noctem ſignificari Hebræis familiare eſt, vt conſtat ex illo Gen. 1. verſ. 5. *Factum eſt veſpere, & mane dies vnus.* De hoc igitur Luporum ingenio optimè. Virgil. lib. 7. Æneid.

At veluti pleno Lupus inſidiatus ouili,
Nocte ſuper media, tuti ſub matribus agni
Balatum exercent: illi aſper, & improbus ira
Sæuit in abſentes, collecta fatigat edenti,
Ex longo rabies, & ſiccæ ſanguine fauces.

3. *Et diffundentur equites eius.* Paraphraſt. Chaldæus vertit. *Et multiplicabuntur equites eius.* Cui Vatab. & Pagnin. aſſentiunt. Hincque Hebraizantes, & interpretes ferè omnes his verbis maximam equitum multitudinem ſignificari autumant, numeroſaſque turmas Chaldæorum in pernicem Iudęorum venturas, quod & alij verbum *diffundere* ſatis exprimere putauerunt: quaſi eos nullus capere locus, alere nulla regio ſufficiat; proindeque neceſſarium ſit eos diffundi, vt prædas exerceant: quemadmodum aquilæ partiuntur inter ſe, ſuiſque predis regiones determinant; quoniam ſuper modum earum filij fame cruciantur, itaut vna regio vix ſatis ſit, vt vel binos pullos educare queant.

4. *Equites namque eius de longe venient.* Explicat, cùr tanta futura ſit equitum multitudo, quia de longiſſimis regionibus cogentur milites, vel euocati imperio, vel mercede conducti: ſic Ribera, & Sanchez. Sed cum Gueuara plenum eſſe emphaſi exiſtimo verbum illud *de longe*, procul & à nobis diſſita regione, & cum quibus nulla commercia, nulla eſt nobis vicinitas, vel conuerſatio, nullaque linguarum communitas: quod maiorem terrorem incutit. Longinquorum ergò hoſtium inuaſionem, cum quibus nullum commercium habebat Ieruſalem, ſignificat Propheta, vt eorum immanitatem ponderaret: de longè autem, id eſt, de Babylone, vt Ezechia apud Iſaiam c. 36. *De terra longinqua venerunt ad me*: id eſt de Babylone.

5. *Volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum.* Aquila in volando pernitioſiſſimi eſt impetus, itaut in prouerbium abierit: *Aquilam volare doces.* Comparatur ergò exercitus Chaldęorum aquilę, tum ob velocitatem, qua aſſequitur alta, & ardua ſuperat: tùm ob robur, quo ęgreditur magna: tùm vel maximè, quia rapto viuit, ac prędа delectatur, & ſanguine.

6. *Omnes ad prædam venient: facies eorum ventus vrens.* Volabunt (inquit Propheta) non tàm ad bellum, quàm ad prędam, & rapinam: quocunque peruenerint, vaſtabunt omnia, & obuia quæque proſternent: diripient vniuerſa, & incendent, non ſecus, ac pernitioſiſſimus Eurus omnia conſumit, de quo Sappho apud Naſonem in ſua epiſt:

Vror, vt indomitis ignem exercentibus Euris
Fertilis accenſis meſſibus ardet ager.

7. *Et congregabit quaſi arenam captiuitatem.* Id eſt, immunerabiles captiuos congregabit, ſicut arena innumerabilis eſt. Hęc (inquam) Chaldęorum gens, vel eius Rex Nabuchodonoſor penè infinitos Iudęos vinctos habebit. Eadem ſimilitudine vſus eſt Iſaias cap. 17. verſ. 13. *Fugiet procul, & rapietur ſicut puluis montium à facie venti.*

DIS-

DISCVRSVS I. MORALIS.

Aliena rapere, & eis vti tanquam proprijs, proprium potentum ingenium.

1. Mirum eſt quanta pernicitate, & ſęuitia Nabuchodonoſor, & eius gens efferа ad diripiendos Iudæos, & deprædandas eorum domos, & regiones ſe atmauerit, vt non ſolum tanquam pardus, Aquila, aliaque carniuora animalia ad id ſe diffunderet, verùm etiam ipſa bruta in deprædatione antecelleret: vt enim rectè ait Auguſt. maior eſt horum hominum cupiditas, quam feratũ. *Cum ipſe belluæ habeant modum; tunc enim rapiunt, quando eſuriunt; parcunt verò prædæ, cum habent ſatietatem: inexplebilis eſt ſola auaritia diuitis: ſemper rapit, nunquam ſatiatur.* Potentiorum cupiditas infirmitas eſt incurabilis, quia nunquam ſatiatur, & (vt pulchrè dixit Senec.) *Tantùm illi deeſt, quantum cupit.* Concupiſcit non poſſeſſa, non ſolùm vt ſuo deſiderio blandiatur; ſed quia ea ſua exiſtimat. De omnibus autumant licitè diſponere poſſe, & ad ſuam ditionem omnia trahere conantur: aliena tanquam ſua exigunt, & omnia poſſidere ſuſpirant, quia ſua iudicant. Hinc lucem capit difficilis, & arduus text. Exod. 3. verſ. 1. vbi dicitur, quòd Deus quædam Moyſi reuelauit in Ægypto in domo Pharaonis: idque accidit, cum primo Moyſem Deus fuit allocutus. Contra quòd ipſe text. facer pugnat, quia Deus non ſe primo reuelauit Moyſi in Ægypto commoranti, ſed in deſerto Madian oues paſcenti, vt conſtat Exod. 3. Imò & cum ſe Aaroni voluit reuelare. egredi eum iuſſit ab Ægypto in deſertum, & occurrere fratri ſuo Moyſi Exod. 4. verſ. 27. Quo ergò pacto hæc reuelatio dicitur, quod facta fuit in Ægypto in domo Pharaonis? Fortè domus impij Regis deſertum Deo eſt, vt reuelatio facta in deſerto in domo Regis dicatur accidiſſe? Non incongruè hoc aliquis cogitaret: ſed ad noſtrum inſtitutum credo id ità dictum, quia deſertum Madian in ditione erat Pharaonis, & ad ſuum dominium pertinebat: tyranni autem Reges quid quid in dominio ſuo eſt, pro domo ſua habent: nec minus licenter alienis domibus, & bonis vtuntur, quam proprijs: omnia ſua eſſe cogitant, & ſuis voluptatibus inſeruire conantur.

2. Iſaias 2. verſ. 7. hominum iniuſtitias deplorans, & Principum cupiditatem reprehendens aiebat: *Repleta eſt terra argento, & auro, & non eſt finis theſaurorum eius* Non hoc ipſi Principes, quos arguit dicerent. Nec facilè eſt inueſtigare, quo pacto theſauri Principum Iſrael dicantur non habere finem. Licèt enim magni, & ingentes eſſent, nentiquam infiniti poſſent nuncupari: maximè quia Reges, & potentes diuitijs plurimis indigent ad pondus belli ſubſtinendum, & miniſtris ſtipendia ſoluenda. Vndè vbi dicitur Iob 18. v. 14. *Calcet ſuper eum, quaſi Rex interitus:* loquendo de mortis tyrannide, Septuag. legunt: *Teneat neceſſitas cauſa regali:* quaſi nihil aptius inueniſſet, vt tyrannidem mortis indicaret, quæ nemini parcit, ſed omnia ſpoliat, ac illam conferre cum neceſſitate, & indigentia Regis. Nulla enim magis arcta pecunia, quam Regum, quia ſemper egent, ac ſuis ſumptibus, & bellis neceſſaria deficiunt: quia nec in his æquitas, nec in illis modeſtia quid deceat, docet. Quo ergò pacto finem non habent regales theſauri Principum Iſrael? Egregiè Hieron. ad pręcitata verba. *Non eſt finis theſaurorum eius: non quod theſauri finem non habent; ſed quod poſſidentium animus impletur.* Nunquam potentum deſideria ſatiantur: ſemper aliena ſuſpirant, & ſua iudicant: ideòque finem non habent eorum peculia, quia ad ea pertinere putant, quidquid pulchrum, & prætioſum terra habet. Licèt enim ingentes theſauros poſſideant, adhuc ad finem non perueniunt, quia deſideria habent vacua, dum non omnes ſpoliant.

3. Iacob benedictionem impertiens filijs ſuis ſic Aſer fauſta, & proſpera præſagit. *Aſer pinguis panis eius, & præbebit delitias Regibus.* Geneſ. 49. verſ. 20. Et quid ſanctiſſimus Patriarcha hac benedictione eſt auguratus, & filio ſuo optabat, & prædicebat habiturum? *Per hoc* (inquit Lyr.) *deſignatur ſors Aſer inuictualibus; quia nomine panis omnis cibus deſignatur.* Fœliciſſimum inter omnes Iacob filios Aſer iudicabis, dum eum nullo egere victu, & omnibus delitijs abundare audis, atque delitioſas dapes ſemper ad menſam habiturum. At licet hæc fauſta benedictio videatur, & à patre veniens benefico, in maledictionem verti, dum cibos Regibus parare dicitur, non eſt dubium. At dubium eſt, quo pacto Aſer delitias Regibus præparare dicatur: nam de illo nunquam dicitur, quod Regibus inſeruiret. Quo ergò pacto parat, & condit regales cibos, & Iacob non dedignatur filium, quem benedicebat, in parandorum ciborum miniſterio inſeruire? Pręclarè, & enodatè Oleaſt. *Hoc malum* (inquit) *habent ij, qui aliquid pulchrum, & delitioſum habent, quod non tam ſibi, quàm Regibus & Magnatibus habere videntur.* Quidquid pulchrum, & optimum eſt, ſibi cupiunt Reges: iure omnia poſſidere cogitant: licèt enim Aſer non Regibus, ſed ſibi delitioſos cibos paret, tamen Regibus parare dicitur; quia eorum voluptati, quidquid ipſis placet, condietur. Proſperitas, & abundantia à Patre deſcendit, verùm à potentum malitia, & cupiditate eius ſpoliatio. Quod ipſis arridet, ſuo pala-

palato conditur, nec proprietarius, qui habet, dicendus eſt, ſed depoſitarius voluntati Regis obnoxius: non benedictus, & igenuus poſſeſſor, ſed adminiſter vili famulatu deſeruiens.

4. Poſtulabant Regem filij Iſrael,& inſtanter Deum agitabant, vt Principem eis deſignaret, qui pacis, belliq́ue ſummam gubernaret. Vt autem Dominus illos à ſtulto, & pernicioſo deſiderio diuerteret, per Samuelem leges populo intimauit, quas ſacer textus vocat Regum iura: *Prædic eis ius Regis*. 1.Reg.8.verſ. 9. Quæ ſi rectè expendantur, non iura, ſed maxima tyrannis videtur. Auſculta tex. *Agros veſtros, & olineta, & optima tollet, & dabit ſeruis ſuis: filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis* Ibid. v.11. Non miror, quòd Reges tyrannicè agant ſubditos ſpoliando, hoc enim innatum vitium potentioribus eſt: ſed valdè miror, quòd Deus ius appellet huiuſmodi rapacitatem. Optima quæque aliorum accipere, & proprijs vſibus, & voluptatibus deſtinare ius dicitur, & iuſtitia compellatur? Ergò licebit Regibus huiuſmodi prædis vti? Si rapina ius Regis eſt: ea viuere, & ad aliorum agros poſſidendos, fructus diſcerpendos, & pulchra quæque ſibi addicenda licebit accedere? Si Deus, qui imperia diſtribuit, & tribuit iura, ius Regum huiuſmodi rapacitatem vocat, ea vtì non turpè, & imputabilè erit? Ergò ſolùm deeſt, vt rapinam iubeat, qui eam ius appellat? Acutè Caiet. *Annota, quod dicendo ius, ſiuè iudicium Regis, diminuendo rationem iuris, & iudicij dicitur: ita quòd limitatur iudicium conditione etiam diminuente, & non eſt ſenſus: quòd infraſcripta ſint iuris, ſed iuris Regis: hoc eſt, erunt iuris, quia Rex volet eſſe ius*. Hoc enim illis eſt ingenium, vt omnia iure ſuo dicant eſſe ſua. Omnia ſuæ ditioni dicant, omnia diripiunt, & omnibus vtuntur tanquam proprijs; quia ſui iuris eſſe putant. Hoc non ius, ſed tyrannis eſt: & tamen potentes tyrannidem in iura conuertunt, & ſui iuris credunt, quidquid ipſis placet, & ſuo deſiderio arridet. Iura vnumquemque in poſſeſſione ſuorum tuentur: at potentiorum ius iura euertit, nec aliud ius recognoſcunt, præter ſuam voluntatem. Sed de hoc alibi fuſius.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Æquiori animo Deus ſuas, quam iuſtorum fert iniurias: Iuſti ſuas, quam Dei.

1. PAtientiſſimus cum ſit Deus ad offenſas ſibi irrogatas ſuſtinendas, ad iuſtorum iniurias impatientiſſimus eſt: nihil mali ipſis inferri patitur: *Omnia mala* (aiebat Senec. de prouid. c. 6.) *ab illis remouet: ſcelera, & flagitia, & cogitationes improbas, & auida conſilia, & libidinem cæcam, & alieno imminentem auaritiam: ipſos tuetur, ac vindicat. Numquid hoc quoque à Deo aliquis exigit, vt bonorum virorum etiam ſarcinas ſeruet? Remittunt ipſi hanc Deo curam*. Proprias iniurias conſtanter ſuſtinere, & generosè parcere magni animi eſt; alienas vindicare diuini. Blaſphemauit contra Deum homo quidam (Leuit.24.verſ.14.) & Moyſi ore impauido detraxit: inſimulatus à populo adducitur coram Moyſe, qui Deum conſulens de ſupplicio, ſic reſponſum accepit iuxta 70. verſionem. *Educ eum; qui maledixit, extra caſtra, & lapidet cum omnis populus*. Duplex ille homo commiſit flagitium: nam murmurauit aduerſus Moyſem, illum maledicens, ac de Deo blaſphemauit: & tamen cum Deus illum iubet puniri, blaſphemiæ non meminit, & plecti tantum propter detractionem contra Moyſem præcipit. *Educ eum, qui maledixit*. Et cur cum de ſupplicio agitur, blaſphemia reticetur, quæ omnium ſcelerum maximum eſt? Sic Deus iniuriam Diuinitati irrogatam deſpicit, vt illius ad vindictam non recordetur, & deinceps aut non reputetur culpa, aut facilè indulta, ad illam populus feratur? Si criminoſus pœna capitali punitur, quæ omnium maxima eſt: propter vtrumque facinus plectatur, vt in vtrumque incidere deinceps populus formidet? Cur tantum iniuria Moyſi irrogata imputatur, & blaſphemia contra Deum tacetur? Præclarè Iſidor.Clar.ad prædicta verba: *Deus* (inquit) *cui ſui cura ſunt, magis voluit vlciſci iniuriam Moyſis: quam propriam contumeliam, Ideò dixit: Educ maledicum; & non dixit: Educ blaſphemum*. Et ſi Deus iniuria ſibi irrogata maximè eſſet offenſus, cum Moyſem ſimul laceſſitum, & offenſum vidit, non de ſua, ſed de Moyſis iniuria punienda agit; quia ſuam offenſam patienter ſuſtinet: at amici, & ſibi dilecti ægerrimè fert.

2. Præmiſerat Chriſtus Dominus Matth. 5.verſ.32. *Omnis qui dimiſerit vxorem, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari*. Deindè Paulus 1. Corinth.7. verſ. 12. ſic coniuges inſtruit. *Si quis habet vxorem infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam*. Ardua hinc oritur difficultas. Cur adultera fornicationis cauſa dimittenda eſt, nec deinceps admittenda, & infidelis in conſortio mariti conſeruanda? Cum longè maius peccatum ſit infidelitas, quam adulterium; & longè perniculoſior infidelis, quam adulteræ cohabitatio. Nam infidelitas mulieris fortè contaminabit virum; adultera autem non modo fidei non pernicioſa eſt, verum ipſi conſortium mariti fortè proderit, ad emendationem. Cur ergo adultera dimittenda, & infidelis conſeruāda? Optimè Chryſoſt. homil. 1. in Mat. *Si in te peccauerit, abſcinde: ſi in me, detineas in matrimonio*. Tam ægrè fert Deus noſtras offenſas vt præ-

præcipiat viro fideli, & pio, ac pudico, ne mulierem infidelem, barbaram, & idololatram dimittat, ſed apud ſe retineat, & illa conſentiente, cum ea habitare ritè compellit: adulteram verò dimittere licere docet, in vindictam ſuæ incontinentiæ: quia adultera contra maritum, & Deum peccauit: infidelis verò ſolum contra Deum. Quid? Grauius peccat vxor, quæ maritalem thorum offendit, & adulteratur, quam infidelis, & idololatra? Non ita (ait Chryſoſtom. ibi.) ſed quia illa in hominem, hæc in Deum peccat, ſtatim punitur: nec patitur Deus iniurias homini irrogatas, cum grauiſſimas in ſe patienter ſuſtineat. *Si in te peccauerit, abſcinde: ſi in me, detineas in matrimonio.* Statim adulteram, quæ vxoriam fidem frangit, corripit; quia in virum peccauit: at illam, quæ fidem in ſe ipſum fregit, patienter ſuſtinet.

3. Paulus infenſiſſimus contra Chriſti diſcipulos adhuc ſpirans minarum, & cædis, Iudæorum Pontificis armatus diplomate pergebat Damaſcum, vt ſi quos inueniret fideles comprehenderet, vinctoſque duceret in Ieruſalem. *Cumque appropinquaſſet Damaſco, ſubito circumfulſit eum lux de Cœlo, & audiuit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris?* Act.8. Chriſti hæc erat vox iam iam in Cœlo exiſtentis, & ſedentis in gloriæ throno. Sed non è cœlo videtur, nam cœlum immune eſt, ab hominum iniurijs. Si Chriſtus reſidet in cœlis, quomodo Saulus eum in terra perſequitur? Hominum iræ non aſcendunt aſtra, non petunt ſuperna; & ſi peterent, Chriſtum iam glorioſum, & impaſſibilem non læderent. Præter quam quod qui dum in terra carne paſſibili indutus degit, & tot pertulit tormenta, quin verbum protulerit, nec os aperuerit: quomodo nunc conqueritur de Pauli conuitijs, & minis, & ſe iniuria credit affectum, qui opprobria in terra patientiſſimè tulerat. Egregiè Laurentius Iuſtinianus de triũph.Agonis c.19. *Affligebatur in diſcipulis, afficiebatur præ omnibus.* Dum in terra fuit, in ſe patiebatur: cum in cœlo eſt, patitur in diſcipulis, & dum non conqueritur de ijs, quæ in proprio corpore fuit perpeſſus maximè dolet de eo, quod in diſcipulis patitur. Sic illorum tormenta ſentit: & ægrè ſuſtinet, & quaſi impaſſibilitas ipſa patiatur, & humanitas iam gazis gloriæ dotata compatiatur in diſcipulis.

4. Seruum illum,qui tantam pecuniæ prodegit ſummam, cuique Dominus decem talentorum millia dimittens nec minimum conuitium dixit, alteri conſeruo non dimittentem, ſed aſperè, atque iracundè illum vexantem ſic Dominus reprehendit. *Serue nequam, omne debitum dimiſit tibi quia rogaſti me: nonne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui ſicut & ego tui miſertus ſum?* Matth,18.verſ.33. Mira affectuum inæqualitas. Qui adeò mitem ſe exhibuit ſeruo tam iniquè rationem reddenti, & ipſius bona diſſipanti: adeò iratus, & iracundus, quia proximo non dimittebat? Fortè grauis peccatum eſt conſeruum opprimere, quam Domini ſubripere bona, & ea inutiliter iuſumere. Cur ſic exacerbatur & incaleſcit contra ſeruum conſeruum vexantem, & ad damnum ſibi illatum obmuteſcit? Audi Chryſoſt.hom.62.in Matth. *Quando decem millia talenta debeantur non conuitiatus eſt debitori, ſed miſertus fuit: quando vero aduersùs conſocium crudelitatem exercuit, tunc nequam, atque improbum ſæuus appellauit; vt diſcas facilius ipſum, quod in ſe peccatur, quam quod aduerſus alios, remittere ſolere.* Damnum ſibi irrogatum, & iniuriam patienter ſuſtinuit, quin ſeruum ſubripientem conuitio aliquo feriret: at cum iniuriam fieri aſpicit conſeruo, ſæuit contra inferentem nam qui ad ſuas iniurias mitis habetur, & miſericors, ad alienas vindicandas ira feruet, nec valet eas diſſimulare.

5. Hoc igitur genio præditi Dei amici mei, vt munera rependant, æquiori animo ſuas, quam Dei ſuſtinent iniurias: ad proprias cæci videntur, ad diuinas oculatiſſimi. Mirum eſt, quot mala populus obiecerit Moyſi: ei multoties detraxit, murmurauit, & mille contumelijs laceſſiuit ipſe vero ſemper extitit mitis, & patiens: at quando vitulum populus conſecrauit in Oreb, licet Dominum placauerit, & pro ipſius indulgentia exorauerit obnixè; rigoroſam tamen de populo ſumpſit vindictam. *Ponat vir gladium ſuper femur ſuum: ite, & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum.* Exod. 32. verſ. 27. Cur tam ſeuerè vindictam capeſſit, qui tam humanus pro populo apud Deum egit? Qui pro ſuis iniurijs ſemper tacuit, nec eas vlciſci tentauit, quo pacto nunc ita excandeſcit, vt fratrem in fratrem, amicum in amicum, proximum in proximum cruentè irruere præcipiat? Rectè Greg. lib.20. moral. cap.6. *Cauſam populi apud Deum precibus, cauſam Dei apud populum gladijs allegauit:* In ſuis iniurijs ſuſtinendis mitis admodum, & placabilis erat, in Dei iniurijs vindicandis, & obiurgandis nimis ferox, & inexorabilis: cauſam Dei apud populum nonniſi gladio dirimit, & agit: cauſam propriam nonniſi taciturnitate pacata concludit.

6. Phariſæorum miniſtris, & ſatellitibus ad hortum accedentibus, vt comprehenderent IESVM, Petrus arripuit gladium, & auriculam ſerui Pontificis amputauit. *Simon ergo Petrus, habens gladium eduxit eum, & percuſſit Pontificis ſeruum, & abſcidit eius auriculam dexteram.* Ioan.18. verſ.10. Miror, quod Petrus, qui tam diligens obſeruator erat Præceptorum, & cui cura committebatur Eccleſiæ, contra iniunctum à Chriſto Domino mandatum de non portando gladio, gladium ſecum detu-

detulerit: Eum tamen Theophil.à Gloſ.adductus excuſat: *Diſce, quod portauerit illum in vſum agni paſcalis etiam poſt cœnam, vel quod timens inſidias in hoc præparauerat*. Idem tenet Chryſoſt. hom.82. Non defendo modo huiuſmodi ſententiam, quam Toletus iudicat improbabilem. Tantum inquiro, cur Petrus, qui erat prohibitus vel alapis alium percutere, ad cædem ſerui Pontificis ſe tam intrepidum præparauerit? Rationem non incongruam reddit ipſe Theophilat. *Audi quomodo non ſemetipſum, ſed Magiſtrum maximè vltus fuerit*. Suas quidem Petrus iniurias humiliter ſuſtinuit, nec de illis vlciſcitur: at Dei offenſas ſic impatienter tulit, vt vel præſente Chriſto, & vindictam prohibente, non dubitauerit pro ipſo vindicando gladium parare: & cum ex vna parte zelo inardeſceret pro Magiſtro tuendo, & ex alia ipſius præceptum vrgeret, coactus vindictæ zelo à præcepti obedientia defecit, ne ab obſequio debito Magiſtro deficeret. Vnde licet noſter vates de malis ſuo populo inflictis per Chaldæos doleat, præcipuè contriſtatur, & mæret de iniurijs Deo irrogatis. Sic Theophilat.in commentario. *Miſerationis affectu permoti, & compatientes Sancti propter vtroſque lugent, tum iniuria preſſos, & afflictos, tum lædentes, & ad calamitatem perducentes; & fortaſſe propter iniurias maiori mærore conficiuntur*.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Vel ſolo viſu Pauperis auarus diues ſuffocatur.

1. N*Vllus hominum maior hoſtis eſt, quam paupertas*: aiebat Sophocles ſerm.96.apud Stobeum. Exoſus omnibus pauper eſt, omnibus inuiſus, & vel viſu ſolum ipſius ſe diues ſuſpicatur occiſum. Nudos homines Serpens horret, nec audet ipſos attingere, quaſi ſibi eſſent nocituri: ſic nudos pauperes auari diuites horreſcunt: proindeq; contra ipſos armantur, ac contra nocentiſſimum inimicum, ipſoſque hoſtiliter excipiunt, & timent vel ipſorum intuitu interimi. Sic loquens Iob 20.v.15.& 16. de diuite rapaci, qui aliorum bona diripuit, & in vſus proprios conuertit, aiebat: *Diuitias, quas deuorauit, euomet. Caput aſpidum ſuget, & occidet eum cum lingua vipera*. Difficilis planè locus: Bolduc ſic eum capit, vt intelligatur, quod impius pauperem interficit, ſicut aranea caput aſpidis ſugend necat, & interimit. Sed cur pauper aſpis nuncupatur? Aſpis enim, toruis, & tremendis oculis hominem, quem aſpicit, internecat: pauper autem ſemper demiſſos habet oculos: ſtudet eorum nutibus placere: nemini nocet: omnes innocui ad ipſius conſpectum ſunt. Vnde igitur pauperi noxia, & maligna aſpidum natura? Audi Bolduc. *Dicitur enim pauper aſpis: quoniam viſu ſolo necat diuitem, & inhumanum: nemo illorum pauperem rectè aſpicit*. Vt enim aſpis ſolo viſu interficit hominem ſic pauper ſolo aſpectu auarum perimit, non quia ipſe noxios habet oculos, ſed quia diues illos ſuſpicatur. Nulla enim diuitem faſcinatio ſic offendit, ac pauperis viſus; vel ipſo ſolum aſpectu auarus occiditur, quia putat ſuis bonis inſidiari: intuitu tantum egeni diues ſuffocatur.

2. Sic idem patientiſſimus Iob Principibus, qui ad eum inuiſendum accurrerant, dixit: *Veniſtis, & modo videntes plagam meam timetis* c.6.v.22. Quid Principes illi timebant? Nunquid pugnæ palæſtra ſterquilinium? An ictus hoſtiles vulnerati homicidionis ſermones? Concertationes ne bellicæ fratris vlcerati cōmiſeratio? Iob Ibid. *Nunquid dixi: Afferte mihi, & de ſubſtantia veſtra donate mihi?* Timorem pellite, animum reaſſumite, veſtram à vobis pecuniam non requiro, non exigo ſubſtantiam veſtram. Vnde per optimè Lyra: *Timebant. ne aliquid ſtipis à Iobo pro ſubleuatione ſua peteretur*. Sic aſpectus pauperis diuites deterruit, vt præ timore deficerent credentes à Iobo aliquid exigendum. Putaſne ex illo timore, & ſuſpicione petitionis diuites illos non ſuffocari? Auſculta Pagnini tranſlationem: *Quia nunc eſtis ſimiles torrenti, videtis fractionem, & timetis*. Timor vos conuertit in flumen, vobis ipſis ſuffocandis torrens exiſtitis, vbi miſerè obruamini. Diuites enim, quantumuis amici, ſine fune, ſolo pauperis aſpectu ſuffocantur: ita exanimatur auarus, cum ad aliquod ſubſidium exhibendum cogitur, ac ſi minimè natandi peritus medio in alto flumine deperieret: vel ſolo intuitu exhalant animas.

3. Inter prodigioſa miracula, quæ Chriſtus Ioannis diſcipulis retulit, vt ipſum Meſſiam eſſe deprehenderent, miraculum videtur, quod recitetur pauperibus ſpirituale ſubſidium præſtitum. Sic enim habetur Matth.11. verſ.5. *Dicite Ioanni, quæ vidiſtis, & audiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui ſurgunt, pauperes euangelizantur*. Rectè obſeruauit Maldonatus non eſſe vſurpandum verbum *euangelizare* actiuè, ſed paſſiuè: quia homines abiectiſſimi magnarum ſæpè rerum ſunt nuntij: quod autem pauperes euangelizarentur, id eſt, Euangelium illis prædicaretur, valdè mirum erat, ſiquidem inter Chriſti miracula enumeratur. At quid mirabile, in hoc eſt, vt non ſolum tanquam miraculum referatur; ſed etiam tanquam maximum prodigium in vltimo loco collocetur? Rectè Hector Pintus ad cap. 61. Iſaiæ in annot. ex Hebræo. *Sciebat enim venturum eſſe*

tem-

tempus, vt pro miraculo haberetur Euangelium pauperibus gratis annunciare. Quod Euangelium diuitibus annuntietur commune eſt, regulariter accidit; & libenter efficitur: cum pauperibus aliter ſe habet res: ſic omnibus exoſi ſunt & tam miſerè, cum ipſis agitur, vt pto miraculo habeatur, quod ſpirituale ſubſidium illis concedatur. Vel ſolo aſpectu graues viſui ſunt: omnes offendunt, & ab omnibus hoſtiliter excipiuntur: idem enim eſt pauperem eſſe, ac omnium inimicum, & aduerſarium: omnium calumnijs, & perſecutionibus ſubijciuntur egeni.

4. Attentè annotauit Rupertus ingenioſam harmoniam inter illas beatitudines, quas refert, & annumerat Matth. cap. 5. verſ. 3. in prima enim de pauperibus agens eos regni cœleſtis poſſeſſores eſſe ait: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*; atque ijs, qui in octaua enumerantur, idem præmium pollicetur. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Conſonant enim vtriuſque voces, & ſibi mutuo correſpondent. Idem præmium pauperibus promittitur, & perſecutionem patientibus, vt ex identitate præmij identitas meriti patefiat; ac ſi idem ſit (ex mente Ruperti) pauperem eſſe, & perſecutionem pati. Congruit Ruperti ſententiæ monitum illud Luc. 22. verſ. 36. *Qui habet ſacculum tollat, ſimiliter & peram, & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium*. Et cur qui adeó pauper eſt, vt ſacculum non habeat, iubetur, vt vendat tunicam, & emat enſem? Qui bona non habet, quæ cuſtodiat, ad quid gladio armabitur, cum nec fures, nec aliud nocumentum in facultatibus timeat? Suſpicor, vt vitam cuſtodiat, quæ impijs obnoxia eſt. Armari debet contra diuitum inſidias, quia plerumque ab omnibus vexatur pauper, & omnium inimicus habetur. Idem eſt eſſe pauperem, & perſecutionem pati: igitur non inermis eat, qui omnibus exoſus eſt, ſed enſe accinctus, vt à diuitibus, quos ſolo aſpectu offendit, defendatur: vt inopem ſaltem tueatur vitam, cui cum facultates deſunt, inſidiantur diuites. Arcanè dixit Tertullian. de fuga in perſec. cap. 12. *Fælices pauperes, quia ipſorum eſt regnum cælorum, qui animam in confiſcato habent*. Fiſcus ærarium Principis eſt, vbi eius reponuntur diuitiæ: igitur non ſolum pauperum regulas, ſed & ipſorum animas diuites confiſcare ſatagunt, & à vita relegare. Qui nihil præter animam poſſidet, vbi potentum rapacitas exerceatur, vitam in magno diſcrimine habet: quia illam, quaſi augendi cenſus eſſet artificium, auarus diues ſubripere tentat.

5. Paulus Hebræos inſtruens ad parſimoniam, ne inopia triſtarentur, ſic eos ſolatur: *Sint mores ſine auaritia, contenti præſentibus, ipſe namque dixit. Non te deſeram, nec derelinquam: ita vt confidenter dicamus: Dominus mihi aiutor, non timebo quid faciat mihi homo*. Ad Hebr. 13. verſ. 5. Non videntur ab Apoſtolo congruenter allata teſtimonia, quibus hic vtitur: agit enim de inopia rerum temporalium, conſolatur Hebræos, & eos exhortatur, ne de futuris ſint valde ſoliciti, nec paupertatem timeant, ſed præſentibus ſint contenti: ad quod impertinens videtur reſtimonium, quod adducit ne ſuperando metu inimicorum: *Non timebo quid faciat mihi homo*. Ad quid tam ingens præſidium hominibus bonis temporalibus deſtitutis? Qui nihil habet, quod perdat, nihil timet: qui nocumentum in facultatibus nequit accipere, non eſt cur homines perhorreſcat. Tamen pulchrè, & aptè teſtimonium adducitur: nam qui paupertatem conſulit, præſidium, & auxilium debet præbere ad ipſam tuendam. *Non timebo quid faciat mihi homo*. Idem eſt dicere non eſſe timendam paupertatem, ac non timendum eſſe forè vexatos: nam pauperem eſſe, & vexari non res diuerſæ ſunt, ſed eadem. Igitur quos pauperes vult Apoſtolus, muniat, & potentes, quos infenſos habere neceſſè eſt, non formidare Dei præſidio conſoletur. Omnibus enim pauperes exoſi ſunt: vel ipſo aſpectu tantum diuites auaros interimunt: ideòque ipſos hoſtiliter impetunt. Et hinc maximè rapacitas, ira, & ſæuitia Nabuchodonoſoris aquilæ comparatur hic verſ. 8. *Volabunt quaſi Aquila feſtinans ad comedendum*. Aquila enim paruas auiculas ſic infenſas habet, vt vel ipſarum intuitu offendatur, & contra eas, quas inermes, & pauperes, ac indefenſas natura fecit, armetur, & cruenta pernicitate in illas inuehatur.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Qui Deum ſuarum pœnarum authorem non agnoſcit, facilè ad impatientiam ſtimulatur.

1. Fortunæ genium plerumque homines induunt, de qua dixit Seneca ep. 91. *Non vna via ſemper, nec tota quidem incurrit: modo noſtras in nos manus aduocat: modo ſuis contenta viribus inuenit pericula ſine authore*: Sic & hominibus ſæpè accidit, qui authorem aduerſorum Deum non agnoſcunt; quaſi ipſe omnium rerum non eſſet author. Hincque maximè ad impatientiam prouocantur, quia non cum Deo, ſed cum æquali decertare putant, atque iniuriam credunt, quæ non à potentiori manu deſcendit. Vnde multiplex ille nuntius, qui patientiſſimo Iob ſuas clades denuntiabat, non Deo, ſed creaturis

turis illas tribuebat. *Irruerunt Sabæi; tuleruntque omnia*. Iob c.1.v.15. Et rurſum alius: *Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaſerunt Camelos*. Ibid.v.17. Ac tandem tertius: *Ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt*. Nunquam Deum memorant, à quo omnia iſta procedebant. Et cur non Dei recordantur, qui ad exercendum patientiſſimum Patriarcham, eum his laboribus opprimebat? Credo hac arte dæmonem voluiſſe Iobum ad impatientiam prouocare. Non enim eſt acutior ſtimulus ad tabeſcendum deſperatione, quam cogitare aduerſarum rerum euentus non à Deo prouenire, ſed caſu, & fortuna accidere: hæc enim aſtutia dæmonis eſt pluries vſitata, vt nos inducat ad credendum, non à Deo, ſed ab alijs cauſis vexari.

2. Obtulerunt Chriſto Domino hominem quendam à dæmone obſeſſum, & crudeliter vexatum: illiuſque parens ſic pto ſalute filij deprecatur: *Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur*. Matth.17. v.14. Fortè ob parentum peccata puer ille à dæmone vexabatur, & effectus probauit à dæmone eſſe poſſeſſum: dum ſubiungitur: *Increpauit illum IESVS, & exijt ab eo dæmonium*. Sed cum ita eſſet, tamen pater non dæmonis tyrannide, ſed Lunæ influxibus filium credit malè tractari, & lunaticum putat, quem dita dæmonis torquet poteſtas. Et cur phrenetici affectus Lunam credit authorem, & non dæmoni imputat, qui illũ cruciabat? Acutè Chryſol.Serm.112. *Aptat Lunæ curſibus ſuas paſſiones, vt eſſe Lunæ crederēt, quod erat diabolici criminis*. Hæc enim dementia, & ſtultitia hominum eſt, in cognitione authoris ſuorum calamitatis toto cœlo aberrare: hæc dæmonis calliditas: ipſe vexat, & Lunæ perſuadet influxum. Fortè parentum peccata in filio plectebantur, quod paſſim contingit, & tamen patres, quod à Deo proueniebat ſupplicium, Lunæ accommodant curſibus, non credentes Deum illius laboris authorem: & ideò pluſquam filius lunatici impatienter ipſius morbum, & inuerſam mentem ferebant: atque ad impatientiam ſtimulabantur. Sic plerumque homines ethnicorum more caſui, fato, fortunæ, aut ſtellis aduerſas res accommodant, & dum Deum earum cauſam ignorant, facilè ad impatientiam, & deſperationem trahuntur.

3. Admiratione digna ſunt, quæ à Dauid aduersùs Semei, & Abiſai dicta ſunt. Cum enim ille eum lapidibus impeteret, verbiſque, & factis inurbanis inſultaret, virumque ſanguinum, & iniquum diceret, Abiſai, qui erat legatus, huiuſmodi contumelias impatienter ferente, volenteque occidere Semei, dixit ad eum Dauid: *Dimitte eum, vt maledicat; Dominus præcepit ei vt malediceret Dauid*. 2.Reg. 16.v.10. Quid dicis bone Rex? Deum credis authorem conuitiorum, quæ Semei aduerſum te inurbanè, & temerè iactat? Aut putas Semei rationabiliter agere, aut contra iuſtitiam, & veritatem? Si primum: quo pacto ipſum maledicere ais, & iniquè dicis contra rationem tibi detrahere? Si ſecundum: quomodo à Deo præceptum? Deus ne iniuſta præcipit, & à ratione deuiantia iniungit? Quid impius diceret, ſi pium, religioſum, & modeſtum Regem audiret dicentem Semei Dei præcepto ſæuire contra Dauid, & lapidibus, conuitijſque eum impetere? Hoc Dei præcepto non efficiebat Semei, ſed maleuolentia, quia ex genere Saul procedebat, & occaſione inuenta inimicitiam, & iracundum animum oſtendit, atque contra Dauid, quem exoſum habebat, ſtomachatur, & incaleſcit. Cur ergo in Dei præcepto accidiſſe credit Dauid? Audi Theodoret. quæſt. 32. in 2. Reg. *Eſt ille* (inquit) *lorum quidem Dei, & virga: non video lorum, ſed video eum, qui me flagro cædit: meis iniquitatibus adſcribo infirmitatem: non tango virgam, ne eum irritem, qui me percutit*. Non Semei conuitianti, ſed Deo iuſtè flagellanti factum Dauid adſcribit, vt ſe conſoletur, oſtendatq; non iraſcendum ijs, à quibus iniuriam accipimus, cum per eos Deus tanquam per virgam, aut lorum meritas nobis infligat pœnas. Quis ergo cordatus virgæ iraſcitur, aut loro, quo cæditur? Vt ergo patienter ſuſtineret Dauid, & ſe ad dolorem iniuriarum mitigaret, propinata ſibi Dei manu, ac veluti medicata ſupplicia libens Deo adſcribit inflictum malum. Non Deus Semei præcepit maledictionem, ſed permiſit: tamen Dauid permiſſionem interpretatur præceptum, vt à Deo ſe flagellatum agnoſcat.

4. Hoc autem maximè ſolabatur Iob; nam oppreſſus tot calamitatibus, & mira patientia eas ſuſtinens aiebat: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt*. Iob 1.verſ.21. Quòd bona, quibus fruebatur, à Deo agnoſcat accepta, benè eſt, vt gratum animum exhibeat: at quòd Dominus abſtulerit, non videtur veraciter dictum: nam ea non Dominus, ſed diabolus abſtulit; cui ſuggerenti conceſſit Deus facultatem, vt Iob in cunctis, quæ poſſidebat, affligeret. Quo ergo pacto credit Iob Dominum abſtuliſſe, quę nonniſi dæmon ſubripiebat? Fortè ſuſpicatur à Deo derelictum, cum ab ipſo ſe putat vexatum, & diabolicam immanitatem, quæ arte diabolica accidebant, manu Dei percutienti attribuit? Non ita ait Caiet. *Nec dixit: Dominus dedit, diabolus abſtulit: ſed vtrumque in Deum retulit, agnoſcendo, & profitendo diuinam prouidentiam extendi ad hæc ſingularia, quæ geruntur apud nos. Non parua ſiquidem conſolatio eſt noſſe, quod ille aufert à nobis bona temporalia, qui non poteſt errare, qui curam noſtri habet, qui largitor eſt omnium bonorum, qui nihil odit eorum, quæ fecit*. Si à diabolo pro

ipſius

ipſius nutu ſe ſuſpicaretur oppreſſum, fortè ad impatientiam rueret, non manum amicam, ſed infenſam percutientem agnoſcens: at dum Deum ſui laboris authorem credit, ſolatur, & meliori eſt animo, atque patienter ſuſtinet.

5. Et hoc maximè docuit Chriſtus Dominus, cum calicem Paſſionis ſuæ non ijs, qui propinabant, ſed patri refert, & ab eo fatetur acceptum: ſic enim Petrum Malchum ferientem reprehendit. *Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Ioann. 18. verſ.4. Quaſi dicat inquit Lyra: *Paſſionem, quam ordinauit Pater cæleſtis ad ſalutem humani generis debeo patienter tolerare, & ideò non eſt locus defenſionis, & reſiſtentiæ, ſed magis patientiæ.* Vt innueret labores ſuſcipi debere tanquam à Deo inflictos, vt iucundo, ac læto animo tolerentur. Et idcircò ait Propheta noſter truculentam gentem Chaldæorum, quæ vindictam ſumere de peccatis Iſraëlitici populi erat ventura, de longinquo venire: vt oſtendat ſupplicium à Deo prouenire. Hoſtium namque inuaſio, quibus nulla ſubeſt irarum, & bellorum cauſa, animaduerſionem nobis facit manifeſtam. Idem innuerat v.5. *Videte, obſtupeſcite, admiramini.* Vbi in Hebræo idem verbum geminatur: *Ego ego ſum*: ſignificans imminentem Chaldæorum calamitatem Iudæis non caſu, aut fortuna, ſed diuino conſilio euenturam: ne ad impatientiam ſtimularentur, ſed patienter ſuſtinerent flagellum à Deo inflictum: *Equites namque eius de longè venient.* Hic verſ.8.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Sanctiſſimus parens Franciſcus de Paula Regalis Aquila carnes haud veſcens.

1. NOn calamum abſtinere potui, dum in aquilinas proprietates inciderem, quin Sanctiſſimi parentis Franciſci de Paula Aquilæ Regalis Eccleſiæ, ob miram, & penè incredibilem abſtinentiam carnium, recordarer. Is enim prodigioſus Patriarcha, cum nonagenarius diſceſſerit, non carnes guſtauit, & Religionem, quam inſtituit, voto abſtinentiæ carnium adſtrinxit. Inter Aquilas illa Regalis dicitur, quæ Ioui deſeruit, & ipſi gratiſſima eſt, quamque in ſuam tutelam accipit, quia fauſtam habuit: & idcircò propria Iouis ornamenta ſunt fulmen in dextra, & Aquila in ſiniſtra. Ortum huius tutelæ ad fabulam referunt Mythologici: quippe Ioui contra Gigantes proficiſcenti, & ſacrificanti in littore Aquila apparuit bono auſpicio, indeq; in ſuam gratiam fuit recepta, & poſteà Ganymedem puerum Idæ incolam ſibi gratiſſimum ab Aquila in cœlum portari iuſſit, vt poculum miniſtraret: de quo latè Euſtachius in vltima iliade. Hæc igitur Aquila, quæ inter alias propter Iouis famulatum, & tutelam, Regia dicitur: nunquam carnes manducat, ſed herbis victitat, ſic refert Elianus. *Nam vna, quæ Iouis appellatur, carnes non attingit, ſed ad victum ei herba ſatis eſt.* Quod egregiè congruit ſanctiſſimo, & mirifico Patriarchæ Franciſco de Paula ob mirabilem abſtinentiam à carnibus, quam in toto vitæ curriculo retinuit herbis tantum veſcens. Et fortè aliquid huius Regalis Aquilæ proprietate omnibus ineſt Aquilis. Nam reliquæ (vt inquit Plinius) cum ad volatum ſe præparant, quidquid carnis in roſtro, & vnguibus prædæ remanet poſt eſum, abſtergunt, & excutiunt, vt ociſſimè, & abſque impedimento, volatum leuiori pernicitate perficiant, & ad cœlum vſque aſcendant. Sic capit Ambroſ. illa verba Iſai. cap. 4. verſ. 31. *Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut Aquilæ.* Et perfectioribus viris ad cœlum volantibus, & carnales cibos reijcientibus pulchrè aptat: *Eſcis quoque omnibus quæ gignant membris calorem, parcè vtendum puto: carnes etiam Aquilæ volantes deponunt: in vobis quoque auis illa interior (de qua legitur: Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua) ſuperfluæ carnis neſciat appetentiam* lib. 3. de virginib. Quod ſtrictiſſimè obſeruauit Sãctiſſimus Parens Franciſcus Regalem Aquilam ruferens, ob idque frequentiſſimum cum Deo habuit commercium, & miraculorum miraculum fuit ipſe ſuorum, atque Eccleſiæ ſanctitatis prodigium habitus. Vt enim obſeruauit Auguſt. ſerm. 33. ad frat. in emer. *Elias tamdiù miracula fecit, quamdiu pane, & aqua refectus eſt, ſed poſtquam carnes comedit, & vinum bibit in ſatietate, miracula non legitur feciſſe.*

2. Poſt tranſgreſſionem primi parentis inter aliâs pœnas ad herbarum eſum fuit condemnatus. Geneſ.3.verſ.13. *Spinas, & tribulos germinabit, tibi & comedes herbam terræ.* Sed quæ punitio hæc Protoplaſto noſtro in vindictam ſceleris commiſſi? Etiam in ſtatu innocentiæ hominibus herbæ in cibum parabantur: quo ergo pacto poſt peccatum eſus herbarum datur in ſupplicium? Rectè Marius ad præcitata verba: *Comedes herbam tantis laboribus ſatam, & altam, cum ego ante eam tibi ſine ſudore, & ſpinis, ac tribulis dediſſem.* Cibus primæuæ ſanctitatis, & fœliciſſimi innocentiæ ſtatus herba fuit, & perfectiſſima omnium ſanctitas nonniſi herbis ſine ſudore, & tribulis collectis nutriebantur. Quod etiam ad futura ſecula tranſiuit, & apud pios, & iuſtos viros ante diluuium eſus carnium prohibitus fuit, quaſi ſanctitati, & candori illorum temporum obſtaſſet: audi eundem Marium.

Quia verò nulla hic mentio eſus carnium, probabile eſt primos Parentes, eorumque ſucceſſores pios eſu carnium, abſtinuiſſe, vſque dum is poſt diluuium Noe, eiuſque poſteris conceſſus. An verò etiam impij à carnibus abſtinuerint, valdè incertum eſt, & probabilior mihi ſententia negans. Primi illi ſanctiſſimi homines, quibus familiariter Deus loquebatur, illibatam carnis abſtinentiam habebant, ob idque tam dilecti à Deo habebantur: quia abſtinentia è carnibus cum Deitate neſcit non habere commercium, tunc enim index pietatis egregiè, & mirabilis ſanctitatis erat.

3. Munera in holocauſtum in mundi primordijs Cain, & Abel obtulerunt, diſpari tamen fortuna: nam Caini ſacrificium exoſum, & illiberale Deus habuit, illudque acceptare fuit dedignatus: Abelis autem libatum munus beneuolè reſpexit, & in ipſo maximè complacuit. Quæ huius diſcriminis cauſa fuerit, non parua eſt difficultas: ſed reor ex ipſo contextu non difficulter dirimi: Cain enim meſſes obtulit, quæ ad ipſius ditionem attingebant, eò tamen genio, quòd ex frugibus meliores ſibi in cibum reſeruauit deſpectas verò Deo obtulit: è contra Abel, cum paſtor eſſet ouium, agnos Deo libauit optimos, & pingues, quòd in gregibus habeat, quin aliquid ſacrificio detraxerit, vt ſuo palato condiret: non enim eſus carnium tunc vigebat: ait Abulenſ. quæſt. 4. in Gen. ideòque totum animal, quod mactabatur, comburebatur igni, quin pars aliqua reſeruaretur, ſicut poſtea efficiebatur, vt conſtat ex 1. Reg 5. *Quia tunc non erat vſus carnium, ſicut nunc ideò totum Domino comburebatur.* Igitur Cain meſſes obtulit, & ſibi feraciores ſeruauit: Abel autem carnis epulas, quin aliquid proprijs vſibus ſubriperet, libauit: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Gen.4.verſ.4. Tam grata autem extitit Abelis oblatio quòd cœleſti igne tota hoſtia fuit abſumpta, & toto animo in ipſa Deus complacuit. Quid aliud in illa oblatione, & ſanctitatis primitijs, quas homines Deo ſoluebant, præfigiebatur niſi omnimoda eſus carnium oblatio, quam poſtea innocentiſſimus Abel Franciſcus erat libaturus? Si illa hoſtia grata Deo extitit, quia omnimoda fuit eo tempore, quo non vigebat eſus carnium: *Quia tunc non erat eſus carnium ſicut nunc, ideò totum Domino comburebatur*: quid de ea oblatione carnium, quam Franciſcus fecit, cum earum eſus vigebat, & vrgebat, ſentiendum erit? Primæuus ſanctitatis cultor, & exemplar Abel fuit, quia dum ab eſu carnium omnimodè abſtinuit, & eas Domino libauit, ad primam ſanctitatis regulam, & prototypon peruenit: Sanctiſſimus autem Parens Franciſcus ad huiuſmodi abſtinentię, & innocentiæ ſpeculum armatur contra mundi delitias, & carnis illecebras, contra ventris ingluuiem, & guloſitatem carnis epulas in totum Deo obtulit, nec ſolùm carnes, ſed quæ ab ipſis originem trahunt in holocauſtum integrum Deo libauit.

4. Mirabilis illa Sunamitis Eliſæum frequenter apud ſe tranſeuntem comiter inuitauit: poſt longum antem tempus, quo Prophetam recepit hoſpitio, dixit viro ſuo: *Animaduerto, quod vir Dei ſanctus eſt, qui tranſit per nos frequenter: faciamus quæſo cœnaculum paruulum &c. Et cum venit ad nos, manebit ibi.* 4. Reg.4.verſ.9.& 10 Caiet. legit ex Hebręo. *Ecce nunc noui, quod vir Elooin ſanctus per nos iugiter tranſit*, Mirum eſt, quod mulier illa diſſertiſſima ſanctitatem Eliſæi, quæ tam inſignis erat, non in miraculis, aut cœteris virtutibus agnoſcat, ſed tantummodò in menſa. Qui tot miraculis erat clarus, tot virtutibus illuſtris, tantùm in victu cognoſcitur? Rectè Caiet. ad hunc loc. *Ecce nunc noui: manifeſtat vſque ad tempus illud ſolicitè vacaſſe adcognoſcendum, an Eliſæus eſſet vir ſanctus, & ex frequenti diuerſione ad comedendum ibidem nouiſſe ſanctitatem eius, ſobrietatem enim videre pluries potuit.* Egregiam viri famam audierat, miracula, & virtutes multoties admirabatur, ſollcitè, & attentè ad ſanctitatem eius dignoſcendam vacauit; ſed non cognouit, nec ſanctum dixit, vſque dum ſobrietatem eius experta eſt, & quam parcè cibo vtebatur intuita. Sobrietas enim in edendo, abſtinentia ab eſu carnium, modicus herbarum victus index, & character ſanctitatis eſt: *Ecce nunc noui, quod vir Elooin ſanctus ipſe &c.* Idea, & exemplar ſanctitatis, & nobilioris perfectionis abſtinentia à carnium eſu eſt.

5. Regali Aquilæ, & ad Iouis conſortium eleuatę Sanctiſſimo Parenti Franciſco, carnes faſtidiendi, & ſuper cibo iſto lautiſſimo nauſeanti generoſæ indolis, & Regiæ nobilitatis inſignę eſus herbarum fuit, & ſtomachatum in carnes genium. Nauſeabat populus in deſerto ſuper Manna delicatiſſimo cibo, & omnes ſapores generoſos referente, conditoq; ad vniuſcuiuſque palatum: agitabat Moyſem, vt carnes ad victum eis tribueret: quòd ſic refert text. ſacer. *Vulgus promiſcuum flagrabat deſiderio carnium* Num.11.verſ.5. Aptè notauit Beda venerabilis, quòd nobiles, & Proceres populi nunquam petierunt carnes, ſed promiſcuum vulgus, & abiectiſſima plebs, ac populi ignobiles. Et cur non omnes carnes expetunt, pręcipuè Dynaſtæ, & Magnates, qui plus frequenter ventris ingluuiei ſtudent? Vulgus non lautè ſolet manducare, non extraordinarias epulas quærit, ſed communibus alitur: & ordinarijs cibis, qui obuiam fiunt, reficitur. Cur ergò ibi vulgus carnes inſtantiſſimè petit, quas nobiles non poſtulabant? niſi quia carnis appetentia ignobilem arguit animum, plebeiam, & ruſticanam indolem: earum verò abſtinentia nobilem, & generoſum demonſtrat.

Vul-

Digitized by Google

Vulgum promiſcuum carnis deſiderio flagrat: at nobiles, & populi Proceres illis abſtinent, Aquilæ Regalis indolem imitantes. Ideò cum Deus populi deſiderio annueret, conturnices ad eum miſit: *Petierunt, & venit conturnix*. Pſ. 104. verſ. 14. Et cur carnes Deus miſſurus populo illas petenti, non aliam auem, ſed conturnicem mittit? Præclarè Beda ibi: *Nunquam conturnix volatu effertur, ſed propè terram ſemper volat: denotat autem Iudæorum ingenium cæleſtem cibum reijciens, & terrena tantum perſequens*. Aeris perlucidam regionem cæterarum auium centrum deſpicit cunturnix, & propè terram volat; nec in altum ſe erigit, quia terrena ſuſpirat. Dum reliquæ volucres quaſi naturali ductu ad ęthera aſcendunt generoſo volatu, & cœlos petunt, ac videntur aggredi: coturnix nec lato vngue à terra recedit, quia natura ignobilis non alta deſiderat, ſed terrena anhelat: ideòque coturnices in cibum Hebræis mittuntur, vt vel in ipſo cibo agnoſcant carnis deſiderium ignobilem redolere naturam, ſordidam inclinationem, & terrenam indolem: earum verò deſpectionem cœleſtem originem, Regalem, & ſupra humanum faſtigium inclinationem, ac propè diuinam ſtirpem: vndè maximè ponderauit Tertul. indignationem Moyſis ſuper huiuſmodi populi petitione carnium: nam tunc impar viribus ad populi inſolentiam ſuſtinendam, regimini coadiutores poſtulauit. *Non poſſum ſolus ſuſtinere totum hunc populum, quia grauis mihi eſt, ſin autem aliter tibi videtur, obſecro vt interficias me*. Num.11.verſ.14. Quid? Carnis deſiderium turpius fuit ſcelus idolatriæ, quandoquidem Moyſes illam ſuſtinuit, & licet ob illam fuerit exacerbatus; tamen indulgentiam audacter obſecrauit, & obtinuit, quin regimen relinquere tentauerit? Nullum ſanè execrabilius eſt facinus, quam honores vitulo deferre, & Deum contemnere. Cur igitur qui hoc pertulit, ſic ad petitionem carnium exardeſcit, & iraſcitur, vt coadiutores, aut mortem poſtulet? Fortè gula idolatria eſt deterior aliquomodo [aic Tertulianus] nam populus petitione carnis primi Prothoplaſti culpam in cibo perpetratam repetiuit, quæ niſi inedia, & abſtinentia non obliteratur: *Populus primi hominis reſculpſerat crimen, ſalutem æmulo modo reaccendit inedia*. Carnalis cibi deſiderium originalem noxam referebat, abſtinentia carnis fœlicem innocentiæ ſtatum reſculpit, inedia reaccendit ſalutem, & primæuum nitorem inſtaurat.

6. Cum primò Adam fregit præceptum, imaginem Dei, ad quam erat creatus, obliterauit, & ſordidis culpæ coloribus aboleuit. Adeſt Deus, vt corrigat, & deambulans, quaſi aliquid cogitaſſet, dixit. *Ecce adam quaſi vnus ex nobis factus eſt*. Geneſ. 3.verſ. 22. Communiter Patres hæc verba ironicè capiunt, quaſi Deus Adamum derideret, & de illius præſumptione, ac ſuperbia in facto irrideret ſiquidem vbi diuinitatem capere credidit, nuditatem, & abiectionem eſt conſecutus. Tertulianus peculiari via incedit; putat enim Deum pro tunc non talis fuiſſe temperamenti, vt iocosè, & ironicè loqueretur; erat enim laceſſitus valdè hominis miſeria, & dœmonis calliditate: credit ergò veraciter, & aſſertiuè hæc verba à Deo fuiſſe prolata: Mira res! Qui modo deturpauit imaginem, iam iam properat ad eam inſtaurandam? Ità quidem (ait doctus Africanus) nam eò ſolum quòd Deus Adamum pœnitentem aſpexit, eo quòd cibum comederit prohibitum, in ipſo abſtinentiæ cibi propoſito credidit iterum hac via ipſi aſſimilandum: *Tanta eſt circumſcripti victus prærogatiua vt Deum præſtet homini conturbernalem, parem reuera pari, vt teſtatur per Iſaiam: hoc erit tempus, quo homo Deo adęquetur, cum ſine pabulo viuit*. Hoc ergò pacto emendatus primus Parens in Parente Franciſco de Paula apparuit, atque ad imaginem Dei in ſtatu innocentię effigiatus: de quo veriſſimè potuit dici: *Ecce Franciſcus ſicut vnus en nobis factus eſt*: ſiquidem per contraria veſtigia primæuæ culpæ, quam gula patrauit, innocentiam primam reſculpſit.

7. Nec ſolùm abſtinentia carnium primam iuſtitiam reaccendit, ſed & Angelicam reuerberat puritatem. Olim Deus Angelum miſit adGedeonem, vt certiorem illum faciat de victoria à Madianitis reportanda. Dubitat Dux ſtrenuus de veritate Angeli, & vt eam experiatur, & cum Madianitis manus conſerere non recuſet, victum præſtat, carnem ſcilicet, quam ipſe non edit, ſed in ſacrificium Deo libauit. *Videnſque Gedeon, quod eſſet Angelus Domini* &c.Iudic. cap. 6. verſ 22. Sed interrogo; vndè colligit Gedeon Angelum eſſe, qui loquebatur ſibi, cum non Angeli, ſed hominis figuram præſeferat, nec Angelorum munera exerceat; ſed hominum? Angeli enim non ſactificia ſenſibilia libant. Prætcrquam quod quamuis Angelus appareret, non Domini, ſed Satanæ eſſe poterat; vndè ergò Angelum, & Domini Angelum eſſe cognouit? Pręclare Caietanus: *Ex miraculo ignis aſcendentis de petra, & conſumentis carnes agnouit Gedeon, quod ille, qui loquebatur ſecum, erat Angelus Ieoba*. Qui carnes ei oblatas ad edendum non edit, ſed Deo in ſacrificium offert, non homo, ſed verus Dei Angelus credendus eſt. Vel hominum ordinem tranſcendere videtur Parens Franciſcus, dum carnium eſus ſibi licitos Deo in ſacrificium obtulit, ijſque prorsùs abſtinuit.

8. Celebris ille Ezechielis currus, in quo Dei gloria auguſtius ferebatur, à quatuor animalibus ſubuehitur, quę ſic deſcribit Propheta: *Similitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies Leonis à dextris ipſorum quatuor; facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor, &*

facies

facies Aquilæ deſuper ipſorum quatuor Ezech. c. 1. verſ. 10. De iuſtis à pleriſque hic interpretatur? Annuit Eccleſia, dum prædictorum animalium figuras Euangeliſtis adſcribit. Multa alia adumbrata in huius curtus ſignificatione ſub allegoriæ nubilo tradunt authores, myſtica non pauca; itaur rotarum ſigna, ſicut in trita via accidit, per quam portantur currus, in planis appareant. De fundatoribus Religionum non ineptè poteſt accipi, qui (vt de Elia dicebat Eliſæus) currus ſunt, & aurigæ gloriam Dei per vniuerſum orbem portantes. Sed valdè notandum eſt, quòd cum hęc eadem viſio, quæ Ezechieli in primo, cap. apparuit, poſtea Ibid. in c. 10. verſ. 14. repetatur, qui primo intuitu bos apparuit, in ſecundo Cherub eſſe perhibetur cœteris animalibus in propria ſpecie, & figura manentibus: *Facies vna facies Cherub. & facies ſecunda facies hominis, & in tertio facies Leonis, & in quarto facies Aquilæ*. Et quæ cauſa tam ſubitæ, & feſtinatæ commutationis? Nullum illorum animal plus à Cherubino diſtabat quàm Bos, quia Cherub plenitudo ſcientiæ eſt: inter illa autem animalia Bos erat ſtolidior: quia homo ſuoptè ingenio rationis eſt animal: Aquila, & Leo plus ad rationem accedunt, & minus bruta, quam Bos habentur. Quo ergò pacto non homo, Aquila, aut Leo, in Cherub, tranſmutatur: Bos autem ad Angelicam tranſit ſpeciem? Cauſam eſſe reor, quia ex illis animalibus ſolus Bos eſu carnium abſtinet, & herbam tantum pro victu habet, & contentus eſt: ille autem qui eſum carnis refugit, pluſquam homo videtur, & Angelicam reuerberat naturam: nam vt dixit Bernardus: *In carne præter carnem viuere, non humana vita eſt, ſed cœleſtis*, diuinæque ſimillima. Annuit Lyra noſtræ cogitationi: *Illa enim, quæ prius ſub ſpeciè animalium quaſi inferiorum cognouerat hic cognoſcit ſub ſpecie Cherubin qui ſunt altioris gradus, vt expreſſius denotet, quod myſteria per huiuſmodi animalia figurata ſunt ſupra naturam rerum naturalium*.

9 Inter alia quæ fecit Beſeleel Dei præcepto, vt templum exornaret, mirabilis fuit contextura veli, quod proximius ad Deum accedebat: de eo ſic habetur Exod. 36. verſ. 4. *Fecit, & velum de Hyacintho, & purpura, vermiculo, ac byſſo retorta, opere polymitario varium atque diſtinctum, & quatuor columnas de lignis Setin, quas cum capitibus de aurauit, fuſis baſibus earum argenteis*. Sanctiſſimum Patriarcam Franciſcum in Beſeleel ad viuum effigiatum agnoſco, qui Dei inſtinctu Minimam Religionem inſtituit quatuor columnis, ſeú votis innitentem, per quam ad Deum acceditur, eiuſque diuina Maieſtas veluti velo in veneratione eſt, quod velum cortina tegebatur, vt ibi dicitur? Quid in hac cortina erat elaboratum? Audi Ioſephus lib. 3. antiquit. cap. 7. *Cortina autem erat ſpecioſa quaſi floribus vniuerſis de terra germinantibus, varietate, varijſque omnibus intexta, & quæcunque, præter animalium formas poterant exornare pictores*. Diuinus enim Beſeleel in velo, & Religione, quam inſtituit; vel animalium formas, & vmbras: non admiſit: quidquid eſum carnis redolet, etſi vmbra ſit, ab hoc velo relegauit.

10. Sed obſtare videtur, quod ſtatim textus ſubiungit loquens de columnis, quibus innitebatur, & protendebatur velum: *Quas cum capitibus deaurauit, fuſis baſibus earum argenteis*: quaſi in Religione perſonarum differentia, & inæqualitas circa præeminentias inueniantur: ſiquidem deaurata capita, baſes autem argenteæ perhibentur: quod longè à verò abeſt, ſiquidem nulla inequalitas aurum ab argento diſcernir. Sed audi Caiet. Hæbræum vertentem. *Quod operuit ſummitatem earum, & radios, ſeù filos cingentes eas auro*. Per quod ſignificatur (inquit Caiet.) *quòd columnæ figuræ fabre facta erant, tanquam ſi eſſent ſculptæ per lineam belicam: ita quòd linea illa à ſummo vſque ad imum erat operta auro*. Quo nihil aptius de Religione Minima excogitari, diciuè potuit, vbi inter omnes ſumma eſt æqualitas, omnes vna, eademque menſura metiuntur. *Filos cingentes eam auro: Por vnos meſmos filos de rigor paſſan todos. Ità quod linea illa à ſummo, vſque ad imum, erat operta auro*. A maximo ad minimum eadem menſura eſt, & per eoſdem aureos filos omnes æquantur: nam Charitas, quam Parenti noſtro pro inſigni cœlum donauit, inæqualitatem non patitur. Id ipſum in eodem templo liquet. Illud Salomon ædificaturus, parietes erexit, in ipſiſque lapides, qui in pretio habentur, veluti Adamantem, Smaragdum, Hyacinthum, & huiuſmodi cœteros prima arte elaboratos inſeruit, & patefactos reliquit, vt vniuſcuiuſque natura, & pretium deprehenderetur: pauimentum autem templi eadem ſtructura diſpoſuit, & pretioſiorum lapillorum varietate exornauit, ſed tamen latentes reliquit, operiens eos aureo pallio ſupra ipſos ſtrato: *Sed & pauimentum domus texuit auro extrinſecus* 3. Reg. 6. verſ. 30. Materiale illud templum myſticum Eceleſiæ deſignabat, cuius parietes Religiones ſunt, quæ Eccleſiam fulciunt, & aquilonatibus hæreticorum Euris reſiſtunt: in his enim parietibus lapides dignoſcuntur diſtincti, & cuiuſquiſque ſit valoris facilè percipitur per Gradus, Præſentaturas, Magiſtratus: quis adamas, quis gemma, quis ſit ſmaragdus, omnibus patet. Cœterùm pauimentum Eccleſiæ Religionem minimam non minimè refert, ſed ad viuum, propter ipſius humilitatem. Hoc autem pauimentum, etſi pretioſos habeat lapides, ęqualis prætij, & æſtimationis omnes ſunt, nec eorum pretium dignoſcitur, quia cooperiuntur, & æquantur charitatis aureo pallio illos tegente, & eadem menſura æquante, ne in hoc pauimento ſcientia, quæ inflat, & intumeſcit,

obſcu-

offendiculum aliquod obijciat. Perpulchrè & dilucidè Hugo in allegorijs Gothfridi Titelm: *Eſt autem myſticum pauimentum humilis concordia fratrum, qui ſpirituali Fraternitate ſub Monaſterij regula humiliter ſe ipſos proſternunt, nec in diſpoſitione pauimenti ſcientia, quæ inflat, inæqualitatis offendiculum ponat*. Quid accommodatius ad noſtrum inſtitutum? Ad illud autem, à quo tantiſper receſſimus, reuertamur. Non permiſit admirabilis Beſeleel, vel vmbram paſchalis victus in velo ſuæ Religionis adeſſe, vt decentius coleretur Deus, & non ſolùm Angelicam referret vitam ſua Religio, ſed & miraculoſam, pœne enim incredibile eſt, quod natura, quæ decurſu temporum ad tantam laſſitudinem perueniſſe cognoſcitur, naturaliter his cibis Quadrageſimalibus ſuſtentari queat.

11. Præcepit Deus Ionæ, vt ad Niniuen Ciuitatem magnam pergat; renuit Propheta, & propter inobedientiam mulctatus, in pelagum à nautis proiectus, ſepulchrum inuenit vitale in ventre formidabilis, & marinæ belluæ, quæ ipſum deglutiuit, ſeruauit, portauit, & ad littus Niniue euomuit: *Et dixit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam*. Ioan. 2. verſ. 12. Multa hic mirabilia ſe ſe offerunt: ſed illud mirabilius, quòd Ionas vitam conſeruauit miraculosè, dum viuus à viſceribus piſcis egreditur: & ſimiliter ipſe piſcis miraculosè vixit hominem deuorando, ad quod naturaliter non valebat propter arctam faucium ſtructuram, quam à natura habet; de qua Plinius, & alij multi referunt piſciculum tantum poſſe deglutire, & etiam quia eò tempore, quo Prophetam habuit in vẽtre, ab omni cibo abſtinuit, & præcipuè ab ipſo Propheta, quem nec digeſſit, nec in propriam ſubſtantiam conuertit, ſed indemnem in arenam euomuit: Quo ergò pacto marina bellua ſe abſque cibo nutriuit, & conſeruauit per tam longum temporis interuallum? Nam ſtatim à littore Ioppe nauis, quæ portabat Prophetam, pelago ſe commiſit, ſuperuenit tempeſtas, & ab illo æquore ad Ciuitatem Niniue, vbi porteum inuenit, longiſſima erat diſtantia. Credo id totum miraculosè accidiſſe, & vitam piſcis mirabiliter conſeruatam, dum à Prophetę carnibus abſtinuit. Quid aliud accidit in Religione, quam mirificus Pater Franciſcus de Paula inſtituit? Prodigioſus Cetus eſt, qui tot Ionas pœnitentes deglutit, quot per arctam, & pœnè incredibilem vitam, ipſam ingrediuntur: tot abſtinentes deuorat, quot animatos cibos capit, qui veluti Ionas intra Cetum Pſalmos, & Hymnos Deo frequenter concinunt: & dum ab eſu carnium abſtinent, non niſi miraculosè viuunt, vbi nec ſtomachus, nec labia audent huiuſmodi eſcas guſtare. Cetus ille dum à carnis cibo, quem deferebat in ventre, abſtinuit, non niſi miraculosè vixit: pari igitur modo prodigiosè, & quaſi per miraculum viuit Religio, quæ omnem carnis eſum ignorat: non humana vita hæc cenſenda eſt, ſed miraculoſa, & cœleſtis, & non niſi inter cœlicolas numeranda; vndè aptiſſimè Parenti noſtro aplicat Eccleſia illa verba Luc. 12. v. 32. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*: vt Ciues beatæ patriæ ſuadeat huiuſmodi inſtitutum ſequentes, omnia terrena calcantes, & nihil formidantes eorum, quæ in terra ſunt.

12. Victor reuertebatur Abraham aduerſus quatuor Reges Thadal, Amraphel, Chodorlahomor, & Arioch, ſpolijſque oneratus, & honoratus. Obuiam ei fit Deus in via, & validiſſimis vocibus loquitur. *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum*. Geneſ. 15. verſ. 1. Et cur non formidabit, qui pluribus alijs hoſtibus cingebatur? Quia ſemel vicit, tutus erit? Nihil tamen pernitioſum Regibus, quam propriæ potentiæ confidentia, & aliorum deſpectio: imò quia Abraham vicit, plus debet timere, fauſtæ enim fortunæ omnes inuident, & contra ipſam armantur. Verùm hic myſticam rem augurari licet. Victoriam reportabat Abraham de quatuor Regibus, qui (Interprete Hieronymo) quatuor capitalia vitia ſignificant è regione oppoſita quatuor votis, quibus eximius Patriarcha FranciſcusReligionem ſuam muniuit. Nam Thadal interpretatur *neſciens iugum*: en vitium oppoſitum obedientiæ promiſſæ. Amraphel *fœtor dentium*, *vel turpitudo* contaria ex diametro caſtitatis voto. Chodorlahomor *decorus manipulus, ſeù Rex huius ſeculi* aduerſus paupertatis votum militans. Arioch *ebrietas* exaduerſo quadrageſimalis vitæ inſtitutum oppugnans. Concludit Hieronym. *Hi quatuor Reges ſignificant quatuor principalia vitia quatuor virtutibus principalibus contraria*. Qui huiuſmodi Reges, & vitiorum capita proſternit, nihil habet, quod formidet in terra, quia iam cœleſte poſſidet regnum, & totam paternæ gratiæ complacentiam. *Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*.

13. Miriſſimum ſanè eſt, quòd cum Deus plures, eaſque pulcherrimas, & perfectiſſimas creaturas in primis quatuor creationis diebus conderet, eas non benedixit? at cum quintus dies acceſſit, & aquæ viuentia produxit, ſtatim ea laudauit, & benedictionem eſt impertitus? *Dixitque Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis: benedixitque eis* &c. Geneſ. 1. verſ. 20. Primitias diuinæ benedictionis aquæ viuentia deferunt; quod admirandus notauit Anaſtaſ. Sinaita lib. 7. in Hexamen *Videas, quæ ex aquis exorta ſunt animalia, proripuiſſe eam, quæ à Deo dabatur, benedictionem*. Quaſi violenter piſces Dei benedictionem rapiant: & primi inter cæteras creaturas hoc potiuntur honore. Creauit Deus Terram, Cœlum, Solem, Lunam, & Stellas, & tamen cum hæc præceſſerint, & tam egregię eſſent perfectionis, non dicitur

dicitur Deum ea benedixiſſe. Cur ita? Suſpicor inter alia, quæ hic poſſunt excogitari; quia ſubito ac piſces apparent, in Dei oculis Minimorum Religio reuerberauit, & præcipuè ipſius inſtitutor, qui ex huiuſmodi piſcibus ſuos aſſeclas victitare præcepit, Inſtitutum quadrageſimalis vitæ plurimum Deo arriſit, illudque approbauit tanquam ſibi gratiſſimum, nec ad inſtans benedictionem diſtulit. Tantùm placuit in abſtinentia, quam ipſe, dum inter homines homo factus degit, obſeruauit, vt quaſi præceps ad ipſius benedictionem feratur, quaſi ſtudiosè à benedictione aliarum creaturarum vſque tunc abſtinuerit, vt eius primitias aquæ viuentia deferrent.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Humilitas Regia, & Potentiſſima virtus.

1 ETſi Aquila Regia virtute, & maieſtate polleat, tamen Regulus, qui auicula parua eſt, contendere cum aquila non renuit, & quam viribus non ſuperat, arte, & induſtria deuincit; ad quod corporis paruitas deſeruit, vt notat Vliſſes Aldrouandus: Indeque cum Regulo optimè venit comparandus Sanctiſſimus Patriarcha Franciſcus de Paula ob alias egregias proprietates, & præcipuè ob ſuam paruitatem, in qua cum Eccleſiæ Proceribus, Religionumque Sanctiſſimis Patriarchis merito confertur; cum omnibus namque in humilitate concertare poteſt, ſi eos vt minimus Eccleſiæ iam non ſuperat. Regulus enim, id eſt, paruus Rex Eccleſiæ fuit propter eius miram humilitatem, eaque Regiam nobilitatem fuit nactus. Cogitabat de Regni Iſraelitici ſucceſſore pius Samuel. intermittit populi Proceres, & Dynaſtas regimini aſſuetos Deus, vnumque de filijs Iſai natu Minimum, ruſticanumque hominem delegit, & reijciens Eliabum natu maximum, quem maximè Samuel cupiebat vngere in Regem, præcepit ei Deus, vt Dauidem vngeret, vt ritè Princeps haberetur, his verbis. *Miſit ergò, & eduxit eum, & ait Dominus ei: Surge vnge eum ipſe eſt enim* 1. Regum 16. Non miror, quòd Deus poſtremum familiæ Iſai elegerit, cœteroſque reſpuat, quandoquidem ad thronum eleuat non ſe vltro offerentes, illumque ambientes, ſed abſentes, & remotos, qualis erat Dauid in paſcendis gregibus occupatus, & à curia exul. Sed valdè miror, quòd Dominus, cum Samuelem mittit ad vngendum Dauid in Regem, ei ſurgere præcipiat: *Surge, & vnge.* Quod vngere præcipiat, bene ſtat: at quod ſurgat, ſuperuacaneè præcipitur; nam qui obedire erat paratus, ſurgere ad obediendum erat neceſſe: non ergò aptè iniungitur Samueli, quod ſurgat, cum deunctione Dauidis agitur. Egregiè rem verſat, & ſoluit, D.Greg. *Quid eſt ſurge, & vnge eum? An tantum erat paruulus, vt ſedendo vngere non poſſet: ſedendo quippe alta non poſſumus: magna eſt celſitudo humilitatis, ſi ad eorum ſumma nec Prophetæ pertingunt.* Altè quidem dictum. Etſi Samuel ex proceribus eſſet populi, ſanctitate maximus, & virtute eminens: tamen cum de vnctione minimi Dauid agit, opus eſt, vt ſurgat, & ſupra digitos pedum ſtare conetur: nam ſedens, ad humilitatis Dauidicæ verticem non poſſet attingere: *Vuo meneſter eſtirarſe para igualar à David.* Sic enim humilitas ſe ſe in altum erigit, ſic nobilitatur humilis, vt niſi Propheta ſurgat, ipſum æquare non valeat.

2. Ipſe enim Dauid quem egregia humilitas euexit, & ſublimauit ad thronum, quaſi ipſi imperium recognoſcens, & de illius obſeruantia ſtudioſus aiebat. *Domine non eſt exaltatum cor meum, nec elati ſunt oculi mei. Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam.* Pſal. 130.verſ. 2. Verba planè contrarietate, & implicatione plena, ac ſeſe inuicem oppugnantia: nam quo pacto Dauid cor non habere exaltatum gloriatur, ſi animam exaltatam habet? Non ſibi ſententia conſtat: nam qui animam habet exaltatam, nequit cor habere humiliatum; quia cor, & anima non res diuerſæ ſunt, nullum enim diſcrimen intercedit inter cordis, & animæ affectus. Quo ergò ingenio Dauid cordis cogitationes diuerſas, imò contrarias animæ affectibus habet? Pulchrè D. Hilarius in comment. huius loci; *Excelſus* (inquit) *animo eſt, & corde ſubmiſſus: tenendus ergò humilitatis, & altitudinis modus eſt: vt corde humiles, ſenſu vero, & animo ſimus excelſi.* Ac ſi diceret: Fallitur planè, qui exiſtimat animi magnitudinem humilitati opponi; quin potius qui humilior corde eſt, animo magnanimior dignoſcitur, vt terrena omnia peſumdet, & ſola illa æſtimet, quæ animam implere, & exaltare poſſunt, in quo magnitudo, & vera nobilitas conſiſtit. Non ergò Dauid cordis humilitate à Regia degenerauit indole, & nobilitate: imò eam ſublimauit; nec de ipſa gloriatur, & blanditur, qua victorias acquiſiuit inſignes, ſed quia humilitate Regiam dignitatem promeruit.

3. Paulus qui minimus fuit Apoſtolorum, in ſchola humilitatis eruditus Romanos inſtruens ea doctrina, qua erat imbutus, ſic ſcribit: Ad Rom. 12.verſ.2. *Nolite conformari huic ſæculo, præterit enim figura huiuſmodi.* Theod. in comment. huius loci per figuram magnitudinem, nobilitatem, & ſanguinis claritatem intelligit: *Figuram vocat ea, quæ ſunt præſentis ſæculi, vt opes, & potentiam nobilitatem, & generis claritatem.* Deindè ad

veram

veram nobilitatem eos aduocans ſubiungit Apoſtolus? *Sed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis, quæ ſit voluntas Dei, bona, & beneplacens, & perfecta*. Et quę hæc forma, qua vtitur Paulus ad reformandos Romanos? Quam nouitatem ſenſus vocat? Idem Theodoret. *Factum exterminat, & humilitatem ſtatuit*. Verùm cur Paulus tum veram nobilitatem, & reformationem in Romanos cudere cupit, humilitatem tantum conſulit, & ipſa figuram huius mundi, quæ nobilitas, & generis excellentia eſt, reformari ait? Figuram appellat nobilitatem mundo æſtimabilem, & humilitatem formam, ad cuius exemplar vera nobilitas cuditur, & formatur? Ità ſanè, quia ſola humilitas vera eſt nobilitas, & honoris forma, ea verò cui homines inhiant, & in magno habent pretio, figura tantum nobilitatis eſt, inſtabilis, apparens, & quæ facillimè obliteratur. *Docuit* [Theodor] *quæ ſit virtutis cum præſentibus collata differentia, eam enim figuram appellauit, virtutem autem formam: forma autem res veras figurat, figura verò res eſt, quæ facilè diſſolui poteſt*. Argutè, & eleganter: ſola enim humilitas forma eſt, quę veram nobilitatem altè ſigillat, & imprimit: nobilitatis aliæ figuræ ſunt, quæ facilè abolentur, tranſeunt, & euaneſcunt. Sola humilitas non modo nobilis, ſed ipſa nobilitas in abſtracto eſt; proindeque nobilitatis forma, quę nullam temporis ſentit iniuriam, durat, & perennat, atque compendium honoris eſt.

4. Nobiles, & lucidiſſimas creaturas Deus in principio condidit ſua luce, & ſplendore illuſtres, ignem nempè, & corpora cœleſtia his ſublunaribus dominantia, Solem, Lunam, & Stellas. Sed valdè notabile eſt, quòd cum ignis corpus ſit lucidum, & ſplendore nitens, ſicut cœleſtia ſidera, non igni commendauit aerem, & terram illuminare, ſed cœleſtibus aſtris, inter quæ lucis imperium diuiſit, & ad honorem dominandi, & præſidendi euexit. Et cur ignis ab huiuſmodi munere excluditur, nec illius particeps efficitur, cum tam nobilis, & principalior ſit vniuerſi pars, & cui huiuſmodi honor iure competere videbatur, eo quòd elementaris portio ſit, ex qua ſublunaria corpora conſtant? Corpora, quæ componit, non ignis illuminabit, diebuſque, & noctibus imperabit? Cur cœleſtia ſidera ad huiuſmodi munus, diebuſque, & noctibus imperandum præferuntur? Tempeſtiuè Chryſoſt. hom. 9 ad popu Antioch. *Nam ſolis, & aſtrorum luces neſciunt aſcendere, ad inferiora ſemper conuertuntur, humiliantur, & ad terram vſque deſcendere cupiunt*. Lux ignis perpetuo ambit aſcendere: humiliari neſcit, ſed ſurſum ſemper tendit: è contra verò cœleſtia ſidera: igitur honor, principatus, & imperium lucibus cœleſtibus deferatur: nam tota magnitudo, nobilitas, & excellentia humiliari debetur. *In Sole* (pergit Chryſoſt.) *totum Deus contrarium fecit, ipſius radios ad terram conuertit, & lucem fecit inferius; lucernæ quidem flamma hoc ferre non poteſt, ſidus verò tam magnum ad inferiora*. Etſi lucidiſſimus ignis ſit, dum ſe humiliare neſcit, nobilitate, & honore priuatur, & ſideribus, quæ aliud neſciunt, niſi humiliari, confertur. Lucernæ quidem flamma, quia exigua, & parua eſt, deprimi non poteſt: at Sol, Luna, & Stellæ, quæ ampliſſimam lucis capiunt vſuram, aſcendere neſciunt, & ad terram ſemper deſcendere conantur: quaſi innatum vitium ſit ignobilibus, & abiectis ſuperbire, nobilium autem genium humiliari.

5. Nec ſolùm humilitas nobilitatis compendium, & inſigne eſt, ſed etiam potentiæ, & virtutis ad omnia pro libito ſuo peragenda, etiam illa, quæ naturæ terminos tranſcendunt, itaut non modo potens; ſed omnipotens videatur. Regulus enim puſillus cum ſit, magna virtute viget, & Aquilam deuincere valet, atque ſupranaturales vires audet. Sic minimus, & Sanctiſſimus Prothoplaſtus Franciſcus de Paula præ nimia humilitate naturam inuertere, & ſuper ipſius legibus diſpenſare paſſim audebat, & paſſim audet. Hinc Dei ſuffultus auxilio tot miracula patrauit: nec ſolùm extraordinario, & actuali præuentus concurſu raros effectus, ſed quod mirabilius erat, per modum habitus miracula patrabat: quaſi connaturale ipſi eſſet ſupernaturaliter operari: quia humilitas, quam quaſi innatam habebat, vires præſtabat potentes, vt pro libito ſuo prodigioſos operaretur effectus. Cunctanter agit Virgo cum cœleſti Paranympho ſuper ipſius legatione, tandemque annuens dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Luc 1. verſ. 38. In verborum ſenſu variant Doctores: Athanaſius credit lyfiat verbum eſſe optantis. Ambroſius deſiderij fidei adiuncti. Alij verbū orantis, & deprecantis ſuſpicantur. Magis mihi arridet Caiet. qui non ſolum preces, ſed & aſſenſum tenet MARIAM illo Verbo præbuiſſe: *Fiat mihi: non ſolum aſſenſum præbet, ſed preces adiungit ad tantum donum conſequendum*: Conſonat Caiet. Auguſt. Itaque Angelus conſenſum exſpectauit Deiparæ, vt myſterium conficeretur: niſi enim ille præceſſiſſet, Deus non aſſumeret carnem. Sed valdè mirabile eſt, quòd quæ humillimam ſe præbuit Ancillam ſe nominans: *Ecce Ancilla Domini*: tam egregia Maieſtate, & potentiſſimo verbo *fiat*, quo Deus in rerum creatione vtebatur, annuat, conſenſum præbeat, & eò vix prolato, totum concludatur negotium, Recordari libet, quòd cum Deus hominem eſſet conditurus, non verbum *fiat*, quo in aliarum rerum creatione fuit vſus, adiungit, ſed faciamus i auſcultatext. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, Geneſ. cap. 1. verſ. 26. Quod conſultationem, & conferentiam indicat ſuper

L homi-

Digitized by Google

hominis formatione, vniuſcuiuſque Triuitatis Perſonę conſultiſſimum conſenſum. Sic diſſicilè videbatur extrema coniungere tam diſtincta, & diſtantia, ac animam, & corpus, vt ſuper ea re cogitare,& conferre fuerit opus? Et tamen cum ad opus incarnationis deuentum eſt, quod longè difficilius erat (quo maior eſt diſtantia inter Deum, & hominem, quam inter animam, & corpus) vnico MARIÆ verbo *fiat* totum conficitur Sacramentum. Et vndè MARIÆ tam prępotens virtus, vt vno,& efficaciſſimo verbo rem concludat, infinitè excedentem creatas vires? Audi Bernard. hom. 1. ſup. miſſus eſt. *Etſi placuit virginitate, humilitate tamen concepit*. Quę Ancillam ſe præbuit, humillimamque exhibuit, arbitram omnipotentię ſe conſtituit, & ea quaſi ſuæ eſſet ditionis, vtitur; vndè Enſebius Emiſenus ſtupentem Angelum Marianę potentię, & virtutis, qua vno verbo verbum caro efficitur, ad cœlos remeaſſe credit: *Non ſolum impetrans quod optabat, ſed ſtupens in Virginea forma, & virtutis plenitudine*. Quaſi humilitas illegis Dei potentię arbitra ſit, & diſpenſatrix ad quęque peragenda miracula: ſiquidem omnium maximum humilitate annuente, & quaſi imperante factum perhibetur.

5. Quęrebat mulier illa Syrophenifſa, quę ſanguinis patiebatur fluxum, Chriſtum Dominum, vt eam deperditę ſanitati reſtitueret: acceſſit tetigit fimbriam veſtimenti eius, ad cuius contactum valetudinem eſt conſecuta: *Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius*. &c. Matth. 9. verſ. 20: Tertulian. ſtupet in tanto miraculo, & audacter exclamat. *O deum non natura, ſed æmulatione beneficum*. Hic enim verba hęc, ſuper quę digladiantur eius interpretes, protulit. Et ſic capito, ac ſi diceret. Hoc non miraculum conditionis, ſed contentionis videtur. Sic miracula deſpiciuntur, quòd vel ad leuem contactum mulier tam ſtupendum miraculum impetrat? Exſpectaret Chriſtus, vt morboſa mulier deoſcularetur pedes, manus tangeret, vt gratiam exoraret, vt vel ſic grates rependeret, & miraculum commendaret: quidquid enim facilè concluditur in paruo habetur pretio. Fortè Bernard. Tertulian. legit hęc obijcientem, & ipſi reſpondit veſtimentorum fimbria, quaſi neceſſitate compulſum Chriſtum miraculum patraſſe. Et vndè hęc neceſſitas,& quaſi coactio? Ex qualitate partis, quam mulier ſolerter tetigit: nam Chriſti veſtimentum ſancti ſunt, quibus decoratur, & exornatur egregiè: ſic enim per Iſaiam 49. verſ. 18. Pater ipſi pollicetur: *Viuo ego dicit Dominus, quia omnibus his velut veſtimento veſtieris*, vbi Lyra. *Multitudo enim fidelium eſt Eccleſiæ ornamentum*. Infima pars huius veſtimenti humilibus competit, & omnium minimo, qualis fuit eximius Patriarcha Franciſcus de Paula, fimbria, quæ in ima parte veſtimenti exiſtit. Quid igitur mirum, quando mulier illa dolens caſu, aut ſtudio fimbriam tangens miraculum in ſe tam ſtupendum portaret? & quaſi inuitus illud patraret Chriſtus? ſiquidem dum ad Sanctorum minimum acceditur, è Dei manibus quaſi neceſſariò miracula cadunt. Pulchrè, & enodatè Bernardus ſerm. de 4. modis orādi ex cuius verbis hęc pauca libo. *Eum conſidera quem humiliorem videris, & extremum in Eccleſia: hunc ſi prece humili tetigeris, ſine dubitatione ſanaberis*. Sic humilitas Franciſcum extulit, vt admirabilem quandam diuinæ omnipotentiæ participationem eleuaret, & per modum habitus miracula patraret; atque (vt dixit Tertul.) quaſi emulatione, & contentione.

Verſ. 10. Et ipſe de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt: ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.

ANNOTATIO VIII.

Expoſitio Litteræ.

1. Hieronym. ſic exponit: *Ducet ante currum ſuum captiuos Reges, & habebit irriſui*. Septuag. legunt: *Et tyranni ludibria eius erunt*. Hebræus vertit: *Principes, ſeù Gubernatores riſus illi*. Habebit ſecum Reges captiuos, qui ſibi ſeruiant, & riſum moueant, ideſt, qui paraſiti eius ſint, vel quos riſui omnium exponat, habens domui ſuæ vt ſeruos. Tyrannus in hoc loco (ſicut olim quo-

que

que apud veteres) in bonam accipitur partem pro Rege, ſeù Monarcha: quo pacto Vigil. 7. Æneid. Ænæam appellat tyrannum; inquit enim Rex Latinus.

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.

Et Lucanus: *In dubijs tutum eſt inopem ſimulare tyranno.*

Nec malè interprete eris: Tyranni, ſeù Reges riſus illi, ideſt, nullius Regis potentia terrebitur: ridebit, cum magnas aduerſum ſe acies extructas viderit. Quo pacto etiam ſtatim ait: *Ipſe ſuper omnem munitionem ridebit*: ſic Theophil. & Theodor. hæc verba exponunt. Quaſi enim per luſum magis, quam ſerio, & data opera, maxima etiam Regna debellabit: quod ſanè fecit Nabucho perturbando, ac componendo iterum, & ſepiùs Judæorum Rempublicam. Ademit Regnum Joachino, & paulò poſt reſtituit, & rursùs debellauit: ereptum à parente regnum dedit illius filio Jæchoniæ, quem ſtatim poſt tres menſes ab inito regno, è ſolio depoſuit. An non eſt Nabuchodonoſori Reges eſſe ridiculos, & illos habere dignos, in quibus iocandi, atque irridendi idoneam haberet, paratamque materiam? Neque minus ridiculum habuit, & quaſi iocularem Sedeciam: cui poſt regnum effodit oculos, & cum inſigni illius ignominia, atque ludibrio laſciuos conuiuarum oculos oblectare voluit.

2. *Ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.* Ideſt, contemnet omnem arcium, & murorum munitionem: quantumuis enim inaceſſæ videantur arces, & in arduo ſitæ, exſtruet magnum aggerem, & indè eas expugnabit, & capiet: vt fecit in Tyri oppugnatione: & licet non videretur hominum induſtria Jeroſolymam Ciuitatem poſſe expugnari, tamen conſtantiæ Chaldæorum ſuccubuit, quod pertinaciter, & accuratè præſtiterunt Chaldæi, vt refert Joſephus lib. 10. anti. cap. 11. *In terra Babylonius pergebat in expugnandis acriter Jeroſolymis extructis aggeribus, & erectis turribus, ex quibus arcebat propugnatores ſtantes in mœnibus, multos enim aggeres circumquaque excitauerat vrbis muro altitudine pares.* Aggerem autem terreum intelligit Propheta: eſt enim in Hebræo. *Comportabit puluerem, aut terram*: Quaſi dicat: Etiamſi ligna, aut ſaxa non ſupeterent ad aggerem excitandum, de terra faceret: hoc enim, & reliqua militiæ machinamenta, quæ diſijciunt mœnia, & quidquid hominum ars, & induſtria machinari poterunt, comportauit Nabucho: & ſicut quoſcunque Reges ſibi oppoſitos ridiculos habuit, ſic omnem munitionem, ſeù Ciuitatem, munitam irriſit.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Egregiæ virtutes infortunatæ, & moribundæ.

1. EO quòd Nabuchodonoſor Reges, Magiſtratus, ſeù Gubernatores (vt in Hebræo eſt) habebat in deriſum, & quaſi paraſitos, moralis Gloſ. hunc locum capit de animo potentis, ſtudio, & inclinatione, ad virtuoſos deijciendos propenſo. *Per quod ſignificatur* (ait Gloſ.) *eius ſtudium ad virtuoſos deijciendum, quorum aliquos deijciet; ideò ſubditur, & capiet eam.* Hoc enim innatum vitium Principibus eſt: ſceleratos, & inſipientes fouent, amant, & extollunt; ſapientes autem, & qui eximijs animi dotibus pollent, dirident, & ridiculos habent, atque vſque ad mortem perſequuntur. Nec mirum quod potentiores, & Dynaſtæ lethaliter in egregiæ virtutis viros inſurgant, quandoquidem ab ipſa natura erudiuntur, quæ ſtultorum vitam fouet, & auget: perfectorum autem, & qui ad apicem ſapientiæ peruenerunt, morte immatura plerumque rapit. Quod bellè dixit Seneca lib. de conſolatione ad Marcian. cap. 23. *Quidquid ad ſummum peruenit, ad exitum propè eſt. Eripit ſe, auferque ex oculis perfecta virtus: nec vltimum tempus expectant, quæ in primo maturauerunt. Ignis quo clarior fulſit, citius extinguitur: viuacior eſt, qui cum lenta, difficilique materia commixtus, fumoque demerſus ex ſordido lucet: ea-*

 dem

dem enim detinet cauſa, quæ malignè alit: ſic ingenia quo illuſtriora, breuiora ſunt. Hanc egregiorum pignorum breuitatem agnouerat ille alter, qui ex talentis à Patre familias diſtributis inter ſeruos, vt lucrum facerent, vnum tantum accepit, quod (vt refert Matth. c. 25.) in terra abſcondit, & ſepeliuit, ipſique prius (vt ex Luca conſtat) funeralia officia fecerat illud in ſudario mortuorum inuoluens: *Domine ecce omnia tua, quam habui repoſitam in ſudario*, Luc. cap. 19. v. 20. Et cur talentum ſibi commiſſum ad lucrum mortuorum ſudario inuoluit, & humauit in terra? Quid in illo talento accepit, quàd tam inutile habuit, & ſtatim mortuum reputet, & ſepeliat? Auſculta magnum Gregor. *Vnius autem talenti nomine intellectus tantummodò deſignatur*, hom. 9. in Euang. Se hominem talenti agnouit: quidquid ipſi datur ad lucrum, intellectus eſt, nil aliud habebat, niſi ingenium: meritò igitur illud in ſudario inuoluit, & ſepelit: quia qui nihil habet, niſi ingenium, mortuis annumerari debet: qui magno ingenio pollet, & ad apicem ſapientiæ peruenit, moribundus eſt: qui egregias animi dotes poſſidet, non niſi lethalem infirmitatem patitur, atque vſque ad mortem ægrotat. *Et quamuis ſecum contentus ſit ſapiens ad beate viuendum* (vt rectè dixit Sen. epiſt. 9.) *non ad viuendum, ad hoc enim multis illi rebus opus eſt*. Indiget ſapiens ad viuendũ potentum gratia, & auxilio, quibus ſemper caret.

2. Præcauens Dauid mortem ſibi imminentem in Ciuitate Geth, & circa Regem Achis, ad quem confugerat, quam aulici machinabantur ipſi inſidiantes, & regiam voluntatem à Dauide euertere ſatagentes, ſe inſanum, & inſipientem ſimulauit. *Extimuit* (inquit text.) *valde à facie Achis Regis Geth, & immutauit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ, defluebantque ſalinæ eius in barbam*, 1. Reg. 21. verſ. 12. & 13. Quærunt interpretes, an Dauid peccauerit ſe inſanum, & ſocordem ſimulans. Omnes affirmant non deliquiſſe, numquamque peccauiſſe Dauid, niſi cum Vriam occidit, & eius cognouit vxorem: redditque rationem Abulenſ. *Quia (vt ait Cato) ſtultitiam ſimulare, prudentia ſumma eſt: nullus alius locus aptior eſſe poteſt ad fingendam ſtultitiam, quam vbi certiſſima mors excuſatur: ergò non peccat, qui in tali caſu fingit ſtultitiam.* Ar quo pacto Dauid ſocordiam, & ſtultitiam ſimulans vitare potuit mortem apud Regem, & ipſius miniſtros? Quid tam odibile, quam inſipientia? Quid periculoſius ſtultitia? Omnes eam exoſam habent, nec vita dignum hominem ſtultum, & à rationali natura degenerantem reputant: contra inſanos, & ſocordes vel pueri inſurgunt lapidibus eos impetentes: ergò non ſolerter Dauid fecerit ſtultitiam, & inſaniam ſimulans, vt vitam tueretur; quandoquidem maiori periculo vitam exponebat. Verùm expertus Dauid ſtultitiæ, & ſapientiæ fortunas, tutiorem habuit inſipientiam: ſciebat enim vir prudens apud Reges, & Dynaſtas, ſtultos, inſanos, & paraſitos tutos eſſe, & in pretio, & æſtimatione habitos, ſapientes verò, & pręditos virtutibus in magno vitæ eſſe diſcrimine: & idcircò ſtultum ſe, & ſocordem ſimulauit, vt vitam ſtultitiæ beneficio tueretur. Perſonata inſania illum cuſtodiuit, & qui ſapiens viſus ſine dubio erat mortem incurſurus, inſipientiæ larua eam agebit.

3. Mirificè id ipſum innuit Iacobus in ſua epiſt. Canonic. cap. 1. verſ. 17. loquens enim de donis à Deo hominibus præſtitis, ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Mirum planè eſt, quod cum de donis à Deo acceptis agat Apoſtolus, eum Patrem luminum vocet. Quid lumini cum largitione muneris? Expediret enim Patrem miſericordiarum apellare, vt dixit Paulus 2. Corint. 1. verſ. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, &c.* Dona enim miſericordiæ ſunt effectiuè: non luminis: quia lumen ad intellectum ſpectat; intellectus autem munera non largitur, ſed voluntas: hæc enim pro ſuo libito dona diſtribuit, & eius imperio omnia fiunt; liberalitas, & miſericordia virtutes ſunt voluntatis, non intellectus. Cur ergò cum Deum immutabilem vocat, & Patrem luminum, cum largitorem munerum perhibet? Egregiè Gregor. lib. 2. moral. cap. 17. *Quid mutabilitas, niſi quædam mors eſt, quæ dum rem quamlibet in aliam immutat, quaſi occidit, quod fuerat, vt incipiat eſſe, quòd non erat: ſed quia Deo mutabilitas non venit, nulla eius lumen vmbra viciſſitudinis intercidit.* Quaſi qui dona Dei capiunt, videlicet intellectum, ingenium & ſapientiam, inter mortuos annumerari debeant: & idem vt dona hæc à Deo accipere, ac ad mortem properare: ſiquidem ſolus Deus, qui lumen, & intellectus eſt, mortem, & mutabilitatem non patitur, immunis eſt à viciſſitudine mortis; reliqui, qui lumina accipiunt, & intellectualibus ornantur virtutibus, morti ſunt proximi, & in illius vmbra ſemper ambulant. Idcircò forſan luminum meminit, dum de largitione intellectus loquitur, quia lumina funeribus ſolemnia ſunt: & ità eſt certum, & commune morti eſſe proximum, qui præclaris animi dotibus inſignitur, vt opus ſit, Deum compellare immortalem, cum Patrem luminum, & poſſeſſorem intellectualium virtutum eſſe perhibetur. Vmbratiles mortis viciſſitudines ſapientia patitur, etiam ipſi morti exoſa eſt, fortunæ ludibrium, & omnium laborum oneribus obnoxia.

4. Notabile valdè eſt illud epitectum, quo Iacob Iſſachar inſigniuit, Geneſ. 49. verſ. 14. *Iſſachar aſinus fortis, accubans inter terminos.* In

In Hæbreo eſt. *Iſſachar aſinus oſſeus*, vel *dorſi*. Scire oportet Iſſacharitas ſapientiores fuiſſe Hebreæ gentis, & ſemper in contemplatione ſcientiarum occupatos, vt conſtat ex illo. 1. Paralypom. 12. verſ. 32. *De filijs quoque Iſſachar viri eruditi*. Iam ergò exurgit difficultas, & oculis objicitur. Cur ſapientior tribus aſinus fortis, oſſeus, & dorſi dicitur, cum nihil minus ipſi competat? Aſinus enim brutum eſt animal, ſtupidum, & ad ſcientias ineptum, omnibuſque rationis expertibus ſtolidius. Quo ergò pacto tribus ſtudioſa, ſcientijs nata, & ſapientiæ dedita aſinus vocatur oſſibus robuſtus, & dorſo: cum inhabiles, & incapaces ad ſcientias capeſſendas aſini nomine improperemus? Aliqui autumant litteratam tribum Iſſachar aſinum vocari fortem, vt vel ſic innuatur, quam laboret ſapiens in ſcientiæ exercitijs, & quam grauis ſarcina eius humeris incumbat, & perpetuo dorſum premat. Sed reor ſapientem tribum aſinum vocari fortem, oſſeum, & robuſti dorſi, quia etſi pretioſum ex ſe litteratus homo, tamen tam infelicis eſt fortunæ apud Reges, & Dynaſtas, vt tanquam viliſſimum, & ſtupidiſſimum animal æſtimetur. Magna ſapientia onus maximum eſt, aſcenſum ad dignitates, & potentum gratiam maximè retardat, & impedit. Litteratus ergò Iſſachar aſinus fortis, & oſſeus dicitur, ad portandum litteraturæ onus, ſubeundoſque labores, quos ſemper patitur ſapiens. Adeò enim eſt certum ſapientem laboribus, & omnium iniurijs eſſe obnoxium, vt ex illis ſapientem hominem eſſe liceat inferre. Sic enim in Paralypom. lib. 1. cap. verſ. 52. dicitur de filijs Iſſachar. *De filijs quoque Iſſachar viri eruditi qui nouerant ſingula tempora*. Ad quæ verba Hieronym. in quæſtionib. Hebraicis dixit: *Aiunt Hebræi ſignificari, quòd Iſſachar ſcripturas ſanctas die, ac nocte meditans ſtudium ſuum dederit ad laborandum, & idcircò ei omnes tribus ſeruiant, quaſi magno dona portantes*. Ex eo quòd tribus Iſſachar ſudoribus, & laboribus fuit addicta, inferunt Hebræi Iſſachar fuiſſe ſapientem: idem enim eſt ſapere, & pati.

5. Joſeph fratrum ſuorum deſiderio ſatiſfaciens, & ſolicitus ne in Ægypto remanerent, & idololatria polluerentur, neceſſeque habens eorum aliquos ad præſentiam Pharaonis adducere, quinque illorum attullit, de quibus ſic loquitur textus. *Extremos quoque fratrum ſuorum quinque viros ſtatuit coram Pharaone*. Gen. 47. v. 2. Valdè ambiguè loquitur textus, nec facilè eſt percipere, quid per *extremos* veniat intelligendum. Nam extremitas æquè vtrumque reſpicit terminum, & excellentiæ, & imperfectionis: proindèque difficulter deprehenditur, an extremi fratres, quos Ioſeph ad Pharaonis conſpectum duxit, perfectiores, & elegantiores fuerint, an qui nulla vel parua perfectione, & virtute pollebant. Lyra enucleatiſſimus Hebraicæ linguæ ſcrutator per *extremos* perfectiores, & omnium virtutum genere illuſtres intellexit: *Extremos, ideſt, maiores, & valentiores: vt ex hoc Rex, & Conſiliarij ſui magis haberent acceptum Dominum Ioſeph, videntes cognationem eius eſſe ita gratioſam*. Sed hinc magna exurgit difficultas: nam ſi mens erat Ioſeph, quod fratres in Ægypto non remanerent, ne moribus gentium ſe immiſcerent, & idola colerent, vt conſtat ex præcedenti cap. vbi Ioſeph eos inſtruens conſulit, vt paſtores ouium ſe oſtendant, qui exoſi Ægyptijs valdè erant: *Cumque vocauerit vos, & dixerit. Quòd eſt opus veſtrum? Reſpondebitis. Viri Paſtores ſumus: hac autem dicetis, vt habitare poſſitis in Terra Geſſen, quia deteſtantur Ægiptij omnes paſtores ouium*. Quo ingenio elegantiores fratres coram Pharaone ſtatuit, vt Rex ipſorum virtutibus allectus eos in curia rebus ciuilibus intendentes, aut in militia occupatos relinqueret? Præſtaret enim, quòd Joſeph ineptiores fratres, & qui nullo virtutum ornamento nitebant, adduceret, vt eos Pharao non haberet gratos, ſed deſpiceret, ac liberè abire permitteret. Sic ſtultè Joſeph ſuo deſiderio obſtat, vt meliores fratres deligat, Pharaonis famulatu aptos, dum eos ab Ægypto exulare ſatagit? Pulchrè Oleaſt. etſi contraria via incedat. *Mira prudentia cum gentili egit, vt ſcilicet mitteret fratrum ſuorum ineptiores* (aptiores debebat dicere) *ne Rex in alijs miniſterijs eis vteretur. Timuit enim vir prudens, ne fratres Ægyptijs commixti illorum mores, & cæremonias diſcerent*. Prudenter nimis ſe geſſit Joſeph fratrum perfectiores ad Pharaonis conſpectum adducens, & in Ægypto non permanere deſiderans: ſciebat enim Prorex expertus, & ſagax, quam ſint inuiſi Regibus, & Dynaſtis, qui egregio virtutum apparatu exornantur, ratumque habuit, Pharaonem, & eius primos miniſtros non fratres ſuos deligere ad munera obeunda, ſi eos benemeritos, & egregijs virtutibus pollentes aſpicerent: & idcircò elegantiores fratres duxit; quòd non accideret, ſi detuliſſet ineptos, quos in conſiliarios, aut belli duces aſſumere veriſimile ipſi videbatur. Mira ſapientia, & ſagacitate meliores adduxit fratres, ſciens ipſos deſpici, & fortè irrideri, atque inuidiæ telis exponi. Quod ferè ſemper accidit: egregij namque viri reijciuntur: incapaces, & inepti ad munera eleuantur. Id Dauid præſagiebar Pſalm. 70. verſ. 19. *Quia non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini*. Valdè ſudant Interpretes, vt quid per potentias Domini intelligatur, interpretentur: placet nunc Janſenij expoſitio ſic exſcribentis: *Quia non cognoui litteraturam, introibo in potentatu, ſeù prælatione*. Quaſi ſapientia impedimentum ſit ad præfecturas, inſipientia autem optima, & vltima diſpoſitio. Sic enim hoc regulariter accidit, vt raro contingat oppoſitum, & pro miraculo habeatur. Hinc enim cum nouitate

(nam

(eam enim denotat aduerbium *ecce*, quo Euangeliſta vtitur, dum de ſapientibus illis Regibus, qui ad Chriſtum venerunt) loquitur. *Ecce Magi, ecce Stella*. Matth. 2. ac ſi rarum quid, nouum, mirabileque demonſtraret, ſapientes ſtellam fortunatam habentes demonſtrans. Raro enim accidit, quod ſapientes ſtellam habeant propitiam: frequenter enim ab omnibus oppugnatur egregia virtus; imò quod mirari licet, ſe ipſam oppugnat, & interimit: nam quotquot radios lucis emittit, tot nubis radios, & fulgura in ſe reflectit. Sic vel in ſe ipſa magna virtus periclitatur.

6. Judam benedicturus Jacob dixit Deuth. 33. v. 7. *Manus eius pugnabunt pro eo*, De Chriſto Domino hæc communiter accipiuntur, qui ex tribu Juda ortum habuit. At quo pacto eius manus pro eo, ſeù contra eum pugnare dicuntur? Equidem non gladio, nec ſagittis, ſed miraculis, & virtutibus, quæ Meſſiam eſſe comprobabant Hebræus vertit: *Multũ ei*, ideſt, *lis ei*. Quia Meſſiæ manus multum propter mira opera, quæ effecerunt: at etiam fuerunt lis ei, id eſt, occaſio litis cum Phariſæis. quia enim Sabbatho ſanitati hominem reſtituebat, & miraculis poſt ſe mundum trahebat, inuiderunt ei: ſua opera contra ipſum pugnabant, & mortem intulerunt. Sic refert Pluarch. in vita Niſiæ, quod Zechitas ſtrenuus Dux, capta Lesbo vrbe munitiſſima, in cuius expugnatione mira fecerat, quæ orbem in ſtuporem rapuerant, Senatui belli ſucceſſus narrans, magnitudinem vitæ, & operum ab ipſo factorum, poſt orationem factam, & acclamationes populi propter ſua præclarè geſta: *Educto gladio ſe ipſum interemit, vt inimicorum calumnias vitaret* ſciens tot facta, & præclara opera mortem ſibi allatura.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Vera magnitudo omnes ambit extremitates: falſa autem vnam tantum, illamque ſuperiorem.

1 PVlchrè Seneca. lib. 2. de benef. cap. 17. ambitionis genium, quo ſemper ſuprema aſcendere ſuſpirat, & infima deſpicit, depinxit. *Æquè ambitio non patitur quemquam in ea menſura honorum conquieſcere, quæ quondam eius fuit impudens votum. Nemo agit de Tribunatu gratias, ſed queritur, quod non eſt ad Præturam vſque perductus; nec hæc grata eſt, ſi deeſt Conſulatus, nec hic quidem ſatiat, ſi vnus eſt. Vltra ſe cupiditas porrigit, & fœlicitatem ſuam non intelligit, quia non, vndè venerit, reſpicit, ſed quo tendat*, Premenda hæc vltima verba, quibus ambientes carpit, qui neſciunt oculos in dorſum conuertere, nec vndè deceſſerunt, ſed quo tendunt, ſemper reſpiciunt: non extremitatem infimam capiunt, ſed eleuatam anhelant; proindèque nunquam ad veram magnitudinem perueniunt, quia hæc vtrumque claudit extremum, & infimum humilitatis, & maieſtatis eleuatum: quemadmodum harmonico vocum concentu non benè potitur, niſi qui primam, & vltimam vocem accuratè percipit. Maximus ille Rex Regum, & Dominus Dominantium, cuius magnitudo ità eſt immenſa, vt nullo circumſcribatur termino (ſicut pſalebat Dauid. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*. Pſalm. 47. v. 2.) ità de ſua magnitudine gloriatur, vt vtrumque claudat extremum, & maximum celſitudinis, & minimum humilitatis: erudiens enim dilectum Diſcipulum in ſua Apocalypſi Alphabetum, quo eum poſſit cognoſcere, & Arithemeticam, qua poſſit numerare, oſtendit his verbis: *Ego ſum Alpha, & Omega, initium, & finis, primus, & nouiſſimus*, Apocalyp. c. 21. v. 6. Inuſitatus dicendi modus. Vt magnitudo infinita dignoſcatur, duabus tantum litteris, prima nempè, & vltima alphabeti, inſtruitur Apoſtolus? Reliquæ litteræ cur non ad prædictum finem deſeruient: præcipuè cum incomprehenſibilis illa magnitudo, nec litteris omnibus poſſit comprehendi? Cur ex penè infinitis vnitatibus, quibus Arithmetica conſtat, tantummodò prima, & vltima ad ſuæ magnitudinis oſtenſionem vtitur? *Primus, & nouiſſimus*. Crediderim, quia nulla res, quæ in medio conſiſtit, poteſt illas repreſentare, quę verè magnæ ſunt: quia res intermediæ excedunt minores, & à maioribus exceduntur: cæterùm nobilitas primæ, & vltimæ litteræ, vltimæ, & primæ vnitatis, vt in eis tota Dei magnitudo legatur, & numeretur, in eo conſiſtit, quòd prima littera, & numerus primus ita à reliquis exceditur, vt impoſſibile ſit plus diminui, & humiliari: quod extremum humilitatis attigit Chriſtus, cum dixit de ſe ipſo: *Ego ſum vermis, & non homo* Pſ. 21. Vltima autem littera, & vltima vnitas ita reliquas, excedit, vt nulla eam æquet: quòd ſignificauit Chriſtus eidem Euangeliſtæ, cum dixit. *Ego ſum Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Apocalyſ. 19. verſ. 16. ideòque extremis tantum litteris, & vnitatibus potuit ſuam magnitudinem exprimere, non intermedijs: quia quantumuis creſcant, non poſſunt pertingere vltimum faſtigium magnitudinis: & quantumuis deprimantur, ad vltimum punctum humilitatis non poſſunt peruenire: vera autem magnitudo niſi vtrumque ambiat, & comprehendat extremum, non poteſt ſubſiſtere.

2. Hiuſmodi generoſam magnitudinis proprietatem voluit Deus exprimere in Filio ſuo, qui punctum minimum humilitatis attigit correſpondentem puncto maximo diuinitatis.

Vidit

Vidit Jacob in ſomnijs ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ. Putat Auguſt. relatus à Lypoman. in catena, Chriſtum Dominum vtrumque extremum ſcalæ occupaſſe, in terra in Jacob dotmiente figuratum, & in ſuperiori parte ſcalæ pendentem in Ctuce: *Iacob typum gerebat Domini Saluatoris. Et quid eſt in ſcala incumbere, niſi in ligno pendere?* Et ſtatim admirabundus cauſam huius repetitæ viſionis intertogat: *Si Iacob dormiens in terra Dominum figurabat, quid eſt, quod in cœlo Dominus ſcalæ innixus incumbebat?* Simul, & eodem tempore vtrumque angulum ſcalæ implectitur, in Jacob dormiente exprimitur, & in Cruce pendens figuratur? In terra humilis iacebat, & in cœlo apparebat exaltatus? Suſpicor voluiſſe Deum ſuam magnitudinem in Filio ſuo exprimere; & idcircò vtramque extremitatem ambit, & comprehendit: cœleſtem, vbi quod habet maximi, & diuini declaratur: & terrenam, vbi id quod habet humilitatis, abiectionis, paupertatis, hominis tandem innumeris miſerijs obnoxij exprimitur. Obſtat tamen huic ſententiæ Auguſt. mens, & doctrina: nam ſi Chriſtus Dominus in ſuperiori parte ſcalæ in ligno pendet: quo pacto ibi ſuam magnitudinem, & diuinitatem obſtendit, cum in Cruce Dominus vltimam pateretur abiectionem, ibique tetigerit punctum minimum, & extremum humilitatis? Congruit tamen Auguſtin. ſubtilitas, ſi percipiatur. Figurabat Jacob dormiens Deum Incarnatum, idque admiratur, cum videat ſic Deum deſcendiſſe, vt noſtram naturam aſſumeret. Cœterùm non ibi eum conſiderat eleuatum ad cœlum, quia aſſumptione humanitatis tantum non peruenit ad extremum humilitatis, & abiectionis: at cum ipſum vidie in Cruce pendentem, blaſphematum, & ab ingrato ſuo populo irriſum: tunc eum agnoſcit in tota ſua magnitudine, exaltatione, & gloria innixum ſcalæ in cœlo, in ſuprema parte ſcalæ Deo incorporatum, & vnitum? quia cum ad extremum humilitatis peruenit, neceſſe fuit, vt ad maximum celſitudinis aſcenderet. Incepit Deus deſcendere, cum noſtram naeuram aſſumpſit: deſcendit plus, famem patiendo, ſitim, & frigiditatem iniurias, & contumelias: deſcendit tandem ad vltimum punctum humilitatis, cum ad ignominias, & mortem Crucis peruenit: hoc autem vltimum hnmilitatis punctum circulum claudit, & eò vnitur CHRISTUS puncto maximo ſuæ exaltationis; proindèque cum in Cruce pendet, in cœlo, & vltima parte ſcalæ apparet; quia vera magnitudo vtramque comprehendit extremitatem, nec vna ſine altera exiſtere valet.

3. Error autem hominum, & Angelorum in eo ſolet eſſe, quod vnam tantum extremitatem affectent, ſuperiorum videlicet, altera humilitatis neglecta, inuerſoque gradiuntur pede, quia non extremum humilitatis capiunt, propterea quod conantur ab extremo celſitudinis incipere. Hæc enim cęcitas, & ſtultitia ambitionis eſt: *Habet hoc vitium omnis ambitio: non reſpicit, quia incipit ſemper à fine*: ait & rectè Seneca Epiſt. 73. *Similis ero altiſſimo, & exaltabo ſolium meum*: dicebat ille ſupetbiſſimus Chetubin Iſa. 14. verſ. 14. quaſi non contentus dotibus naturę, & gratię, quibus fuerat cumulatus. Non adducat, vt credam huiuſmodi Angelum omnimodam ſimilitudinem Dei affectaſſe, licèt ſuperbia, & deſiderio proprię excellentię cęcutiret: quandoquidem ignorare non potuit creaturam eſſe, diſtantiamque infinitam inter ipſum, & Deum. Varię ſunt Doctorum ſententię in aſſignando motiuo huius inordinati affectus. Aliqui Angelum affectaſſe vnionem hypoſtaticam, et adorationem naturę aſſumptę tenent. Alij Summum Pontificatum, et caput hominum conſtitui deſideraſſe affirmant. Quòd ego ſemper admirabar, illud eſt, quo pacto ſpiritus ita capax, et toto animo intentus ad ſuam magnitudinem, et exaltationem, naturam ignorauit verę, & permanentis magnitudinis, quę in comprehenſione vtriuſque extremi conſiſtit; et vnum tantum apprehendit, illudque ſupremum: *Similis ero altiſſimo, & exaltabo ſolium meum*, Cur alterum extremum humilitatis non quęſiuit, vt recto tramite ad magnitudinem aſcenderet? Reor equidem hoc Luciferum non latuiſſe, et habuiſſe compertum ad ſuprema non iri, niſi per humilia: cęterum errauit ſemitam, et ideò irremediabiliter perijt. Incepit à fine: apprehendit primo extremum excelſum, et ſublime. *Similis ero altiſſimo*: et poſtea extremum humilitatis quęſiuit: *In cœlum conſcendam*. A diuinitate, quam arroganter ambibat, deſcendit vſque ad Empyriũ. *Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum*: Plus aliquid deſcendit, quia aſtra inferiùs cœlum occupant Empyrio. *Sedebo in lateribus Aquilonis*: Plus ſe dimittit, cum ab aſtris ad aera deſcendat: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium*: Magis ſe deprimit, quia aer ſupergreditur nubes: *Sedebo in monte teſtamenti*: Vlterius cadit, quia montes inferiorem locum nubibus tenent. Quid humilius? A Deo ad Empyrium, ab Empyrio ad ad aſtra, ab aſtris ad aerem, ab aere ad nubes, à nubibus ad montes. Vbi igitur error miſeri huius Angeli fuit, nam vtrumque extremum appetiuit? In modo fuit error, in elatione culpa. Apprehendit enim primo punctum maximum, excellentiam ſupremam, extremitatem excelſam: *Similis ero altiſſimo*: et poſtea non vero animo, ſed decipiendi genio gradatim ſuam diminutionem quęſiuit, et extremam humilitatem: ſiquidem in ipſo deſcenſu deprehenditur eius relatio, deſcendit enim aſcendendo: *In cœlum*

conſcen-

Digitized by Google

conſcendam: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: Sedebo in lateribus Aquilonis: Aſcendam ſuper altitudinem nubium: Sedebo in monte teſtamenti. O infœlix creaturarum! Erraſti viam re magnificandi. Incepiſti ab extremo ſuperiori, cum ab inferiori deberes incipere. Attende miſer Minimum FRANCISCUM DE PAULA, qui vt ad extremum excelſum deueniret in cœlo, ab extremo humilitatis incepit in terra: vt pertingeret punctum maximum, à Minimo incepit. Hac igitur ſuperborum mente prӕditus Nabuchodonoſor imperium ambibat vniuerſæ terræ, ſicut Lucifer conabatur ſuper aſtra ſedere: *Ipſe de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt*, Hic verſ. 10. Quem, vt errorem, & arrogantiam cognoſceret, in Belluam Deus conuertit: & à Maieſtatis faſtigio ad vilitatis, & abiectionis deuenit extremum,

Verſ. 11. Tunc mutabitur ſpiritus, & pertranſibit, & corruet: hæc eſt fortitudo eius Dei ſui.

Verſ. 12. Nunquid non tu à principio Domine, Deus meus Sancte meus, & non moriemur? Domine iniudicium poſuiſti eum: & fortem, vt corriperes, fundaſti eum.

ANNOTATIO VIIII.

Expoſitio Litteræ.

1. VAriè à varijs hæc explicantur verba. Placet mihi præomnibus expoſitio Hieronymi. Tunc enim, ait, cum Nabuchodonoſor comportauerit aggerem, & nihil viribus eius obuium fuerit, tunc mutabitur ſpiritus eius in ſuperbiam, & Deum ſe credens, imaginem auream ſtatuet in Babylone, quam vniuerſas gentes adorare compellet. Quòd cum fecerit, tranſibit in beſtiæ figuram, & poſtea corruet. Pro quo Aquila, & Simachus tranſtulerunt *delinquet*. Hęc enim conſuetudo eſt in ſacra Pagina, verbum *delinquo* ponere, pro eo quòd eſt, deſinere eſſe, quod fuerat tale. Quòd & nos habemus in linguæ noſtræ idiomate dicentes: Peccauit vinea, & ager, pro eo, quod eſt vindemiam, & fruges non habere prouentum.

2. *Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui*. Quaſi dicat: *Hæc eſt fortitudo eius, quam dedit ei: vel Deus ſuus, ad cuius cultum omnes nationes per ſcripturam, & comminationem mortis ſæuiſſimo imperio compellebat*: ait Hieronym. Licèt alius Genius Deus potuit eſſe Nabuchodonoſor, à quo ſperaret auxilium in bello, ſicut ethnicis familiare fuit: vel Deum ſuam dexteram robuſtiſſimè armatam putauit, quam antiqui tanquam Deum precabantur, vt fœlices præſtaret ſucceſſus. Sic Mezentius apud Virgil. lib. 10. Æneid. ſuis dextræ, & armis diuinitatem arrogat.

Dextra mihi Deus, & telum quod miſſile libro;
Nunc adſint.

Et Statius lib. 10. de Thebai. loquens de Capaneo:

Ades ò mihi dexſtera tantum
Tu præſes belli, & ineuitabile numen:
Te voco, te ſolum ſuperum contemptor adero.

Illud autem, quòd annotat Hieronymus, valdè vſitatum eſt in ſcriptura. Ezechiel.6. *Et diſſipabuntur, & interibunt animæ veſtræ*: pro *interibunt* in Hebræo eſt.

pecca-

Peccabunt. Oſeæ cap. 10. *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt*. Septuag. transferunt. *Peccabunt*. Et hinc intelligitur illud Pſal. 33. verſ. 23. *Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum, & non delinquent omnes, qui ſperant in eo*: ideſt, non deficient, non peccabunt.

3. *Nunquid non tu à principio Domine Deus meus, Sancte meus, & non moriemur?* Idem valet, ac ſi diceret Propheta: Nunquid Domine non elegiſti nos à principio, ex quo vocaſti patrem noſtrum Abraham, & ex eo tempore es ſanctus noſter, qui nos ſanctificas, & quem nos ſanctè colimus? Sanè cum tu ille ipſe ſis, nec tua promiſſa aliquo pacto irrita eſſe queant, procnldubio nequaquam moriemur: nec omnino vniuerſi vaſtabimur, etſi in emendationem, & correctionem huic ſæuiſſimo tradamur tyranno. Spem meam excitant, quæ huic populo tu contuliſti, beneficia, & dilectionis ſigna. *Et non moriemur*. Modus loquendi eius eſt, qui de rerum euentu, & voti complemento non dubitat. Non enim dicit (vt rectè aduertit Sanchez) vt non moriamur: ſed *& non moriemur*. Illud & (vt alijs locis) particula eſt cauſalis. Quaſi dicat: Tu es Dominus Deus noſter, & Sanctus noſter, ergò non moriemur, aut propterea non moriemur. Sic Geneſ. 49. verſ. 15. de Iſſachar dicitur: *Vidit requiem, quòd eſſet bona: & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum*. Ideſt, idcircò, propterea ſuppoſuit humerum ſuum.

4. *Domine in iudicium poſuiſti eum, & fortem, vt corriperes fundaſti eum.* Senſus eſt: Non vtique Domine, vt eum honorares, non vt augeres gloria, opibus. & imperio, hunc Babylonicum immaniſſimum tyrannum tanta potentia, & fortitudine roboraſti: verùm vt tui eſſet miniſter iudicij, vtque per eum populo tuo ſalubre ſupplicium, ac medicinalem caſtigationem inferres. *Nos pro peccatis noſtris hæc patimur* (aiebat Iunior Machabæorum lib. 2. cap. 7.) *etſi nobis propter increpationem, & correctionem Dominus noſter modicum iratus eſt, ſed iterum reconciliabitur ſeruis ſuis*. Quòd autem ad illud opus nihil Nabuchodonoſor haberet à ſe ipſo, ſed vires, ſpiritum, & robur à Domino populum ſuum flagellare decernente acceperit, innuit Propheta illis verbis: *Et fortem, vt corriperes, fundaſti eum*. Ideſt, tu ei tribuiſti vires, artem, & induſtriam ad debellandam Ieroſolymam, & opprimendum Iudæos: nihil habet à ſe ipſo, de quo poſſit gloriari, & blandiri.

Iudicium autem in hoc loco, vt in alijs quamplurimis ſcripturarum, ſupplicium, & caſtigationem ſignificat, quæ à iudice legitimè decernuntur, ad diſtinctionem tyranni: ſic enim Ariſtot. 1. Reth. cap. 10. pœnam quam imponit Iudex, ab vltione, quam expetit inimicus, diſcernit: *Differunt* (inquit) *pœna, & vltio: nam pœna eius qui patitur gratia fit; vltio verò eius, qui facit, vt expleatur*. Iudex enim in iudicio perſonam agit iuſtitiæ, non ſuam: proindèque non furore punit, ſicut inimicus: quia mederi ſatagit, & delinquentem emendare. Sicut Chirurgus ſecat, & vrit; quòd hoſtis, & tyrannus etiam facit, ſed diuerſo animo: quia Chirurgus dolet dolorem incutere, proindèque candens ferrum applicat, vt morti obuiet, non vt eam inferat, & ad id cum magna attentione, circumſpectè fricat, & tractat partem affectam morbo, & aliquando vulnera renouat, & noua infligit. Hoc ergò pacto Iudex in iudicio ſeueritatem attemperat, vt corrigat, & emendet præuaricatorem: at tyrannus mortem, & dolorem in inferenda plaga intendit. Hoc ergò pacto Deus ſalutem, & emendationem ſui populi exſpectabat ex ſupplicio, & plaga inferenda à Nabuchodonoſore, quem aſſumpſit tanquam cultrum, aut ignem ad purganda ſcelera populi Iudæorum.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Dei ſeruitus compendium vitæ, & gratiæ abortus.

1. EGregiè vates noſter in his verbis ſtatum, & fortunam iuſti, & peccatoris indicat: ſiquidem ſceleſtiſſimum tyrannum tot victorijs inſolentem corruiſſe ait, quia impius, & peccator erat, & ſe, ſuumque populum non mori, quia debitum cultum Deo exhibeat: exindèque ſpem erigit ad vitam. Fallitur enim quiſquis exiſtimat peccatorem viuere, & vitæ functiones lucrari hoc enim iuſtis tantum reſeruatur; illis equidem, qui in eius lege, & famulatu perſeuerant. Subtiliter annotauit Tertulianus infantes, qui vita potiri naſcuntur, non niſi poſt nouem menſes conceptionis, & quando iam decimum attingunt menſem, in vitam exire: vndè Salomon ſuam vitam, & fœlicitatem præſagiebat, Sapient.7. verſ.22. *Decem menſium tempore coagulatus ſum.* Et cur natura cuius opera intelligentiæ ſunt, decimum exſpectat menſem, vt infantes prodat in lucem,& tutiorem vitæ ſortem capiant? Auſculta, Tertulia lib. de anima cap. 39. acumen ſic arguté rimantis. *Dicam aliquid, & de temporibus animæ naſcentis, vt ordinem decurram: legitima natiuitas fermè decimi menſis ingreſſus eſt: qui numeros ratiocinantur, & decurialem numerum, vt exindè reliquorum parentem colant, denique perfectorem natiuitatis humanæ. Ego ad Deum potius argumentabor hunc modum temporis, vt decem menſes Decalogo magis inaugurent homini, vt tantò temporis numero naſcamur, quanto diſciplinæ numero renaſcimur.* Ac ſi dicat. Ideò diſpoſuit infantes, qui vita erant fruituri, decimum ante natiuitatem attingere menſem, vt in lucem prodeant, vt indicaret eum, qui in hanc vitam ingreditur, non niſi per decem Dei præcepta ambulaturum: proindèque innueret in hac decem mandatorum obſeruantia altas, & perennaturas vitæ radices eſſe iactas: ad hoc enim vita nobis confertur, vt Deo famulemur, illius præcepta, & legem obſeruemus: quiſquis enim ab hac via recedit, non viuit, cum principium vitæ non habeat.

2. Id ipſum non minus ingenioſè obſeruauit idem Tertullianus in eo, quod ſæpè contingit: nam fœtus ſeptimo menſe extractus, & anticipata natiuitate ab vtero matris egrediens plerumque conualeſcit, & diuturnè viuit, quòd non contingit ei, qui octauo naſcitur menſe: nam hic ſemper morte immatura rapitur, nec ad horam fruitur luce. Cuius naturales rationes apud phyſicos videndas mitto, moralem accipe, & congruentiſſimam à Tertulian. *Sed & cum ſeptimo menſe natiuitas plena eſt faciliùs, quam octauo, honorem Sabbathi agnoſcam, vt quoto die dedicata Dei conditio, toto menſe interdum producatur Dei imago:* Quaſi dicat: Idcircò homo qui Dei imago eſt, ſeptimo menſe natus viuit,& non octauo: quoniam menſis ſeptimus Sabbathum Deo dicatum repreſentat. Sic ergò non alio fine homo viuit, niſi vt Deo ſeruiat, & cultum ipſi debitum exhibeat. Sabbathum enim dies ſanctus, & Deo dicatus erat, proindèque qui ſeptimo menſe naſcitur, bono auſpicio, & præſagus Dei ſeruitutis viuit, & perennat: non autem qui in octauo naſcitur menſe; quia vitæ vſura, & lucrum Dei ſeruitus eſt: ipſa enim compendium eſt, & principium vitæ, ipſiuſque beneficio tantum viuitur.

3. Non paruam difficultatem ingerunt illa verba, quæ Chriſtus Dominus diſcipulis ſuis dixit eos ad imitationem exhortans, & ſuorum operum manifeſtationem faciens. *Vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Ioan.15.verſ.25. Acſi diceret: Integrum, & incorruptum veſtrum erga me teſtimonium habebitur, & approbatio veſtra nulli erit ſuſpecta, facta mea conteſtabimini fideliter; quia à principio vitæ veſtræ mecum familiariter eſtis conuerſati. At diſcipulorum vita in conſortio Chriſti non incepit, cum adultæ ætatis Apoſtolorum quilibet ad Collegium fuerit vocatus. Quo igitur pacto, qui iam homines perfectæ ætatis ad ſocietatem Chriſti venerunt, à principio vitæ cum ipſo fuiſſe dicuntur? Ad vitam ingrediuntur in conſortio Chriſti, qui iam non paucis annis peractis in Apoſtolicum Lycæum recipiuntur? Verùm credendum reor ita dictum: quia ex eo tempore, quo numerantur in Collegio Apoſtolico, & Magiſtrum comitari incipiunt, incipiunt ipſi inſeruire, & eius præcepta adimplere. Antea non Deo famulabantur, nec ſecundum illius leges viuebant; & tempus quo Deo non inſeruiunt, in vitæ tempore non venit computandum. Vita in Chriſti ſeruitute eis oritur, & illius famulatu incipit; proindèque à principio vitæ diſcipuli comitantur Magiſtrum, etſi iam naturalis ortus longum præceſſerit tempus: quia calculus vitæ, & durationis illius à tempore ſeruitutis faciendus eſt: ſiquidem tempus in obſequio Dei non inſumptum non vitæ tempus eſt, nec in illius computatur diebus.

4. Quaſi ignobiles, & inglorij vitam agebant Hebræi inter Ægyptios commorantes, & infami ſeruituti obnoxij: nec tempus ibi inſumptum annorum, aut menſium numero cenſebatur computandum: propterea iam exituris de Ægypto dixit eis Deus: *Menſis iſte vobis principium menſium primus erit in menſibus anni.* Exod.12.verſ.2. Numquid Hebræis antea annorum, menſiumue ratio non conſtabat, quòd nunc menſis in quo exeunt de Ægypto, primus dicitur, & initium anni, quam nunc viuere incipiant? An dies illi, quibus inter

Digitized by Google

ter Ægyptios vixerant, in annos, menſeſque non veniunt computandi, cum tamen ipſis captiuitatis dies ſecula viderentur? Cur igitur primus menſis dicitur vitæ Hebræorum ille, in quo tyrannicum iugum excutiunt? Rectè Gaudent. tract. 1. in Exod. *Non ſunt computati Iſraelitis illi dies, quos conſumpſerunt in Ægypto: ſed quando ingemuerunt ad Dominum conuerſi ab operibus duris, & Dominus percuſſit primogenita Ægyptiorum, qui eos ſeruire Domino non ſinebant: tunc audierunt: Menſis hic vobis initium menſium.* Toto captiuitatis tempore Hebræi Dei obſequio non vacarunt præpediti miſera ſeruitute, & operi laterum intenti, & idcircò nec computatur, nec imputatur ad vitam. Vitales dies à die exitus, & libertatis, in quibus Deo inſeruire incipiunt, incipiunt numerari, & tempus inſumptum in Pharaonis famulatu ad mortis tempus pertinere creditur.

5. Ex indeque vitæ Deo famulantium non completi partus, ſed abortus reputantur: quia ad eorum natiuitates non præcedunt temporis moræ, & ſpatia, quibus natura indiget, vt naturales, & completos fœtus perficiat. Eò ipſo tempore, quo homo Deo inſeruire incipit, concipitur, naſcitur, adoleſcit, & ad ætatem, & vitam perfectam peruenit: & merito abortus gratiæ creditur, quia diſruptis temporum moris, feſtinanter ad vitam adultam, & perfectam accedit. Quod arcanè dixit Paulus loquens de feſtinata ſua conuerſione, & apparitionibus, quas Chriſtus ipſi fecerat 1. Cor. 15. verſ. 8. *Nouiſſimè autem tanquam abortiuo viſus eſt mihi.* Communiter ſic hæc verba accipiuntur, vt Apoſtolus humiliter recordetur illius quaſi violentiæ in ſua conuerſione. Sed credo latenter aliquid plus Apoſtolum exprimere voluiſſe, cum ſe abortiuum in ſua conuerſione appellat. Quid? Paulus tunc oritur, cum conuertitur: tunc lucis capit vſuram, cum vocatur, quod abortiuum ſe nuncupat: quaſi tunc prodiret in lucem, & à clauſtro exiret materno? Qui in ętate adulta vocatur, quaſi tunc naſceretur, abortum ſe agnoſcit? Tempeſtiuè Chryſologus ſerm. 59. *Cum ſubito in via naſceretur, merito ſe abortiuum nuncupat, & miratur ſe fuiſſe, qui nulla conceptus tempora pertuliſſet.* Tunc credit Paulus ſuam natiuitatem, tunc ſuæ vitæ primordium, tunc ſuæ durationis initium, quæ à die ortus computatur: nulla, ac irrita reputat tempora, quæ ad huiuſmodi ortum pręceſſerant: quia vitæ dies à die conuerſionis, & Dei ſeruitutis incipiunt computari. Bellè quidem: ſed adhuc miror, quid ſe abortum Paulus nuncupet, cum ad Chriſtum conuertitur: quaſi ad obſequium Chriſti accedere non partus completus, & perfectus ſit, ſed imperfectus, & immaturus abortus: innuitur enim non vita frui perfecta, qui ad huiuſmodi famulatum accingitur, quia abortus nunquam in vita permanet, ſed ſtatim moritur; acerbi enim partus fœtus immaturos, & vitę incapaces edunt. Quo ergò pacto cum Paulus ad gratiam naſcitur, ſibi abortiuus videtur, & tanquam abortiuo Chriſtus apparet? Crediderim, quia partus gratię naturalibus ſunt valdè diſſimiles: naturaliter enim partus completus, & naturę pręuijs diſpoſitionibus formatus perfectus eſt: abortus autem, & qui ante tempus à natura ſignatum naſcitur, imperfectus habetur, at gratię abortus perfectiſſimi partus ſunt, quia vitam hauriunt perfectam, & duraturam, eo quòd gratia à morte peccati extrahat fœtum; nec præuias diſpoſitiones requirit huiuſmodi abortus; quia quidquid ad ipſum ſupponitur mors eſt, non vitæ diſpoſitio: ſiquidem eo tempore, quo homo non gratiæ naſcitur, non viuit, & cum primo hominem gratia parturit lucratur vitam, quam antea non habebat. Ideòque eius natiuitas abortus dicitur, quia moras temporum, quas natura exigit, vt fœtum perficiat, gratia diſrumpit, & ſubitò perfectum parit, quem ſine temporis mora concepit.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Rarus miniſter eſt, qui in commiſſione non excedat.

1. Dolet vates, non tam quòd populus Judæorum, & eius contribules meritas ob ſcelera ſua pœnas luerent, quàm quòd Nabuchodonoſor Dei miniſter, & cui ſupplicium committebatur, in eo infligendo immoderatè excederet: ſic Gloſ. moralis præ expoſita verba accipit: *Moraliter autem exponi poteſt de quolibet potente poteſtate ſua abutente.* Quod adeò commune miniſtris ferè omnibus eſt, vt rarus ſit, qui commiſſione non abutatur, & præſcriptum non excedat. Sitiebat populus in deſerto: Moyſi, & Aaroni ipſum ducentibus cõtinuò detrahebat: vt autem murmurantium ora obtunderet, præcepit Deus Moyſi: nu. 20. v. 8. *Tolle virgam, & congrega populum tu, & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas:* Quod & fecit Moyſes, vt ſubdit textus. Ib. v. 11. *Cumque eleuaſſet Moyſes manum percutiens virga bis ſilicem: egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, itaut populus biberet, & iumenta.* Quòd egerrimè ferens Deus, & excandeſcens contra fratres iraſcitur, & ex tunc minatur non ingreſſuros terram promiſſionis. Difficile valdè eſt, in quo Moyſes, & Aaron peccauerint, quòd tam ſeuerè puniuntur: maximè cum Deo eſſent familiares, & qui-

quibus commendauit gubernationem, & tutelam illius populi, ac ipſi, vt præceperat eis, facerent. Qui loquelam, & percuſſionem petræ miraculo approbat, ſic contra ipſos exacerbatur, vt ingreſſum prohibeat promiſſæ terræ? Cur eos, qui tot labores erant perpeſſi, digna priuat mercede? In quo Moyſes, & Aaron diſplicent, quòd tam ſeuerè puniuntur. Auſculta Lyran. *Hebræi autem dicunt, quod Moyſes, & Aaron peccauerint, eo quòd non fecerint, ſicut præceperat Deus; quia dixerat: Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas, vt patet in textu; ità quod ex ſolo verbo, abſque percuſſione dediſſet aquas, quod fuiſſet maius ſigñ diuinæ potentiæ.* Quaſi dicat: Ideò Moyſes, & Aaaron plectuntur, quia in munere ipſis commiſſo exceſſerunt. Deus ipſis præceperat petram alloqui: illi autem non modo alloquntur petram, ſed ipſam verberant, & percutiunt. Sic enim miniſtris innatum vitium eſt à præſcripto recedere, & per exceſſum delinquere, vt mitiſſimus Judex, & Dei miniſter Moyſes non potuerit ſe intra præceptum continere, & in commiſſione non excedere; ob idque à promiſſa terra relegatur. Rarus miniſter eſt, qui commiſſionis ſuæ terminos non tranſiliat, ſiquidem integgerrimus Dei miniſter qualis erat Moyſes, cui præcipiebatur tantum loqui, verberare audet, & contra Dei mandatum petram percutere.

2. Vt libertatem populo ſuo in Ægypto degenti negotiaretur Deus, Angelum mittit diplomate armatum contra primogenita Ægyptiorum, vt ea interficeret, ſicque perterriti populum ſinerent exire in deſertum, vt ſacrificium Deo offerret. Ne autem Angelus primogenitos Ægyptiorum diſperdens Hebræos percuteret, præcepit vt in ſignum vtrumque poſtem, & liminare domus hædi ſanguine intingerent Hebræi. *Tranſibit Dominus* (inquit textus) *percutiens Ægyptios, cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in vtroque poſte, tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lędere.* Exodo. cap. 12. verſ. 23. Sed dubitant interpretes, an eiuſmodi Angelus, quem Dominus miniſtrum ſuæ iuſtitiæ deſtinauerat, & cui Ægyptiorum percuſſio committebatur, bonus fuerit, an Malus. Lyra. malum fuiſſe Angelum putat; Colligitq; illis verbis: *Et non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere. Per quod videtur* (inquit) *littera innuere, quod Angelus percuſſor libenter intraſſet, & percuſſiſſet, ſi fuiſſet à Deo permiſſus. & ſic videtur, quod fuerit malus Angelus.* Quaſi qui innatum animum nocendi habet, malus Angelus cenſendus ſit: hoc enim dœmonis proprium genium eſt, qui naturaliter ad nocendum hominibus inclinat, & de ſibi commiſſis nihil parcit. Sed plerique Interpretes bonum Angelum fuiſſe autumant, præcipuè Caiet. Exindèque magna inſurgit difficultas: nam fatuè creditur, quòd bonus Angelus, qui homines protegit, & ad ipſorum tutelam non ſolum ex munere, ſed naturæ inclinatione propendet, libenter Hebræorum domus intraſſet, & eos percuſſiſſet, ſi à Deo eſſet permiſſum. *Et non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere.* Num bonus Angelus vaſtator eſſe poſſet malæ intentionis ad occidendos etiam primogenitos Hebræorum, ſi Deus permiſiſſet; qui non niſi inuitus ad ſupplicia infligenda credendus eſt? At etiamſi bonus ille eſſet Angelus, poterat Iſraeliticis velle malum pœnæ in vindictam diuinæ iuſtitiæ, & ob alias Hebræorum vtilitates, ob quas libenter Hebræorum primogenitos percuteret, ſi illi permitteretur, quamuis ad id non haberet præceptum. Tam raro accidit miniſtrum eſſe, qui non abutatur facultate ſibi conceſſa, vt vel Angelus mitiſſimæ indolis terminos ſuæ commiſſionis tranſiliret, & primogenitos Hebræorum interficeret, ſi Deus tantum id permitteret. Sic immoderatè miniſtri excedunt, pręcipuè in ſupplicijs infligendis, vt ab Angelo bono timeatur exceſſus, & præcauens Deus miniſtrorum exorbitantem abuſionem Hebræos tutatus fuit, & eorum domos ſanguine hædi ſignauit, ne paterentur commiſſionis exceſſum.

3. Principes, & Phariſæi Joannis ſanctitatem ſtupentes miſerunt ad ipſum Sacerdotes, & Leuitas, vt interrogarent eum, quis nam eſſet. *Tu quis es?* Joann. 1. verſ. 22. Qui cum negaret ſe eſſe Chriſtum, iterum interrogatur, an eſſet Elias, aut vnus ex Prophetis: ipſumque atteſtantem ſe nec Eliam, nec Prophetam eſſe, increpant miniſtri, & reprehendunt: *Quid ergò* (aiunt) *baptizas, ſi non es Chriſtus, nec Elias, nec Propheta?* Ibid. verſ. 25. Si legatione ſua functi ſunt prima interrogatione, & inſtructionem adimpleuerant, vt quid interrogant, an ſit Elias, aut Propheta? Hoc extra commiſſionem, & mandatum erat, quod acceperant, nec in capitulis interrogatorij talis ſciſcitatio reperitur: tantùm enim cupiebant, qui illos miſerunt nuntios, ſcire, an Joannes eſſet Meſſias. Et vlteriùs, vt quid illum increpant, quod baptizet, ſi ad id facultatem non acceperant, ſed ſolum ad interrogandum, an eſſet Chriſtus? Rectè Caietan. ad hunc locum: *Addit hoc Euangeliſta, vt intelligamus, quòd non ex commiſſione mittentium, ſed ex proprio ſenſu ſubiunctam interrogationem fecerunt: commiſſum enim erat eis, vt interrogarent eum: Tu quis es? & non vt arguerent eum de baptiſmo.* Commiſſionis terminos tranſiliunt, & audent increpare, quem interrogare tantum ſunt miſſi. Sic immoderatè, & licentiosè munere ſibi commiſſo abutuntur miniſtri: plus commiſſionis, quam acceperunt, ſibi arrogant, vt plus extorſionis, & iniuriæ irrogent.

4. Præſagiebat Iſaias 10. v. 5. ventura mala, & ſupplicia ſuper eos, qui Judæis iniurij

fue-

Digitized by Google

fuere, præcipuè ſuper Aſſyrios, qui eos inhumanius vexarunt, & maiora mala intulerunt; ipſiſque imminens aiebat Dei perſonam agens: *Væ Aſſur virga furoris mei, & virga ipſa in manu eorum eſt ira mea*, Ferè omnes interpretes ex Hæbreo pro *virga baculum* vertunt; Sed neſcio quid ſignificantius baculus virga ſit: imò hæc terribilior apparet, quia ſignum iuſtitiæ vindicatiuæ eſt, & in ipſa pars iuſtitiæ puniens exprimitur: baculus autem plerumque ad ſuſtentaculum, & leuamen deſeruit. Aſt etſi baculus fulcimentum ſit, & ſuſtentaculum ei innitentibus; tamen grauiori ictu percutit, quem corripit, quam virga. Hæc autem Aſſyriorum fuit inſolentia, hæc exorbitantia, quòd quam Deus virgam poſuit in ſuis manibus, vt Iudæos percuterent iuxta ipſius voluntatem, & menſuratum ſupplicium, ipſi in baculum conuerterunt, vt plus æquo, & quam ipſis fuerat commiſſum, populum percuterent. Sic Oleaſt. ad litteram huius loci: *Ego volui eo vti, vt virga ad flagellandum: ſed ipſe è virga baculum ad percutiendum grauiter*. Et in elucidatione morali: *Sed conſidera quid hic dicitur: Væ Aſſur, aut væ Virgæ. Ponit Dominus Virgam ſuam in manu tua, non excedas voluntatem Domini: læſit te inimicus: fateor: ſi ab eo vindictam exſpectas, æquiſſimum age iudicem, cuius Virga eſt: ſi exceſſeris, væ Virgæ, quæ frangetur, aut comburetur*, Sic ferè ſemper miniſtri cuiuſcumque ſint generis, & facultatis virgas in baculos conuertunt, vt grauiùs quam ipſis committitur, & iuſtitia exigit, puniant: commiſſionis terminos tranſgrediuntur, & facultates tranſiliunt,

DISCVRSVS III. MORALIS.

Magnitudo ſine proprijs meritis facilè ruitura.

1. QVi non ex proprijs meritis ad dignitatem euehitur, faciliimè ad ruinam properat, & ad præcipitium impellitur: nec tantùm eius dignitas ad nihilum redigitur, verùm etiam eius nomen tanquam puluis à facie venti euaneſcit; vndè dixit Tacitus 13. anna. *Nihil rerum mortalium tam inſtabile, ac fluxum eſt, quam fama potentiæ non ſuą vi nixa*. Ignis pabulo carens in fauillam abit, & in cineres reſoluit. Sic potentia ſine nutrimento meritorum ſe ipſa deficit, conſumitur, & à ſublimitate non proprijs brachijs acquiſita, ſine impulſu cadit. In primo mundi naſcentis exordio cœlos Deus creauit, ſed tamen rudes, & incomptos ſine ornamento lucis: at mox die quarto creauit Solem, Lunam, & Stellas ad eorum pulchritudinem, quòd ſic refert textus ſacer: *Fecitque Deus duo Luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti*. Gen: 1. verſ. 16. Mira verborum inæqualitas, & quæ præ nimia luce oculos turbare videtur. Vix Luna luminare magnum appellatur, cum minus perhibetur. Tam paruo interſtitio decreuit, vt quæ modo magna erat, ſtatim minor appareat? Sic in luminum ſchola dediſcitur, vt à maioribus ad minores retrocedatur? Et vndè Lunæ tam præceps decrementum, & ocyſſimus caſus? Audi arguta verba Theodoret. ſubtilli calmo exarata ad illa verba: *Pulchra vt Luna* Cant. 4. *Tradunt periti Lunam ex Solis radijs lucem mutuari; ac lumen quidem exiguum ſuſcipere, cuius paruula ipſius particula Solem aſpicit: cum autem exaduerſo totum Solem, vt ſpeculum contuetur, maculas abſtergens ſuas, illuſtratur tota, nec vllam corporis partem obſcuram retinet*. Si Luna ex ſe lucem non habet, ſed illam totam à Solis ſuſcipit radijs, quid mirum, ſi à magnitudine decidat, & ſtatim, ac magna dicitur, parua nuncupetur? Poterit quidem ſi Solem totum exaduerſo intueatur, illuſtrari, & ſuas maculas abſtergere: at ſi exiguum lumen capiat, ſi parùm Solem aſpiciat, non ſolum in ſe paruula apparet, ſed eſt. Nulla enim magnitudo, quæ alienis innititur fauoribus, diuturna eſt, ſtatim decreſcit, & mox in ruinam abit.

2. Deſcribit Daniel, ſicut & vates noſter breuiſſimam durationem imperij Nabuchodonoſoris, illiuſque Hieroglyphicum ſic depingit: *Et eccè quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari diuerſæ inter ſe: prima quaſi Leæna, & alas habebat Aquilæ; aſpiciebam donec aulſæ ſunt alæ eius, & ſublata eſt de terra, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit*, Daniel. c. 7. v. 3. & 4. Huiuſmodi autem animal, Leænam ſcilicet Aquilæ alis ornatam, in qua breuis Nabuchodonoſoris, aut eius nepotis Balthaſaris (vt vult Hieronimus) regni duratio deſcribitur, ſic Theodor. in comment. huius loci interpretatur: *Hoc animal Regium eſt, & alas ſimiles Aquilæ habet, quia hoc etiam animal volucribus omnibus imperat. Verùm tamen alas aulſas vidit, hoc eſt ab omni ſibi ſubiecto populo deſtitutum, & priſtina poteſtate priuatum*. Sed quod magnam difficultatem ingerit, ideſt, quod Regni breuis duratio in Aquilinis alis deſignetur: nam Aquila inter omnes aues multo viuit tempore, & ferè omnes in duratione ſuperat, vt Elianus, & reliqui naturalium rerum hiſtorici dicunt. Licèt enim ocyſſimo Aquilæ volatu temporis pernicias fugax aptè deſcribatur: tamen diuturnitas Aquilinæ vitæ non congruè breuitatem imperij Nabuchodonoſoris videtur exprimere, Tamen aptiſſimè Daniel paruam durationem Chaldæorum Regni in chimera illa, quam effigiauit Leænæ, ſcilicet, & Aquilę de-

lę depingit; nam licet Aquila in propria ſpecie, & indiuiduo longiſſimo tempore viuat; cum eius alę Leęnę adiuunguntur, breuiſſimè decidunt: alę enim quibus Leęna eleuatur, non ſuę, ſed Aquilę erant: alienis pennis ſurſum petebat: magnitudo autem, quę non proprijs fulcitur meritis, non diù permanet, ſed ſtatim corruit. Quiſquis alienis volat pennis, citò cadit, ſubito ruit, & euaneſcit. Quòd infœlix Icarus fuit expertus, qui ad ęthera volans alis, quas à natura non habuit, ſed arte acquiſiuit, præceps in ęquora cecidit.

3. Reprimit Apoſtolus Paulus Gentiles de inſultatione Judæorum, ratione deſumpta ex conuerſione gentium, & inter alias, quibus eos carpit, hac vtitur ratione: *Etſi radix ſancta, & rami: quòd ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum Oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es. Noli gloriari aduerſus ramos: quòd ſi glorieris, non tu radicem portas, ſed radix te. Dices ergò. Fracti ſunt rami, vt ego inſerar. Benè: propter incredulitatem fracti ſunt: tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat.* Ad Rom. 11. verſ. 17. & 18. Preme autem in plurimis verbis Apoſtoli ſolutionem argumenti, quòd ſibi obiecerat. *Propter incredulitatem fracti ſunt: tu autem fide ſtas.* Quid obſtat, quòd fide ſtent Gentiles, vt exindè non liceat de eius ſecuritate, & duratione gloriari, ſaltem contra eos ramos, qui cauſa inſertionis gentium fracti, repulſi ſunt? Imò ob id poſſunt ſibi blandiri, quia non facilè repellentur, qui aliorum loco ad fidem recipiuntur. Gloriari de ſecuritate non licebit, qui firmiter fidei adhæſit? Audi Anſelm. á Gloſ. adductum. *Verùm eſt* (inquit) *quod fracti ſunt propter incredulitatem: tu ſtas fide, ideſt, non merito tuo, ſed gratia Dei, & ideò noli ſuperbire, ne & tu frangaris per ſuperbiam, vt illi per incredulitatem.* Quaſi diceret: Caue fortunæ mutationem, & non tuis meritis, ſed gratia, & fauore inſertum fidei recordare: vt exindè periculum cadendi agnoſcas. Quaſi ſtare non proprijs, ſed alienis meritis, non diuturnitatem; ſed potius ruinam inferat, niſi à Deo qui inſertus eſt, conſeruetur. Imò ſicut ramus arboris, qui cum ea naſcitur, etſi maximæ ſuboriantur tempeſtates, omnibus reſiſtit: inſerti autem cito rumpuntur: ſic Gentiles magis ruinam timere debebant, quoniam ſi à Deo inſertore non manu tenerentur, facilè irent in ruinam, & à fidei trunco diſcerperentur. Sic qui non proprijs meritis, ſed alieno opere; induſtria, & fauore dignitati inſeritur, qualibet tempeſtate periclitatur, & vel leuiſſima aura ruit, & rumpitur.

4. Dauid opera Dei laudans aiebat. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi*, Pſal. 103. verſ. 5. Et cur terra tamdiù permanebit, & tam ſtabiliter perennabit? Nonne ipſa ſicut cœtera, veteraſcet, & corruet? Quibus fundamentis innititur, quòd ſemper ſtare perhibetur? Acutè Caiet. *In fundamento poſuit terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non ſuper aliquod ſuſtentaculum, ſed ſuper propriam ipſius terræ ſtabilitatem, qua eſt eſſe centrum mundi; non labetur in ſeculum ſeculi: hoc eſt, nullum eſt periculum, ne aliquando labatur, & hoc eſt vtilitas ſecuritatis eius.* Quaſi dicat: Idcircò de terræ ſtabilitate ſecuri eſſe poſſumus, quia non alieno innititur ſuſtentaculo, ſed ſuper ipſius terræ ſtabilitatem terra fundata eſt. A ſe ipſa fulcitur, nec externo indiget auxilio, vt ſubſiſtat: ideò in ſeculum ſeculi permanebit, ac mundus, qui ei inſidet, non labetur. Sola enim permanens duratio eſt, quæ à ſe ipſa ſtabilitatem habet: nimis fallax, vmbratilis, & peritura, quæ alienis fulcitur ſuſtentaculis.

5. Mirùm eſt, quòd de Isboſeth filio Saulis dicitur, 2. Reg. 2. verſ. 10. *Quadraginta annorum erat Isboſeth filius Saulis, cum regnare cœpiſſet, & duobus annis regnauit: ſola autem domus Iuda ſequebatur Dauid.* Tàm cito è Regno decidit, quem ſequebantur vndecim tribus? Qui populi gratiam promeruit, & omnibus erat gratus, tam breui tempore, ac duorum ſpatio regnat annorum? Conſeruare regnum ignorat, qui vt illud acquireret, & animos ſibi conciliaret, tam benè ſe geſſit? Adi textum cauſam reddentem: *Abner autem filius Ner Princeps exercitus Iſrael tulit Isboſeth filium Saul, & circumduxit eum per caſtra, Regemque conſtituit ſuper Galaad, & ſuper Geſſuri, & ſuper Gezrahel, & ſuper Ephraim, & ſuper Beniamin, & ſuper vniuerſum Iſrael.* Ibi. v. 8. Erat enim Isboſeth claudus pedibus, & mente, ad Regnum, & gubernationem ineptus: non ſuis pedibus, & meritis ad Regni clauum aſcendit, ſed fauore, & diligentia Abner. Quid ergò mirum, quod eius regnum tam citò diſparcat, & abeat in ruinam? Qui claudicans externa manu ſubleuatur ad thronum, periculosè ambulat, quolibet offendiculo cadit, & leuiſſimo pedis lapſu, non ad caſum tantum, ſed ad præcipitium trahitur, ruit, & euaneſcit; imò qui dignitatem non meretur, quamuis illam poſſideat, non ea in ipſo, nec ipſe in ea videtur adeſſe.

6. Dicebat Chriſtus Dominus Diſcipulis ſuis, vt eos ſpe mercedis erigeret, dignitates apud patrem habere, quibus condignè remunerarentur. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, Joann. 14. verſ. 2. Et ſtatim ſubiungit: *Ego vado parare vobis locum.* Quo pacto vadit parare locum, ſi tam multæ manſiones ſunt? Num iſtæ manſiones, & ſunt, & parandæ ſunt? Hoc enim eſt, eſſe, & non eſſe. Si iam ſunt, quomodo eas parare vadit? At ſic hæc accipienda ſunt, vt credatur fuiſſe quidem manſiones; tamen cœleſtis porta erat clauſa: nemo enim Juſtorum ingredi potuit cœlorum regnum,

Digitized by Google

ıum, niſi prius Chriſtus morte ſua portas ·eriret: omnes enim Patres antiqui in Lim- detinebantur viſione diuina priuati, donec riſtus pretium Redemptionis morte ſua ıeret, & exurgens, aſcendenſque ad cœlos neret viam. *Hoc eſt* (inquit Toletus in ıment. huius loci) *præparare locum, in manſiones ſunt, aperire ianuas cœli, ſol- : pretium manſionum ipſarum, iter, & m ſternere cœleſtem. Hæc omnia Chriſtus it morte, & reſurrectione ſua; ideò para- :locum, vt ad manſiones ab æterno iuſtis deſti- tas peruenıri poſſit*. Vſque dum manſiones e cœleſtes nobis à Chriſto fuerunt promeri- , & eas pretio ſanguinis comparauit, non nt paratæ: quia qui ſine meritis ad ſedem nitatis aſcendit, non ſedet in parata ſede: c enim dignitas eum non habet, quia non igno, ſed bene merito eſt parata; nec qui ·n moderatur, ſedet in ipſa; quia veluti in- ɔmitus equus ſtatim, ac impetitum ſeſſorem ıtit, eum excutit, ſic ſedes dignitatis indi- ıum proijcit, & præcipitat, nec patitur in- ıpacem.

ƆISCVRSVS IV. MORALIS.

Mortis hora ſic periculoſa eſt, vt quaſi Deo duplici indigeat.

1. ETſi totum vitæ tempus Dei ſit, & eius dominio ſubiaceat, ſpecialiter mortis horam ſibi vendicat, & eius imperium reſeruat: ideòque cum morti eſſet proximus, ſuam horam appropinquaſſe teſtatur Joannes cap. 13. verſ. 1. *Sciens JESVS, quia venit hora eius*. Mortis horam ſuam vocat, quaſi cœteræ non ſuæ eſſent: hanc ſibi reſeruat, cum reliquas hominum arbitrio relinquat, vt mortis imperium ſibi tantum competere oſtendat, atque ad illam potentiori manu concurrere. Sic eſt periculis plena extrema illa hora, vt quaſi generalis Dei concurſus, quo in cœteris nobiſcum operatur, non ſufficiat, ſed vlteriùs ſpecialia auxilia requirat, & quaſi geminato Deo indigeat. Huc reſpicit Thomiſtarum ſententia aſſerentium, quod præceptum amoris Dei in hora mortis inſtat, & in illa tenemur ad contritionem perfectam. Aſt Deus qui in vitæ curriculo attritione, & Sacramentis neceſſaria ſubminiſtrat ad iuſtificationem, & gratiam: cur mortis tempore perfectum amorem ſui ipſius, & contritionem extorquet? Sanè propter pericula tunc imminentia, quæ communi Deo (vt ità loquar) & qui in vitæ decurſu ſat eſt, quaſi non ſufficienter fugiuntur, & quaſi Deo altero indigent. Is in eſt Deus in articulo mortis, qui inuitæ fuit decurſu, cœterùm alter videtur neceſſarius; nam ſicut homo alter eſt ad obligationem, altero Deo, qui auxilia conferat, indiget. Mulieres ad ſepulchrum properantes ſic deſcribit Matthæus: *Veſperè autem Sabbathi, quę luceſcit in prima Sabbathi venit Maria Magdalena, & altera Maria videre ſepulchrum*. Matth. 28. verſ. 1. Quæ nam ſit illa Maria, quæ altera dicetur, quærunt interpretes. Laurentius Juſtinianus ſerm. de Magdalen. eamdem Mariam (Magdalenam nempè) repetito nomine intelligit. Ipſa eadem eſt, ſed altera ad ſepulchrum accedebat. *Erat quippe ipſa, ſed altera: per eſſentiam ipſa, ſed per gratiam altera*. Sic homo cum ad ſepulchrum accedit, ipſe eſt per eſſentiam, ſed alter debet eſſe per gratiam, vt pericula tunc imminentia declinet. Sic Deus morientibus ſubueniens idem ipſe eſt per naturam, ſed alter Deus gratiam, & auxilia ſubminiſtrans videtur: quia quaſi vnus non ſufficeret Deus, vno & altero quaſi indigemus.

2. Dauid inſtantem neceſſitatem, & pericula contemplatus, quæ mortis tempore imminent, ſic affatur. *Deus noſter, Deus ſaluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis*, Pſalm. 67. verſ. 21. Quater in hoc hemiſtichio Deum nominat, & quaſi Deo non ſatiaretur, ac ipſi videretur deficere, eum repetit terque quaterque. Et cur tam inſolita anxietate Deum aduocat, & eius auxilium implorat? Fortè timet Deum ipſi defecturum; quòd tam inſtanter Deum agitat? Non inquam: ſed quia agebat de morte, & ſe in extremis conſtitutum meditabatur. Verùm ad id non opus erat, Deum toties compellare, vacua enim, & nugax videtur illa repetitio: *Domini Domini* cum de morte agitur: nam omnium rerum dominium, quòd Deo competit, vno tantùm verbo exprimitur, atque abſoluta, & independens eius dominatio ſatis declaratur. Cur igitur mortis imperium geminato dominio Dauid manifeſtat? Auguſt. Euſtachius adhunc locum putat non otioſè Dominum ingeminari: quia in Hebræo correſpondent duæ voces, quæ Deum diuerſimodè ſignificant. *Domini Domini non eſt nugatio: nam Hæbraicè ſunt duo nomina diuina diſtincta Ieoba, & Adonai*. Igitur Dauid cum de morte agit, Deum ingeminat, vt ſuæ indigentiæ prouideat, quaſi duplici Deo egeat: & cum in natura non ſit diſtinctio, nominum diſtinctione Deum duplicat, & dominum mortis ipſi dupliciter competere manifeſtat propter pericula tunc imminentia. Ferè idem cogitauit Carthuſ. in commentar. huius loci. *Bis ponitur* Domini *propter expreſſionem: & eſt ſenſus: exitus mortis, ideſt, egreſſus de morte, videlicet liberatio à morte peccati, atque gehennæ eſt Domini, ſicut authoris, iuſtificatoris,*

catoris,

catoris, & Redemptoris: quoniam ipſe ſolus peccata dimittit, & pœnas æternas relaxat, gratiamque infundit. Semel, & iterum Dauid dominium Dei in mortem exprimit, propter vrberiorem concurſum, quo illo tempore indigemus, & nobiſcum concurrit: quaſi ſit alter Deus in illa hora, & ſe ingeminet, vt nobis ſuccurrat.

3. Ad hunc modum verſat Hilarius illa verba triſtitia, & axietate plena, quæ Chriſtus in Cruce moriens Patrem alloquens protulit. *Deus, Deus meus, quid dereliquiſti me?* Matth. 27. verſ. 46. nam cum hæreticos arguiſſet, qui contendebant ex prædictis verbis inferri, omninò Deum Chriſto defeciſſe, aut omninò Chriſtum hominem non eſſe: ità concludit. *Quærela derelicti morientis infirmitas eſt*. Ac ſi diceret: Quòd Chriſtus Deum ingeminet, dum de ſua derelictione conqueritur, non diuinitatis, nec humanitatis abſentiæ argumentum eſt, ſed mortis infirmitas, & neceſſitas, de qua vt homo angebatur; nam cum ad ſubleuandam infirmitatem naturæ humanæ in illo articulo quaſi duplex Deus ſit neceſſarius, à Deo quaſi duplici queritur ſe derelictum. In quo non alterius naturæ, ac humanæ ſe perhibebat, quin potius hominem eſſe confirmabat, dum mortis indigentiæ neceſſaria expetebat: proindèq; non à carentia diuinitatis, vel humanitatis, querimoniæ illæ procedebant, ſed à veriſſima cogitatione mortis, quam ſibi obijciebat, & vrgente neceſſitate, quam conſiderabat.

4. Diu exſpectant decem illę virgines in Euangelio deſcriptę cœleſtem Sponſum, & ne lucernę extinguantur, eunt oleum emere: dum autem irent, venit Sponſus, & quę diſpoſitę erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & ianuam clauſit. Nouiſſimè veniunt quinque illę virgines fatuæ, quę oleum quęrere adiuerant, fores celeriter pulſant, & valida voce inclamant. *Domine Domine aperi nobis*. Matth. 25. verſ. 11. Nemo eſt, qui dubitet in hac parabola mortis horam deſcribi, & vniuſcuiuſque iudicium, quod tunc fit, cum anima à corpore recedit. Non miror, quòd inſipientes illę virgines tam profundo ſopirentur ſomno, quòd in mortis hora, imò poſt illam mereri pręſumpſerint: nam hęc eſt mortalium conditio, ad mortem remedia protrahere, & vana ſpe vitam abſumere. Quod animum pulſat, vehemens eſt illa pulſatio, & Domini repetitio: *Domine Domine aperi nobis*. Fortè quæ Dominum nunquam inuocauerant, nunc geminato vocabulo eius aures tundunt, & vociferatione offendunt, quod ſine dubio ipſe faſtidit, dum ait: *Neſcio vos*. Meritò fatuę vocantur, quia ſponſum, quem ſibi conciliare ſatagebant, vocibus immoderatis, & nugatione plenis offendunt, verba enim, ſicut & facta vacua ſunt. Tamen etſi aliàs virgines illæ fatuę reputentur, & ſomno correptæ, in hac deprecatione ſolertes, & ſagaces videntur, dum remedia ſuæ neceſſitati opportuna poſtulant. Illa enim repetitio *Domine Domine*, tempore mortis habita (ait Donyſ. Carthuſ.) magnam ſolertiam arguit: vexatio enim mortis virginibus fatuis intellectum dedit, & duplici Deo indigere agnouerunt. *Ingeminat Dominum* (ait Carth.) *neceſſitate, atque timore*. Pende *neceſſitate*, quaſi duplici Deo indigerent, & quę vſque tunc nec vnum Deum quærebant, cum mortem appropinquare vident, duplicem implorant, vt & Dei Dominium geminatum in mortem, & ſuam indigentiam exprimant. Sic enim eſt periculoſus extremus conflictus, & tot difficultatibus armatus, vt quaſi duplici Deo opus ſit ad eas profligandas.

5. Joan. 14. verſ. 30. Chriſtus Dominus morti proximus aiebat diſcipulis ſuis: *Iam non multa loquar vobiſcum, venit enim Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam*. Valdè notabile eſt, quòd in hoc temporis articulo Dæmon Princeps vocetur, & qui alibi Leo, fera, ſingularis ferus appellatur, hic Principis nomine ſignetur. Cur cum Chriſtus ad mortem accedit, Principem Dæmonem vocat, quaſi imperium ſupra mortem habeat? Crediderim: quia tunc potentior, & formidabilior hoſtis apparet. Dum viuimus cum priuato, & ſingulari milite confligimus; cum ad mortem accedimus, non priuatum militem, ſed Principem cruentiſſimis cinctum copijs experimur adeò, vt qui vincas, neceſſe habeas, non hoſtem, ſed exercitus validiſſimos percutere. Duriſſimum nobis parat bellum in vitę exitu: tunc omnes adhibebit vires, quibus notiores ſibi faciat victorias. Nunquam potentior (mihi crede) quam tunc aduenit conflicturus cum homine. Et qui cum Deo homine in illa hora pugnare audet, quid non audebit puro, & inermi homine? Si humanitas Chriſti diuinitate indiguit, vt nihil in eo Dæmon haberet, & ſe ab illius impetu defenderet: quid mirum, quod homo non Deus Deo quaſi duplici indigeat ad ſe tuendum? Accipe nunc Gregor. hom. 39. in Euangel. pręcitata verba Joannis verſantem. *Venit enim Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam; vndè curandum nobis eſt, & cum magnis quotidiè fletibus cogitandum, ne quam rabidus, quam terribilis ſua in nobis opera requirens, in die noſtri exitus, Princeps huius mundi veniat. Si enim ad Deum carne morientem venit, & in eo aliquid quæſiuit, in quo ſuum inuenire nihil potuit: quid nos miſeri dicturi, quid acturi, qui innumera mala commiſſimus?* Quo non indigebit auxilio qui cum hoſte potentiſſimo, & fraudulento initurus eſt certamen? Hinc enim vates noſter mortem pręmeditans, & illius pericula horrens ad ea ſuperanda Deum Dominum ſantum,

ctum, & Deum appellat, & eius Dominium, & auxilium triplex ad illam horam interpellat quaſi illo indigeat. *Numquid non tu à principio Domine Deus meus, Sancte meus, & non moriemur?* Hic verſ. 12.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Iuſti moriuntur, vt viuant: peccatores, viuunt, vt moriantur.

1. MOrtis imperium cum tyrannicum ſit, omnem ambit dominationem, & ſibi perpeccatum eam arrogare præſumit, per quod duplicem poteſtatem in vitam acquiſiuit, quibus & animam, & corpus interficere valet. Duplici enim morti omnes ſubijcimur, & corporis, & animę: primam effugere nemo valet: ſecundam euadere in noſtra eſt poteſtate. Vtramque peccatores patiuntur: iuſti non modo à ſecunda liberantur, ſed primam in vitam commutant. Vnde Apocalypſ.2.verſ.11.dicitur: *Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda*: & Bernard. ſerm.32. *Fœlix mors, quæ vitam non aufert, ſed in melius transfert: mors Sanctorum ſomnus iuſtorum, requies amicorum Dei.* Et alibi idem Bernar. *Horreo incidere in manu mortis viuentis, & vitæ morientis.* Mors enim viuens mors peccatorum eſt, quia vt moriantur, moriuntur, cum mors morte corporali non finiatur. Mors viuens iuſtorum mors eſt, quia moriuntur, vt viuant: & licet in hoc aliqualiter aſſimilentur iuſti, & peccatores: diſpari tamen forte moriuntur: quia in peccatoribus viuit mors, in iuſtis autem ipſa mors moritur. Idcircò cum Iſaias Ezechiæ mortem prænunciaſſet dixit: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* c.38.v.3.Nugax videtur illa mortis repetitio: nam quid aliud eſt mors, niſi non vita, & illius priuatio? Vt quid igitur Ezechię dicitur, moriturum eſſe, & non victurum? Si moritur, euidentiſſimum eſt, quod non viuet. Verum non nugatio eſt, ſed neruoſa repetitio: nam non omnes qui moriuntur, non viuunt, quia iuſti viuunt, & moriuntur: peccatores enim tantum poſt mortem, non viuunt, quia in ipſis mors vitalis eſt, ſiquidem geminata morte puniuntur. Eandem energiam continent illa verba Adamo minantia: *In quacunq; die comederitis ex eo, morte moriemini.* Geneſ. 3.v.5. Superuacuè hæc videntur dicta: quia qui moritur, morte perire eſt neceſsè: At non nugatoria verba ſunt: ſunt enim qui poſt mortem vitam habeant: iuſti enim poſt mortem viuunt, quia morte mortem interimunt: peccatores autem ſemper poſſidentur à morte, quia in eis nunquam moritur mors. Exindè dixit Auguſtinus 6.de Ciuit. Dei c.12. *Nulla peior eſt mors, quam vbi non moritur mors.* Igitur in morte iuſtorum mors moritur, quia vitæ ſemen in ipſa abſconditur.

2. Egrè tulit Cain munerum ſuorum repulſam, & fratris oblationis gratam acceptationem, & complacentiam: triſtatur, exacerbatur, & in ſecreto cordis tacitè verſat fratricidium, & machinatur mortem. Fraudulenter Abeli foras egredi perſuadet, & in receſſu eum interimit. *Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras: cumque eſſent in agro conſurrexit: Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* Gen.4.verſ.8. Quærit D. Aug. in lib.de mirabilibus Sacræ Scripturę, cur Dominus permiſerit, quod prima mors, quæ in mundum venerat, homini iuſto infligeretur. Rectius enim videbatur, quod cum primo homines aggreditur, peccatorem occidat: ſic enim mortem, reatum eſſe peccati (vt dixit Paulus) cognoſceretur. Peccator eam primo ſentiat, qui meretur. Quis enim iuſtitiam colet, dum eam videt ſic punitam? Superſtes Cain, & Abel mortuus? Iniuſta nimis inflictio; iniuſtus mortis ingreſſus, & triſtis virtutis exitus. Forrè Dei ſupplicia humana ſapiunt, quæ plerumque innocuos facinoroſos relinquunt, & innocentibus iraſcuntur? non ita (ait Auguſt.) ſed altiſſimo Dei iudicio ſic accidit: conſultiſſimè Deus Abelis mortem præire decernit. Quare? Vt mors imperium in reliquos iuſtos non habeat: nam cum prima iniuſta ſit, & iniuſtè illata, iuſtum interimens iure poteſtate ad reliquos iuſtos occidendos priuatur. Nam ea eſt pœna tyrannicè poteſtatem exercentium ab ea deponi, & ſubditorum manibus interfici, ſi aliter iugum excutere non valent. Mors igitur Abel mortem interemit, atque poteſtate ad iuſtos occidendos priuauit, & ab illius imperio immunes reddidit, ſic iuſtitia exigente. *Triplex iuſtitia primò in Abel fuit: quod* ꝙ *munera placita Deo obtulit, vt ſacerdos: & proſapiam generis, ideſt poſteros, non reliquit in ſeculo: & coronam martyrij proprij ſanguinis effuſione promeruit. Merito ergò Dominus IESVS commiſit ei primatum iuſtitiæ hominum: A ſanguine, inquit, Abel iuſti, &c.* Quid luculentius? Primatus iuſtitiæ Abeli competebat, dum primi martyrij cruore, & morte prima iniuſtè occiſus mortem depoſuit à ſua poteſtate, & arma, quæ contra iuſtos habebat, abſtulit, atque in ipſam conuertit. Iuſtitia enim exigit, vt poteſtate tyrannicè, & iniuſtè abutentes ab ea deponantur. Hoc ipſe fratricida, qui mortem inflixerat, contra ſe ipſum iratus ſenſit. *Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me:* aiebat ibid. v.14. Latet enim in hac ſententia illa, quæ contra mortem iam erat prolata. Subtiliter D. Ambroſ lib. 2. de Cain. cap.3. *A quo timebat occidi Cain, qui ſolos parentes habebat in terris*

N Vnde

Digitized by Google

Vnde ergò mortem formidat, qui parentum manus pertimeſcere non poterat? Vbi illi omnes mortem ipſi minantes? Certè nullus aderat: ſed ab ipſa morte, quàm fratri intulit, ſuam timebat, & auſpicabatur. Nam cum eam malè fecerit, & iuſtum interfeciſſe agnoſcat, non iam iuſtis mors minatur, ſed in peccatores tantum inuehitur. Non eſt opus occiſore, vt terreatur Cain: nam ipſa mors eum inuadet, cum ſibi formidabilis, eo quod poteſtate ſit priuata, appareat, & arma quibus iuſtum interfecit, iam peccatoribus tantum inſidientur.

3. Mille ærumnas perpeſſus Chriſtus ad ſupplicium ignominioſum mortis adducitur, & illæ nec ipſa morte finiuntur. Inhumanus, & crudelis miles pectus percutit pendentis in patibulo, vnde ſtatim aqua ſimul, & ſanguis affluenti vena emanarunt: *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua*. Ioan. 19. verſ. 34. At quo pacto ita abundanter vterq; liquor ſcatet à pectore paulo antea ſitiente, & innumeris venarum inciſionibus exangui? Profundè myſterium meditabatur Ambroſ. *Percutitur latus Chriſti lancea, baptiſmi pariter ac martyrij Sacramenta funduntur*. Ac ſi diceret: Non naturaliter aqua, & ſanguis è latere percuſſo ſcaturiunt, ſed arcano myſterio, vt baptiſmus duplex aquæ videlicet, & martyrij in pectore latens ex percuſſo latere, quaſi ex fonte naſcatur. Sed mens Ambroſij me fugit. Cur ex illo vulnere baptiſmus procedat martyrij, non autem ex antecedentibus, & penè innumerauilibus Chriſto inflictis? Opus ſic excellens, et ad quod præcipuè venerat (ſiquidem vt originalem noxam deleret, primò carnem aſſumpſit) vltra mortem diſtulit, et à vulnere in corpore mortuo aperto oriri voluit? Ita eſt, et fieri oportuit, ait Ambroſ. nam vulnus mortuo inflictum non mortuum efficit, ſed ſupponit: non occidit, nec occidere valet iam occiſum. Igitur Martyr à vulnere egrediatur non mortifero, vt exindè certum maneat, quòd deinceps vulnera à tyrannis martyribus inflicta non interficient; ſed ad nouam vitam eos regenerabunt; et quòd tyrannus Martyris pro Chriſto patientis non iam occiſor erit eum interficiens, ſed pater ipſum de nouo generans. Mors enim iuſtorum non mors, ſed vita, et regeneratio cenſenda eſt: ipſa enim morte moritur mors. Vulnera Chriſto poſt mortem illata non Chriſtum (cum ibi non eſſet humanitas, ſed cadauer) ſed ipſam mortem feriunt, et interimunt, et ab ipſo ſic vulnerato Martyres, et iuſti naſcuntur, vt à mortis imperio videantur liberi, dum vulneribus non mortalibus ſubiacent, et non mortem, ſed illius vmbram ſubeunt, vt aiebat Dauid Pſalm. 22. v. 4. *Nam & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Ad quæ verba Greg. lib. 4. Moral. hæc ſcribit. *Vmbra mortis mors carnis eſt; quia ſicut vera mors eſt, qua anima ſeparatur à Deo, ita vmbra mortis eſt, qua caro ſeparatur ab anima. Vnde voce Martyrum dicitur; Cooperuit nos vmbra mortis, quos enim conſtat non ſpiritu, ſed ſola carne mori, nequaquam ſeuera morte, ſed vmbra mortis dicunt cooperiri*.

4. Vt Chriſtus Dominus animos credentium erigeret ſpe vitæ immortalis, ſic fatur Ioan. 12. verſ. 24. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*: Ac ſi diceret (ait ibi Chriſoſt.) Ne terreat vos mortem audire, et in eius manus incidere: nam ibi æternæ vitæ ſemen abſconditur, et niſi mortem ſubeatis, vitam acquirere fœliciorem non poteritis? *Non ſolum ſi non mortem meam potenter ſuſtinueritis; ſed etiam niſi vos ipſi moriamini, nullum vobis erit lucrum*. Iuſti vt viuant et veraciorem vitam reaſſumant, moriuntur: et veluti triticum ſepultum, et humatum reuiuiſcunt. Mors vitam germinat longæuam, et vita pulchrior è morte pullulat! Hinc Paulus ad Coloſs. cap. 3. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto*. Et quomodo dum moriuntur, vitam habent; nam mors priuat vita, et cadauer in terram redigit? Quo ergo pacto vitam habere perhibentur, dum cadauera tantum apparent? Quia iuſtorum mors apparens tantum eſt, dum vitam habet abſconditam: Veluti arbores hiemales, quæ cum cadauera appareant, omni virore ſpoliatæ, in radicibus vitam abſcondunt, et ea tempore verno veſtiuntur: ſic iuſti in radice vitæ, quæ eſt Chriſtus, vitam habent abſconditam, et mors non vltra, quam in apparentia, illis dominatur, quin potius ad regenerationem deſeruit. Exindeque Propheta noſter ſibi, et populi ſui iuſtis non mori pollicetur: quia Deo inſeruientes, et illius auxilio protecti à morte expertes videbat. *Nunquid non tu à principio Domine Deus meus, Sancte meus, & non moriemur?* Hic v. 12.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Apud bonos præſules, quicunque ſunt mali, arguuntur: apud malos ij ſolum, qui ab eis diſſentire videntur.

1. Compendium optimæ gubernationis in punitione malorum, & bonorum remuneratione eſt. Nihil optabilius in Præſule, quam æquitas, & iuſtitia in malis arguendis, & benemeritis remunerandis. Sine perſonarum acceptione debet ſe gerere ipſa tan-

tantum crimina, vel merita reſpiciens. At dolor eſt, quam pauci ſint, qui æquietatem ſeruent, quam multi, qui conerarium cum magno animarum diſcrimine agant. Sic enim res ſe habet, vt vnum tantum vitium, & vna tantum virtus apud pleroſque ſit: vitium inquam, ab eis diſſentire: virtus ad illius voluntatem placita metiri. Ad eum ſanè modum, quo in ſententia Hipocratis vnicus eſt humor, qui omnes morbos cauſat: ſed pro diuerſitate locorum diuerſi ſunt morbi: *Morborum autem omnium vnus & idem modus eſt, locus verò ipſe eorum differentiam facit.* lib. de flatib. tract. 5. Sic eiuſmodi Pręſules ex locorum diuerſirate vieia dūtaxat, & virtutē reputat. Si in ſuis reperiatur, minimè vieium, ſed virtus exiſtimatur; ſi in alijs qui ab eo diſſentiunt, vel virtus ipſa reputatur vitium. Neminem latent Moyſis eximiæ virtutes, de illo enim dicitur Eccleſiaſt. 49. verſ. 1. quòd fuit *dilectus Deo, & hominibus.* Vt filius in domo Pharaonis alebatur à filia ſummopere dilectus, & ad Regnum ipſum adoptatus; poſtquam verò ad virilem ætatem peruenie, adeò diſplicuie tyranno Regi, vt illum occidere ſtatueret, quod & feciſſet, niſi Moyſes ad deſertum confugiſſet. *Quærebat occidere Moyſem* (inquit text.) *qui fugiens de conſpectu eius moratus eſt in terra Madian.* Exod. 2. verſ. 15. Cauſa autem huius auerſionis mors fuit, quam Moyſes cuidam Ægyptio ſuffocanti Hebræum intulie. Sed valdè mirum eſt, quod Pharao occiſione hominis Ægyptij permotus Moyſem interficere tentauerit, quem tanquam Principem, & ſui Regni ſucceſſorem habebat. Qui tam inmanis erat carnifex, vt ſingulis diebus tot innocentes immergere pręceperit, ſic vnius Ægyptij morte exaſperatur, & Moyſis occiſione eam vindicari procurat? Quæ huius auerſionis cauſa? Eleganter Philo lib. 1. de vita Moy. *Rex egrè tulit, non quod aliquis occiſus eſſet, aut occidiſſet, ſiuè iure, ſiuè iniuria; ſed quod nepos ab eo diſſentiret, nec eoſdem, quos ipſe haberet pro ſocijs, ille pro hoſtibus, amans quod ille oderat, infenſus verò dilectis ab eo, & miſerans, quos Rex exagitabat.* Oderat Hebræos Pharao, & Ægyptios diligebat, quorum vnum Moyſes inerfecerat. Quod ergo ægrè tulit, occiſio non fuit, ſed quod ab eo diſſentiret, amans quos ipſe oderat, & odio habens quos ipſe diligebat. Quoniam impius ſuperior non culpam metitur, ſed ab eius placido diſſeneire pro culpa imputat: parceret enim Pharao, quamuis Moyſes plura flagitia perpetraſſet, ſi ipſi blandiretur, & eius deſiderio annueret.

2. Pergens Balaam ad Regem Balac aſinam, cui inſidebat, vulnerauit volens ad ſemitam reducere, à qua perterrita viſione Angeli ſtantis cum ſtricto gladio ſe auerterat; illaque, cum adhuc Angelum adeſſe conſpiceret, in anguſtijs duarum maceriarum, quibus cingebantur vineæ, iunxit ſe parieti, & ſedentis ſupra ſe Balaam attriuit pedem: ipſeque aſinam iterum verberauit. Cumque Angelus ad locum anguſtum tranſiſſet, vbi nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram aſina deuiare poterat, illum conſpiciens coucidit ſubſedentis pedibus: qui vehementius iratus fuſte eius latera percuſſit. Tunc autem aperto à Deo ore aſina conqueritur: *Cur percutis me etiā iam tertio?* Num. 22. verſ. 28. Cui Balaam: *Quia commeruiſti, & illuſiſti mihi: vtinam haberem gladium, vt te percuterem,* ibi. v. 29. Ipſi iterum aſina: *Nonne animal tuum ſum?* ibi. Valdè mirabile eſt, quod Balaam à percuſſione aſinæ abſtinuerit, non cum maximum, & inſuetum portentum vidit, aſinam ſcilicet loquentem, ſed quando dixit: *Animal tuum ſum.* Si ipſa ſupplicium meruerat, vt fatetur ipſe: *Quia commeruiſti:* Cur non percutit, cum ſuam eſſe dicit? Qui ad primam vocem aſinę manum non cohibuit, cum eius eſſe, vt ſe tueatur, repræſentat, placatur, nec vlterius eam verberat. Cur ita? Auguſt. auarum hominem hic agnoſcit. Iniquum Præſulem non incongruè intelligi poſſe credo, qui tametſi plura mala, & graues iniurias ab aliquo ſit perpeſſus, ipſumque digniſſimum ſupplicio agnoſcat: vbi primum ſe eſſe ſuum dicit, ſe ad eius placidum incommodat, & illius ſequelam profitetur, ſtatim abſtinet à gladio, & nec minimum ſupplicium illi infligit. Et ſi animal quoddam ſit, & graui propter eius ſcelera dignus ſupplicio, atque in ipſum Præſulem quamplura mala ſit molitus, ſtatim ac ſuis ſe annumerat, & illius partialitatem ſequitur, immunis euadit, & impunè delinquit.

3. Clauſerat Elias ore cœlos; ne pluerent ſuper terram Iſrael: Achab Regni ſui calamitate agitatus ſumma diligentia quærit Prophetam, vt illum perderet, à quo tot mala erat perpeſſus. Poſt famis verò annos tres præcepit Dominus Eliæ, vt ad præſentiam Achab pergat, quia pluuiam dare decreuerat. *Vade, oſtende te Achab: vt dem pluuiam ſuper faciem terræ.* 3. Reg. 18. verſ. 1. Et cur Dominus Eliam tam noto periculo exponit, & ad Regis conſpectum, cui tam inuiſus erat, cum vitæ diſcrimine adire pręcipit Prophetam? Qui in ſpeluncis, & antris deſerti parùm tutus erat, dum in eis delituit, ad conſpectum indignati Regis ſecurus adibit? Cur vt cœlum pluat, Regi Prophetam adeſſe Deus vult? Egregiè Caietan. ad hunc locum. *Prædicit Deus Eliæ, quod cum ſe manifeſtauerit Regi, dabit pluiam, vt intrepidus accedat propter beneficium pluuiæ affuturum, ob cuius defectum Rex perſequebatur ipſum.* Rex deſiderabat pluuiam, quam Propheta negabat à Regis deſiderio diſſentiens; & idcircò illum perſequebatur Achab: at cum Deus decreuit pluuiam dare, & Prophetam voluntati Regis annuere, intrepidus ad ipſum, & abſque terrore poterat accedere: quia iam futura pluuia eius placito ſe accommodabat,

N 2 ab

ab ipſo non diſſentiebat; proindèque eius gratiam obtinere indubium erat. Iniuſtus Rex, qualis erat Achab, iuſtum Dei miniſtrum eo ſolum perſequebatur titulo, quod ad eius voluntatem non accedebat: cum autem annuit, ſecurus poterat ad eius conſpectum venire: quia iniquus Princeps vnam tantum culpam, & vnicum vitium ſuis imputat ſubditis, ſuæ nempè voluntati non aſſentiri.

4. Holoferne Bethuliam obſidente exijt à ciuitate pulcherrima Iudith: ducitur ad tyrannum: cumque illum adoraſſet, eleuari iuſſit, & dixit ei: *Æquo animo eſto, & noli pauere in corde tuo, quoniam ego nunquam nocui viro, qui voluit ſeruire Nabuchodonoſori Regi: populus autem tuus ſi non contempſiſſet me, non leuaſſem lanceam meam ſuper eum.* Iudith. 11. v. 2. Cum ergo cœnam ſtatuiſſet ſeruis ſuis, dixiſſetque Vagao Eunucho, quòd puellam ſuaderet, vt ſpontè conſentiret ſecum habitare: ſic Eunuchus alloquitur Iudith. *Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, vt honorificetur ante faciem eius, & manducet coram eo, & bibat vinum in iucunditate*, c. 12. v. 12. Premenda hęc vltima verba, quæ improprijſſima videntur. Quis etenim vnquam pulcherrimam mulierem bonam puellam nuncupauit? Cur verborum abutitur proprietate, & non eam elegantem, præclaram, & venuſtam dicit; ſed bonam? Pręter quam quod, quo pacto bonam appellat, cuius genus, vtpotè Religione contrarium, improperabant gentiles, & adeò Hebręis erant infenſi hoſtes, vt gladio conarentur eos profligare? Crediderim: quoniam ſuſpicabatur Eunuchus iam iam Iudith ſequelam propriæ gentis reliquiſſe, & ad ſua caſtra tranſijſſe animo ibi commorandi, de ſuis eſſe, cum eiſque conſentire; & cum hoc ſolum meritum apud iniquos ſuperiores ſit illius partem ſequi, bonam puellam appellauit, non pulchram, & elegantem, & gratam Holoferni, tam etſi paulò ante in eam, & in ſuos innumera obiectaret improperia. Quo ſpectat illud Tertull. de præſc. c. 41. *Nunquam facilius proficitur, quam in caſtris rebellium: vbi ipſum eſſe illic pro mereri eſt; itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras lector; hodie Præsbiter, qui erat laicus; nam & laicis Sacerdotalia munera iniungunt.* Hoc enim vnum vitium non ingenuis Superioribus eſt ab ipſorum voluntate recedere: hæc vna virtus aſſentatoria genio ipſis blandiri ille bonus, qui eius aſſecla eſt; ille ſceleratus, qui alia ſemita incedit.

5. Miſerunt Iudęi ab Ieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, quis nam eſſet, cumque ille negaſſet ſe eſſe Chriſtum, Eliam, aut Prophetam, & vocem tantum clamantem in deſerto fateretur: excandeſcentes Ioannem audaciæ inſimulant, & reprehendunt. *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, nec Elias, nec Propheta?* Ioan. 1. verſ. 23. Cur illum ſic ſeuerè reprehendunt, qui paulò antea eū in magno pretio habebant, & Meſſiam eſſe exiſtimabant? Munus quod ipſis maximè ante arridebat, nunc ita diſplicet, vt reprehenſionis materiam reputent? Rationem ſatis textus innuit. *Et qui miſſi fuerant erant de Phariſæis.* Ibid. verſ. 24. *Id eſt* (ait Gloſ. Moralis) *ex Principibus Iudæorum, qui doctrinam non quærunt, ſed inuident: qui tamen ad Ioannem ideò veniunt, quia audiunt eum prædicaſſe communem omnium reſurrectionem, quam & ipſi credebant.* Adeò honorificè de illo exiſtimabant, quia putabant, Ioannem ſe illis conformare, atque ſuæ opinionis, & ſequelæ eſſe: ſed cum agnoſcunt, ab eis diſſentire, ipſum ſeuerè reprehendunt: quia non conformari cum iniquis, ab eiſque diſconuenire, pro maximo delicto reputatur. Vitium hoc incepit in cœlo, vbi tertiam partem Stellarum Draco ille magnus traxit cauda, quia ad eius ſequelam, & voluntatem verè innumeri ſpiritus adhęſerunt: ſerpit in terra, & apud Præſules regulariter viget, cum ab omnibus exulare deberet Dei exemplo, qui Nabuchodonoſorem fortem conſtituit, & potentem eo tantum fine, vt eum corripiat. *Et fortem vt corriperes, fundaſti eum.* Hic verſ. 12. vt Dei æquitas exaltetur, qui nec potentis, & ab eo vindictam Iudęorum inſtituti Regis faciem veretur, ſed iuſtè crimina punit, quia non eſt perſonarum acceptor.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Perſæpe quod minus vult, id ſe dicit velle Deus: & quod nolle dicit, ipſum vult.

1. RECtè dixit Seneca. *Hos igitur Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoſcit, exercet; eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis ſeruat.* Multa Deus denegare videtur beneficia, vt ſuos exerceat; vt ad meliorem frugem aduocet: optatis non reſpondet, non quia negare vult, ſed quia exercere deſiderat. Multoties id, quod magis largiri cupit, velle dare diſſimulat, & negare videtur. Quod minus ſæpè vult, id velle perſuadet; & quod nolle dicit, ipſum vult; vt hac induſtria cautiores nos faciat, & nec fidamus plus æquo, nec plus æquo diffidamus: multoties enim fauores inertem, & obliuioſum animum gignunt. Exindèque aiebat Sponſus Cant. 6. v. 4. *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.* Et quis oculos Sponſæ temperabit à lacrymis, cum dilectum audit præcipientem vt non eum intueatur? Quid mali, quid dedecoris Sponſæ oculi, habent, quod illos auertere ſatagit? Fortè oculos Sponſæ faſtidit, & illorum pulcher-

Digitized by Google

cherrimo intuitu ſtomachatur? Non inquam (ait diſſertè Sotomayor ad hunc locum) imò nihil anxius deſiderabat, nihil ſuſpirabat auidius, quàm continuò à ſponſa videri. *Nihil minus ipſe cupiebat, cum nihil magis deſideraſſet, quam nunquam ab eo oculos dimoueret*. At quod tam ardenter cupiebat, & peramanter anhelabat, voluiſſe diſſimulat: ne ſponſa fauoribus cumulata reddatur iners, ſed ſolerter ei placere ſtudeat. Idem accidit Magdalenæ. Ioann. 20. cum enim Chriſti pedes deoſculari tentaret, ipſius prohibet attactum. *Noli me tangere*. At hæc eadem amore flagrans cum diſcipulis Domini eius veſtigia tenet. *Acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius*. Matth. 28. v. 9. Et cur pedes ibi Magdalenæ prohibet oſculari, hic verò permittit? Ambroſ. lib. de Iſaac c. 15. *Etſi dicat: noli me tangere, tu tene*. Quaſi diceret: plerumque Deus velle diſſimulat, quod magis cupit: tu ergo ſuæ conditionis conſcius, tene pedes, etſi prohibeat: nam id vult quamuis diſſimulet: in ipſa negatione latet voluntas.

2. Hoc inquam Dei ingenium optimè nouerat Mater eius, cum enim in nuptijs Cana deficiente vino filium rogaret, vt conuiuatoribus faueret, ipſeque maternas præces recuſaret, & abnueret beneficium dicens: *Quid mihi, & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea*. Ioan. 2. v. 3. Tamen piiſſima Mater quaſi impetrata, & optenta eſſent beneficia, ait miniſtris: *Quodcumque dixerit vobis, facite, &c.* Chriſtus negat, & MARIA adhuc in ſupplicatione perſeuerat? Aduerſus Dei voluntatem obnititur Virgo? Quòd Deus renuit facere, adhuc vt fiat, conatur Deipara? Qua fiducia præſagiebat, filium beneficium collaturum? Qua vi nititur vt miraculum exſpectet? Sanè quia optimè nouerat ingenium, & pietatem filij, qua ſæpè palam ab ipſo negari videtur id, quòd magis efficere cupiebat. Accipe Bedam ſic excogitantem. *Sciebat quidem Mater eius humanitatem filij, licèt hoc modo videtur negare, quòd poſcebatur; Mater tamen ſciens pietatem filij, quòd negare nollet, quòd petebatur, fiducialiter mandauit miniſtris, vt mandata implerent iubentis filij*. Abnuit Chriſtus ſe facturum beneficium, negat quòd poſtulatur: & tamen pia Mater, vt oſtendat eius pietatem, & ingenium, adhùc obſiſtens perſeuerat, quamuis eſſet repulſa; quia in ipſa negatione latens deſiderium agnouit, in ipſa repulſa voluntatem. Non deſiſtit à pio ſupplicationis officio; quia nouerat filij ingenium, & quia ab ipſa negatione auſpicabatur miraculum; conſenſum extorquet; & audacter id facere præſumit, quòd renuere videbatur filius.

3. Cum à finibus Tyri Chriſtus Dominus exijſſet, & ad mare Galilææ veniſſet per Sidonem: adducunt ei ſurdum, & mutum, vt imponeret ei manus: cumq; apprehendiſſet eum de turba ſeorſum, miſit digitos in auriculam, & expuens tetigit linguam eius, ſtatimque apertæ ſunt aures, & ſolutum linguæ vinculum, ac rectè loquebatur. *Et præcepit illis* (inquit text.) *ne cui dicerent; quanto autem eis præcipiebat, tanto magis prædicabant, & amplius admirabantur dicentes: Benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui*, Marc. c. 17. verſ. 36. & 37. Auguſt. lib. 4. conſ. huius prohibitionis miratur, & cautelæ, qua Chriſtus ſe geſſit mutum à turba ſegregans, vt beneficium conferat. *Si autem Ieſus ſciebat eos (ſicut ille, qui notas habebat, & præſentes, & futuras hominum voluntates) tanto magis prædicaturos: quanto magis ne prædicarent, eis præcipiebat: vt quid præcipiebat?* Fortè caſum deſiderat, qui offendiculum ponit? Vt quid enim ſilentium iniungit eis, quos ſciebat validiſſimis vocibus miraculum diuulgaturos? Obiectioni Auguſt. aptè reſpondet Maldonat. ex Beda. *Videtur non ſeriò Chriſtum prohibuiſſe ne quid dicerent: ſed potius, vt magis ad dicendum incitaret*. Valdè cupiebat Chriſtus, vt illuſtre hoc miraculum confeſtim euulgaretur, & ideò non publicè illud patrauit, ſed mutum, ac ſurdum apprehendit à turba ſeorſum, præcepitque illis, ne cui dicerent, vt magis ad dicendum prouocaret: non ſolum quia genium, & artificium ad aliquid euulgandum, commendatio ſolet eſſe ſilentij, quia prurit lingua, cum ad tacendum cohibetur: ſed etiam quoniam ſæpè ſæpius, quòd Deus magis optat, ſe velle diſſimulat: Publica negatio tacitus conſenſus eſt: gaudet non facilè comprehendi, rogari deſiderat, & id ipſum quod cupit, non velle manifeſtat, vt auidiùs deſideretur negatum, & æſtimetur poſſeſſum. Plerumque non ſeriò velle aliquid indicat, quia ſeriò id ipſum deſiderat.

4. Simile quid habetur Luc. 9. verſ. 14. Leproſus ſanitatem à Chriſto expoſcit, obtinet, & ne gratias ageret pro ſalutis gratia: *IESVS præcipit illi, vt nemini diceret*. At ille quaſi taciturnitatis præcepto ſtimularetur ad loquelam, totus vocalis factus optatæ ſalutis beneficium continuò prædicabat. *At ille egreſſus* (inquit Marc. c. 1. v. 45.) *cæpit prædicare, & diffamare ſermonem*. Non paruam hinc interpretes excitant quæſtionem, an præcepto homo ille fuerit inobediens, an verò gratè obſequens benefactori. Teneo Caiet. ſent. in comm. huius loci. *Non intelligas propterea leproſum hunc reum fuiſſe inobedientia: intellexit enim IESVM prohibuiſſe, ne diceret factum, ad euitandam humanam gloriam, & quod officij ipſius curati erat publicare diuinum miraculum, & gratum ſe exhibere IESV, prædicando, & extendendo famam ipſius*. Quaſi diceret: Præcipitur beneficium tacere: at ille totus linguatus illud pronuntiat, nec ei imputatur loquela: quia ſciebat Chriſtum noluiſſe, ipſum ingratum eſſe. Nouerat illius mentem, & quòd perſæpè id quòd magis vult, nolle indicat: & eius

Digitized by Google

eius mentem rimatus, à prohibitione loquelæ, auſpicatur loquelæ obligationem. Iniunctum ſilentium rumpit, & non tantùm diuulgans miraculum ſe credidit benefactori obſequentem, ſed ad ipſius palatum operantem.

5. Amicus ille negotioſus, vt hoſpitem intempeſtiuum, qui ad ipſum venerat, vrbanè exciperet, adit amicum tres panes petiturus, qui tamen illi negantur. *Noli mihi* (inquit text.Luc.11.v.5.) *moleſtus eſſe non poſſum ſurgere, & dare tibi?* Inſtat ille, & poſt repetitas ſupplicationes, quotquot panes habebat, rogatus tribuit: *propter importunitatem* (pergit Euangeliſta) *eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios*. Cogita amicum Deum eſſe, cuius fores tantum in neceſſitate pulſamus. Aſt quo pacto, cum dixerit panem non poſſe, aut nolle dare, ſtatim importunitate victus panes non modo mutuat, ſed liberaliter donat? Nunquid Deus decreuit non dare, irritat poſteà concedendo? Dei decretum efficax poteſt ne reuocari? Tametſi efficax foret illud decretum de non dando, ſi non rogaretur: at quia rogatus fuit; panes dedit. Imo & vt rogaretur, eos negauit. Nolebat dare, ſi rogaretur; ſed quod nolle innuebat, id dolebat minus, quia magis rogari cupiebat. Belliſſimè Chryſolog.ſerm.39. *O quam dare vult, qui ſe inquietare taliter patitur ſuſcitari! O quam neceſſitatis eſſe ſuæ poteſtatis eſt, vult videri! O quam pulſanti iſte geſtiuit occurrere, qui ſecreti ſui cubile ipſam collocauit ad Ianuam! O quam negare uoluit, qui ſibi etiam neganti, qualiter extorqueretur, oſtendit!* Negat Deus id quòd concedere magis cupit, vt auidius petamus, audit pulſantem, tamen poſtularis ſe nolle annuere ait; vt magis inclamet, & vehementius pulſet: quod largiti deſiderat, vult extorqueri, & gaudet rogari, qui ſupplicationibus importunis optata concedit.

6. Cum ventorum vi contraria Chriſtus Dominus diſcipulos laborantes in remigando, & fatigatos videret, circa quartam noctis vigiliam ambulans ſupra mare accurrit, vt ſuccurrat: cumque ad ipſos accederet, ipſos pretterire indicat. *Et volebat eos præterire*: ait text. Marc.6.verſ.48. Si ad liberandos eos venit, cur illos præterire vult? Tam cito conſilium mutat? Qui paulò anteà tribulationis miſertus animo ſubleuandi accurrit, ſtatim auxiliari recuſat? Pœnitet benefacere, qui in laboribus ſuos vult relinquere? Expediret enim magis ad eos non accedere, quam poſt viſam neceſſitatem eam præterire, & manum non porrigere periclitantibus. Gaudet ſuorum labore, quòd tantum eos aſpicere in remigando fatigatos accedit? Optimè Bernard. *Nec tunc quidem volebat eos præterire, ſed magis probare fidem, allicere preces: præteriens teneri vult, abiens reuocari: ideò ſubtraxit ſe, quo auidius reuocaretur, teneretur fortius*. Quod minus cupiebat, innuebat velle. Se velle præterire indicat, & tamen cum ipſis permanere deſiderat; diſſimulat affectum, voluntatem celat, eos tranſire innuit, quia volebat fortius teneri, & auidiùs reuocari: idipſum quod amabat, nolle videbatur, & auditum auertit, vt probet fidem, vt experiatur amorem. Ex hoc quidem genio quod vati noſtro perſpicuum erat, ſpem excitat, antiquam reperens memoriam eorum, quæ Deus populo ſuo præſtitit, aut promiſit beneficiorum: ex quibus argumentum ſumit, vt ſperet non ita fore populum opprimendum à Chaldæorum Rege, vt nulla affulgeat libertatis ſpes: ferendam quidem aliquamdiu, non tamen æternam futuram eſſe captiuitatem. Licèt enim oppreſſum videret populum, & illa, quam petiebatur, calamitate Deum velle ſcelera penitus delere: quia tamen ipſe Deus erat, quem à principio coluerant, cuius ingenium, & naturam nouerant, etiam cum magis calamitas vrgebat, & magis populum delere velle videbatur, ſperat non fore deletutum: quia quod minus ſæpè Deus vult, id velle innuere videtur. *Numquid non tu à principio Domine Deus meus, Sancte meus, & non moriemur?* Hic verſ.12.

DISCVRSVS VIII. MORALIS.

Iuſtorum ſocietas nunquam non vtilis.

1. MAgnum lucrum accreſcit ex iuſtorum commercio, nam ad meliorem frugem conſocios aduocat, & quiſque illud vtiliſſimum experitur. Rectè Plato ſcabiem virtutem appellauit: nam eo modo, quo illa, adiungitur, & adhæreſcit. Sæpè ferrum ferro acuitur, lapis lapide affrictus ignem ſcintillat: & extincti carbones carboni ardenti applicati facilè igneſcunt. Hæc autem ſocietatis commoda illis, quæ amici mutuo ſibi præſtant, aptè comparantur: de quibus Seneca lib.4.de Bene.cap.18. *Num quo alio tuti ſumus, quam quod mutuis iuuamur officijs? Hoc vno inſtructior vita, contraque incurſiones ſubitas munitior eſt, beneficiorum commercio*. Hinc enim Laban nullum non mouit lapidem, vt apud ſe iuſtum Iacob retineret, ex cuius conſortio, & paſtoritio munere ſuas videbat opes maximè accreſcere: quare obnixè eum deprecabatur, cum ad patriam demigrare diſponebat, vt apud ipſum maneret. *Inueniam gratiam in conſpectu tuo: experimento didici, quia bene dixerit mihi Deus propter te*. Gen.30.verſ.27. Idem contigerat Loth: nam eo tempore quo habitauit cum Abraham, ingentem copiam bonorum habuit, & omnia proſpera ei accidebant: at poſtquam diuiſus eſt ab auunculo, & in Sodomis habitauit, iacturam non ſolum

lum bonorum, & libertatis, verùm etiam amantiſſimæ vxoris fecit. Et fortè (Auctore Fero) diſpoſuit Deus Loth à iuſti Abraham comitatu ſeparari, vt diſceret, quantum ipſius intererat iuſti ſocietas: *Vt diſceret quantum malum ſit à pijs ſe diſiungere*, quamque vtile, ipſis cohabitare.

2. Iſaia futuras Eccleſiæ fœlicitates præ-nuntians, & præſagus mirabilium, quę in gratię tempore ventura erant, aiebat cap.11.verſ. 16. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, & leo quaſi bos comedet paleas.* Mira concordia animalium naturaliter oppoſitorum, quam ſubtiliter annotauit Hieron. *Hoc notetur, quòd non agnus, & hædus habitent, & accubent cum lupo, & pardo; ſed lupus & pardus, hædi, & agni imitetur innocentiam.* Truculenta ſiquidem animantia in conſortio manſuetorum, & cicurum quotidiana manſuetudinis exempla cum intueantur, non poſſunt feritate natiua depoſita in agnos, & hædos mitiſſima pecora non tranſire. Tam eſt potens conſortium optimę qualitatis, vt in oppoſitione, quę exurgit inter nociuum genium animalis, carniuori, & pacatum manſuetudinis hędi, hoc illud ſuperet, & ad ſuam naturam manſuetam traducat. Sed mirabilius, quod ſequitur: *Et leo quaſi bos comedet paleas.* Quis crederet poſſe vnquam fieri, vt immanis beſtia, & ſanguinis ſemper ſitiens fœno, paleaque veſcatur, & propriam deponens naturam ad bouis naturam ſe accommodet? At ea eſt conſuetudinis, & quotidiani ante oculos exempli poſiti vis, vt beſtię carniuorę agnorum, & hędorum; quibus cohabitant, conſuetum appetant cibum. Quod perpulchrè dixit Cyrillus Alex.lib. 2. in Iſa.*Obſerua* (inquit) *quòd dicit non mitti in alimentum feris vſitatum, ſed in inuſitatam nutritionem ferarum demigrare. Carniuora quippe planè ſunt vrſus, & leo: bos autem, agnus, & hædus non ita, ſed herbas capiunt huiuſmodi animantia; atque è conſuetis ſilueſtria recedent, & potius ad manſuetorum tranſibunt, & alia veſcentur palea.* Planè prodigium ſtupendum eſt, quòd beſtię feroces, & carniuorę genuinam exuant feritatem, non mites pecudes alienam induant ferocitatem: illę ad paleas mitium pabulum, non iſtę ad carnes illarum eſcam ſe ſe conijciant: illę manſuetarum exemplo, & conſpectu cicurentur, iſtæ ferarum conſortio non efferentur. Vehementior quidem in virtutis, quam in vitij exemplo interdum videtur efficacitas. Proh quantum ex conuictu, & contubernio Iuſtorum vel ipſiſmet improbis, & beſtiarum ritu ferocientibus importari ſolet emolumentum.

3. Cum Rege Iſrael, & Iuda in deſerto degiſſent copioſiſſimis cincti copijs, & penè innumerabilibus exercituum ſuorum militibus, aquaque nunquam compararet, & miſerum, atque extremum exitium ſitis, quam patiebantur, iam immineret: quidam miles ex illic aſtantibus Regibus defert. *Eſt hic Eliſeus, qui fundebat aquam ſuper manum Eliæ*. 4.Reg. 3.v.12. Quaſi confidenter, & abſque hęſitatione diceret: haud dubiè aqua ſuppetet integris exercitibus ſufficiens, quandoquidem apud nos eſt vir ille, qui ſuper manus Elię fundebat aquam, ipſique familiaris valde erat. At quę effulgebat ſpes ad inueniendam aquam, ex eo quòd Eliſeus adeſſet? Quis aquam à Deo impetrabit? Planè Eliſeus hic ait miles. Et vnde id conijcit? Quia fundebat aquam ſuper manum Elię, qui miraculorum erat patrator. Sed hęc non confidentia: ſed ſtultitia videtur. Quid quòd Eliſeus famulus fuerit Elię, vt ex inde liceat coniecturare, ipſum miraculum patraturum, largiturumque aquam? Fortè famulus à Domino nequit diſſimilari, aut hęres eius ſpiritus, & gratię eſt, quòd ab obſequio Eliſei erga Eliam ipſum miracula efficere conijcitur? Tamen rectè miles auſpicatur, dum à conſortio Elię Eliſei ſpiritum arguit: quandoquidem ab hero in famulum virtus refunditur, & ſanctitas reuerebat. Numquam non ingens lucrum ex iuſti viri ſocietate reportatur. Non modo ex eius conſortio, familiæ, aut ciuitati emolumentum prouenit, ſed & integro Regno. In omnes illam comitantes generoſo genio ſerpit virtus; velut ſcabies, omnibus hæret: tam efficaciter influit in proximos, vt ab vnius ſanctitate, collegæ ſanctitatem liceat inferre. Si Elias opera patrauit miraculoſa, quæ terra ſtupebat, Eliſeum qui ipſi ſemper aderat, ea patrare haud dubium eſt.

4. In auſpicio primordialis mundi opificij hæ primæ Hiſtorici ſacri voces audiuntur. *In principio creauit Deus cœlum, & terram: terra autem erat inanis, & vacua*. Gen.1. v.1. & 2. *Inuiſibilis, & incompoſita*: alij non ſine myſterio legunt. Si cœlum; & terra efficiuntur ſimul (vt notauit Beda. *Vtrumque ſcilicet ſimul: quamuis vtrumque ſimul ab homine non dicatur.*) Si ex nihilo vtrumque concreatur: cur terræ defectus ſtatim publicantur, cœli autem reticentur? Maximè cum cœlum non ſtatim totam ſuam perfectionem adipiſceretur, ſed exſpectaret quartam creationis diem, in qua Sol, & Luna præſidere eruditæ præſiciuntur, vt annos, menſes, dieſque numerent, & diſtinguant. Primò cœli, ſicut terra, impoliti, & ſine vltimo ornamento lucis creantur. Cur igitur illorum defectus alto ſilentio tacentur, terræ autem imperfectiones ſtatim publicantur? Vtrumque impolitum primò apparet, & vtrumque poſteà comptè exornatur. Vnde igitur tam diſpar fortuna? Præclarè Hugo Carenſ. *Quia cœlum ſcilicèt, vt factum eſt, Sanctis Angelis eſt repletum, ideò de ipſo nihil dicitur.* Angeli ex Hugon. ſententia côcreantur cœlo, & ſtatim, ac Deus molitur cœlum, adſunt in ipſo Angeli: ex illorum igitur conſortio cœlum ita purum, & defæcatum eua-

euadit, vt iam nullus in eo defectus appareat: quaſi ſocietas Angelorum potens eſſet quaſcumque ſordes (ſi fortè aliquæ irrepſiſſent) expurgare, & abſtergere. Sic perutile eſt bonorum commercium, ſic illorum relegatio perniciosa, vt terra, quia nondum iuſtum aliquem poſſidebat, à quo mutuaret perfectionem, & pulchritudinem, imparata, incompoſita, & inuiſibilis dicatur: cœlum autem, quia à primordio cœlicolas Angelos habuit, defæcatum extitit, & ipſorum præſentia nitens nullum non obliterauit defectum.

5. Paſcebat Moyſes oues ſoceri ſui Iethro: cumque eas duxiſſet ad interiora deſerti, & veniſſet ad montem Oreb, apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: videnſque Moyſem ad ipſum pergere, qua erat veſte, dixit ei: *Ne appropies huc, ſolue calceamenta de pedibus tuis*. Exod.3. v.4. At ſi locus ſenticoſus eſt, & ad iter conficiendum calceamentum neceſſarium: vt quid Deus illud deponere præcipit? Per locum vepribus plenum incedet, qui ad Dei conſpectum auocatur? Nec vnum tantùm calceum ſoluet, ſed vtrumque? Ad quid hæc calceorum abdicatio? Præterquam quòd Moyſi prohibetur ad Deum accedere: *Ne appropries huc*. Ad quid igitur diſcalceabitur? Nam ſi propter reuerentiam viſionis nudis pedibus ambulare præcipitur, prohibitione acceſſus ab huiuſmodi ritu abſoluitur. Rationem tamen enodatè, & perſpicuè reddit text. *Locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Quaſi dicat: Si calceatus es, non tanges terram, quæ ſanctitatem germinat; proindeque illo ſancto puluere priuaberis. Solue ergo calceamenta, tange terram ſanctam, vt ab illius attactu, & viciniori commercio ſanctus euadas, Sanctitas enim adeo inhæreſcit, vt quantùm ad emolumenta, reputare poteris te cum Deo agere, ſi cum ſanctitate ipſa familiariter egeris. Sic Ambroſ. in Pſalm.117. *Moyſes progreſſione quadam virtutis ad altiora procedebat*. Nihil tam vtile eſt ad progreſſum virtutis, quam iuſtorum conuerſatio, & familiare commercium. Exindeque præſagiebat Apoſtolus ſuæ ſanctitatis profectos. *Noſtra conuerſatio in cælis eſt*, ad Philip.3. v.20. Quaſi incola eſſet in terra, qui cœleſtia tantùm contrectare, illiſque commerciari anhelabat. Et idcircò vates noſter à conſortio ſanctitatis Dei, quam populo ſuo vſque tunc agnoſcebat propitiam, & familiarem, ipſius populi futuram fœlicitatem vaticinatur. *Nunquid non tu à principio Domine Deus meus, Sancte meus, & non moriemur*? Hic verſ.12.

Verſ. 13. Mundi ſunt oculi tui ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. Quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe?

ANNOTATIO X.

Expoſitio Litteræ.

1. ARguit humiliter Deum Propheta, eo quòd ſceleratiorem videat minus impium opprimentem, quaſi dicat: Cum tibi omnis iniquitas diſpliciat, ac nullo modo videre, & approbare ea, quæ mala, & iniuſta ſunt, poſſis: quare reſpicis ſuper iniqua agentes? Quomodo ſuſtinere potes Chaldæos homines peſſimos inſtrumentum eſſe tuæ iuſtitiæ, & deuorare, atque conſumere Iudæos, qui licet peccatores ſint, multo tamen iniuſtiores Chaldæi ſunt? Hoc enim & Propheta, & Iudæi dolebant, quod per peiores ſe punirentur: hoc magis cruciabantur: quia plus ſentit homo quam ſupplicium, à ſceleratiori puniri: ratioque dictat punientem delictis non debere eſſe obnoxium: quia nullo modo emendare poteſt errata, qui errata committit. Vnde Seneca de remed.fortuitor. *Non poteſt vllam authoritatem habere ſententia, vbi qui damnandus eſt, damnat*. Et idem Seneca lib.1.de ira cap.15. *Ergo ad correctionem errantium, ſceleratorumque irato caſtigatore non opus eſt: nam cum ira delictum animi ſit, non oportet peccata corrigere peccantem*. Et rectiùs atque lucidiùs D.Greg. *Nequaquam purè in membro maculam conſiderat oculus, quem puluis grauat; & ſuſpectas ſordes tergere non valet manus, quam lutum tenet*. In bello illo iuſtiſſimo, quod totus Iſraël geſſit contra tribum Beniamin conſulto Domino, & ſigna-

& ſignato per eum duce, mortui nihilominùs ſunt quadraginta mille homines ex Iſraël, vt conſtat ex Iudic. 20. cauſamque reddens idem Greg. ait: lib. 14. Moral. *Quid eſt, quod vltione criminis Iſraël vniuerſus inflammatur, & priùs proſternitur? Niſi quod priùs ipſi purgandi ſunt, per quos aliorum culpæ feriuntur; vt ipſi iam mundi per vltionem veniant, qui aliorum vitia corrigere feſtinant. Vnde* Ioan. 16. *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat: ad aliena quippè peccata punienda ibant, & ſua relinquebant: reuocentur igitur intus ad conſcientiam, vt priùs propria peccata corrigant, & tunc aliena reprehendunt.* Ad eundem finem reuocat Oleaſt. id quod accidit Leuit. 24. verſ. 14. vbi ctiminoſus blaſphemus ductus fuit in carcetem, vſque dum Dominus præcepit Moyſi: *Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes, qui audierunt, manus ſuper caput eius, & lapidet eum vniuerſus populus.* Sententiæ executio non certis petſonis demandatur, ſed indiſcriminatim vniuerſo populo. Quare? *Crediderim* (inquit Oleaſt.) *omnibus committi vindictam: ne poſtmodum quis e populo auderet blaſphemare, & vereretur ipſe facere, quod in alio ſe vindicaſſe nouiſſet.*

2. *Quare reſpicis ſuper iniqua agentes.* Id eſt, cur his qui ingrati, vel odioſi tibi ſunt, ſupplicium noſtrum committis, & prorsùs à nobis faciem tuam auertis? Ac ſi dicetet: Cur qui præ munditia patienter aſpicere iniquitatem non potes, nec eam ſuſtinere vales, quin abſque ſupplicio, & caſtigatioue euadat, Chaldæos uihilominùs ſuſtines iniquos populum tuum deuotantes, & ptudeus ac videns impunitos dimittis?

3. *Et taces deuorante impio iuſtiorem ſe?* Iuſtiorem populum Hebræorum appellat, quanquam tot, ac tantis ſceleribus fœdatum, atque pollutum, vt ipſe vates prædixerat, non quia populum ſuum iuſtum reputat, ſed quia miuùs quam Chaldæ iniuſtus erat. Etenim dixit Philoſophus: *Minus malum quodammodò eſſe videtur.* Quo ſenſu Ezechiel dicebat c. 16. v. 51. gentes maximè peccatrices iuſtas eſſe, ſi cum Ieroſolymæ flagitijs comparentur. *Viciſti eas* (Sodomam nempè, & Samariam) *ſceleribus tuis, & iuſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.* Quoniam (vt ait Hectot Pintus) habens maiorem cognitionem impia ſcelera commiſit.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Plerumque calumnijs nobilitatur læſus Homo.

1. SEneca lib. de conſt. ſap. c. 4. vir omnium iniuriarum genera expertus, & tollerandis calumnijs plurimum verſatus ſic ipſas deridet. *Vt cæleſtia humanas manus effugiunt, & ab his qui templa diruunt, ac ſimulacra conflant, nihil Diuinitati nocetur: ita quidquid fit in ſapientem petulanter, & ſuperbè, fruſtra tentatur.* Fruſtra enim inuidia, & petulantia ſapienter, & rectè operantem adoriuntur, ac lædere conantur, cum immunis ſit à quacunque praua incurſione, detractione, & calumnia; quæ non modo ei non nocent, verum etiam proſunt: nam ſæpè à calumnijs honoratur eas viriliter ſuſtinens, atque artificium in dedecus molitum ad excellentiam, & maiorem honorem conducit. Ægrè ferentes Aaron, & Maria. quod Moyſi Dominus familiari ſærmone loqueretut, occaſione deſumpta, ex eo quod mulierem Ætyopiſſam in vxorem duxiſſet ei cruentè detrahebant. *Locutaque eſt Maria, & Aaron contra Moyſem propter vxorem eius Ethyopiſſam.* Num. 12. v. 1. Cauſa detractionis fuit, quod Moyſes mulierem accepiſſet de Æthiopia, ſeu Madianitam: quia accolas maris rubri ita vocari alijs locis ſcripturæ deprehendimus; præſertim in noſtro vate cap. 3. vbi habetur: *Vidi tentoria Æthyopiæ, turbabuntur pelles Madian,* Cum autem Aaron Iſraëliticam duxiſſet vxorem, Mayſes verò alienigenam, exorta puſillanimitate quadam hoc illi exprobarunt. At ſcire oportet, quid dedecoris hoc murmure Moyſi fuerit additum, quid honoris detractum. Auſculta Theod. q. 21. in Num. *Sed integritatem legiſlatoris confirmat fratrum proteruia: nempè cum alia carent accuſatione vxoris probrum obiecerunt.* Vndè honorem Moyſis de venuſtate tentabant, indè eius integritatem confirmant: quia eo facto probauit Moyſes non acceptorem eſſe perſonarum, ſiquidem meritum tantùm propriè gentis non ſat illi viſum eſt, vt Iſraeliticam vxorem duceret, & Madianitam delegit propter egregias eius dotes. Artifi-

Digitized by Google

cium amplificandi Moyſis laudes detractio fuit: & quod ipſi in dedecus objiciebant, in confuſionem inuertitur murmurantium. Pallida fratrum inuidia Moyſi detrahens, dum ipſum deuenuſtare ſtudet, maiori gloria, & opinione exaltat.

2. Chriſto Domino commorante in Bethania in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum celebris illa peccatrix habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & liberali animo, ac generoſa indole effudit ſuper caput ipſius recumbentis, & officioſo obſequio eum liniuit. *Videntes autem diſcipuli indignati ſunt dicentes. Vt quid perditio hæc? Potuit enim vnguentum iſtud venundari multo, & dari pauperibus*, Matth. 26. verſ. 8. Joannes autem idem factum referens. Judæ murmurationem expreſſit. *Dixit ergo vnus ex diſcipalis eius Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non veniјt trecentis denarijs, & datũ eſt egenis?* Joan. c. 12. v. 5 Multoties hæc mulier detractioné fuit perpeſſa, fortè propter excellẽtes naturę dotes. Modo callidiſſima arte eam mordebat inuidia, dum eius obſequium inſimulat, & vnguentum generoſo animo effuſum ad piam pauperum ſubleuationem meliori vſu accommodat; præſertim cum tam ſuperfluum videretur, vt Judas trecentis denarijs vendi poſſe putaret, prodigalitatis accuſat exceſſum. Sed attendè calumniæ, & paruæ locutionis intentionem fruſtratam: nam quod ipſe in dedecus Magdalenæ dixerat, & quo ipſam infamare cupiebat, in maiorem eius vertitur excellentiam. Quid laudabilius, quam in Dei obſequium liberalem ſe exhibere, & profuſa largitate diffundi? Igitur dum Judas pretium adauget vnguenti, vt obſequium exprobet, Mariæ liberalitatem commendat, & extollit. Arte lædendi pretium vnguenti adauget, vt profuſionem largitatem arguat; at quod in opprobrium, & contumeliam vnguentis dicebat, in gloriam vertitur obſequentis. Pulchrè Chryſoſt. hom. 18. in Matth. *Diſcipuli mentem fœminæ non videntes, factum eius dum calumniantur, eius magnitudinem oſtendunt dicentes: Poterat vnguentum venundari trecentis denarijs. Vidiſtis fœminæ magnificentiam?* Mentitur Judas, dum vnguentum plus æquo appretiat, vt Mariæ detrahat: at per id, quo eam calumniari intendit, eam magnificat. Animo detrahendi publicabat Mariæ largitatem: & vndè ille ipſam deuenuſtare credebat, ipſa lucratur ſuæ liberalitatis oſtenſionem. Auget nobilitatem, & laudem murmuratione: & ipſa detractionis materia materia efficitur honoris, atque ipſius beneficio glorioſè Marię largitatem prædicat. *Dum calumniantur, magnitudinem oſtendunt*. Artificium in dedecus machinatum ad excellentiam profecit, & laudem.

3. Refutatis blanditijs fallacis dominæ Joſeph in eius manibus pallium relinquit, & tanquam ſtrenuus ~~miles~~ ſtadium virtutis nudus currit, & brauium reportat: at laſciua fœmina poſtquam repulſam paſſa eſt, æſtuans libidine, impatiens ira, tenacibus manibus pallium adoleſcentis retinuit, vt & ſuæ fidei argumentum, & infidelitatis pudici iuuenis marito innoſceret. In argumentum ergò fidei retentum pallium oſtendit marito reuertenti domum, & ait: *Ingreſſus eſt ad me ſeruus Hebræus, quem adduxiſti, vt illuderet mihi: cumque vidiſſet me clamare, reliquit pallium, & fugit foras. His auditis Dominus, & nimis credulus verbis coniugis iratus eſt valde, & tradidit Ioſeph in carcerem*, Geneſ. 39. verſ. 17. Miriſſimum ſanè eſt, quòd textus ſacer affirmet Putiphar mulieri plus ęquo credidiſſe, & quod citò credentis nota eum inurat. Nimis credulus credendus eſt, ſi mulierem vidit vocem validiſſima inclamantem, ira impatientem, rubentem facie, oculis lacrymantem, & toto infidelitatis ſignis ſeruum accuſantem? Cur non credet delationi tot indicijs vehementibus munitæ? Citò credens exiſtimandus eſt homo tam euidenti ratione conuictus, & læſus honore? Eſt quidem, & nimia facilitate, atq; ſtultitia ductus. Audi Philon. lib. de Ioſeph. eius ſocordiam arguentem. *Non animaduertit veſtem, quam ab adoleſcente relictum mulier præferebat, eſſe indicium violentiæ, ſed muliebris, ipſius verò adoleſcentis patientiæ: nam ſi ille tentaſſet dominam, retinuiſſet eius amiculum, nunc reluctans ſuo pallio ſpoliatus*. Bellè dictum. Attendit Putiphar ad faciem, & verba mulieris, non ad manus: nam ſi manibus attendiſſet, ipſæ pro innocentia caſti Joſeph clamarent. Non ne mulier in manibus pallium habet Joſeph? Habebat ne Joſeph in manibus ſuis amiculum eius? Minimè. Euidens ergò erat, quòd ipſa eum detinebat, ne aufugeret, & quod ipſe recedens pallium reliquit, vt ſe eriperet, quod pudici iuuenis innocentiæ euidens argumentum erat. En eo ipſo telo, quo adoleſcentem laſciuiæ nota inurere tentabat, honeſtabat ipſum, ac ſe ipſam feriebat: gloriam pudicitiæ euulgat, dum ei detrahere conatur, & artificium, quòd in accuſationem Joſeph erat arbitrata, in eiuſdem defenſionem, & laudem conuertitur. Quod ſæpè accidit detractoribus nam vbi infamiam alterius fabricare prætendunt, eius honorem exaltant, & malitioſo genio laudes alienas prędicant. Idcircò Dominus oppreſſionem, & detractionem ſuorum permittit (de quo hic conqueritur vates noſter) vt exindè illuſtriores euadant, & detractionis beneficio decorentur. *Quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe?* Hic verſ. 13.

DIS-

DISCVRSVS II. MORALIS.

Homo iniuriæ ſuæ admodum exaggerator, beneficij contractor eſt: è contra Deus obſequij exaggerator, offenſæ eſt contractor.

1. HOminum natura præceps eſt ad dolendum de iniurijs ſibi illatis, tarda ad gratitudinem beneficiorum, quæ accepit: facilis ad querimonias, difficilis ad gratias: offenſas alta retinet memoria beneficia in puluere ſcribit, vbi citò obliterantur. Huiuſmodi autem genium optimè nouerat, Senec. lib. 1. de Bene. cap. 1. cum dixit. *Nam cum ita natura rompertum ſit, vt altius iniuriæ, quam merita deſrendant, & illa citò difluant, has tenax memoria cuſtodiat: quid exſpectat qui offendit, dum obligat?* Eandemque ſententiam habet, & repetit Epiſt. 81. *Odit qui accepit, & extenuat: iniurias verò dilatat, atque auget. Quid autem eò miſertus, cui beneficia excidunt; hærent iniuriæ?* Exaggetat homo quas accepit offenſas, & perenni memoria eas obſeruat; beneficia verò ipſi collata facillimè decidunt, & vel leuiſſima aura delentur. Optimè hanc mortalium conditionem expreſſit Samſon, qui à Philiſthinis vexatus, lumineque orbatus oculorum, Dei opem, & auxilium in ſui vltionem implorans aiebat; *Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam Deus meus, vt vlciſcar me de hoſtibus meis, & pro amiſſione duorum luminum vnam vltionem recipiam*, Judic. 19. verſ. 24. Vide qualiter receptam extendat læſionem, quantus ſit in exaggerando illatam iniuriam, atque comprimendo, & attenuando vindictam. Si vna tantum potentia priuatus eſt, cur non vnam vitiatam dicit, ſed duo ſibi ait eruta lumina? Satis ſuperque, ſi vnam facultatem videndi ab ipſo ablatam diceret, iniuriam exprimeret; at vt querelam amplificet, conqueritur, quod duo lumina amiſerit: & tamen cum tot hominum occidendorum millia contineantur in vindicta, quam ſumpſit, vnam vltionem tantum recognoſcit. Qui iniurias multiplicat, & exagerat, cur vindictam attenuat, & contrahit? Quia hæc mentis humanæ conditio eſt, exaggerare læſionem, quam ſuffert, & attenuare pœnas, quas infert. Virium robur, quo profligauit inimicos, in beneficium, & optatum votum Deus Samſoni contulit: id autem quo numeroſas Philiſthinorum copias oppreſſit, contrahit, & attennat, vnam vindictam reputans tot inimicorum ſtrages: quia hominum genium eſt dona contrahere, quæ accipit, iniurias extendere, quas ſuſtinet.

2. Quam alienus Deus ab hoc ingenio, qui obſequij exaggerator eſt, iniuriæ verò diminutor. Vtrumque probo. Volens Deus præmium conferre Abrahamo, eo quòd filium vnicum, quem diligebat Iſaac, in ſactificium offerre voluiſſet, ait: *Quia feciſti rem hanc, & non perperiſti filio tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam, quæ eſt in litore maris*, Geneſ. 22. verſ. 17. Mirum planè eſt, quòd indefinitè Deus loquatur, dum ad remunerandum Abraham accedit, & hanc rem dicat, quin illius naturam, & qualitatem exprimat. Fortè Deo voces, & eloquentia deficiunt, vt Abrahami geſta deſcribat, quod tam confusè loquitur, & nec geuus, nec qualitatem rei factæ ſpecificat? Rectè Oleaſt. ad præcitata verba. *Dominus* (inquit) *non ſolum opus commendat, ſed tanti facit, vt nomen quo laudet, aut operi imponat, non inueniat. Non dicit, quia voluiſti immolare filium mei cauſa, ſed quia feciſti rem hanc. Quam quæſo Domine? Non inuenio nomeu opere dignum.* Multoties ſilentio melius exprimitur excellentia operis, quod præ magnitudinem perfectionis non facilè declaratur, quia quacunque laude, & ponderatione eſt maius. Quod voces non capiunt, Rhetoricum ſilentium demonſtrant. Illa igitur exaggeratione melius explicatur maximum pretium, in quo Deus habuit Abraham obſequium: quærebat enim velut ſtudioſus Rhetoricus illos loqueudi modos, quibus ſiue exaggerans, ſiuè hyperbolicè depingens, quæ deſcribit, extollere ſatagit, & cum voces deficerent, vt magnificè, & iuxta ſuam æſtimationem exornaret orationem, indefinitam relinquit, & tantum ait: *Quia feciſti rem hanc.* Quia non inueniebat nomen opere dignum: & non tantum deſiderium pro facto reputat, vt prærogatiuam obſequij extollat, ſed nomen non inuenire operi condignum innuit, vt illud commendet, & exaggeret.

3. Matth. 12. verſ. 42. *Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salamouis.* Magna ex his verbis inter interpretes exurgit difficultas in explicando, quidnam per finem terræ, à quo Regina Sabba Salomonem inuiſere venerat, intelligatur. Et quidem Regina hæc, quia à regione Sabba venerat, Sabba Regina appellatur: non quia hoc illi fuerit nomen, vocabatur enim Nicaula, ſi Ioſepho fides eſt adhibenda. Per Sabba autem intelligi Abraham colligitur eo nomine Hebræo *Srben*, quod per Sabba habetur, 3. Reg. 10. & Paralyp. 9. idque tenet Hieronym. in traditionibus Hebraicis, vbi per *Schen* Arabiam accipit, & idcircò appellatur à Chriſto Regina Auſtri, quia Arabia Fœlix Auſtralis eſt Judææ. Inde difficultas vrget. Si Regina illa ab Arabia venerat, quæ non infinibus terræ quo pacto dicitur à finibus terræ aduenisſè?

Barrad. tom. 2. in Euang. lib. 8. cap. 18. difficultate preſſus per exaggerationem hęc dicta ſuſpicatur. *Intelligi etiam poteſt* (inquit ille) *dictum à finibus terræ Reginam veniſſe : quòd à regione longè à Judæa diſtante venerat*. Sed eſto verum ſit, quòd Arabia Fœlix longo interuallo à Iudęa diſtaret : quo pacto verum erit Reginam ab vltimis terrarum oris veniſſe, vt Chriſtus affirmat? Nunquid exaggerationem extra proprios terminos, & more tantum Rhetorico agit Chriſtus? Sic crediderim: nam huiuſmodi hyperbolica locutio non aliena eſt à veriſſimo, & puriſſimo Chriſti eloquio. Nam hac generoſa loquela pretium exaggerat, in quo noſtra opera habet. Quamuis Regina Auſtri non ab vltimis terrarum oris aduenerat, ab ipſis adueniſſe Chriſto videbatur, vt obſequium, & meritum augeat : generoſa enim indole, vt plus remuneret, obſequium, & famulatum extollit.

4. Quantum verò noſtras iniurias extenuet, multoties venit ponderandum. Diuinam miſericordiam Michęas commendans dixit: *Et projciet in profundum maris omnia peccata noſtra* Michę.c.7.v.19. Sicut enim mare res maximas, veluti naues ampliſſimas, atque integras Ciuitates, & inſulas ita abſorbet, vt nunquam amplius compareant : ſic tam copioſa eſt Dei clementia, tam ampla Chriſti Paſſio, & ipſius meritorum mare, vt propterea Pater omnia peccata mundi ad ſufficientiam condonauerit, Idcircò Spiritus Sanctus ad declarandam plenitudinem, atque abundantiam gratię, & miſericordię Dei mari eam comparauit. Vt enim in mari maximę res exiguę apparent, & penè imperceptibiles viſui : ſic maxima noſtra ſcelera in mari miſericordię ſuę exigua videntur, & contracta. Quod arcanè innuit Ioan. Apocal. 4. verſ. 6. ea enim, quę ante conſpectum throni viderat, depingens ſic ait: *Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo*. Plerique Interpretes, de quorum numero ſunt Auguſt. Rupertus, & Beba, Sacramentum Baptiſmi in hoc mari agnoſcunt: alij autem Sacramentum Pœnitentię auſpicantur : Utrumque noſtro inſtituto congruit : omnis enim qui ad thronum Dei accedere cupit, per mare Baptiſmi, aut Pœnitentię debet tranſire. Sed energia huius viſionis in eo eſt, quòd Sacramenta, quæ peccata expurgant, & abſtergunt ſordes, in mari figurentur, non vtcumque, ſed cryſtallo ſimili. Et cur non alij corpori diaphano mare aſſimilatur noſtra peccata abſorbens? Cœli enim non minus propriè mare exprimunt, quam cryſtallum, & propter ſuam tranſparentiam, et colorem ceruleum, qui noſtris oculis apparet; ipſiſque propter ſuam puritatem, et mundiriam, aptiùs Sacramentales aquę noſtras maculas abluentes aſſimilarentur. At ſuſpicor Sacramenta, quibus noſtra peccata expurgantur, vitreę, et cryſtallinę materiæ aſſimilari: quia cryſtallum maximas res contrahit, et attenuat; magnę enim, et integrę Ciuitates, vaſtiſſimique cœli exigui, et parui apparent in cryſtallo repreſentati; quidquid enim ſpeculum figurat, ad paruam quantitatem, et menſuram reducit : ſic maxima ſcelera, et peccata exigua, et parua in Sacramentis, quę Chriſtus inſtituit, apparent; nec tantùm tanquam mare ea abſorbet, ſed minutiſſima ipſi videntur : quia eodem genio, quo obſequia extendit, et exaggerat, iniurias contrahit, & diminuit.

5. Mulierem in adulterio deprehenſam adducunt ad Chriſtum Scribæ, & Phariſæi, & doloſè reatus ipſum arbitrum conſtituunt : Chriſtus verò, quia vigebat ſapientia, inſimulantium intentionem cognoſcens inclinans ſe deorſum in terra deſcribit. *Et iterùm ſe inclinans ſcribebat in terra*. Joan. 8. verſ. 8. Valde ambiguum eſt, & ſcrutatu difficile, quid nam in terræ puluere ſcripſerit Chriſtus, D. Hieronym. lib. 2. contra Pelagianos putat eorum qui accuſabant, & omnium mortalium ſcripſiſſe peccata, ſecundùm quòd dictum eſt in Propheta Jeremia 17. verſ. 13. *Recedentes in terra ſcribentur*. Et cur omnium peccata in leuiculo puluere ſcribuntur, qui ad tenuiſſimum flatum aeris ſpargitur, & euaneſcit? Cur Chriſtus deſcribit, quæ tam citò ſunt obliteranda, & laborat in opere non permanſuro? Quia immaniſſima quæque ſcelera ad tenuiſſimum ſpiraculum, ad verba *Ego te abſoluo* penitùs extinguntur, & abolentur. Sic exigua ipſi videntur, vt tenuis aura ea deferat, & extinguat, Hùc reſpicit quòd Chriſtus Dominus largiturus Diſcipulis ſuis poteſtatem dimittendi peccata Spiritum Sanctum leuiſſimo afflatu infundit, vt habetur. Ioan. 20. verſ. 22. *Stans in medio Diſcipulorum inſuflauit, & dixit Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiſeritis peccata, remittentur eis*. Et cur eum de remiſſione peccatorum agitur, Spiritus Sanctus in aura infunditur, non autem alio excellentiori ſigno, & facultatis collatę magis expreſſiuo? Accipe Rupert. lib. 1. de proceſ. Spiritus S. cap. 19. rationem reddentem. *Quòd per hunc Spiritum Sanctũ tam facilè ſit omnia peccata dimitti, quàm facilè cum vult in ſuflare poteſt aliquis*. Citò enim peccata noſtra delentur, & tam exigua Deo apparent, vt leuis aura ei videatur ſufficere ad ea obliteranda.

6. Pulchrè Petrus in ſua Epiſt. can. 1. cap. 3. verſ. 22. huiuſmodi Dei generoſam indolem deſcribit, dum de Chriſto ſermonem inſtituit. *Qui eſt in dextra Dei deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur*. Non vacat difficultate hæc loquendi forma : etenim ſi in cœlo omnes vita ſaturantur, & gloria : quomodo ait Petrus Chriſtum in cœlo deglutiſſe mortem? Si mors non vltra ibi erit : quo pacto regio illa beata mortis expers mortem habebit deglutiendam? Rectè Hug. Card. Gloſ. ſecu-

tus:

tus: *Deglutiens mortem, vt vltra non appareat, ſicut illud quod deglutitur, abſconditur*. *Secundò, quia quod deglutitur, citò tranſit*. Ac ſi diceret: Adeò efficax eſt Chriſti pro nobis interceſſio apud patrem, vt cum peccata noſtra (hæc enim mortem vocat) apparent ante Deum patrem, illa abſcondat, & inſumat, & noſtrorum ſcelerum errata digerat: atque hic morſus non illi inſipidus eſt ob famem, quam habet peccatoris, vt vitæ, & gloriæ Regno potiatur: pro eo intercedit peccata deglutiendo, & facit, vt citò tranſeant, atque illa minuit. Ad modum, quo quis dicitur verba deglutire: ſic Chriſtus peccata noſtra deglutit, eaque abreuiat, & contrahit. Hinc etiam ſolenne eſt in Sacra pagina Chriſtum Dominum monti comparari. *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini* &c. Iſaiæ cap. 2. verſ. 22. Quæ verba de Chriſto accipiunt Baſil. Rupert. & alij quam plurimi. Reor ergò Chriſtum monti conferri, inter alias rationes, quia in ipſo tanquam in monte noſtra ſcelera Echo ſimilia ſonuerunt. Ut enim Echo fit, cum ſonus incurrit in aliquod corpus concauum, ex quo tanquam pila repulſus ad aures reſilit, itaut exaudiri poſſit oblocutio, & non audiantur in Echo niſi vltimę ſyllabæ: quia licet fiat reflexio totius vocis; tamen priores eius partes ab vltimis à tergo vrgentibus turbantur: quare non niſi eæ partes, quarum regreſſus non impeditur, quales ſunt nouiſſimæ, à nobis percipiuntur: ita noſtra ſcelera in Chriſto primo recepta, & ad aures Patris regreſſa, diminuta ſonuerunt: & quæ maxima erant, exigua, & parua videntur. Quod accidit in verbis, quæ protulit, dum in Cruce pendebat: nam iniurias grauiſſimas ſibi à populo ſuo illatas, quas primo in ſe recepit, ad Patrem reflectit diminutas: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. Hanc autem Dei mentem altè contemplatus vates noſter eius benignitatem præſagiebat: nam etſi immaniſſima flagitia à populo perpetrata agnouiſſet; tandem ſolatur, quod ea Deus propter ſuam bonitatem, & diminuere, & parcere dignaretur, atque ad ipſius conſpectum exigua apparerent. Ob idque ea reſpicit, vt attenuet. *Quare reſpicis ſuper iniqua agentes?* &c. Hic verſ. 13.

Verſ. 14. Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens Principem.

Verſ. 15. Totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuum. Super hoc lætabitur, & exultabit.

ANNOTATIO XI.

Expoſitio Litteræ.

1. Uniuerſi interpretes, quos ego legerim, præter paucos recentiores ſtatim referendos, ob hoc Chaldæorum tyrannidem in Judæos piſcibus comparari arbitrantur, quòd piſces in ſe ipſos graſſentur; vndè Polibius teſtatur apud Græcos exiſſe prouerbium *à grandibus paruuli comeduntur*. Et Clemens Alexand. lib. 1. ſtro. ex Heſiodo.

Piſces, atque feræ, volucreſque per aera nantes
Se ſe edunt.

Sicut enim in aere potentiores volucres imbecilliores habent in prædam, & in terra præſtantiora, & robuſtiora animalia innocua deuorant: ſic in aquatilibus minora & inermia potentiorum explent famem. Quamuis namque id minus nobis experientia conſtet, quia ſpectare non poſſumus, quæ ſub gurgite fiunt: tamen certum eſt maiores piſces minoribus ali. Hoc ergò argumento vates noſter ab abſurdò, & indignitate videtur cum Deo agere, & humiliter conqueri, quod populus

populus Hebræorum ab Immaniſſima beſtia, qualis erat Nabuchodonoſor tanquam piſciculus à magno Cete deglutiatur. Per reptile autem vel expertia rationis animalia, vel ſerpentium genera venenata ſignificat. Id autem quod addit, reptile non habere Principem, à natura deſumpſit: quia multa reptilia ex ſuo genere duces non habent, qui ab aliorum iniuria ea tueantur. His autem Judæos comparat, qui ità videntur à Deo derelicti, & Chaldæorum telis expoſiti, ac ſi nullius auxilio defenderentur. Licèt aliqua animantia ex ſuo genere Principem habeant, vt Ariſtot. lib. 6. hiſtoriæ animal. cap. 9. idipſum de Hircis, & Arietibus dicit. *Singulis ouibus ſinguli duces conſtituuntur, qui quoties eò nomine à paſtore vocentur, antecedunt, quod ab ineunte ætate facere aſſueſcunt*: Tamen non his, ſed animantibus, quæ ex natura ſua Principem non recognoſcunt, cui obediant, & à quo foueantur, & ab hoſtium incurſionibus liberentur, populum ſuum confert Propheta, vt indefenſum, & inimicorum crudelitati expoſitum exprimat.

2. Gueuara, Ribera, & Sanchez exiſtimant hac metaphora velle ſignificare Prophetam contemni à Deo homines, perindè ac, ſi eſſent piſces, vel reptilia: quoniam quicunque eos vexare, & ſpoliare velit impunè, ità efficit, ac ſi piſces, aut reptilia occidiſſet: proindèque arbitrantur hic non comparari piſces maiores cum minoribus, ſed cum piſcatore, itaut ſenſus querelæ ſit: ſi hæc pateris, nec punis iniquum tyrannum populum tuum vexantem, ita homines occidentur, ac ſi eſſent piſces, aut reptilia. Quamuis vtraque expoſitio ſit probabilis, prima magis placet propter auctoritatem Hieronym. Theophilat. Theodoret. Lyrani, & Cyrilli eam ſequentium.

3. *Totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuum. Super hoc lætabitur, & exultabit.* Piſcatoris metaphora vtitur Propheta, vt prædam, quam Nabuchodonoſor extraxit à Jeruſalem, & aduexit in Babyloniam, exprimat. Juxta quam translationem piſcatoria inſtrumenta, quibus fuit vſus, inſtrumenta bellica, quæ ad expugnationem portauit, & ſpoliandum Ciuitatem, veniunt intelligenda: licèt Hieronym. aliquod diſcrimen in his deprehendat. *Quomodo piſcator mittit hamum, & rete, & ſagenam, vt quod hamus non potuit, rete comprehendat; quod euaſerit rete, ſagenis latioribus circumdetur: itá & Rex Babylonius cuncta vaſtauerit, & vniuerſum hominum genus ſuam prædam fecerit.* Id autem quod Propheta addit. *Super hoc lætabitur, & exultabit*: maximè exaggerat ſæuitiam, & immanitatem tyranni, qui adeò longè erit, vt condoleat de calamitate, & vltima clade Jeroſolymæ inflicta, quòd ſuper illam ridebit, ſibique gratu abitur: eo quòd ad tam extremam ſtragem, & miſeriam Judæos reduxerit, atque ſuper hoc, & ſuper prædam ibi acquiſitam maximè placebit, & exultabit.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Diuites, & potentes pauperes, & inualidos excoriant, & liguriunt.

1. MOre piſcium, & ferarum homines in homines ſæuiunt, & potentiores inermes, & innocuos deuorant. Nihilque ipſis delectabilius, nihil iucundius, quam humano ſanguine commaculare manus, & carnibus ventrem adimplere. Pauperes inualidos validi adoriuntur auari, & ſaturari ipſorum vita gaudent. Quod naturale vitium à natura ebibunt: ipſa enim ferociora animalia in defenſionis expertia docet inſurgere. Quod Bellè cecinit Baptiſta Mantuanus.

Quid verbis opus eſt, cunctis animantibus vna eſt.
Conditio; ſemper maiora minoribus obſunt:
Agni lupo, mites Aquilis ſunt præda columbæ.
Innocuos Delphini venantur in æquore piſces.

Et belliſſimè Saluianus lib. 6. de guber. Dei carpit, & reprehendit ſitim hominum inſatiabilem, quæ niſi hominum ſanguine non ſatiatur: ſic enim Romanorum ſpectacula reprehen-

hendens in potentiores inuehitur. *Nihil vel fermè criminum, vel flagitiorum eſt, quod in ſpectaculis non ſit: vbi ſummum delitiarum genus eſt mori homines, expleri ferarum aluos hominis carnibus; comedi homines cum circumſtantium lætitia, conſpicientium voluptate. Hoc eſt non minus penè hominum aſpectibus, quam beſtiarum dentibus deuorari: atque vt hoc fiat Orbis impendium eſt.* Nihil ſpectabilius hominibus, quam alios toto corpore laceros, confractos, & ſpoliatos videre. Ut pauci homines recreentur, dilacerantur homines ferales, & barbaræ delitiæ ipſis arrident, & vt paucis voluptatis compendium fiat, totus Orbis patitur impendium: attociter alij inſurgunt in alteros, & non modo bonis, ſed & anima, & libertate priuare conantur: ad idque eos excoriant, & liguriunt. Quod pulchrè Scriptura depinxit in illa parabola, qua fuit vſus Joathan, poſtquam Abimelech ſibi interfectis fratribus arrogauit imperium. Cum enim conuocatis arboribus ad eligendum Principem, reliquę principatum renuerent, Rhamnoque detuliſſent, libenter accepit, omniaque animalia ad ſuam protectionem vocauit, non tam vt protegeret, quàm vt dilaceraret. Nullo viuaciori Hieroglyphico potuit Joathan tyranni Principis genium exprimere, quam Rhamno: quia *Rhamnus* (inquit Hieronym.) *plena ſentibus, & Hericio ſimilis: ſpinoſus frutex, & arbuſcula ſentibus; vnciniſque contexta, quæ teneat quidquid attigerit.* Sicut enim eos, qui accedunt ad Rhamnum, ipſa non modo rapaciſſima tenacitate ſpoliat, ſed ligurit, harpagat, & aduncat, veſteſque ſubripit, & dilacerat; itaut nec ſibi, nec alijs proficuas relinquat; ſic Principes, & potentes auara rapacitate pauperes excoriant, & crudeli immanitate feriunt. Quod arcanè dixit Amos 2. verſ. 6. auaritiam Iſrael reprehendens: *Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quatuor non conuertam, pro eo quòd vendiderit pro argento iuſtum, & pauperem pro calceamentis.* Valdè ſudant expoſitores, vt horum verborum ſenſum capiant, & quid Dominus Iſraelitico populo infimulet illis verbis: *Et pauperem pro calceamentis.* Theodoretus ſic ea capit, vt innuatur Potentiores populi ſic auarè ad ſpoliandos pauperes acceſſiſſe, vt ad calceos vſque eos denudaſſent. *Nec calceos quidem pauperū lucrifacere recuſarunt, qui extremum hominibus vſum præbent.* Quo argumento probat Propheta Iſraelitas peiores Aſyrijs extitiſſe: nam ſi illi Iſraelitam iuſtè, vel iniuſtè vendebant deuictum in bello; Iſraelitæ proprios fratres diripiebant, & nudabant vſque ad calceos, quod extremum nequitiæ, rapacitatis, & auaritiæ eſt genus.

2. Nouerant hanc Potentum cupiditatem inexplebilem fratres illi Joſeph, qui cum ad Pharaonem adducerentur, de ipſorum opere, & officio interrogati reſponderunt: *Paſtores ouium ſumus ſerui tui, & nos, & patres noſtri. Ad peregrinandum in terram tuam venimus, quoniam non eſt herba gregibus ſeruorum tuorum ingraueſcente fame in terra Canaan.* Gen. cap. 47. verſ. 3. & 4. Mirum valde eſt, quòd interrogati tantùm munere, & officio, peregrinos ſe eſſe demonſtrent; quod extra rem, & ſtultè videtur dictum: nam Pharao non ignorabat illos aduenas, & peregrinos eſſe: quòd ſi ignoraret, non illis obeſſet: nam ſi eos conciues, aut regni ſui accolas Pharao reputaſſet, gratiores ipſos haberet, quia plus amoris, & beneuolentiæ Principes ſuis ſubditis debent deferre, quam exteris. Ut quid igitur tam conſultè peregrinos ſe eſſe oſtendunt, & fortè Joſeph ipſos inſtruit ad huiuſmodi reſponſum? Præclarè Oleaſter adhunc locum. *Videtur proteſtari ſe peregrinos; ne Rex poſtea captiuos, & ſeruos arbitraretur.* At vndè Rex captiuos, & ſeruos ipſos erat arbitraturus, ſi ſubditos, & vaſallos crediidiſſet? Exindè ſane: quia hoc innatum genium Principibus eſt, liberos ſubditos ſeruos reputare, & ad miſeram captiuitatem, & ſeruitutem redigere, atque è diuitibus pauperes facere proindeque prudentet ſe peregrinos fatentur, & aduenas, ne Pharao ſuæ ditionis eſſe crederet, eoſque depauperaret, & ad miſerum famulatum traduceret. Sciebant enim Potentiorum, & diuitum ingenium, atque auaritiæ ſitim, quam acriter, & venuſte reprehendit D. Baſilius hom. 7. *Velut flumina*, inquit, *ex paruis initijs exeuntia, deindè paulatim incrementum intolerabile in proceſſu accipientia, impetu demum violento quidquid obijcitur, ſecum trahunt: ſic & ij qui in magnam prouehuntur poteſtatem, ex eo quòd iam aliquos oppreſſerunt, ad maiora continuo facinora, maioreſque iniurias progrediuntur. Potentia incrementum fit eis ſceleris occaſio maioris.* Quid pulchrius? Quid verius dici potuit?

3. Prouiſurus Deus populo neceſſaria ad victum, propter eius inſtantiam, & continuam murmurationem, Manna miſit in abundantia, cibum omni ſuauitate repletum, & vnius cuiuſque palato, ac voluntati conditum: tamen ea diſpoſitione, vt vnuſquiſque quotidiè ex eo colligeret, quidquid voluiſſet ad illum diem, inquo illud inſumere, aut deperdere erat neceſſe: quia deinceps corrumpebatur, nec ad victum poterat deſeruire. *Colligat vnuſquiſque ex eo, quantum ſufficiat ad veſcendum.* Exod. 16. v. 16. Miriſſimum eſt, quòd qui tam abundanter Manna largiebatur, tam parcè illud durare diſpoſuerit, vt ad ſingulos tantum dies deſeruire poſſet. Cur non ad annum, ad menſem, aut ſaltem ad hebdomadam Manna tribuit, vt populus non laboraret illud ad caſtra adducens, extra quæ deſcendebat? Eſcæ tot ſaporibus, & ſuauitatibus repletæ hęc vna deficit, quòd ad vnius tantum diei victum cadit, & ad vnius tantum diei ſpatium colligi præcipitur? Cur ità? Egregiè Lyra alibi datus ex Joſepho. *Quòd ex diuina prouì-*

prouidentia factum eſt hoc, ne ex cupiditate, & guloſitate illi qui fortiores eſſent, plus debito vellent colligere: & ſic debiliores debito alimento priuarentur, & in populo ſeditio oriretur. Pręcauet Deus in populo ſuo id, quod ſæpè in omnibus accidit: nempè quod diuites, & potentes omnia ſibi ſubripiunt, pauperibus fame pereuntibus, & animas exhalantibus? & idcircò Manna ad diem tantum porrigit: nam ſi ad annum, menſem, aut hebdomadam miſiſſet, Proceres, & Dynaſtæ totum ſibi arrogaſſent, non ſolum vt ipſis ſupereſſet, ſed vt pauperes fame pereuntes viderent.

4. Huiuſmodi auara rapacitas, & tyrannis diuitum in pauperes pulchrè depicta eſt apud Zachariam 5. verſ. 9. *Et leuaui* (inquit text.) *oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum, & habebant alas quaſi alas Milui, & leuauerunt amphoram inter terram, & cælum* D. Gregor. lib. 14. c. 16. diuitum rapacitatem, & inexplebilem auaritiam hic agnoſcit in Miluo optimè depictam. *Miluus* (inquit) *ſemper rapturæ ſtudet pullorum. Iſtæ mulieres ergo alas habent quaſi Milui, quia actiones eius diabolo proculdubio ſimiles ſunt: quia inſidiantur ſemper rapturæ paruulorum.* Nulla enim inter volucres rapturæ deditas aptius diuitem auarum exprimit, quam Miluus: quia reliquæ ad inuicem ſe oppugnant, & graſſantur, nec certamen inire recuſant cum potentioribus: at Miluus paruulorum ſemper ſtudet rapinæ, & innocuos pullos adoritur: proindèque rapaciſſimus cognominantur, & congruo à Martiali epitecto rapacis inſignitur. *Raptor ab ethere Miluus.* Geſnerus apud noſtrum Rayrolem in expoſitione huius loci ſic de illo fatur. *Inſidiatur pullis gallinaceis, & anſerinis, & quos incautos viderit, ſtatim rapit. Circa coquinam, & macella volitans, vt ſi quid carnis crudæ proijciatur, mox rapiat. Tanta eſt Miluorum Tigurinorum apud Heluetios rapacitas; vt panem pueris, piſces fœminis, ſudaria ſæpiùs è virorum manibus eripiant: imò ſæpè pilos è capitibus hominum auferre ſolent.* Hæc Geſnerus, quibus nihil aptius ad ſignificandum diuitum erga pauperes rapacitatem: illi enim ſemper innocuos, & inermes pauperes aggrediuntur, & vſque ad vltimam guttam ſanguinis ſugunt. Quòd & Sophar eleganter dixit Job. 20. verſ. 15. *Diuitias quas deuorauit* (diues nempè) *euomet, caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ.* Quod optimè explicat Volduc lib. 10. cap. 74. ex Plinio *Librat ſe* (inquit) *Aranea filo in caput ſerpentis porrectæ ſub vmbra arboris ſuæ, tantaque vi morſu cerebrum apprehendit, vt ſtridens ſubindè, ac vertigine rotata, ne filum quidem deſuper pendentis rumpere, adeò non fugere queat, nec finis ante mortem.* Ex quibus verbis liquet, ad quid alludat Sophar, dum ait: *Caput Aſpidum ſuget.* Ac ſi diceret: Impius diues veluti Aranea eſt ſedens in inſidijs, in occultis, vt interficiat innocentem, & inſidiosè, inquam, ac fraudulenter tyrannico furore, quaſi per filum deſcendens, quaſi ſe ſe demittens qua parte debilior, & tenuiori fortuna eſt, eius ſubſtantiam ſugit, inſatiabili cupiditate ore ſanguinem pauperis attrahit, atque illum, ſicut Aranea caput aſpidis ſugendo, necat, & interimit.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Bonum publicum priuato præferendum.

1. PRopria anhelare, & aliena negligere hominibus innatum vitium eſt. Hęc omnium rerum ſumma: hęc politia mortalium: ad hoc centrum omnes lineę tendunt: ad hunc finem omnia diriguntur media: & ad ſe ipſos homines, quaſcunque habent, operationes flectunt: quidquid extra ſe ipſos eſt, deſpiciunt, ac totum mundum periclitari non dolent, dummodo vnuſquiſque proprio commodo prouideat: cum tamen ratio dictet oppoſitum, & pro communi omnium vtilitate viriliter pugnet, natura ſic docente, quæ multoties contra particulares inclinationes operatur, & detrimenta patitur in indiuiduis, vt communi bono prouideat. Sic plerumque contra naturalem impulſum aqua aſcendit, deſcendit ignis, & vtrumque ſuauem patitur violentiam, ne pars aliqua vniuerſi deformiter vacua inueniatur. Imò & bruta animantia rationis expertia inſtinctu naturæ ducta bonum commune priuato præferunt. Quòd Chriſtus Dominus innuit Diſcipulos ſuos inſtruens, Matth. 10. verſ. 16. *Eſtote prudens ſicut ſerpentes.* Quam ſerpentium prudentiam Chriſtus commendat, & imitari præcepit? A bruto, & venenoſo reptili prudentiam diſcent? Quæ namque illa eſt? Dicat Chryſoſtom. hom. 3. in Matth. *Serpens totum ſe ipſum tradit, nec admodum curat. ſi corpus inciditur; donec caput ſuum integrum ſeruet.* Inter corporis partes caput non pars, ſed totum reputatur, quia cauſa vniuerſalis eſt, quæ in omnia membra influit. Cœteræ partes non aliarum functiones gerunt, nec ad inuicem ſe fouent, ſed vnaquæque ſe ipſam tantum nutrit, & incrementat: at caput omnes corporis partes viſitat, fouet, & gubernat. Ea igitur prudentia, & politia ſerpentum eſt ſe ſe in circulos deuoluere, & plicare, vt caput incolume ſeruent? Vt caput tueantur, reliquas partes periculo exponunt pręferentes id, quod commune bonum, & vtile omnibus partibus eſt, peculiari, & priuato. Hęc enim maxima prudentia eſt:

nam

nam caput illęſum, ſi pars aliqua vulneretur, auxilium, & vires præbet, vt medeatur: verùm ſi vulneretur caput, & ipſum, & reliquæ partes periclitantur.

2. Odio implacabili Saul perſequebatur Dauidem, eius ſanguinem ſuſpirabat, & exercitu magno per inuiam ſolitudinem, & arduos ſcopulos inſequebatur eum: cumque ipſe fugitiuus ad montem Maon deueniſſet, circum vallauit montem exercitus, & in modum coronæ illum cinxerunt, quin Dauidi ſpes aliqua euadendi affulgeret: cumque iam iam in manibus eſſet inimici, nuntius peruenit ad Saul, qui Philiſthæos ſuas terras deuaſtare hoſtil manu nuntiauit: quòd cum audiſſet, caſtra mouere præcipit, & feſtinanter in occurſum vadit Philiſhijn. *Et nuntius venit ad Saul dicens: Feſtina, & veni quoniam infuderunt ſe Philiſthijn ſuper terram. Reuerſus eſt ergò Saul deſiſtens perſequi Dauid, & perrexit in occurſum Philiſthinorum.* 1. Reg. 23. verſ. 27. & 28. Miriſſimum profectò eſt, quòd Saul, qui Dauidem tam interno perſequebatur odio. & tam copioſo per multos dies inſequebatur exercitu, modo cum ad manus ipſum habet, à perſecutione deſiſtat, & innocuum relinquat. Cur non pręcipit militibus montem aſcendere, & Dauidem interficere, aut apprehendere, vt poſtea Philiſthæis occurrat? Breuiſſimè quidem hominem inermem, profugum, & de fuga deſperatum capere poſſet, quo ſuo deſiderio poſſet ſatisfacere, & expeditioni contra Philiſthijn. Modo exercitum conducere potentem, & per aſperrimam ſolitudinem peregrinari non recuſat, & tam citò à propoſito ſe ſubducit, cum penè concluſum habet? Fortè inimicitias, & odia, quæ contra Dauid conceperat, depoſuit, & ſuam agnouit innocentiam? Non inquam (ait acutè Caiet) non iras depoſuit, tametſi Principem ſolertiſſimum in hoc facto ſe oſtenderit: nam cum ex vna parte mortali odio contra Dauid concepto ad ipſius mortem agitaretur: & ex alia ſtragem ſuarum Prouinciarum ſub manu hoſtili Philiſthijn oppreſſarum audiret, bono communi prouidens ipſum præponit. Mors Dauid in particulare commodum, & ſolatium ſui ipſius cedebat: occurſus contra Philiſthijn in communem ſui regni vtilitatem; cędat igitur commune bonum particulari, & Dauid liber remaneat, vt Philiſthæo occurramus. *Boni Regis officio functus eſt* (ait Caiet.) *præferens bonum publicum priuato*. Hæc enim Princeps Principum obligatio eſt, hæc cuiuſcumque ſuperioris optima politia, conuenientiæ particulari publicam anteponere, & ſpeciali commodo publicum præferre.

3. Vir ille Senex Jeroſolymitanus (qui tanquam Cignus candidus à vita diſceſſit illo modulatiſſimo cantico. *Nunc dimittis &c.*) antequam puerulum Jeſum in vlnas acciperet, ſalutem tantùm Iſrael præſtolabatur, atque ardenter cupiebat: *Et homo iſte iuſtus, & timoratus exſpectans conſolationem Iſrael*. Luc. 2. At poſtquam Jeſum accepit in manus lætabundus dixit: *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael*. Omnibus populis ſalutem denuntiat, & ortam felicitatem, qui paulò ante ſalutem tantùm, & conſolationem Iſrael exſpectabat: *Exſpectans conſolationem Iſrael*. Quomodo ergò nunc omnibus populis ortam ſalutem exclamat? Fortè prophetias antea non legerat, quæ Chriſtum ſalutare omnium gentium prædicabant? Cur tàm cito omnium populorum Redemptionem agnouit, quem antecedenter Saluatorem tantùm Iſrael credebat? Suſpicor, quia antea ſchola hominum erat eruditus, qui tantùm peculiari commodo ſtudent, & publici obliuiſcuntur: at poſtquam Deum in brachia recepit, cęleſti politia imbutus, qui tantùm priuato bono populi ſui attendebat, iam publicum omnium gentium pręſagit, & deſiderat. Annuit Græcus relatus à D. Thom. in catena: *Attende etiam ſagacitatem digni, & venerandi ſenis: antequam dignus videretur beatæ viſionis, & præſtolabatur. ſolamen Iſrael: vt autem quod ſperabat, obtinuit, exclamat ſe vidiſſe ſalutem omnium populorum. Adeò enim infantis ineffabile iubar illuſtrauit eum, vt proceſſu temporis ſecutura mox ſibi fierent nota*. Simeon igitur etſi vir iuſtus, & timoratus eſſet, tamen vſque dum Deum præ oculis, & manibus habuit, ipſum non omnium ſalutare exſpectabat, nec præſtolabatur, quia humana tantùm ſapiens in priuatam populi ſui vtilitatem ferebatur: at ipſum Deum contrectans ad omnium populorum ſalutem veniſſe agnouit, & annuit, vtilitatem communem priuatæ præferens. *Quod paraſti ante faciem omnium populorum*.

4. Præcipiebatur olim Exod. 22. verſ. 5. poſſeſſiones, & agros ſic cuſtodiri, vt nullus eis nocumentum inferret: quòd ſi forte accidiſſet, ad reſtitutionem tenebatur damnificator, non vtcunque, ſed ex optimis fructibus, quos habebat. *Si læſerit quiſpiam agrum, vel vineam, & dimiſerit iumentum ſuum, vt depaſcatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro ſuo, vel in vinea, pro damni æſtimatione reſtituet*. Lex nimis rigoroſa, & primo aſpectu iniuſta videtur: nam iuſtitia dictat, quod tantùm pro tanto reddatur, ne quis maneat defraudatus. Cur igitur præcipitur reſtitutionem ex optimis fructibus damnificatoris fieri, quando, & quomodocunque damnum intulerit? Si forte nocumentum in deterioribus fiat, cur non deterioribus ſoluetur, ſed ex optimis ſemper reſtituet? Expediret enim iuxta qualitatem fructuum mulctam imponere, ne dum læſo prouidetur, iuſtitia lædatur. Audi Carthu. ſic ad litteram exſcribentem. *Rectè dicitur de optimo; vt per hoc magis refrænetur ab*

huiuſmodi nocumentis. Et in expoſitione ſpirituali addit. *Qui ergo alterius animam, ſiuè Parochiam, aut alicuius Prælati Eccleſiam læſerit peccando in proximos, ſcandalizandouè plurimos, & bonum commune impediendo, & dimiſerit iumentum ſuum, vt depaſcatur aliena: quidquid optimum habuerit, in agro ſuo vel vinea pro damni æſtimatione reſtituet*. Ac ſi dicat: Agros cuſtodire, ad bonum commune Reipublicę ſpectat: ſatisfacere autem pro damno illato ad particularem perſonam: igitur hæc plus ęquo mulctetur, vt communi bono prouideatur: de optimis ſoluat, etſi non optima abſtulerit, vt per hoc magis refręnetur ab huiuſmodi nocumentis, & commune bonum non lædat. Publicum particulari præponatur, & huius diminutione conſeruetur illud: aliter peruersè, ac perniciosè res ſe habent in Republica. Hoc maximè deplorabat vates noſter, præuidens cupiditatem, & auaritiam Nabuchodonoſoris ad particulare ſuum commodum, & emolumentum omnia traducentis, & euertentis vniuerſam Rempublicam Judæorum, vt ſibi tantum prouideat. *Totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuum*. Hic verſ. 15.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Non homo à Dœmone, ſed Dœmon ab hominum ſumptibus ſaginatur.

1. Sic tyrannica, barbara, & crudelis eſt Dœmonis dominatio, vt non tantum noſtram ſeruitutem ambiat, ſed nec neceſſaria famulis ad victum tribuat, & (quod mirabilius eſt, & miſer.ùs) ſumptibus ipſi famulantium ſaginetur: & pro exhibito ipſi obſequio lucrum reportet. Pretio noſtro emere vult, quód nos ſibi famulari permittat: nec tantum miſeris ſeruis debitam negat mercedem, ſed ab ipſis graues exigit penſiones, & illorum ſudore nutritur. Perfidus ille, ac inſanus populus tanta cupiditate Deos ſibi fieri cupiebat, vt inaures ab auribus vxorum filiorum, & filiarum abſtulerit, & Aaroni leuiſſimè tradiderit, qui per artificem igne omnes conflauit, & fuſorio opere vitulum fabricauit, quem in idolum magna auiditate Iſraelitæ exceperunt, eique omnia miracula à Deo facta in exitu ex Ægypto impiè, ac furenter tribuerunt. Rem ſic narrat textus ſacer: *Fecitque populus, quæ iuſſerat, deferens in aures ad Aaron. Quas cum ille accepiſſet, formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem, dixeruntque: Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Exod. 32. verſ. 3. & 4. Mira fuit horum hominum inſipientia, qui Dei magnam potentiam, & maieſtatem, quam viderant in monte Sinai, obliti, Deum in vitulum commutarunt, & miracula, quę Deus fecit in exitu ex Ægypto, educendo eos ſicco per mare Rubrum, cœleſti pabulo illos cibando; aquam ex rupibus extrahendo, & cætera prodigia, quæ Deus fecit, vitulo tribuere, à quo nihil commodi, nihil vtilitatis acceperunt; quinimò proprijs ſumptibus effectus eſt, vtpotè ex eorum auro confectus.

2. Pulchrè hoc dixit Regius Pſaltes Pſal. 105. verſ. 19. *Fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt ſculptile, & mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*. Pro gloria intelligunt Hieronym, & Caſſiodor, Deum, in quo eorum gloria, & decus debuerat eſſe. Sed cum de vitulo, quem in idolum erexerunt, loquitur Dauid, cur in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum dixit, & non potius in ſimilitudinem vituli arantis, triturantis, aut trahentis plauſtrum? ſiquidem his omnibus officijs hominibus proficuus vitulus deſtinatus eſt. Vitulum non laborantem, vt ipſis proficiat, ſed comedentem, vt damnum referat, erigunt? Bellè quidem: vitulus ille Dœmone grauidus Dœmonis genium, peccatique figuram exprimebat, quod ipſi tanquam Deum adorabant. Quoniam verò Dœmonis conditio eſt, homines, ſuaque bona conſumere, & demoliri, nullumque eis commodum, aut emolumentum afferre: idcircò vitulo comedenti fœnum, non aranti, aut trituranti comparatur. Præclarè D. Auguſt. adductus à Gloſ. *In ſimilitudinem vituli comedentis fœnum: vt ab eo ipſi comederentur hi, qui fœnum, ideſt, caro ſunt: omnis enim caro fœnum*. O inſaniam ſtultorum hominum! Falleris ſtolide, & à veritate toto aberras cœlo, ſi exiſtimas te à Dœmone, aut à vitijs aliquid emolumenti, aut commodi accipere. Illa illa ſunt, quæ te edunt, quæ de tuis bonis ſaginantur: ſicut vitulus Hebræorum fictorem ſuum, & adoratorem comedebat: *In ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*. At dubitant Doctores, an vitulus ille actiones aliquas habuerit vitales. Negant aliqui: ſed magis arridet ſententia Burgenſis in addit. 3. ad cap. 32. Exod. & aliorum, qui cenſent, quod Dœmonum ope comeſtionem, & eiuſmodi actiones videbatur exercere. Quòd magis accedit ad verſum Pſalm. 105. præcitati, magiſque exprimit naturam Dœmonis deprauatam, cuius indoles, & auiditas eſt hominem cum ſuis bonis deuorare, quin, exindè aliquod venetur emolumentum. Quam quidem auiditatem rectè probant verba illa, quibus fabricatus vitulus deſcribitur: *Formauit opere fuſſorio*: vbi Lyra. *Vitulus non fuit factus per ſculpturam, ſed per fuſuram*. Et cur vitulus per ſculpturam non efficitur, quæ poli-

politior eſt, quam fuſura? Suſpicor: quia ab eo, quòd per ſculpturam formatur, aliquid auferrur, & detrahitur, vſque dum in debita proportione remaneat: at ab eo, quòd per fuſuram efficitur, nihil adimitur, totumque in illud effunditur. Sic equidem fatuè falluntur, qui cenſent ſe Dœmonis ſimulacra, & idola per ſculpturam fabricare, aliquidque ab eis emolumenti repottaturos. Non fiunt hæc à te ô ſtolide niſi per fuſuram, omnia, quæ habes, in ea inſumendo, & vtinam non ab vxore, & filiabus inaures, imò & cibum auferas, vt idolum ornes, quod colis miſer, & adoras.

3. Populus decem tribuum ſub nomine Ephraim de idoli inuentione ſic lætabatur: *Inueni idolum mihi, omnes labores mei non inuenerunt mihi iniquitatem, quam peccaui*. Oſeæ 12. verſ. 8. In Hebæo eſt: *Inueni cenſum mihi*. Senſuſque eſt (Authore Lyra) faciliter, & abſque fatigatione acquiſiui: quantumcumque laboraſſem, non acquiſiuiſſem tantam pecuniam. Qui cenſus ille eſt, quem Ephraim acquiſiuit? Quæ diuitiæ, & gratiæ, de quibus tantoperè lætatur, & ſibi blanditur? Paulò antea textus ſacer prędixerat. *Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum*. Verùm hoc non ſoluit, ſed auget difficultatem. Quid eſt ventum paſcere? Obſcurum valdè eſt, an illud *paſcit* accipiendum ſit actiuè, itaut Ephraim ventis paſcatur, & ab illis alimentum petat, quaſi in eis aliquid ſit ſolidum, quo adoleſcat, & roboretur homo: vel paſſiuè, idest, alijs ſe deuorandum propinet: itaut qui nunc dicuntur venti, abſumant, & omninò deuorent Ephraim. In poſteriori acceptione ſumpſit Auguſtin.lib.5. contr. Creſconium cap. 9. qui exponens illud Prouerb. 10.verſ.4. *Qui nititur mendacijs, hic paſcit ventos*: ait: *Fit eſca ſpiritibus malis*. Et lib.2.contr. Fauſt, *Quid eſt aliud ventos paſcere, niſi Dœmones paſcere? Hoc eſt, errando ipſis eſſe voluptati, atque deriſui*. Eodem modo accipiunt Hierony. & Lyra hic, dum paſci cenſent Aſſyrios ab Ephraim, quia ant tributa pendebat annua, aut muneribus in ſociale fœdere retinere ſtudebat Aſſyrios. Et idem Hieronym. allegoricè explicans illa verba: *Sequitur æſtum*, ait. *Qui & contrarius eſt floribus, & germinantia cuncta diſpergit*. Hic autem eſt cenſus de quo lætatur Ephraim? Hæ diuitiæ, quas, etſi multum laboraſſet, cumulaſſet nunquam? Hæc mira eſt hominis inſania, & cenſum exiſtimet ſibi inuenire, quòd Dœmoni ſoluit tributum, quod hoſtibus pendit, diuitias iudicet, & à Dœmone credat ſe paſci, quem ille ſaginat. *Ephraim paſcit ventum ſit eſca ſpiritibus immundis*: vt ait Auguſtinus (vel vt vult Hieronymus) à quo omnes eius flores, & germinantia diſperguntur. Hęc enim vtilitas, hoc emolumentum à Dœmonis ſeruitute hominibus accreſcit, quòd illi in cibum, & eſcam deſeruiant, atque proprijs ſumptibus alant.

4. Grauis hæc infœlicitas à primo Parente in homines, quaſi à primo fonte deriuatur, qui à fœmina ex eius latere educta deceptus eſt. Sic enim Hugo Cardinalis capit illud Eccleſiaſt. 42. verſ. 13. *De veſtimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri*. Quaſi dicat: Adamus malum ſuum, & peccatum de ſuo latere ſuſtentauit. *Le ſalio de las coſtillas*, dicunt Hiſpani. Sic homines ſtolidi de ſuo latere, de ſuis ſumptibus hoſtes alunt infenſiſſimos, qui eos in barathrum detrudunt æternis cruciatibus torquendos. *Se condenan à ſu coſta*. Et pulchrè ſanè, cum de iniquitate, & peccato loquitur, tineæ meminit: vt enim veſtis de ſuis ſumptibus tineam alit, & in corde gignit, quæ ipſam rodit, ac dilacerat: ſic miſeri homines à peccatis, quę in corde gignunt, & de ſua alunt ſubſtantia, diſcerpuntur: tantum abeſt, vt ab illis alantur, aut vllum commodum accipiant. Hinc grauiter, & ſapienter dixit Chryſoſt. hom. 63. ad popul. *Gaudium eius mundi non ſolùm habet incolas, ſed inquilinos*. Quod mundi gaudia incolas habeant, ſac concipitur: plures enim delitiarum domum incolunt, & pro delictis plures labores, inſuauiaque experiuntur; ſed quò pro eis inquilinos habeant, & cenſum ſoluant non ſatis capio. Pro delitijs cenſum ſoluere non mirum; at quod labores, quibus delitię habentur, & in quos finiunt, de ſuis ſumptibus homo ſoluat, diuitijs, ſalute, ac vita emat hęc dementia ſumma eſt, & hos inſanos vocat Chryſoſt. delitiarum in inquilinos: *Gaudium huius mundi non ſolum habet incolas, ſed inquilinos*. Pulchrè ſanè id ipſum agnouerat mulier illa deperdita, & laſciua, quæ dicebat Oſeę 2. verſ. 5. *Vadam poſt amatores meos, qui dant mihi lanam meam, & linum meum*. Inſipidus planè guſtus, & ignobilis mulierculę, ac ſine aliqua ſpecie verecundię. Si fortè illi amatores ſui veſtes dareut ſericas, & aureas, atque byſſum, quibus delitioſè indueretur, quamuis peccaret hoc allecta munere, prętextum aliquem haberet: verùm quod linum, & lanam appetat, quę nendi indigent labore, vt ex illis contexatur veſtimentum, mira dementia eſt. Ea appetere, in quibus labore opus eſt, vt ad vſum reducantur, non commodum, ſed detrimentum affert. Cur non pretioſas veſtes dœmon offert, vt ad ſuum famulatum facilè traducat, ſed eas in quibus elaborandis in ſudare eſt neceſſe? At quid credis, diabolum ſemper porrigere, niſi fatigationes, in quibus tempus, vitam, & ſalutem inſumas: linum, & lanam, vt labores, ac dœmoni tanquam inquilinus cenſum laboris ſoluas? Sic etenim Chriſto in deſerto deliteſcenti acceſſit, & lapides obtulit. Cur non panes tribuit eſurienti? Cur dura, & indigeſta fameſcenti largitur? Quia neſcit ille, niſi dura, & inutilia pręſtare: lanam, & linum non contexta, vt labores; lapides, quibus dentes frangantur.

 5. Fu-

5. Fugit Jonas, ne iuſſu Dei adiret Niniuitas: & ecce nauis, quę pergit in Tharſis, fit obuia ei. Vix illum baiulat, vix miſer dubio ſe committit freto, cum vndarum globis, vaſtaque voragine nauis concutitur. Parum hoc. Nautas vrget, vt ſe ipſum maris profundum proijciant, & à magno piſce deuoratus in eius tetro ventre ſepelitur. Quo petis Propheta? Pro quo tot labores, tot ſubis diſcrimina? *Et deſcendit in Ioppem, & inuenit nauem euntem in Tharſis*, Joan. 1. verſ. 3. Quid eſt Joppe, & Tharſis, ob quæ tot labores vates ſuſtinet? *Tharſis* (Authore Hieronymo in comment. huius loci) *dicitur contemplatio gaudij: Ioppen pulchrum, & ſpecioſum*. Carè ſanè Prophetæ datur gaudium: imò non datur ſed ab eo emitur. *Et dedit naulum eius, & deſcendit in eam*, addit text. *Id eſt pretium nauis pro ſua deportatione*, inquit Lyra. O mortui peccatoris viua imago, qui ob fugitiua gaudia à Deo fugit, quæ non ſolum eum ad æternum Orcum per tot acerba baiulant, verùm & ipſe miſer ſuo emit pretio. Pulchrè Ribera ad hunc locum. *Ad hæc quidem omnia non ſine naulo habere potuit: pretio enim, & labore ſuo obtinet, quod cupit: nihil gratis accipit, ſed magna mercede tempeſtatem, & luctum, & pericula tandem emit.* Gaudia enim huius mundi magno laborum, & ærumnarum pretio emuntur. O tempora! O mores! Quot ſunt ſtolidi, qui naulum perſoluunt, vt in barathrum detrudantur? Quod velut Pelicani, qui ſua deſideria ſuomet ſanguine ſaginant, & veluti brutum ſagax os ſterile rodentes, ipſomet liquore attracto cenſent depaſci? Quotque, qui vt ad hanc miſeriam perueniant, ſuis eam emunt ſtipendijs? Sic de miſero illo Prodigo grauiter Chryſolog. ſerm. 1. dixit. *Vt dato, non accepto pretio miſera ſe ſubderet ſeruituti.* Et paupercula illa fœmina (Joan. 4.) æſtuante ſole haurire venit aquam, vt forſan eius amaſium potu recrearet. Sic gaudia huius mundi non ſolum habent incolas, ſed inquilinos, quia eorum cenſu Diabolus ſaginatur, & pro ſeruitute ſibi exhibita lucrum reportat. Quòd in Nabuchodonoſore exprobauit vates noſter, dum eum ſuæ ſagenæ immolantem, & totum in rete ſuum, quòd Diabolus erat, congregantem vidit. *Totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuum. Super hoc lætabitur, & exultabit, propterea immolauit ſagenæ ſuæ.* Hic verſ. 15.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Non omnibus conceſſis expedit potiri, ne in probibita dilabamur.

1. QVaſi in ptohibitis aliquid delectabile lateat, quod deſiderium prouocet, ad illa natura noſtra propendet, magnaque auiditate non conceſſis potiri ſatagit; vnde Ouidius. *Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.*
Quare ſolerti ſolicitudine à prohibitis recedendum eſt, & ab illorum approximatione fugiendum, atque licitis vtendum cautè, & moderatè: ne dum omnibus permiſſis fruimur, ad non permiſſa accedamus. Prudens enim, & mandatorum obſeruantiæ ſtudioſus veretur omnibus conceſſis potiri, ne dum ad limites permiſſorum peruenerit, eos tranſcendat, & prohibitorum iuriſdictionem ingrediatur. Ob id conſulit Tacitus lib. 3. annal. tranſgreſſiones prohibitorum ſeuerè eſſe puniendas, ne exemplum in licentiam delinquendi habeat. *Si prohibita impunè tranſcenderis, nec metus vltra, nec pudor eſt.* Qui enim omnibus. quibus fas eſt, audet potiri, in periculo eſt, vt prohibitum tangat; vndè cum Deus propenſionem noſtram eſſet expertus, poſt diluuium multa præcepta abrogauit, & pauca reliquit, vt ferè omnia homini licerent, quo à multis licitis abſtineret, ne accederet ad illicita. Idque pulchrè dixit Tertul. aduerſ. Pſyc. cap. 4. *Omnis itaque iuſtitiam iudicij præminiſtrans, materiam libertatis emiſit, per veniam ſuperans diſciplinam: permittens omnia, vt demeret aliqua.* Ferè omnia permiſit, vt paucorum præceptorum obſeruantiæ prouideret, nec eſſet facilis acceſſus ad prohibitorum terminos: nam cum omnibus conceſſis præ multitudine ferè impoſſibile eſſet frui, ad illicita deuenire quaſi impoſſibilè etiam eſſet. Semper enim ſternitur via ad tranſgreſſionem legis permiſſorum fruitione. Quare ab illis abſtinere ars eſt, & firmamentum obſeruantiæ: nam cum ſemper aliquid concupiſcere quaſi neceſſe ſit: qui omnibus conceſſis eſt potitus, deſiderio noui ſaporis impulſus ad inconceſſa fertur.

2. Audita fama, quæ de Eliſei ſanctitate, & miraculis circumferebatur, venit ad eum magno comitatu Naaman Syrus, vt à lepra, quam patiebatur, eum mundaret. Cumque Eliſeus intellexiſſet, ad ſuam domum veniſſe, & ad oſtium adeſſe, nuntium mittit, qui ei conſulat, vt Jordanis fluenta petat, quibus ſepties lotus ſanitatem accipet. *Venit ergò Naaman cum equis, & curribus, & ſtetit ad oſtium domus Eliſei: miſitque ad eum Eliſeus nun-*

tium

Digitized by Google

tium dicens: Vade & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis. 4.Reg.5.verſ.9.& 10. Mirabitur quiſquam, quòd Propheta aliàs diſertiſſimus, & vrbanus cœleſti doctrina, & politia imbutus ſic inurbanè ſe geſſerit cum homine tota reuerentia digno ob egregiam magnitudinem, & ſanguinis claritatem, vt per internuntium loquatur,& eum ſalutare dedignetur: maximè cum ad eum diuertit, & fores ſuæ domus pulſat. Expediret ſanè, vt ei occurreret, & hoſpitio reciperet, ne taliter eum exacerbaret, vt dicat text. Ibid. v.11. *Iratus Naaman recedebat dicens: Putabant, quod egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me.* Theodoret. (queſt.19.in lib. 4.Reg.) vt Eliſeum ab inurbanitatis nota liberet, putat id ita feciſſe, vt legem adimpleret, qua (Leuit.13.& Num.5.) commercium cum leproſis prohibetur, & ſancitur, vt à conſortio hominum ſeparentur, donec Sacerdos de ipſorum munditia iudicium ferat, Sed ſi attentè inſpiciatur præ licta lex, tantum prohibet attactum, & contrectationem, ne tangentes leproſos inficiantur: proindèque potuit Eliſeus Naaman videre,& alloqui, quin præuaricaretur, aut præſcriptum legis tranſcenderet. Quare igitur, cum præceptum non violaret Naam excipiens, & alloquens, inurbanus, & agreſtis voluit videri? Sed ſi mentem Theodoreti percipiamus, facillimè nodus ſoluitur. Licet lex non viſum, nec loquelam cum leproſis prohiberet,ſed contactum: tamen & à loquela, & à viſu Eliſeus abſtinet, ne dum licitis fruitur, ad illicita trahatur: & dum Naaman videt, & audit de ſuo morbo conquerentem, & pro ſanitate exorantem, miſericordia motus eum tangat, & terminos permiſſos tranſiliat, atque in prohibita dilabatur. Sic cautè procedunt obſeruantiæ ſtudentes, & ſe ſe ipſis diffidentes, vt à licitis abſtineant, ne in non licita ruant, ſcientes, quòd qui ad confines prohibitorum accedit, ſæpè ſæpiùs eos tranſgreditur.

2. Adhortatur Paulus Corinthios, vt à propoſito ſuæ vocationis non deſiſtant, ſed idololatria, auaritia, & cæteris vitijs relictis, dignos ſe præbeant regno Dei, & vt eos tandem confirmet, & ſtabiliat, concludit: *Omnia mihi licent,ſed non omnia expedunt.* 1.Corinth, 6.verſ.12. Sententia planè difficilis, & in qua non ſibi conſtare videtur Apoſtolus: nam cui omnia licent, omnia expedire eſt neceſſe, cum inter hæc duo nullum intercedat diſcrimen: cui enim aliqua non exſpediunt, non omnia licent, & cui omnia licent, omnia expediunt. Tertulian. ſubtiliter mentem Pauli rimatur, & ità legit: *Omnia mihi licent, ſed non omnia edificant.* Ac ſi dicat: Non omnia, quæ licent, & quæ abſque noxa poſſunt fieri, ad ædificationem ſpiritus, & obſeruantiæ fundamentum expediunt, non quia in ſe mala ſint, ſed quia ad non bona deferunt; vndè non expedit omnibus licitis frui, quia quo plùs à conceſſis abſtinuerimus entibus,eò ſecuriùs ab illicitis libetabimur. *Omnia mihi licent,ſed non omnia ædificant. Quantò facilius illicita timebit, qui licita verebitur?* Lib. de cultu fœminarum propè finem. Qui à licitis abſtinet, & ea non expedire agnoſcit,difficulter ad non licita dilabitur: at qui omnibus, quæ licent, potiri vult, in proximo eſt, vt ad prohibita tranſiliat.

4. Apparuit Dominus Iſaiæ in auguſto ſolio, & inter Angelorum famulatum ibi aſſiſtentium, duos vidit Seraphinos, qui dum perſonam hominis induunt, alas, & talaria habere perhibentur. *Seraphin ſtabant ſuper illud ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Iſai.c.6.v.2. Omnia,quibus Seraphini adornantur, in ipſorum fauorem, & nutum, & vſum illorum conceduntur, vt eis quo quomodo placuerit, vtantur. Cur igitur (cum ſex alis ſint præditi, vt agiliſſimo volatu moueantur (duabus tantum volant, & duplici remigio tantum aera tranant? Ad quid reliquæ quatuor pennæ, cum à proprio munere vacent? Quaſi erubeſcentes quòd illis quieſcant, faciem velant duabus, & duabus pedes? Congrueret enim, aut duas alas tantum habere, aut omnibus conceſſis volare: nam quatuor quieſcere, & duabus volare, pigritiæ eſt argumentum, atque officioſæ Seraphinorum charitatis incongruum Hieroglyphicum. Tamen ſi in Seraphinis non ſolum obſeruantes, ſed & perfectos viros contemplemur (vt omnes contemplantur) illorum genium, & politiam penetrabimus. Verùm eſt, quod Seraphinis ſex tribuuntur alæ, vt toto contemplationis ſtudio, ac ocyſſimo volatu myſteria comprehendant, & intimiùs penetralia Dei rimentur: verùm, quod ad nutum, & voluntatem ſuam omnibus pennis vti licebat: tamen cum hæc in eorum fauorem ſint conceſſa, ac licita, & honeſta, ſecuritati ſuæ conſulentes non omnibus conceſſis potiebantur,memores Luciferi commilitonis ſui, qui dum omnibus gratijs, & priuilegijs illi ad vſum conceſſis potiri voluit, ad illicita, & prohibita tranſiuit: proindèque cum ſex alis ſe exornatos vident, quibus volare licebat, duabus tantum volant, & à licitis pluſquam detrahunt, verentes ne à perfectione deficiant,ſi perfectionis præmio nimis vtantur. Qui alas à ſuperiore accipit, etſi plurimæ ſint, modeſtè paucis vti debet: nam qui nihil liciti parcit, in periculo eſt prohibita ingrediendi.

5. Sitienti ardore æſtuans deſiderauit Dauid aquam de Ciſterna Betlehem, quæ erat iuxta portam, & numeroſis inimicorum copijs cingebatur. Annuentes tres viri fortiſſimi Regis deſiderio irruperunt caſtra Philiſthinorum ciſternam obſidentium, & hauſtam aquam Regi attulerunt. Quid tum Dauid? *Noluit bibere.*

Digitized by Google

bibere, ſed libauit eam Domino, inquit text. 2. Reg. 23. verſ.16. Et cur aquam tam vehementi deſiderio concupitam, & tam ingenti periculo partam non bibit, ſed efundit? Num paruo pretio militum valorem, & audaciam habuit, quòd aquam fundit, & parui pendit? Sic glorioſa geſta Rex deſpicit, & admittere dedignatur, atque quaſi in contemptum derideret? Egregiè D. Greg. hom. 34. in Euangel. *In ſacrificium Domini effuſa aqua conuerſa eſt: quia culpam concupiſcentiæ mactauit per pœnitentiam reprehenſionis ſuæ. Qui ergò quondam concupiſcere alienam coniugem nequaquam timuit, poſt etiam, quia aquam concupiſſet, expauit. Quia enim ſe illicita perpetraſſe meminerat, contra ſemetipſum iam rigidus, etiam à licitis abſtinebat*. Ac ſi dicat: Expertus Dauid, & memorans transgreſſionem, ad quam licitorum fruitio adduxit, à licitis abſtinere voluit, & aquam tanto diſpendio partam, tam ardenti deſiderio concupitam, ac ſibi licitam non bibit, ſed Deo offert: ne licitis adhærendo ad non licita, ſicut antea, dilabatur, & per non prohibitorum ſemitam ad prohibita trahatur. *Quia enim ſe illicita perpetraſſe meminerat, contra ſemetipſum iam rigidus etiam à licitis abſtinebat*. Quid pulchrius, vt cautiores nos reddat nimia licitorum fruitio? Hincque maximè reprehendenda venit Nabuchodonoſoris tyrannis. Permiſerat ei Deus Judæorum gentes opprimere, ad idque ipſum ſuſcitauerat, inſtrumentum ſuæ iuſtitiæ conſtituerat: at ipſi permiſſa præteriens ad prohita tranſiuit, & ſupra modum, ac præſcriptum Judæos vexauit, eorum templum diripiendo, & ſpoliando, ipſoſque penitùs depauperando, vt ſagenam ſuam, expleret. *Totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuum*. Hic verſ. 15.

Verſ. 16. Propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo: quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus.

Verſ. 17. Propter hoc ergò expandit ſagenam, & ſemper interficere gentes non parcet.

ANNOTATIO XII.

Expoſitio Litteræ.

1. TAntum aberit, vt impij Regis animum tangat dolor de aliorum calamitate, vt potius exultet, ſibique ipſi de fœlici ſagenæ ſuæ iactu gratuletur. Vt piſcium piſcatores captura, ſic Rex Babylonis Judæorum piſcarione lætabitur, eiuſque inhumanum, & ambitioſum cor ex illorum clade, & miſeria maximum capiet oblectamentum; illorumque perniciem ſibi pro lœtitia, & voluptate proponet. Nec ſe diuinæ iuſtitiæ miniſtrum, & executorem agnoſcet; nec pro victorijs adeptis, & rerum ſecundarum ſucceſſibus cantabit ipſi epicænia, aut offeret Domino niceterea; quin potiùs ſuæ immolabit ſagenæ, & reti ſuo ſacrificabit, quia in ipſis ſuum imperium habuiſſe, & ditionem protraxiſſe putabit: nec ſuis, ſed ſagenæ ſuæ viribus tam delicatiſſimos cibos, tam lauta cupedia ex Judæis ſe opſonaſſe, atque condijſſe gloriabitur.

2. *Propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo*. Hieronymus per ſagenam Idolum intelligit, cui victorias, & trophæa à Judæis reportata impius Rex Nabuchodonoſor adſcribebat, ſiuè illud ſit Beli, ſeù Beel, quod maximè Chaldæi coluere, ſiuè quod ipſe Nabuchod. ædificauit in campo Duran, vt conſtat ex Daniel 3. Fortè per ſagenam, & rete piſces, qui eis capiuntur, deſignantur: nam apud plures nationes in Deorum opinione ſunt habiti: & idcircò qui religioſiùs inter veteres Numina colebant, pietatis, ac abſtinentiæ cauſa, à piſcibus veluti à reſacra, & nimis lauta ſibi temperabant: vndè & Pitagoræ Symbolum fluſiſſe reor: *Piſces non guſtato*.

Quem

Quem ritum plures populos obſeruaſſe notauit Plutarch. lib. 8. Sympoſiacorum quæſt. 8. *Itaque apud Ægyptios non ſolum, nec Syros, ſed etiam apud Græcos ſanctimoniæ pars erat piſcibus abſtinere*. De Ægyptijs ſpecialiter id obſeruauit Herodatus in Euterpe: *Nefas eſt illis piſces guſtare*. Multi ex Ægyptijs illos pro Numine colebant. Iuuenal. Sat. 15. de Dijs Ægyptiorum loquens.

Illis cæruleos, hic piſcem fluminis, illic.
Oppida tota Canem venerantur, nulla Dianam.

Per cæruleos vulgariter eius Expoſitores marinos piſces intelligunt, quos Ægyptiorum quidam colebant, non ſecùs ac alij piſces patrij fluminis, ſeù Nili: quales ſunt Lepiditos, Oxyrinchus, Latus, & Anguilla. Lucianus verò dialog. de Aſtrolog. dicit Ægyptios, qui Piſcium ſignum obſeruarunt, piſcibus non veſci. Syros piſcium religionis cauſa abſtinentes fuiſſe Authores varij affirmant, atque pro Dijs cultos fuiſſe: Sic Cicer. lib. 3. de natu. Deorum. *Piſcem Syri venerantur*. Et Xenophon. lib. 1. de Chalo amne. *Multitudo ibi magnorum, ac manſuetorum piſcium, quos Syri pro Dijs habent, nec lædi eos patiebantur, ſicuti nec columbas*. Nec ſolùm Ægyptijs, & Syris ſacri fuere piſces, ſed etiam alibi gentium, quamuis minori inſania culti. Marc. Varlib. 3. rei ruſticæ refert in Lydia ſacros piſces ſe vidiſſe: *Proindè ſacri illi piſces, ac ſanctiores, quam illi in Lydia, quos ſacrificanti tibi, Varro, ad Tibicinem Græcum gregatim veniſſe dicebas ad extremum littus, atque aram, quod eos capere auderet nemo*. Pauſanias in Achaicis commemorat Pharis eſſe aquam Mercurio ſacram, cuius piſcibus incolę parcunt, quòd Deo ſacros exiſtimant. Diodorus Siculus lib. 6. Bibliothecę memorat neminem vnquam ſacros Arethuſæ piſces impunè violaſſe, vel vrgente neceſſitate, quin Numini paulò poſt meritas pœnas dediſſet. Pauſanitas in Laconicis de oppido Auxiæ loqueus. *Eſt ibi ſtagnum Neptuno ſacrum, in quo templum, & Dei ſimulacrum eſt, piſces verò indè qui extrahere audet, ex homine ſama eſt in marina monſtra verti*. Refert Martial. lib. 4. epigram 30. piſcatorem Libym, dum ſacrum piſcem hamo traheret, repente luminibus captum fuiſſe.

Vocem quiſque ſui venit citatus.
Hoc quondam Libys impius profundo
Dum prædam calamo tremente ducit,
Raptis luminibus repente cæcus
Captum non potuit videre piſcem.

Ne autem nouum videatur Nabuchodonoſor piſces pro Dijs colere, ipſiſque ſacrificare (quod innuit Propheta dum ait: *Propterea immolabit ſagenæ ſuæ*) piſcibus ſacrificia adhibita inuenio apud Athenæum lib. 7. ex Agathyrcide, vbi aſſerit Bęotos ſolitos eſſe piſcibus ſacrificare, atque etiam ex eis ſacrificia Dijs conficere: vt memorat factum à Sarpedone Demetrij duce.

3. Retis, & ſagenę metaphora exercitum Chaldęorum nonnulli Interpretum intelligunt, cum quo Nabuchodonoſor vniuerſa tanquam rete, vel ſagena piſcabatur. His porrò immolaturus prędicitur, eo quòd eis gloriam victoriarum, & imperij dilatationem adſcribet, trophæa ſtatuet, & titulos eriget, quæ bellicæ laudis, & victoriarum inſignia illis, & monumenta apud poſteros eſſe poſſint. Alij verò Nabuchodonoſor ſibi ipſi immolaturum, & ſacrificaturum exponunt: eo quòd proprijs viribus, & ingenio tam præclarè ſe geſſiſſet, ob quod ſuperbus, & inſanus gloriabitur: proptereaque ſtatuam auream ſuo nomini dicatam eriget, vt pro Deo eum colerent. Et ſanè multi ſuis armis honores diuinos impenderunt non ſolum in fabulis, ſed etiã in hiſtorijs veridicis, vt ſupra retulimus de Mecentio, & Capeneo, qui nullum aliud Numen agnouerunt, niſi ſuas vires.

4. *Quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus*. Ideſt, videt de ſuis ſagenis, & retibus comparaſſe ſibi lautiſſimas epulas, & delicatiſſimos cibos, ideſt, pulcherrima regna ditioni ſuę ſubieciſſe, eorumque ſuis armis diripuiſſe diuitias. Conſtat ſemper Propheta in metaphora piſcatoris, qui cum multos piſces capit, pinguiores, & meliores in cibum ſibi reſeruat: hoc enim ſignificat *incraſſata eſt pars eius*. Partem eius, ſeù ſortem vocat, quòd ſibi piſcator reſeruat: & pars incraſſatur, cum craſſio-

craſſiora ſibi eligit: cibi enim craſſiores, dulciores cenſentur, & meliores, vt Pſalm. 65. *Holocauſta medullata offeram tibi*. Cibum autem electum vocat elegantiſſimum, & ſuauiſſimum; quia optima quæque omnium Regnorum, & nationum ſibi reſeruauit Nabuchôdonoſor.

5. *Propter hoc ergò expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non parcit.* Hinc iam aperiens metaphoræ obſcuritatem, & detegens ſenſum apertè dicit non contineri Regios ſpiritus ab ambitioſo conatu propagandi Imperij Babylonici fines, nec ferrum crudele, ac barbarum ab effundendo ſanguine. Et cum videat nihil ſibi aduerſi accidere, nec ſe propter tot ſcelera, & rapinas plecti; ſemper expandit ſagenam ſuam, vt plures piſces capiat: ideſt, quotidiè nouas nationes bello inuadit.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Acrius iuſtos, quam peccatores Diabolus inſequitur.

1. COmuniter Patres per Nabuchodonoſorem ſibi electiora quæque reſeruantem, & electum atque delitioſum cibum comedentem, Dœmonem intelligunt: qui non tam gaudet de peccatorum, quam de iuſtorum caſu, & ruina, quia ſuæ vtilitatis auidiſſimè cupidus, vbi virtutes, ſpiritualia dona, & egregias prærogatiuas ſentit, ibi quidquid laboris, quidquid artis, quidquid fallaciæ, & doli eſt, impendit, vt ea auferat, & ſaginetur. Proindèque inuigilare oportet talia poſſidentibus, ne incautè inuadantur, & ſpolientur; vndè Chryſoſt.hom. de verb.Iſai. *Vidi Dominum &c. Magis iuſtus debet metuere arrogantiam, quam peccator: eo quòd peccator conſcientiam (velit, nolit) humilem, & ſubmiſſam habet: iuſtus autem ob benefacta extollitur. Quod igitur fit in nauigijs: qui vacuam habent nauem, non metuunt Piratarum inſultum, non enim veniunt, vt conterant nauem nihil vehentem: cæterùm ij, qui nauem habent onuſtam, metuunt Piratas: nam Pirata illuc præparat, vbi aurum, vbi argentum, vbi lapides prætioſi: ſic & Diabolus non facilè perſequitur peccatorem, ſed iuſtum potius, vbi multæ ſunt opes.* Ut enim homines auaritiæ dediti, vbi diuitem venam auri, aut argenti ſenſerint, ibi totum laborem, & ſtudium applicant, vt fodinam auri detegant, & ſpolient: ſic Dœmon vbi copiam virtutis agnoſcit, totis viribus anhelat, vt eam ſubripiat: quia non niſi delitioſis cibis alitur, lautiſſimas ſibi parat eſcas, nec peccatorum pabulo frequenter vtitur: quia ad illud nauſeat, & ſtomachatur, delicatiſſimas iuſtorum epulas ſuſpirat, ipſiſque delitiatur.

2. Optimè Iob eius guloſitatem expertus, guſtum, & appetitum agnouerat. *Ecce Behemoth, quem feci tecum quaſi bos comedet.* Iob 40. verſ. 10. De Dœmone Deus loquitur in omnium opinione. At quid eſt, quòd ipſum fœnum comedere perhibeat, ſicut bos, non autem ſicut aliud animal, quod hoc cibo veſcatur? Dœmonis ſuperbam audaciam, & liberrimam, atque effrænem conditionem in boue deſcribit? Bos manſuetum eſt animal, obediens, & labori obnoxium; Dœmon indomitus iugum neſciens, & laboris impatiens, Vtilitati hominum bos incumbebit: Dœmon ruinæ. Cur igitur Dœmon in boue fœnum comedente exprimitur? Aſculta Gregor. lib. 52. Motal. *Boues* (inquit) *aquam quamlibet ſordidam bibunt; ſed fæno non niſi mundo veſcuntur. Quid eſt ergò quod boui, qui mundo pabulo paſcitur, Behemot iſte comparatur Niſi hoc quod de iſto antiquo hoſte per Prophetam alium dicitur: Eſca eius electa; nec eos ſe gaudet rapere, quos peccatis, ac ſordidis actionibus implicatos in vitijs ſecum reſpicit voluntariè iacere. Fenum ergò comedere ſicut bos appetit, quia ſuggeſtionis ſuæ dente conterere mundam vitam ſpiritualem quærit.* Delicatiſſimæ naturæ, & conditionis bos eſt, nec cibos capit inquinatos, aut aliqua ſorde immerſos. Intactum, & mundum fœnum comedit, nec eſca ſqualida pabulatur: ſic Dœmon peccatores faſtidit, & nauſeat, iuſtos inſatiabili famè adoritur, & ipſis gaudet nutriri, proindèque inſomnes, & vigilantes, atque ad pugnam paratos oportet eſſe.

3. Miniſterium templi Deus diſtribuens, vt decentem famulatum haberet, præcepit Num. 8. v. 8. *A filio viginiquinque annorum, & ſupra ingredientur ad militandum militiam.* Valdè mirum eſt, quod ad templum pacis aſſylum miniſtri vocentur in militari re inſtructi, & vigintiquinque annos ad minus attingentes, atque pollentes viribus. Cur ſtrenuos, & expertos milites ad ſui famulatum Deus conducit? Ad arcem vocat, & ad militiam præparat, quos ad templum trahit? Nihil minus decet Dei domum, quam inſtrumenta bellica, & militares apparatus. Cur igitur militianos vocat, vt ſuo cultui intendant? Accipe.Oleaſt.

egre-

egregiè exponentem. *Iuſte valdè hoc factum eſſe credendum eſt. Fili* (inquit Eccleſiaſt.) *accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Quis enim dicere queat, quot oppoſitiones, obiecta, contradictiones hodie patiantur, qui piè in Chriſto viuere volunt? Armatus videtur orbis omnis aduerſus eos, qui ſe Dei miniſterio tradiderunt, ita vt milites, & pluſquam milites, imò & Martyres oporteat eſſe eos, qui ad miniſteria diuina accedunt.* Quicumque ad Deo miniſtrandum accinguntur, ſciant ad bellum ire, manus conſerere cum potentiſſimo hoſte, bella gerere, eſt neceſſè, & armatos incedere, qui Deo famulari accedunt; & cautè viuere, ne incautè impetantur. Animæ ergo ſelectiores, quæ magis Deo coniunguntur, cum inſtantiores, & vrgentiores hoſtes habeant, pluresque, & vehementiores tentationes, magis inuigilare debent. Sic pulchrè Hieronym. explicans illa verba Pſalm. 90. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Plures ſunt* (inquit) *qui inſidiantur dextræ, quam ſiniſtræ: propterea à latere mille cadunt, & à dextris decem millia. Vbi maior pugna, maior victoria.* Fortiores hoſtes habent, qui ſunt à dextris, quam qui à ſiniſtris: & idcircò plures in dextra vincuntur, vbi iuſti habitant: quam in ſiniſtra vbi peccatores.

4. Aſtutiam, & calliditatem Dæmonis conſulebat Chriſtus Dominus præcauendam in pernicioſo illo homine, qui poſtquam prouidus agricola opportuno tempore bonum ſemen ſeminauit in agro ſuo, ſuper ſeminauit zizania. *Simile eſt Regnum Cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo; cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuper ſeminauit zizania in medio tritici.* Matth. 13. verſ. 24. & 25. Dolus vt lateret, ſeminauit non ſerò, ſed ſtatim ac bonum ſemen fuit ſeminatum, vt cum illo creſceret. Sed quæ fraus inimici fuit zizania in medio tritici ſeminare? Cur non in angulo, & in confinibus? Cur non ſeorſim ſeminat zizania, vt non præpedita tritico iam ſato, feraciori incremento creſcant, & meliorem fructum afferant? Fortè vt diſſimulet ſemina admiſcet, & zizania tritico æquiuocat, quia dum tenera ſunt, tritici repræſentationem habent. Sed aliter penſitauit Chriſolog. ſerm. 96. audi ipſum. *Quia Diabolus hæreſes inter fideles, inter pacificos lites, inter ſimplices dolos, inter innocentes nequitias gratis ſerere conſueuit, non vt adquirat zizania, ſed vt triticum perdat; nec vt reos capiat, ſed vt adimat innocentes. Hoſtis plus ducem, quam militem petit: nec obſidet, mortuos, ſed impugnat viuentes: ſic Diabolus non peccatores quærit capere, quos poſſidet ſubiugatos, ſed vt iuſtos capiat ſic laborat.* Pulcherrimè dictum. Non vt zizania adoleſcant, & roborentur, in medio tritici ſpargit, ſed vt ſelectius triticum euigoretur, langueat, & marceſcat: zizania, quę iam poſſidet, non curat, vt creſcant. Hoc Dęmonis ſeminantis zizania in medio tritici genium eſt, nocumentum afferre frugibus melioribus: zizania non vult ali: terram peccatorum non ſatam, & virtutibus ſterilem non colit: ſed iuſtorum agrum cultum, & germinantem beneficio virtutum, vitiare conatur. Selectiores fructus iuſtos repręſentant, quorum ſubſtantia maximè inimicus Dæmon gaudet ſaturari: aduerſus prouectas fruges graſſatur, & electos cibos ſemper quęrit.

5. Refert Dauid grato animo beneficia à Deo accepta, & inter alia deuictum ſe confiterur, eo quòd ipſum liberaſſet ab inſidijs, & laqueis Dęmonis, cuius fraudem, & calliditatem laqueum venatorum vocat. *Ipſe liberauit me de laqueo venantium.* Pſal. 90. verſ. 3. Cur tam timebat venantium laqueum, vt grates tantùm rependat, eo quòd ab huiuſmodi inſidia liberetur, non autem à venatoris arcu, ſclopeta, aut alio venatorum inſtrumento, ex quamplurimis, quibus vtuntur? Pręclarè Bernard. ſer. 3. in Pſal. *Qui habitat* rationem reddit. *Venatores* (inquit) *qui cornu non ſonant, vt non audiantur, ſed ſagitant in occultis immaculatum: vobis autem, qui tanquam prudentiores cerui ſerpentes necatis, & deſideratis fontem viuum, ſubtiliores occultant laqueos, & callidiora fraudis ſuæ argumenta conquirunt.* Quaſi dicat: Cum Dæmon doloſa arte frequentius venari intendat homines virtuti deditos, qui quietem appetunt, & profitentur, non venatione vtitur clamoroſa, vt venatoria eſt (quam *Monteria* vocant) in qua hinniunt equi, perſtrepunt ſclopetæ, canes latrant, venatores clamant, & tota ſilua validiſſimis vocibus confunditur: ſed laqueo vtitur, quæ venatio eſt occulta ſilens, ac quieta. Ad peccatores capiendos non eſt opus cautione, & fallacia: quamuis enim inſidiæ innoteſcant, & pluſquam bellica inſtrumenta ſonent, minimè ad confugium confugiunt. Laqueos abſcondit, celat, & occultat Dæmon, vt electiores capiat cibos, vt egregiè virtutis viros apprehendat: ad hos ſolum ſpecialiter attendit, & artificioſa cautela adoritur, qui volunt meliores fieri. Idcircò vbi Chriſtus Dominus à Spiritu Sancto in deſertum ducitur, acceſſit ad eum tentator, & dixit ei: *Si Filius Dei es, &c.* Matth. 4. v. 3. Et cur ſtatim acceſſit? Auſculta Hilarium adductum in Catena. *In ſanctitate enim maximè Diaboli tentamenta graſſantur, quia victoria eſt ei magis optata de Sanctis.*

Digitized by Google

DISCVRSVS II. MORALIS.

De quo ſequis iactat, id illi deeſt.

1. PVlchrè dixit Seneca. *Stulto nulla re opus eſt, ſed omnibus eget.* Quia dum arroganter præſumit ſibi nihil deficere, omnibus ijs, de quibus gloriatur, caret, & cum vanè, & fatuè ſibi blanditur, tantum illi deeſt, quantum garrit. Sapiens veritate contentus in ea complacendo ſilet: at ſtultus neſcit niſi blaterare, & tot teſtes in ſuum dedecus profert, quot verba irrita: quicunque enim de nobilitate, ſapientia, fortitudine, aut alia quacunque excellentia vacuè ſe iactat, ipſam non habere proprio ore confitetur. Mortuo Lazaro Iudæam Chriſtus adire intendit, vnde paulò anteà fugerat, eo quòd Iudæi interficere ipſum voluiſſent. Timent Apoſtoli illuc reuerti, & reditum diſſuadent. Quid tunc Thomas? Cæteris animoſior, vbi Chriſtum audit reditum decreuiſſe, ſic audacter alloquitur condiſcipulos: *Eamus & nos & moriamur cum illo.* Ioan. 11. verſ. 16. O illuſtrem animum, & tanto Apoſtolo dignum! Cæteri trepidant, ac præ metu dehortantur reditum, & ſolus Thomas, dum alij diſſuadent, generosè audet, & animosè inſtat, Diſcipulos, vt ſpreta morte Magiſtrum ſequantur: *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Quid animoſius? Quid fortius hac voce? Imo quid imbecillius? Quid timidius? Audi Chryſoſtom. hom 6 in Ioann. *Imbecillor enim erat cæteris, & magis incredulus.* Quòd Thomas poſt reſurrectionem Magiſtri reputetur incredulus, & timidior cæteris, non mirum: verum cum regreſſum in Iudæam non timet, & intrepidus collegis perſuadet, vnde id colligit Chryſoſtom. Quia ſe iactat de fortitudine, & fide. Arroganter blaterat Thomas, & cæteris condiſcipulis fortior vult videri. *Eamus & nos, & moriamur cum illo*: ex indeque eius formidinem Chryſoſtom. infert: quia ſemper id cuiq; deeſt, de quo gloriatur, & arroganter ſe iactat. Vacuè reſonat, qui vacuus eſt.

2. Arcanè Iob 39. verſ. 17. & 18. huiuſmodi vanam loquelam ridebat: loquens enim de Struthione ait: *Priuauit illum Deus ſapientia, nec dedit illi intelligentiam: & cum tempus fuerit, in altum alas erigit, deridet equum, & aſcenſorem eius.* Et cur tam arroganter Struthio de volatu gloriatur, vt equum & aſcenſorem derideat? Adeò pernicitate alarum pollet, vt velocitatem equi & fortitudinem illudat? Auſculta Caiet. & eius inertiam, & torpedinem percipies. *Nulla auis infælicior apparet ſtruthione, quò ad alas & pennas: quandoquidem alas habet ſine volandi facultate, & anno ſecundo (vt Phiſici tradunt) & deinceps paulatim plumam perdit in capite, collo, parte inferiori corporis, itaque non habet rediuiuam plumam, vt aliæ aues.* Cur igitur qui ſic torpet ad volatum, nec de terra ſurgit, tam ſuperbè de illo gloriatur, vt equum velociſſimum derideat? Ob id ſanè: quia volandi facultate caret, volare affectat, de volatu ſe iactat, & credit in agone ociſſimum equi curſum ſuperare. Quod vnicuique familiare vitium eſt: quoſcunque enim paupertate laborantes, ingenio carentes, nobilitatis expertes, fortitudine debiles videris, ſe fortiſſimos, nobiliſſimos iactare videbis: nam inopia, inualetudo, inſipientia, vilitas, dum magis cognoſcuntur propriæ, magis accendunt animum, vt fuco obtegat, exterius depiugens delineamentis, quæ interius innata virtus denegat. Qui à puluere non ſurgunt ſicut ſtruthio, licèt à puluere ſint eleuati, vſque ad cœlos ſe extollunt, cæteroſque antecellere garriunt.

3. Iudæi inter alia, de quibus maximè gloriabantur, ſibi propria manu obumbrantes, de proauorum nobilitate blaterabant, & ex legitimo concubitu ſe natos dicebant: *Semen Abrahæ ſumus, & ex fornicatione non ſumus nati.* Ioan. 8. v. 41. Sic enim prædicta verba de nobilitate ſanguinis, & originis per quam plures capiunt; præſertim Chryſoſt. hom. 3. in Matth. qui Iudæorum ſocordiam carpit, & deridet inanem eorum arrogantiam, *Nonne multi illicito concubitu naſcebantur?* Et ad illa verba Matth. 1. v. 3. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar*: ait idcirco Euangeliſtas in generatione Chriſti meminiſſe Thamar, & Vriæ, vt reprimat faſtum Iudæorum, animæ inſignia neglìgẽtium, & de ſola Abrahæ ſtirpe, & origine gloriantium. *Docet igitur Progenitores eorum ſubditos eſſe peccatis: Iudam enim Thamar accuſat, & Dauidem Berſabea.* Idem Chryſoſt. Si ergo Iudæi ex adulterio nati, ex illicito concubito procreati erant: quomodo de nobilitate ſe iactabant, & gloriabantur ex adulterio natos non fuiſſe? *Et ex fornicatione non ſumus nati.* Propter idipſum. Quia ex ſcorto, & adulterio ducebant originem, idcirco de nobilitare, & legitima propagatione ſe iactabant: defectum ſibi notum vana garrulitate obnubilare ſatagebant. Id ipſum, de quo gloriabantur, ipſis deficere neminem latebat; & quaſi inani gloria genialem ignobilitatem tegerent, de legitima ſucceſſione ſe iactabant. Nam hoc geninm eſt carentiæ cuiuſcunque excellentiæ, eam affectare, & loco formæ priuationem perſonare ea arte, qua ænigma componitur, quod nihil minus ſignificat, quam quod magis ſignificare videtur. Qui de ſanctitate, nobilitate, ſcientia, fortitudine, aut alia quacunque prærogatiua gloriatur, ænigmata loquitur: nam nihil minus habet, quam quod affectat habere, nihil minus ſignificant vacuæ, & laudatoriæ voces, quam quod ſignificare videntur.

4. Vt aliquo modo ambitionem, & imperan-

Digitized by Google

ſperandi deſiderium palliarent, matris vocibus primas ſedes filij Zebedæi petebant. *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Matthæi 20. v. 21. Dubitant Interpretes, cur hi Diſcipuli primas ſedes ambitent, & paria ad obtinendas merita habuiſſe crediderint? Drummarus hom. de hoc. ſic ſcribie. *Volebant ipſi eſſe primi de ipſa ſeſſione, quia non erant adhuc perfecti.* Ac ſi diceret: Quia merita nondum habebant completa, ideo primas ſedes ambiunt, & ſibi deberi credunt? ſi enim merita haberent conſummata, illas non peterent. Frequenter enim qui imperfecti ſunt, audaciùs præfecturas exãbiunt, & meritorum inopia petendi ſolet eſſe ratio, & ſine ratione petendi; quia quod non meretur, affectatur. Hinc Patrum communior opinio tenet, quod Chriſtus in nocte cęnæ à Iuda inceperit pedes Diſcipulorum abluere: ſic Chryſoſ. hom. 96. in Ioan. *Credibile eſt, proditorem ſtultum exiſtentem ante Petrum recubuiſſe, quod Euangeliſta ſignificauit, cum dixit: Cæpit lauare. Deinde venit ad Petrum.* Quis non miretur, quod indigniſſimus Iudas ad primatus faſtigium aſcendere prætendat? Ante Principem Apoſtolorum ſedet, qui hominum extremiſſimus eſt. Sic ſtulteſcit iniquus, vt ab iniquitate gloriam captare præſumat, & id affectet, quod magis illi deeſt. Iudas eſt, qui ante Petrum ſedet, quia cum proditor eſſet, magis excellentiam, & dignitatem in Chriſti ſchola affectabat. Iudas, qui minus merebatur, primam ſedem ambit: è contra Petrus, quia illa erat dignus, de illa non curabat. Cuidam roganti quamobrem Lacones in bello breuibus pugionibus vterentur, reſpondit quidam ex ipſis ſatis modeſtè: *Quoniam eo minus cum hoſte pugnamus*, Qui nobilitatem minùs oſtentat, nobilior ſemper eſt, qui minùs valorem buccinat, fortior.

5. Paulus Dei naturam, & hominum rimatus, ſic de Deo homine loquitur. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* Ad Philipp. 2. verſ. 6. At quo pacto infert Apoſtolus, quod Chriſtus formam Dei acceperit, ex eo quod non ſit arbitratus Diuinitatem rapina poſſidere? Quòd Deus abiectam formam ſerui acceperit, non cognitionis, quam de ſua Diuinitate habet, conſequentia eſt, ſed miſericordiæ, & benignitatis videtur illatio. Qua ergo ratione propterea quod Chriſtus non rapina Diuinitatem poſſidet, deſcendere ad obiectam formam ſerui non dedignatur? Cur qui furtum non cenſuit Diuinitatem, ſeruili habitu deturpatus eſt? Profundè Chryſoſt. hom. 7. in Paul. *Quod rapuit quis, & præter congruum accepit, iſtud deponere non audet, veritus ne pereat, ne excidat; ſed perpetuo ipſum detinet: qui verò naturalem dignitatem habet, non veretur deſcendere ab illa, ſciens quod nihil tale paſſurus ſit. Non rapinam arbitratus eſt Diuinitatis, non timuit, ne quis dignitatem ſibi auferret: propterea ſecurus quod recepturus eſſet eam, diſſimulauit eam, nihil ſe ex eo imminuendum ratus. Tyrannus metuit in bello deponere purpuram: Rex verò id cum magna ſecuritate facit. Quare? Quia non habet raptum Principatum.* Ergo ideò non rapina Diuinitas, ideò non affectata, ſed vera; quia ſub innobili ſeruitutis vmbra diſſimulari non erubuit: qui ergo illam affectat, & de nobilitate gloriatur, illam non ex ſuo habet, ſed aliunde rapuit. Tyrannus qui arrogatam habet Maieſtatem, & nobilitatem raptam, neſcit eam nec ad inſtans deponere, ſemper de potentatu rapina, & furto poſſeſſo ſibi blanditur: at Rex qui iure Principatum obtinet, non erubeſcit formam ſerui aliquando induere: quia non formidat imperium amittere. Sic qui inglorius eſt, nec in ſe habet, de quo complaceat, alienas rapit prærogatiuas, quas ſibi vendicat, & vt proprias perſuadeat, ſemper de illis gloriatur.

6 Vt pium erga Chriſtum exerceret officium, acceſſit Nicodemus ad ſepulchrum, ſecum deferens, vt corpus condiret, magnam aromatum quantitatem. *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad IESVM nocte primum, ferens mixturam myrrhæ, & aloës quaſi libras centum.* Ioan. 19. verſ. 39. Opus ſanè egregiæ ac profuſæ liberalitatis mortuum amicum proprijs ſumptibus, tot myrrhæ, & aloës libris ſepelire, & planè dignum non ſolum gratitudine, ſed laude glorioſa. Nihilominùs audiendus eſt Chryſoſt. hom. 84. in Ioan. *Iubet autem ipſum* (inquit Ioſeph nempè) *Nicodemus & magnificè ſepeliunt: adhuc enim de eo tanquam de puro homine opinabantur, & ea ferunt aromata, quæ maximè corpora ſeruare ſolent: quod nihil magnum de IESV ipſos exiſtimare arguebat: multum tamen amorem præſeferunt.* Tot balſama, tot myrrhæ non corpus decebant tam cito reſurrecturum, & ei tantum applicanda forent, quod permanſurum eſſet in ſepulchro. Cur ergo tantam fidem erga Chriſtum affectabant, & oſtendere volebant tam profuſa largitate, ac officioſo famulatu? Sanè quia ea carebant: *Adhuc de eo tanquam de puro homine opinabantur.* Fidem affectant, & ſtrenui in ea videri ſatagunt, quia nihil magnum de IESV credebant, nihil diuinum exiſtimabant. Fideles putari intendunt quia adhuc fides in eis non adoleuerat. Sic ſerpit deſiderium propriæ excellentiæ, vt etiam in pijs operibus id oſtentare curent homines, quod illis manifeſtè deeſt. Rectè ait Seneca. *Quorundam hominum ficta vita eſt, & oſtentationi parata.* Oſtentare enim, & fingere idem ſunt: nam quidquid homo garrit, fictum eſt, & nihil minus habet, quam quod habere affectat. Hinc Propheta noſter de Nabuchodonoſore loquens ait: *Immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo.* Hic verſ. 16. Quia vt erat ſuperbus, & barbarus non Deo, cuius auſpicijs felices belli euentus

Digitized by Google

confecti erant, ſed ſuo robori id attribuit, quaſi Deum ſe affectabat, cum nil minùs eſſet, ſiquidem bellua erat.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Diuitijs honores deferuntur.

1. IN pretio pretium eſt: dat cenſus honorem. Eſſe, & habere bonum idem ſunt. Pauper vbique iacet, vbique Diuites honorantur. Vt enim inquit Sophocles apud Volat. *Pecunia inuenit pariter amicos, & honorem*. Et Cicero ad Lentul. *Qui opibus plus potiuntur, auctoritate plus valent*. Et Horat. epiſtol. 1,

Scilicet vxorem cum dote, fidemque & amicos,
Et genus, & formam Regina pecunia donat.

Miſit Abraham Præpoſitum domus ſuæ Heliecer vt vxorem dignam nuptijs filij ſui Iſaaci educeret de Aram, ex quo fœliciſſimo connubio Chriſtus Dominus aliquando naſceretur. Vt autem conſequeretur aptiùs optata, quidquid ad negotium conducebat, præparauit. *Tulitque decem camelos de grege Domini ſui, & abijt ex omnibus bonis eius portans ſecum*. Gen. 24, verſ. 10. Hebræus vertit. *Omnia bona eius portans ſecum*. Non facilè percipitur, quo modo Heliecer, aut ad quid omnia bona Abraham ſecum detulerit, cum vxorem quærebat Iſaaco. *Dicunt Hebræi* (inquit Lyra) *quod portabat ſecum chartam de donatione, quam fecerat Iſaac filio ſuo donans ei omnia bona ſua mobilia, & immobilia*. Sed eſto verum ſit, quod Hebræi tradunt: ad quid illam chartam donationis, qua ingens copia bonorum Abraham oſtendebatur, ſecum portauit Heliecer? Audi Lyram. *Illam chartam portabat ad inclinandum parentes puellæ, & ipſam puellam, quam quærebat in matrimonium ipſius Iſaac*. Sed iam exurgit difficultas. Cur Abrahami Æconomus nobilitatis ſtigmata non portauit, ſeu executorias, quas vocant chartas, vt parentes Rebeccæ generoſam cognationem, & nobilem affinitatem ambirent? Quid tam moueret animum parentum, vt puellam deſponſari cum Iſaac vtile, & honorificum ducerent? Tamen expertus, & ſagax Æconomus, quod magis ad optatum finem conducebat, portauit. Non chartas executorias defert, ſed donationis bonorum Abraham chartã. Diuitiarum ſumma ſumma honoris apud homines eſt: proindeque non generis Abraham ſtigmata, & præclaræ domus antiqua monumenta portat, ſed chyrographum, quo Abrahã, quotquot habebat bona, filio ſuo donabat: diuitiæ enim, & opes nobilitatem cudunt; nec innobilis poterat reputari, qui diuitijs abundabat. Olim, & nunc in matronis nihil aliud quæritur, quam dos, Mathematicè res agitur. Quantitas pecuniarum ſolum attenditur: abſtrahitur à ſubiecto. Quiſquis ingentes habet opes, diues honorum habetur, & dedignatur nemo vxorem ducere diuitem, cuiuſcunq; ſit qualitatis. Agnouerat prudens Heliecer diuitiarum interuentu conficiẽdum negotium: nam poſtquam peruenit in Haram, Herumq; ſuum exaltaret, addit. *Et peperit Sara vxor Domini mei filium Domino meo in ſenectute ſua, deditque ei omnia, quæ habuerat*. Gen. 24. verſ. 36. Superfluum videtur, & præter intentum, quod Heliecer meminerit ſenectutis Saræ, cum eius filio quærit vxorem. Quid? Facilè negotium reddit, quod Sara annoſa ſit, & impotens ad procreandos filios? Ita ſiuè dubio Heliecer fuit ratus: quaſi diceret: Peperit Sara in ſenectute, nec amplius paritura eſt, nec diu victura: quo fiet vt Iſaac omnia bona hæc, quæ demonſtro, cito poſſideat, vel ſaltem partem, quæ ex matris legitima illi continget. Hoc enim eſt, quod quæritur, hoc pro honore, & nobilitatis ſtemmate habetur.

2. Paulus fideles inſtruens in charitate, & beneficentia erga proximos, maximè inualidos, & humano fauore deſtitutos, dicebat: *Viduas honorate*. 1. ad Tim. 5. v. 3. Et quis honor hic à Paulo viduis exhibendus conſulitur? Auſculta Caiet. *Honorem in Scripturis ſacris referre non ſolum ad officia, ſed etiam ad ſubſidia docet Dominus exponendo præceptum, honora parentes tuos, de ſubuentione*. Quem honorem Paulus vocat, ſubſidium Caietanus appellat: idem eſt enim honorare, & fauoribus nobilitate aliquem, ac præbere ſubſidium. Verum quis honorem cum commiſeratione proximi confundit, cum actus ſint diuerſarum virtutum? Nam honor vrbanitatis, & politiæ inſigne eſt, pauperum autem ſubleuatio ſupernaturalis charitatis fructus. Quo ergo pacto honorare dicitur, qui ſubſidium præbet, & eleemoſynam erogat? Tamen vrbanè, & politicè loquitur Caiet. pro eodem vſurpans; & miſericordiam in pauperes, & honorem: idem namque eſt viduis opibus ſubuenire, ac illas honorare, quia opes, & diuitiæ honores ſunt: imo extra illas honor non eſt. Hoc enim vnum nobilitatis genus apud homines eſt, diuitias habere: hoc vnum in nobilitatis inſigne, opibus carere. Diuitijs honores deferuntur: nec ſolum diuitias homines in pretio habent, ſed penè adorant.

3. Seueriſſimè Deus populum ab idololatria arcet. Exod. 20. v. 23. At poſtquam prohibuit omne ſculptile, ſeorſim addit: *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos*. Verum non ærei, lignei, ac fictiles Dij idololatriæ poterant inſeruire? Vtique. Cur ergo aurei, & argentei ſignanter prohibentur, quaſi in his vr-

gen-

Digitized by Google

gentius eſſet periculum, & proximior cadendi occaſio? Egregiè Philo lib.3.de Moral. *Prohibet Deos aureos, & argenteos figurare, docens diuinos honores non conuenire diuitijs.* Quaſi dicat: Sciebat Deus diuitias apud homines maximè in humanis honoribus eſſe: prohibet ergo Deos aureos, & argenteos, vt illos doceat diuinos honores illis non conuenire, & ſi humani honores illis tribuantur. Et vlterius quia facilius ad idololatriam currerent, ſi idola haberent aurea, vel argentea: quia quamuis non crederent Numen aliquod in eis figurati, ipſa metalla tanquam Deos colerent, & diuinos honores ipſis deferrent. Quod Iudas fortè fecit: nam cum malè pœnitens contractum proditionis Magiſtri reſcindere voluit, pecuniam iniquè acceptam, & proditoria arte acquiſitam, quam Phariſæi recipere noluerunt, ad templum detulit. *Retulit triginta argenteos in templum.* Matth.27.v.3. Vt quid pretium ſanguinis in templum proijcit, & ſpargit? Cur non ad furcam ſecum portauit, aut in agrum proiecit? Qui tam infanda auaritia pecuniam comparauerat, nunc profuſa prodigalitate in templum portat? Crediderim ita feciſſe, non quia pecuniam deſpiciebat, ſed quia eam ſupra modum æſtimabat. Ille idem auaritiæ affectus, qui ad tradendum Magiſtrum compulerat, induxit, vt nummos in templum traheret, quaſi proteſtaretur pecuniam pro Deo habere, & eam in templo tanquam Deum collocare, quia tanquam Deum ipſam colebat, & ab omnibus in templo pariformiter coli, & adorari tentabat.

5. Abſcondita apertè eſt ſententia illa Dauid Pſalm.16. verſ.14. *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.* Fernandez ad cap. 3. Gen.ſect.6. tenet ſermonem eſſe de auaris, quibus ad ventris ingluuiem metalla deſeruiunt, quæ Deus in terræ viſceribus, & occultis mineralibus celauit ea parui pendens, vt hominum auaram cupiditatem reprimeret, qui in tanto habent pretio, quæ Deus tanquam ſtercora in angulis terræ poſuit. *Sicuti ſordes, quæ à domo eruuntur, in angulum, ſpecumue totius domus magis reconditum, atque ab oculis remotum ſolent abijci: ſic ex tota mundi huius machina, quæ pulcherrima, & ornatiſſima eſt, aurum argentum, gemmas naturæ Auctor procul amouit, atque in penitiores latebras abſcondit, tanquam purgamenta, ſordeſque totius naturæ.* Id eſt, in profundo maris, in terræ ſpecubus, & in deterioribus, & abiectiſſimis hominibus frequentius huiuſmodi metalla latent. Hoc autem apprimè congruit cum eo, quod notauit Marius ad illa verba Geneſis 1. *Producat terra herbam virentem.* Referuntur omnia, quæ à Deo tertia creationis die facta ſunt, in qua plures Expoſitores probabile reputant producta eſſe metalla, mineraliaque quæ in terræ viſceribus reconduntur. Quod ſi ita accidit; mirabile valde eſt, quod Moyſes, qui minutiſſimas, & nullius momenti res retulit, præſtantiſſimi metalli auri, & argenti non recordetur, & eius productionem in ſilentio prætereat; quaſi dedignaretur Deus huiuſmodi produxiſſe metalla. Huius obliuionis miratus Marius ſatis congruam rationem in tropologico ſenſu reddit. *Noluiſſe* (inquit) *Deum hominibus occaſionem dare ea ſolicitius, aut ſtudioſius inquirendi, non digna fuiſſe, vt quærerentur, quæ nec quidem digna fuerint, vt in prima rerum productione commemorarentur.* Sed vlterius ſuſpicor ſilentio eſſe ſepulta metalla, quæ in terræ penetralibus humata erant, ne illis diuinos honores homines impertirentur: nam cum ex vna parte tam auidè ad ipſorum poſſeſſionem proponderent; ſi ex alia commendata viderent Moyſis calamo, ad maiorem illorum æſtimationem ſterneretur via, & in periculo eſſent illis adorationem præſtandi: ſicut eam præſtitit impius Rex Nabuchodonoſor, qui diuitijs, quas congregauit in rete ſuum, adorationem detulit. *Propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo.* Hic verſ.16.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Sæpè Diabolus maiora mala nobis infert, cum poſt commiſſa ſcelera aditum ad alia præcludit, quam cum denuo ad noua prouocat committenda.

1. IN Nabuchodonoſore congregante in rete ſuum, quidquid obuium ei fuit, Dæmonis tyrannicam dominationem omnes agnoſcunt: quia animam, quam venatur, vndique cingit, circumdat, ac omnes portas obſtruit, ne poſſit exire ad ſalutem adipiſcendam: non ſinit audire Verbum Dei, aut miniſtros eius conſulere, lectionem impedit ſacram, ieiunia, orationes, confeſſiones, & quidquid animam iuuare poteſt, ſatagit auertere. De quo Dominus non ſine fletu aiebat Luc. 19. verſ.43. *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt.* Sic Dæmon obſidet, & circumuallat quemcumque poſſidet: ſic miſerum illum hominem obſedit, de quo dicitur Luc.11. verſ.14. *Erat IESVS eijciens Dæmonium, & illud erat mutum.* Hic quam miſerè vexatus, vt Actor eſt D.Auguſt. lib. de vera pœnit. vapulauit in lingua, viſu, & auditu, quoniam his potentijs abuſus fuerat. Sed valdè notabile eſt, quod cum Dæmon ardentiſſimum habeat deſiderium, vt nos magis ac magis inducat ad peccandum, huiuſmodi ho-

minis

Digitized by Google

minis potentias impotentes redderet, ne deinceps amplius peccaret: lingua etenim impeditus erat, oculis læſus, occluſus auribus, quo omnia peccata ceſſabant, quæ miſer iſte potentijs huiuſmodi commiſerat. Cur ergo Dæmon potentias ad peccandum ineptas, atque impotentes reddit, ſi ſitim habet inſatiabilem, vt ſemper nos denuo inducat ad peccandum, & maiora crimina committendum? Crediderim ex Dæmonis malignitate, & aſtutia hanc indulgentiam oriri: quia ſæpè ſæpius maiora mala nobis infert, cum poſt grauiſſima delicta à nobis iam commiſſa, ad alia de nouo perpetranda nos impotentes reddit, quam cum denuo ad noua committenda prouocat. Plus refert Dæmonis, nos in peccatis vinctos habere, & ſub tyrannica ſua poteſtate; quam habiles, & expeditos relinquere ad alia flagitia committenda. Si poſtquam deliquimus animæ oculos excæcat, cor indurat, ſi mutos reddit ad peccata confitenda, ſurdos ad Dei verbum audiendum, intelligit nos regulariter ſecuros habere: at ſi potentias ad denuo peccandum expeditas ſinit, videt omnia ſua periculo exponi, ſicque ſecum meditatur: Peccator iſte cum iam à diebus multis aſſuetus ſit ad peccandum, lingua oculis, & auditu caret: ſi illum ſino his pro libito ſuo vti potentijs, probabile valdè eſt, quod denuo peccabit ſecundum antiquam eius conſuetudinem, pluraque noua committet peccata, patrabit crimina, quo res mea magis augetur: attamen periculo expoſita relinquitur, longèque maior poterit eſſe iactura, quam lucrum quoniam ſicut peccare poteſt denuo, ſic ex præterito poteſt reſipiſcere: malo ergo hunc ad inferos ſecuriorem habere in minoribus induratum peccatis, quam illum cum peticulo pœnitendi ad maiora prouocare.

2. Init fœdus Naa Amonitides cum Galaaditis, ſi illi propter ſeruitutem, quam obtulerant, dextros ſibi oculos erui patiantur. *In hoc feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrum oculos dextros*. 1.Reg.11. verſ.2. Mira Regis ſæuitia, & intolerabilis fœderis conditio, immitis, & indigna Regali animo illa propoſito fuit. Mitto litteralem ſenſum: in tropologico Sanctus Nilus in libro aſcætico, Beda lib.2.cap.4.in Samuelem Petrus Damianus, & alij per Regem Naa Diabolum Intelligunt. Iam non miror, quod dextros oculos eruere tentauerit, ſed quod ſiniſtros reliuquat. Si Dæmonis inſatiabile deſiderium ad nocendum homini auidiſſimè inclinat, cur non poſtulat vtrumque pariter oculum erui, ſed tantum dextrum? Si maius damnum ſtudet inferre, cur non petit, vt vtroque orbentur oculo? Cur non deterius poſtulat, qui ad arbitrium ſuum ſubiugatis hoſtibus vtebatur? Egregiè Petrus Damianus. *Nota* (inquit) *quod iniquus Rex non duos inimicis eruere, ſed vnum dumtaxat oculum flagitat: quia ſæpè malignus hoſtis conſentienti ſibi cuilibet reprobo homini potiorem partem Sanctitatis, ac lucidi operis adimit; minorem verò artificioſa quadam ſuæ calliditatis induſtria derelinquit, vt in eo quod tollitur, ſit occaſio damnationis, vt pereat: in eo vero, quod remanet, de ſpe fiduciæ præſumatur, vt peccator ad pænitentiam non recurrat*. Quid luculentius? Patitur Diabolus, vt qui lattocinia exercet, aliquas preces fundat, qui ſuperbia tumet, abſtinentiam colat; qui incontinenter viuit, eleemoſynam largiatur: vt dum in bonis operibus, quæ agit, nimium confidit, de malis, quibus aſſueſcit, emendari nihil curet; atque adeò, dum ſiniſtrum oculum ſibi ſufficere exiſtimat, dextrum ſibi etipi patiatur, ſine quo æternæ beatitudinis lumen non obtinetur, ſecurioremque ſic hominem deducit ad inferos, cum otbatione vnius tantùm oculi; quam ſi ab illo vtrumque oculum erueret. Multa enim mala non facimus, potius quia non vult Dæmon, quam quia in nobis reſiſtentiam inueniret, ſi vellet. Non vult aliquando, non quia noſtris ſatietur malis, aut ea faſtidiat; ſed quia dum aliqua non facimus, in alijs nos habet ſecuros: & idcirco magis nos fallunt peccata, quæ non facimus, quam quæ committimus. Vt fallax piſcator extendit Dæmon piſcatorium filium, non vt peccatorem dimittat, ſed vt ſecurius teneat. Exinde Luc.6 Herodi hamo ſuo apprehenſo permittebat, vt Baptiſtam audiret, eiuſque conſilio non nonnulla facta ad iuſtitiæ normam dirigeret, donec illum penitus horribilibus maleficijs occiſum in fageuam æternorum cruciatuum coniecit.

2. Malè pœnitens Iudas, quòd Chriſtum tradidiſſet, videns quod ad mortem eſſet damnatus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus, & deſperans ſe interſecit: *Et proiectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit*. Matth.27.verſ.5. D.Cyril.lib.9.in Ioan.c.9. valdè miratur, quod Diabolus ante Chriſti mortem ad mortem Iudam feſtiuanter ageret, cum magis tunc illo indigeret, quia inſtrumentum erat omnium conuitiorum, & iniuriarum, quas Chriſto Domino Iudei inferre decreuerant. Cur Iudam ſinit feſtinare ad laqueum, & antequam Chriſtus Cruci eſſet affixus, & eum apud inferos detrudi ſatagit, nondum morte Chriſti peracta? Maximè quia ſi Iudæ vita prorogaretur, plura flagitia patraret. Cur ergo eum feſtinat ſtrangulari, cum ſua intereſſet eum viuere? Audi Cyrill. *Timet* (inquit) *ne morando locus pœnitentiæ detur, & ea de cauſa feſtinat*. Se geſſit Dæmon vt ſagax aleator, qui eſto lucri cupidiſſimus ſit, tamen ſi magnam quantitatem eſt lucratus, è ludo exurgit, & ſe in ſecuro collocat, cui ſi aſpicientes dicant, quod ludum proſequatur, ſiquidem pro optatis res ſuccedit, & fortuna illi arridet, reſpondet ille inſtabilem fortunam eſſe, ac forſitan mutandam, euenturumque vt omnia perdat, tutiuſque habere

bere

Digitized by Google

bere illo lucro acquiſito pro tunc à ludo abſtinere. Sic ſagax Dæmon aleator, timet ſi cupidiſſimus ſit magis, ac magis non lucrandi inducens ad peccandum, ſæpè à ludo exurgit acquiſita pecunia, & mauult peccatores obduratos habere, ac ſecuros in peccatis prætteritis, quam periculo exponere (ſi vlteriùs peccatorum progrediatur ludus) antiquum lucrum, ne fortè ab animabus noſtris ſpolietur. Sicut diues mercator, qui magnam quantitatem in nundinis, & plateis iacturæ, & lucro habet expoſitam, filiæ arrham occluſam habet, nec illam vllatenus attingit, aut periculo exponit, quia mauult ſecuram dotem, quam lucrum habere: ita Dæmon plurimas animas ad iacturam, & lucrum in mundo habet, quæ nec in bono, nec in malo ſint conſtantes: iam cum illis lucrum accipit, dum illas ad peccandum inducit: iam patitur iacturam, quoniam eius tentationibus reſiſtunt, & per aliquod tempus Deo famulantur: ſed aliæ ſunt animæ, quæ iam ferè inferorum arrhaboues ſunt: cum his nullatenùs lucrari vult, ſed tamen tutas habere exiſtimat eas impediens, quantum in ipſo eſt, ne à peccatis reſipiſcant, & ad Deum conuertantur: Idcircò effrænem, & inſolentem impudentiam Nabuchodonoſoris, qua nullum non patrabat flagitium (& quam deſcribit Propheta hic verſ 17. *Et ſemper interficere gentes non parces* (aliqui Patres contemplantes auſpicantur poſteà ad pœnitentiam reductam, quia nulla præcluſa ſemita ad peccatum erat, quæ duceret ad conuerſionem.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Superior, qui legibus ſubditos adſtringere vult, & punire, eis neceſſaria ad victum debet tribuere.

1. QVI totum ſe his, quibus imperat, dicatur, ſibi ſe eripere debet, & à proprijs commodis vacare veluti aſtra, quæ nunquam à motibus quieſcunt, vt ſublunaribus, quibus præſunt, proſunt, & influentias proficuas impertiantur. In quibus inſtruuntur Superiores ſuis ſubditis prouidere cum propriæ vtilitatis diſpendio, vt ipſi obtemperent eorum præceptis: nam ſicut ad ſubditum obedire ſpectat, & legum obſeruantiæ ſtudere: ſic ad ſuperiorem neceſſaria adminiſtrare. Niſi enim Superior debitum adimpleat officio annexum, ſubditi ab obedientia cenſentur immunes, & tota pax turbatur Reipublicæ. Vndè dixit Aug. ſerm.62. de verb.Domi. *Si nos cum timore paſcimus, & timemus pro ouibus; ipſæ oues quomodo pro ſe debent timere? Pertineat ergo ad nos cura, ad vos obedientia.* Niſi enim Superior præbeat ſubditis neceſſaria, nec ad præcipiendum, nec ad puniendum tranſgreſſores habet facultatem, quia ius imperandi ſubditis in prouidentia adminiſtrationis eorum, quibus indigent ſubditi, fundatur.

2. Vt à mundi eluuiône naufragas reliquias Deus conſeruaret propagatione futuræ reſeruatas, Noemo præcepit arcam fabricare in præſidium, & in ea ex omnibus animantibus, quæ ſuper terram erant, includere. Ne autem fame perirent, dum aquæ inundabant vniuerſam terram, eſcas omnium ſuſtentationi neceſſarias vniuſcuiuſque ſtomacho proportionaras, & quas naturaliter appetebant, ſecum deferre iubet. *Tolles tecum ex omnibus eſcis, quæ mandi poſſunt.* Geneſ. 6. v.21. Mira prouidentia, & Dei clementia digna: ſed ingens cura, & ſolicitudo committitur Noemo, dum eſcas vniuſcuiuſque viuentis palato gratas, & ipſius naturæ familiares deferre iniungitur. Cur non ad pabula communiora, & quæ obuia erant, & facilè adduci poterant, omnes viuentes ſe accommodarent? Et vlterius cur huiuſmodi prouiſio filijs Noë non committitur, qui tanquam fortiores faciliùs exequi poſſent? Vel ad minùs eis non præcipitur, vt in hoc miniſterio Patri auxilium præbeant? Solus Noë eſcas prouidebit diuerſas tot animantibus neceſſarias, & eas, quibus communiter nutriuntur, & magis gaudent? Ita (inquit Lipoma. in catena) ita expediens fuit, quia Noemi imperio omnia animantia ſubijciuntur, & ad ſuum nutum, & voluntatem ea gubernari conceditur. Ne igitur contra ipſum rebellarent, ſed ius haberet ad ea cohibenda, vnicuique alimentum congruum, & proportionatum prouidit; nam niſi ita fieret, nec ipſe ad imperandum, & pacatè in arca habitandum, ita vt animalia naturaliter contraria non ſe inuicem oppugnarent, ius haberet; nec ipſa obedire tenerentur: ac proinde cura, & ſolicitudo eſcarum, quibus animalia viuerent, non filijs, ſed ipſi Noemo committitur: vt innuatur, hoc eſſe ſuperiorum munus, neceſſaria ſuis ſubditis ad vitam prouidere. *Cura omnium quæ in domo ſua ſoluenda erant, iuſto viro imponitur,* ait Lipom. Niſi enim ſuperior neceſſaria ad victum tribuat, nec ad præcipiendum, nec ad puniendum auctoritatem habet, quia negligendo quæ iuris ſunt, ius amittit.

3. Ne tot dotibus naturæ & gratiæ cumulati inſoleſcerent, primi Parentes, præcepto eos Deus onerat, & ad obedientiam compellit, prohibens cuiuſdam arboris fructum, atque primum præceptum ſic intimauit. *Ex omni ligno paradiſi comedes de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas.* Gen.2. v.16. & 17. Sunt qui cogitent duplex hic affuiſſe præceptum, poſitiuum vnum, alterum negatiuum: poſitiuum, quo iniungebatur Adamo ex omni ligno para-

paradiſi comedere; quia ſic pars animæ ſuperior eleuata erat, & abſtracta, delitijs fruens cœleſtibus, vt opus fuerit cibum præcipere, ne pars inferior corporis extenuaretur, dum illius non recordabatur: negatiuum, quo eſſe arboris vnius ſignatè prohibebatur. At ſuperfluum, videtur, quòd Deus primum hominem præcepto adſtringat vt ex omni ligno paradiſi, præter vetitum, comedat: nam ſat erat vnum lignum prohibere, vt cognoſceret Adamus ad quodcunque aliud manum porrigere ſibi licere, & cuiuſcunque alterius fructus liberè, & licitè poſſe decerpere: nam exceptio firmat regulam in contrarium, & qui vnum prohibet, cætera permittit: Cur igitur prius Deus præcipit ex reliquis lignis paradiſi comedere; & poſteà iniungit vnum non tangere? Profundè D.Thom. *Hoc fuit prohibitioni ligni vetiti annexum*. Quaſi diceret: qui indicturus erat præceptum circa abſtinentiam ab arbore ſcientiæ boni, & mali, qui legibus ſubditos ligare decernebat, debuit prius illorum victum prouidere, & ſolicitare: quaſi irritum eſſet præceptum de non comedendo, niſi præceptum de comedendo præceſſiſſet *Hoc fuit prohibitioni ligni vetiti annexum*. Qui curam, & ſolicitudinem erga ſubditos negligit, abſolutos ab obedientia declarat; quia ius imperandi ex cura prouidendi oritur. Idem habet Baſil. de Seleuc.orat.3.in Adamum. *Regis edictum alimenta dat, & ieiunij legem ponit*. Alit, & iubet: donat, & præcipit, & niſi aleret, non haberet ius ad præcipiendum: vt ſuperiores inſtruat ſua intereſſe ſubditos primitus ſuſtentare, ac poſtmodum illis præcipere: *Alimenta dat, & ieiunij legem ponit*.

4. Chriſtus Dominus in cœlum triumphali pompa iam iam aſcenſurus, Diſcipulos ſuos multoties conſolatur, & tandem eis præcipit, Ieroſolimæ aſſiſtere, vſque dum promiſſio Patris de Spiritu-Sancto ſuper ipſos venturo adimpleretur. *Et conueſcens* (ait text.) *præcepit eis, ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris*. Act.1. verſ.4. Non litigabo modo cum Expoſitoribus, quando Pater promiſerit Spiritum-Sanctum, nec quo pacto promittatur venturus, qui iam in Apoſtolos aduenerat, ſiquidem tradens illis facultatem, vt peccata dimitterent, dixit Chriſtus. *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* Ioan.20. verſ.22. Hæreo tantum in cortice, & contextura verborum. *Et conueſcens præcepit eis &c.* Et cur non antea præceptum de expectatione Spiritus Sancti, & permanentia in Ieroſolyma intimauit, ſed ſecum veſcentibus iniungit mandatum? Pluries enim ipſis apparuerat, pluries de ſua abſentia contriſtatos viderat. Cur igitur præceptum diſtulit vſque ad menſam, in qua ipſis cibum præbuit? Suſpicor, vt innueret, quod ſuperior non habet ius præcipiendi ſubditis, niſi cum eos paſcit, & cibat: *Et conueſcens præcepit*. Opportùnum præcipiendi tempus delegit; iuſtè, & abſque pudore, iubet, & ad obedientiam compellit, qui ſuos paſcit: atqui negligit eos alere, non modo ius non habet ad præcipiendum, ſed ad delinquendum licentiam impertitur.

5. Meretrix illa celebris (de qua Prouerb. 7.) quæ dedecus conſortis viri non verebatur, ſic aiebat Amaſio ipſam concupiſcenti. *Veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illuceſcat dies: non eſt vir in domo ſua, abijt in longinquum*. Quaſi dicat (ait Caiet.) *Potes eſſe ſecurus*. Quod cum eudiſſet adoleſcens: *Statim* (inquit text.) *eam ſequitur*: & ſe tutum credit, eo quod maritus adulteræ non eſſet in domo ſua, ſed abiſſet in regionem longinquam. Nimis fallax confidentia, & ſtulta fiducia; nam maritus poterat regredi, vel vt aliquid afferret, quod domi fuiſſet oblitus, vel abſentiam ſimulaſſe, vt vxorem caperet maritalem torum violantem, qua aſtutia multæ fuere deceptæ. Cur igitur, qui in tanto diſcrimine erat, ſe tutum credit, & ſecurus ſequitur meretricem? At reor non ſe tutum credidiſſe, eo quod audierat virum adiſſe in longinquum, ſed quia addidit meretrix: *Sacculum pecuniæ ſecum tulit*. Etenim qui pecuniam ſecum portat, & vxorem de neceſſarijs non prouidet, ſecuritatem præſtat vt eius dedecus moliatur. Qui pecuniam à domo extrahit, quibus neceſſaria ad victum erant emenda, tacitè licentiam impertitur ad delinquendum, & adulterium expreſſè permittit, qui corporalibus deſtitutam auxilijs vxorem relinquit; nec in licitis imperare, aut cohibere valet. Qui commiſſis ſibi ſubditis neceſſaria non producit, licentiam præſtat, vt tranſgrediantur leges. Hinc maximè inſolentem, ac tyrannicam dominationem Nabuchodonoſoris carpit Propheta, eo quòd ſubditis, quos bello ſuo imperio ſubiugauerat, quidquid ipſis in ſubſidium erat, arripuit, & ope, ac auxilio deſtitutos reliquit, vt ſuam expleret auaritiam. *Propter hoc ergo expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non parcet*. Hic verſ.17.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Veræ conuerſionis inſigne tanquam amara faſtidire, quæ dulcia arridebant.

1. Animi contriti guſtum præſefert pœnitentis ſaporem, quiſquis nauſeat, & amaricatum habet cibum, qui antea placebat, & ſuauiter blandiebatur. Veræ conuerſionis dat ſigna, veræ animæ ſalutis indicium,

dicium, qui communes, & aſſuetas eſcas, quibus deliciabatur, faſtidit. Hanc non mentitæ conuerſionis rationem de gentilitate ad Chriſtum reddebat Tertullian. in apolog. cap. 7. *Incipiunt odiſſe quod fuerant, & profiteri quod oderant*. Contra ſe ipſum ſtomachetur homo, & vbi falſam, & apparentem dulcedinem guſtauit, veram amaritudinem inueniat. Hoc principium ſalutis, in ſe ipſum ſeuerum iudicem, & veritatem amantem, atque fucatam dulcedinem deſpicientem inſurgere. *Initium eſt ſalutis* (aiebat Seneca epiſt. 28.) *notitia peccati. Egregiè mihi dixiſſe videtur Epicurus: nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Quidam vitijs gloriantur. Tu exiſtimas aliquid de remedio cogitare, qui mala ſua virtutum loco numerant? Ideo quantum potes te ipſe coargue: inquire te: accuſatoris primum partibus fungere; deinde iudicis; nouiſſimè deprecatoris. Aliquando te offende.* Te offendere opus eſt, te agnoſcere, contra te inſurgere, vt remedia opportuna inuenias. Qui dulcia credit comedere, & ſi amara ſint, amaritudinem non percipit, non faſtidit. Neceſsè eſt, te ipſum deprehendere, vt emenderis: futurus es alter homo, vt ad meliorem frugem transfeas, & nouæ vitæ effigies vultu, verbis præferas. Quemdam adoleſcentem (fabulæ referunt) propter amores meretricios peregrè profectum, & abolito amore regreſſum antiquæ occurriſſe dilectæ, quæ vbi non interpellatam ſe vidiſſet, putans non recognitam, dixit adoleſcenti: *Ego ſum*. Cui ipſe: *Sed ego non ſum*: vt refert D. Ambroſ. de pœnitent. cap. 10. Etenim abnegare ſe debet quiſquis ad viam accingitur ſalutis, & ea faſtidire, quæ anteà ad voluptatem prouocabant.

2. Peracto transgreſſionis primæ negotio, & pœnitentiæ propoſito præuiſo, exilio damnantur primi parentes, & confeſtim à paradiſo exulare iubentur. Vbi ridicula gulæ fraude ingratiſſimè Adamus deliquit, à paradiſo pellitur voluptatis, & è regione collocatur, vt amarè fleat, quod dulciter peccauit: *Eiecitque Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ*. Gen. 3. verſ. 24. A paradiſo exulat Adamus, & aditum Deus præcludit, vt præuaricationis pœnas luat, & commiſſi criminis pœnitentiam agat. Num in paradiſo culpam flere non poterat, quod ab illo expellitur, vt pœniteat? Quin potius conuenientius videbatur, in paradiſo permanere, vt transfgreſſionis motiuum ſemper præ oculis haberet, ac lachrimas exundaret, vt noxam ablueret, ac illius ſemper recordaretur. Videat, videat Adamus, quæ perdidit, vt auidius ea recuperare per contritionem ſtudeat. Si adhuc poſt exilium proſpecturus eſt paradiſum, in ipſo commoretur, vt frequentius arboris viſus acrius conſcientiam pungat, & conuerſionem negotietur. Vt quid pœnitentiam acturus mittitur extra paradiſum? Audi Arnoldum de opere 6. dierum. *Acturus pœnitentiam de loco voluptatis Adam educitur, quia voluptas, & luctus non bene cohabitant, nec diuitiæ, & religio ad inuicem complectuntur*. Non fructuum delitiæ, non florum amœnitas, non pomorum dulcedo, non voluptatis locus pœnitentiæ congruebant, quia pœnitenti omnia amaricari debent: quidquid anteà dulcuerat, inſipidum, & acetbum palato debet apparere: quæ delitiæ erant, amaritudo: quod paradiſus voluptatis, infernus. Nihil delitioſum pœnitentiæ eſt admiſcendum, omnia amara, & inſnauia experiatur pœnitens.

3. Angelum vidit Ioann. in ſua Apocalypſ. c. 8. v. 10. & 11. miræ qualitatis, & naturæ: nam dum ſtella ardens apparuit, amariſſimæ conditionis perhibetur. *Et tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de cælo ſtella magna ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & fontem aquarum. Et nomen ſtellæ dicitur Abſinthium: & facta eſt tertia pars aquarum in Abſinthium*. In huius ſtelle cognitione valdè laborant Interpretes. Sunt qui cogitent ipſam hæreticorum proteruiam deſignare, quæ tertiam partem Eccleſiæ infectam peſſima impudentia reddit. Rupertus peculiari via incedit, & Prophetarum prædicationem populos ad pœnitentiam prouocantem hic deſcriptam agnoſcit. *Per Abſinthium comminationes Prophetarum intelliguntur, quæ populo peccanti ingerebant*. Sed qua ratione pœnitentia in ſtella ardenti, & naturam Abſinthij referente deſcribitur? Suſpicor, quòd ab effectu nomen mutuauit Abſinthij: Nam *Abſinthium* (ait Rupertus) *græcum eſt nomen herbæ guſtu amariſſimæ*. Sed iam exurgit difficultas. Si ſtella illa naturam Solis, & reliquorum ſiderum participabat, quo pacto ſua influentia tertiam aquarum, ſuper quas cecidit, partem amaram reddidit? Et qua congruentia peccatorum fletus, & lacrymæ à contritis oculis effuſæ in aquis illis deſcribuntur? Aptiſſima ſanè ratione: nam quo pacto Phyſici tradunt maris amaritudinem, & ſalſuginem à radijs Solis aquas vrentibus prouenire, atque ex dulcibus fluentis amara efficere: ſic ſtella illa, quæ Solis naturam, & qualitatem præferebat, cum fluminum aquis approximauit, quæ anteà dulces erant, tanquam Abſinthium amaricauit, & palato reddidit inſuaues. Sic vera pœnitentia illa, quæ anteà placebant, & appetebantur dulcia, amara reddidit, & acerba: atque tunc vera conuerſio credenda eſt, cum quæ delitioſa guſtui blandiebantur, amariſſima, & faſtidioſa

dioſa redduntur :: cum quę mellis dulcedinem propinabant, pœnitentiæ Abſinthio, & amaritudine replentur. Abſinthium (inquit Lyra) adeò eſt amarum, vt melli ſuccus eius iniectus amaritudine vincat ſuauitatem mellis, & cogat amarum eſſe, quod dulce admodum erat. Hoc (inquam) pœnitentiæ optimum ſignum eſt, ea, quæ guſtum conciliabant, & auidè ſuſpirabantur, faſtidire, ac ipſis guſtum exacerbari.

4. Loquitur Iſaias de generali mundi conuerſione, ac finali pœnitentia agenda in extremi iudicij die, & eleganti calamo ſic eam deſcribit. *Luxit vindemia, infirmata eſt vitis, ingemuerunt omnes, qui lætabantur corde. Ceſſauit gaudium tympanorum, quieuit ſonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ, cum cantico non bibent vinum; amara erit potio bibentibus illam* cap.24. verſ.7.& 8. Mira rerum commutatio, Quidquid dulciter, ſuauiterque arridebat, languebit, marceſcet, & amaricabitur. At quæ hæc conuerſionis ſigna? Imo perceſionis videntur, cum omnium rerum naturæ, ac functiones immutentur. Lætitia mæret, gaudium contriſtatur, cithara luget, exultantium voces raucè & funeſtè ſonant; potio, quæ præ nimia dulcedine ingurgitabatur, guſtum exacerbat. Hæc non conuerſionis, quæ homines in rationis viam dirigit, & concinnat finibus media, ſed inuerſionis, & confuſionis ſigna ſunt. At hęc, inquam, hæc rerum commutatio, ac inuerſio veram arguit pœnitentiam, animum contritum demonſtrat. Audi Oleaſt. ſic eruditè exſcribentem. *Conſidera optimum caſtigandi modum, peccatori ſcilicet amara reddere, quæ illi quondam dulcuerant. Signum enim præſentis ſalutis eſſe ſolet in ægroto, cum illi amarum eſſe incipit, malum, quod illi dulce erat. Quamdiu enim dulceſcunt vitia, quis hominem malè affectum ab eis reuocabit? Poſtquam verò amara fieri incipiunt, facilè eum ab eis auertes.* Salutis ſignum plerumque ſolet eſſe ea faſtidire, quæ anteà arridebant: verę conuerſionis indicium, ea reſpuere tanquam amara, & inſipida, quæ anteà guſtui blandiebantur. Longè abeſt à vera pœnitentia, qui nec mores antiquos, nec vitam demutat.

5. Mirum planè eſt, quo pacto ſe geſſerit Ioſeph cum fratre Beniamin in Ægypto. Etenim antequam fratribus innoteſceret, extremo fauore, atque rigore extremo illum tractauit. Fauor, & gratia ex eo conſtat, quod cęteris fratribus eum prætulerit, & cumulauerit donis. *Maior pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.* Gen. 43. verſ. 34. Rigor autem, & ſæuitia, ex eo liquet, quòd ſtatuerit, vt Beniamin abſque culpa cum ſcipho apprehenderetur, atque in aulam regiam duceretur captiuus. Quæ bona, quęuè mala commiſit, vt iam gratia fœlicitetur, iam rigore excipiatur? Sic Prorex nutat, vt quem modò cumulabit fauoribus, mox captiuum afferri iubeat? Pulchrè Abulenſ. ibi. *Ad videndum*, inquit, *vtrùm alij fratres inuiderent Beniamini, ſicut ei inuiderant.* Idem Caiet. *Quia intendebat explorare, an fratres ſui parui facerent ſeruitutem Beniamin.* Ac ſi diceret: Non propter Beniamin, ſed propter cęteros fratres illa Ioſeph fuit vſus inæqualitate: ſciebat probè fratres odio & inuidia aliquandò peccaſſe, & agnoſcere voluit, an verè pœnituiſſent, an adhùc in eorum pectoribus antiquus vigeret liuor, quo ipſum afficiebant. Cum ergo eſſet expertus, nec gratijs Beniamini inuidiſſe, nec in eius complacuiſſe captiuitate, pro comperto habuit fuiſſe contritos, ac mutatos: quia illa ſola vera eſt conuerſio, quæ verè animum demutat, & renouat. Quamdiù non aliter ſe habet homo, & non vt amara faſtidit, quæ anteà anhelabant, nulla emendationis affulget ſpes. Exinde Propheta de conuerſione Nabuchodonoſoris deſperabat, quia ſemper in electis cibis, quos ad delitiandum elegerat, & rapuerat, ſibi blandiri videbat. *Et cibus eius electus.* Hic verſ. 16.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Tanta quorumdam filiorum diaboli eſt prauitas, vt iam non ſuos, ſed & aliorum inimicos ob adulationem odio habeant.

1. VT in remittendis, & obliuiſcendis iniurijs Dei filij agnoſcuntur: ſic in vindicandis Diaboli praua ſoboles deprehenditur, quę adeo excreuit, vt non tantum eos, à quibus aliquid mali ſunt perpeſſi: ſed illos, qui nullam ipſis irrogarunt iniuriam; vt alijs blandiantur, proſequantur odio, ac perſequantur inimicitia. *Nullum intra ſe manet vitium* (aiebat Seneca epiſt. 55.) *nullum vbi naſcitur quærendum eſt, ſerpit namque, & in proximum quemque tranſilit.* Idem habet epiſt.133. *Odio habebis inimicum tuum*, dicebant olim Phariſęi callidè, & iniquè hanc particulam legi Dei addentes, quę ſtrictè pluribus in locis odium inimicorum prohibet: ſed hoc cautum apud illos fuit, vt odium non alienos inimicos, ſed tantum ad ipſis infenſos extenderint. *Et odio habebis inimicum tuum*, dicebant. Non adeo deturbati mente antiquę legis Doctores erant, vt facultatem pręberent, & licentiam impertirentur ad

Digitized by Google

ad alienos hoſtes inuiſos habendos : quia adeò magna iniuſtitia monſtroſa prauitas eſt non ledentes odio , & inimicitia proſequi , vt nec in lege Dei, nec in impatientia naturę corruptę aliquam apparentiam inuenerint , qua ſcelus tam immane colorari potuiſſet. Dum quis ab eo vindictam ſumit , qui famam , honorem , aut diuitias abſtulit , à naturali impulſu inclinari videtur : aſt vindictam ſumere de ijs , qui nullo modo lęſerunt , eo ſolum, quia infenſum habent , quem tu propitium habere ſatagis , nec prætextum , nec vmbram rationis habet. Vindicari de proprio inimico nefas eſt : at aliquem colorem habet offenſus, qui lęſæ famę ſtudet ſatisfacere ; verùm inimicum offendere alienum , infandum ſcelus , & adulatio abominabilis prorſus eſt. Sed ita iam adoleuit vitium , ita excreuit zizania , vt plures ſint nomine tantum Catholici , qui in diabolica lege eruditi ſuperant Phariſęorum nequitiam , odio habentes plurimos , non vt de inimicis vindictam ſumant , ſed vt amicis adulentur. Nunc amor eſt veluti in antiquo tempore ad amicorum ſpheram præciſus ; vtinam extra propriam non tranſiliret odium. Verum ſic malitioſè ſerpit , vt non tantùm ad proprios inimicos , ſed ad alienos ſe extendat: non enim habetur amicus , niſi is , qui inimicos noſtros odio habet : & indigna hominis atque abiectiſſima indole quamplurimi ſe oſtendunt præditos : quia qui contra inimicum iraſcitur , ac illum ſiue in vita , ſiue in honore cruentè adoritur , fragilem ſe exhibet, & ab ira deuictum : at qui cum lædit , à quo non accepit iniuriam , viliſſimum ſe demonſtrat adulatorem , ſiquidem non , vt dolorem proprium attemperet , ſed vt amicitiam venetur alienam , alienos inimicos inſequitur.

2. Chriſtus Dominus comprehenſus adducitur ad Caipham : cumque de doctrina eius interrogaretur , reſpondit : *Quid me interrogas? Interroga eos , qui audierunt quod locutus ſum : hi ſciunt , quid dixerim ego. Hæc autem cum dixiſſet , vnus aſſiſtens Miniſtrorum dedit alapam IESV dicens : Sic reſpondes Pontifici?* Io. 18.v.22. Quæ iniuria in his verbis Pontifici ab innocentiſſimo Agno fuit irrogata, quòd ſic excandeſcit , & audet iniquus Miniſter? Nulla planè. Vndè ergò ſceleſtus homo occaſionem eſt nactus ad tam immane perpetrandum flagitium? Nullam à Chriſto offenſionem acceperat , imò ingens beneficium , ſi cum Chryſoſtomo hom. 82. in Ioan. teneamus hunc fuiſſe Malchum , cui amputatam à Petro auriculam Chriſtus miraculosè reſtituit. Cur ergo ſine iniuriæ illatæ prætextu , & cum magno gratitudinis debito , ac beneficij pondere, tam impium , tam execrabile facinus perpetrauit? Auſculta Cyrill. lib. 11. c. 46. *Offenderant Miniſtrorum aliqui Principes Iudæorum , qui Chriſtum capere iuſſi reuerſi ſunt admirati , & dicentes : Nunquam ſic locutus eſt homo. Quoniam igitur reſponſio Saluatoris ad memoriam huius rei reducebat Principes dicens : Ecce hi ſciunt , quid dixerim ego , Miniſtros teſtes citans : idcircò ne de animo ſuo , beneuolentiaque in eum ſuſpicati eſſent Principes , cum alias quia Chriſtum laudaſſent , fuiſſent reprehenſi , alapa Chriſtum vnus eorum cædit.* Impium ſcelus ab impio Miniſtro, non vt iniuriæ propriæ ſatis faciat , imo nec alienæ , perpetratur : ſed quia rem gratam Pontifici ſe facere exiſtimabat, ne allectus crederetur Chriſti doctrina , quam anteà admirabatur , & ſuſpectus eſſet Pontifici, alapam impingit & Chriſto , & ſibi ipſi : quia non tam cædit alienam faciem , quam propriam , qui abſque alio motiuo, quam quod adulatio ſuggerit , non offendentem offendit.

3. Satagebat Pilatus Chriſtum , cuius innocentiam agnouerat , à morte eripere : & vt populi ſedaret tumultum , flagellari iuſſit , ad idque militibus tradit. *Tunc ergo apprehendit Pilatus IESVM , & flagellauit.* Ioan. 19. v. 1. Hucuſque Pilatus præceperat : at milites ſententiam excedentes , vt eum deriderent , ſpineam coronam impoſuere : *Milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius.* Ibid. v. 2. Non mos erat Iudæis crucifigendos ſpinis coronare : proindeque latronibus huiuſmodi coronæ non fuerunt appoſitæ. Cur ergo præter conſuetudinem , & iudicis ſententiam Chriſto huiuſmodi ſupplicium intulerunt? Audi Tertull. lib. de corona militis c. 9. *Forſitan opponas ipſis Chriſtum coronatum? Ad hoc breuiter interim audies ſic & coronare & licitum eſt : tamen nec illam impietatis contumelioſæ coronam populus adſciuit : Romanorum militum commentum fuit ex vſu rei ſecularis , quem populus Dei nec publicæ (inquam) lætitiæ , nec ingenitæ luxuriæ nomine admiſit.* Scelus illud nec populus decreuit , nec Pilatus præcepit : ſatellitium fuit adinuentio Romani milites vt Iudæos haberent gratos , ad maiorem pecuniarum copiam obtinendam tormentum illud nouum , & inuſitatum inuenire , *Non præceperat* (inquit , verba ſunt Chryſoſt. hom. 33. in Ioan. *Pilatus , ſed Romanorum militum commentum fuit ad gratiam Iudæorum.* O diabolicum inuentum , nouum ſupplicij genus fabricari non ad propriam iniuriam vindicandam. Quis non ſanguinis effundet lacrymas , dum ſpinis innocentes videt coronatos , vt nocentibus reddatur gratia? Ferocius planè eſt odium ex lucro ortum , quam ex vindicta propria : iſtud ſimplicis paſſionis eſt : illud duplicis iniquitatis. Ecce nec furens populus , nec Iudex iniquus tam immane ſcelus moliuntur , ſolum ab abiectiſſimis lictoribus ſine Deo tam monſtruoſum facinus perpetratur.

4. Actor. 12. v. 1. *Miſit Herodes Rex manus , vt affligeret quoſdam de Eccleſia , occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio ; videns autem quia placeret Iudeis , appoſuit , vt apprehenderet & Petrum.* Tres Herodes fuerunt in Ieroſoly-

Digitized by Google

ma : primus Aſcalonita dictus, cuius tempore uarus fuit Chriſtus (Matth. 2.) propter quem occidit Innocentes. Secundus Antipas filius Herodis Aſcalonitæ, & iſte nunquam regnauit in Ieroſolyma, ſed Tetrarcha Galilææ fuit (Lucę 3.) ipſeque decollauit Baptiſtam. Tertius vocatus fuit Herodes Agrippa, de quo ſermo eſt in pręcitatis Actorum verbis, ille enim vt complaceret Iudęis, occidit Iacobum, & incarcerauit Petrum; vnde cecinit neſcio quis.

Aſcalonita necat pueros; Antipa Ioannem:
Agrippa Iacobum, claudens in carcere Petrum.

Omnes de crudelitate certare poſſunt, nec facilè eſt diſcernere, quis eorum immanior fuerit. Mihi certè Agrippa impior videtur; quia Aſcalonita ob regni conſeruationem cruentè contra innocentes ſæuijt; Antipa Baptiſtam occidit, quia illum arguebat, atque vt ſine timore laſciuiæ incumberet, voces ipſius aures tundentes de medio abſtulit: at Agrippa abſque vlla prorſus cauſa, aut motiuo ad ipſum ſpectante Iacobum decollauit, & Petrum occidere decreuit, vt eius morte complaceret Iudæis: quod quidem monſtroſum ſcelus cum nullo alio in malitia venit comparandum. Vnde exclamat Chryſoſt.hom.26. in Acta. *O miram inhumanitatem. Quia in re gratificatur illis? Sine cauſa & ſimpliciter cædes faciens maior poteſtas, difficilius certamen: & hoc magis quia gratificari Iudæis ſtudebat*, Barbara ſęuitia, & ferali crudelior hominem occidere ad complacendum homini, nullique comparabilis; quia non in propria fundatur ira, ſed in deſiderio alienam obtinendi amicitiam. Vnde meritò Nabuchoz in belluam commutatur, cuius imitabatur naturam, quia eos vexabat, à quibus nihil mali acceperat. *Propter hoc expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non parcet*, Hic verſ.17.

IN

IN HABACVC
PROPHETAM.

Perſcriptio Capitis Secundi.

ANXIVS Propheta ſalutis ſui populi, quam à Dei benignitate expectabant, eorum, quæ Deo obiecerat, & ab ipſo quæſierat, reſponſum attentè, expectat. Conquerebatur enim, quod Deus pateretur truculentam gentem Chaldæorum tot victorijs, & ſpolijs, exultantem, tot cædes, & rapinas inferentem. Cui Deus reuelat, cito populi Iudæorum excidium venturum, & à Chaldæis opprimendam eſſe Ieroſolymam: tamen quia Chaldæorum Rex nimis ſuperbè, & immoderatè facili fortuna erat potiturus, non impunè euaſurum, ſed pœnas ſuis ſceleribus debitas luiturum pollicetur, atque de tyrannica poteſtate ſe vindictam ſumpturum promittit. Huiuſmodi autem ſupplicium eleganter, ac mirificè deſcribit Propheta. Vt autem Deum oſtendat iuſtum punitorem, ſpecificè & latè tum Regis, tum populi Chaldaici ſcelera proponit. Cum autem à verſu 3. multa de Chriſti aduentu ſiuè primo, ſiuè ſecundo tradantur, typicè ad ipſum ea omnia deuolui poſſunt, quæ hiſtoricè de Nabucbodonoſore accipiuntur: nec difficulter ea ad Chriſti tempora poſſunt accommodari.

C A P V T II.

1\. VERS. 1. Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem, & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me.
2\. Et reſpondit mihi Dominus, & dixit: Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, vt percurrat qui legerit eum.
3\. Quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentitur. Si moram fecerit, exſpecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.
4\. Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo: iuſtus autem in fide ſua viuet.
5\. Et quomodo vinum potantem decipit: ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur: qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam: & ipſi quaſi mors, &

non

non adimpletur: & congregabit ad ſe omnes gentes, & coaceruabit ad ſe omnes populos.

6. Numquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument, & loquelam ænigmatum eius: & dicetur: Væ ei, qui multiplicat non ſua? Vſquequo & aggrauat contra ſe denſum lutum?

7. Nunquid non repente conſurgent qui mordeant te: & ſuſcitabunt lacerantes te, & eris in rapinam eis?

8. Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis, propter ſanguinem hominis, & iniquitatem terræ ciuitatis, & omnium habitantium in ea.

9. Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali.

10. Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua.

11. Quia lapis de pariete clamabit: & lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.

12. Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate.

13. Numquid hæc non ſunt à Domino exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient.

14. Quia replebitur terra, vt cognoſcant gloriam Domini, & quaſi aquæ operientes mare.

15. Væ qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius.

16. Repletus ignominia pro gloria: bibe tu quoque, & conſopire: circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.

17. Quia iniquitas Libani operiet te, & vaſtitas animalium deterrebit eos de ſanguinibus hominum, & iniquitate terræ, & ciuitatis, & omnium habitantium in ea.

18. Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor eius, vt faceret ſimulachra muta.

19. Væ qui dicit ligno: Expergiſcere: Surge, lapidi tacenti: nunquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt auro, & argento: & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius.

20. Dominus autem in templo ſancto ſuo: ſileat à facie eius omnis terra.

Verſ. 1.

Verſ. 1. Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem, & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me,

ANNOTATIO I.

Expoſitio Litteræ.

1. Senſus horum verborum eſt. Attentè, & vigilanter exſpectabo: non ſegniter, & deſidioſè munus propheticum, mihi commiſſum exſequar. In ea ſpecula, quam ſeruari Deus voluit, & commendatam habeo firmiter ſtabo, atque me ſpeculatorem populi agnoſcens pro eius liberatione, & ſalute vigilare, & orare nunquam intermittam: intentis, & inſomnibus oculis contemplabor ſi qua melior affulgeat ſpes, & animos meorum conciuium timore, ac prænunciatis calamitatibus cæde, & captiuitate depreſſos lætioribus nuntijs ſubleuare conabor. Si quomodo qui vero, ingruentem Chaldęorum direptionem auertere intendam, pręceſque iugiter ſuper hoc effundam. Prophetarum quippè ſtatio, & munus ad ipſos ſpectans hoc eſt, populis, ac gentibus impudentia mala inſtar excubitorum, ac militum, quibus arcium cuſtodia committitur, ſpeculari, & pericula, quæ ab hoſtibus aduentantibus, aut aliundè immlnere præuiderint, populo nuntiare, vt reſipiſcat, & non incautè inuadatur, illumque pro viribus precibus, & orationibus iugiter, & inſtanter tueri, damnaque reuelatione pręuiſa, & denuntiata depellere. Sumitur hæc metaphora, qua vtitur vates, ab ijs, qui arcem cuſtodiunt, & vndique diligenter inſpiciunt, ne clam, & latenter hoſtis in eam ingrediatur, & ex inopinato expugnet. Simachus hanc metaphoram ſecutus legit, *Quaſi cuſtos ſuper ſpeculum ſtabo. Munitionem.* Ideſt, arcem munitam intellige: vbi accipienda eſt cuſtodia pro re cuſtodita, vt omnes accipiunt. Vtraque vox. *Cuſtodia, & munitio*. quæ in noſtro vulgato reperiuntur, militares ſunt: quia militibus certa loca, aut arces ſolent committi ad cuſtodiendum, ſuper quibus ſemper inuigilant: ſed precipuè alludit Propheta ad vigiles, & cuſtodes, qui nocte deputantur ad ſpeculandum in exercitu, ſeu arce, an inimicus clam accedat, vt milites, qui arcem defendunt premoniti de hoſtis aduentu arma ſumant, & accingantur ad bellum. Diuidebantur enim noctis vigiliæ, quæ quatuor erant, & ſingulæ in horas ternas diuiſę, de quibus Lucanus lib. 5.

Iam caſtra ſilebant
Tertia iam vigiles commouerat hora ſecundos.

vt tertia hora qui vigilanetar, accubaret. Huiuſmodi autem vigiles, ſeu ſpeculatores ſigna habebant certa, quibus aut ſe excitabant, aut inimicum adeſſe dicebant. Hęc autem varia fuere pro temporum varietate Romani buccina aliquando vtebantur. Vnde Propertius.

Et iam quarta canit venturam buccina lucem.

Alij alta voce inuicem ſe appellabant, & appellati ſimiliter ſibi reſpondebant, quod hodiè apud Turcas viget. Græci autem tintinabulis, ſeù campanula ad excitandum vtebantur. Et apud noſtros hic vſus non exoleuit, quandoquidem in arcibus pleriſque ad campanulam vigiliæ excitantur. Illi autem cuſtodes mox, vt hoſtem accedentem viderint, aliquo ex prædictis ſignis vtuntur, vt ad pugnam præparentur milites: & plerumque accenſas faces ſupra turres manibus eleuant, vt à longé proſpiciantur.

2. *Et*

2. *Et figam gradum ſuper munitionem.* Ideſt non mouebor abarce mihi commiſſa, ſed abſque vllo motu, aut diuerſione exſpectabo. Septuaginta legunt: *Et aſcendam ſuper petram.* Quo nomine in ſcriptura locus munitiſſimus denotatur. Arces enim, vt munitiores ſint, ſuper petras, & rupes ſolent ædificari, qua ratione aliquę non ſolùm arte, ſed natura inſuperabiles dicuntur. Theodocion vertit: *Figam gradum ſuper gyrum.* Aquila, & quinta Editio: *Super circuitum.* Quòd omne aſſiduitatem, & conſtantiam ſignificat. Quaſi dicat vates: Stabo immotus quaſi circulo aliquo incluſus, & anguſtis terminis vndiquę circumſcriptus. Hę autem verſiones omnes coincidunt cum noſtra vulgata tranſlatione. Perſiſtit autem Propheta in metaphora proſpectoris, ſeù ſpeculatoris, & in ea eum accipiunt, & interpretantur Cyrillus, Theodoret. Theophilactus, quos ſequntur Sanchez, Ribera, & alij quamplures Expoſitores.

3. *Et contemplabor, vt videam quid dicatur mihi.* Quaſi dicat: Locum elegi aptum ad audiendum diuinum reſponſum, illum autem cuſtodiam. Munitionem voco, vbi ab omni terrenæ, aut certè alienæ curæ cogitatione ſolutus, & ſolicitudine abſtractus, intento in illam ſpeculationem animo excipiam, ſi quid Dominus ad meum ſtudium, ac votum reſpondere voluerit. Quid videlicèt ſtatuat Deus, quiduè decernat agendum de Nabuchodonoſore, cuius non videbatur tyrannicus furor impunitatem habiturus, & pœnas luere de barbara populi Judęorum vexatione, ex ſua ſpecula videbat, propè ſciens Deum, etſi ad tempus diſſimulet, tandem flagitia, & inhumanam crudelitatem puniturum, maximè potentum qui contra inermes, & inualidos pauperes ſęuiunt, & inſaniunt. Ubi Vulgatus legit: *Quid dicatur mihi*: Habet Hebræus: *In me:* Sic etiam ſeptuaginta reddidere. Ex qua locutione obſeruat D. Hierom. propheticam viſionem, & eloquium Dei, quo futuros reuelat euentus, non extrinſecus, & extima locutione ad Prophetas fieri, ſed intrinſecus per reuelationem internam, & interiori homini reſpondere: vndè quoties in ſcriptura auditur Deum fuiſſe ad Prophetas locutum, de hac locutione interna accipiendum eſt. Id ipſum adnotarunt Magnus Gregor. lib. 28. moral. cap: 1. Bernard. ſerm. 41. & Baſil. ad illud Iſaiæ cap. 7. *Egredere in occurſum Achaz.*

4. *Et quid reſpondeam ad arguentem me.* Ideſt, ad Deum ſi fortè me reprehenderit, quòd malè, & imprudenter interrogauerim, & non ea reuerentia, quę Deum decet: ità Hieronym. Cyril. Hugo, Dioniſius, & Haimo. Poteſt etiam aliter, & non incongruè illud *ad arguentem me* accipi, quaſi dicat: Exſpectabo quid dicatur mihi, vt reſpondeam ad populum, ad quem diuinum eſt perferendum oraculum, vel ad eos, qui á me rationem harum rerum quęſierunt, quaſi Dei prouidentiam accuſantes, & me Propetham eius pro eo reprehendentes: ſic cum Theodoreto, & Theophila: exponunt Ribera, Sanchez, & Figuereus.

DISCVR.

DISCURSUS I. MORALIS.

Deo diſplicet quis quis, vt ipſi incumbat, à proprio ſe ſubtrahit munere.

1. NOn via qua cupimus, ſed qua Deus vult ad ipſum accedendum eſt. *Quo Dij vocant eundum*: dicebat Alciat. emblem. 7. & ille alter hoſpes per humano receptus hoſpitio apud Didonem regno, & diuitijs, & fœlicis fortunæ quidquid contingere poterat potius, omnia parui pendit, vt Dijs præcipientibus pergere obtemperaret: ſic illa conqueritur, & excuſat apud Naſonem.

Sed iubet ire Deus, vellem, vetuiſſet adire.

Cuicumque ergò muneri à Deo conſtituto intendimus iter eſt, per quod ad ſe ipſum vocat, nec patitur illud deſerere, vt pro libito alia ad eum pergamus ſemita: illa ad Deum ducit, quæ trita eſt, nec aberrari poteſt: electionis noſtræ altera, quæcumque illa ſit, fortè non ad ipſum ducet. Qui à proprio recedit munere, à Deo recedit, & nugaci deſiderio quærit, quod deſerit, nec inuenire facilè eſt; quia à tergò relinquit. Deum pro Deo dimittere non lucrum, ſed iactura ſæpè eſt, & ſtultitia certum pro dubio deſerere. Poſuit te Deus populi Judicem? non vult, vt nec pro illo potiendo huic muneri te ſubtrahas: gratior illi eris cauſas pupillorum, & viduarum agens, quam orationi intendens. Cum domus tibi contingit cura, ipſi expedit incumbas, ne à munere, & à Deo te ſubducas. Dilectæ illi animæ contemplationis ſtudio vacanti, & orationis delitijs intentæ aiebat Sponſus: *Auerte oculos tuos à me: quia ipſi me auolare fecerunt*. Cant. 6. verſ. 4. Et cur Sponſa non aſpiciet Sponſum, nec in eius pulchritudine, & intuitione per contemplationis ſtudium recreabitur? Faſtidit videri, qui amari deſiderat? Ut quid Sponſam diuertere ſatagit à dilectatione, quam in orationis ſeceſſu capiebat? Egregiè Hugo. Card. pro Sponſo loquitur: *Curæ ſcilicet ſubditorum intendens melius me videbis*. Ipſam vineæ cuſtodem, ac ſubditorum Præſulem conſtituerat: ipſam vidit ſe ab hac cura ſubtrahentem, vt optatis Sponſi fruatur delitijs, & ad munus ipſi commiſſum vacare prætendit, curæ ſcilicet vineæ intentam vult videre. Quaſi dicat: Intende ſubditorum, quos tibi tradidi, regimini: officio tibi commiſſo attende, vt gratior mihi ſis, & ſecuriùs me fruaris: nec pro me ipſo potiendo patiar te abſtractam à munere tibi collato. Idem penſitauit Ambroſius lib. de Iſaac, & anima cap. 7. *Vult auertere illam oculos; ne eum conſiderans cæteras animas derelinquat*. Deum deſerere, vbi vult teneri, vt ipſum, vbi volumus, teneamus, nugax, & fruſtatorium lucrum eſt. Fallit plerumque inordinatum Dei ſequelæ deſiderium: & qui eum deſerendo quærit, etſi auidè concupiſcat, non rectò tramite ad eum vadit. Deum pro Deo derelinquere non lucrum, ſed iactura eſt.

2. Acceſſerat ad Deum Moyſes in monte, vt legem populo Judæorum acciperet. Solutus à regiminis cura Diuina præſentia delitioſè fruebatur: cumque populus idololatriæ ſcelere inquinatus Vitulo aureo tanquam Deo ſacraſſet aras, Diuinoſque honores ſacrilego auſu detuliſſet; ira percitus præcepit Deus Moyſi, vt ad populum tantò flagitio fœdatum ſtatim deſcenderet, & de tam iniqua præuaricatione pœnas debitas ſumeret; itaq; his verbis illum alloquitur. *Vadè, deſcende: peccauit populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti, receſſerunt citò de via, quam oſtendiſti eis*. Exod. 32. verſ. 7. & 8. Quid ais Domine? Nihil iucundius ſeruo tuo, quam diuinum colloquium. Cur ergò propter populi idolatriam ipſum à conſpectu tuo arces? Flagitij quod non perpetrauit Moyſes pœnas luet? Puniatur populus qui peccauit: Dux innocens merito potiatur fauore. Parum intereſt ad infligendum ſupplicium, quod adſit Moyſes; ipſe tecum permaneat: à cœlo deſcendat flagellum. Sic quem tam gratum habes, tuo orbas conſpectu? pœnę executio alteri committatur. Non ità (ait Oleaſt.) *Diſcant etiam ex hoc loco, qui docent vnctos, ac contemplatores liberos eſſe ab omnibus alijs, nec tunc præceptis alis adſtringi; cum videant hic Deum ducem à ſuo colloquio reijcere, vt populo ſuo ſubueniat. Nonne etiam apud Lucam legunt, Seruatorem non tàtù ſemel, ſed etiam ter orationem reliquiſſe vt tentationi Diſcipulorum ſuorum ſubueniret*. Videant, & diſcant iudices, qui vt deuotionibus voluntarijs attendant, ſuo muneri detrahunt, & cauſas egenorum deſertas relinquunt. Videant Præſules, & familiarum Patres, qui à ſuorum cura ſe ſubtrahunt, vt Deum quærant, quem derelinquunt.

3. Scribit Paulus 2. ad Theſſal. verſ. 8. & vt cautos in fide, quam receperant, reddat præcauens ait: *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus JESVS interficiet ſpiritu oris ſui*. Clemens Roman. quæſtionem excitat, cur Chriſtus Dominus ita iraſcatur Antichiſtro, vt ipſum proprio ore interficiat. Nam (vt ipſe Clemens ait) multa ſigna faciet hominum ſaluti proficua, atque ex eis non paruum emolumentum lucrabuntur fideles: ipſi enim permittetur de dextris ſignis multa admiſcere, veluti fugare Dœmones, ſanare ægritudines, & alia huiuſcemodi. Cur igitur qui hominibus in multis proderit, tunc cum huiuſmodi ſigna fecerit, occidetur? Egregiè, ac venuſtè ipſe Clemens Rom. *Propter hoc* (inquit) *iamque, quia exceſſerit terminos ſuos, deſtrue-*

ſtruetur. Habet Dœmon ex munere, & officio ſuo homines damnare, illos perdere proſequi, & nihil boni, aut vtilitatis ipſis conferre: tunc ti erit impertita facultas, vt in hominum beneficium aliqua ſigna faciat ipſorum ſaluti proficua; & ità Deo diſplicebit ipſum à ſuo munere excedere, vt proprio ore interficiat, & plus exoſum habeat, cum proprio ſuo muneri non incumbit, & à proprio officio ſe ſubducit. Vel cum bonum operatur Dœmon plus offendit, quia muneri ſuo ſe ſubtrabit, atque functioni ſibi commiſſæ non incumbit. Quid exaggeratius? Opera ex ſuo genere bona, ſi ea impediunt, quibus adſtringimur, non ad gratiam, ſed ad pœnam imputantur. Non patitur Deus Dœmonem bona operari, quia ipſi non competit, niſi mala agere; proindèque ipſum, quem ſuſtinet iniquè operantem, proficientem non patitur. *Propter hoc iamque, quia exceſſerit terminos ſuos, deſtruetur*. Unuſquiſque de ijs, quæ ad ipſum accedunt, agat, ne bona malè miniſter, & inofficioſus diſpliceat, cum officioſius vult blandiri.

4. Myſterioſa illa quatuor animalia Ezechieli 1. v. 10. cœlitus attonito, & eleuato, currum Dei portantia apparuerunt, quorum effigies ſic deſcribit. *Similitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum quatuor, facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor*. Iterum cap. 10. verſ. 14. eadem viſio apparet, idem currus, eadem animalia, ea tamen differentia, quòd animal in prima viſione cum facie Bouis apparens Cherubini faciem modò ferebat. *Facies una facies Cherub, & facies ſecunda facies hominis, & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilæ*. Hoc autem ipſum animal quod modo faciem habet Cherub, illud idem eſt, quod in prima viſione faciem habebat bouis, cætera in proprijs ſpeciebus perſeuerant. Quod valdè mirabile eſt, nam bos nullam affinitatem, ſimilitudinemuè habet cum Cherub, imò toto cœlo diſtat: quia Cherub ſcientiæ, & intellectus plenitudo eſt: bos autem brutum, & ſtolidiſſimum animal. Cur ergò in extremis ſic diſſitis fit commutatio? Cur homo leo, & aquila, quę magis accedunt ad Cherub propter generoſam indolem, & innatam nobilitatem, non tranſeunt ad eius naturam, ſed inconuerſa manent? Undè boui tam pulchra facies, & venuſta tranſmutatio? Ingenioſè Sanchez ad hunc locum. *Cherub igitur vitulum ſignificabat quaſi iugo curuli ſuppoſitum, hinc fortaſsè vocati ſunt Cherubin: quia hoc illorum munus*. Acſi dicat: Soli vitulo currum portare incumbebat, ad hoc munus naſcitur bos: cæteris animalibus, homini videlicèt, leoni, & aquilæ iugum portare violentum erat, extra ſuum officium currum portabant: idcircò bos apparet Cherubin, cætera id ipſum ſolum quod erant, quia ſolùm ille pulchrè apparet, qui ſuo muneri incumbit. Quamuis cætera animalia currum vehentia obſequioſa laborarent, dum officio incumbunt non ſuo, nihil decoris, aut pulchritudinis acquirunt, etſi excellentioris naturæ ſint: at bos proprias exercens functiones, etſi ſtolidiſſimum ſit animal, cæteris venuſtior apparet.

5. Petrum, & Andream in mare Galileæ mittentes retia ſua vocauit Dominus, qui *ſtatim relictis retibus ſecuti ſunt eum*. Matth. 14. At quamuis pro tunc retia relinquerent, nihilominus adpiſcatorium officium poſtea rediere, & quam pluries vacauerunt ipſi. Cur non penitus piſcationem deſerunt, vt cœleſti doctrinæ toto animo vacent, & à Magiſtri conſortio non ſeparentur? Aptè Caiet. *Cum incumberet illis cura domus, nec haberent, vndè ſuis prouiderent de victu, niſi de piſcatione, in eius ſignum etiam poſt reſurrectionem Domini Petrus vacabat piſcationi*. Huiuſmodi officium non ingratum quin potius gratiſſimum erat Magiſtro, ipſeque aliquando Petro in piſcatorio munere laboranti accurrit. Cura domus Petro, & Andreæ erat iniuncta, & vt victui neceſſaria præberent, in ſuo officio laborare opus erat: & idcircò ei incumbunt, ne propriæ domus prouidentiam, & ſolicitudinem negligant, Nam ſi contemplationi, & Magiſtri doctrinæ ſemper eſſent dediti, propriæ domus obliti non Chriſto placerent, nec ad meritum imputaretur. In piſcatorio exercitio, quod ipſis contigerat, plus Chriſto arridet. Huiuſmodi autem obligationis conſcius Propheta in munere ſibi iniuncto inſiſtere immobiliter pollicetur. *Et figam gradum ſuper munitionem*. Hic verſ. 1.

DISCURSUS II. MORALIS.

Egerrimmè fert Deus, vt ſegniter, & quaſi ex occaſione noſtræ ſaluti intendamus.

1. NOn deſidioſè, ſed vigilanter, & ex intentione ſuo muneri intendebat vates noſter, vt Dei reſponſum mereretur accipere, & acceptum adimplere; atque vt nobis eſſet documentum, non ſegniter, & ex occaſione, ſed vigilanti intentione ſalutem quæſituros. Enim verò dubitare licet, quid plus ſit cauendum: an modus, quo Deum quærimus, aut is, quo eum offendimus: quoniam effrænatio, ac peruicacia, qua Deum offendimus, peccatores nos, & fragiles demonſtrat ſegnities verò, qua illum quærimus, & pigritia, qua ad remedia pergimus quam parum illum æſtimamus, ſubindicat, & quam parui pen-

pendimus, benè, vel malè cum ipſo eſſe. Volebat Moyſes audacter accedere ad rubum, quem Deus in thronum ſibi delegerat, ipſique ſiſtere gradum præcipit, & calceamenta ante à denudare. *Solue calceamenta de pedibus tuis. terra enim in qua ſtas, Terra Sancta eſt*. Exod. 3. verſ. 5. Sed cur monet, ne vltra progrediatur, & calceamenta iubet deponere? Maximè cum ea induere perfectionis eſſet inſigne, vt conſtat Exod. 12. vbi ad eſum agni paſchalis accedentes calceamenta in pedibus habebant; quibus admonebantur ſtatim indè abeundum, & in alienam regionem proficiſcendum, quod perfectionis progreſſum exprimebat. Sed credo huiuſmodi cæremonia Moyſi pręcepta, Deum alluſiſſe ad morem in Palęſtina ſolennem, vbi quiſquis domum ſuam ingrediebatur, ac in ea diutius permanere decernebat, ſoluebat calceamenta, & nudis pedibus ſe prębebat permanſurum. Hoc ergò ritu, cum Moyſes ad Deum alloquendum accedit, ipſi iniungit calceorum ſolutionem, quia nolebat ſecum curſim, & ex occaſione Moyſem agere, ſed feriò, maturè, & quaſi in propria domo conſiſtere. Sic Lypom. in Caten. *Dominus iubet Moyſem calceamenta deponere, vt hac cæremonia admoneat ipſum, ne vltra pergat, ſed ſiſtat gradum, & attendat quid ipſi mandetur*.

2. Ut auidius virtutis deſiderium in ſuorum pectoribus Chriſtus inſigeret, ſic accipiendum conſulebat. *Beati, qui eſuriunt iuſtitiam*. Per famem, & ſitim ardens deſiderium omnes accipiunt: ſed non aptè credo noſtrę ſalutis cupiditatem fami, & ſiti compatari: nam ſitis, & fames non poſſeſſa anhelant, non ac quiſita ſuſpirant, vt appetitum expleant: poſſeſſum autem non concupiſcitur. Si ergò ſitiri, ac deſiderari virtus iniungitur, nunquam illam poſſidere licebit: quia quod poſſidetur, non deſideratur: quod habetur, non concupiſcitur. Qui virtutem eximiam acquiſiuit, adhuc eam deſiderabit? Nugax deſiderium cum rei poſſeſſę negotioſum ſit. Aut ergò nunquam virtutem poſſidere licebit; aut pręceptum hoc non adimplebunt perfecti. Ut quid igitur Apoſtolis egregia iam virtutè condecoratis id, quòd habent, concupiſcere pręcipitur? Dixerim: quia ſic auidè virtutis ſemitis adhęrendum eſt, vt habita quaſi non poſſeſſa deſideretur, acquiſita ambiatur, veluti eſuriens, qui etſi ingurgitatus ſit, adhuc ſitit. Qui fame, aut ſiti laborant nihil aliud cogitat, & concupiſcit, niſi aquę fluenta, aut pingues eſcas: qui virtutem profitetur, nihil pręter ipſam deſiderare debet. Qui magna æſtuat ſiti, & languet famè, non ſegniter, & ex occaſionè, ſed ſtudioſsè, ac diligenter cibum, & potum appetit, & auidiſſimè quęrit. Qui proprię ſaluti incumbit, eius debet deſiderio flagrare, & vehementer atque diligētiſſimè eam exquirere.

3. Primo Reg. 15. v. 35. Pepercit Saul cōtra Dei præceptum Regi Agag; acceſſit Samuel, & in tranſgreſſionis ſupplicium regni depoſitionem prænunriauit: atque ex tunc. ait text. ſacer Samuelem deinceps Saulem non vidiſſe. *Et non vidit Samuel vltra Saul vſque diem mortis ſuæ*. Magna hinc oritur difficultas: quia conſtat ex cap. 19. quòd poſtea *Saul Prophetauit coram Samuele*. Quo ergò pacto Samuelem deinceps Saulem non vidiſſe perhibetur ſi coram eò fuit vaticinatus? Placet Caiet. ſolutio, qui ex Hebræo vertit: *Et non addidit Samuel ad videndum Saulem vſque in diem, quo mortuus eſt*. Poſtcaque ſubiungit. *Annotabis prudens lector non ſcribi: Et non vidit: ſed ſcribi: Et non addidit ad videndum. Quoniam hinc ſoluitur quæſtio, quæ monetur ex geſtis ſcriptis inferius cap. 19. videlicèt quòd Saul prophetauit coram Samuele: aliud eſt enim addere ad videndum, & aliud eſt videre: vidit ſiquidem poſt hac hic ſcripta Samuel Saulem ante diem mortis ſuæ; ſed non addidit ad videndum Saulem; quia nunquam iuit ad videndum eum, quaſi caſu videre idem ſit, ac non videre*. Ex occaſione quærere non quærere eſt: qui non diligenter, & ſtudio, ſed caſu, & accidentaliter Deum quærit, nec addit conatum, & diligentiam, vt ad ipſum ex intentione accedat, non ipſi placet, ſed offendit.

4. Deus hominem creaturus ad concilium vocat, & conſultiſſimè ſuper illius fabrica cogitat. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Gen. 1. verſ. 16. Ad quid huiuſmodi conſultatio, & conferentia, quæ in conditione aliorum non pręceſſit, ſed vnico verbo in lucem exire? Licèt enim hominis dignitas magna ſit, & ingenioſior præ cæteris creaturis eius fabrica, eo quòd luto ſibi cognaro, ex quo materiatus fuit, Dei ſpiratio iungitur tamen vt hominem ſic perfectum, & ſua imaginè condecoratum Deus formaret, non opus erat ſpatioſè operari, ſed tantùm velle. Ut quid igitur meditatio pręcedit ad hominis conſtructionem? Egregiè Rupert. *Quia non repentè, ſed operosè agendum erat, vt homo conſummatus fieret ad Creatoris ſui imaginem, & ſimilitudidem*. Ut ex ſua formatione naturali diſceret homo ſe ſpiritualiter reformare, non repentè fit, ſed maturo conſilio, præuia meditatione; ac proindè non curſim, & ex accidenti huiuſmodi operi intendit Deus, ſed operosè, & permanenter, vt fabricatum hominem inſtruat, cunctanter, data opera, & ſpatioſo ſtudio ad culmen perfectionis deuenire, & ſalutem non ſegniter, & tranſcunter curare. Quòd & Chriſtus Dominus innuebat, dum Diſcipulis ſuis inter alia documenta hoc intimauit. *Neminem per viam ſalutaueritis*. Lucæ 10. verſ. 4. Mirum ſanè eſt, quod qui inimicos diligere, ac illis beneſacere, tam ſtrictè præceperat, nunc prohibeat homines ſalutari, quæ res honeſta eſt, & ex ſuo genere virtuoſa. Cur ſalutare prohibet, qui ſalu-

S 2

ſalutem omnibus præſtabat? Rectè Gregor. hom. 27. in Euang. *Omnis qui ſalutat in via, ex occaſione ſalutat itineris, non ex ſtudio optandæ eiuſdem ſalutis*. Quaſi dicat: Non Deo placet deſiderium ſalutis occaſionaliter ortum, noſtra, & aliena ſalus vult, quod ex intentione deſideretur; idcircò prohibet in via ſalutare, quia inibi ex occaſione, & accidentaliter optatur ſalus,

DISCURSUS III. MORALIS.

Vnuſquiſque de ſuo agat munere.

1. IN munere ſibi iniuncto firmiter ſtare pollicetur vates, vt Dei reſponſum accipiat, & præcepta adimpleat? *Figam gradum ſuper munitionem*: & vt nos doceat in officio nobis commiſſo pedem figere, nec ad aliorum munera ambitiosè tranſilire, & incongruè illa exercere. Apprimè res in manibus, quibus contingunt, apparent, & exequuntur. Ad paradiſi cuſtodiam Cherubinus deligitur, qui plenus ſcientia perhibetur: nam cum igneum gladium haberet, ſcientia plenum eſſe oportebat, vt illum mouere ſciret: non enim ſufficeret valida manus enſem (vt par erat) vibrare, ſi imperita eſſet. Sicut enim Lyra, cæteraque muſicæ inſtrumenta in eorum manibus, qui ea norunt ſcientificè, & artificiosè pulſare, optimè apparent, & iniucunda in manibus non eruditis: ſic munera, & officia, cum ijs conferuntur, qui ſcientia pollent, ac prudentia ad ea rectè adminiſtranda, argutè concinnantur: at cum indoctis tribuuntur, omnia peruertuntur artis præcepta, & intuentium oculi, & aures offenduntur. *Sicut tibia* (docebat Philo. lib. de ſactif. Abel.) *lyraque, & cætera inſtrumenta muſica ſolius ſunt muſici; ſic munera &c. tractent fabrilia fabri*:

Nauita deuentis, de tauris narret arator:
Enumeret miles vulnera, paſtor oues.

Hinc præcepta in bellis obſeruanda ſic Moyſes intimauit Iſraelitis Num 31. verſ. 19. *Qui occiderit hominem, vel occiſum tetigerit, luſtrabitur die tertio, & ſeptimo*. Et parùò interſtitio ſubiungit text. *Eleazar quoque Sacerdos ad viros exercitus, qui pugnauerant, ſic locutus eſt: hoc eſt præceptum legis, quod mandauit Dominus Moyſi, aurum, argentum, &c. igne purgabitur*. Ibid. verſ. 21. & 22. Mirum eſt, quòd non Moyſes militibus præceptum purificationis intimauerit, ſed Eleazar, quadòquidem Moyſes ſolum ſummam belli gubernabat, ad ipſumque bellatoribus imperare attinebat. Audi Oleaſt. ad prædicta verba. *Relinquendum* (inquit) *vnicuique eſſe munus ſibi demandatum. Non admonuit Moyſes* (*licèt Doctor legis eſſet*) *bellatores de lege purificationis: ſed ſuum munus ſummo Sacerdoti reliquit*. Cum purificationis præceptum Eccleſiaſticum eſſet non ad ſæcularem Principem (qualis erat Moyſes) ſed ad Sacerdotem ſummum pertinebat intimare, & curare illius obſeruantiam. Ne igitur Moyſes confines tranſiliret ſuæ poteſtatis, Eleazaro Sacerdoti ſummo præceptum reliquit euulgandum: ſciebat enim prudens gubernator, quam ſit periculoſum, quam fugiendum Principi ſæculari, iuriſdictionem Eccleſiaſticam ingredi, ac ſe rebus Eccleſiaſticis immiſcere, & non purum dominium ſæculare cuſtodire. Quod Ambroſ. Theodoſio Imperatori inſtanter conſulebat: *Serua te in diem iudicij Regem purum; nec te miſceas Eccleſiaſticis*. Et huiuſmodi exceſſum in Pilato mulctauit Tiberius, illumque à munere depoſuit, eo quòd cum iudex eſſet ſæcularis, & nulla auctoritate Eccleſiaſtica polleret, Chriſti Domini cauſæ, quæ merè Eccleſiaſtica, erat, ante ſententiam ſe immiſcuit. Et quotieſcunque ita acciderit, perniciosè ſe habebunt res in Republica. Vnuſquiſque ſuo muneri, & officio incumbat, nec alterius incumbat, nec alterius inuadat iuriſdictionem, vt optimè concinnentur res, & quælibet alteri concorditer correſpondeat. Sic enim Joanni cœlitus admonito in ſua Apocalypſi 14. v. 2. Reſpublica illa ſuperna apparuit: vnuſquiſque enim ciuium propriam pulſabat citharam, necnon ſuam aliquis tangebat: *Et vocem quam audiui ſicut citharizantium in citharis ſuis*.

2. Ut terram promiſſam inuiſerent, exploratores miſit Moyſes, quos elegit ex omnibus tribubus, vna prætermiſſa, nempè Leui, vt conſtat ex Deuteronom. cap. 15. Rem aduertit, Abulenſ. quæſt. 22. ad prædictum caput, & miratur valdè, quod nobiliſſima tribus, qualis erat Leui, illo honore careat cæteris conceſſo: quia potiori iure ad ipſam pertinebat ad huiuſmodi functionem muneri, cum cæteras nobilitate, ac dignitate antecelleret. Accedit quòd Sacerdotali tribui populum ducere ad cœleſtem patriam, cuius promiſſa terra gerebat typum, conueniebat. Tamen ipſe Abulenſ. ſibi ſatisfacit his verbis: *Quia terræ exploratio ad Leuitas, electos vtique homines non ſpectabat: ſed magis, quæ ad Dei cultum attinebant*. Quaſi dicat: Licèt Leuitæ maiori in prætio haberentur, tamen ad explorandam terram non mittuntur: quia alteri muneri, nempè Dei cultui, erant dediti; ad ipſos enim cæremonialia præcepta attinebant, ſicut ad laicos militaria. Ne igitur confunderentur munera, & vnuſquiſque ſibi iniunctum exerceret, promiſſæ terræ exploratio, ad quem pertinebat, committitur, & ab illa arcetur Leuitica tribus; ne à proprio munere vacaret, & alieno ſe immiſceret. Huc enim reſpicit, quòd cum Deus vaſa templi diſtribueret, quamuis cortinas, & id generis alia ſupellectilia cuſtodienda traderet Leuitis, tamen eis prohibet, vaſa

vaſa, & altare tangete. *Ad vaſa Sanctitatis, & altare non aeecedent*. Num. 18. v. 3. Cur Leuitę ea non tangent, quæ cuſtodire iubentur? Rectè Oleaſter. *Non debent eſſe in tabernaculo Domini confuſa miniſtrantium miniſteria: ſed quiſque miniſtrorum ita exequi debet munus ſuum, vt miniſterium alterius non attingat*. Ad pulchritudinem enim, decentiam, & ſubſiſtentiam Reipublicæ ſpectat munerum inconfuſa adm niſtratio: ne extra propriam ſpheram, & genium vnuſquiſque aberret. Qui belli artem nouit, res agat belli: qui legum incumbit ſtudio, cauſas decidat: non toga Martem induat, nec Mars togam.

3. In prima rerum conditione creauit Deus lucem, vt cœlos eleganter ornaret, & à confuſaneis vindicaret tenebris, quibus incompti apparebant, ſicut & ſqualeus terra adhuc ſine lucis nitore: imperiumque lucis diei, & noctis in duo luminaria diuiſit, quæ magna primo appellantur. *Fecitque Deus duo luminaria: luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti*. Geneſ. 1. v. 16. Verùm vix de ſua magnitudine, & excellentia vtrumque gloriatur ſidus, cum vno in ſua magnitudine permanente, alterum ab ea cadit. *Luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti*. Sol præclarum ſpleudorum cœleſtium conceptaculum, & diei præſes ſemper magnus perhibetur: Luna verò, quæ noctis præſidentię deputatur, ſtatim à magnitudine cadit, & ſe ipſa minor apparet. Quę huius decrementi cauſa? Fortè Luna decreſcit, quia fulgores à Sole feneratur, nec lucet ex proprijs? Sic alibi penſitaueram. Magni nomen, quod Sol ſemper retinet, Luna ſtatim amittit, cum potiori iure illud ſibi vendicare deberet? Nam nimis officioſa terras luſtrare ſatagit, nou ſolum dum Sol ſe abſentat, & Antipodas inuiſit, noctemque (luce orbato orbe) cauſat, ſed etiam in die. Sol ſui muneris ſtrictiſſimus obſeruator nihil lucis gratiosè donat nunquam in noctè luceſcit: At Luna obſequioſa nimis non modo nocti deſeruit, ſed in Solis præſentia multoties apparet in die, & ambitioſo famulandi deſiderio, noctis illuminatione expleta, Solem in die adiuuare prętendit, atque illius muneri ſe ſe vltrò ingerit, quę prerogatiua videtur, & Lunę obſequium maximè commendat. Verùm hæc, quæ laus in luna cenſetur, eam plurimum deuenuſtat, & à magnitudine, & excellentia deturbat, atque Solis ſplendidum imperium obſirmat: nam Sol nunquam niſi in ſuo territorio, & iuriſdictione illuminat, ſemper in die lucet, & ſplendet, in noctè nunquam apparet: eſt Luna ſuæ noctis principatu non contenta, imperandi, ac lucendi ambitioſa pluries ſe ſe infert diei, & non ſuum ingreditur territorium: in Solis regno, & ditione oſtenditur, ibique præſidere tentat, atque ſibi arrogat non ſuum principatum, alienum exambiens dominium: idcircò luminare minus dicitur, quia maius ambit videri, & propterea quòd minus non ſuum exercere conatur, languida in die, & cadaureſcente luce apparet. Nomen & lucem amittit Luna, dum ſolis iuriſdictionem inuadit, & munus alienum ſatagit exercere.

4. Judęorum duritiam increpans dicebat Joannes: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare*. Matth. 3. verſ. 11. Dignus eſt Joannes Dei nuntiatura, ac præcurſoris officio, & indignus eius calceamenta portandi? Ut quid qui nomen portat Saluatoris, & agnum Dei compellat, ipſius calceamenta deferre indignum ſe iudicat? Rectè Hugo. Carenſ. ad hunc locum. *Cuius non ſum dignus calceamenta portare; id eſt Euangelij ſacra verba circumferre; ſe autem indignum dicit, quia non eſt ad hoc deputatus*. Nemo ad munus non ſibi deſtinatum, etſi aliàs virtutes præclaras, & merita habeat egregia, dignus eſt; nec in illo decenter ſe exercet. Joannes tot meritis pręclarus, & ad altiora munera euectus incapacem ſe reputat calceamenta Chriſti portandi; quia huic muneri non erat addictus: *Se autem indignum dicit, quia non eſt ad hoc deputatus*.

5. Petente Moyſe collegas, vt in regimine ipſum adiuuarent, quia populi inſolentiam, & effrenem peruicaciam ſuſtinere non valebat, ſeptuaginta viri in conſortium ipſi deſignantur egregijs virtutibus condecorati, & prophetię ſpiritu pollentes. *Deſcenditque Dominus per nubem, & locutus eſt ad eum, auferens de ſpiritu, qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris. Cumque requieuiſſet in eis ſpiritus, prophetarunt*. Num. 11. verſ. 25. Quærit Theodoretus (quęſt. 20. in Num.) cur ſeptuaginta viri ſtatim, ac præfecti ſunt, prophetarunt, non autem poſtea: quia nunquam habetur, quòd deinceps vaticinarentur. Et cur aut prophetię dono ſpoliantur, aut eo non vtuntur? Quid tam congruum regimini intendenti, quam futura pręſcire, vt eis prouideat, ac populi flagitia, & ſucceſſus cognoſcere ſine miniſtrorum interuentu, qui fęde veritatem adulterant, demutant, & contorquent? Cur igitur ſtatim, ac pręficiuntur ſeptuaginta viri, prophetare deſinunt? Optimè Theodoretus rationem reddit. *Non vaticinandi, ſed gubernandi cauſa præponebantur*. Quaſi impoſſibilè eſt vtrumque munus gubernandi, & prophetandi congruè ſimul exercere. Videant hoc, qui tot munera difficillima vni committunt homini non Dei ſpiritu prędito. Prophetię non vacant gubernationi populi deſtinati Judices; quia non ſui muneris erat vaticinari: officio tantum potiuntur ſibi commiſſo, nec ambiunt plura exercere, ne omnibus deficiant, ac nulli, vt par eſt, ſatis faciant.

DIS-

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Perplexitas grauis animi cruciatus.

1. NUllum grauius animæ poteſt accidere tormentum, quam inter bonum, & malum fluctuare, & ignorare quid eligat. Hinc per internas inſpirationes vocatur ad pœnitentiam, hinc peccatorum illecebris, ac conſuetudine, & voluptate trahitur, ad peccatum; & quia Deo vocanti reſpondere vellet, & vitiorum voluptatibus non priuari (cum vtroque potiri non poſſit) maximo cruciatur dolore, & ambigua atque attonita hæret: quod ſanè grauiſſimum tormentum eſt, & ſtatus ſummo periculo plenus. Contraria deſideria ſe inuicem oppugnant, & veluti natandi imperitus in alto mari oborta tempeſtate hincindè iacitur, & inter vndarum vndique à ventorum varietate prouenientium contrarios impetus, quid eligat, ignorat, quo ſe vertat, neſcit, & iam iam mortem minantem videt, ſic anima fluctuans deſiderijs hincindè impellentibus perturbatur ambigua, cruciatur perplexa, & præ vndarum multitudine ſe inuicem generantium demergitur. Iacto in paludem lapide, primæ, & vicinæ partes aquæ inquietari incipiunt, deindè parum diſſitæ, poſtea diſtantes, & alijs ab alteris orientibus vndis, de littore ad littus, totum confunditur pelagus. Non aliter anima ignara conſilij, perplexitatis lapide in ipſam iacto, tota fluctuat, & orientibus vndique vndis confunditur, atque erga plurima deſideria turbatur. Quod pulchrè depinxit Richardus Victor. part. 1. tract. 1. cap. 19. his verbis. *O verè fælix, multumque beatus, cui datum eſt cordis perturbationis, & triſtitiæ tempeſtates compeſcere, & magnas, & mirabiles elationes maris ad tranquillitatem componere. Vnum ſcio, nec dubitare audeo: quia quamdiù amor ad multa ſpargitur, & ad ima deriuatur, nunquam ad plenam pacem perducitur, nunquam ad veræ ſecuritatis tranquillitatem ſerenatur. O anima infælix, & miſera vſque quo ſolicita es, & turbaris, erga plurima? Porro cum vnum ſit neceſſarium, tandem aliquando fige deſiderium, dilige vnum!* Cogitationum aquę in locum vnum congregandæ ſunt, nec ſpargenda deſideria, ne pluribus diſtractus animus tempeſtates: quæ indè ſuboriuntur, & cordis cogitationes compeſcere non valeat, atque diro torqueatur equuleo.

2. Renuit Deus ad ingreſſum promiſſæ terræ populum comitari, eo quòd duræ ceruicis eſſet, atque illum diſperdendum fore prędſagiebat, ſi comitem ſe præberet. Cum autem hęc materia gratitudinis eſſet, ſiquidem euerſionis populi occaſionem amputabat, ægrè tulit populus huiuſmodi abſentiam. *Quod audiens populus ſermonem hunc peſſimum luxit, & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo.* Exod. 33. v. 4. Judæorum luctus, ſeu publica pœnitentia talis erat, vt non tantum à cibo, ſed à reliquis corporis delitijs abſtinerent: luctui, & fletibus dediti, vt animi aflictionem teſtarentur, ſcindebant veſtes, induebantur ſaccis, puluere capita conſpergebant, & gradiebantur incurui. Quòd omne hic accidit propter Dei receſſum. Cum tamen ſi attentè inſpiciatur euentus, hęc non cauſa luctus, ſed letitię exiſtimanda eſſet: quoniam ſi Deum comitem haberent, populum penitus diſperderet, eo quòd grauiùs, & abſque vlla excuſatione illum offenderet in conſpectu ſuo; ideòque miſericordia fuit maxima, oculos à populo delinquente auertere. Sic ſentit Caiet. *Vide clementiam Dei: ideò negat ſe iturum inter eos, ne eis noceat: negatio ergò iſta, quamuis iuſta, ad beneuolentiam tamen erga populum ſpectat.* Si ergò populus Deum habet propitium, & beneuolum, dum ſocietatem denegat, & ſuę incolumitati intereat Deum alia via pergere; de quo luget, cum potius tripudiare, & choreas ducere deberet? Tunc opportuna, aderat lętitię occaſio, cum vltricem manum relegatam videbat, & iam iam terram fluentem lac, & mel, ac omnibus bonis refertam erat ingreſſurus. Verùm ſufficienti acerbi doloris cauſa luxit populus, cum à Deo ſegregatur, quia nihil deterius ipſi potuit accidere, quam ad eum deuenerit ſtatum, in quo ſine Deo nullum affulgebat remedium, & cum Deo grauè imminebat periculum. Hoc immanius animę tormentum eſt, neutram pendere, atque ad vtrumque latus pręcipitium formidare. Si te Deus deſerit (ò anima infœlix) miſerè peribis: *Qui elongant ſe à te peribunt.* Pſalm. 72. ſi in comitatu ſuo perſeueras, te ob peccata interficere non eſt dubium: *Ne fortè diſperdam te in via.* Exod. 3. verſ. 3. atque ità perplexitate torqueris, vt nec cum Deo ſecurus incedas, nec ſine Deo viuere valeas: quo nullum grauiùs diſpendium, nulla grauior perturbatio, atque animi aflictio.

3. Accidit (2. Reg. 18. verſ. 19.) vt occurreret Abſalon ſeruis Dauid ſedens in mulo: cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum: *Adhæſit* (inquit text.) *caput quercui, & illo ſuſpenſo inter cælum, & terram, mulus cui inſederat, pertranſijt.* Pendulus è quercu impius Princeps iuſtè lancinatur, & ſpiculis tribus transfigitur cor, capilli eum alligarunt ad lignum, brutum animal tradidit ſupplicio, & profune quidem aurea coma, pro patibulo arbor extitit, vt condignas tanti ſceleris pœnas lueret. Mirum valdè eſt quod fugiente mulo penderet Abſalon: nam facilè ipſum retinere poterat, vt capillos ſolueret; ſicut etiam poſtquam manſit ſuſpenſus, comam non difficulter poterat amputare, vel manibus innitens (ſi fortè non habebat gladium)

dium) extricare, vel abrumpere. Cur ergò in tam extremo periculo ſibi defecit, & quaſi libenter manſit ſuſpenſus? Rabbi Salomon eam rationem reddit: *Quod Abſalon pendens voluit ſibi amputare capillos: vt cadens fugeret, ſed vidit ſub ſe apertam gehennam, & ne caderet in abyſſum voluit potius pendere in arbore.* Huic cogitationi non acquieſcit Abulenſ. quæſt. 12. ad cap. 18. Reg. 2. ſed ità accidiſſe tenet? *Eo quòd Deus habeat exoſum Abſalonem, & volebat eum tradere in manus hoſtium: vndè tanto eum timore concuſſit, quod mulum tenere nequiuit, & cum fuit ſub arbore habenas reliquit, & mulus ex impetu fugit: ipſe autem Abſalon iam moriturus non attendebat, quid ad liberationem ſuam facere poſſet, ſed ſententiam Domini pauefactus expectabat: quia voluntas Dei fuit, vt inducerentur ſuper eum mala, & moreretur manibus ſeruorum Dauid.* Perplexitate animæ punitur Abſalon, ambiguus hęret quercui, neutер pendet, & quo ſe vertat neſcit. Pendulus, ne capillitium amputaret, obijt, effręnem mulum relinquit, comam ſoluere non curat, & miſerè inter tot pericula, & ambiguitates fluctuat, Simili ſupplicio multoties homo mulctatur, cum ſua deſideria amputare neſcit, & perplexitate cruciatus in manibus hoſtium animam agit. Nec enim pauci ſunt, qui in præteritorum ſcelerum pœnam, vel in morte ipſa, ita hærent ſuſpenſi ſuis deſiderijs, & voluptatibus, vt etſi formident in abyſſum incidere, tamen ità alligantur peccatorum conſuetudine, vt nec in extrema, & fatali hora, ingruente calamitate, ſua deſideria amputare valeant, ſed infauſta, atque infelici perplexitate antequam ad inferos deſcendant cruciandi gehennali pœna torqueantur, eo quòd animum omnimodè Deo dicandum in contraria diſpergant deſideria.

4. Populus à dira captiuitate exiturus, cum Pharao portare prohibuiſſet greges, quos in poſſeſſionem habebat, inſtabat ore Moyſis, vt prædictos greges ſecum ferre liceret, eo quòd ſacrificijs neceſſarij eſſent, ipſeque Moyſes acerrimè pugnauit pro ouium conductione. *Cuncti greges* (dicebat audacter Pharaoni) *pergent nobiſcum, non remanebit ex eis vngula, quæ neceſſaria ſunt in cultum Domini Dei noſtri.* Exod. 10. verſ. 26. Mira Moyſis cupiditas, & indignum valdè, quòd cum Rege ſuper vngula contenderet. Fergant armenta, oues deferat: at quid detrimenti, ſi alicuius animalis vngula maneat in Egypto? Si filios, vxores, gregeſque concedit Pharao: cur munitiſſima animalis vngula, quæ nullum emolumentum poteſt afferre, curat, vt Dei ſacrificijs inſeruiat? Fortè vngulas ad oblationem perducere ſatagit, quia gratum erit Deo vnguium ſacrificium, in quibus rapacitas potentum, & præcipuè Miniſtrorum denotatur? Fortè ita. Tamen Theodoret. rem aliorſum cogitauit, & nec vngulam in Ægypto Moyſen manere ſtatuiſſe ſuſpicatur, quia in Dei obſequio, & ſacrificio, quo greges illi deſtinabantur, animus noſter minimè diuidendus eſt: itaut partim Deo, partim mundo offeramus. Nec vngula Dæmoni relinquenda eſt, non perplexitatibus nutandum, & deſiderijs ambigendum, atque iam mundo, iam Deo obſequia offerenda. Non debet ſcindi holocauſtum, nec duobus Dominis famulari expedit: ne hæc perplexitas, & inconſtantia, quæ ducit ad inferos, pluſquam infernus cruciet. Sic Theodor. quæſt. 1. alludens ad ſacrificium Abrahæ, de quo dicitur, aues minimè diuiſiſſe, & ad præceptum Leuitic. de non ſecandis, aut diuidendis in ſacrificio auibus. *Quemadmodum Patriarcha volatilia non diuiſit, ità nec Legis lator ea iubet diuidi: nam qui volant, Deum ex toto corde diligentes, non partiuntur animum, collocantes illum tum in terrenis, tum in cæleſtibus, ſed totum illum ſurſum ferunt.* Anima irreſoluta, & cui hincindè adoriuntur deſideria, iamque ad cœlum ſurgit, iam declinat ad terram, vtroque pede claudicat, & duplici tortore cruciatur. Huiuſmodi autem tormentum pręcauens Vates noſter aſſiduitatem, & permanentiam ſine ambiguitate, aut nutatione in Dei voluntate pollicebatur, & bono auſpicio non dimoueri pręſagiebat. *Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem.* Hic verſ. 1.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Conſtantia compendium virtutumque corona.

1. Aſſiduitatem, & conſtantiam, vt Dei reſponſum accipiat, atque diligenter expleat pollicetur. *Figam gradum ſuper munitionem:* Quia in quærendo Deum, & obtemperando illi conſtantia opus eſt, vt ad optatum virtutis brauium perueniatur. Propoſitum pœnitendi, & virtutis ſeminis inhærendi facilè eſt arripere: conſtanter ſequi difficilè; vndè Hieron. lib. 1. ad verſ. Iouinia. *Incipere multorum eſt, perſeuerare paucorum.* Et Seneca epiſt. 16. *Plus operis eſt in ea, vt propoſita cuſtodias, quam vt honeſta proponas.* Deteſtabiles ſunt, qui virtutem negligunt: non melioris notæ, qui vita ſequuntur ſunt, at omnino illiberales, & animo ſordidi, qui nec virtuti, neque vitio fidelitatem ſeruant, & qualibet aura nutant, atque hincindè vertuntur. Qui virtutem inconſtanter ſequitur, plus eam offendit, quam qui ipſius ſuauitatem nunquam guſtauit. Nulla ſine perſeuerantia eſt virtus, præcurrit illa cœteras; etſi omnes in agone cer-

Digitized by Google

certent, conſtantia coronam reportat. Feſtiuè eam commendat, & extollit D. Bonauentura in Pſalm. 67. *Omnes quidem currunt: ſed vnus accipit brauium. Sic de virtutibus poteſt dici: nam virtutes ad regnum Chriſti currunt, ſed vna ſola accipit brauium: nam currunt mundi contemptus, paupertas, vigiliæ, eleemoſyna, obedientia, abſtinentia, patientia, ſed ſola perſeuerantia coronatur, nam qui perſeuerauerit in finem ſaluus erit.* Nullum meretur præmium, nec laudem ſine perſeuerantia virtus: ſola conſtantia corona virtutum eſt, & niſi cæteras tranſcendat, & ab illa valorem accipiant, nullius ſunt pretij. Qui laudabiliter inchoauit, niſi perſeuerat, non coronabitur: quia ſola perſeuerantia compendium eſt meritorum; vndè 1. Paralip. cap. 10. verſ. 13. dicitur: *Mortuus eſt ergò Saul propter iniquitatem ſuam, eo quòd præuaricatus ſit mandatum Domini, & non cuſtodiuit illud; ſed inſuper etiam Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperauerit in Domino.* Ultima verba ſic vertit Hebręus: *Et non quæſiuit in Ieoba.* Quod difficilè eſt concordare cum eo, quòd habetur 1. Reg. 28. verſ. 6. vbi dicitur: *Et conſuluit Saul Dominum.* Quo ergò pacto perhibetur, Saulem Dominum non vltra conſuluiſſe, cum contrarium conſtet ex allatis verbis? Auſculta Caiet. nondum extricantem. *Solutio eſt, quia Saul non perſeuerauerit in quærendo à Domino, ſed diuertit ad quærendum in Pythone. Ideò verificatur, quòd non quæſiuit in Ieoba; religio enim non perſeuerans non eſt religio.* Sine perſeuerantia neque in re, neque in nomine manet virtus, & quæ non conſtat, in vitium degenerat: ſola enim conſtantia corona redimitur; quia nihil imperfectum relinquit, nihil non integrum, omnia conſumat, & ad finem vſque perducit; vndè apprimè Petrus Bleſens (epiſt. 55.) in fimbrijs, quæ tantopere laudantur in ſponſa Pſalm. 44. & in vnguento, quod ex barba Aaron in oram veſtimenti deſcendit, perſeuerantiam commendatam, & laudatam egregiè agnoſcit: ſunt enim fimbriæ extrema veſtium pars, in qua perſeuerantia perfecta vſque ad finem propriè denotatur. *Optimè* (inquit Bleſenſ.) *incepiſti: veruntamen non principium, ſed finem attendit, qui iudicat fines terræ. Sic curre, ut comprehendas: gloria enim virginum eſt in fimbrijs, & ſe vſque in oram veſtimenti vnguentum benedictionis infundit.* Semel virtutis viam iniuiſſe, non ſatis eſt: pergendum eſt per eam, dum viuimus, vt ad optatum perueniamus finem.

2. Filiorum Ephrain inconſtantiam ſic redarguebat Regius Vates Pſalm. 77. verſ. 9. & 10. *Filij Ephrain intendentes, & mittentes arcum conuerſi ſunt in die belli: non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare.* Valdè ſudant expoſitores in verificatione eorum, quæ hic dicuntur de filijs Ephrain: quoniam vſque ad tempora Aſa, qui fuit contemporaneus Dauid, nulla occurrit autentica ſcriptura ea narrans, quæ hic de filijs Ephrain dicuntur. Lyra de filijs Iſrael verba capit, qui contra Moyſis voluntatem proceſſerunt ad prælium contra Amorręos, & Amalechitas, vt habetur Num. 14. in quibus filij Ephrain principales fuerunt, & aliorum motores ad huiuſmodi bellum, eo quòd prę cęteris aſpirabant, ad dominium. Hi ergò ſtatim, ac manus conſeruere cum inimicis, perterriti, & confuſi fugerunt, & pręliari contra aduerſarios renuentes, in Ægyptum reuerti contra Dei mandatum, & ordinationem efficaciter voluerunt. Et propterea dicitur, in die belli fuiſſe conuerſos, atque teſtamentum Dei non obſeruaſſe. Sic ad litteram citatus Lyra. D. Auguſt. adductus à Gloſ. metaphoricè rem accipit, & inconſtantes acriter pungit. *Intendentes, & mittentes arcum*, ait, *arcum aliqui mittentes, ideſt, promittentes ſeruare legem, apertè dicentes: Omnia quæcunque dixerit nobis Dominus, faciemus, & audiemus* (Exod. 14.) *conuerſi ſunt, & defecerunt in die belli ideſt, tentationis; vndè Oſeas Propheta ait cap. 7. Ephraim factus eſt, quaſi columba inſipiens, non habens cor: quia promiſſionem obedientiæ non auditio, ſed tentatio probat.* Opportunè hic arguuntur inconſtantes peccatores, qui dum verbum Dei audiunt, multa vota, ac promiſſiones emittunt, & contra Dœmonem audacter pugnare pollicentur: at dum ab bella accedunt conuerſi ſunt, & à fortitudine, de qua gloriabantur, verecundè recedunt. Succinit Bernardus (in illud. *Ecce nos reliquimus omnia*) autumni floribus huiuſmodi blaterones comparans. *Nonne* (inquit) *& ardoribus noſtris citius quam oporteat, pullulantibus, timemus omnino floribus intempeſtiuis: ſic ſunt aliqui, quorum fructus, quia nimis properè oriuntur.* Primis autumni pluuijs florent arbores, ac ſubita, & confuſa tempeſtas florum, diſruptis temporum moris apparet: aſt vt ſtatim friget tempus, ingrediente hieme, & glaciè flores cadunt, & marceſcunt: ſic plures plura ſępè Deo promittunt, & virtutis propoſitum ſubito arripiunt: at citò tentationis flatibus, ambitionis aura, & aquilonari rerum mundanarum vento virtuoſi conatus, vt autumnantes, & immaturi flores marceſcunt; vndè non huiuſmodi floribus, qui citò decidunt, ſed in ęternum permanſuris comparatur Iuſtus ab Eccleſia. *Iuſtus germinabit ſicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum.* Iuſtitia enim, & virtus perſeuerantium non ſtatim poſt natiuitatem flacceſcit, ſemper viret, floret, ac vernat. Sic idem Bernard. ſerm. 70. in Cant. *Quod autem iuſtitia lilium ſit, recordamini de ſcriptura: quia iuſtus germinabit ſicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. Nequaquam lilium hoc hodiè eſt, & cras in clibanum mittitur: quia in æternum florebit.* Virtutis flos, qui ſtatim marcet, & exſiccatur, nec redolet, nec Deo placet. Hęc inquam virtus ab incepto bello indecorè deſiſtit, quia nul-

nullam in inimicum iacit ſagittam. Et idcircò *filij Ephraim intendentes, & mittentes arcum* dicuntur, quin vllam ſagittarum mentionem faciat. Vt enim acutè obſeruauit Aſterius à Lipoman. adductus ad illud Pſalm. 11. verſ.3. *Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra*: Non perhibetur,quod ſagittas emitterent, ſed tantùm quod paratas haberent. *Intenderunt arcum, dixit, non iaculati ſunt; parauerunt ſagittas, & non miſerunt: ſagittarum figuram præſetulerunt, & tanquam in figura*. Veluti depicti ſagittarij videbantur animæ illæ, de quibus loquitur Dauid, inimicos ſagittare: quia nullam ſagittam emittebant. Videbis ſagittarium in panno textum, ac depictum feram ſagitta iam iam occidentem, etſi ad annos plurimos videas, eodem modo intueberis; atque prius abrumpitur pannus, quam ſagittam eiaculari videas, ſic plerique peccatores in conatibus ſuis figuratè vitam faciunt: rumpitur corpus, antequam, vel vnam ſagittam in inimicos animæ eiaculentur. Picti, ac effigiati ſunt ſagittarij conatibus fortes, re verò inconſtantes, turgentes floribus; fructibus verò ſteriles: quos acerrimè carpit Chriſolog. ſerm. 162. de charitate ficta, atque inconſtanti loquens. *Sicut ſterilis arbor, quæ vernali tempore, cum tota candeſcit in flore, fructum non dat illa, ſed fallit: ità iſta charitas, quæ putatur, & non eſt, occaſionum concuſſa fluctibus euaneſcit*.

2. Deplorabat Ieremias cladem, & deſolationem Hieroſolymæ, atque illius afflictionem conſiderans, impar ad eam deſcribendam aiebat: Thren.2.v.13.*Cui comparabo te, vel cui aſſimilabo te filia Hieruſalem? cui adæquabo te, & conſolabor te, virgo filia Sion? magna eſt velut mare contritio tua*. Quaſi diceret, exponente Lyrano: Ciuitatem ſic afflictam, & deplorandam non inuenio, quam tibi poſſim in exemplum adducere, vt aliqualem tibi afferam conſolationem: magna eſt velut mare contritio tua. At quæ proportio inter mare, & Hieroſolymæ afflictionem? *Quia* (inquit Lyra) *ſic excedit contritionem aliarum Ciuitatum, ſicut mare aquas fluminum*. Et interlinealis. *Quia ſine quiete*. D. Antonius de Padua ſerm. poſt 1. Dominic.Quadtag. locum de vera pœnitentia, ac contritione rectè accipit propter quatuor, quæ in mari reperiuntur, & quibus vera aſſimilatur contritio. Nam mare capitis dolorem cauſat, ſtomachum voluit, vomitum vrget, atque veſcendi appetitum aufert. Hęc autem quatuor, vt ſit vera, atque perfecta, debet habere pœnitentia: nempè de pręteritis erroribus dolere, conſcientiam reuoluere, culpas euomere, & delitiarum præteritarum appetitum amittere. Rectè equidem: ſed enucleare non erit inutilè, cur maris potius irrequieto motui vera contritio, & pœnitentia conferatur, quam terræ, aut cœlorum motui: ſiquidem terræ motus concitatione ſæpè montes, & magnas Ciuitates eruunt; & ad motum in media regione aeris excitatum orbis totus ſubortis tempeſtatibus videtur obrui, proindèque cum huiuſcemodi motus gelidum tremorem mortalibus incutiant, apti videntur ad contritionem figurandam, quæ timorem debet incutere. Crediderim tamen idcircò perfectam contritionem, ac veram pœnitentiam maris motui, non cœli, aut terræ motionibus aſſimilari; quoniam etſi irrequieto motu orbes cœleſtes perpetuo cieantur, nihil tamen tali motu expellunt, perpetuo namque Beatorum corpora in ſe continent, quin aliquod illorum excutiant: & octauus orbis (vt Aſtronomi obſeruant) qui perpetuo ſuper arietem, & libram agitatur, nondum ab orbe condito conuerſionem, integram efficit, nam in medio curſu identidem reuocatur:vndè motus trepidationis compellatur; talis autem motus non veræ, ſed imperfectæ pœnitentiæ typum gerit, qua plerique mouentur, ſed peccata adhuc retinent: perpetuo pauent, & contremiſcunt: ſed nunquam reuoluuntur ad Deum perfectè diligendum. Idem in terræ motibus contingit. Tremuit vniuerſa terra ad conſpectum Dei in Cruce pendentis, tremuit, & ſtetit: at dum tremebat, ſuis viſceribus infernum ipſum complexabatur damnatorum, nec tamen dum tota ad conſpectum Dei patientis motibus quatiebatur, damnatos euomuit, quos habebat in corde, ſed pertinaciter retinuit. Secùs in mari accidit: nam dum motibus exagitatur, dum quatitur ventorum vi, omne ſpurcum à ſe abijcit, omniaque corpora, quæ in ſe includebat mortua, ad littus euomit. Quare animi perfectè contriti, ac pœnitentis imaginem refert, qui dum conteritur de peccatis, dum Dei timore commouetur, omnia ſpurca, ac mortifera peccata à ſe longè, lateque propulſat: nec taliter debet viam ingredi ſalutis,vt ſtatim ab ea inconſtanter pedem retrahat; vndè in Leuit. cap. 11. miluus prohibetur in ſacrificio, quoniam (vt Auctor eſt Ioannes de S.Geminiano ex Ariſt.) in principio aues capit, deindè vix muſcas, & vermiculos, & tandem fame perit; ſic qui in principio conuerſionis magna promittunt, & ſtatim deficiunt, acres in principio, & tamen franguntur in fine, cum tamen perſeuerare deberent, inſtar falconum ad prædam emiſſorum, qui à volatu non ceſſant, donec prædam teneant vnguibus, nec illam facilè relinquunt, vt dicebat Sponſa Cant. 3. verſ. 4. *Tenui eum, nec dimittam*: Solum enim perſeuerantia, quę perducit ad finem, coronatur.

3. Pulchrè inanem fauſtum reliquarum virtutum abſque perſeuerantia deſcripſit Ceſar. Arelatenſ. hom. 25. cuius verba non omittere viſum eſt. *Quid mihi prodeſt* (ait) *ſata viridantia in herbis ſpem meſſis oſtendant, & me ſub ipſo falcis tempore ſubita, vel aeris intemperie, vel pluuiarum inundatione decipiat? Quid mihi*

mihi proderit, ſi vinea ſpem omnem in flore promittat, & vel ferarum inuerſio, vel vaſtitas grandinis ſpem omnem in conſummationem ſubducat: Ideòque omnis proſperitas, aut felicitas in fine conſiſtit. Quid pulchrius, quid elegantius, vt in virtute nutantes arguantur? Hùc etiam ſpectat quæſtio, quam excitat, & ſoluit D.Greg. Niſſenus in Exameron, cur Moyſes in creatione mundi nullam aeris mentionem fecerit. *Quia fortaſsè* (inquit) *natura molli ſic facilè cedenti præditus res omnes in ſe ſuſcipit, eaſdemque præſefert, cum nec colorem proprium, neque figuram habeat, & ad omnium rerum, quas ſuſcipit, motum ſe accommodat.* Non meretur aer, vt diuinis commendetur litteris, quia inconſtans, & varius ad omnium rerum figuras ſe accommodat, quin in aliqua perſeueret.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Via, qua Deus dirigit, quærenda ſalus.

1. IBi opportunè exſpectari debet Dei auxilium, atque noſtra ſalus quærenda, vbi Deus nos dirigit: nec pro libito noſtro nouas expedit innouare vias; ex huiuſmodi enim Dei ſequela, & conſtitutione Dei reſponſum, quod optauerat, atque propriam, & ſui gentis ſalutem auſpicabatur Vates noſter, & ab ſtatuta ſibi ſemita non recedere pollicebatur. *Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem.* Quòd quidem monitum poſtea repetiuit Paulus Corinthios alloquens: *Videte vocationem veſtram.* 1. Corinth. 1. verſ. 26. Ac ſi diceret: Attentè viam aſpicite, qua Deus vos vocauit, ne ab illa aberretis, aliam incedentes; vt ſecuriores pergatis, per tritas ſemitas, & Dei vos ducentis pedibus prius calcatas ire oportet. Status & officium, in quo Deus vnumquemque poſuit, via eſt, quæ ducit ad vitam, nec tutum eſt ab ea recedere. Non quærat pauper modum, quo diuitem Deus vocat; nec diues viam, vbi Deus pauperi apparet. Unuſquiſque ad ſtatum attendat ſibi deſtinatum, atque in illo Deum quęrat, dubio abſque ſalutem inueniet; illam autem periculo exponet, ſi viam eligat nouam, nec ſibi conſtitutam. Pergebat Jacob in Haran, cum ſomno deditus ſcalam vidit ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: *Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam.* Geneſ. 28. verſ. 12. Mirum valdè eſt, quòd cum Angelorum turba, quę per ſcalam gradiebatur, plurima eſſet, vnica tantum ſcala ipſis deſeruiret: & quod non plures adhiberentur ſcalæ, vt qui aſcendebant diuerſa via pergerent ab illa, quam deſcendentes calcabant. Cur vnica tantum ſemita vtriſque deſignatur? Acutè, & egregiè Bernard. tractat. de gradibus humilit. ad noſtrum inſtitutum flectit. *Per vnam ſcalam aſcendentes Angelos, & deſcendentes Iacob apparuerunt. Quorſum ſpectant hæc? Vt videlicèt, ſi ad veritatem redire cupis, non neceſſe ſit, viam quærere nouam, quam non noſti, ſed notam, qua deſcendiſti.* Aſcendentes, & deſcendentes eadem incedunt via: quia non alia ipſis fuerat conſtituta, & nouam eligere lapſus eſſet occaſio. Illa equidem rectò tramitè ducebat ad Deum, qui in ſummitate ſcalæ Angelos dirigebat: nec expediebat ipſi à deſtinato itinere recedere, ne à cœli ſemita toto aberrarent cœlo. Illa equidem via à Deo conſtituta ad ipſum abſque periculo ducit, & qui ab ea recedit deprædari vult. Quod eleganter expendit Auguſtin. in Pſalm. *Ideò* (inquit) *redemit nos, vt non audeat hoſtis inſidiari nobis, ſi de via non receſſerimus: ipſe enim Chriſtus factus eſt via. Vis non pati latrones, ait, tibi viam ſtraui ad Patriam, noli de via recedere; talem viam muniui, vt latro ad te non audeat accedere: tu ab illa noli recedere, & latro ad te non audebit accedere.*

2. Fugere in montem iubetur Loth, vt ibi Saluus fiat, dum Angeli Sodomæ Ciuitatem incendio abſumere pergunt. Rogat obnixè vt Ciuitas ſibi concedatur Segor, quæ aptior ipſi videbatur ad effugiendum periculum: cuius poſtulatis annuunt Angeli, ipſeque ad prędictam Ciuitatem pergit. At cum cęteri conflagrarent, & ad cœlos vſque flammæ aſcenderent, dubius Loth de ſecuritate loci, quem elegerat, ad montem fugit, quem prius deſtinauerat ipſi Angelus in refugium. Quid tunc? Inceſtuosè cum filiabus ſuis ſe immiſcuit: *Conceperunt ergò duæ filiæ Loth de patre ſuo.* Geneſ. 19. Cur quæſo, Loth de ſecuritate loci dubitat, quem Angeli ſeruare pollicentur, & cum ad montem pergit, in inceſtum labitur? Fortè dubitat de promiſſione Angelorum, aut ſe deceptum à ſuis tutoribus credit? Cur qui in Ciuitate Segor, & à Sodomiticis, & à libidinis flammis erat ſecurus, in monte, quem ſibi elegerat in refugium, tam flagitiosè deliquit? Auſculta Hieronym. in quæſt. Hebraicis. *Reſpondemus* (inquit) *veram eſſe Hebræorum de Segor coniecturam, quod frequenter terræmotu obruta primum Bale, & poſt Saliſa dicta ſit, timueritque; Loth dicens: Si cęteris ſtantibus iſta ſæpè ſubuerſa eſt, quantò magis in communi ruina non poterit liberari? Et hanc occaſionem infidelitatis cauſam inceſtus fuiſſe; qui enim cæteras viderat ſubrui, & hanc ſtare, ſeq. Dei auxilio erutum, de eo quod ſibi conceſſum audierat, ambigere non debuit.* Ipſe quidem locus, quem primo Angelus Dei iuſſu ſignauerat Lot, tutiſſimus erat: ſed poſtquam pro ſuo libito enim elegit, periculo plenus apparet, & in eo criminoſo inceſtui ſubijcitur; vt nobis ſit documen-

Digitized by Google

mentum, ibi ſalutem quęrere expedire, vbi Deus nos conſtituit, nec á ſignata via recedere: nam vbi nos geſtimus, occaſio lapſus ſæpè obijcitur, & in ſemita à nobis delecta offendicula paſſim occurrunt. Quod ponderans Chryſoſt. in Pſalm. 125. ſuper flagitium Loth. ſic exſcribit: *Verè admirari licet Loth virtutem, qui conuerſans in medio impiorum, non ſolum non fuit negligentior, ſed maiorem virtutem, ſed opus eſſe ſeceſſu, & montana quadam conuerſatione? Et hæc dico non prohibens ſeceſſum ab vrbibus, ſed monſtro volenti ſobriè agere nihil indè obſtaculi eſſe.* Non obeſt publica cum omnibus conuerſatio, nec ciuica commoratio, vt obtineatur ſalus, maximè ijs, qui muneri publico ſibi iniuncto incumbunt: imò ab illis locis ſibi conſtitutis diſcedere, vt per nouas deuotionis gradiantur vias, periculoſiſſimum eſt. Inter Sodomitas ſanctus perhibetur Loth: in monte, & cum filiabus inceſtuosè peccat, vt enim exclamat D. Gregor. hom. 1. in Ezech. *Si deſit ſpiritus, non adiuuat locus: Loth in Sodomis ſanctus in monte peccauit.* Locus quem ſibi elegit, non refugium, ſed periculum fuit.

3. Ille autem error perquam plurimos inuadit, & cogitent ſe melius prouiſuros ſuæ ſaluti, ſi aliorum inſtituto incumberent. Cupit pauper, vt Deus illi elargiatur opes, exiſtimans illi cœlum facilè adepturum: vxori alligatus credit, quòd ſi Religioſus eſſet, faciliùs conſequeretur ſalutem, & obſequium pręſtaret Deo: è regione cogitat Religioſus: nemo contentus eſt ſua ſorte, ſed alienæ inuidet, & vt prætextum habeant, aiunt ſe non inuidere diuitibus, niſi quia poſſunt bene facere, nec ſalute præditis, niſi ad ieiunandum, pœnitentiamque agendum. Placet mihi deſiderium, ſed moueo, quod facilè eſſet Deo, opes, & vires, quæ inuidentur, elargiri: ſi ergò noluit, eas non expedit poſſidere: nec Deus plus exigit, quàm quod vires noſtræ poſſunt exequi. Qui impar viribus ad alia obſequia præſtanda inuenitur, amet, & timeat Deum, quia in hoc tantum vult ſeruiri. Nec malè audiretur ad illi famulandum non poſſeſſa concupiſcere, ſi ex obtentis ipſi præſtaretur obſequium: cor ad amandum, ad cogitandum intellectum, ad timendum voluntatem præſtitit: ſi ergò ex ijs, quæ ſuppetunt, Deo non exhibetis obſequium, quomodo ex ijs, quæ deficiunt, famulatum præſtabitis? Quid non largitur, non ipſi placet; quod præſtitit, hoc à nobis exigit, nec alio indigemus ad conſequendam ſalutem: vnuſquiſque enim in ſuo munere eam exequi valet. Magi illi ab oriente venientes, vt cultum Deo exhiberent, ſtella perducuntur præuia. *Vidimus ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Matth. 2. verſ. 2. Quærit Theodoretus (oratione de Chriſti natiuitate, & ſtella) cur cum Reges illi ſtellis eſſent dediti, & in illarum cognitione præcipuum haberent ſtudium; ſtellam Deus præbeat ducem ad ipſum inueniendum? Nonne aptior ad huiuſmodi munus Angelus eſſet, qui viam oſtenderet veritatis? Per errorum tenebras trahendi ſunt, qui lucem requirunt. & ad verum Numen falſum deducet? Cur ità; *Quoniam* (inquit Theodor.) *Chaldæorum terra plurimos habet ſtellarum motus inſpicientes, verſus ſuperna deducens Magnos aſſumpſit ſtellæ ſpeciem, & ea doctrina ſua Chaldæi, quod neſciebant, agnoſcunt: vt cum Aſtronomiam aſpiciunt, ab aſtris Chriſti myſteria docerentur.* Vel inter ipſam vanam, ſuperſtitioſam, & erroneam aſtrorum notitiam, quam profitebantur Magi, viam inueniunt veritatis, & fulget inter ſtellarum culturam veræ lucis iubar. A ſua profeſſione non recedunt Magi, vt Chriſtum exquirant, & proprio muneri dediti ducuntur ad ipſum. Per vias vnicuique notas Deus inueniri vult; nec mutat, ſed perficit officia. Acceſſit ad eum illa celeberrima peccatrix Luc. 7. verſ. 38. *Et ſtans retro ſecùs pedes eius lacrymis cœpit rigare pedes eius. & capillis capitis ſui tergebat, & oſcultabatur pedes eius.* Non indiguit Maria, vt gratum Chriſto præſtaret obſequium, diuitijs; ſed pauperis humanitatis oblectamentis ipſi liberalem obtulit famulatum. Quod pulchrè ponderauit Chryſolog. ſerm. 93. & noſtrum debitum vrget. *Dominicos pedes lauat lacrymis, crinibus tergit: Vacat ab excuſatione paupertas, inhumanitas, veniam non habet, quia in totum ſibi natura ſufficit ad obſequium Creatoris.* In quocunque ſtatu, & rerum euentu Deo obſequi valet homo, in proſperis, in aduerſis, in diuitijs, & in paupertate: nec indiget nouas machinari ſemitas, vt Deo placeat; ſed per ſtatutas incedere debet.

4. Inter alia, quæ Chriſtus Dominus tradidit documenta Diſcipulis ad prædicandum miſſis, hoc intimauit. *In quamcunque autem Ciuitatem intraueritis, interrogate quis in ea dignus ſit, & ibi manete, donec exeatis.* Matth. 10. verſ. 10. Fortè nullus inuenietur dignus, proindèque fame peribunt in primo hoſpitio, perſeuerantes. Cur donec exeant à Ciuitate i ad alium diuertere hoſpitem non licebit? S- inhumanè tractentur, vt quid ad aliam dos mum non tranſibunt? Sanè, quia infallibilis erat diuina cura, quam Chriſtus erga ſuo habeat, vt teſtatur ipſe Luc. 22. verſ. 35. *Quandò miſi vos ſine ſacculo, aut pera, numquid aliquid deſuit vobis?* Si verò in illa domo, in qua illos primo conſtituerat, nihil defecturum promiſerat, ibi eos volebat permanere, vt ibi ſuum ſponderet auxilium, quod fortè in alio hoſpitio non præberet. Annuit Caiet. *Non vult cœleſtis Magiſter dignum hoſpitem inuentum mutari propter meliorem, aut opulentiorem, ſeù propter anguſtiam hoſpitij, vel tenuitatem victus.* Obſequium Deo præſtare in ea paupertate, in qua vos conſtituit: nam ibi non deficiet di-

uinum ſubſidium: diuitias ne cupiatis, in quibus Dei auxilium non promittitur: noluit enim Deus, vt illis famulatum præbeatis. Quapropter alibi dicebat Luc. 10. v. 3. *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum*. Et cur qui indomitas erant bebellaturi nationes, ſicut oues, non ſicut Leones mittuntur? Fortè, quia ſi ad defendendam Chriſti fidem robuſti, vt Leones eſſe vellent, ipſius auxilio deſtituerentur, cum à manſueta ouium conditione ipſis iniuncta deficerent. Sic Chryſoſt. hom. 34. in Matth. *Certè dum oues ſumus vincimus lupos, dum lupi eſſe volumus deſtituimur fauore paſtoris, qui non lupos paſcit, ſed oues*. Securitas, & lucrum in obſeruantia ſtatus nobis conſtituti eſt, periculum in via à nobis inuenta.

Verſ. 2. Et reſpondit mihi Dominus, & dixit: Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, vt percurrat, qui legerit eam.

ANNOTATIO II.

Expoſitio Litteræ.

1. MAgnum aliquid Deus reuelare decreuerat Vati noſtro, quòd tam accuratè in tabulis exarari præcipit: quòd autem illud ſit, poſtea explicabimus. Germana autem huius verſus interpretatio hæc eſt: Scribe viſionem, quam tibi oſtendo, ne ſemel audita excidat à memoria hominum. Ideſt, explana, apertis litteris adſcribe, vt percurrat qui legerit eam, & nullus immoretur in legendo: ſed tam perſpicuè, & enodatè ſcripta ſit, vt à quouis, etiam non admodum perito, ſine hæſitatione legatur. Volo autem ſcribi, quoniam non ſtatim implenda eſt, ſed poſt multos annos: tandem implebitur, cum temporis à me conſtituti finis aduenerit. Sic Hieronym. Theophilact. Ribera, Sanchez, & alij.

2. *Et reſpondit mihi Dominus, & dixit: Scribe viſum*. Antiquiſſimus mos ſcripturæ eſt, & pro temporum varietate varijs formis, ac materijs antiqui vſi ſunt. Phœnices animalium figuras litterarum loco inſculpebant lapidibus: quòd etiam apud Ægyptios plurimùm inualuit. Apud Romanos à quibus noſtra ſcribendi ratio ſumpſit exordium, triplex fuit ſcribendi vſus: aut enim verbis integris, quæ pluribus litteris exaratis conſtarent, ſcribebant, aut litteris ſingulis, à quibus Singularij dicti, aut notis à quibus Notarij. Quę vocantur puncta, aut ſigna, quibus Notarij vtebantur: huiuſmodi autem à Cicerone repertam, à Mœzenate abſolutam plerique volunt. Verùm ante Ciceronem Scribas fuiſſe non eſt dubium. Sic Plato lib. 7. de legib. & Suetonius in Iulio, cuius extant Epiſtolæ de rebus domeſticis ad familiares, in quibus ea, quæ ocultius perferenda erant, per notas ſcripſit, ſic ſtructo litterarum ordine, vt nullum verbum effici poſſet: quæ ſi quis inueſtigare vellet, quartam elementorum litteram D pro A, & deindè reliquas commutet. Qua de re Dio lib. 5. conſulendus etiam Diogenes Laertius, qui Xenophontem primum notis ſcripſiſſe ait. Ægyptij omnium primi abſque dubio notis, & figuris vſi videntur. Strabo lib. 9. prodit Obeliſcum Serapidis ex Ægypto in vrbem aduectum inſignitum notis, vel (vt loquitur Ammianus) effigiatum elementis, quæ rerum naturas innuebant. Eiuſmodi autem Notariorum munus magnæ dignationis apud Romanos fuit; ipſi enim magni Proceres vocabantur. Caſſiodori pater, qui in magno honore fuit habitus, Tribuni, & Notarij dignitatem geſſit: & egregijs viris in quibus nullum reprehenſionis vitium apparebat, huiuſmodi munus committebatur, vt refert Sidonius lib. 5. epiſt. 9. Proindè Notariorum Primicerius iura à Principe condita, & indulgentias, aut immunitates datas in Senatu recitabat: & in Dei curia idem ſemper accidit: nam bonæ notę vitis: vt fuerunt Prophetæ, hoc commendabatur officium, vt expreſsè hic noſtro vati committitur.

3. *Et explana eam ſuper tabulas, vt percurrat qui legerit eum*. Quid ſit in tabulis ſcri-

ſcribere perpendendum nobis eſt. Varie etenim materiæ ad huiuſmodi ipſcriptiones deſeruire. A principio apud Ægyptios volumina, in quibus ſcribebatur, ex cortice platani, fraxini, aceris, aut populi albę fuere, item fagi, & vlmi: liber enim interior pars erat corticis, quæ ligno coherebat, & inqua exarabantur ſcripta, aut in palmarum folijs, vt inquit Plinius, vel (vt corrigit Guilendinus) in folijs maluarum. Erant quoque tabulæ cera illitæ, in quibus monumenta, & non numquam leges ſcribebantur: in huiuſmodi autem tabulis etiam exarabantur Epiſtolæ; vndè cera Epiſtola dicta eſt, & prima pars Epiſtolæ prima cera, & vltima cera, Item in tabulis buxeis pluries ſcribebatur, quia hę facilè accipiunt litteras, eaſque propter colorem longè diſſimilem oculis obijciuntur ſine hæſitatione legendas: & quia materia citrea non multum diſſidet á buxea, ex ea ad ſcribendum tabulæ dolabantur idoneæ, vndè pugillares fiebant ad vſum ſcribendi familiarem: exindèque Martial. lib. 14. diſtico 5.

Secta niſi in tenues eſſemus ligna tabellas.
Eſſemus Lybici nobile dentis onus.

Antiquiſſimus enim pugillarium vſus fuit: de qua re videndus Euſtacius ad Hom. lib. 30. Materia autem pugillarium varia fuit: nam è buxo, citro, lapide atro in lamine tenues ſecto, quem ardęſiam appellabant conficiebantur: ſecabantur enim huiuſmodi materiæ in laminas tenuiſſimas, cera illiniebantur, & exarabantur ſtylo, vt Gellius lib. 17. cap. 19. exponit. *Pugillaria* (inquit) *noua nondum etiam cera illita accepiſſe, & litteras in ligno incidiſſe.*

Hæ autem tabulę, in quibus exarabantur litteræ, commodius ex ebore poliuntur: quia cum candidæ ſint, facilè nigros characteres oſtendunt legendos: quod præſtare nequeunt aliæ tabulæ, quæ conculores habent litteras: vndè Martial. lib. 14. diſtic. 5.

Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ,
Nigra tibi niueum littera pingat ebur.

Quæ autem in huiuſmodi eburneis tabellis ſcribuntur, ſine interruptione, aut hęſitatione leguntur, exindeque crediderim eiuſmodi ſcripturam, quæ deſcribi præcipitur vati noſtro, aut in ebore propter facilitatem lectionis fuiſſe exaratam, aut in buxo, vt 70. vertunt, vt facillimè percipi poſſet, atque etiam propter diuturnitatem, & ne facilè temporis iniuriam ſentiret: ad quod firma materia (qualis buxea, aut eburnea eſt) neceſſaria erat. Nec ineptam ad id plumbeam iudicarem: Job enim, vt ſui ſermones permanerent, in plumbo deſcribi cupiebat. *Quis mihi det, vt exarentur in libro ſtylo ferreo, aut plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice*. Iob 19. v. 24. Plumbum enim) vt multis placet) ideò ſic dictum: quia á puluere originem trahit: quod optimè congruit ad perpetuitatem plumbi: nam cętera metalla puluere conſumuntur, dum in illo ſunt: ſolum plumbum in terra conſeruatur, & acceſſionem aliquam ab ea ſumit, vt ex prædictis verbis Job deducunt Hebraizantes: & idcircò monumenta publica antiquitus exarabantur in plumbo, vt diuturna eſſent, vt refert Plinius lib. 13. cap. 11. *Publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & priuata linteis confici cæpta, aut ceris*. Et Alexander ab Alexandro dierum Genial. cap. 30. Atque experientia comprobatur ad conſeruandam rerum antiquarum memoriam aptiſſimum eſſe plumbi temperamentum, & quod temporis voracitati reſiſtat paucis enim ab hinc annis in cauernis Montis Sancti iuxta Granatam, ad vallem, quem vocant Paradiſi inuenti fuere libri Apoſtolorum temporibus ſcripti lingua Arabica, & litteris minutiſſimis in plumbeis laminis exaratis, compaginatiſque folijs æreo filo, quorum characteres poſt tot ſecula elapſa integri manent, & incorrupti, ſi prędictis laminis fides adhibenda eſt.

4. In ſaphiro etiam Dei digito exarata fuit lex, & ſimiliter in lapidibus prętioſis ſuper humeralis, & rationalis ſcripta erant duodecim tribuum nomina. Ærea quoque lamina ſcribendo apta fuit materia ad memoriam rerum conſeruandam, vt teſtatur Plinius lib. 34. cap. 8. *Vſus æris ad perpetuitatem monumentorum iam pridem tranſlatus eſt tabulis æreis, in quibus publicæ conſtitutiones inciduntur*. Poſtea hædinis pellibus,

bus, quas pergamenas vocant, omnes vſi ſunt Pergami vrbe Troadis primum inuentis: vbi cum Atalus Ereumes imperitaret, nobilis illa omnium ſermone telebrata bibliotheca, conquiſitis vndique exemplaribus hædinis chartis, conſtructa fuit: aliamque Ptolomeus Philadelphus plus ducentorum millium voluminum in Alexandria diſpoſuit: ac denique Brachamanes litteras non ceris, nec libris, nec hedinis pellibus, ſed in ſindonibus fucatis coloribus effinxerunt. Babylonij verò coctilibus laterculis mores, leges, atque inſtituta tradidere: quare Cleantes, quod á Zenone audierat, in tegula oſſea annotauit. Duplici ergò ratione præcipitur Prophetæ, reuelationem ipſi faciendam in tabulis exatare: prima, vt diuturna maneat, nec tempore obliteretur: ſecunda, vt verba ipſa ſint manifeſta, ne vllis ænigmatum difficultatibus obſcurentur, vt ſępè accidit apud Prophetas. Sic Rupertus, & Theopil. vel vt verba qualiacumque fuerint, grandibus, & perſpicuis litteris deſcribantur. Utroque modo locum accipit Hieronym. & vtroque accipiendum reor: vtraque enim cauſa hęſitare ſolent legentes, vel quia verba obſcuriora ſunt, vel quia paruis, & obſcuris litteris ſcripta.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Caueat Eccleſiaſtes, ne Dei Verbum vllis ænigmatum difficultatibus obſcuretur.

1. IN perſpicuis tabellis viſionem Deus præcipit exarari, vt vel ab imperito ſine hæſitatione, & ambiguitate poſſit legi: vt ſacrum Eccleſiaſtem erudiat, non ænigmatum difficultatibus, non comptis, & phaleratis dictionibus, ſed palam, perſpicuè, & enodatè verba Dei proferre. Quòd & Seneca ſuo Lucilo commendabat, ne verborum culturæ nimis ſolicitus degeneris argueretur animi. *Nimis anxium eſſe te circa verba, & compoſitionem, mi Lucile, nolo: habeo maiora, quæ cures: quare quid ſcribas, non quemadmodum: & hoc ipſum non vt ſcribas, ſed vt ſentias: vt illa quæ ſenſeris, magis applices tibi, & veluti ſignes. Cuiuſcunque orationem videris ſolicitam, & politam, ſcito animum quoque non minus eſſe puſillis occupatum. Magnus ille remiſſius loquitur, & ſecurus: quæcunque dicit, plus habent fiduciæ, quam curæ. Noſti complures iuuenes barba, & coma nitidos, de capſula totos: nihil ab illis ſperaueris fortè, nihil ſolidum. Oratio vultus animæ eſt: ſi circumtonſa eſt, & fucata, & manufacta, oſtendit illum quoque non eſſe ſincerum, & habere aliquid fracti: non eſt ornamentum virile concinnitas.* Quantò plus vtgeret, & carperet Eccleſiæ Doctor Oratorem catholicum artificioſè, ac comptè loquentem. quam Ethnicus Ethnicum? Qui ſanam doctrinam profitetur, non hiſtrionis, non fabulatoris perſonam, & loquelam debet induere, Dedecet enim Concionatorem ſacrum, ac bene moratos audientes verborum garrulitas, & amatorium riualium carmen, & fucata loquela. Sit Dei Verbum enodatè perſpicuum: & vt ad ſuum Traianum ſcribebat Plutarch. in politica: *Viri ciuilis oratio ea ſit, quæ nec recens, & teatralis, tanquam oſtentantis cuiuſpiam, & mollibus, atque floridis nominibus innectentis ſerta videri poſſit.* Quid prodeſt altè in mentis latebris cogitaſſe, niſi ea dicendi forma exprimas, qua audientes percipiant, & ędificentur? Infructuoſus enim multorum labor eſt, vbi, vt dixit Nazianz. orat. 1. *Figmentorum venuſtate, verborumque lenocinio, quaſi pręſtigijs quibuſdam aures, animique ludificantur.* Ob idque rectè annotauit Chryſolog. ſerm. 99. cœlorum regnum à Chriſto Domino grano ſinapis, ac fermento comparari Luc. 13. Licèt enim indignum videatur, quòd patria illa ſuperna tot felicitatibus, ac perfectionibus decorata, rebus tam parui momenti, ac ſinapis grano, & fermento confetatur: tamen domeſticis rebus Chriſtus vtitur, vt faciliùs eius doctrina percipiatur, ne ſi abſtruſis, & reconditis ſimilitudinibus vteretur, ieiunæ remanerent audientium aures, & euolaret doctrina. *Bonus Dominus* (ait Chryſolog.) *amator ſuorum Chriſtus regni ſui ſimilitudines iterat, variat comparationes, quas non de occulto ſumit, non captat de cœleſtibus, ſed profert de quotidiano vſu, de conuerſatione proponit, vt ad omne genus hominum perueniat, quòd eſt omnibus profuturum.* Quandoquidem vana, & abſtruſa loquacitas infructuoſè euaneſcit, & multoties, quòd in verborum afluentia redundat, menti, ac conceptibus deficit, tantùm enim myſterijs, & doctrinæ detrahitur, quantum in lucubratis verbis inſumitur.

2. Vt exercitum conduceret Moyſes, præcepit ei Deus duplicem argenteam tubam fabricare, ad cuius ſonitum mouerentur turmæ. *Locutus eſt Dominus ad Moyſem dicens: Fac tibi duas tubas argenteas, ductiles, quibus conuocare poſſis multitudinem, quando mouenda ſunt caſtra*

ſtra. Num.10.verſ.1. Rabanus, Iſidor. & Gloſ. moralis ad hunc locum, per huiuſmodi tubas Concionatores intelligunt. At cur non aureæ, vt pretium prædicationis euangelicæ deſignetur, aut ferreæ, vt fortitudinem Concionatoribus neceſſariam ad acerrimè reprehendendum innuat, ſed argenteæ perhibentur? Audi Iſidor. *Ideo argenteæ fieri præcipiuntur: vt prædicatores eloquij nitore reſulgeant, & auditorum mentes nulla ſui obſcuritate confundant*. Argentum ſonitum emittit nitidum, ac perſpicuum, quod non contigit ferro, aut auro: nam raucè ſonant, & moleſtè aures tundunt. Sit igitur Eccleſiaſtes tuba argentea, ne auditorum animos obſcuritate confundat: his enim tubis enodatè ſonantibus conuocatur multitudo, & de ſcelerum ſtatione caſtra peccatorum mouentur. Huc reſpicit quod ad congregandum populum præceperit Deus, ſimplici tubarum clangore vti. Num.10.v.7. *Quando autem congregandus eſt populus. ſimplex tubarum clangor erit, & non conciſe vlulabunt*. Vbi Rabanus Prædicatores carpit non ſimpliciter, ſed phalerato ſermone audientium mentes perturbantes, & adulterantes verbum Dei, atque eloquij ſuauitate animos capientes ſine aliqua illorum vtilitate. *Quia* (inquit Raban) *qui multitudini verbum Dei prædicat, ſimpliciter, & apertè debet loqui, vt multi intelligant, & ædificentur: ne ſi obſcurè, & inſolenter prædicauerit, auditores recedant vacui*. Et poſt pauca, explicans illud Pauli 1.Corinth.14.v.27. *Omnia ad ædificationem fiant*: ait: *Quid enim prodeſt locutionis integritas, ſi audientes non ædificat? Quis ergo docet, vitet, & omnia verba, quæ non docent; eſt autem optimus docendi modus, quo fit, vt qui audit, veritatem audiat, & intelligat: bonique ingenij inſignis indoles in verbis verum amare, non verba*. Idem Rabanus. *Quid enim prodeſt clauis aurea, ſi non aperiat? Et quid obeſt lignea, ſi aperiat? Nihil enim quærimus, niſi vt pateat, quod clauſum eſt*. Quid pulchrius? Quid opportunius ad inanium vocum inſolentiam arguendam, & eliminandam aliquorum imperitorum inſipientiam, qui vt acclamationes acquirant, verba nouant vacua, antiqua reſuſcitant, & indecentes, atque pueriles audacias ſuis inſerunt concionibus, quibus ſe ingenio vacuos oſtendunt, & non tubam imitantur argenteam in ſonitus perſpicuitate, ſed in vacuitate tantùm? Qnia tuba niſi vacua ſit, non reſonat. Nimis fucata oratio, & ſuperflua verborum facundia mentem ſterilem ſæpè demonſtrat: nec diſertus habetur, qui hac vaniloquentia vult diſſertiſſimus videri, ſed barbarus: ſiquidem rem auditores non percipiunt, & nihil ipſis verba ſonantia ſignificant. Aptè Seneca epiſt. 73. ea ieiuna nuncupauit: quia nec ab ipſo proferente, nec aſpectantium auribus guſtantur. *Verba non ieiuna eſſe: & arida volo, quæ de rebus tam magnis dicentur: nec enim Philoſophia ingenio renuntiat: multum tamen operæ impendi verbis non oportet*. Qui ita loquitur non peritus, & eloquens, ſed barbarus, ac ruſticus videtur. Quis enim ſenſatus patienter audiet hominem ænigmata, & ſacramenta ſemper loquentem? Si aliquando verbis inuſitatè magnificis vti licebit, frequenter eis intellectum cruciare vitium eſſe reprehenſibile quis ambiget? Ferè omnes Rethoricæ figuræ peruerſiones ſunt rectæ & ordinatæ eloquentiæ: illis autem qui raro vtuntur, laudem merentur: at qui crebro, ab omnibus faſtidiuntur.

3. Deficit à recta loquendi ratione quiſquis luxuriante verborum ſtructura orationem confundit: nec aliud primi eloquentiæ Patres commendarunt, niſi neruoſam, ac proficuam perſpicuitatem. Præit Ariſt.lib.3.Rect.cap.3. *Siut ergo illa pertractata, ac virtus elocutionis conſtituatur, vt perſpicua ſit: argumento eſt enim, quod eſt: oratio ſi non declaras, officio ſuo non fungitur*. Succinit Quintil.lib.1.cap.6. *Oratio vero, cuius ſumma virtus eſt perſpicuitas, quam ſit vitioſa, ſi egeat, interprete?* Idemque lib.2.c.3. habet *Nam & prima eſt eloquentiæ virtus perſpicuitas*. Et in fine cap.2 lib.8. docet Oratorem non ſolum curare debere, vt auditor vim orationis, & energiam intelligat, ſed vt non poſſit non intelligere. *Quare non vt intelligere poſſit, ſed ne omnino poſſit non intelligere curandum*. De quo plurimum gloriabatur falſiſſimus Mart. lib.1. epigr. 21. cum tamen Poëtis vernare, ac laſciuire verborum florida amœnitate, & lucubratis ambagibus plus liceat. Sic enim habet:

Scribere te, quæ vix intelligat ipſe Modeſtus,
Et vix Claranus, quid rogo Sexte iuuat?
Sic tua laudentur: ſanè mea carmina Sexte
Grammaticis placcant, & ſine grammaticis.

Illos autem vanæ loquentiæ amatores qui non fructus, ſed flores carpunt, carpit Iſaias cap. 55.verſ.2. *Quare appenditis argentum, & non in panibus, & laborem veſtrum, & non in ſaturitate*: Vbi idem Hieronym.lib.15. ſic exponit. *Ex quo oſtenditur eam ſectaudam eſſe ſapientiam, quæ non eſt in folijs, ac flore verborum; ſed in medullis, ac fructibus ſenſuum: quæ non aurem præteruolat: ſed animam reficit*. Vide quid de eloquentiæ floſculis, verborum cultu, ac paratura tam elegans, tam eloquens, & cultus Doctor cenſuerit? Idem increpatum, inuenies Matth. 21. v. 19. vbi Chriſtus Dominus ficulneam maledixit; quia onuſta folijs ad vmbram, fructibus ad guſtum, & refectionem erat viduata. *Nihil inuenit in ea, niſi folia tantum, & ait illi: Nunquam ex te fructus naſcatur*. Quæ verba opportunè ad noſtram theſim flectit Petrus Abbas Cellenſ lib. de panib. in proœmio. *Fructum in ficulnea, non folia tantum quæro: abſit enim vt vmbram ſolum, &*

non

non eſcam patent arbores culturæ noſtræ. Quæ mens etiam fuit Magni Jillius Ænodij lib. 1. epiſt. 11. dum ad quendam Ioannem verborum culturæ nimis deditum, & ſtudioſum ita ſcribit. *Pulchra ſunt, quæ ſcribis; ſed ego amo plus fortia: redimita ſunt floribus; ſed poma plus dlligo*. Hanc infructuoſam eloquentiam apud Plutarchum optimè reprehendit Phocion, *qui orationem Seoſthenis cupreſſis aſſimilanit: hæ namque pulchræ ſunt, & exeelſæ, ſed non ferunt fructum*. Huc enim reſpicit præceptum illud Deuther. 16. v. 21. datum. *Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui*. Lyra, & Oleaſter ideo reputant, lucum, & omnem arborem ab altari Dei remoueri; quia in locis idolatriæ deditis luci, & arbores plantabantur: ideoque à loco diuini cultus arcentur, ne ex aſſimilatione loci, ad aſſimilationem facti traherentur Hebræi. Sed Iſidorus vanam, & infructuoſam miniſtrorum Dei loquelam hic increpatam agnoſcit: *Nemus* (inquit) *frondentes arbores infructuoſæ ſola delectatione viſus plontatæ gentiles ſunt, qui orationem ſuam verborum decore componunt, vt non auertant à vitijs, ſed delectent. Nos autem circa altare Dei, id eſt, Dominicam fidem nihil in verbis infructuoſum componimus, ſed puram veritatis ſcientiam prædicamus*. Non omittendus D. Gregorius qui lib. 5. Moral. non minus eleganter eadem verba exponit ad noſtrum inſtitutum. *Quæſo autem, vt huius operis dicta percurrens, in his verborum folia non requiras, quia per ſacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuoſæ loquacitatis leuitas compeſcitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur. Et cuncti proculdubio ſcimus, quia quoties in folijs malè lætæ ſegetis culmi proficiunt, minore plenitudine ſpicarum grana turgeſcunt*. Renuit Deus iuxta altare ſuum longas verborum frondes ſine aliquo fructu. *No quiere mucho ſollaſe en ſus miniſtros*. Lucus enim vernantem, atque confuſam frondium facundiam ſine fructu aliquo, quia ſterilibus plantis contexebatur, præſeferebat: atque lucus vocabatur per antiphraſim, eo quod nullo modo lucebat, quia cum multæ illic eſſent arbores conſitæ, & nulla cæderetur propter religionem, opacus, & ſine luce ſemper erat, vt ait Laur. Bal, ſic Oratores ſacri, qui tenebricoſis verbis vtuntur, lucum éxtruunt ab omni luce alienum, & confuſaneis tantum folijs contextum, qui auditorum oculos non luce acuit, ſed hebetat; vnde Hieronym. (epiſt. 150. quæ eſt ad Hediuiam) huiuſmodi vanam eloquentiam fulguri comparabat: quia fulguris lux non iuuat ad videndum, ſed aciem oculorum confundit. *Ne fulgori ſæcularis eloquentiæ delecteris, quam IESVS, quaſi fulgur cadentem de Cælo*. Vtinam hæc verba Prædicatorum, ac ſcriptorum mentibus inſideant, qui ſua neglecta, ac proximorum vtilitate, ſermonis tantum verbis adhærent; & futili eloquentię totius vitæ annos, ſermones, ac libros ſacrant.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Sacer Eccleſiaſtes ſit, quod loquitur.

1. CONgruè viſum ſcribere vati præcipitur, vt erudiatur non aliud debere eſſe, quam quod loquitur: ſcriptura enim, quam populo intimabat, ſemper ad oculos ipſum inſtabat, vt id exequeretur, quod conſulebat: & idcirco exarari præcipitur, ne cito tranſeat, & vt magis memoriæ infigatur, proindeque munus aſſumere ſcribę præcipitur. *Scribe viſum*. Vt innuatur concionatorem veluti ſcribam eſſe debere, quia eius opera, tanquam originale reſcriptum, quod apud ſcribam ſemper remanet, eſſe oportebat, doctrina autem, & prædicatio, vt tranſcriptum, quod præbetur litigantibus; quia in omnibus ſub falſarij crimine conformari debent originale & tranſcriptum. Vnde Baſil Seleucan. orat. 21. Prædicatores inſtruit, ne lingua laſciuiente aures offendant, ſed modeſtæ vitę exemplo ędificent: ita vt oratio ſit animi concionatoris interpres. *Vani quidem* (ait) *ſtultique adulterinæ ſapientiæ amatores, quique ſola lingua ſapientiam excolunt, propria doctrinæ fallacis colorata dictione deliram innexerunt inſaniam. Abſit ergo à Chriſtiano oratore lingua fabricatis ſermonibus laſciuiens: ſed potius infucatè perſpicuus ſermo ſit fidelis animi interpres*. Interpretatio enim nil aliud debet exprimere, quam expoſitum argumentum continet, ſed illud illuſtrare, & enodatè, ac perſpicuè elucidatum reddere. Sic ſermo ſic oratio Apoſtolici viri animæ interpretatio ſit: nihil aliud exprimat, quā quod in animo eſt: quod verbis docet, reluceat in moribus: quia (vt dixit Seneca epiſt. 115.) *Oratio vultus animi eſt*. Quidquid in corde latet oratio manifeſtare debet, & adamuſſim exprimere, ne aliud quam loquitur, videatur Orator. Vnde Chryſol. ſerm. 57. *Lingua tantum breuis eſt ſuæ mentis interpres*. Anima prędicationis probitas Concionatoris eſt, proindeque mortuum erit verbum. Quandocunque opera mortua ſunt. Erit ſine anima oratio, vbi Orator ſine anima eſt; ęmulari debent Concionatores Gallum, cui illos comparat Gregorius lib. 3. paſtor. cap. 16. quia Gallus cum ad cantum ſe præparat, ſe ipſum prius excitat alis verberans, & antequam alios voce feriat, ſe ipſum percutit. *Gallus iſte* (ait Gregor.) *cum iam edere cantum parat, alas prius excutit, & ſe ipſum feriens vigilantiorem reddit*. Verba, & mores neque breui vngue debent diſtare: ne Concionator alios inſtruens, reprobus efficiatur: atque ipſi accidat, quod puteo; qui puram aquam alijs exhibet, & ſordes ſibi ſemper retinet. Qua ſimilitudine quidam Præſul Prędicatores virtute vacuos carpebat, vt habetur in vitis Patrum lib. 10. paral. 6. *Dixit*

Abbas

Abbas Paſtor: Si quis docet aliquid, & non facit, quod docet, ſimilis eſt puteo, qui omnes ad ſe venientes ſatiat, & diluit ſordes, ſe ipſum autem purgare non poteſt: ſed omnis ſpurcitia, & immunditia in eo eſt. Probæ vitæ mores optima eruditio eſt: nec ſuadere valet, qui contemnit opere, quod verbo docet. Vnde Bernard. epiſt. 102. *Memento etiam voci tuæ dare vocem virtutis. Quid illud inquis? Vt opera tua verbis concinnant; imo verba operibus: vt cures, videlicet, prius facere, quam docere. Pulcherrimus ordo eſt, & ſaluberrimus, vt onus, quod portandum imponis, tu portes prior, & ex te diſcas, qualiter oporteat alijs moderari.*

2. Laudatura ſponſa dilecti ſui oculos, qui inter omnes corporis partes excellunt, per comparationem ad columbas, propter ipſarum puritatem, & ſimplicitatem, eos refert. *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lota.* Cantic. 5. verſ. 12. Vt pulchertimos ſponſi oculos demonſtraret, & qui nec nimis procurrebant, nec nimis profundebantur, ſed ſicut gemmæ poſiti in ſuo orbe, ſimiles exiſtimat oculis columbarum ad riuos aquarum reſidentium. Sed quod non facilè percipitur in huiuſmodi comparatione, id eſt, quod columbis lacte lotis oculi conferantur. Communiter per oculos Prælati, & Prędicatores hic accipiuntur; qui tanquam columbæ ſimplices, ac puri debent apparere. At vt quid lacte perhibentur loti? Quis vnquam lacte abluere conſueuit, & aquam huic muneri prætermiſit, cui naturaliter competit? Lac enim ad lotionem ineptum eſt: quia ipſo non modo non purgantur res à maculis præhabitis, ſed vlterius inquinantur. Vt quid igitur Prędicatores lacte abluti arridebant ſponſę? Optimè Giſler. in commentario huius loci. *Eandem nimirum quam paruulis potum dant puritatis, lactiſue doctrinam, in ſemetipſis eorundem repræſentantes aſpectus, ita vt nedum illa verbis prædicent, ſed & vita, & moribus præſeferant.* At ſi dicat. Aqua & ſi abluat, non alit, & idcirco non opportuna Prędicatoribus ablutio eſt: magis congrua lactis videtur, quia & abluit, & nutrit, atque ea doctrina, quæ cæteros paſcunt, ſe ipſos Prædicatores nutriunt. Cibum, quem adminiſtrant, ſibi debent præberei poculum, quod alijs exhibent, prius bibere expedit; ne ſiti moriantur aliorum ſitim extinguentes. Vlterius lacti, non aquæ Prædicatores comparantur: quia aqua ſi fundatur è vaſe, nihil ipſius in eo remanet, quia omnino euacuatur: at vero ſi lac effundetur è vaſe, illud albedine ſua affectum relinquit, ibi vndique adhærentibus lactis partibus, quæ illud dealbant. Sic ſacri Eccleſiaſtes non debent effundere doctrinam, qua ſunt imbibiti, neque aqua mundare, quin aliquid in ipſis remaneat: lacte purificare debent audientes, vt doctrina ipſa, qua alios mundare conantur, ſe ipſos etiam lauent, ac mundent. Id ipſum gentium Doctori accidit: de ipſo enim locutus Chriſtus Dominus dicebat Ananiæ: *Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael.* Actor. 9. verſ. 15. Et cur cum Paulus conſtituitur Prædicator veritatis, vas dicitur Dei nomen includens, & portans? Cur non buccina, aut aliud ſimile nuncupatur, qui euangelicas voces per vniuerſum orbem mittitur ſparſurus? Ad huiuſmodi enim prędicationis munus ingenti Paulus indigebat præconis voce, non mutuo vaſis, & inanimato ſilentio. Incluſum in vaſe verbum quo pacto in omnes terræ partes exibit, & audientium occupabit aures? Verum odor nominis IESV, quod Paulus mittitur diuulgare, & ſpargere, olei effuſi redolebat naturam. *Oleum effuſum nomen tuum.* Cantic. 1. verſ. 2. Oleum autem, quod à vaſe effunditur, odorem ſui ipſius in vaſe illud continente relinquit, atque non omnino euacuatur, quia partes eius vaſi inhęrentes remanent. Ne autem Paulus aliud loqueretur, & aliud eſſet, vas verbo Dei plenum efficitur, in nullo à verbo, quod continebat, diſcordans: opere exprimebat doctrinam, quam verbo tradebat obſeruandam: illud ipſum erat, quod prædicabat: nec odoris, quem ſpargebat, remanebat vacuus: verba & vita eandem exhalabant fragrantiam, operabatur verba, prædicabat operibus, & non alijs tantum ſapiebat, ſed ſibi ipſi.

3. Relegatus in Inſulam Patmos Euangeliſta Ioannes filium Dei vidit extraordinaria veſte vndequaque indutum: & inter alia gladium notauit ancipitem ex illius ore egredientem. *De ore eius gladius ex vtraque parte acutus procedebat.* Apocalypſ. 1. verſ. 16. Prima, & communior huius loci expoſitio de Verbo Dei, quo per Prophetas, Apoſtolos, ac Prædicatores loquitur, hæc verba capit: ſic Origen. hom. 17. ſuper Numer. Auguſt. cap. 20. de ciuit. Dei. Ambroſ. lib. 3. de Virginibus, Aretas Panoni. & Richard. de S. Vict. Qui ex Græco vertunt: gladius duplicis oris, ſeu duo ora habens. Sicut etiam Iudith cap. 3. vbi dicitur: *Fecit ſibi gladium ancipitem*: Hebræus legit. *Et fecit ſibi gladium; & ei duo ora.* Quibus conſonat Paulus ad Hebræos 4. verſ. 12. *Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipite.* Hoc autem per translationem accipiendum eſt: nam ſicut oris eſt cibum concidere, & abſumere, ſic os dicitur gladij ea pars, qua mordet, ſecat, & terit. Iam ergo difficultas animum, & oculos pulſat: cur Verbum Dei gladius anceps, ex vtraque parte acutus, ſeu duo ora habens dicatur. Sic minax, & formidabile Prædicatorum eloquium erit, vt omni ex parte feriat, ſecet, & vulneret? Quos vno ore iuſtitiæ rigore percutit, nonne alio miſericordiæ ſuauitate alliciet? Si ex vna parte ferit, cur non ex alia medetur? Ad quid duo ora Verbo Dei, quod vno ore debet ab omnibus

proclamari? Ad quid gladius anceps in ore mitem. ac ſuauem legem diuulgantium? Plura Patres hic Penſicare. Suſpicor tamen, illorum placita ſemper præferens; gladium ancipitem, & duo habentem ora Verbum Dei periberi: quia Concionator illud proferens, non alios tantum debet ferire auditores, ſed etiam ſeipſum. Duo ora debet habere: alterum quo populum, quo ſe mordeat alterum. Non ſat eſt aliorum aures percutere, niſi proprias percutiat. Morboſa pars populi vno ore ſecetur: at ſi fortè in ipſum contagium ſerpſit, alio ore abſcindat: ne quod voce emendare procurat, inficiat exemplo, & cæteris viam ſalutis demonſtrans ab ipſa aberret, ac talis ſit, quales dixit Ioann.Geminian.lib.10. cap. 63. *Prædicatores,qui dicunt,& non faciunt, ſimiles ſunt cæcis, qui ſedent in introitu ciuitatis mendicantes: quia tranſeuntibus viam oſtendunt, ſed nunquam in ea pedem ponunt.* Doctrina, quæ docentis moribus non animatur, nec firmatur exemplo, nullius momenti eſt, & vel damnato non videtur proficua.

4 Inter gehennales cruciatus pauper ille, ac miſerrimus diues Lazarum vidit in ſinu Abrahæ feliciter opulentum, & ſociatum cœleſtibus incolis: atque ipſum deprecatur, ad fratres ſuos mitti, vt viam veritatis eis oſtendat, ne ſicut ipſe in barathrum detrudantur. *Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis: ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Luc. 16. verſ.27. & 28. Stultus adhuc perſeuerat Epulo diues, dum Lazarum, cui tam inhumanus fuit, ad prædicandum ſuis fratribus poſtulat deputari. Cur non obſecrat, vt ſibi liceat fratres adire, atque tormenta,quæ patitur, referre, vt ab erroribus reſipiſcant,& in ipſo, ſupplicium, quod ipſis imminebat, aſpicerent? Quæ eloquentior doctrina flammis ipſis, quibus cruciatur impius? Cur non ſibi munus prædicationis expoſcit, ſed Lazaro committi conatur? Audi Auguſtin.q.38 lib.2. ſuper Euang. egregiè rimantem. *Quod verò Lazarum petit mitti ad fratres ſuos, ſenſit ſe vtique indignum, qui teſtimonium perhibeat veritati: & quia non impetrauerat paululum ſe refrigerari, multo minus credit, relaxari ſe poſſe ab inferis ad prædicationem veritatis.* Sic ineptus prædicandæ veritatis miniſter videtur, qui odere non præſtat, quod alios docet, vt vel diues fatuus in flammis conſtitutus hoc nouerit, & non ſibi, ſed Lazaro prædicationis officium petat committi, quia ſe indignum illo munere iudicabat,nec profecturum fratribus ſuis præſagiebat, quia doctrinæ prædicandæ contradicebat,operibus. Diuitè hoc damnato minus ſapiunt, qui idoneos Miniſtros prædicationi ſe reputant, & operationem doctrinæ non copulant.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Apoſtolici Concionatoris munus eſt, non blandiri, ſed obiurgare, cuiuſcunque ſint, vitia.

1. Concionatores,qui vt proprio commodo prouideant, vt temporalem vtilitatem venentur, correctionem omittunt, & Potentum vitia palpando diſſimulant,& tacitè approbant, quantum Eccleſiæ, & Reipublicę exitium afferant, nemo eſt, qui ignoret. Illos acerrimè carpit Philo. lib. de migrat. Abrahę. *An non vides* (inquit) *iſtos adulatores, qui tam nocte, quam interdiu permulcent aures ſuis Regibus, nec tantum applaudunt dictis eorum ſingulis, ſed & prolixis eos ornant laudibus, quos tamen execrantur tacitè.* Hic enim vnicus multorum eſt ſcopus, Principibus, & ſuperioribus applaudere, ac in omnibus aſſentari,attentèq; animaduertere,cuius ingenij, & naturæ ſint, vt iis commodius ſe ſe aptare poſſint, quo morum congruentia ducit, vt ſummum apud eos locum obtinere queant. Sic olim Conſiliarij Cambiſis Regis (ex Herodoto) ipſi ſciſcitanti, an ſuam liceret ſororem in vxorem ducere:Regi licere(reſponderunt)quidquid voluiſſet. Talis adulator ille Demetrij, qui non raro (teſte Plutarch.) illud vſurpabat. *Quidquid Rex Demetrius iubet, id eſſe erga Deum ſanctum, id eſſe apud homines longè iuſtiſſimum.* Olim & nunc accidit, quod dicebat Plinius in ſuo panegyr. adTraia. *Vidimus curias elingues,in quibus dicere quod velis, periculoſum: quod nolis, miſerum eſt.* Rarus inuenitur Miniſter, qui metu mortis poſtpoſito Principibus intrepido fronte dicat,quod ſentit;idque tanquam miraculum celebrauit Ammianus in Theodo. lib. 29. *Solus penè omnium erat,cuius linguam non effrenem, ſed deſpicientem, quæ loqueretur,nullus claudebat periculi metus.* Exindeque Epitectus eiuſmodi acerrimos veritatis defenſores conſulebat eligi. *Approbato eos* (inquit) *qui bene conſulere cupiunt,non etiam eos, qui vbique adulari ſtudent: illi enim vtile in veritate cernunt: iſti verò ea,quæ potentibus placent, ſpectant: corporum vmbras imitantes omnibus illorum dictis aſſentiuntur.* In eo autem, quod adulatores vmbræ comparat, eo quod corporis motum & figuram obſeruet, minùs rectè mihi dixiſſe videtur: etenim licet vmbra omnes corporis motus imitetur;tamen corpori non adulatur: quia, ſi curuum eſt, curua apparet: adulator autem placendi deſiderio,& aſſentandi ſtudio ex curuis rebus tectas repræſentat, & è contra ex rectis curuas, in quo vmbram excedit.

2. Longè aliter ab hoc adulationis vitio arcendi ſunt Concionatores ſacri; qui conſtantes eſſe debent in exprobrandis vitijs, etiam ſi capi-

Digitized by Google

capitis periculum ipſis immineat, & potentium indignationem iucurrant. Monco tamen cautè procedendum, ne adulationis extremum deuitantes in maledicentiæ collimentur ſcopulum. Nec maledicentia, nec adulatio Concionatorem decet Apoſtolicum: vtrumque extremum fugiendum eſt, atque cohibendus zelus, ne nimis ferueat, & imprudenter in inuectiuam degeneret. Ex hiſtoricis, qui Principibus aut blandiuntur, aut detrahunt, dixit Tacitus hos vltimos periculoſiores eſſe: nam adulatio ex ſuo genere ita eſt illiberalis, ac vilis, vt abiectiſſimum, & ſeruilem animum arguat, nec multum noceat, dum à degenere indole oriri deprehenditur: at maledicentia, & detractio elatum animum præſefert, atque libertatem quamdam ingenuam, qua plus lædit. Quicunque ergo Eccleſiaſtes adulatur, omnibus exoſus eſt, & ab omnibus deſpicitur: at qui verbis vtitur cruentis, & venenatis vitiorum acerrimus accuſator, & intrepidus Chriſtianæ veritatis propugnator habetur: atque plus fidei ſuis reprehenſionibus adhibetur: cumque plerumque proprij doloris, & offenſionis, aut innatæ maledicentiæ ſit loquela: nihilominus ſtrenua reputatur libertas. Nec minus adulator deprehenditur, qui maledicit, quam qui blanditur: nam Potentiori adulari vnius eſt aſſentatio: at ipſi detrahere adulatio eſt eorum omnium, qui audiunt, quia omnes libenter accipiunt ſatyrica verba in potentes eiaculata: nec eſt, cur minus ille, qui pluribus, quam qui vni tantùm blanditur, reputetur adulator. Nulli ergo debet Concionator ſacer offenſionem dare, nulli blandiri: ſed cuiuſcunque ſint crimina, innocuis perſonis, obiurgare: de quo ſe jactabat Martial. lib. 10. epigr. 36.

Hunc ſeruare modum noſtri nouere libelli,
Parcere perſonis; dicere de vitijs.

Sic reprehendere, ſic ſentire licèt: nam mali de bonis etiam malè, boni de malis benè ſentire conſueuerunt. In laudibus fas eſt perſonas exprimere: at in vituperijs nec ſignare licèt. Illibatis igitur perſonis vitia carpere, & acerrimè obiurgare tenetur Apoſtolicus Miniſter etiam cum vitæ diſpendio.

3. De primo orbis Concionatore Enoch dicitur Geneſ. 4. *Iſte cæpit innocare nomen Domini*. Quod non videtur cum veritate cohærere: nam huiuſmodi munus Adamus, Cain, & Abel prius exercuere: & in tempore ipſius Enoch vero ſimile eſt: plurimos alios Deum prædicaſſe, atque exaltaſſe illius laudes. Pererius ſic dictum putat: *Quia ſuper omnes priores pius, & Religioſus erga Deum fuerit, non modo colendo pietatem, & Religionem verſus Deum, ſed etiam prædicando, diuulgando, & homines docendo*. Præ cæteris Enoch Verbum Dei declamabat, & idcirco de ipſo dicitur nomen Dei inuocare cœpiſſe, alios omittente ſcriptura, qui idem fecerunt: quia hi ſecretò inuocabant ob metum Gigantum, qui primi tyranni humanæ libertatis extiterunt. Enoch autem abſque formidine vitia reprehendebat, ac publicè increpabat: & ideo primus dicitur Prædicator: quia is ſolus Concionatoris ſacri nomine dignus eſt, qui Gigantes non timet, qui Regum potentia non deficit, etiam cum vitæ periculo, ab obiurgandis criminibus. Huc arcanè reſpiciebat Eccleſiaſt. cap. 11. de Ape locutus. *Breuis in volatilibus eſt Apis, & initium dulcoris habet fructus illius*. Apis nomine Concionatores Apoſtolicos intelligit Chryſoſtom. ſerm. 83. de defectione Lunæ; & plures alij. At quid in ape Prædicatorium genium exprimit? Auſculta Cardin. Hugon ad hunc locum. *Vocem habet apis maiorem, quam corpus: ideo vocem Prædicator debet habere adeò magnam, quod audiatur à peccatoribus iuxta illud Iſaiæ 40. Exalta in fortitudine vocem tuá tu, qui euangelizas Sion*. Adde etiam & nimis congruè: *Quod ſicut apes* vt ait Plinius lib. 11. cap. 18.) *amittentes aculeum moriuntur*; & ſecundum Auicenn. *Pro defenſione ſui Regis certant, & pugnant, & pro eo perire pulchrum putant*: ſic Concionatores Apoſtolici pro Dei defenſione ſpicula in rebellium peccatorum corda debent infigere, ac pro illius honore perire pulchrum exiſtimare. ita vt nec mors ipſa eos deterreat, vt in quoſcunque etiam potentiſſimos Reges, ac Dynaſtas legis aculeum exerceant. Idcirco apud Iſaiam 60. verſ. 8. nubes, & columbæ compellantur. *Qui ſunt hi, qui ſicut nubes volant, & ſicut columbæ*. Cur nubibus Euangelici Miniſtri conferuntur? Suſpicor: quia ſicut nubes eſt terrenus vapor, qui è centro terræ eleuatus, idque radiorum ſolarium virtute, quæ cum ſe in altum ſuſtulit, ipſi ſe opponit ſoli, cumque obſcurum reddit, cum ſit ſolaris luminis interceptiua, multotieſque facit, vt Sol eclipſim patiatur, etiamſi nubes ipſa in pluuiam paulatim deſcendat reſoluta: ſic Apoſtolici Concionatores, etiamſi tenuiſſimi vapores ſint è terræ puluere eleuati, imo & ab ipſomet Rege, & Dynaſta (qui tam apud Sacros, quam apud prophanos Authores per Solem denotantur) debent, ſi opus fuerit, ipſis Magiſtratibus ſe viriliter opponere, ipſos obſcurare, eorum obiurgare vitia, tametſi certo ſciant ob id in imbres ſanguinis reſoluendos eſſe. Quod & Baptiſtà, & nobilis Apoſtolorum cœtus, ac plerique Vates fecerunt. Ob eamdem cauſam columbæ confertur Prædicator; de qua Plinius lib. 1. cap. 18. *Gemit pro cantu primo, ſalſiorem terram collectam in ora inſpuunt pullorum, fœno græco magis delectantur, quod quantò peius tractatur ſit melius. Rarum dictu eſſe aliquid, cui negligentia proſit*. Quod Euangelicis Miniſtris apprimè congruit: nam perſecutionibus, & laboribus pro Deo, & ſuo munere adimplendo perpeſſis ſaginari, & nutriri debent, atq; exinde profectus captare. Gemitum, quo audientium corda, & oculi humectentur, emittere tenentur; non titillare, ac mulcere verbis,

nec faciem potentis formidare.

4. Hinc Apoc. cap. 10. verſ. 4 tonitrua Prædicatores dicuntur: *Locuta ſunt ſeptem tonitrua.* Quia ſicut fulmina, quæ ad tonitrua ſubſequuntur, rebus conſiſtentibus opponuntur, atque in eis impetum exercent, mollibus autem, & imbecillibus parcunt: ſic diuini verbi Præco humiles, & inualidos fouere debet, ſuperbos verò conterere, atque confringere, illorumque vitia increpare viriliter, & ardore doctrinæ conſumere. Veluti fulmina (quæ refert Seneca lib. 2. natural. cap. 31. & de quibus loquitur Maiolus colloquio 1.) quæ in venenatis ſerpentibus venenum extinguunt, ipſis ſerpentibus illæſis, experientia comprobante: ſic Euangelici Miniſtri in potentioribus, qui venenatè viuunt, & reliquos mortifero morſu adoriuntur, ſcelerum venena penitus abſumere debent, nec illorum gratiam, & proprias laudes ex munere ſuo captare: nam hoc Dei Verbum, adulterare eſt, vt dicebat Paulus 2. Cor. 2. verſ. 17. *Non ſumus ſicut plurimi adulterantes Verbum Dei.* Ad quæ verba ſic exſcribit Gregor. *Adulterare Verbum Dei eſt, aut aliter de illo ſentire, quam eſt, aut ex eo non ſpirituales fructus, ſed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ.* Neſciant huiuſcemodi adulterinos fœtus Prædicatores percipere blandientes auribus: ſed veluti fulmina vitia ſauciare, & interimere, & ſine perſonarum diſcrimine illa exprobrare. Ideo enim Dei Verbum exarare præcipitur Vati noſtro, vt omnes æqualiter videant, omnibus pateat, nec pro perſonarum differentia, aut oſtendatur veritas in illo contenta, aut obnubiletur. *Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, vt percurrat qui legerit eum.* Hic verſ. 2.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Non eget humani eloquij præſidio verbum Dei, vt aridos peccatorum animos fœcundet.

1. NOn eloquentia, quæ floribus vernat, & humana arte venuſtatur, ſed quæ roboratur cœleſti ſenſu, virilis eſt, & altè in audientium animis imprimitur: vis enim diuini verbi ſuggerit eloquentiæ energiam, & virtus, quæ ipſi ineſt, efficit ſine artificio Rethorem. *Fluat vt ros eloquium meum*, dicebat Moyſes Deut. 32. verſ. 2. Ros enim herbam irrigat de ſupernis veniens, & abſque hominum induſtria eam facit creſcere, ſic (inquam) cœleſtis doctrina corda fœcundat hominum, & ardorem cupiditatum ſæculi extinguit abſque humano artificio. Non nititur mundi præſidijs, nec eloquentia, aut ſapientia humana, ſed diuina virtute. Sicut ſtilla ſuper populorum corda cadit, & ea irrigat: in elaboratis verbis efficaciter perſuadet, nec ruſticitate vocum euigoratur, ſed virilior redditur. Moyſes apud Madianitas fugitiuus de paſtoritia ſedulitate vocatur ad Principatum populi, & vt ipſum à miſera eruat ſeruitute, ad Pharaonem ire præcipitur, vt Dei iniungat præceptum, & captiua plebs ab Ægypto educatur. Ipſe autem tam ſublime munus recuſans, & imparem ſe reputans ad Pharaonis domandam peruicaciam, officium detrectat, ſuam impotentiam, ruditatem, atque ineloquentiam repræſentans. Cui Dominus: *Ego ero tecum: & hoc habebis ſignum quod miſerim te. Cum eduxeris populum ex Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum.* Exod. 3. verſ. 12. Quærunt Interpretes, quodnam ſignum fuerit exhibitum, vnde Moyſes colligeret, ſe tantę legationis aptum fore miniſtrum, & tanti exercitus ducem. Burgenſis ſic quæſt. diruit. *Inhabilitas* (inquit) *ſeu debilitas Moyſis, quam Deo oſtendebat ad excuſationem ſuam, erat intenta à Deo, vt eſſet ſignum manifeſtum de hoc, quod iſta eductio fieret à ſolo Deo.* Recuſat Moyſes legationem, non fucatæ humilitatis ambitione, ſed vera cognitione ſuæ inhabilitatis: balbutiem, & ruſticitatem ad munus ipſi iniunctum effugiendum proponit: & tamen ob ipſam incapacitatem eligitur? Ita ſanè. Nam quo Moyſes ineleganctior ad perſuadendum erat, eo efficaciùs perſuaſurus videbatur: quia Dei verbum, quod committebatur ipſi, non indigebat acquiſitæ ſapientiæ præſidio ad conterendum Pharaonis cor: ipſa inſufficientia ſufficientem efficiebat: atque congruus Miniſter cenſetur dum humanę artis, & creatę eloquentię facundia deſtitutus perhibetur: quia Dei eloquium ſe ſolo, & abſque adminiculis artificioſæ peritię, potens eſt marcidas, & exſiccatas mentes irrigare, atque ſine eloquentiæ floribus virtutum flores ſpirare.

2. Genas atque collum ſponſę laudaturus ſponſus, ſic vtrumque depingebat. *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis; collum tuum ſicut monilia.* Cant. 1. verſ. 9. Plures de ornatu exteriori, & extrinſecus adueniente vltima verba capiunt: at Origen. hom. 1. in Cant. Theodoret. & Bernardus ſerm. 41. de innata Sponſæ colli pulchritudine prędicta verba accipiunt, & per ſimilitudinem ad monilia, torquem, ſeu catenulas aureas, quę ſolent virginum colla circumdare, Sponſę collum refertí. Ac ſi diceret: ſic pulchra, & decora ſuaptè natura niuea ceruix Sponſę eſt, vt minimè indigeat monilibus, aut torquibus, vel alio externo adminiculo, vt elegans appareat: vincit enim venuſtate ex orbis finibus accerſitos vniones: ſuperfluit ars, vbi natura condecorare prętiuit. Per huiuſmodi autem Sponſę collum Cardin. Hugo in Comm.

Comm. huius loci Prędicatores ſacros intellexit. *Collum tuum; id eſt, Prædicatores, & Doctores Eccleſiæ*. At quę ſimilitudo inter collum à natura venuſtum, & Prędicatores Eccleſię? Nam Concionator arte, & ſtudio debet potiri, vt iniunctum munus decenter, & fructuosè expleat. Vt quid igitur cum collo, nullo elaborato ornamento coudecorato confertur? Sanè, vt innuatur, quod verbum Dei ipſis commiſſum inaffectata elegantia, & natiua energia audientium mentibus plurimum arridet, atque corda quo voluerit vertet: non indiget, vt in ſcholis erudiatur, à quocumque enim tranſmittatur collo, & ſic illitterato intuentium oculos rapiet, & commouebit corda. Accinit Bernard. loco citato. *Solet ornari collum monilibus, non ipſis comparari: ſed hoc illæ facient, quibus, quia de proprio non ineſt decor, aliundè neceſsè eſt, mendicent, vnde ſe ſpecioſas mentiantur: nam Sponſæ collum ita in ſe ipſo formoſum, & tam decenter quaſi natura formatum eſt, vt extrinſecùs non requirat ornatum. Quid enim opus eſt peregrinorum fucos adhibere colorum, cui propria, & tanquam innata ſufficit pulchritudo?* Non igitur Sponſa monilibus caruit, quia ſub obſcuro loco nata fuit, & agreſtem duxit originem: ſed quia à natura ſic venuſta fuit, & tam eminentem pulchritudinem in vultu oſtendebat, vt nec margaritorum, nec alijs gemmis indigeret, vt elegans, & grata appareret. Non egent Prædicatores ſacri ſplendida locutione, aut lepido ſermone, vt gratioſi videantur auribus: ſublimior enim virtus, quę in verbo Dei latet, naturaliter pulchra eſt, & animum totaliter implet, atque vtiliſſimis ſuccis eum fœcundat, & fortitudine ſua virile robur pręſtat, vt audientium corda conterantur, & reuereantur illud.

3. Vt populum ſuum à tyranno Eglon ipſum vexante liberaret, ſuſcitauit Deus Aod, qui vt impium interficeret, gladium ancipitem pręparauit, & eo accinctus ſubter ſagum in dextro femore. *Ingreſſus eſt ad eum: ſedebat autem in æſtiuo cœnaculo ſolus dixitque: Verbum Dei habeo ad te: qui ſtatim ſurrexit de throno.* Iudic. 3. verſ. 20. ipſumq; pugione transfixit, & interfecit. Veritus ne ictu fallenti plagam non ſatis lethalem ei inferret, cogit ſurgere: & idcirco verbum Dei ei intimandum portare dixit. Quaſi diceret (inquit Lyra) *Oportet, quod ſurgas propter reuerertiam verbi Domini*. Quod & pro votis ipſi accidit. *Statim* (inquit text.) *ſurrexit de throno*. Mirum ſanè eſt, quod ſuperbiſſimus Rex, & ipſo vultu tantum formidabilis (nam craſſus nimis, & turgens elatione deſcribitur) ad imperium homunculi inermis, & abiecti (ſic enim apparebat indutus ſago, & ſordida veſte, vt animum celaret, & inexpertus in armis videretur) ſtatim à throno regio deſcenderet. Quid reuerebatur impius Princeps in homine tam infimę ſortis, quod ipſius verbis obtemperans ſurgit, & regium ſolium relinquit? Auſculta verba quę protulit: *Verbum Dei habeo ad te*. Non indiguit Aod ab aulicis in pręſentiam Regis adduci, & commendari, non habitu generoſo, neque nobili pompa, vt à Rege reuerenter exciperetur, ſed Dei verbo tantum, vt tyranni Regis animum deprimeret, & vt non ſedens, ſed ſtans in reuerentię ſignum illud audiret. Non eloquentibus, & organicis conſtructis orationibus negotiatur Regis ſubmiſſam attentionem, ſed nudo Dei verbo impijſſimum, ac ſuperbiſſimum tyrannum flectit, vt eum audiat cernuus, & humilis excipiat legationem. Diſcant Catholici ex ethnico Principe Dei Pręcones, & verba reuereri. Simile illud eſt, quod habetur 4. Reg. 9. ibi enim miſit Eliſæus vnum de filijs Prophetarum, vt vngeret Iehu in Regem, & vltionem ſumeret de impio Achab, & de domo eius. Accedit Propheta, vt exequatur præceptum, ſecreto vngit Iehu: qui cum egrederetur de cubili, & à Principibus quæreretur, quid diceret inſanus ille, eiſque factum referret: *Feſtinauerunt itaque* (inquit text.) *& vnuſquiſque tollens pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus eius in ſimilitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnauit Iehu*. Inſania ſanè videtur, quòd propter verba hominis, quem inſanum reputabant, Iehu Regem conſtituant, atque contra Regem rebellent. Quæ huius leuitatis cauſa? Audi text. *Verbum mihi ad te ò Princeps. Sic dixit Dominus Deus Iſrael: Vnxi te in Regem ſuper populum Domini, ſuper Iſrael.* Ibi verſ. 5. Hæc verba, quæ nuntius dixit ad Iehu, ipſe detulit ad Principes, qui etſi inſanum, & abiectiſſimum hominem ea deferentem putarent, tamen dum Dei eſſe agnoſcunt, ipſis aſſentire, atque electum Principem Iehu habere non dubitant. Efficaciſſimum Dei verbum eſt, vt quæcunque corda immutet. Illud enim abſque humanæ artis adminiculis virili, & ſubſtantiua eloquentia conſtat. Succinit Caiet. ad prædicta verba. *Ne putarentur ludicra geſta hæc, inſcribitur coniuratio Iehu cum Principibus exercitus contra Ioram Regem Iſrael: Deus enim operabatur in animis eorum*. Non ſumit verbum Dei vigorem, & animoſitatem ab ornamento humanæ ſapientiæ: per ſeipſum ad interiora deſcendit, animum requirit, & illum efficaciter pungit.

4. Semel & iterum introiuit Nathan palatium Dauid, aliter tamen, & aliter: nam 3. Reg. 1. verſ. 23. ſic Prophetæ ingreſſus narratur. *Cumque introiſſet in conſpectu Regis, & adoraſſet eum pronus in terram, dixit Nathan: Domine Rex, &c.* At cum primò acceſſerat ad Dauid, non ſicut hic flexo poplite deuolutus eſt Sanctus in genua, neque præmiſit tantæ reuerentiæ præambula. Sic enim refert textus ſacer. *Miſit ergo Dominus Nathan ad Dauid: qui cum veniſſet ad eum, dixit ei: Duo viri erant in ciuitate vna, &c.* 2. Reg. 12. verſ. 1.

Quæ

Quæ tanti diſcriminis cauſa? Cur qui ita reuerenter, ac ceremonialiter primò ad Regem ingreditur, cum ſecundo accedit, nullum humiliationis ſignum præbet, ſed audacter, quaſi hominem alloqueretur plebeium, ipſum increpat? Egregiè D. Gregor. lib. 7. mor. c. 15. *Quomodo* (inquit) *Nathan contra Dauid Regem per verba increpationis tumuit, qui cum increpanda culpa deeſſet, in terram in conſpectu eius protinus ſtrauit?* Cum ſecundo accedit Nathan, non Dei verba deferebat, ſed priuatam agebat perſonam; at cum primò Dei præcepto in Dauidis præſentia ſiſtitur, ſacri Concionatoris incumbebat muneri; & idcirco tunc, cum reus Rex ad Dei tribunal apparet, cum ſceleris arguitur commiſſi diuinus Præco non elatione, ſed egregia officij ſui auctoritate, neque proſternitur, neque faciem reueretur Principis, ne Dei verbi maieſtati detraheret. Cum verò innoxium alloquitur Regem, & priuatam agit perſonam, vt par erat, ad pedes ſe demittens, ipſum veneratur. Neque ipſe Rex ſic reprehenſus, & abſque reuerentia tractatus, indignatus eſt, quia in verbis Prophetæ energiam, & efficaciam diuini verbi præſenſit, atque fortiorem eloquentiam in ſermone particularis hominis rimatur, quam à ſcholis, & rethorica arte poterat exhauriri. Idcirco Dei verba reuelanda Prophetæ, ſicut accepit, præcipitur ſcribere, vt omnes inſpiciant in tabulis exarata, quia Oratoris cultura, & energia non indigebant, vt intuentium animos mouerent. Ipſa enim efficaciam continent ſine eloquentiæ humanæ præſtigijs, & in tabulis mortuis deſcripta, mortua valent reſuſcitare corda. *Scribe viſum, explana eum ſuper tabulas, vt percurrat qui legerit eum.* Hic verſ. 2.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Hominum iudicio ſe ſubijcit Deus, vt apud ipſos ſua iuſtificetur cauſa.

1. Difficile eſt, vt bonus ſit, qui non bonus reputatur. *Reo iam vicinus eſt, qui malus putatur*: dicebat Caſſiodorus lib. 11. variar. epiſt. 10. Qui malus creditur, in proximo eſt, vt malus ſit: quia communiter communis hominum conſenſus à veritate non aberrat: nunquam enim neque ſine indicio turpitudinis vitium, neque ſine lucis radio ipſam detegente, inuenitur virtus. Huc reſpexit Plinius in panegyrico Traiani, cum amorem, quem Deus exhibet Principibus, cum beneuolentia, quam ipſi meruerunt à populo, metitur. *Et ſanè piorum Principum exitus docuit, nec à Dijs quidem amari, niſi quos homines ament.* Etenim tanti facit Deus hominum approbationem, vt quæ ipſis arrident ipſi videantur placere, & quaſi non ſufficeret diuinæ mentis rectitudo, quæ deuiare non poteſt, approbationem humanam exquirit, vt eius opera plus iuſtificentur. Hinc decernens mundum peccatis ſcaturientem aquarum diluuio delere, per aliquot dies aqua paulatim terram operiri diſpoſuit. *Facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Gen. 7. Commune eſt non primo alluuionis die terram fuiſſe inundatam vndequaque, ſed partim aqua obrui primo die, partim ſecundo, & ſic de reliquis: ita vt per quadraginta dies, & noctes diluuium protraheretur taliter, quod non ſimul omnia animantia perirent. Res admiratione digna, & indigna (vt apparet) Dei clementia: nam ſupplicium, quod guttatim infligitur, plus ſine dubio cruciat, & affligit. Cur igitur Deus diluuium produxit per tot dies, vt immani atrocitate ſuperſtites torqueret homines, & mortem non ſemel, ſed multoties biberent, atque in aliorum ſtrage propriam toties repetitam præſentirent? Audi Chryſoſt. hom. 35. in cap. 7. Gen. qui ita accidiſſe tenet: *Vt omnem defenſionis prætextum adimeret.* Paulatim ſupplicium Deus infligit, vt plus eius iuſtificetur cauſa, & hominum approbationem habeat: ipſorum enim ora obtundebat, cum neque morientium clamore, neque horrore cadauerum, nec euidendi naufragio iamiam ipſis minante, ad eum ſe conuertere vellent. Cunctanter ſupplicium protrahit, & longas temporis moras interponit, vt reſipiſcant, eorum contritionem per tot dies expectauit, vt ipſi, qui remanebant inconuerſi, ſe dignos tali ſupplicio, proprio ore faterentur.

2. Poſt commiſſum peccatum à paradiſo voluptatis eijcitur Parens primus, & ipſius cuſtos conſtituitur Cherubim flammeo enſe ingreſſum paradiſi omnibus hominibus interdicens. *Eiecitque Adam, & collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni, vitæ.* Geneſ. 3. verſ. 24. Accidit poſteà, temporis plenitudine adueniente, quod æternum Verbum carnem aſſumeret, moreretur, & ſurgeret: & ſtatim paradiſi cœleſtis Petrum conſtituit cuſtodem. *Et tibi dabo claues Regni Cælorum.* Matth. 16. verſ. 19. Valdè miratur Chryſoſtom. quod ſic in diuina curia commutentur munera, quòd paradiſo terreſtri Angelus præponatur cuſtos, cœleſti autem clauicularius homo deſtinetur. Conuenientius videbatur rerum naturis, vt cuſtos paradiſi cœleſtis fieret Angelus, terreſtris vero homo: ſic enim inter perſonas, & officia proportio intercederet. Spiritua-

lis

Digitized by Google

lis Angelus ſpirituale regnum cuſtodiat: terrenus homo terrenum locum ſeruet: hic res agat propriȩ naturæ cognatas: ille ſuo genio affines. Cur loco hominis ſufficitur Angelus, & loco Angeli ſubſtituitur homo? Redeat Chroſoſtomus hom.80. in Matth. loco citato. *Ideo*, inquit, *non Angelis hæc eſt commiſſa poteſtas; quia nunquam peccauerunt: ſed homo paſſibilis ſupra homines ordinatur, vt dum in alijs ſuas recolit paſſiones, mitem ad eos ſe præbeat, & benignum*. Si ſupernam Patriam cuſtodiret Angelus, qui nunquam à gratia cecidit, peccatores pœnitentes proficiſcentes ad ipſam, & cœlum ingredi volentes deterreret, & vtpotè impeccabilis ingreſſum prohiberet, quo homines excuſationem haberent, ſi de ingreſſu in cœleſtem paradiſum non eſſent ſolliciti: timor enim ipſius cuſtodis eos relegaret, & inertes, atque excuſatores redderet. At dum cœli cuſtos peccator conſtituitur, nullus excuſari, nec retardari licitè poteſt de non quȩrendo cœlorum regno. Ne ergo Deus anſam præbeat hominibus ad negligendum cȩleſtis patriȩ ingreſſum, & vt damnandi nullam habeant excuſationis cauſam, cuſtodem ſtatuit peccatorem, vt per ipſos ſtet ſua perditio, & humana malitia neque prȩtextum habeat ad detrahendum diuinȩ bonitati. Concinit huic cogitationi viſio illa, quam Ioannes cœlitus illuſtratus in ſpiritu habuit: vbi cœleſtis Ieroſolymȩ duodecim portȩ, in quibus duodecim tribuum Iſrael nomina ſcripta erant, ipſi apertȩ apparuerunt. *Ex tribu Iuda duodecim millia ſignati: ex tribu Ruben duodecim millia ſignat &c.* Apocal. 7. verſ.5. & ſic de cȩteris tribubus; nullam tamen mentionem facit de tribu *Dan*. Et ſanè mirabile eſt, quod in cœlo duodecim portȩ deſcribantur, & in vnaquaque earum perhibeatur ſcriptum eius nomen, & tamen reliqua recenſens, ſilentio tribum *Dan* prætermittat: prȩſertim dum omnes portæ ad ingreſſum apertæ apparent. D.Auguſt. (quȩſt. 22. in Ioſue) idcircò reputat Euangeliſtam nullam de tribu *Dan* feciſſe mentionem, quia ex illa originem ducturus eſt Antichriſtus, qui cœlum non ingredietur, & propterea eius reijcietur tribus. Sed adhuc vrget difficultas, vt quid porta Antichriſto ſignatur in cœlo, & aperta perhibetur, ſi cœlum non eſt ingreſſurus? Superfluè enim apponitur porta, vbi ad vſum non eſt inſeruitura. Crediderim tamen peculiarem portam Antichriſto deſignari apertam in beata ciuitate, vt innoteſcat, quod Deus, quantum ex parte ſua eſt, nec Antichriſto portas claudet, quia ipſum ingredi non renuit. Idcirco ſufficientia auxilia illi prȩſtabit, portas reſeratas reliquet, ita, vt ſi noluerit ingredi, ſibi imputet, non Deo, neque de ipſo conqueratur, quod ianuam claudat. Sic enim conſulit ſuæ opinioni, vt vel ore ipſorum, quibus ſupplicia infligit, ſua iuſtificatio firmetur.

3. Leuitic. 13. verſ. 44. pro leproſis huiuſmodi dabatur lex. *Quicunque ergo maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium Sacerdotis, habeat veſtimenta diſſuta caput nudum, os veſte contectum: contaminatum, ac ſordidum ſe clamabit*. Lex nimis rigida videtur, & durum prȩceptum ſilentium leproſo ægrotanti imponere, ita vt neque conqueri, neque remedia infirmitati opportuna exagitare ei liceat. Qui veſtimenta diſſuta habere prȩcipit, vt vndequaque candens lepra appareat, cur os aperire prohibet? Auſculta Origen. hom.11. in cap.13. Leuit. *Quid eſt hoc, quod omnes corporis partes nudas habere præcipitur, & os ſolum operire iubetur? Ideo os ſuum iubetur operire, quia malè agendo, loquendi perdidit libertatem*. Quaſi dicat: Idcirco os contegere leproſo prȩcipitur, vt innuatur eum, qui malè agit, non habere loquendi libertatem. *Para darle vn tapaboca*. Hiſpanè dices. Et vt ſuam cauſam Deus iuſtificet: quia cum à Deo peccator de ſuis arguitur ſceleribus, non habet quid reſpondeat, proindeque obmuteſcere debet; quia ſic Deus ſupplicia infert, vt perpenſis vndique cauſis, non ſolum diuino, ſed etiam humano iudicio, iuſtiſſima appareant: nec remaneat conquerendi locus. Huc ſpectat pulchra illa quȩſtio, quam excitat, & ſoluit D. Chryſoſt. hom. 54. in Ioann. ipſius verbis ſoluenda, & proponenda. *Quod ſi quis inquireret: Quid tandem cum fur eſſet* (Iudas nempè) *loculi ei pauperum committebantur? Cur auarum, feciſſet diſpenſatorem? Vt omnem tolleret proditionis materiam: nec enim poterat dicere; pecuniarum id cupiditate feciſſe (ſufficientes enim loculi eſſe debebant, qui eius ſatisfacerent cupiditati) ſed ſola malitia*. Propterea Dominus auarum Diſcipulum diſpenſatorem conſtituit, & Apoſtolici cȩtus pecunias apud ipſum repoſuit, vt appareret non eorum, quos apud ſe habebat, nummorum cupiditate, ſed ſola malitia, & deprauata inclinatione furem extitiſſe: atq; exinde innoteſceret, non ex defectu fauoris Magiſtri, ſed ex ſua nequitia condemnatum iri. Sic prouidit Deus ſuȩ opinioni, vt non dedignetur ſuppliciorũ, quȩ infligit, & cȩterorum, quȩ operatur rationem hominibus reddere. Licet enim, vt dixit Tacitus lib.1. annal. *Ea ſit cõditio imperandi, vt non aliter ratio conſtet, quam ſi vni reddatur*: & regalem maieſtatem dedecere videatur ſuarum actionum cauſas reddere: Deus, qui de operum rectitudine gloriatur, eorum motiua exprimere non recuſat. Idcirco in tabulis, vbi perſpicuè, enodatè, & abſque vlla hȩſitatione legeretur, tyrannicam, ac violentam Nabuchodonoſoris immanitatem prȩcipit exarari, vt ſupplicij poſteà ipſi infligendi cauſȩ omnibus pateant, ne vel leuis calumniandi occaſio relinquatur, hominibus. *Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, vt percurrat qui legerit eum*. Hic verſ.2.

Verſ.3.

Verſ. 3. Quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.

ANNOTATIO III.

Expoſitio Litteræ.

1. CVM Dominus aduerſus Iudæos inſtantem Chaldæorum aduentum prænuntiat, non iubet Prophetam ſcribere: *Sed aſpicite* (dixit) *in gentibus, & videte; admiramini, & obſtupeſcite*. Præcedenti cap. verſ.5. Nempe, quia opus fiet in diebus veſtris: nec ſcripturæ recordatione opus eſt, vbi rerum prænuntiatarum conſpectus prædictionem ipſarum è veſtigio ſubſequitur: at quoniam Babylonis ruina longum poſt tempus futura, & euentura prædicitur. ne cadat vaticinij memoria, quæ viderit Habacuc, tabulis, imprimere præcipitur. *Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, quia adhuc viſus procul*. Hic verſ.2. Non mox fient, quæ modo videbis, ſed è longinquo ventura proſpicis; apparebunt, tamen indubiè præſtituto tempore, neque fallent. Senſus hic planus eſt, & omnibus Expoſitoribus peruius. Scribe hanc viſionem, quia non cito implebitur: adhuc procul eſt eius impletio. *Et apparebit in finem*. Sine dubio apparebit hæc viſio, ſed in fine, ideſt, in nouiſſima ætate mundi, tandem tandem apparebit, etſi differri videatur.

2. *Si moram fecerit, eſpecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit*. Hæc eſt prophetia in tabulis ſcribenda buxeis, locuſque valde difficilis, & in cuius intelligentia digladiantur Expoſitores: nam inueſtigabile videtur, de quo hæc pars prophetię ſit accipienda. Aliqui contorquent, & referunt ad Iudęorum tempora, de quibus Propheta proximè loquetur: quando, videlicet, opprimentur à Chaldęis longo exilio, & ſeruitute ſordida: tempus autem, quod exſpectare iubetur vates, illud dicunt, quod exactis ſeptuaginta annis proximè ſuccedet, quando fundo Chaldæorum imperio, Iudęorum quoque finietur leuta captiuitas. Ita Theodoret. Cyrill. Alexand. Albertus, Montanus, Iſidorus Gueuara, & Caſtro. Vnde verba illa, *Si moram fecerit exſpecta eum*: de viſu, qui exarari pręcipitur, intelligunt: quaſi diceret: Exſpecta eum viſum, ſeu viſionem quam procul eſſe dixi. Sic ad litteram prędicti Auctores. Quamuis myſticè de Chriſto intelligenda eſſe affirment Cyrill. Albert. Adamus, & Sanchez.

3. Tamen de Chriſti aduentu accipiunt multi, nec illi vulgaris notę Interpretes: quorum Anteſignanus eſt Magnus Hieronym. Euſeb. Teophilat. Rupertus, Haymo, Remigius, Hugo, Dionyſius, & Ribera. Cumque duo ſint Chriſti aduentus, de ſecundo cum ad iudicandum veniet, cum Hieronymo ferè omnes citati Auctóres accipiunt. Ego vero licèt priorem ſententiam probabilem admodum reputem, quę ea omnia, quę exarari iubentur in tabulis, hiſtoricè capit de ſeruitute Babylonica, myſticè autem de Chriſto: in poſteriorem tamen ſententiam magis inclino, & quia D. Hieronym. & grauiſſimorum Patrum eſt, & quia nihil contingit, quod non facilè poſſit dilui. Fundamentum autem, quo nitor, vt verba hęc de Chriſto in ſecundo aduentu accipiam, ex eo ſumitur, quod cum conqueſtus eſſet Propheta, eo quod benè eſſet, ac iucundè impijs, & ab illis iniuſtè, atque tyrannicè viri religioſi, & inopes inualidi vexarentur, accommodatè ad Prophetę querimoniam videbatur Deus reſponſurus, ſi futurum prędiceret generale quoddam examen, & iudicium à ſupremo, atque incorrupto Iudice, qui ſuperbos deprimeret, iuſtos verò, & inopes exaltaret, atque ab omni vindicaret infamia. Accedit maximè, quòd Paulus ad Hebreos 10. ad hunc locum videtur alluſiſſe,

ſiſſe, dum de Chriſti aduentu loquitur; cuius verba de primo, qui iam præceſſerat, intelligi non poſſunt. *Patientia* (inquit) *vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes reportis repromiſſionem. Adhuc enim modicum, aliquantulumque qui venturus eſt, veniet, & non tardabit.* Quem locum fere omnes Expoſitores de extremo iudicij tempore interpretantur.

4. Neque fundamentum præcipuè à Sanchez adductum nimis in oppoſitum vrget: nimirum ſi de Chriſto ſaltem in cortice foret vaticinium illud. *Exſpecta illum* non videtur niſi admodum obſcurè, atque ænigmaticè in Chriſtum conuenire, idque omninò diuinando. Illud enim relatiuum antecedens aliquod deſiderat, quod intueatur. At de Chriſto noſtro, aut quod idem valet, Seruatore, aut à gentibus deſiderato nihil hactenus in noſtro vate auditum eſt. Etenim ly *veniens* intelligitur merito idem Chriſtus, non autem viſus; vnde 70. genus mutauerunt, vt docerent, non ſe iam de viſione loqui, ſed de Chriſto. Ex his etiam perſpicuum fit, Prophetam explanaſſe viſum ſuper tabulas, ideſt, apertè ſcripſiſſe: quoniam nomine venientis, aut venturi ita omnes Chriſtum intelligebant, ac ſi planè Meſſias diceretur, veniens namque per excellentiam appellabatur: proindeque in noſtra translatione *veniens* non eſt participium, ſed nomen ſignificans Chriſtum Dominum.

5. *Exſpecta illum.* Verbum exſpecto interdum importat deſiderium alicuius rei, ex qua aliquis fructus ſuauitatis percipitur: interdum noxium euentum. Atque idem eſt exſpectare, ac timere; quod optimè congruit exſpectationi vltimi diei, de qua Luc. 21. verſ. 26. dicitur: *Areſcentibus hominibus præ timore, & exſpectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi.* Nec hæc acceptio inuſitata eſt ſic enim Tertullian. notauit lib. de pallio: ſperare pro timere accipiens: & Seneca epiſt. 83. *Speramus non bona ſolum (vt quidam ſomniant) ſed mala.* Idem habet Lampridius in Alexandrum. *Ille metu perterritus, & ſperans non poſſe euadere.* Atque Ammian. lib. 14. *Antiochenſi plebi ſuppliciter obſecranti, vt Indiæ diſpelleret metum, quæ per multas, difficileſque cauſas affore ſperabatur.* Et pro omnibus Philo lib. de Abraham definiens ſpem, & timorem: *Duplex eſt exſpectatio: altera bonarum rerum: altera rurſum malarum.* Vt igitur Propheta, & quicumque alius in tabulis aduentum ad iudicandum exaratum legeret, timore corriperetur, exſpectare iubetur.

6. Conquerente igitur Vate noſtro de præſentibus ſui, ſuorumque ærumnis quas ab iniuſtis Chaldæis, & eorum Rege paſſuri erant, ſolatur eos Dominus, annuncians vniuerſale quoddam examen, & iudicium à ſupremo, incorruptoque Iudice, qui tyrannos ſubiugaret, & exaltaret iuſtos. Quia verò totum præſentis vitæ tempus, æternitati comparatum, monumentum vnum eſt apud eos, qni æternitatem contemplantur: idcirco ait: *Quia veniens veniet, & non tardabit.* Illa namque inter iuſtos, & mundanos homines circa huius vitæ conſiderationem intercedit differentia, quæ eſt inter Aſtrologum, & Geographum: hic enim cum de terra, tanquam de ſuæ ſcientiæ ſubiecto agat, eam maximam eſſe deſcribit, in regna, prouincias, ciuitates, & oppida diuidens: Aſtrologus autem, qui cœlum meditatur, & eius aſtra, pro obiecto habet, affirmat, minimam ſtellam ex ijs, quæ in firmamento exiſtunt, vniuerſam terram magnitudine ſuperare. Sic homines huius ſæculi, qui de temporali tantum vita loquuntur, eam diuidunt in ſæcula, ætates, annos, menſes, hebdomadas, atque dies: iuſtus verò, ac pius, qui æternitatem gloriæ contemplatur, momentum, & horam eam nominat. Hinc Ioan. 1. dicitur. *Filioli nouiſſima hora eſt.* Et Chriſtus Dominus totum tempus à ſua incarnatione ad finem vſque mundi horæ vnius ſpatio comparauit, quando cum hominibus ad operandum in vinea conuentionem fecit: vt. vt habetur Matth. 20. & ideò vati noſtro dicitur, quod Dominus ad iudicium non tardabit. *Quia veniens veniet, & non tardabit.*

DISCVRSVS I. MORALIS.

Finale iudicium ita æquum erit, vt non ſolum homines Deo, ſed Deus hominibus ſit rationem redditurus.

1. VIſio, quæ Prophetæ apparuit, & in qua examen vltimi diei exprimebatur, in tabulis exarari præcipitur, vt dilucidè, ac perſpicuè, atque ſine hæſitatione ab omnibus legeretur, conſtaretque ratio decretorum, quæ in ipſis continebantur: ſic enim prouidebit Dominus ſuæ opinioni in extremo iudicio, vt rationem reddat eorum, quæ tunc decernet, atque in mundi gubernatione eſt operatus, & illa exponet omnibus iudicanda; idcirco rationis diem communiter vocamus extremum, quia non ſolum homines Deo ſuarum operationum rationem reddent, verum etiam, quia ipſe Deus rationem eſt redditurus: licet enim videatur paradoxa, & impropria locutio, cum Dominus nunquam villico ſatisfaciat: tamen ipſe Dominus ſic cogitandi anſam præbuit, cum dixit, quod ad ponendam rationem cum ſeruis ſuis, & partitas vtriuſque partis liquidandum accedebat. *Ideo aſſimilatum eſt regnum cælorum. Homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis.* Matth.18.verſ.23. Qui rationem petit, oneri non ſuccumbit: atqui ad rationem reddendam accedit, ſatisfactionem exhibere tenetur. Si ergo Dominus ad ponendam rationem ſedet, non ſolum homines arguere venit, & eorum debita inquirere, ſed vt ab hominibus arguatur. Huc videtur reſpexiſſe Iſaias, cum dixit. *In igne Dominus diiudicabit.* cap.66.v.16. vbi Hebræus legit: *Diiudicabitur Dominus in igne.* Etiam ipſe Dominus iudicabitur, & ipſius opera ad bilances deuenient. Eodem modo Ioël 3. verſ. 2. loquitur de huiuſmodi computo. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in valle Ioſaphat, & diſceptabo cum eis.* vertit Hebræus: *Iudicabor cum eis.* Etiam Dei opera ad iudicium deuenient, & eorum reddetur ratio. Quod & Dauid perſpicuè dixit. *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Pſal.50. verſ. 6. Ac ſi diceret: erit tempus cum rationem tibi reddam de meis cogitationibus, verbis, & factis: & tunc tuorum operum iuſtificatio magis eluceſcet. Quando hæc erunt? Cum Dominus Dauidem diiudicat? Non equidem: ſed cum ab ipſo iudicatur. *Et vincas cum iudicaris.* Non dixit cum iudicas, ſed cum iudicaris, tunc enim accuſationes vinces, quas malitia humana diuinæ opponit bonitati. Illuſtris huius euentus præfiguratio fuit in Abraham, qui cum ad oſtium domus ſediſſet, vt peregrinos exciperet, atque humanitatis officia exerceret, *apparuit illi Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi.* Geneſ.18. verſ.1. Cognouit Dominum Abraham, & tenet quædam Hebræorum gloſa à Nicolao de Lyra relata, quod cum Abraham ſurgere voluiſſet, vt Deo debitam reuerentiam exhiberet, præcepit illi ſedere, cum tamen ipſe Dominus ſtans remaneret: non quia inurbanitatem in ſeruo ſuo approbaret, ſed quia voluit quod Abraham ſederet, tanquam Iudex pro tribunali cum ipſe tanquam reus ſtans perſeueraſſet, vt prænuntiaret futurum, quod ipſe ab hominibus iudicaretur, quos arbitros ſuarum operationum conſtituebat. *Abraham* (inquit Lyra) *voluit ſurgere ex reuerentia diuinæ apparitionis; ſed Dominus dixit: ſede: tu es in ſignum filijs tuis: futurum eſt enim, vt filij tui ſedeant, & ego ſtem.*

2. Dubitat S.Thom. part.3. qu.59. art. 3. Cur diem vniuerſali iudicio, quo homines iudicentur, & examinentur eorum opera, Dominus deſignauerit, cum ſit fide certum, vnumquemque in die ſuæ mortis iudicatum iri, & ipſius ſententiam ex tunc eſſe prolatam præſertim cum Dei decreta irreuocabilia ſint, & cauſæ ſufficienter perpenſæ. Cur igitur ſemel concluſi proceſſus, & determinatæ cauſæ iterum ante ſuum tribunal ſunt repetendæ? Cur reus ante Iudicem iterum ſiſtitur, & cogitur comparere, vbi omnia immutabilia remanent? Varias rationes aſſignat idem S.Doctor huiuſmodi repetiti iudicij. Crediderim non eſſe incongruam eam, quam ſequimur; licet enim ſit certum, & fide ſancitum, quod cum dies iudicij aduenerit; quique præceſſerunt homines erunt iudicati, & eorum ſententiæ prolatæ, rationeſque redditæ: reſtat tamen, quod Deus rationem ſui ipſius reddat, & ab hominibus iudicetur, ad quod præcipuè ſtatuitur illa dies, vt ante ipſius tribunal rationes referantur, & motiua, quibus in mundi prouidentia, & gubernatione fuit vſus, atque ita erit expediens: nam vſque dum Deus rationem reddat, & quibuſdam de ipſo non bene opinantibus ſatisfaciat, non videtur dignus laude perpetua.

3. Apocalypſ. 4. verſ. 8. Ioanni cælitus illuſtrato thronus gloriæ Dei apparuit, vbi auguſtior eius gloria oſtendebatur: & inter cæleſtes Proceres, quatuor aſtabant animalia, quæ glorioſum illud triſaginum inceſſabiliter repetebant. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Quæ animalia quatuor eſſe perfectiſſimos Angelos, & reliquorum optimates, ferè omnes tenent Interpretes. Verùm differtiſſimis ſpiritibus indignum videtur canticum, quod Ioannes ſubiungit. *Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* Nam Laus reſonat imperfecta, & truncatus ſtylus: aliter enim hymnus concinnari debeat: nam vt æternitatem comprehendant, quæ illius acclamationis

finis

Digitized by Google

finis erat, durationem Dei in tribus temporis differentijs, eo quòd omnes ſupergrediatur, exaltare debebant,& argutè canticum ſic componere: qui *erat*, & *qui eſt*, & *qui erit*. At non ità prædicant, ſed *qui erat*, *& qui eſt*. *& qui venturus eſt*. Laus, planè diminuta videtur, cum circulum non claudant, neque eternitatem comprehendant. Cur Angeli, qui ſcientia pollent infuſa, ſic orationem incouſequentem intonant, quam quilibet humanæ rethoricæ conſcius coucluderet rectè? At videre licet, qui illa laude exaltent; Dei, nempè, ſanctitatem, & iuſtitiam. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Igitur ſic completam laudem, & gloriam prædicant, non dicant qui erat, & qui eſt, & qui erit: ſed *qui venturus eſt*. Quia vſque dum Dominus adueniat,& in iudicio compareat, vt ſuorum operum rationem reddat, non videtur eius ſanctitas laudabilis nimis,neque ius habere videtur ad perpetuam durationem; tunc enim cum hominibus ſatisfecerit, ſanctus, & iuſtus pleno ore prædicabitur, cum ex rationis redditione ſua iuſtitia elucefcat, atque impiorum blaſphemiæ confundantur.

4. Reſtat tamen examinare, de quo ſit Dominus redditurus rationem, & quid ipſi homines ſint obiecturi. Quandam,ni fallor, partitam, quam Tertul. cap. 2. detexit; loquens enim de patientia Dei ſic fatur? *Ità patiens eſt Deus vt ſua ſibi patientia detrahat*. Ac ſi diceret: audio inter homines quandam perſonam Deo detrahentem. Mira res: impudens detractio, quæ diuinum attingit honorem: quis temerario auſu Diuinitati inſidiatur? Quis Deitatis ſolium ore impauido prophanare audet? Ne conturbemini (ait Tertulian.) nam Deus intra ſe ipſum perſonam habet ſibi detrahentem: quam? Suam patientiam. *Ità patiens eſt Deus, vt ſua ſibi patientia detrahat*. De quo igitur ſua patientia Deo detrahit? De quo murmurat? De ſe ipſa: de tolerantia, qua Deus per tot ſæcula homines peccatores, & patitur, & exſpectat. Quare ex parte diuinæ patientiæ in illis curijs generalibus ſurget procurator, qui de Deo hanc querelam, & accuſationem præſentabit:tu Domiue cum ſis Princeps ſupremus, & abſolutus, mundi machinam regis, tibique incumbit, & remunerari, & punire. Cur igitur tot peccata, & abominationes impunitas ſuſtines? Cur idolatriam effrænem, hæreſes triumphantes, luxuriam, auaritiam, & cœtera vitia taliter inſolentia relinquis? Mundum ſic inordinatum, vt iuſti, ac virtuoſi calamitatibus ſint oppreſſi, peccatores autem vſque ad nubes exaltati? Cur honorem, diuitias, & magnitudinem non bene eis vtentibus tribuis, & pateris, iuſtos, qui tua mandata adimplere conantur, paupertate, abiectione, & miſeria laborare? Vt verè dicat Dauid: *Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum* Pſalm. 72. verſ. 13. Quaſi tuam prouidentiam arguens diceret: videò mundi peruerſionem: diuitiæ non benè illis vtentibus tribuuntur: pulchritudo illa ſcandalizantibus: imperia, & poteſtates iniuſtitiam, & tyrannidem exercentibus. Ad quid igitur mihi inſeruit bene viuere, & mortificari, niſi vt ſemper triſtem, & laborioſam vitam agam? Vſque quo Domine hominibus ita inſolens licentia peccandi, & tibi ita diuturnum ſuſtinendi genus, vt hinc blaſphemeris ab hæretico, ab idolatra iniuriam patiaris; non enim Deum putant, qui talia ſuſtinent, & tandem quod tua patientia tibi detrahat? Igitur neceſſe fuit, vt Dominus ſui ipſius rationem redderet: ſiquidem ſua patientia ipſi detrahebat, & mundus obmurmurabat. Maximè, quia vt Deus non exerceat alia ſua attributa, habet intra ſe ipſum excuſationem: nam ad iuſtitiam temperandam adeſt miſericordia: vt iras retardet clementia: cœterum vt ſuo honori, & famæ prouideat, cum de illo murmuratur, & non bene audit, non habet in ſe ipſo attributum aliquod, quod manum detineat, & executionem retarderet: proindeque neque omiſſionis prætextum. Quare querelis ſuæ patientiæ debuit directè reſpondere: præcipuè ad id.quod ex parte iuſtorum contra peccatores objicitur: nam his ſemper fortuna ridet, bonis, & delitijs cumulantur: cum tamen iuſti fame pereant, & mille ærumnis ſint obnoxij. Et vt verum fatear, onus grauius cuius Deus, homines inſimulabit, & crimiuiosè arguet (quia in ipſo Deus grauatus apparet) illud erit. *Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram: & non collegiſtis me; nudus, & non cooperuiſtis me*. Matth. 25. A ſolis diuitibus videtur Deus rationem petere, illis nimirum: qui cum bona haberent,quibus bona exercerent opera, illa omiſerunt. Pauperes verò non venient iudicandi? Venient quidem: cœterum peccatis pauperum neque cauſam, neque occaſionem Deus præbuit. Quod pauper peccet, à propria habet fragilitate; verùm quod diuites proſperentur, & bonis abundent, quibus malè operantur, videtur contra Deum accuſatio, cum ipſe ſit qui huiuſmodi bona diſtribuit, quibus abutuntur, & ad ſua praua deſideria adimplenda feruntur. De hoc ergò Dominus eſt rationem redditurus,& eam reddet in extremo illo iudicio, vbi ad menſuram receptorum pœna, & tormentum erit, quibus corripientur impij. *Potentes potenter tormenta patiuntur*. Sapient. 6. verſ. 7. Hoc ſolùm ſolatium admittebat Dauid, cum videret ſemper iuſtos egenos, opreſſos, & abiectos: peccatores autem bonis, & fœlicitatibus cumulatos. *Intelligam in nouiſſimis eorum* Pſalm. 72. verſ. 17. Exſpectemus tantiſper, vſque dum videamus exitum, & finem illorum, qui à beneficijs Dei occaſionem arripiunt, vt ipſum offendant, & ſatisfactionem, quam Deus præſtabit ſuæ patientię querelis.

5. Appellet igitur ad illum diem humana afflictio: ſiquidem ad illum appellauit diuina oppreſſio. Inuidia enim, & potentia Chriſtum Dominum multoties inſimulauit, qui de alio ad illud fuit perlatus tribunal. Hic falſa teſtimonia audit, illic audet impius iudex eum intetrogare, ſi fortè eſſet Deus. Sum equidem, dixit. *Sed videbitis filium hominis in nubibus cum poteſtate magna, & maieſtate*, Matth. 26. verſ. 64. Acſi diceret: intetrogate, calumniamini, iudicate; erit enim dies, quo ego vos iudicem, & regnum meum appropinquet: nunc triumphet mendacium, præualeat inuidia, conculcet potentia, virtutes, & merita patiantur: nam erit iudicij, dies contra ſecula dementia. Lætamini (inquit) Diſcipulis ſuis cum videritis illum diem appropinquare, ibi enim veſtra libertas conſiſtit, ibi afflictus à ſuo labore, infœlix à ſuis ærumnis, bonus à ſua oppreſſione liberabitur, & commutabuntur fortunæ: nam qui in hoc mundo perſecutionem patiuntur, proſpera potientur, & triſtitia illos poſſidebit, qui bonis, & delitijs abundaruut.

DISCURSUS II. MORALIS.

Extrema iudicij dies adeò eſt periculoſa, & formidabilis, vt peccatoribus nulla euadendi affulgeat ſpes, & iuſtis ſit cauſa formidinis.

1. CUm totus naturæ ordo inuertatur, cum Dominus ad iudicandum venit, ſplendida cœlorum aſtra à proprijs ſedibus extrahantur, Sol inuſitato prodigio obſcuretur, & tabeſcat, luna pauore inſolito ſanguinem vertat, mare pauoroſos ſtrepitus formet, & præ iudicij timore tota mundi machina diſſolui videatur: non mirum, quòd homines, contra quos creaturæ omnes armantur, areſcant, & extra ſe ipſos, præ exſpectationis æſtu, agere videantur. Illud autem ſuper omnia timendum, & deplorandum, quod metu ita erunt perterriti, vt cum ad ſibi ſubueniendum pluſquam ſomno ſint ſopiti, pœnis, & cruciatibus ipſis iuſligendis pluſquam excitati erunt. Ut timorem illius diei incuteret, ſic de illo præſagiebat Regius Pſaltes. *Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt, qui aſcenderunt equos: ex tunc ira tua.* Pſal. 17. verſ. 16. Quaſi diceret: eo peruenit dementia hominum, vt dum ſalui eſſe poſſunt, & ad periculi fugam ſunt parati, in ipſo quaſi ſomno correpti permaneant: hæc enim tuæ indignationis cauſa. Hilarius Arelat. ſubtiliter horum verborum inconſequentias annotauit. Quo pacto fieri poteſt, vt equos aſcendant, qui ſomno ſunt traditi? Et eo admiſſo, ſi equos aſcendunt, vt periculum fugiant, cur in periculo ſomno permanent ſopiti? Si iuſtitiam diuinam fulgura, & iras contra ipſos minantem, & iam iam impetentem vident, & ſuper equos aſcendunt, vt quid non habenas laxant, & calcaria applicant à ſomno excitati, vt periculum vitent? ità enim, ita continget in illo ſeuero iudicio; nam taliter erit inſolens timor, & ſtupor, quo homines concutientur, quod cum pluſquam à ſomno excitari, vt pœnas luant, inueniantur, & executionem diuinæ vltionis; pluſquam à ſomno ſopiti, vt periculum fugiant, exiſtent: & quaſi marmorea ſtatua in detecto poſita, quæ licèt fulgura ſuper ſe videat deſcendere, immobilis perſeuerat; ſic diuinæ iracundiæ furor homines in frigida marmora conuertet, vt ad ſe tuendos gelidi, & ſomnolenti, & ad luendas pœnas inſomnes, & excitati inueniantur.

2. Deplorabat Iſaias deſolationem, & ruinam ſuæ peramatæ Ciuitatis, & cladem Ieroſolymitani templi, in quo erat vltima Hebræorũ fiducia, & calamitatem conciuium, & filiorum Iſrael videns, ſic lamentatur: *Filij tui proiecti ſunt, dormierunt in capite omnium viarum, ſicut Oryx illaqueatus: pleni indignatione Domini.* Iſai 15. v. 20. Quaſi illorum cladis commiſerans diceret: filij tui carceribus mancipati, & in compedibus detenti ad quos tyrannica dominatio perduxit, alto ſomno dormierunt: ſicut Orygi ſolet accidere. Neceſſe eſt Plinium adire, vt mentem Prophetæ expendamus huiuſmodi animalis proprio genio cognito. Scripſit de eo lib. 4. cap. 3. ità eſſe brutum, ac ſtolidum, vt inter retia (ad quæ eum reduxit venatorum diligentia, & induſtria) dormiat Sopore graui ſuper vtramque aurem: ſi forte eis canes perperceunt. Res admiratione digniſſima: inter venatorum vociferationes, canum latratus, equorum hinitus, quæ cadauera à ſomno valent excitare, hoc animal ſomnum captat, & alte dormit, atque vbi periculoſius exiſtit pluſquam dormiens inuenitur. Quod in cauerna, circa fontem, in ſolitudine abſque cura, & timore dormiat. non mirum; verùm in periculo ingruente, inter cruentos canum dentes, in retibus illaqueatum, in venatorum manibus, res videtur incredibilis. At non aliter in formidabili vltimo iudicio continget: nam de illo myſticè loquitur Propheta; vbi ſtupor, & gelidus tremor ſic homines alienabit, vt cum damno ſint pluſquam excitati, remedio, pluſquam à ſomno erunt grauati: acerbæ punitionis rigor ſic exſpirare faciet vitales ſpiritus, vt extra ſe ipſos homines appareant.

3. Sed quid mirum, cum & ipſi iuſti à propria conſcientia tuti, timore concutiantur, & præ iudicij exſpectatione areſcant, non quia peri-

Digitized by Google

periculum ipſis immineat, ſed conſideratione tantum, quod damnatorum fortuna potuerit ipſis accidere, & quod poſſibile fuerit, illorum miſeræ ſortis eſſe? Renuebat Dei mandatum fugitiuus Jonas, & cum ad portum Joppen deueniſſet, ibique paratam nauim inueniret ad eundum in Tharſis, pelago in ipſa ſe committit. Sed nondum mare calcat, cum inobedientem Prophetam non ſuſtinens, ad cœlum erigitur, furentibus vndis, quaſſatur nauis, & iam iam dehiſcente, & diſrupta compage, naufragium imminebat, atque in ipſa vecti periclitari cœperunt. Contremiſcunt nautæ, mittunt ſortes, & cum earum ſuffragio agnouiſſent profugum Prophetam furibundæ procellæ cauſam extitiſſe, ad ipſum in penetrali nauis altè dormientem deſcendunt, indè extrahunt, & in mare iactant. Eat, & quieſcat marè: quid indè? Non hic admiratio, ſed in eo, quòd ſubijcit textus, ſcilicèt, nautas poſt Prophetam in mare iactum timore concuti, pertimeſcere, atque ad ſe inuicem collidi, *Stetit mare à feruore ſuo, & timuerunt viri timore magno*. Joann. 1. v. 16. Mira res. In tranquillitate nautæ dicuntur timere, qui virili animo in procella extiterunt. Quid tunc pertimeſcunt? Si mare placidum, ac pacatum apparet, perflante auræ tranquillæ, à periculo ſunt innocui, vt quid formidant? Tunc enim tempus erat inſtrumenta muſica tangendi, vexilla, & flamulas mittendi ad aera, canendi celeuſma. Fortè ex atrociſſima tempeſtate cerebrum euerſum extrahunt, quod in ſereno mari turbantur, qui in turbulento intrepidi extiterunt? Crediderim id ità accidiſſe inſpectione tantùm euentus Prophetæ, & conſideratione, quòd ſimilis fortuna ipſis potuit contingere. Viderant enim ad nauis ora monſtrum marinum acceſſiſſe, & deglutiſſe Prophetam, à naribus duos riuos iactans, maris, quod ſorbuerat, non exiguam partem euomens, & ea tantùm cogitatione, quod parilis fortuna ipſis potuit euenire, timore perfunduntur, adhuc cum extra periculum ſunt, & qui obfirmato animo in tempeſtate extitere. Jonæ miſera ſorte perſpecta, in tranquillitate paueſcunt. Non aliter in illo tremendo iudicio adſtabunt iuſti: licèt enim in dextera manu Judicis tanquam electi quiete tranquilla fruantur ſecuri, videre tamen infelicem cateruam damnatorum, præcipitatorum ad inferos, & poſſibile fuiſſe illorum numero adſcribi, ſat erit, vt concutiantur timore, horreſcant, trepident, & contremiſcant, non ſeruili metu, ſed filiali, qui docet electos. Hinc Dauid funeſtum illum diem prędicens, & lamentabiles illius euentus, cum à reproborum punitione incepiſſet, timore concludit iuſtorum: *Propterea deſtruet te in finem, & euellet te. Videbunt iuſti, & timebunt*. Pſalm. 51. verſ. 7. Et quid iuſti formidabunt, cum potius de ſua ſorte, & felicitate gaudere debeant? Fortè timent, quòd Deus ſententiam mutet, & eos annumeret reprobis? Non inquam. Non de ſua ſorte anguntur, & trepidant, ſed de exitio reproborum feralibus gehennæ cruciatibus deditorum ſibi olim poſſibili tremunt: diſtractionem enim damnatorum, & auulſionem à dextra iudicantis videntes, quæ ipſis potuit contingere, contremiſcunt. Exindè Salomon de ſecuritate iuſtorum locutus dixit: *Iuſtus quaſi leo confidens*. Prouer. 28. verſ. 1. Cur iuſtorum confidentia cum leone confertur? Suſpicor, quia leo (vt auctor eſt Pierius lib. 1.) maxima febri cruciatur, illique ſemper obnoxius eſt, & vt aliqui annotauerunt, ita febricitat, vt febrem antecedat frigoris tremor (ſicut in tertianis contingere ſolet) vel ipſam comitetur, eo quod leonis pars inferior terræ frigiditatem participet. Sic iuſti quaſi leones exiſtent ante tremendum illud tribunal: quia ita in Dei miſericordia conſiſtent, vt pariter timeant, & contremiſcant, dum Dei iuſtitiam merito reprobos punientem contemplantur, atque ipſius ſeueritatem experiri potuiſſe conſiderant.

4. Præuidens illa dilecta, & ſpecioſa anima, quam Salomon in ſuis amatorijs verſibus introducit, quòd dilectiſſimus eius Sponſus, cuius fruebatur delitiis, tandem Judex erat appariturus, blanditijs tantùm denegatus, quantùm deditus vindictis, deprecatur, vt tunc vtramque manum ipſi porrigat, atque foueat in ſinu, ex lacertis altero ſubiacente, altero ſuperinducto. *Læua eius ſub capite meo, & dextra illius amplexabitur me*. Cant. 2. verſ. 6. Inuſitata amoris ſigna poſtulat Sponſa, & amantibus non familiaria. Cur non expoſcit, vt vtroque brachio ipſam amplectatur, vel manum porrigat, vt à caſu liberetur? Manum vnam capiti ſubijci deſiderat, & alteram ad cor applicari, Sic languet Sponſa aut deliquium patitur, vt caput obfirmari opus habeat, & cor foueri? Ità equidem: nam in his duabus manibus dextera, & ſiniſtra totum hominum iudicium concludetur, electis in dextera collocatis, & in ſiniſtra reprobis. Ergò non incongruè poſtulat Sponſa, dum in brachij Sponſi, amiciſſimis amplexibus recipitur, vbi totum tribunal vltimi diei præuidebat, vt vna manu caput obfirmet, & altera protegat cor: nam rationis die, etiam ipſis iuſtis opus eſt caput ſuſtentare; & fouere cor, ne vires deficiant, & euigorentur. Duas manus Judex habet: vtraque indiget Sponſa: vna, ne timore caput euaneſcat alera, vt cor tranquillet, & ne robore, & virtute deſtituta vitæ facultates amittat. Sic enim formidabilis apparebit Judex, vt illa ipſa, quæ ab ipſius vultu vitam hauriebat incolumem, mortem timeat exhaurire, verita fortunam infelicem ipſi poſſibilem, & damnatorum miſeram ſortem aſpiciens: Dei enim ſeueriſſima Maieſtas, vel beatis ipſis timorem incutiet.

DIS-

Digitized by Google

DISCURSUS III. MORALIS.

Iuſtorum ærumnis extrema iudicij dies eſt ſolatium.

1. ILle ipſe iudex, qui perpenſis hominum cauſis, miſeram damnatis fulminabit ſententiam, & ad cuius conſpectum aridi, & ſtupentes homines adſtabunt, de omni verbo otioſo rationem redditurі, iuſtis iucundiſſimo vultu apparebit: & qui ipſo intuitu acerbiſſimam reprobis infliget pœnam, electos letificabit; vndè Auguſt. ad Pſalm. 100. *Deus ergò ille formidandus malis propter pœnam, amabũdus bonis propter coronam*. Quòd & Dauid præſagiebat, & de peccatore enim cum ad tribunal ſiſtitur, dicebat Pſalm. 111. verſ. 10. *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet*. Et de iuſto Pſalm. 57. verſ. 11. *Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam*. Iratos Chriſti vultus horrebit peccatòr, at iuſtus placidam, & tranquillam faciem intuebitur. Verùm ſi in finali iudicio eandem Chriſti præſentiam reprobi, & iuſti contemplabuntur: cur electi illa hilareſcent, & torquebuntur impij? Procliuè eſt, hunc aduocare Aygulphum Saxonum egregiè delineantem. *Quomodo* (Inquit) *eadem Chriſti præſentia, & ad iudicandum Maieſtas lætificabit, & perterribit: niſi quia æquè amor, & odium ſunt pictores, ea tamen diſtinctione, quod ſemper pulchras, & iucundas amor depingit imagines fœdas verò, & truculentas odium ſoleat effigiare?* Odium inteſtinum, quo reprobi minantem vultum Judicis aſpicient, ipſis formidabilem delineabit: amor verò, quo electi Judicem proſequentur, amabilem, & iucundum depinget: atque idem ipſe, qui peccatoribus ignes fulgurabit electos. Hinc Moyſes myſticè de Chriſto locutus, eius venuſtatem pulchritudini tauri aſſimilauit. *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius*. Deuther. 33. verſ. 17. Quid proportionis intercedit inter pulchritudinem tauri, & Chriſti pulchritudinem? De Chriſto enim dicitur Pſalm. 44. verſ. 3. *Specioſus forma præ filijs hominum*. Taurus animal ferox eſt, ac torui aſpectus. Cur igitur cum pulchritudine, qua Angeli delectantur, pulchritudinem tauri Moyſes confert? Tertulian. cap. 11. aduerſus Judæos de Chriſto Domino in extremo iudicio impios territante, & exhilarante iuſtos verba accipit. *Sed Chriſtus in illo ſignabatur, taurus ob vtramque diſpoſitionem alijs ferox, vt iudex: alijs manſuetus, vt ſaluator.* Et paulò infra: *Hac denique virtute crucis, & hoc more cornutus vniuerſas gentes, & nunc ventilat per fidem, auferens à terra in cœlum, & tunc ventilabit per iudicium, deſcendens de cœlo in terram*. Duplicem ſtatum habet taurus: in circo nihil ipſo ferius, nihil formidabilius: ſub iugo nihil mitius, nihil placabilius: ſic Chriſtus Dominus, cum ad iudicium aduenerit impijs Judex ſeueriſſimus apparebit, in ſolio exſertæ diuinitatis ſedens, caperata fronte, formidabilis, erit reprobis: iuſtis, & electis mitiſſimum, ac iucundiſſimum ſe exhibebit. *Alijs ferus, vt Iudex, alijs manſuetus, vt ſaluator*. Pro iudicandorum differentia diuerſos induet vultus.

2. Sic enim Deus ſe exhibebit, ſicut damnandi, aut eligendi erunt. *Ego ero eis quaſi leæna, & quaſi pardus in via Aſſyriorum, occurram eis quaſi vrſa raptis catulis*: dicebat per Oſeam cap. 13. verſ. 8. De vltimo iudicio Dominus loquitur, vt indicant verba illa difficillima eiuſdem cap. Ibid. v. 15. *Quia ipſe inter fratres diuidet*. Quæ Lyra, Albert. & alij expoſitores de diuiſione illa intelligunt, qua in extremo ſeculorum examine, alios Deus eximet à tenebris, ſeù ad illas deſcendere non ſinet: alios in tenebras ſenero, iuſtoque iudicio compinget: vel (vt ait Lyra) quia mali à bonis eo ſeparabuntur modo, quo hædi ſeparantur ab agnis. At cur Chriſtus quaſi leæna, & pardus hianti ore, & exſertis vnguibus ad lacerandum apparebit? Truculentæ, & rabidæ naturæ perhibetur, qui aliàs humaniſſimus cognoſcitur? Ità equidem: auſculta textum cauſam exprimentem. *Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis*. Urſa plus, quam cætera animalia ſentit, cum ſuis ſe fœtibus orbatam videt, & terribilior omnibus apparet. Cuius rei exiſtimatur naturalis ratio: quia plus illa curat in illorum procreatione, quam quodlibet aliud animantium genus: edit enim carnem ſic rudem, & informem, vt neque viuentem putes, neque vitalem, quia in illa nulla apparet vrſi ſpecies, nulla vitæ ſpes affulget, & tamen vrſa carnem illam lambendo fingit, formatque. Nec minus laborat animando fœtum, quem enixa eſt, quam dum in vtero continuit, & materno ſanguine nutriuit. Non ergò mirum, ſi ſibi eripi catulos tam intenſe doleat, ſæuiatque, ſi tanto illos labore, & enixa eſt prius, & natos poſtea lambendo formauit. Vidè Ælianum lib. 2. cap. 19. Plinium lib. 8. cap. 36. Sic inquam, Chriſtus in vltimo hominum diſcrimine, licèt alias mitiſſimus ſit, in ingentem furorem prorumpet, eo quod filios, quos tanto labore procreauit, proprio ſanguine nutriuit, doctrina efformauit, ereptos à ſe videat, & diris Cacodæmonibus traditos. Sed cur leo, cum ad iudicãdũ ſedet, compellatur? *Leones* (ait Plin. lib. 8. c. 6.) *tãta ex feris clementia vtuntur in ſupplices, proſtratiſque parcunt*. Hinc illud, *Satis eſt proſtraſſe leoni*. Ut ergò leo ſolo rugitu cætera terret animantia, & eo tantùm prædam facit derelinquere, proſtratiſque ſtatim clementia vtitur, & parcit, cuius naturæ diuer-

ſitas

ſitas ex eo prouenit, quod (vt aiunt) duplicem habet complexionem, ſolarem nempè, quia Sol Planetarum Rex ipſi prædominatur, ex quo ferox, & horribilis euadit: & terreſtrem, ex qua timidus, & placidus: ſic Chriſtus Dominus ob duplicem naturam, quæ in eius perſona copulatur, diuinam nempè, & humanam, diuina prædam ſola voce à mortis faucibus eripiebat: *Lazare veni foras*, & humana compatiens deplorabat: *Lacrimatus eſt*. Similiterque in extrema iudicij die, & ferox impijs apparebit, miſeram damnationis ſententiam rugitu formidabili intimans: & proſtratis, ac ſupplicibus iuſtis placidiſſimus, ac mitiſſimus: quia peccatorum vmbris obnubilabitur, & ſicut Luna, quæ ex ſe pulchra, & elegantiſſima eſt, ſi terræ vmbra cooperiatur, horrida, & ferox apparet; ſic Deus in ſe pulcherrimus, quaſi coopertus flagitiorum tenebris, velut leo ferox apparebit damnatis: electis autem, qui ipſius vultum intuebuntur ſine huiuſmodi obſtaculis, iucundiſſimum ſe præbebit.

3. Hinc eleganter D. Petrus Actor. 3. verſ. 20. diem refrigerij, & reſtitutionis extremum appellat. *Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra: vt cum venerint tempora refrigerij à conſpectu Domini,& miſerit eum, qui prædicatus eſt vobis, Ieſum Chriſtum, quem opportet quidem cœlum ſuſcipere, vſque in tempora reſtitutionis omnium*. At cur diem refrigerij vocat, in quo totus mundus conflagrabit, & calamitatibus implebitur? *Appellat* (inquit Caiet.) *tempus iudicij refrigerij (refrigerij autem à facie Domini proueuientis) erit enim facies Chriſti ratio ſummi refrigerij bonis*. Et cur reſtitutionis dies vocatur? Quia omnia (inquit Lyra) *reducentur ad ſtatum ordinatiſſimum ſecundum lineam diuinæ iuſtitiæ*. Et interlinealis. *Diſcretio vniuerſalis iudicij, & redemptio iuſtorum*. Nunc mundus in maligno,& furto poſitus eſt: *Viuitur ex raptu*. Tunc vnicuique, quod ſuum eſt, tribuetur. Honor, diuitiæ, imperia nunc vitioſis exhibentur, cum tamen debeantur virtuti: proindeque hæc omnia quibus ipſa eſt defraudata, in illa die in integrum reſtituentur. *Reſtitutionis omnium*: ex quo magna lætitia iuſtis accreſcet. Eam autem pollicens Chriſtus Dominus dicebat diſcipulis ſuis Lucæ 21. verſ. 29. & 30. *Videte ficulneam, & omnes arbores, cum producunt ex ſe fructum, ſcitis, quia propè eſt æſtas*. Æſtati iuſti, cum ad iudicium aduenerint comparantur, quia (vt dixit eleganter Haymo ad prædicta verba) *Sicut appropinquante æſtate rediuiuæ arbores veſtiuntur folijs, decorantur floribus, ornantur fructibus: ita in die iudicij Sancti reſurgentes, induti ſtolam immortalitatis, iucundi, & floridi apparebunt*. Celebris extat locus apud Malachiam cap. 4. verſ. 1. & 2. vtramque fortunam, & electorum, & reproborum in vltimo examine depingens. *Ecce enim dies veniet ſuccenſa, quaſi caminus: & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem, & germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius: & egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de armento*. Sol dicitur Chriſtus Dominus, quia quemadmodum nocturnis tenebris ſic celantur homines, vt illorum formam non diſtinguamus (in nocte enim non facilè Plebeium à Rege diſtinguere poteris) adueniente autem ſole omnia perſpicuè diſcernuntur: ſic ante illum vltimum diem, neque vera à fictis, neque à ſinceris adulterata ſecernes: at veniente Chriſto omnia perſpicua patebunt: & qui clauſi quodammodo, atque conſtricti vinculis tenebantur, viri timentis Deum, qui vulgo deſpicabiles ſunt, & à potentioribus oppreſſi, ex illa fortuna egredientur non aliter, quam vituli, qui nocte in ſtabulis clauſi, vbi primum illuxerit dies, nacti libertatem campum diſcurrunt, læto, & ludibundo vagantur,& exultant pede. Sic Hieron. *Tunc* (inquit) *egredientur qui nunc ſæculo,quaſi carcere ſunt incluſi, & ſalient quaſi vituli de armento; ſiuè quaſi vituli de vinculis liberati; vndè, & Apoſtolus dicit: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto: vt egrediatur, & ſaliat quaſi vitulus*: Idcircò dicebat Chriſtus Dominus de illa die loquens, & ſigna præambula referens: *His autem fieri incipientibus reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſta*, Luc. 21. verſ. 28. Quaſi captiui, dum in mundo degunt, iuſti extitiſſent, redemptio futura ipſis promittitur. Cum in triremibus Maurorum aliqui Chriſtiani detinentur, ſi claſſem aduentare Catholicam vident machinarum bellicarum ſonitum audiunt, gaudent, & lætantur libertatem ſuam iam poſſeſſuri: è contra infideles, qui eis dominabantur, triſtantur ſuam ruinam præſagientes: ſic inquam boni, qui à malis in hac vita opprimuntur, lætabundi ad iudicium accedent, quia redemptionem ſuam proximam videbunt: & è regione mali timore perturbati,ac concluſi æternas ſibi pœnas paratas aſpicientes timidi comparebunt, miſerè plangent, & omni ſolatio erunt deſtituti.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Apud homines nullo veritas, maximo mendacium habetur pretio.

1. Hominibus peregrina, & aduena veritas eſt, innata & plauſibilis falſitas: quia ſic adulatio, mendacium, & deceptio inualuit, vt veritas exulet, & extra homines degat. *Et veritas tua vſque ad nubes*: Da-

Dauid, Pſalm. 35. verſ. 10. Quaſi locus veritati non eſſet in terra, & exul iuuiſeret nubes. Omnium ſanè fidem falſitas occupat, & vel ipſam ſpeciem veritatis penitùs excludit, maximè in potentiorum animis, de quibus eleganter dicebat Seneca lib. 6. de benef. cap. 30. *Monſtrabo tibi cuius rei inopia laborent magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit. Scilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipſaque conſuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à conſenſu, concentuque falſorum. Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obſequium ſeruile ſubmiſſa, dum nemo examini ſui ſententia ſuadet, diſſuadetque, ſed adulandi certamen eſt, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blandiſſimè fallat?* Miſera ſors faſtigium occupantium eſt, & infœlix ſeruitus: quia ſemper mendacio famulantur, & nunquam ex vultu veritatem agnoſcunt, quia eam fucatis, & adulterinis coloribus adulatores conſtuprant: proindeque tanquam aduena in nullo habetur pretio. Falſitas, & mendacium illius ſubripuerunt valorem: itaut niſi veritas mendacij colores induat, in maximo diſcrimine ſit: nam ſi nuda appareat, ſui ipſius ſimilitudine periclitatur. Quòd ingenioſè dicebat Plutarch. in lib. de audi. poetis. *Vt in picturis magis mouet color, quam linea propter veri ſimulachrum, & fucum; ita temperata cum ſimilitudine veri veritas ſtupefacit.* Niſi extima ſui ſpeciè veritas appareat mendacium, intuentes offendit, & neceſſe eſt, quod aliquo modo deludat, & mendacij artibus vtatur, vt ipſi exhibeatur fides: quia apud homines meraciſſima veritas exoſa eſt, nec ſine offenſione videtur.

2. Apparet Deus Moyſi in rubo in ardeſcente: vltro illi pollicitur Hebræi populi imperium, & præcipit, vt ad Pharaonem pergat legatione, quam ipſi committit: munus oblatum refutat Moyſes, eo quòd tenuem, & gracilem vocem habeat, linguęque balbutiem indecoram, atque ineloquentem loquelam. *Obſecro Domine, non ſum eloquens ad heri, & nudius tertius, ex quo locutus es ad ſeruum tuum impeditioris, & tardioris linguæ ſum,* Exo. 4. v. 10. Verùm hæc non vera, ſed affectata apparet excuſatio. Num qui cum Deo familialiter loquebatur, & diſſertiſſimo colloquio illum recreabat, neſciret cum homine loqui? Linguę expeditio, quæ ſufficiebat, ad agendum cum Deo, & expoſcendam ingenuam populi libertatem hominem veretur? Qui aulicus Cęli erat, & politia ſuperna inſtructus hominem formidat alloqui? Audi Philonem ad ea verba. *Ex quo locutus es ad ſeruum tuum impeditioris, & tardioris, lingua ego ſum, ex quo locutus ſum tecum, neſcio loqui, niſi veriſſima.* Quaſi diceret ſolertiſſimus, ac expertus vir: mos cœleſtis curię, in qua ſum eruditus, poſtquam tecum conuerſor, nudam veritatem loqui admonet, apud te magno pretio æſtimatur veritas: aſt apud homines non niſi mendacium pręualet, & vel ipſa veritas vmbram falſitatis debet præferre, vt fidem ſibi conciliet. Cum ergò, ex quo tecum locutus ſum, neſciam loqui niſi vera nudè, & apertè, non ſum aptus vt cum hominibus loquar, & ad Pharaonem mittar: etenim ſi veridicus apud Pharaonem appaream, & abſque falſitatis larua de criminibus reprehendam, nihil proderit, neque exhortationem amplectetur. Tua conuerſatio ad huiuſmodi munus me reddit incapacem: quia ex quo locutus ſum tecum, neſcio loqui niſi veriſſima: quaſi vt proficuus eſſet Moyſis ſermo, aliquali indegeret falſitatis ſpecimine, & mendacij veſtigio: quia homines ad veritatem obfirmatas habent aures, & quaſi monſtrum viderent, obſtupeſcunt, cum illam audiunt, & ad falſas illecebras diſſolutas. Hinc Zach. 7. verſ. 11. *Aurem ſuam aggrauerunt, ne audirent, & cor ſuum poſuerunt, vt adamantem ne audirent legem.* Cur animos ad ſalutaria monita excipienda difficiles, & ad reſiſtendum diuinis Conſilijs obduratos adamanti comparat? Tempeſtiuè Rupert. ad hunc locum de adamante inquit: *Quòd cum tanta ſit duritiei, ſolo perfuſus ſanguine hirci, quod animal libidinoſum eſt, ſtatim diſſoluitur: indè congrua ſimilitudo eſt valde. Cor ſuum poſuerunt vt adamantem: quia cum duriſſimæ ceruicis, & cordis adamantis eſſent contra Deum, molliſſimi erant in omnium libidinum fluxum.* Quid quid blandè fallit, & mulcet, diſſolutas aures, & apertas inuenit. Mendacij colore ineſcatur hamus, quo piſcatur fides: at qui veritate pungunt, & perſpicuitatis malleo contundunt corda adamantinam reſiſtentiam experiuntur, neque audiuntur, etſi validiſſimis inclament vocibus.

3. Mirum ſanè, quòd Chriſtus Dominus Jeroſolymam toties ingreſſus præcipuè cum triumphali pompa excipitur, nullum in tanta Ciuitate, ſaltem vnius noctis hoſpitium habuerit. *Sed relictis* (inquit text.) *abijt foras extra Ciuitatem in Bethaniam.* Matt. 21. verſ. 16. Cur qui tam beneficus ipſis erat, tam inhumaniter tractatur, vt vel vna nocte non recipiatur hoſpitio? D. Hieronym. cauſam reddit, & eam putat: *Quod tanta fuerit paupertatis, & ità nulli adulatus ſit, vt in vrbe maxima nullum hoſpitem, nullam inuenerit manſionem, ſed in agro paruulo apud Lazarum, ſororeſque eius habitaret.* Nullimi veritas, vbique hoſpitio excipitur adulatio: qui vera loquitur aduena, & peregrinus apud omnes habetur. Vera prędicabat Chriſtus, nulli blandiebatur, & idcircò repellitur ab omnibus; nam qui Euangelium loquitur, nullam habet apud homines auctoritatem. Omnibus plauſibilis eſt falſitas, & quam veritati detrahit fidem, ſibi acquirit. Vſq; adeò hominibus exoſa eſt veritas, & amica falſitas. Idem ſubtiliter annotauit Chryſolog. ſer. 31. Miratur, quod Judęi,

qui

qui tam ardenter Chriſtum exoptabant futurum, & tam vehementer eius flagitabant aduentum, cœlum inclamationibus pulſantes. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum*, Iſaiæ 45. verſ. 8. Tam crudeliter ipſum reciperent, & vſque ad mortem perducerent. Quæ huius contrarietatis, & inæqualis affectus cauſa? Audi Chryſolog. ſerm. 31. *Si toties Deus in figura hominis videtur; quid eſt cur Iudæus hominem videns Chriſtum, ſic exaſperatur? Niſi forte figura honor, veritas putatur iniuria.* Apparebat Deus Judęis, antequam carnem aſſumeret, in figuris, ænigmatibus, & vmbris, quæ omnia falſa, & apparentia ſunt. Et idcircò ipſum exoptabant Hebræi, quia ſpecie tenus tantùm homo erat. At vbi veram humanitatem aſſumpſit, & verum hominem ſe oſtendit, vt hoſtem eum excipiunt, & perſequuntur: figuram colunt, & veritatem deſpiciunt. *Niſi forte figura honor, veritas putatur iniuria.* Adeò enim homines falſitate alliciuntur, & odio habent veritatem, vt non ſolum in alijs, ſed in ſe ipſis membra diſcerpent, quę veritatem, propalant.

3. Hypocriſim detrectans Chriſtus Dominus dicebat Matth. 6. verſ. 16. *Exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Quibus verbis non ſolum arguuntur, qui carnem macerant, & ieiunant, vt gloriam captent humanam, & ieiunantes appareant, ſed etiam qui non ieiunantes facies ſuas corrumpunt, & obſcurant fucata ſuper inducta facie, vt quod non eſt, appareat, nempè ieiunium. At cur lętam faciem dilacerant, & corrumpunt pallido, & fucato colore, ac triſtitiæ deuouent lętum vultum? Præclarè, & ingenioſè imperfectus. *Diſplicet ei natura ſua, quia non poteſt mentiri, quod non facit, & miſera facies carnis argumentis quibuſdam innocens caſtigatur, quia fraudibus non conſentit.* Etſi amiciſſima ſint vnicuique membra ſua, adeò hominibus amica eſt falſitas, & inimica veritas, vt faciem corrumpant, & diſcerpant, quia veridica eſt. Quia læta facies veritatem prodit, & eos longè à ieiunio eſſe profert, eam corrumpunt, ſi fallaciam non incurrat, ſi fraudi non conſentiat. Vel in ſe ipſis non patiuntur homines, quod veritatem exponit, adeò ipſis falſitas arridet, & veritas diſplicet, vt veritatem crucient, ſi in mendacium non degeneret. De quibuſdam religioſis viris refertur: ſe in vrbem Conſtantinopolim contuliſſe, vt ibidem pro veritatis prædicatione mortem ſubirent. Cum autem publicè eo animo per vias, & plateas euangelium prædicarent, vinculis alligati ad Turcarum Imperatorem deducuntur: qui cum eos vehementer obiurgaret, quod ea publicè abſque ipſius conſenſu, & contra Turcarum leges euulgarent, ac propterea ſe manifeſtè mortis acerbiſſimæ pœnæ, & periculo exponerent. Nec nos (reſponderunt) aliud deſideramus, quam pro veritatis prædicatione occumbere. Quibus ille: Nec ad hoc ipſum vobis opus erat, peregrè in regionem longinquam proficiſci, in veſtra ſiquidem patria, ſi Chriſtianis veritatem diceretis, ab ipſis proculdubio pro ea interficeremini. Quod vtinam non verum eſſet. Ubique humanæ fidei veritas inimica eſt, & vbique tanquam rea cruciatur, nec proprijs induta veſtibus audet vagari: indiget enim mendacij ſubſidio, vt ſecura viuat, & ab hominibus excipiatur. Ne autem vates noſter maneret dubius de futuro Meſſiæ euentu ſibi pollicito, fallacijs humanarum aſſuetus, ſemel & iterum promittitur, vt omnis mendacij ſuſpicio excludatur. *Quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur*, Hic verſ. 3.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Magna Dæmonis tentatio mortem diſtantem obijcere.

1. INcertarum rerum certiſſima mors eſt. Aliquando mori non eſt dubium: quando ſine dubio incertum: hinc ſubita mors mortales aggreditur. Egregiè & eleganter (vt aſſolet) hunc inopinatum mortis aduentum depinxit Tertullian. lib. 3. de anima cap. 52. *Vis eſt illa nauigijs, cum longe à Caphareis ſaxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quaſſata decumenis, adulante flatu, labente curſu, lætante comitatu, inteſtino repente perculſu, cum tota ſecuritate deſidunt: non ſecus naufragia ſunt vitæ, etiam tranquillæ mortis.* Sic ſubtiliter Africanum acumen. Ne hæreas verbo *Decumenis*. Decumeni enim fluctus dicuntur ingentes, & vehementiores, qui reliquos magnitudine ſuperant: nam & ovum decimum maius naſcitur, & fluctuum decimus fieri maximus dicitur, vt ſcribit Trogus Pompeus, & Nazianzen. in dyſticis.

Doctor gubernator decimas vndas cauet.

Extemplo igitur, & cum nauigia tranquilla aura feruntur, multoties periclitantur. Sic inquan mare huius vitæ nauigantes multoties proſpera valetudine curſum peragentes, & non multum receſſi à vitæ portu, ex inopinato naufragantur: quia in ipſa vita cauernoſa loca latent, quæ diſrupta ipſam vitam abſorbent, & deuorant, cum talis euentus minus videbatur imminere, cum ſe diuturnius exiſtimabant victuros. Hinc (vt auctor eſt D. Cyprian. lib. de Idololatria) in turba inanium Deorum Romanorum vnus fuit, quem Viduum dixere: eo quod anima corpus viduaret; illum ergo pro ferali, funeriſque Deo habuere: illius autem templum non in vrbe, ſed extra muros, vbi ſacrificia ipſi oblata, &

Digitized by Google

cæremoniarum pompa exiſtebant, eſſe voluerunt, ne illorum aſpectu, & conſideratione hominum mentes deturbarentur, qui vitæ ſummo, & incredibili deſiderio capiuntur. Vnde illud Plin.lib.7.in præfat. & lib. 22. c.6. *Vniuerſa vita cupido. Et nunquam fuit cupiditas vitæ maior nec minor cura.* Nec enim maior fraus animi, maiorque mentis allucinatio eſſe poteſt, quam quod mortales etiam dum exſpirant, viuere ſperant, & in vitæ noua ſpatia falſa expectatione ingrediuntur, & quamquam victrix Libitina volutet, denſenturque longè, & latè funera, neſcio quam ſibi diuturnitatem vitæ pollicentur, vt non incongruè ipſis poſſit aptari illud de Megarenſibus dictum: *Ædificant quaſi ſemper victuri: viuunt quaſi altero die morituri:* Et cum ad oculos tot funera habeant, cum mors iam iam oſtium pulſat, non credunt veritati, vt vmbris, quas effigiant, credant. Quos rectè admonebat Seneca lib.de prouid.cap.6. ipſam mortis certitudinem, & proximitatem ad oculos proponens. *Omne tempus, omnis vos locus doceat, quam facilè ſit renunciare naturæ, & munus ſuum illi impingere. Inter ipſa altaria, & ſolemnes ſacrificantium ritus, dum optatur vita, mortem condiſcite. Corpora opima taurorum exiguo concidunt vulnere, & magnarum virium animalia humana manus ictus impellit; tenui ferro commiſſura ceruicis abrumpitur, & cum articulus ille, qui caput, collumque connectit, inciſus eſt, tanta illa moles corruit. Non in alto latet ſpiritus, nec vtique ferro eruendus eſt: non ſunt vulnere impreſſo penitus ſcrutanda præcordia: in proximo mors eſt; non certum ad hos ictus deſtinaui locum. quacunque peruium eſt ipſum illud, quod vocatur mori, quo anima diſcedit à corpore, breuius eſt, quam vt ſentiri tanta velocitas poſſit.* Sic ille. Quo nihil illuſtrius, nil verius.

2. Deſcribit Dauid humanæ vitæ breuitatem, & fallaciam, & vt homines qui luce excæcantur, ſaltem vmbris depictam vanitatem agnoſcant, ait: *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fænum arui.* Pſal.101.v.12. Quod dies vitæ cuilibet longiores appareant, quam ipſorum natura ſuſtinet, non ſuſtinet Dauid, & quod nemo, etſi ſenex ſit, non putet morti eſſe proximum, ſed vana ſpe ſeductus diuturniores dies ſibi reſtare credat. Hęc (inquam) hominum miſeria, & deceptio pulchrè explicatur ex aſſimilatione ad vmbram declinatam. Sic enim Caiet. legit ex Hebræo. *Dies mei quaſi vmbra declinata.* Videmus enim ad ſenſum, quod vmbra declinata valde longior eſt, & extenſior quam corpus, cuius eſt vmbra: vmbra ſiquidem hominis parui, paulò ante Solis occaſum, quæ vmbra declinata dicitur, centum cubitorum ſpatium quodammodò occupat: & tamen homo cuius eſt vmbra parum eſt corpus. Vnde illud Virgilian.

Maioreſque cadunt altis de montibus vmbræ.

Audiatur Caietan. ad hunc locum. *Similes quippè vmbræ declinatæ ſunt dies vitæ noſtræ: qui apparent nobis valde longi, & tamen in intrinſeco vitæ parum temporis ſuper eſt viuendi.* Qui vmbram, abſque corpore illam cauſante, viderit, à corpore eiuſdem magnitudinis prouenire iudicabit: at planè fallitur. Non ſecus homines vitæ vmbram declinatam aſpiciunt, quia illam ſuis deſiderijs menſurant, & vitæ corpus, ac veritatem, quæ parua & exigua eſt, non reſpiciunt. Vnde ſubiungit Regius Vates: *Et ego ſicut fænum arui.* Ac ſi apertè dicat, pergit Caiet. *Dies mei videntur longiores: & tamen ego ſicut herba areſcam: hoc eſt, in breui moriar, ſicut herba breuiſſimo tempore areſcit percuſſa modico æſtu.* Hæc miſera humanæ vitæ conditio eſt. Hæc callida, & doloſa dæmonis tentatio, exſpectare diuturnam durationem, cum iam iam mors aduentat, & ingruit, qua plures in baratrum miſerè extemplo, & ſubito detruduntur.

3. Fatuo illi diuiti, cuius vberes fructus ager intulit, qui cum non haberet, vbi congregaret, horrea ampliora facere decreuit, quique animæ ſuæ dicebat, *Requieſce, comede, bibe, & epulare: quia multa habes bona poſita in annos plurimos,* dixit Deus: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te.* Luc. 12. verſ.16. Sic ex Græco legit Caietan. non, *repetent*, vt eſt in vulgato. Aſt cur ſtultus vocatur, qui de futuris prouidebat, quod non ſtulti, ſed prudentis, ac ſolertis viri eſt? Rectè Maldonatus: *Stultum meritò vocat, qui oblitus Dei, longam ſibi vitam, & magnis plenam diuitijs pollicebatur.* At cur, hac nocte, dixit potius quam, hodie, vt plerumque dicere ſolemus? Idem Maldonat. *Credo, vt breuius ſignificaret tempus.* Et Caiet. *Ecce mors repente inopinata.* Verum cur præſenti vtitur tempore, *repetunt*, potius quam futuro, quod magis conuenire videbatur, cum res adhuc, de qua agebatur, futura eſſet? *Credo* (pergit Maldonatus) *voluit dicere, qui cum diuite, quiſquis erat, loquebatur, adeo propinquam illi eſſe mortem, vt præſens iam eſſe videretur.* Hæc inquam, magna ſtultitia, & ſtoliditas, magnaque dæmonis tentatio eſt, mortem, quæ proxima eſt, in longinquo proſpiciendam obijcere. Audi Gregor. lib. 12. Moral. *Eadem nocte ſublatus eſt, qui multa tempora fuerat præſtolatus: vt ſcilicet, qui in longum ſibi ſubſidia colligendo proſpexerat, ſubſequentem diem, vel vnum minimè videret.* Sic nobiſcum ſe gerit diabolus, ſicut pictor qui per diminutionem pingit; quia ita rem è longè efformare ſolet, vt quod in manu eſt, longiſſimè diſtare videatur. Pari arte, & callida aſtutia mortem iam inſtantem, longiſſimam & diſtantiſſimam dæmon obijcit intuendam, atque ſicut maleficiatos, in vanas, & vagas tradit ſpes moribundos ſenes. Quod ingenioſè dixit S.Iſidor.Peluſiot. lib.5. epiſt. 231. *Senes illud tantum exſpectant, in terram ſe corpore*

pore (inquam) *depoſito abituros; hinc corpore flexo incuruantur, teſtificantes, ſe terram repetere: quod cum ita ſit, quam ob cauſam in ſenectutis limine maleficijs iuuenaris?* Inter dæmonis artes, quibus maleficia hominibus infert, nulla nocentior, quam illa, qua homines cogit iuuenari, & cogitare de longa vita futura, cum mors in proximo eſt. Vt autem huiuſmodi machina- aenta Deus relegaret à noſtro Vate, cum viſionem futuram procul eſſe dixiſſet, ne vana ſpe deciperetur, eam non prolongandam addidit, quia de morte, & iudicio ſermonem inſtituerat. *Si moram fecerit, exſpecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Hic verſ.3.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Incerta mortis, ac iudicij certitudo.

1. SCribere Viſionem Deus præcipit noſtro Vati, vt nunquam à memoria excidat; quoniam, etſi certiſſima eſſet viſio, differenda tamen erat: quia cum ſecundus Chriſti aduentus illi prędiceretur, magnum, & inęſtimabile beneficium Deus contulit, tempus illi determinatum non reuelans, cum tamen euentus infallibilis ſit, vt pendula exſpectatione exſpectetur. *Si moram fecerit, exſpecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit*: vt certitudo paratos nos faciat, & incertitudo non ſinat eſſe imparatos. *Pœna certa eſt*. (ait Auguſt. ſerm. 21. de verbis Domini) *hora incerta*. Medela hæc contra peccatum fuit, mors è peccato generata eſt, *per peccatum mors*. Hoc telo parentem primum vulnerauit, & vt parenti non parcat, vt telo feriat, eſt certa: vt ſemper feriat, incerta. Si certa eſſet in aduentu, tempore intermedio peccatorum relaxabitur, quia ſecuritas pro aliquo tempore anſam prębet ad peccandum. Vt ergo ſit ſemper homo ſub fręno, in aduentu mors eſt certiſſima, & in tempore incerta. Pendula ſpes ſolicitam reddit fidem: quia cum nunquam determinatè aduentus ſcitur, ſemper timetur id, quod creditur futurum, & voluatas inter timorem, & dubitationem preſſa, ſemper formidat, quod ſemper eſſe poteſt, & parum audet effręnari, quia neſcit, an in proximo ſit periculum, quod ſperat. *De temporibus autem* (dicebat Paulus ad Theſſal. cap. 5. verſ. 1. & 2.) *& momentis, non indigetis, vt ſcribamus vobis; ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini, ſicut fur in nocte veniet*. Quorſum Paulus tanta eloquentia, & proprietate verborum prædítus, dum de aduentu Chriſti ad iudicandum diſſerit, ſic peruertit ſtylum, vt in nocte diem aſſerat venturum? Dies tenebras relegat, & nocti perpetua inimicitia opponitur: nox luce viduatur, neque in illius pręſentia ſubſiſtere valet. Quo ergo pacto dies in nocte veniet? Crediderim ſic locutum eſſe Paulum, vt abſtruſum, & reconditum omnibus mortalibus illum diem pręfiguret: quidquid enim in nocte euenit, & tenebris inuoluitur, latet, & ignotum eſt: & licet dies ex ſe ſit perſpicuus, & ſplendidus, ſi confuſaneis noctis tenebris immergatur, diſparet, & nullius paret obtutui. Sic dies Domini in nocte veniet, quia illius greſſus nulli erunt peruij. Quod & ipſe Paulus exponit furi illum comparans. *Quia dies Domini ſicut fur in nocte veniet*, Vbi Theodoret. *Repentinum autem Domini aduentum furi comparauit: is enim conatur latere: ſed qui cuſtodit domum, ſentit furis aduentum: qui autem negligit, & dormit, ei domus diripitur: ita qui eſt ſobrius, nouit ſigna aduentus Domini*. Vt non diripiantur hominum domus, vt bonis operibus ſemper ſtudeant, furi dies Domini comparatur: quia fur de nocte deprędari ſatagit, vt non præſentiatur, & noctis beneficio lateat, quo inſomnes, & vigilantes domum cuſtodientes reddit: ne ſi corripiantur ſomno, inopinato aduentu inuadantur.

2. Geneſis 18. verſ. 18. Apparet Deus Abrahamo: conuiuatur: gratus rependit officia: & pro hædo, pro butyro ipſi oblato, prolem pollicetur futuram in geniali vtriuſque conſortis impotentia. *Reuertens veniam ad te tempore iſto vita comite, & habebit filium Sara vxor tua*. Valde ſudant interpretes, vt, quid verbis illis, *vita comite*, exprimatur, exponant. Caietan. indifferenter vitam accipit, & vtramque & Dei, & Abrahami ſignificari autumat. *Non dicit vita veſtra, nec vita mea, ſed abſolutè*. Interlinealis ad Dei vitam verba flectit: ſimiliter Hieronym. in quæſt. Hebraicis, *ſed humano modo dicta*. Alij conditionem adiunctam putant Abrahami vitæ. Sed quoquo verſum accipiatur, difficultate non caret: nam Deus æua anteuolat, æternum durat, nec in diſcrimine vitam habet: Abraham, cui filius promittitur, neceſsè eſt, viuere, vt illum gignat. Oriatur ergo conditio, *vita comite*, quocumque vertatur. Vt quid igitur Deus ſub dubio, & conditione vitas collocat, quæ neceſſario ſunt exituræ, vt præmiſſa adimpleatur promiſſio? Præclarè Lipomanus difficultatem ſoluit. *Hoc modo locutus eſt, vt & nos inſtruat talem obſeruare modeſtiam, qui ſemper vitæ, & futurorum incerti ſumus*. Siue conditio ad Abrahami, ſiue ad Dei vitam referatur, vitæ ſecuritas intercluditur, & ſemper ſub conditione manet. Ne ſe vitæ venturæ neceſſario alligatum lenocinetur homo, Deus ipſe ſuorum attributorum iniuriam non timens, vitam ſuam ſub contingentia reliquit, in dubium eam aduocat: & vt homo non ſibi fidat de duratione futura, vix parcit incon-

cuſſæ decretorum ſuorum veritatis honori, & poſt promiſſum filium vitam adhuc iu anceps redigit, quia ſemper morti, & iudicio nos ſatagit eſſe addictos, vt ſub fræno voluntatis in ſcelera non abeat, in crimina non labatur.

3. Dauid plagas referens, quibus Deus mulctauit Ægyptum, hanc inter illas enumerat. *Et occidit moros in pruina*. Pſalm. 77. verſ. 47. D. Auguſt. (ad prædictum Pſalm.) cum huiuſmodi plagæ nullam mentionem inueniret in Exodo, myſticè eam accipiendam cenſet, ita vt per *moros* Ægyptij ſuperbia, & arrogantia accipiatur, quia de ſua prouidentia, & præcautione ſic vanè, & vacuè gloriabantur Ægyptij, vt exiſtimarent, viam præcludere diuinæ iuſtitiæ, & à ſupplicijs diuinis euaſuros immunes. In hoc enim morus prouidæ ſuperbiæ ferr imaginem, & prouidentiæ exrat ſymbolum, quod cæteris arboribus vigilantior eſt, & neque florem mittit, neque frondem: vſquè dum hiemis frigus, & bruma ſunt tranſacta, & ante verni, & caloris tempus frondes, & fructus recondit, ne temporum iniuriam patiatur. Ait igitur Dauid: nullus de prouidentia glorietur, nullus de poteſtate ſibi blandiatur, etſi velut morus ſit prouidus, nulli ſecuritati fidat: ſcit enim Deus lapide in vere glacioſo ſecuros vrere moros, atque illorum deridere prouidentiam, etſi fructibus ſint pleni: nullus vitam ſibi pollicatur futuram, ſemper morti, ac iudicio, de illius aduentu ambiguus adhærear, ne lenocinatus illius ſecuritate præceps labatur in ſcelera.

4. Quærit Theodoret. quæſt. 46. in cap. 4. Geneſ. quare cum Adam peccaſſet, atque illius præuaricatione mors imperium in homines fuiſſet nacta, iuſtus Abel primus interficitur? Si ſenior Adam morti ſe addixit ob peccatum, mortis primus experiatur flagellum: cur iuſtus, & adoleſcens Abel qui abſque noxa vixerat, prius decidar tam procaci ſalce diſſectus, & ſuperuiuat Adamus? *Debile* (ait Theodoretus) *voluit eſſe mortis fundamentum: ſi enim Adam prior obiiſſet, firmiori fundamento mors meretur, primum mortuum excipiens peccatorem: quia vero primum recipit eum, qui iniuſtè occiſus erat, dubium fundamentum habet*. Præterit Adamum delicati ferculi mors acida, ne ſecuritatem ab ætate præſumas, debilibus fundamentis voluit Deus mortem inniti, vt vel ab aura caueas. Mortis cauſa natiuitas eſt: dum fundamentum eſt debilius, ſecurior eſt mors: ſat eſt adoleſcens ſis, vt moriaris. Hinc acutè ponderauit D. Gregorius Niſen. ex titulis, quos Moyſes præfixit duobus primis Scripturæ libris, primum (nempe Geneſim) generationem ſignificare: & ſecundum (nempe Exodum) exceſſum, & mortem: quia nihil generationi morte eſt proximus; & quia in ipſius vitæ principijs ius mortis fundatur, & imbibitur. *Hæc* (inquit Niſenus) *Tacitè philoſophatur in primis librorum ſuorum inſcriptionibus Dei amicus Moyſes: qui ſtatim cum Geneſi (quod eſt generatio) ſcribit Exodum (id eſt exceſſum) vt qui ea legerent, quæ ſcripta ſunt, etiam per ipſum ordinem librorum ea diſcerent, quæ ad ſe ipſos pertinent; nec enim fieri poteſt, vt qui Geneſim generationem inquam, audierit, non Exodum, id eſt, Exceſſum, protinus cogitet*. Magnus vitæ, & mortis nexus: magna cohærentia: interitum ſemper timeat, qui mortem in vita claudit, & incerti aduentus habet certitudinem.

Verſ. 4. Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo: iuſtus autem ex fide ſua viuet.

Verſ. 5. Et quomodo vinum potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur: qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, & non adimpletur: & congregabit ad ſe omnes gentes, & coaceruabit ad ſe omnes populos.

ANNOTATIO IV.

Expoſitio Litteræ.

1. Ecce *qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo*. Id eſt quilibet fidelis Dei luce, atque vera Diuinitatis cognitione deſtitutus vera pietate, & religione priuatus (qualis eſt hic Nabuchodonoſor, qualis & populus Chal-

Chaldæorum, cuius tantopere ô Habacuc imperium, & fortitudinem demiraris) is, inquam, non diuturno tempore elatione voluptaria perfruetur, non vitam ducet ſemper in bonis, neque iugiter eamdem rectitudinem proſperitatis, & ſeriem felicitatis obtinebit. *Non erit recta anima eius in ſemetipſo*. Ideſt, non proſperabitur in perpetuum vita eius: non ſemper ſecundis vtetur ſucceſſibus. *Dirigi* quippè in Sacra Scriptura *proſperari* eſt, & lætis euentibus fortunati, vt Pſal. 139. verſ. 12. *Vir linguoſus non dirigetur in terra*: ideſt, non proſperabitur.

2. *Iuſtus autem ex ſua fide viuet*. Incidimus in locum, qui eſt lapis offenſionis, & petra ſcandali omnibus hæreticis, qui à fide receſſerunt, & his verbis cum Orthodoxis audent conſerere manus: hic enim omnes laborant: nam hęretici hinc deducere conantur, ſola fide iuſtum viuere, & iuſtificari: Catholici autem vehementer laborant, vt exponant, quo pacto cum Prophetę ſenſu congruat, quod Paulus ex his verbis confirmare contendit: ter enim citat (ad Rom. 1. ad Galat. 3. ad Hebręos 10.) prędicta verba Proehetę, & iuſtum ex fide viuere affirmat: & licet ibi non de vna tantum materia loquatur Apoſtolus, ſed in vniuerſum de fide, ſumpſit tamen argumentum efficax ex verbis Prophetę, qui ideo Iudæos mulctandos eſſe dicit morte, vel exilio, quia Deo per Prophetas loquenti habere fidem noluerunt. Idem de Chaldęis iuxta ſenſum ſupradictum poteſt dici. Quomodo autem iuſtus ex fide viuat, & quę ſit illa fides, quæ vitam confert, diſputant pluribus Theologi Scholaſtici, quorum hic receuſere, aut explicare placita, longum eſſet opus, & pro noſtro inſtituto minimè neceſſarium. Nunc autem ſcripturæ telis aduerſus hęreticos, qui ſcripturam ignorant, neque eam explanare, ſed deprauare ſciunt, pugnare licebit.

3. Primum fundamentum ſumitur ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 8. quod verba Apoſtoli exponens ſancit ſanam, & catholicam doctrinam his verbis. *Cum verò Apoſtolus dicit iuſtificari hominem per fidem, ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ ſenſus tenuit, & expreſſit; vt ſcilicet, per fidem ideo iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad conſortium filiorum eius peruenire.* Quodcumq; autẽ cauſę genus per illas prępoſitiones *ex*, qua, vtitur noſter Vates, & *per* qua vtitur Concil. intelligi velint contentioſi, & incrednli, cętere certę cauſę non excludũtur: vt cũ dicitur Prou. 8. v. 16. *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt*, non tolluntur deliberationes, & conſilia hominum, rerumque vſus, & cętera, quę iuuant, vt legum conditores iuſta decernant. Qui dicit. *In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum*, Gen. 32. verſ. 10. num ſolo baculo ſe tranſiiſſe affirmat ſine pedibus, & manibus, ac ſine motrice virtute? Sic ergo licet verè dicatur: *Iuſtus in fide ſua*, ſiue *per fidem ſuam*, ſiue *ex fide ſua viuit*, non excludimus actus pœnitentiæ, & reliquarum virtutum, ſed vitam tribuimus primo vitæ initio, ſiue quo cætera, quæ vitam etiam conferunt, conſtare nequeunt. Non intelligunt ſcripturas hæretici, quarum tamen ſcientificos eſſe blaterant: neque norunt, qua proprietate loquantur. Mirantur vitam tribui fidei, ſi non ipſa ſola ſufficiat ad iuſtificandum. Rogo: nunquam legerunt cordi vitam tribui? *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Prou. 4. verſ. 32. Ex ſimilitudine vitæ naturalis hoc deſumptum eſt. Sed viuet ne animal ſine capite ſine hepate ſine pulmone, ſine ſanguine? Rectè tamen dicitur, quod ex corde vita procedit: quia vitæ initium eſt, & vltimum moritur. Ita fides initium iuſtificationis eſt, & quaſi quoddam cor in virtutibus, ex quo hæc vita procedit, ſi tamen cætera addantur, quæ vitæ neceſſaria ſunt. Quid apertius verbis illis Pauli Galat. 5. verſ. 6. *Nam in Chriſto IESV neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Vides ô hæretice, quomodo fidem reijciat Apoſtolus, niſi ei charitas adiungatur, & per ſe ſolam inanem eſſe ad iuſtificationem ſentiat? Sed ſinamus hoc: *Aliter enim olent ſues, aliter catuli.*

4. Et quidem, vt attingamus ſcopum, dum Deus Habacuc ſcribere præcipit, tenebriorem, & iniuſtum quemcumque, cui iuſtitiæ lex non affluxerit, non recta via futurum, Prophetam intendit docere, iniuſtum, & perfidum Chaldæorum vel

Regem.

Regem, vel populum, vel vtrumque non gloria victoriarum diuturna, neque imperij dignitate fruiturum, ſed non longam poſt temporis moram pariter impietatem in Deum, & in homines in humanitatem ſupplicio debito luiturum, regnoque & honore, ac diuitijs per tyrannidem, & iniurias comparatis fœdè & turpiter, cariturum. Sic rectè Gueuara ad hunc locum. Qui quidem ſenſus planus eſt, pro eo quod Propheta primo optabat: videlicèt, quod futurum eſſet de Iudæorum principum in pauperes iniurijs, atque etiam de Nabuchodonoſoris crudelitate ſupplicium. Hoc enim toto capite ſatis Deus explicatè, & longè aperuit, quid euenturum ſit tam Regi Chaldæorum, quam eius gentibus.

5. *Et quomodo vinum potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur.* Tametſi propoſitæ quæſtioni ſatis ſuperque Deus præbuiſſet reſponſum, vt melius tamen intelligant, & æquiori animo ferant Iudæi calamitatem venturam, pulchra ſimilitudine docet, momentaneam eſſe malorum felicitatem, caducam, & inſubſiſtentem. Quaſi dicat Deus Prophetæ: eueniet ſuperbo Nabuchodonoſori, & amaro populo Chaldæorum, quod plerumque crapulatis à vino, qui eius ſuauitate decepti faucibus plenis ſe mero ingurgitant, quo poſtmodum contumeliæ, & deriſui exponuntur: & dum inſaniunt, fabula omnibus, ac riſus ſunt: denudant quippè ſe ſe, dehoneſtant, atque fœdè conſpurcant, & quod ſuauiter biberant, turpiter poſtmodum cum acore, eumque crebris ſingultibus euomunt.

6. Multa mala ſecum adducit vinum: de illius potione ſic eloquenter loquitur Seneca epiſt.83. *Hæc acerrimas gentes bellicoſaſque hoſtibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defenſa mœnia patefecit. Hæc inuictos acie mero domuit. Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hiemes, per quas victa temporum locorumque difficultate tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt: intemperantia bibendi, & ille Herculaneus, ac fatalis ſcyphus condidit.* At quis non videat ea omnia fœda, obſcena, & quæ non aſpectum, ſed tenebras amant, quæ ebrijs accidunt? Et plura alia adeò indecora, vt merito, qui violentiæ poteſtatem ſubierit, quamuis ſanguine, ingenio, & alijs virtutibus polleat, deſpiciatur ab omnibus, & habeatur vt nebulo, nec pluſquam vter vino plenus (vt communi vtar conuitio) æſtimetur. Magna vino ineſt vis ad peruertendam mentem, vt pulchrè Salom.Prou. 23.verſ.21. *Ne intuearis vinum, quando flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius.* Non ſolum ſuadet, ne vinum potent, ſed ipſius viſum prohibet: quia tantæ ſunt illius illecebræ, vt vel leuiter conſpectum mentem, animumque euertat. Quid non aget immoderatè hauſtum? Commouet mentem, deijcit è ſtatu, ad ignominiam, & nuditatem abijcit, & ad vomitum prouocat indecorum ſtomachum ingurgitatum.

6. Sic (inquam) humana proſperitas, ſicut vinum primò ſuauiter fallit, blandoque vultu, & ſplendore allicit: at poſtquam flatu ſecundo, & aeris repetito hauſtu in altum quempiam inuexerit, pondere ſubſedit ſuo, & quem ſubleuauerat, ſubmergit, & ſpiritu vehementiori raptatum ſaxis allidit. Primo enim humana felicitas æmulationem, & riualitatem ingenerat: deinde parit inuidiam: poſtremo diſſenſiones, & prælia: ex quo propè ſemper miſera ad humanam proſperitatem ſubſequitur; & qui ſuperbus, & arrogans opibus, & dignitate erat lenocinatus, cum dedecore, & ignominia breui tempore deijcitur. *Et non decorabitur*, dixit: ideſt, turpiter nimis de gradu, & dignitate deijcietur. Summariè igitur ſenſus eſt: Sicut vinum decipit potantem, quia primò eum exhilarat, & motu turpiter proſternit: ſic felicitas Nabuchodunoſoris primò vigebit, accito tranſibit, & dolorem illi, atque irriſionem omnium affert.

7. *Qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, & non adimpletur.* Pulchras alias ſimilitudines addit Propheta, quibus Nabuchodonoſoris inexplebilem cupiditatem exprimit. Vbi vulgatus legit *Infernus*, in Hebræo eſt *Scol*, quod apud Hebraizantes multa ſignificat. Sæpè idem quod ſepulchrum eſt; ſed quia ſepulchrum per ſynedochem pro morte ſumitur, ſicut infernus, fit vt non raro mortem etiam ſignificet. Valet etiam idem quod locus inferior, ideſt ſubterraneus,

ſeu

Digitized by Google

ſeu carcer, qui ſolutas à corporibus animas excipit: quem locum prophani Orcum appellant. Quidquid ſit, congruentiſſimum eſt ad explicandam ſitim, & cupiditatem illam ingentem Nabuchodonoſoris, quam explere non potuit tanta rerum omnium affluentia. Ab initio mundi vorauit mors homines, & adhuc vorat, neque poſt tot epulas extincta eſt, ac ſedata eius fames. Infernus deglutiuit, deglutitque quotidiè plurimos; ſed integer adhuc eſt & ardens ciborum eius appetitus. Ego cum Ribera, Gueuara, & Sanchez vtrumque arbitror in corporationem adduci, mortem ſcilicet, & ſubterraneum ſinum: & huc magis inclinat modus loquendi, quo vtitur vates: ex quo colligitur infernum aliquid à morte eſſe diſtinctum. Illa etenim comparatio prouerbialis eſt apud Hebræos, vt prouerb.30. verſ.16. *Tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod nunquam dicit ſufficit: infernus, &c. Dilatare animam.* Idem eſt, ac ſe ipſum dilatare, & ſinus expandere, quaſi conetur omnia abſorbere, excipere, & ad ſuam ſeruitutem, & dominationem redigere; in quo maxima auiditas, & ſitis in explebilis ſignificatur: vnde Iſaias 5. verſ. 14. *Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino.* Nunquam ambitioſus & ſuperbus, qui ſimillimus inferno morti eſt, ſedatum habet animum, vt vnquam famem expleat. Exindèque dolebat Alexander, quod anguſta eſſet mundi capacitas, vt ſitim, quam habebat dominandi, extingueret: & ſicut dicit Satyricus ſatira 10.

Vnus Pellæo iuueni (Alexander) *non ſufficit Orbis,*
Æſtuat infelix anguſto limite mundi,
Vt Gyare clauſas ſcopulis, paruaque Seripho.

Cui congruit illud Pſalm.100. verſ.5. *Superbo oculo, & inſatiabili corde cum hoc non edebam.* Pulchrè imperandi incentiuum de ipſo Alenandro loquutus deſcripſit Tertullianus. *Habes ex iſto fomite æſtuantem magnum Regem ſola gloria minorem.* Quaſi dicat: Vehementi Alexander dominandi fomite nouos Orbes ambibat ſuperandos, quibus ventoſiſſimè imperitaret: agitatus ambitionis æſtro labores, & ærumnas innumerabiles fuit perpeſſus: gloria principandi inſtigabat ipſum, vt ardua quæque excantaret.

8. *Et congregabit ad ſe omnes gentes, & coaceruabit ad ſe omnes populos.* Per accommodationem loquitur Propheta. Omnia congregant infernus, & mors: neq; aliquis mortalium ab ipſorum iuriſdictione eximitur. Non ſecus Chaldæorum Rex omnes gentes in ſuam ditionem congregabit, & conabitur omnes populos ſubiugare, atque ſub fræno, & obedientia habere. De quo vide Ioſephum lib.10. antiq. cap.11. in fine.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Parum Chriſtiani nomen tibi proderit, ſi Chriſtiani opera non feceris.

1. Fides Diuina ſine Charitate Chriſtianos facit, vt in Tridentin. ſeſſ. 6. canon. 28. definitur: licet (vt ibidem habetur) non ſit viua. Cum ergo vates noſter dicat *iuſtum ex fide viuere*, conſtat de fide loqui, quam bona comitantur opera: ſine his enim neque vera ſalus, neque vita contingit. Quod ſi de ſola fide loqui volueris, accipe pulchram, & congruam rationem, ob quam iuſtum ex fide viuere affirmet. Communiter dicimus homines viuere ex bonis, quæ poſſident, & ipſis vt illa ſunt ea ſignando, Ille homo viuit ex hæreditate illa: quod eſt dicere, ex fructibus, quos hæreditas illi reddit; vel ex emolumentis, quæ bona alia ſtabilia ipſi conferunt. Non ſecus nec diſſimiliter loquitur Propheta, cum iuſtum ex fide viuere affirmat: non quod fides ſufficiat ad vitæ ſpiritualis ſuſtentationem, & Dei amicitiam, vt hæretici garriunt: ſed quod fides quaſi magna hæreditas ingreſſu bonorum operum illum alit. Quoniam etſi iuſtificationis noſtræ initium fides ſit, tamen abſque bonis operibus non ſufficit ad alendum Chriſtianum, & in Dei amicitia ſuſtentandum: vtrumque enim neceſſarium eſt ad huiuſmodi vitam & fides, & opera. Vnde Paulus ad Epheſ.6. verſ.16. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Quaſi diceret: Tempus in hac vita tempus belli eſt: omnes igitur ſcutum fidei in brachio aſſumite, & vigilate. Siſte Paule metum (ait Origen. ſuper epiſt. ad Ro-

Digitized by Google

Romanos) cur fidem in ſcuto collocas? Quamobrem non enſem, laceam, aut aliam offenſiuam armaturam appellas, ſed ſcutum? Qui dixeras Verbum Dei penetrabilius eſſe omni gladio ancipiti, cur modo ipſum ſcutum ad reſiſtendum, & ſuſtinendum nuncupas? Audi Origen. *Qui ſcuto totum corpus defendere cupit: brachiorum conatu illud in circuitu ducere oportet, ſicut immiuens inimici gladius vel ſagitta poſtulet.* Qui totum corpus defendere ſatagit me lio ſcuto, neceſsè eſt vt brachijs vtatur, & ſecundum quod inimica manus ictum torquet, ille ſcutum moueat, & circumducat; nunc ſupra, nunc infra, nunc ad caput, nunc ad pectus, nunc ad tibias, iuxta periculum, quod minax enſis illi indicat. Nec ſcutum ſufficeret ad tutam defenſionem, niſi brachiorum vis illud hinc inde moueret: ſic (inquam) ait Paulus neceſſariam eſſe vim bonorum operum ad viuendum in fide, & ipſa nos protegendum: nam niſi boni operis vis ineat ſcuto, certiſſimæ morti exponitur fidelis. Oportet igitur ſcutum fidei ſumere: non ſicut ſtatua marmorea, quæ cum mortua ſit, non valet illud mouere, proindeque fulminum, & cuiuſcunque alterius accidentis ictibus ſubijcitur, & cum eam partem tantum protegat, cui ſcutum contingit, reliquas exploratas habet, & ictibus obnoxias.

2. In Prou.cap.30. verſ. 28. ſcripſit Salomon. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* Gloſ. ex Hebræo traducit *Aranea*: cuius genium eſt ſemper vigilanter laborare: neque vnquam iners deprehenditur? Licet enim in domibus Regum, & magnorum Principum aula (vbi plurima abundantia, & rerum copia reperitur, multoties habitet) non in his aranea confidit, ſed proprio veſcitur labore, noctes integras inuigilat, inſomneſq; præterit, vt ſuam ingenioſam, atque laborioſam telam efformet, quæ artificioſum rete eſt, ſubtiliſque ad capiendos cibos ſtructura. Ad quid per araneam intelligendum venit? Ianſ. ad hunc locum in aranea hominem Chriſtianum apprimè exprimi ſuſpicatur, qui non propterea quod in regia domo ſit (qualis eſt Eccleſia) diues, & abundans Sacramentorum copia, dormire debet, ſed illic vigilantius laborare, & bonis vacare operibus, quæ manus ipſi erunt, quibus laborare oportet, vt Chriſti meritis coniunctis vita fruatur felici: quod ſi aliter auſpicetur, toto aberrat cœlo: *Docemur enim* (inquit Ianſen.) *hinc imprimis etiam curare, quæ ad vitam animæ pertinent, idque dum tempus eſt, paradiſi cibum, & bene operandi.* Quiſquis torpet, in fide accepta tantum confidens, fallitur ſanè, & certiſſimæ iacturæ vitam habet expoſitam.

3. De ijs, qui Chriſtum Dominum per fidam receperunt, loquens Ioannes dicebat c.1. verſ.12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Per difficile eſt explicare, cur non dixerit: Dedit eis, qui Chriſtum receperunt, filios Dei eſſe, aut fecit eos filios Dei, ſed Poteſtatem dedit eis filios Dei fieri: quaſi non ſtatim, ac eum receperunt per fidem, filij Dei ſint, ſed poteſtatem tantum habeant, vt filij Dei fiant. Et certè per Baptiſmum, in quo fides recipitur Chriſti, etiam adoptio filiationis Dei accipitur. Cur igitur non ipſam, ſed poteſtatem ad eam recipiendam haberi perhibetur? Egregiè Chryſoſt. hom.6.in c.1.Io: *Vt oſtenderet multa nobis opus eſſe diligentia, vt adoptionis nobis per Baptiſma impreſſam imaginem puram ſeruemus, atque intactam.* Licet enim prima diuinæ imaginis impreſſio ex meritis Chriſti ſit: vt non obliteretur, neceſsè eſt illam bonis operibus conſeruare: nam ſi hæc deficiant, impoſſibile eſt Deo placere. Quod egregiè in ficulnea illa, quæ Chriſti indignationem incurrit, adumbratum reperit Auitus Archiepiſc. Viennenſ. & eleganter concinit his verbis.

Nec verò immeritam temere ficulnea pœnam.
A Chriſto maledicta luit: nos inde docemur,
Ne vanum præ ſe tumefacta ſcientia nomen
Noſtra ferat, ſed iuncta ſibi dilectio ſubſit:
Nam niſi doctrinæ iungatur vita fidelis
Maiores faciet coniuncta ſcientia pœnas.

Pudeat fideles vacuas apparere ficulneas, & folia tantùm fidei oſtentare, fructibus viduata: ſterilis enim fides mortua eſt, & quæ vitæ facultates non miniſtrat.

4. Sed proh dolor, quot ſunt Chriſtiani, quibus congruit illud, quod Diogenes dixit timido ferenti Herculis Clauam: *Deſine virtutis ornamenta pudefacere.* Quot ſunt, qui malè operando honorabile Chriſti nomen pudefaciunt: quot qui nomen tantum Chriſtiani habent, vita vero eſt gentilica, laxata ſceleribus. His planè contigit illud Eſdræ 2.c.13. verſ.24. vbi quia Iſraelitæ alienigenas vxores duxerunt, dicitur: *Filij eorum ex media parte loquebantur Azotice, & neſciebant loqui Iudaicè: & obiurgaui eos, & maledixi.* Sic multis fidelibus contingit, qui ex media parte loquũtur fideliter, ex altera vero media gentiliter: etenim in ijs, quę fidei ſunt, vt fideles loquuntur: at in moribus, & operibus ferè ethnici, & ab infidelibus vix in vita diſtinguuntur: vt verè dicat Auguſt.in lib. quæſt.Euang. c.12. *Inter hæreticos, & malos Catholicos hoc intereſt, quod hæretici falſa credunt: illi autem vera credentes non viuunt ita, vt credunt.* Pudeat Chriſtianum ſibi blandiri de nomine, cui non reſpondent mores. Quid intereſt ſanctum iſtud nomen, ſi non exornatur operibus? Acerrimè rem vrget Saluianus lib. 4. de gubernat. Dei. *Quæ ratio eſt, vt ipſi nos falſa opinione fallamus, exiſtimantes quia Chriſtiani eſſe dicamur, quod opitulari nobis, inter mala quæ agimus, nomen bonum poſſit? Cum Spiritus Sanctus nec fidem quidem dicat hominibus Chriſtianis ſine operibus bonis poſſe prodeſſe: & vtique multo plus eſt fidem*

dem habere; quam nomen: quia nomen eſt vocabulum hominis, fides autem fructus eſt mentis: & tamen hunc ipſum fidei fructum infructuoſum Apoſtolus ſine operibus bonis eſſe teſtatur dicens: Fides ſine operibus, mortua eſt. Non debet malis moribus tam ſanctum nomen infici: non prauæ vitæ actibus pollui: at alia diſcimus, vt ſciamus, alia vero, vt operemur. Legem Dei audire, & non implere, ad quid iuuat, niſi vt maiorem damnationis cumulum cedat? Maximum ſcelus Balaami denotatur, in eo quod dicitur Num. 24. verſ. 16. *Qui cadens apertos habet oculos.* De quo pulchrè Gregor. hom. 9. in Ezech. *Balaam apertos oculos habuit, qui rectum, quod diceret, vidit, ſed rectè agere contempſit: cadens videlicet in peruerſo opere, & apertos habens oculos in ſancta prædicatione.* Quod illis optimè quadrat, qui Chriſtiani nomen iactant, & opera exercent ipſi indecentia.

5. Hos inquam carpit Iſaias cap. 48. v. 18. *Audite*, inquit, *hæc, domus Iacob, qui vocamini nomine Iſrael.* Vbi non propriè videtur loqui Propheta: aptius enim eos vocaret, ſi diceret: Audite Iſraelitæ: Non ita (ait Cyrillus lib. 4. orat. 3.) argutè enim loquebatur Vates, quia *nomen nudum habebant, ſed mente diſſidebant, alijs moribus, alia mente præditi.* Sic Chriſtianorum plurimi odorem tantum nominis habent, vitam autem gentilium. At quid proderit titulus proba vita viduus? De his certè conquerebatur Dominus Ieremiæ 12. verſ. 8. *Facta eſt mihi hæreditas mea, ſicut Leo in ſylua, ideo odini eam.* Loquitur Propheta de ijs, qui relicta veſtigia in noſtram deductionem, & doctrinam non ſolum non obſeruant, vt imitentur, atque ipſis inhæreant, ſed nec videnda remanere patiuntur: vt enim aiunt Ælianus lib. 11. c. 30. Plut. lib. de animali. & alij, Leo propria veſtigia, ne inueniatur, cauda delet, & tegit: Sic (inquam) Chriſtiani deſides, quibus reliquit Chriſtus veſtigia ſequenda, & imitanda, ne quis in vmbra quietis delitietur, radunt infixa, & reddunt penitus imeſtigabilia, & incognita. Imo Chriſtiani imaginem mundo, & carni tradiderunt, vt vix in eis Chriſtiani veſtigium inueniri poſſit. Velut monetæ antiquæ, quæ niſi vnam litteram non habent, imago verò iam deleta eſt, quas cum videris, dicens: Hæc imago videtur eſſe Cæſaris: ſic Chriſtianorum imagines adeo obliteratæ ſunt, vt ſi quæras, cuius ſint, dicetur non ſine magno dolore: Neſcio; ob cæremonias, & fidem, Chriſtianorum eſſe videntur: ob opera autem mundi, & diaboli. Hinc eſt, quod fatuis virginibus, quæ ſine bonorum operum oleo Dominū inuocabant, vt ingrederentur ad nuptias. Dominus reſpondit: *Neſcio vos.* Matth. 25. v. 12. Quaſi ſine operibus ita Chriſti imago deleatur, vt ab ipſo Domino non cognoſcatur: quia (vt ingenioſè dixit Chryſoſtom.) homil. 18. oper. imper. ſicut qui manu oſtium pulſat, ipſo ictu non agnoſcitur, ſicut qui voce inclamat: ſic qui oſtium Domini ſine operibus pulſat, ipſo tantum fidei impulſu, non agnoſcitur, quia deturpatam defert imaginem, & emortuam fidem. Hinc eſt, quod ſeruus ille, qui vnum tantum accepit talentum, in quo fides denotatur (vt habetur Matth. 25. verſ. 18.) *Abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam Domini ſui*: & prius (vt dicitur Lucæ 19.) ſudario illud inuoluit: quia cum nulla opera bona haberet fidem ſepeliuit, & mortuis annumerauit.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Quò magis ſuperbus aſcendere conatur, magis cadit.

1. Eleganter dixit Seneca lib. 6. de benef. cap. 33. *Non his gradibus quibus ad ſumma peruentum eſt, retroitur. Sæpè inter fortunam maximam, & vltimam nihil intereſt.* Neſcit deſcendere per gradus, qui pedetentim fortuna ſuccreuit: imò non ſaltu, ſed vltima ruina altitudinem cum profundo commutat. Qui per ſcalam aſcendit, ſine ea cadit, & præceps in ima fertur. *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*: dicebat Dauid pſal. 73. verſ. 23. De Nabuchodonoſore hæc verba accipit Incognitus, & congruenter ad miſeram fortunam, quæ in noſtro Vate ipſi prædicitur, dum eum comparat vino ingurgitato, qui omne illud, quod guloſè bibit, turpiter euomit. *Et quomodò vinum potantem decipit: ſic vir ſuperbus, & non decorabitur.* Quibus verbis incogniti ſequentia conſonant. *Superbia eorum*, id eſt, *Babyloniorum aſcendit ſemper: quia ita ſuperbia Nabuchodonoſor Regis Babyloniorum aſcendebat, quod ſe adorari tanquam Deum volebat ab omnibus in ſtatua aurea, quam erexerat.* Non ſenſim cadit, qui ſenſim aſcendit, imo ſublime, & infimum nulla interiectione coniungit: abſque interſtitio extremum puluerem lambit, qui vertice ſidera conabatur ferire. De eodem Nabuchodonoſore iterum dicitur Daniel. 4. verſ. 22. *Fœnum quaſi bos comedes, donec ſcias, quod dominetur excelſus in regno hominum.* Vbi Theodoret. *Intuere* (inquit) *mentis faſtum, inſpice arrogantiæ exſuperantiam; ſed qui cœlum aſcendere ſe ſomniauit, illinc ſententiam de ſe latam ſenſit: & qui cœlum rapere voluerat, è terra expellitur.* Qui ſumma petebat, ad ima deſcendit: perículoſiſſimi ſunt ſuperbiæ greſſus: quia à ſe ipſa decreſcit, neque in decremento modum ſeruat, cum ab extremo ad extremum abſque medio tranſeat.

2. *Quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo: In Cœ-*

Digitized by Google

lum aſcendam: dicebat Iſaias ſuperbiſſimo illi Angelo inſolentiſſimè elato c.14. v.12. Verùm ſi ſolus in corde ſuo aſcenſiones diſpoſuit, nec opere compleuit; ſed conſilio tantum fuit meditatus, quomodo è Cœlo, in quod gliſcebat aſcendere, antequam aſcenderet, præceps ruit? Qui præceps impellitur, faſtigium obtinebat: at Lucifer qui elationem non ſpirabat, ſed recondebat in corde, neque ad ambitum locum aſcenderat: quo pacto ab ipſo deturbatur? Subtiliter, & præclarè Bernard. ſerm. de aduentu Domini. *Nihil ille fecit, nihil operatus eſt: tamen cogitauit ſuperbiam, & in momento, in ictu oculi irreparabiliter præcipitatus eſt.* Sat ſummi imperij cogitauiſſe faſtigium. Non ſolum ſummitas præcipitio deuincta eſt, ſed & ſummitatis ambitioſus amor. Quantus eſſet caſus, ſi quæ concupiuit, ſupera tetigiſſet, ſiquidem à ſolo deſiderio cadens, tam extremum ſubiuit præcipitium? Imo ipſius verba conſidera, & intueberis, quòd quo mag s aſcendere deſiderat, magis deſcendit. *Qui dicebas in corde tuo: In Cœlum conſcendam: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium: ſimilis ero Altiſſimo.* In Cœlo creatus fuit, & ſuper aſtra aſcendere conatur, quæ in octaua ſunt ſphera. Hoc non aſcendere, ſed deſcendere eſt infra tres cœlos. Inde ad nubes, quæ in aere ſunt, infra ſeptem cœlos deſcendere eſt, & vltra. Ac denique ad montes venire, deſcendere iam eſt vſque ad terræ infimum elementum. Vt videas, quam ſit certum, quòd ſuperbus quo magis aſcendere anhelat, eo magis cadit, & quod à faſtigio vehementer ſuſpirato ad vltimam trahitur ruinam. Tam lubrica eſt ambitionis ſemita, vt vix pede tangatur, cum per eam gradiens labitur in ruinā. Hinc Elias 4.Reg.1.v.6. ad nuncios Regis Samariæ, qui ad conſulendum Idolum de valetudine ſui Principis accedebant: *Nunquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron?* Quod idem eſt, ac ſi diceret: Ad conſulendum Deum muſcam ſterilem pergitis? Beelzebub enim muſcam ſignificat, Accaron vero ſterilitatem. At cur Lucifer muſca dicitur, exiguum ac ſordidum animal, cum tantæ venuſtatis, ac magnitudinis fuerit, vt de eo dixerit Ezechiel 28. verſ. 14. tam magnas habuiſſe pennas, vt vniuerſam terram tegeret? *Et tu Cherub extentus, & protegens &c.* Auſculta, quæ text. ſubijcit, & tantæ decretionis cauſam perpendens. *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo: perdiſti ſapientiam tuam, in terram proieci te.* Vide rationem, ob quam Lucifer, ex ampla, & ſplendida magnitudine, ad perexiguæ muſcę paruitatem redactus ſit. Eleuatus eſt, & ideo deiectus. Tanta fuit deiectio, quanta fuerat eleuatio. Egregiè Procopius ad lib.4.Regnm. *Ille* (inquit) *qui ambitione ductus, ipſius Dei amplitudinem ſibi adſcribere conatus eſt, ad per exigui: & viliſſimi cuiuſquam vermis figuram redactus eſt.* Qui præ ambitione, qua turgebat, auguſtum totum orbem iudicabat ſpatium atque ſublimia cacumina habitabat, ad minutiſſimum, & abiectiſſimum animal reducitur. Quod denique Gen.6. apprime exprimitur, locutus enim Moyſes, in multorum ſententia, de reprobis Angelis, qui figuram humanam induebant, vt humana, & indecora munera efficerent, Gigantes eos compellauit. *Gigantes autem erant ſuper terram.* Vbi Hieron. ex Hebræo vertit: *Cadentes erant in terra.* Ad quid caſus cum Gigantea forma affine habeat, vt idem ſit Gigantem, ac cadentem dicere? Feſtiuè Ruper. ibi. *Cadentes rectè dicuntur, id eſt, ſuperbi, quicunque potentes à ſæculo ſunt, vel viri famoſi: nam hoc ipſum ſuperbire, cadere eſt.* In ſe ipſa periclitatur ambitio, & decreſcit magnitudo: procera, & elata ſuperbia vermem alit interiorem, qui radices rodit, vt detruncata abeat in ruinam.

3. Huiuſmodi autem ſuperborum exiguitatem multoties per diminutionem depingebat Dauid: ſic enim Pſalm.137.verſ.6. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.* Vbi Auguſt. *Hoc ſibi præſtat ſuperbus, vt à longè videatur: non vt non videatur.* At cur ſuperbos à longè Deum reſpicere dicitur, cum omnia habeat intimè præſentia? Adeo anteuolant, & præ excelſis cuſpidibus habitant, vt Deum fugiant, & eos niſi è longinquo nequeat proſpicere? Nou nunquam: nam Dei oculos nullus, quamuis ocyſſimos habeat volatus, ſubterfugere valet; ſed à longè elati videri dicuntur; quia quæ à longè videntur, quantumuis magna, & ſublimia ſint, minima apparent, eo quod in diſtantia eorum magnitudo decreuit. Non aliter ſuperbi quò magis intumeſcunt, & extolluntur, eo minores ſunt, non in hominum oculis, qui poſſunt decipi, ſed in Dei oculis, qui res intuentur vt ſunt, nec falli vllo pacto poſſunt. Idem repetit ipſe Vates (Pſal. 36. verſ.20.) de ſuperbis ſermonem inſtituens. *Deficientes quemadmodum fumus, deficient.* Quid fumus cum ſuperbo commune habet, quod in eo deſcribitur? *Fumus* (ait Auguſt. ſuper hunc Pſalm.) *à loco ignis erumpens in altum extollitur, & ipſa elatione in globum magnum intumeſcit: ſed quanto fit globus ille grandior, tanto fit vanior: quanto plus extenditur, tanto plus euaneſcit; ſic impius quo magis exaltatur, tanto citius deficiet.* Superbus in elatione ſibi parat ruinam, & inter tumentes elationes facili aura euaneſcit. Sicut fumus, qui aeri inſidet, labitur, & diſparet abſque extrinſeco impulſu: ſic ſuperbus à ſeipſo decreſcit, & annihilatur. Exindeque rogabat Dauid Pſal. 35. verſ. 12. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.* Cur vnum tantum pedem ſuperbiæ à ſe relegari poſtulat? Optat ne alium

alium poſſidere, qui vnum tantum veretur? Non ſanè: ſed claudam, labilem, & procliuem ſuperbiam eleganter deſcribit: quia ſuperbus vno tantum pede nititur. Sicut ergo, qui vno tantum graditur pede, inſtabilis eſt, & ruinæ proximus: ſic ſuperbus à ſeipſo nutat, & vnius tantum pedis præſidio ſubſiſtere non valet; proindeque facillimè ruit, vt in eodem Pſalm. verſ. 13. conſequenter dicitur. *Expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare*: Huiuſmodi autem ſuperbiæ vertigines præſentiens Lucifer dicebat: *Sedebo in monte teſtamenti*. Iſaiæ 14. verſ. 13. ad quæ verba Bernard. ſerm. 85. in Cant. *Ideo fortaſſis ſedere voluit, quia ſtare non valuit*.

4. Huc ſpectat celebris ille locus, quo Deus mirè Iſraelis diſſolutos mores exprimit. *Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor*. Oſeæ 7. verſ. 11. Vbi Sanchez ex Plinio mirum agnoſcit in hac auicula ſtuporis indicium, qui ex ſtulta quadam ſuperbia, & elatione naſcitur. Cum enim ſibi in colorum varietate plurimum columbæ placeant, inani quadam oſtentatione, & ſuperbia ſtrepitum edunt, quem niſi implicitis alis facere nequeunt. Ad illius autem ſtrepitus rumorem excitantur accipitres, & cum impeditas habeant alas, dum ſibi blandiuntur, oculos in ſeipſas reflectentes, volare non poſſunt, & facillimè capiuntur. Singularis planè ſtupor, qui volatum aufert, quod vnum columba effugium habet. Dum enim vanæ indulget glorię, & ſuperbię, atque in ſeipſa lenocinatur, vltro ſibi mortem aſciſcit, & prędę exponitur proprijs implicata volatibus. Hoc enim ſuperbię innatum eſt, ipſa facultate volandi implicari, & ad ruinam perduci. Quod & veſpertilionibus accidit: humorem cryſtallinum oculis neceſſarium ad videndum ad alas diuertunt, vt pennarum, quas non habent, vices gerat, & vt volatum adipiſcantur, viſum amittunt, & priuantur pretioſa oculorum vita. Non ſecus ſuperbi dum volare affectant, & ſublime aſcendere faſtigium, & vitam & lucem miſerè amittunt.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Cum cætera vitia citra condignum plectantur: ſuperbia ad extremum vſque punitur.

1. DEVM citra condignum punire, & vltra remunerare, tritum eſt Theologorum axioma: ſic enim & eius miſericordia, & noſtra expoſcit fragilitas; nam cum ipſe propenſior ſit ad clementiam, quam ad vindictam, ſupplicijs detrahit, & brauijs adauget. At licet hoc in reliquorum criminum ſupplicio ita contingat: tamen cum ad ſuperbiam plectendam accedit, ad æqualitatem punit, & vſque ad extremum corripit, vt ea induſtria artificiosè corrigat, & emendet: quia cum ſuperbia vim ſemper faciat, vt ſupremum aſcendat, nequit rectè corrigi niſi ad extremum contrarium retrahatur. Sicut qui arborem dirigit obliquam, neceſſe eſt, vt eam de extremo ad extremum duplicer, & extremitatem extremitati adiungat, vt in medio recto remaneat. Non ſecus ſuperbus, qui ab extremo inferiori, ad ſuperius aſcendere conatur, à ſuperiori ad inferius retrahendus eſt, vt arte & induſtria corrigatur. Hinc Chriſtus Dominus, vt homines ad veram pœnitentiam pronocaret, & exprobraret duritiam, & infidelitatem quarumnam ciuitatum, quibus ſua ſigna nihil proficiebant, dixit: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*. Matth. 11. v. 21. Et ſtatim minatur maiori pœna puniendas, quam Tyrus, & Sydon, & pro exemplari ſupplicium ciuitatis Capharnau ante oculos ponit. *Verumtamen dico vobis: Tyro, & Sydoni remiſſius erit in die iudicij, quam vobis, & in Capharnau, nunquid vſque in Cœlum exaltaberis? Vſque in infernum deſcendes*. Cur Dominus tam diro anathemate Capharnau minatur, atque non ſolum acerbiori ſupplicio quam alias ciuitates finitimas plectendam prædicit, ſed vſque ad profundum detrahendam, maximè dum reliquæ in ſua infidelitate permanent? Cur Tyrus, & Sydon non vltimam pœnam luent, & Capharnau ad extremum exitium condemnatur? Hieronymus rationem huius inæqualitatis à contextu elicit. Cæteræ enim ciuitates de incredulitate arguuntur, Capharnau autem de ſuperbiſſima elatione conuincitur, dum ad cœlos vſque exaltari ſatagebat: igitur non quacunque pœna mulctetur, ſed vltima, & de extremo ad extremum retrahatur, ad æqualitatem pœnas luat, & dum faſtigia cœli perebat, ad ima inferni deſcendat. *Ideo ad inferna deſcendes*, (Ait Hieronym.) *quia ſuperbiſſimè reſtitiſti: ideo quia exaltata vſque ad cœlum, maioribus plecteris ſupplicijs*. Reliquæ ciuitates, etſi ingratiſſimæ, & Deo infideles, non anhelabant orbis imperium: vnde *remiſſius illis erit in die iudicij*: & citra condignum punientur. Tu vero, quia inſolentiſſimè ſuperbiſti, & terræ dominationem ambiebas, atque vſque ad cœlum extolli, *maioribus plecteris ſupplicijs*, ad æqualitatem nempè criminis, & à ſummo faſtigio vſque ad infimum locum deſcendes, vt per extrema mulcteris.

2. Dauid, vt homines ad Dei amorem prouocaret, & ad ipſius legem alliceret, ſic eos hortabatur: *Diligite Dominum omnes ſancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus, &*

Google

retribuet abundanter facientibus ſuperbiam. Pſ. 30.verſ, 24. Sententia planè difficilis, & quæ non parum ingenia torquet. Nam præterquamquod, contra Dei practicam loquatur vates, dum ipſum abundanter ſuperbiam punire affirmat (de quo poſteà) quid ea locutione: *facientibus ſuperbiam* exprimere voluerit, valdè difficile eſt. Cur non ſuperbis, ſed facientibus ſuperbiam, Deum tam indignatum introducit, quaſi ſuperbia ſit non facta, & quæ ab habente fit? Crediderim ſic locutum, vt innueret, duplex eſſe ſuperborum genus: nam ſunt, qui ſuperbiam habent, etſi non faciant: & qui eam faciunt, vt habeant. Superbi qui ſuperbiam non faciunt, illi videntur, qui pignora poſſident pretio digna, videlicet, nobilitatem ſanguinis, litterarum decus, morum probitatem, geſtorum excellentiam. Hi ſæpiſſimè ſuperbi ſunt, tamen ſuperbiam non faciunt, quia quaſi naturali emanatione à prædictis prærogatiuis pullulat: ſcientia enim naturalitrr inflat, & excellentiæ illuſtres ſomites ſunt ad elationem naturaliter ſumigant, & capita ventoſitate intumeſcunt. Superbi, qui ſuperbiam faciunt, illi ſunt, qui cum nulla virtute, aut excellentia polleant, ſe inflant, & extollunt: qui cum Reipublicæ fæces, & peripſema ſint, propria manu ſe obumbrant, & arroganter de ſeipſis prǫſumunt, & garriunt. Hi ſuperbiam faciunt, & chimerica apprehenſione (quam logici rationis ratiocinantis vocant, quia nullum ſupponit fundamentum) phantaſticè ſuperbire videntur: hos propria vilitate, & abiectione improperabat Eccleſiaſticus cap. 10. verſ. 9. *Quid ſuperbis terra, & cinis?* Quaſi diceret: quod Angelus faſtu ambitioſo turgeat non mirum, quia nobiliſſimis parrntibus fuit ortus, & generoſis dotibus gratiæ, & naturæ procreatus: verum homo, qui à limo originem traxit, & à puluere exordium, non habet vnde ſuperbiat. Ab hoc ſuperborum genere cauebat Dauid, cum dixit Pſalm.35,verſ. 12. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*. Quaſi monſtrum, & chimeram ex diuerſis ſuperborum generibus ſabricaſſet, & alios capiti, pedibus alios coaptaſſet. Capiti quidem illos, qui pignora habent illuſtria, fumantes exhalationes capiti emittentia: pedibus vero eos, qui cum pedes ſint, ac infima, & abiecta Reipublicæ pars, adhuc blaterant, & excellentiores cæteris ſe iactant. Horum autem ſuperbiam renuit Dauid incurrere, & illius greſſibus ambulare formidat, quia prriculoſos, & ad ruinam procliues, atque inſtabiles agnoſcebat. Nunc autem Dauidicis verbis lux oritur: *Et retribuet abundanter facientibus ſuperbiam*. Illis etenim qui abiectiſſimi cum ſint, inanes, & omni excellentia vacui, ſuperbiam faciunt, & ſupra cęteros ſe extollunt, Deus abundanter retribuet pœnam, & ſupplicium, quod ſua arrogantia exigit. At quo pacto Deus abundanter ſuperbiam punire dicitur, cum ſit certum, quod citra condignum puniat? Mitto aliquorum ſententiam, qui tenent *ly Abundanter* non ſupra ſuperbiam, ſed ſupra retributionem appellare; ita vt plus pœnæ Deus retribuat, quam malitiæ in ſuperbia ſit; quia non piè creditur, quod Deus quemquam vltra modum puniat, & 70. verſioni non congruit, qui ita legunt: *Facientibus abundanter ſuperbiam Deus retribuet*. Et Auguſt. Stoici ſententiæ adhæreo, qui ita Deum ſuperbis retribuere autumat, vt ad æqualitatem puniat. *Vindex erit* (inquit) *Dominus eis iuſta rependens ad talionem*. Quod ſat eſt ad indignationem Dei ponderandam: nam cum ſit certum, cętera vitia citra condignum Deum punire, ſuperbiam ita abhorret, vt à mitiſſima ſua conditione quaſi degeneret, vt nihil ſuperbię impunitum remaneat, & tantum pro tanto eam corripiat, atque qui ſe ſuſtollere tentat, talionis pœnam luat, & ad extremum vſque puniatur.

3. Semel, & iterum Sacerdotes Philiſthiim idolum Dagon iuxta arcam Domini in templo collocarunt: ac iterum, & ſemel coram ea cecidit, eo tamen diſcrimine, quod in primo caſu integrum permanſit: at in ſecundo confractum, & toto corpore lacerum apparuit, atque cum truncus in proprio loco remanſiſſet, caput eius, & duæ manus in templi limine inuentæ ſunt. *Rurſumque mane die altera conſurgentes inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terram coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen. Porro Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo*. 1.Reg.5. verſ.4. & 5. Quærunt interpretes. Cur cum Dagonis truncus in proprio loco remanſiſſet, caput, & manus ad templi oſtium ſint egreſſa, vt omnibus ingredientibus eſſent ludibrium? Cur illæ partes maiori pęna mulctantur, quam reliquum corpus in penetrali templi relictum, & ad arcæ pedes deiectum? Cur indecora reiectione caput, & manus, vt omnibus pateant, ad omnium conſpectum deferuntur? Hugo Victor. quæſtionem excitauit, & peracutè ſoluit. Voluit enim Deus illo ſpectaculo peccatum prodere, quod in Dagon puniebat, & eius ſuperbiam, & arrogantiam propalare: & idcirco caput, & manus abſciſſa ad limen omnium oculis obiecit, quia idolum arroganter elatum neque caput inclinauit, neque manus leuauit ad pręſentiam arcæ; proindeque, quia in his extremis vanè ſuperbiendo deliquit, in eis plectitur, vt oſtendatur ſuperbiam in extremis, & per extrema puniri. Ad limen templi, quod extremum etiam eſt, lacera extrema protrahuntur, vt ſuperbia in extremis, & vſque ad extrema puniatur, quin aliquid ipſius impunitum remaneat. *Caput Diaboli* (ait Hugo Victor.5. allegor. num.8.) *ſignificat ſuperbiam Diaboli: duæ palmæ operationem*

tionem

Digitized by Google

tionem idololatriæ: limen finem impiæ culturæ. Quidquid in ſupplicio Dagonis apparet, externum eſt, & caput, & manus, & limen; quia cum Diabolus ſuperbiendo deliquerit Dei cultum ſibi arrogans, & neque manus, vt par erat, in præſentia arcæ leuaret, neque inclinaret caput, ad talionem plectitur, & in extremis corporis, & templi, quod ſibi dicarat, punitur. Sic Deus ſuperbiæ abhorret ambitioſum faſtum, vt eam vſque ad extremum corripiat, & penitus delere prętendat. Quod & Dauid ipſi conſulebat eius indignationem rimatus. *Leua manus tuas in ſuperbias eorum in finem.* Pſalmus 73. verſ. 3. Quaſi diceret (ait Agelius) *Potentiam tuam profer ad ſuperbiam, & elationem hoſtis penitus deijciendam, atque deprimendam.* At vbi eſt illa miſericordia, & manſuetudo Dauid, de qua plurimum gloriabatur, & ſeipſum commendabat, Pſalm. 131. verſ. 2. *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius?* Quid modo ita in ſuperbos iraſcitur, vt pro ipſorum annihilatione, & vltima ruina preces fundat? Meminiſſe debebat indulgentię ſibi conceſſę, vt pro delinquentium venia oraret, & ne prouocaret Deum, vt manum oneroſam ſuperbis imponeret, qua ad nihilum redigantur. Sat eſſet, vt ipſorum emendationi prouideret, Deum deprecari, vt moderatam pœnam eis imponeret, qua cautiores fierent, & deinceps ab huiuſmodi affectibus abſtinerent. Cur vſque ad extremum corripi deſiderat, & ſuggerit? Quia Dei conditionem agnoſcebat, & quam ipſi eſſent inuiſi, qui ab huiuſmodi vitio poſſidentur, ac quibus pœnis obnoxij: vnde vſque ad finem punire, & vſque ad extremum corripere conſulebat. *Leua manum tuam in ſuperbiam eorum in finem.* Ad talionem plectantur, & qui vſque ad finem ſuæ magnitudinis protrahi deſiderant, vſque ad finem ſupplicij protrahantur: qui extrema ambit, in extremis puniatur. Sicut ſuperbiſſimo Nabuchodonoſori accidit, qui dum imperium vniuerſę terræ ambiebat, & nullis ſatiabatur dominationibus, ſuam fabricauit ruinam, & vſque ad extremum fuit punitus, ſiquidem à Deitate, quam ſibi arrogauit, degenerauit in belluam, & abſciſo ſine manibus lapide pedes ſtatuæ, quam in elationis inſigne ſibi dicauerat, leuiter tangente, atque extremitatem illius percutiente, euanuit ventoſiſſimum illud ambicionis ſimulachrum, & cum ignominia in aëre abiuit. *Et quomodo vinum potantem decipit: ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur.* Hic verſ. 5.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Magnarum eſt virium fœlicitatis oneri non ſuccumbere.

1. OPportunè contulit vates potentiam Nabuchodonoſoris cum vino, quia non eſt ebrietas maior, quam ab inflato ſpiritu, vt in hoc tyranno perſpicuum eſt, qui potentia inflatus, ebrius opibus, atque victorijs, ingurgitatus voluptatibus nihil ſibi non arrogabat ſuperbus, nihil Deo attribuebat, quia fractum animum habebat tantæ fœlicitatis pondere. Magnatum ſanè virium eſt fœlicitatis oneri non ſuccumbere, aut non inſoleſcere, & ſibi honorem expetere. Hoc inquam humeros exigit Giganteos: quia fœlicitas, & ſecunda fortuna animum corrumpunt & mentis humilem & compoſitum ſtatum deturbant. *Non eſt facilè* (dicebat Ariſt. lib. 4. Ethic. c 3.) *ſine virtute res moderatè ferre ſecundas: atque cum æqualiter ferre non poſſint, putentque ſe cæteris antecellere, illos quidem deſpiciunt.* Aduerſa fortuna non indiget præſidio, ſibi ſufficit, quia animum reddit humilem, & docilem; at proſpera, & quæ ſemper ridet periculoſiſſima eſt, quia proprio pondere animum aggrauat, atque in diuerſa ſpargit vitia. Quod per bellè dixit Seneca ep. 39. *Magni animi eſt, magna contemnere, ac mediocria malle quam nimia: illa enim vtilia vitaliaq; ſunt: at hæc eo quod ſuperfluunt nocent; ſic ſegetem nimia ſternit vbertas; ſic rami onere franguntur; ſic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque euenit: quos immoderata fœlicitas rumpit, qua non tantum in aliorum iniuriam: ſed etiam in ſuam vtuntur.* Dum auræ perflant ſecundæ, animus præceps ad multa flagitia fertur, neque in fœlicitate eſt qui Dei recordetur, vnde Silius Italicus lib. 7. belli punici.

Raro fumant fœlicibus aræ.

Et Eſtac. lib. 12. Theb.

Ignotæ tantum fœlicibus aræ.

Tanti fit Deus in proſperis, quanti ignis æſtate, fax meridie, Medici non pręmente morbo, milites pacis tempore, in tranquillitate Naucleri: ingruentibus autem ægritudine, tempeſtate, certamine, vbique fumant aræ, inuocatur ab omnibus certatim Deus. & calamitas redintegrat, quod fœlicitas diſtraxerat; quia (vt dixit Tacitus lib. 1. annal.) *Secundæ res acrioribus ſtimulis animum explorant, quia miſeriæ tolerantur fœlicitate corrumpimur.* Vndè merito valdè miratur Chryſoſtom. (hom. 53. in Gen. illa verba. Quibus Iacob Deum alloquebatur relegatus à patria. *Si fuerit Dominus mecum in via, per quam ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum;*

dum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum. Geneſ. 28. verſ. 20. Quid Patriarcha Sancte? Multum tibi Deo vi[illegible]tis polliceri; ſi in fecundis rebus illum agnoſcas, ſi eum venerearis, cum promptuaria tua abundent frumento, & vino, qui Iobum Diabolo tentandum permiſit, ne cui videretur quæſtum exiſtimare, aut diuitiarum lucrique ſtudio Deum colere? Hoc eſt, quod Diabolus arguebat. *Nunquid Iob fruſtra timet Deum*. Cap. 1. Vbi Gregorius. *Ac ſi apertè dicat: Qui tot bona in terra recepit, quid mirum ſi pro eis innocenter ſe gerat? Innocens verè eſſet, ſi bonus inter aduerſa perſiſteret*. Vt quid igitur Deum reuereri pollicetur Iacob, ſi eum locupletet, Olympuſque & terra ſtudeant eum cunctis bonis proſperare? Illiberalis, & ſordida hæc videtur promiſſio. Generoſa & grata reputaretur, ſi in miſera egeſtate, & infortunato exilio obſequeretur Deo. Verum non parum pollicetur Iacob, nec inæſtimabile obſequium, imo difficilius, & ab anguſta humani animi capacitate, quæ qualibet expletur fortuna, alienum. *Futuram* (ait Chryſoſt.) *prauidens abundantiam, ſuam declarat gratitudinem; quod non vulgare argumentum ſanctitatis erat: ſolent enim diuitiæ, & rerum temporalium abundantia obliuionem, & contemptum Dei inducere*. Etenim inter bonorum temporalium copiam, rectitudinem ſeruare, magni animi eſt argumentum; fœlicitatis pondus ſuſtinere, nec ſuccumbere, magnarum eſt virium; proindeque difficilius obſequium offert Iacob, cum animo non frangi pollicetur, etiamſi in rerum ſecundarum apice conſtituatur.

2. Olim Deus præcipiebat Hebręis: *Decimo die menſis huius ſeptimi, dies expiationis erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus: affligetiſque animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum Domino*: Leuitic. 23. v. 17. Menſis ſeptimus erat Niſan, qui noſtro reſpondet Martio, primuſque tunc anni menſis inſtitutus eſt, vt habetur Exod. 12. At explorare liquet, cur in hoc menſe Deus decreuerit Iudæos affligi, & mortificationis macerari: cur pœnitentiæ, & pœnalibus operibus huiuſmodi tempus deſignatur? Egregiè Oleaſt. in comment. huius loci. *Et conſidera, quæſo, qualiter voluerit diſſolutas temperare lætitias, vt eo menſe inſtituerit feſtum afflictionis, quo homines ſolent ob fructuum copiam inſanire: quando areæ frumento replentur, & vino torcularia redundant*. Iucundo, ac vernante tempore, cum venti mitiores ſunt, grauida ouis, & ſpica fructus; & fœtus agricolæ exhibent, cum omnia floreſcunt, & arrident, cum bonorum copia ſuperabundat, lætitiam reprimere, & fœlicitatem frænare, carnis maceratione, Deus præcepit: quia agnoſcebat, quam difficilè eſſet, quam arduum inter fortuna virtutem colere, & vitiorum gurgite non pollui. Bona enim fortuna virtutis cultoribus non alleuamentum eſt, ſed grauiſſimum pondus, & impedimentum ad iuſtitiam. Tanta rerum affluentia circumdati Hebræi, & egeſtatis proindè obliti, vt honeſtatem conſeruarent, & vitijs non ſuccumberent, pœnitentiæ ſtudere iubentur vt quod proſperitas relaxabat, redintegraret pœnalitas Lethæi aquas ebibunt; qui proſpera potiuntur fortuna, & aliqua indigent aduerſa, quæ eos ab obliuione reddat inſomnes.

3. Dei miram prouidentiam admiratus Dauid dicebat: *Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*, Pſal. 9. verſ. 10. Verborum admirare ſtructuram: prius enim Dei auxilium in opportunitatibus, quam in tribulatione ſubueniens agnoſcit Dauid. Quid? Magis à proſperitate, quam à tribulatione formidat, quod hanc illi poſtponit? Quid opportunius, quam in tribulatione ſubſidium? Opportunitas enim non indiget protegente manu, quia à ſeipſa grata, & iucunda eſt. Sed eſto neceſſarium auxilium ſit. Vt quid non prius à tribulationis ſubuentione laudatur Deus, quam ab ope collata in opportunitatibus? Audi Euthymium. *Nec enim* (inquit) *ij ſoli auxilio indigent, qui in calamitatibus ſunt: ſed illi etiam, qui in proſperitatibus, vt fœlicitatem ſuam conſeruent, & ne in ignauiam, matrem calamitatum decidant*. Periculoſiores ſunt in ſecunda fortuna conſtituti, quam qui calamitatibus opprimuntur: quia iſti ipſa calamitate docentur: at illi proſpera fortuna corrumpuntur, cum facillimè in vitia efferantur. Idcirco à malis liberatus Dauid, & in tuto collocatus, non ceſſabat rurſus orare; *Miſerere mei: vide humilitatem meam*. Pſalm. 9. verſ. 14. vbi Chryſoſt. *poſtquam liberati ſumus à malis, illô opus habemus auxilio, vt facilè res ſecundas feramus: nam Iudæi quoque ab Ægyptijs liberati, grauiori bello vexabantur arrogantia, & ſocordia*. Ferè ſemper altiſſimas radices, quas agit infortunata ſors, proſperitas deijcit. Hinc eſt, quod Ioſeph ſemel, & iterum à Pincerna Pharaonis, cui proſperam prædixerat fortunam, poſtulauit, ne tandem ſui interpretis obliuiſceretur, ſed gratiam Regis ipſi conciliaret. *Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit, & facias mecum miſericordiam, vt ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere*, Gen. 40. verſ. 14. apud 70. & Paraphr. Chald. duplex memoriæ, ſeu memorandi repetitio reperitur: Semel, & iterum obſecrat Ioſeph, vt ſui memoria habeatur. Cur ab eo, quem habebat beneficijs deuictum, recordationem repetit, non verens illius liberalem animum offendere? Auſculta Ambroſ. lib. de Ioſeph *Ideo ſecundo repetit, quia ſciebat, non recordaturum, cum potentiam recepiſſet: nihil enim magis curant hi, qui proſperitatis dextera eleuantur, quam præſentem elationem contemplari, & illius complacentia frui, & tamen ſuccedentibus proſperis* (inquit Sacer Text.) *Præpoſitus Pincernarum*

obli-

oblitus eſt interpretis ſui. Timebat ſanè Ioſeph, ne animum Pincernæ proſperitas corrumperet: quia ſciebat erumpentes motus à ſecunda fortuna priſca obliterare, & benefactoris obliuionem inducere; & idcirco memoriam fouet, quaſi fortunam euentum præſagiens. Sic enim deturbat, & immutat animum proſperitas de nouo adueniens (præſertim cum miſera præceſſit calamitas) vt recordatione multoties repetita indigeat ad præteritorum memoriam retinendam:

DISCVRSVS V. MORALIS.

Qui aſcendere ſatagit, Commilitonibus ſuis conſcendere pollicetur, quos poſtea ad ima demittit.

1\. Res eſt ambitio mille fallacijs plena, & quem ſemel inuaſit, arte decipiendi imbuit, & ad eam expeditum relinquit. Nulli hominum minus fidendum, quam ambitioſo, & ſuæ magnitudini ſtudenti: quia vt eam adipiſcatur, cæteros in præcipitium trahere non veretur. Eos prouocat, fouet, & allicit, vt ad deſiderata eorum auxilio perueniat, & locum aſcendat ſupremum: at poſtquam eum acquiſiuit, de eorum præcipitio non dolet, imo ad illud impellit. Dum ope ipſorum indiget, ſecum aſcendere pollicetur: at poſtquam faſtigium tenet, & ad apicem peruenit, coadiutores ſuos non modo deſerit, ſed conculcare gliſcit; & pluſquam promiſerat eleuationis, & honoris, ſubiectionis, & ignominiæ pati procurat. Qui fortuna potiuntur ſecunda, ipſius genium ebibunt; de qua dixit Tacitus lib.1.annal. *Neminem eo fortuna prouexit, vt non tantum illi minaretur, quantum promiſerat*. Non ſecus ambitioſus, quantum promittit, tantum minatur, & fallit: nam quos ſecum aſcendere pollicetur, vt ipſi auxilium ſubminiſtrent, poſtquam aſcenderit, impellit ad ruinam, quaſi collegarum infœlicitate fœlicitatem tueatur. Ingratitudo adnata eſt ambitioni, & ne commilitones aſpiciat, qui debitum recordentur, eos relegat, & ſtatim atque ad ſumma peruenit, ad ima demittit. Alexandri Buzephalo talis inerat arrogantia (vt refert Plinius lib.8.cap.42.) quod nudus, ſeu ornatu equeſtri ſpoliatus, quemlibet ſeſſorem admitteret: phaleratus vero, & ornatus neminem niſi Alexandrum pateretur, quia cultu regio intumeſcebat. Tales equidem illi, qui priuati alijs humiliter ſubſternuntur, vt ipſorum gratiam ſibi concilient ad honores venandos; at ad ipſos euecti omnibus ſuperbè dominantur, & deprauatam indolem detegunt. Sicut vaſculum rimas habens dum vacuum eſt, eas non prodit, ſecus ſi impleatur: ſic in priuato homine moralia vitia deliteſcunt, quæ, ſi ad honores ſurgit, palam oſtenduntur. Et idcirco de Caligula Imperatore Romano dici olim conſueuerat: *Optimus ad imperandum, niſi imperaſſet*. Artificioſa nimis, & phalerata ambitio eſt; vnde dixit Seneca: *Multorum vita ficta eſt, & oſtentationi parata*. Dum ſuffragia ambiunt, modeſti, & ſpectabiles apparent: at poſtquam ad concupita deuenere, etiam ipſos, qui opem præbuerunt, opprimunt: & ſicut hedera arborem deijcit, cui inhæret: ſic eos, qui manus ſibi ipſis porrexerunt, pedibus calcant.

2\. Superbiſſimus ille Angelus faſtu inſolentiſſimo turgens, & ſolerti nequitia ſuæ magnitudinis ſolicitus, dicebat Iſaiæ 14.verſ.13. *In Cœlum conſcendam: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: ſimilis ero altiſſimo*. Horum verborum occaſione autumat Damaſcenus Luciferum, & omnes qui illo prolapſi fuerunt, de infimo Choro Angelorum fuiſſe, & in aëre creatos. *Si enim* (inquit) *creatus fuiſſet Lucifer in Cœlo Empyrio, & cæteris Angelis vniuerſis ſublimior, non dixiſſet: In cælum conſcendam, ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum*. Hanc pro nunc teneamus ſententiam. Quid arrogans ille, & præſumptuoſus ambiuit, & toto anhelauit animo? Præfici, & imperare cæteris Angelis, ac ſupra omnes Choros eleuari: egrè enim ferebat, alios ſuæ naturæ ſupra ſe habere, ac illis ſubijci. *Sedebo* (pergit Damaſcenus in comment.huius loci à Charthuſi. relatus) *in lateribus Aquilonis: id eſt, in turmis, ſeu partibus Angelorum mihi adhærentium, qui latera Aquilonis vocantur, quia in eis æterni Solis calor (videlicet Dei amor) extinguitur, dum ſchiſmatico, atque apoſtatæ Principi connectuntur*. Itaque quod Lucifer hianti conatu ſuſpirabat, imperium erat ſuper cæteros Angelos ipſum comitantes, & quorum conſortium vehementer procurabat. Sed attende artem, & calliditatem dæmonis: nam cum primo aſcendere cogitat, ſic Angelos ſibi & natura, & fortuna pares alloquitur: *In cælum conſcendam*. Quaſi diceret: Aſcendam vobiſcum, & vos mecum aſcendetis: conſcendere enim, cum alijs aſcendere eſt. Omnes ſecum aſcenſuros pollicetur, vt ad conſortium trahat, & ad ſequelam prouocet, & alliciat: at poſtquam aſcendiſſe credit, ſolum dominari, & ſupra ipſos ſedere inſolentiſſimè blaterat. *Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti: ſimilis ero altiſſimo*. Siſte ſuperbiſſime agoniſta. Quos modo tecum aſcenſuros pollicebaris, nonne tecum ſedebunt, & imperabunt? Cum aſcendis, aſcenſuros promittis, & poſtea ſolum ſedere garris? Cur promiſſa adimplere recuſas, & tam callidè, ac impiè, quos

quos participes tuæ fortunæ nuper habebas, ſub tuis pedibus habere ſuſpiras? Modo ipſis, *In cœlum conſcendam* dicebas, & ſtatim, *Sedebo in lateribus aquilonis*, ais? Palam mentiris; cum ſuperba ſpe erectus preeminentiam ſedis omnibus promittis, & ſtatim ſolum ſedere ſatagis. Verùm hæc fuit, & ſemper erit ſuperborum aſtutia: vt deſiderata obtineant, & commilitonum animos ſibi concilient, concupitę fortunę participes futuros pollicentur: & ea obtenta pedibus cóculcare, & proterere conantur. Cum ipſorum ope, & auxilio indigent, ſecum aſcenſuros callidè promittunt: at poſtquam concupitis potiuntur, contra ipſos ſęuiunt,& à faſtigio pręcipitant,& deturbant. Sic eos fallaci, & fraudulenta arte decipiunt, vt animas ponere non dubitent, quas poſtea exhalare deſiderant, de fatua ſua confidentia contriti. Sic periculoſum eſt ambientium conſortium, vt ab illo ſemper comites decreſcant, & minuantur.

3. Cum primò Deus mundum condidit, lucem creauit, cuius pulchritudine reliquæ creaturæ, quæ caligine erant obuolutæ, ſplendidæ apparuere; eò tamen genio imperium lucis, diuiſit, quod duo luminaria illud obtinerent: ſol, vt præeſſet diei, & luna, vt præeſſet nocti. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti*. Geneſ. 1. verſ. 16. Quo tamen loco illa collocauerit, non innuit textus. Tenet Nazianzen. ſolem, cum primo illuminare cœpit, in oriente apparuiſſe, & in occidente lunam. Quod (ſi ita accidit) cogitare vrget: cur lucis primitiæ ſic diſperſæ apparuerint, vt in oppoſitis paralelis conſtituantur? Cur cum oriri incipiunt, ſic ſeparantur, & quaſi oppoſitæ eſſent naturæ, toto cœlo diſtant, & vnumquodque ab altero recedit? Congruere enim videbatur, in oriente ambo apparere, vt illinc ſuos curſus dirigerent, & ſe inuicem adiuuarent. Cur lunæ imperium à funere incipit, & nondum nata ad occaſum pergit, & ad mortem ſe dat præcipitem? Crediderim, vt oſtendatur ambientium natura. Ad lucis dominium ſol, & luna creantur, & eis committitur. Vt igitur primo ſol in oriente apparet, & aſcendere incipit, luna in occaſu videtur, & ad præcipitium properat. Solis aſcenſus lunæ deſcenſus eſt: ſolis eleuatio lunæ deiectio. Cum ille ad zenith pergit, ipſa ad tumulum cadit: quaſi à ſolis incremento ipſa decreſceret, & ab ipſius collegam minuatur. Quòd & ipſe textus ſacer innuit: nam ſtatim, ac præmiſit: *Fecitque Deus duo luminaria magna*: ſubdit: *luminare minus, vt præeſſet nocti*. Quomodo luminare minus luna dicitur, quæ paulò antea magnum dicebatur? Tam citò à magnitudine cadit? Quæ dum fit, magna eſt, mox vt facta apparet, minor videtur? Vndè ſic decreſcit, & quæ magnum principatum ambibat, luminare minus ſtatim in lucis adminiſtratione euaſit? Ingenioſè Rupertus à ſolis conſortio, & comparatione id accidiſſe putat. *Ad alterutrum comparatione facta, luminare maius ſol, luminare minus luna*. Acſi diceret: A ſolis collegam luna decreſcit, & minor euadit: ſolis aſcenſus lunæ eſt deſcenſus: & dum ipſe ſumma cœli petit, eam ad occaſum demittit. Sic qui ſuam magnitudinem ambiunt, Collegas, & Commilitones deſpiciunt, vt ad præcipitium impellant, & hi cum in aſcenſu magnos ſe putent ambientis promiſſione, cui ſuffragantur, poſtea conculcatos, & ad mortem vſque protractos ſe deplorant.

4. Creauit Deus humani generis Prothoparentes multa rerum humanarum notitia præditos, ac diuinarum non pauca: & tamen callidus ſerpens, vt eos ad præuaricationem induceret, ſic mulierem alloquitur: *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum*. Geneſ. 3. verſ. 5. Vaferrimè adoritur mulierem inimicus, dum ipſi diuinitatem pollicetur. Credit ipſa dæmoni: & cum ex ligno vetito fructum guſtaſſet, dedit viro ſuo, vt comederet. Non adducar, vt credam Euam fructum Adæ obtuliſſe, vt Deus euaderet: quandoquidem ignorare non poterat, Deum vnum eſſe, & ſolitudinem Dei eſſe characterem. Tamen eam Adæ promiſit: & dum fructum, offert, participem fieri diuinitatis pollicetur, quam ipſa iam habere credebat. Cur igitur cum certum haberet, Deum duplicem eſſe impoſſibilem, & iam ſibi diuinitatem vſurpaſſe, fructum Adæ detulit, & ſuggerit ex eo comedere, vt diuinitatem adipiſcatur? Cur antequam fructum deguſtaſſet, conſorti non offert, vt prius comedat, & efficiatur Deus, cum ſexus excellentia, & maritali prærogatiua id promeruerit? Aut igitur Adam prius comedat, aut fructum iam exhauſtum,& à quo diuinitatem extraxiſſe credit, ei non deferat: cum certò ſciret diuinitatem ab eo capere non poſſe, D. Thom. (ſup. 2. ſentent. diſt. 22.) putat Euam maiori elatione, atque propriæ excellentiæ deſiderio, quam Adam deceptam: quia diuinitatis excellentiam adipiſci ſibi perſuaſit; Adam verò ſub conditione tantum eam concupiuit. *Elatio, quæ mouit mulierem, maior fuit, quam quę mouit virum: in muliere namque talis fuit elationis progreſſus, quod ad verba ſerpentis, tantum excellentiæ appetitum accepit, quòd iudicium rationis peruertit, & verum atque poſſibile credit, quod dixerat ſerpens; ideò dicitur fuiſſe ſeducta: in viro autem non tantum creuit in principio amor excellentiæ ſuæ, quòd iudicium ſuæ rationis peruertit, itaque crediderit, hoc eſſe futurum; ſed quia id voluit, ſi fuiſſet, aut foret poſſibile, ideò dicitur non fuiſſe ſeductum. Attamen talis elatio incitauit eum ad experiendum*; vndè colligitur, quam callidè, & ſolerter mulier virum inuaſerit: nam cum primò ſub viri poteſtate eſſet conſtituta, & poſtea ſerpentem audiſſet diuinita-

nitatem pollicentem, atque indubium haberet; deitatem vni tantum poſſe competere, fructum deguſtauit, antequam viro obtuliſſet, vt ſe capur viri conſtitueret; & poſtea diuinitatem, quam poſſidere ſuſpicabatur, viro pollicetur, atque eiuſdem ſortis, & fortunæ cum ipſa euaſurum, quo illum alliceret ad dignitatem, vt poſtea à faſtigio deijceret, & ſubiugaret. Sic callida eſt ambitionis cupiditas, vt non ſatietur poſſeſſo, neque dominari credat niſi collegas præcipitet, & in profundum demergat. Huiuſmodi autem ambitionis ſitim, & ſubdolum genium pulchrè inferno comparauit Vates noſter: quia omnes ad ſunm dominium reducere cupit, vt omnes torqueat, cruciet, & tyrannice proterat. Quòd & in inſolentiſſimo Nabuchodonoſore videbatur; nam omnes nationes, quarum ope, & auxilio plurimas debellarat prouincias, ſicut infernus abſorbuit, & immaniſſimam dominationem experiri coegit. *Qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam, & non adimpletur: & congregabit ad ſe omnes gentes, & coaceruabit ad ſe omnes populos*. Hic verſ. 5.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Nullum incurabilius, nullumque abiectius malum eſt inuidia.

1. INcurabili ægritudine laborant inuidi. *Nec enim* (vt dicebat Veron. Zeno) *medicum languoris ſui aſſumere, nec remedij aliquid inuenire poteſt inuidus*. Sic malitiæ tenax, & in propoſito obſtinatum vitium inuidia eſt, vt nulla ipſi medela poſſit applicari: quia (vt dixit Cicero 3.Tuſcul.) *Ægrytudo eſt ex alterius rebus ſecundis, & calamitas ſine remedio, odiſſe fœlicem*. Exindè immedicabilis, vehemens, & atrox infirmitas inuidia eſt, & ab illa poſſeſſus diſcruciatur, animi angore contabeſcit, & miſerè eliquatur totus. Quaſi vermis in ligno, & in veſtimento tinea: ſic inuidia cor, & faciem conficit, ac macerat, hebeti pallore. Qui ſemel in ipſius manus incidit, nunquam conualeſcit: quia ità conuiſceratur, vt incurabilis reputetur. *Eſt enim inuidia* (inquit Celius Rodigin.) *pernicioſa mali vis, & radius peſtifer ab oculis profluens, quo mortale corpus inficitur, & grauius oblæditur, vel vſque in tabem*. Nec ſolùm ſibi officit inuidus peſtilenti intuitu, ſed reliquos inficere conatur; vndè qui hac peſtifera faſcinationis ægritudine laborat, non aliter medicari poteſt, quàm ſi oculos ſibi eruat. Sic inuidus, dum aliena bona videt, immedicabilis prorſus eſt: ſi oculos ſibi eruat, tunc ſolum ſanus fiet: quia eum non aliena cruciabit fœlicitas. Sic altas pertinax inuidia iacit in pectore radices, vt nulla arte, nullo ingenio poſſint eradicari: ſicut pulchrè Chryſolog. ſerm. 4. de confratre adoleſcentis prodigi dixit. *Erat in agro terram percolens, duritiam ſoluit ceſpitis, perdurat affectum; ſentes eradicat, & gramina; ſtimulos inuidiæ non euellit*. Sic rauidus hic affectus inſoleſcit, & inoleſcit dum de aliena fœlicitate propriam infœlicitatem fabricat, vt perpetuo cruciet, & in alteram tranſeat naturam, nec remedium adinuenire queat. Et quamuis medicabilis eſſet, nullæ ipſi medela poterat applicari: quia nullus hanc infirmitatem detegit, etſi poſſideatur ab illa. Tam abiectum, & deſpicabile vitium eſt, vt pudeat quemlibet illud prodere.

2. Strenuè Philiſtæo profligato, abſciſum proprio pugione caput Dauid defert ad Saulem, qui inuidiæ pugione percuſſus, & dolore percitus, eo quòd audiſſet acclamationes, quibus præcinebant mulieres Dauidicas laudes, illis verbis nimis ipſi amarulentis, *Percuſſit Saul mille, & Dauid decemmilia*, occaſionem exſpectabat opportunam, vt Dauidem interficeret. Factum eſt autem, quod paulò poſt ſpiritus nequam inuaſerit Saul: Dauid verò, vt illius placaret furorem, pſallebat manu ſua. At cum lanceam in manu haberet Saul, miſit eam, reputans quod transfigere poſſet Dauidem. Quòd cum aliter accidiſſet: *Mox* (inquit text.) *fecit eum tribunum ſuper mille viros* 1.Reg.18.verſ.13. Mirùm valdè eſt, & præter omnem ſpem, quòd quem paulò ante rauida impulſus inuidia occidere tentauit, tam egregijs proſequatur honoribus. Tam citò odium degenerauit in amorem, vt lanceam in dignitatem commutet, & euehat ad honorem, quem interficere anhelabat? Fortè lethale venenum inuidiæ depoſuit, & præclara merita Dauidis vult remunerari? Beneficio afficit, quem morte afficere conabatur, & liuori reſiſtit, qui medullitus inhærebat, atque inuidiæ iras mitigat, vt virtutem coronet? Non ità: ait ingenioſè Lyranus: Sed *Saul* (inquit) *renocauit eum fingens, quod non feciſſet ex propoſito, nec ex odio; ſed neſciens, quid faceret, agitatus dæmone*. Adhuc infernalis inuidiæ furor latebat in pectore Saulis: adhuc rauidè liuor poſſidebat præcordia: adhuc inteſtina peſtis viſceribus erat inolita. Tamen ne inuidia prodat eſſe poſſeſſum, rependere ſatagit Dauidis merita, & illum honorat, vt perſuadeat ſe non inuidiæ impulſu, ſed à dæmone agitatum lanceam eieciſſe: quaſi minus puderet dæmone, quam inuidia correptum videri. Tantùm dedecoris, & ignominiæ inuidiæ ineſt, vt furentes iras in pectore reprimat Saul, & dæmonis incantationi mortem intentam aptet, ne fateatur ſe ab inuidia poſſeſſum: licèt hæc ars nihil ipſi proficeret, quia ſæuientis animi facinus non patiebatur Deus tegi. Idcircò ingenioſè notauit Baſil. de Seleucia, quod lancea, etſi Da-

Digitized by Google

uidem aberrauit, parietem percuſſit, vt ictus in ipſo impreſſus animi maleuoli audaciam ſemper indicaret, adeò, vt negare quod tentauerat, non potuerit, cum eſſet proditurus paries, quod ipſe tacuiſſet. *Haſtam iacit in Dauidem* (ait Seleutia in Orat. 15.) *ictum verò paries excipit, omnibuſque facinus iudicat. Non enim omnia videns oculus hic curam remiſit, neque iactum telum diuinam prouidentiam præuertit. Ità Dauid periculo exemptus eſt, & lapis funeſtæ manus monumentum, teli ſuſtinuit impreſſionem, atque audacis facti accuſator in naturæ ſenſus expertè cædis tulit ſymbola.* Vt Saulem iniuſta molitum iugiter accuſet inuidia, quam ipſe occultare ſatagebat, ictus in lapide exprimitur, vt non doleatur, & ſemper animum furentem inſimulet, atque dedecus, quod fugiebat, eum ſemper arguat. Dum Phariſæos Chriſti Domini miraculis admiratos pallida torqueret inuidia, & inteſtino liuore rumperentur ipſorum corda, quidam illorum Princeps ipſum inuitauit, vt domi ſuæ panem ſabbatho manducaret. *Et factum eſt eum introiſſet in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum ſabbatho manducare panem, & ipſi obſeruabant eum.* Lucæ 14. verſ. 1. inuitatus recipitur Chriſtus hoſpitio, vt ex conſequentibus patet. Fœlix ille, qui inter obſtinata Judæorum corda ſic doctrina Chriſti allicitur, vt illum ad domum ſuam diuertere ſatagat. Inter Phariſæorum inuidentium caliginem Princeps ille virtutes Chriſti extollit: ſtupet dicta, ſuſcipit, & humano recipit hoſpitio? Dum reliqui inuidia fremunt, & præclara calumniatur, opera hic Chriſtum amanter inuitat: At non ſic (ait Euthymius) imò hic maiori cruciabatur inuidia, animatus eam poſſidebat liuor, peſtiferà contagione tenebatur, & Chriſti opera immedicabili, ac inteſtino odio proſequebatur. Vt qnid igitur hoſpitat cui inuidet, & ipſum applaudere, & amare ſimulat? *Opinionem venari cupiens, quòd ipſe non inuideret:* ait acutè Euthymius. Pudebat ipſum inuidiæ, quia cum eſſet Princeps, indignum reputabat tam illiberali, ac ſordido videri obnoxium: vt ignobilem, atque indecorum animum tegeret, vultum exhibuit placidum, & pacatum: pium exercet hoſpitalitatis officium. Verens inuidiæ dedecus prodere, erubeſcens obſcuram indolem detegere, & ignobilem inuidiæ morbum diſſimulare ſtudens: opinionem venari cupiens, quòd ipſe non inuideret, grato Chriſtum recipit hoſpitio, quia Principem dedecebat inuidum reputari.

3. Languidus ille, qui triginta, & octo annis, ſolutis paralyſi membris, in lecto iacebat, ſubita & inopinata ſalute ab ipſo ſurgit, & grabatum ſuum ſecum portanit; in vtroque obtemperans Chriſto, qui & ſurgere, & grabatum tollere præceperat. Cum autem Sabbatho hæc accidiſſent, dicebant illi Judęi Sabbathum eſt, non licèt tibi tollere grabatum tuum. *At ille, qui me ſanum fecit, ille mihi rixit: tolle grabatum tuum, & ambula. Interogauerunt ergò eum: quis eſt ille homo, qui dixit tibi: tolle grabatum tuum, & ambula?* Ioan. 5. verſ. 11. & 12. Mirum valdè eſt, quòd cum paralyticus duo dixiſſet, & ſalutem recepiſſe, & lectum ab eo tollere fuiſſe præceptum, inuidia Iudæorum maleuolentia neque de ſanitate interrogat, neque de homine ipſam conferente, ſed violationem tantum præcepti obſeruationis Sabbathi incuſant. Duo illi dixetat, & ſalutem à Chriſto accepiſſe, & fuiſſe iuſſum grabatum tollere: Iudæi autem, quaſi nihil de miraculoſa ſalute dixiſſet, tantum repeunt, quod tranſgreſſionem legis putabantt. Cur qui Chriſtum in paralitico inobſeruantem legis arguebant, miraculum non calumniantur, & palam primam accuſationem prodentes, opinionem, quam de miraculo habebant, in corde recondunt? Pręclarè Hugo Carenſ. ad hunc locum. *Non dixerunt: quis eſt, qui te ſanum fecit; ſed hoc bonum tacuerunt, quod eos torquebat, & eam tranſgreſſionem in medium ducunt. Quis eſt* (inquiunt) *qui dixit tibi: tolle grabatum tuum, & ambula?* Miriſſimam deſperati morbi ſanitatem, & ſtupendum miraculum tacent inuidi Judæi, etſi interius eorum corda rumperentur, ne inuidi videantur, & legis tranſgreſſionem inſimulant, quia huiuſmodi accuſatio prætextum religionis habebat, & in ea non inuidia correpti, ſed zelo feruentes videbantur, violatione Sabbathi non interius cruciantur, & tamen obſeruantiæ plurimum gloriantes ipſam tranſgreſſionem reprehendunt; inuidia, & odium medullitus ipſis inuiſceratum non produnt. *Hoc bonum tacuerunt, quod eos torquebat,* quia pudebat ipſos inuidos apparere. Tam illiberale, & abiectum vitium inuidia, eſt, vt etiam pectora veneno, ac liuore plena, & intra ſe ipſa ſæuientia vereantur videri ab eo poſſeſſa. Inuiſum tranſeunt miraculum, quia ad detrahendum ipſi neque colorem, neque prætextum habebant, & de ipſo murmurantes, de inuidia remanebant conuicti. Hinc congruentiſſimè inuidi inferno comparantur: quia in ipſo ſæuiſſimè puniuntur damnati, quin gehennales flammæ à loco exeant, vbi ſunt reconditę; vndè dixit Alanus: *Inuidia erronea eſt cæcitatis abyſſus, humanę mentis infernus.* Latent in terræ viſceribus infernales flammę, quin ad terræ faciem egrediantur: flagrant inuidi pręcordia, & vruntur infernali ardore: & tamen reprimunt incendium, ne ardere videantur, & erubeſcant tam vili, ac ſordido poſſideri affectu. Hac enim metaphora expreſſit vates noſter tabeſcentem animum, & inuidum cor Nebuchodonoſoris, qui tot victorijs, atque imperijs potius, adhuc non poſſeſſis inuidebat, & torquebatur deſiderio ea adipiſcendi: *Qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam: & ipſe quaſi mors, & non adimpletur.* Hic v. 5.

DIS-

Digitized by Google

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Nihil grauius ingenuis viris, quam illudi.

1. Generoſa indoles pretium, quòd in ſe habet, apud omnes gliſcit habere, nec patitur inuerecundè, & irriſoriè tractari. Honoris iactura vita eſt ſenſibilior, quia nobiliorem animi portionem lædit. Nemo ſanus ſubſanari ſuſtinet, ingenuus nemo patitur irrideri, & mortem ipſam ſubire deſiderat, potius quam exponi deriſui. Profligato exercitu, & verſo Philiſthæis dorſo dicebat Saul armigero ſuo. *Percute me, ne veniant incircumciſi, & interficiant me illudentes mihi*, 1. Reg. 31. verſ. 4. Me interime, ne à Philiſtæis interimar. Stulta nimis expetitæ mortis occaſio. Si diceret: interfice me, ne à Philiſtæis comprehendar, rectè loqueretur, mortem ambiens, ne ſeruitutem incurreret: at mortem quærere, vt mortem fugiat, nugax deſiderium eſt. Non maius nocumentum Philiſthæus ipſi poterat inferre, quam quod ipſe propria manu aſſumit. Ille ipſum occidere conatur, & ipſe ſe interimere tentat. Quid optabilius in morte, quam ſibi præparabat, quam in illa, quam timebat, reperiebat Saul? Audi Abulenſ. quæſt. 8. ad 1. Reg. *Quia pati ludibria grauius erat Sauli, quam mortem tolerare*. Timebat Saul in manus Philiſthinorum incidere, non quia mortem formidabat: ſed quia irriſiones, & ludibria ipſi infligenda præſagiebat, & decoram, ac amabilem putat mortem, quæ ab illo dedecore eximebat. Nec immeritò, quia morte, quam ſuſpirabat, finem præteritis imponebat laboribus, ludibrijs verò recrudeſcentibus plagis, quas in ſua extrema calamitate acceperat, acrius pungeretur. Id ipſum penſitauit idem Abulenſ. in eo, quod Samſoni accidit. Captum à philiſtæis nequaquam occiderunt, ſed oculis prius effoſſis ad molam aſinariam alligarunt. Quis non demirabitur Philiſthinorum pietatem? Vitam, quam maximè execrabantur, adhuc conſeruant, neque ei, à quo tot mortes acceperant, mortem inferunt? Cur quem tam exoſum habebant, non vltimo afficiunt ſupplicio, ſed ſuperſtitem relinquunt? *Quia non reputabant* (ait Abulenſ. quæſt. 39. in Iudic.) *completam vludictam, ſi eum occiderent; ideò conati ſunt eum recipere viuum ad illudendum ei*. Quaſi multo acerbius videretur ſupplicium, poſt tot calamitates irriſio, quam ipſa mors. Idcircò ipſum ſuperſtitem reliquerunt, vt diutius, & amarulentius de ipſo vindictam ſumentes illudenti haberent materiam, & repetitæ, ac infamis mortis telo ipſum interficerent, ingenuus vir, qualis erat Sanſon, acerbius irriſionem ſuſtinet, quam mortem, & indulgentiam crederet ipſam, ſi à conuitiorum iaculis eriperetur.

2. Poſtquam Chriſtus Dominus occubuit in patibulo, Iudæi cæremonialia præcepta obſeruantes, ad crura frangenda damnatorum, acceſſerunt: cumque iam Chriſtus exſpiraſſet, & mortuum inueniſſent: *Non fregerunt ius crura*: Ait Euangiliſta, Ioan. cap. 19. verſ. 33. Et vt euentum reddat indubium, plura congerit ſcripturæ teſtimonia, præcipuè illud Exodi, *Os non comminuetis ex eo*, Ibid. v. 36. Vt quid Euangeliſta tantum immoratur, vt fidem illius facti adſeruat, & confirmet? Egregiè Chryſoſt. *Vides* (inquit) *quantum adhibet diligentiam, vt credatur quod turpe, & ignominioſum videbatur? Illudere enim mortuo, quam crucis ſupplicium longe peius eſt*. Grauiſſimum (quaſi dicat, & ignominioſum erat crucis ſupplicium; ſed grauior ſine dubio Chriſto foret illuſio. Inanimatum corpus ad irriſionis iaculum quaſi animatur, & rediuiuum conuitia ſentit, quæ mortis tranſgrediuntur terminos. Si mortuo illudere tam graue eſt ſupplicium, vt per hyperbolem dicatur, illum medullitus vulnerari; quantò grauius viuenti erit iniurioſis impeti conuitijs, & quam vere cum ipſa morte viuenti erit iniurioſis impeti conuitijs, & quam vere cum ipſa morte veniunt comparanda? Vetus, & ſatis implexa quæſtio eſt inter expoſitores circa horam, qua Chriſtus Dominus fuit crucifixus, propter Euangeliſtarum diſcordiam. Etenim Matthæus (cap. 27. Lucas, & Marcus cap. 15. v. 25. hora tertia teſtantur id factum fuiſſe. *Erat autem* (inquit Marcus) *hora tertia, & crucifixerunt eum*, Ioan. verò cap. 19. verſ. 14. Dicitur crucifixus hora ferè ſexta. *Erat autem. paraſceue paſcha hora quaſi ſexta; tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur*. Quæ apertam repugnantiam inuoluere videntur; cum trium horarum ſpatio vna ab altera diſcordet ſententia. Varias tantæ difficultatis ſolutiones tradunt interpretes: Auguſt. (quem plerique ſequuntur) ideò tenet, dixiſſe Marcum Chriſtum crucifixum hora tertia: *Quia Iudæi clamauerunt illa hora: crucifige*. At contumelioſa Iudæorum inclamatio quid affine habet cum morte, vt ex illa Chriſtus credatur crucifixus, & ab illa hora morti ignominioſæ addictus? Multum, inquam, quia blaſphemiæ, & irriſiones ſic generoſam Chriſti indolem læſere, vt ex tunc contumelioſam mortem ſubeat, & non minus verè dicatur crucifixus, quam cum patibulo erat affixus. Idem fuit ipſi irridere, ac infami ligno alligari accinit Theophl. *Vtique qua crucifigere, & punire ab eo tempore indices dicuntur, quo ſententiam proferunt, & eo quod vis pœna, & mortis in linguis quoque ſit; eius gratia Marcus tertia hora crucifigi eum dicit, à qua Pilatus ſententiam expoſuit. Ioannes autem, cum Marcus dixiſſet tempus ſententia, horam in qua Dominum crucifixerunt dicit*, Apprimè conſonant Euangeliſtæ, & cum verita-

veritate, & inter ſe, cum vnus hora tertia, in qua Iudæi deridere Chriſtum, & blaſphemare cœperunt, crucifixum affirmat, & alter hora ſexta, in qua mortem crucis ſubijt: quia ingenuo viro non minus mors, quam crucifixio eſt, quin potius crudelior: quia illudentes vitium faciunt homicidium ſanguinem fundentes honoris, qui pretioſor eſt corporis ſanguine, & naturali vita: immaniori ſe polluunt irriſores piaculo; nec prodeſt vitę parcere, cum vulneratur honor; vndè Optatus Miliuit. lib. 2. acriter inuehitur in Donatiſtas crudeliter inuectos in Catholicos. *Linguas veſtras* (inquit) *acuiſtis vt gladios, quas mouiſtis in mortem non corporum; ſed honorum: ingulaſtis non membra, ſed nomina. Quid prodeſt, quia viuunt homines, & occiſi ſunt honores à vobis: Valent quidem membris, ſed erepta portant funera dignitatis.* Quid prodeſt corpus relinquere viuum, vt ſepulchrum ſit honoris occiſi, & ipſum ſecum vbique deferat? Expediret enim cum honore mortuo corpus ſepelire ſui dedecoris conſideratione vbique tabeſcens.

3. Amarius egregia indoles conuitia ſuſtinet, quàm mortem: irriſionis dolor ſuperat mortis cruciatus, & vltimum patientię examen eſt, atque tormentorum corona. *Beati eſtis* (dicit Chriſtus Dominus Diſcipulis ſuis, Matth. 5. verſ. 11. *Dum exprobauerint vobis homines, & dixerint omne malum aduerſum vos.* Cur beatitudo, ſeù quod idem valet, meritum ad beatitudinem non in morte, quam paſſuri erant Apoſtoli, ſed in tolerantia ad maledictiones, & conuitia ſuſtinenda Chriſtus collocat. Cur mortem pro ipſo ſubeundam huiuſmodi gloria defraudat, & detrahit martyrio coronam beatitudinis, vt patientiæ conuitiorum tribuat? Præclarè Chryſoſt. hom. 5. in cap. 5. Matth. *non dixit: cum vos exagitauerint, aut interfecerint, ſed cum exprobrauerint vobis, neſcio, quo enim modo omnibus penè rebus amarius ſoleant mordere maledicta.* Magis dolent, & cruciant opprobria, & irriſiones, quam ipſa mors; proindeque ipſorum patientiæ beatitudo promittitur, & non morti, quia mortem ſuperat in intenſione, & pluſquam illam generoſi ſpiritus irriſiones ſentiunt. Parum hoc. Plus homines opprobria, & irriſiones ſentiunt, quam ipſos æternos cruciatus. Grauiſſima inferni pœna eſt, & cum qua nulla ad comparationem venire videtur: tamen cum ipſa conuitium decertare audet, quia ipſam ſuperare non dubitat. Cum Dominus punire decreuiſſet auarum illum diuitem, cuius agri vberes fructus attulerant, nec haberet, vbi eos congregaret, vt præuento de ſua damnatione nulla conquerendi ſupereſſet occaſio, dicebat illi. *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te,* Lucæ 12. verſ. 20. Vt quid Dominus, quem exoſum habebat, & mox diris cruciatibus tradendum, ſtultum vocat? Sat ipſi eſt æternas luere pœnas, vt iuſtitiæ illas exigenti ſatiſfiat. Vt quid impetitur verbo, & ſtultus appellatur, qui gehennalibus flammis traditur cruciandus? Præclarè, & ponderosè D. Baſilius Mag. hom. in deteſc. *Audi miſere dignam appellationem, quam tibi nullus hominum, ſed ipſe Dominus indidit: ſuperat æternam pœnam irriſio iſta ſtultitiæ.* Primum appellat illum ſtultum, & inſipientiæ conuitio improperat deridens illum, vt grauiori plectat ſupplicio. Æternis mancipatum pœnis, prius onerat irriſoria contumelia: quia irriſiones, & conuitia adeò vulnerant, & torquent, vt vel æternas pœnas excedere videantur. *Superat æternam pœnam irriſio iſta ſtultitiæ.* Antequam deſcendat ad inferos acerbiores experitur cruciatus ſe irriſum, atque illuſum agnoſcens.

4. Nec mirum, quod homines ſic de opprobrijs, & irriſionibus ipſis illatis doleant, cum & inſenſibilia etiam illa videantur ſentire. Valdè mirabile eſt, quòd Dominus (Ezechiel. 36. verſ. 3.) Montes Iudeæ conſoletur, & quaſi rationis eſſent capaces, eos alloquatur, & fructificare, atque vernare præcipiat. *Pro eo quòd aſcendiſtis in labium linguæ, & oblocutione populi, ramos veſtros expandite, & afferetis fructum populo.* Quaſi contriti eſſent montes aduerſa fortuna, & contriſtati, eos ſolatur, & ad nouam frugem diſponit. At que fortuna illis accidit, & ipſos in mœrorem adduxit? Illa certè, quod Ammonitæ, & Idumæi opprobrio, & irriſione illos affecerant. Vt autem tam amaræ, & acerbæ plagæ dolorem Deus mitigaret, ipſis ramos expandere præcipit, & fructus afferre optimos, vt ſubſannationis, & irriſionis vulnus curaret. Quaſi diceret: quia vos homines opprobrio, & irriſione deuenuſtarunt, ego vos honorare diſpono, vt ſapidiſſimos fructus afferatis, quibus & ęſtimatio vobis accreſcat. Hinc egregiè infert Oleaſter, quam ſint hominibus opprobria ſenſibilia, cũ inſenſibilia tam ea amarè audiant, vt Dei indigeant ſolatio. *Vndè non eſt mirandum, homines tanti probra facere, poſtquam videmus hæc inſenſata ſentire.* Vel terra ipſa inanimata, & deſtituta ſenſibus ægrè fert irrideri, mutis vocibus conqueritur, & laceſſita gemit; vndè patientiſſimus Iob, qui tot pœnas erat perpeſſus, impotens ad ludibria dicebat: *Si flagellat occidat ſemel, & non de pœnis innocentium irrideat,* Iob. cap. 9. verſ. 23. Quaſi diceret: Humanæ fragilitati non conceditur irriſionem æquo animo ſuſtinere: Superat hoc naturales vires: occidat ſemel, & non tam crebro illudat, quia ad mortem robur ineſt ſufficiens: ad irriſionem autem impar eſt. Et Chriſtus Dominus, qui reliquarum pœnarum ſemper ſitientem in paſſione ſe oſtendit, & præſertim cum ſibi propinandum eſſet acetum cum felle mixtum dixit: *Sitio.* Joann. 19. verſ. 28. opprobrijs, & irriſionibus ſaturatus fuiſſe oſtenditur Jeremias Thren. 3, verſ. 30. *Saturatus*

Digitized by Google

inebriat. opprobrijs. Quaſi irriſiones, & ludibria totam diuinæ patientiæ explerent capacitatem. Vt autem vltima ponderatione prædiceret Deus ignominiam, & irriſionem, ad quam Nabuchodonoſor poſt tot victorias, & trophæa erat deuenturus, ipſum ebrio, & vino ingurgitato contulit, qui omnium irriſioni, & deriſui exponitur! *Et quomodo vinum potantem decipit: ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur.* Hic verſ. 5.

Verſ. 6. Nunquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument, & loquelam ænigmatum eius? Et dicetur: væ ei qui multiplicat non ſua: vſquequo & aggrauat contra ſe denſum lutum?

ANNOTATIO V.

Expoſitio Litteræ.

1. CUm Dominus Nabuchodonoſorem punierit, & occiderit, tunc omnes gentes, quibus tyrannicè impetauerat, exultantes proferent parabolam, idest, carmen de eius infelicitate per irriſionem, & loquelam ænigmatum plenam obſcuritate de eius ruina gloriantes, & dicentes: Væ ei qui multiplicat imperium non ſuum, & imponit ſibi grauiſſimum onus luti. Hæc enim eſt parabola, & conuitium, cui ſimilis fuit alia apud Iſaiam cap. 14. verſ. 4. quam, ipſi Nabuchodonoſori, aut eius nepoti Balthaſari (vt tenent plurimi interpretes Ibid. v. 9. 10. & 11.) occinebant nationes ab illo ſubactæ. *Sumes parabolam iſtam contra Regem Babylonis. Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum? omnes Principes terræ ſurrexerunt de ſolijs ſuis, omnes Principes nationum. Vniuerſi reſpondebunt, & dicent tibi, & tu vulneratus es ſicut, & nos, noſtri ſimilis effectus es: detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum.* Hæc (inquam) Iſaiæ parabola, quæ pulchertima eſt, coincidit cum noſtra; ea tamen differentia, quòd ibi procacibus, & amaris verbis detruſo iam apud inferos Nabuchodonoſore, inſultant Reges, & nationes, ſeù ipſorum Manes, & Principum animæ à corporibus ſeparatæ: hic autem Propheta noſter hoc euenturum eſſe prædicit, & irriſionem, atque deriſum denuntiat.

2. *Ve ei qui multiplicat non ſua.* Hęc (inquam) eſt parabola, ac prouerbiale quaſi conuitium, quo inſultant gentes, & populi Principi Chaldęo, quos ipſe tyrannicè ſpoliauerat vitę ſubſidijs, & pacis ornamentis. Et quia parabola eſt, nec ille nominatur, de quo dicitur, nec aperto ſermone, ſed metaphoris, & ſimilitudinibus canitur: quia metaphora quędam obſcura, & intricata ſententia eſt, vt attentionem excitet intuentium, & altius infigitur memorię, dum maiori labore, & ſtudio eius veritas indagatur. Vę ei (ait vates) qui ſuo regno latiſſimo non contentus, in explebili ambitione, & auaritia aliena regna inuadebat, & nunquam ſatiebatur.

3. *Vſquequo, & aggrauat contra ſe denſum lutum?* Idem eſt vſquequo, & aggrauat? Atque vſquequo aggrauat? Vndè Chaldęus ſine coniunctione tranſtulit. Quare autem diuitię lutum denſum dicantur, variè exponitur. Alij ſic dictum propter vilitatem diuitiarum: alij propter ingentem copiam, & multitudinem: alij quia nihil habent firmitatis, & quidquid ſupra ipſas erigitur, facile ruit, ſicut ędificium ex luto conſtructum, tenent. Mihi ideò videtur cum denſo luto comparari diuitias furto, & rapina poſſeſſas; quia ab his difficile poſſunt homines emergere, & expediri. Sicut enim, qui in denſum lutum cadit, non effugit, quomi-

quominus aliquid ſecum trahat ex luto, quod adhęſit, nec facile illud fricando excutit: ſic qui alienas opes iniuſtè poſſidet, difficilè ſe ab illis exonerat, & plerumque aliquid ipſarum ſibi retinet, quia denſum lutum eſt, atque viſcoſum, & potius carnem perdas, quam quod carnibus adhęſit ex luto. Vbi vulgatus *denſum lutum* legit, 70. tranſtulerunt: *torquem ſuam grauiter*. Quo nihil elegantius potuit excogitari ad exſplicandum, quantum ponderis, & impedimenti bona aliena, rapina poſſeſſa, iniuſto afferant poſſeſſori: incomportabile enim pondus ſibi inijcit, quod humeros grauat, & proſternit: & alienas opes, quas torquem putat, & pulchrum ornamentum, laqueum experitur ad ſuſpendium, & immenſi ponderis lapidem, quo demergitur in profundum.

DISCURSUS I. MORALIS.

In ſtatu adulatio, in declinatione conuitium prefecturæ comes eſt.

1. Populi; & gentes, quibus iugum impoſuit Babylonicus ille, ac ſuperbiſſimus Rex, vbi iam è ſublimi illo ſtatu ignominioſè deciderit, parabolam aſſument, conuitia ſpargent, & ipſi inſultabunt ignobilibus verbis. Quod tunc accidit, vel quando vitam egit ſylueſtrem, & vagam, & victum ſibi ferinum, non ſecùs, ac fera, capiebat in montibus; vel certe cum eius nepos Balthaſar cum regno quoque vitam amiſit inopinata Perſarum irruptione. Nec enim hæc tantum Nabuchodonoſorem deſignant, ſed etiam Reges Chaldęorum, quorum imperium non longè poſt interijt. His ergò è faſtigio dignitatis depoſitis parabola, & conuitium cantatur: quia dum præfectura, & honor vigebat, non niſi ſupplex ſubmiſſio illis exhibebatur. Hæc, inquam, fortuna dignitatis eſt: dum poſſidetur, nil audit niſi laudes, & adulationes poſſeſſor: at ab ea depoſitus deridetur vt fatuus, irridetur vt nebulo. Sic Iſocrates ad Dœmonicum dicebat. *Adulatores vt impoſtores odio habeto*. Quia ſolùm temporis differentia adulationem à detractione diſcriminat, & ille ipſe, qui in proſpera fortuna blandiebatur, in aduerſa inſultat. Contra Moyſem, eo quòd vxorem duxerat Ethyopiſſam, obmurmurant Maria, & Aaron ipſius confratres, atque exacerbatus Dominus eos euocat ad tabernaculum, & ſeuerè reprehendit, quod Moyſi detraxerint: ſtatimque *Maria apparuit candens lepra quaſi nix*. Num. 12. verſ. 10. Mirum valdè eſt, quòd Aaron, & Maria murmurauerint, & ſola Maria puniatur: vterque deliquit, & tamen reatu pœnæ non ſentit Aaron: vterque perpetrauit delictum, & tamen non vterque punitur. Quid? Sexus caſtigatur, an culpa? Lepra ſerpit in Mariam, & Aaronem liberum relinquit? Cur ità? Egregiè Chryſoſt. hom. 3. ſup. cap. 5. ad Col. *Qua ratione* (inquit) *cum vtrique Moyſi oblocuti eſſent, Maria ſola pœnas dedit? Ne mireris: ſic enim in mundanis dignitatibus, & alijs mille modis quiſque incuſetur, non tamen primum ad iudicium ducitur, niſi prius principatum depoſuerit. Multò magis in prælatura ſpeciali*. Ob idem crimen plectitur Maria, & immunis euadit Aaron, quia pręſul erat, & ijs qui faſtigia tenent, vel ipſa delicta adulantur, blandiuntur crimina. Nemo eſt, qui ſuperiorum flagitia incuſet: qui applaudant, & laudent innumeri. Ferè ſemper adulatoris laus mentita eſt, & dum inmodicè laudat fortunatum, eius crimina pandit: quia veritas nunquam creditur adulata, nec ſecunda fortuna laudata verè; detegit enim aduerſa proſperæ fallacias, dum laudes in conuitia vertit.

2. Videns Bethſabee, quod Adonias ad regnum conſpirauerat, & de ſucceſſione illius erat ſollicitus, acceſſit ad Dauid, vt Salomonem eius filium in regali ſolio collocaret iuxta iuramentum iam præſtitum, quem, vt flecteret ad optata, ſic alloquitur. *Verùm tamen Domine mi Rex, in te oculi reſpiciunt totius Iſrael, vt indices eis, quis ſedere debeat in ſolio tuo Domine mi Rex poſt te. Eritque cum dormierit Dominus meus Rex cum patribus ſuis, erimus ego, & filius meus Salomon peccatores*, 3. Reg. 1. verſ. 20. & 21. Ferè ſemper ambitio cæca eſt, & nec ſibi ipſi prouidere ſapit: pręſertim cum muliebris ſtultitia negotiatur optata. Quis non videat huius mulieris inſipientiam, dum filio ſuo regni ſatagebat? Quo pacto animum Regis flectere putauit ſutura ſui, & Salomonis deſpectione? Cur ſi Salomon regno priuetur, peccator reputabitur, & eandem notam ſubibit Bethſabee? Nun regnum à peccatis liberum eſt, quod peccatricem non exiſtimari credebat mulier, ſi filius ad principatum aſcenderet, & comes ipſius in gubernatione eſſet ipſa? Quid tam lubricum, tamque delinquendi occaſionibus obnoxium, quam imperium, & dominatio? Priuata vita plerumque ſine crimine eſt, & quamuis flagitioſa ſit, minus reputatur criminoſa, quam Principis, qui omnium detractionibus exponitur, & multories cum innocenter viuit, nocenter obmurmuratur; vndè igitur Bethſabee pręſagiebat, ipſam,

ſam, & eius filium peccatores reputandos, ſi à iure priuentur regnandi? Caietan. rationem innuit. *Habebimur* (inquit) *& puniamur vt peccatores: ego quidem propter adulterium; Salomon verò, quia non conſenſit Adoniæ*. Quaſi diceret aſtuta mater: ſi Salomon excludatur à regno, neque eius honor, nec meus ſecurabitur, ſed periculo exponetur certiſſimo: omnes enim ipſi, & mihi inſultabunt, quòd ex illicito concubitu natus ſit: non vt filius Dauid, ſed vt Bethſabee reputabitur: proindeque *Erimus ego, & filius meus peccatores*. Tamen ſi ad regnum euehatur, nullus audebit huiuſmodi dedecus improperare, quia faſtigia poſſidentibus omnes mentita laude blandiuntur, & vel ipſa crimina tanquam virtutes laudant: callida laudationis impoſtura fortunatis adulatur: at deturbatis à dignitate, & larna adulationis ſepoſita, ipſos deridenr, & quantum in proſpera fortuna deceperunt, in aduerſa conuitijs, & detractionibus irridenr.

3. Depulerat olim Iſaac à ditione ſua Abimelec Palæſtinorum Rex: cumque aſcendiſſet in locum Berſabe, & apparniſſet ei Dominus, atque fauoribus cumulaſſet, acceſſit ad eum ipſe Rex Abimelec, qui eum excluſerat à regno ſuo, cum Senatoribus populi, & obnixè deprecatur, vt cum ipſo pactum inire, & firmam amicitiam non dedignetur. *Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus*. Geneſ. 26.verſ.28.Meritò demiraberis, quod ad priuatum hominem, quem exoſum antea habebant, & à regno ignominioſè expulerant, Rex ſuperbiſſimus, qualis erat Abimelec, & ſuæ curiæ Proceres, & Conſiliarij accedant pro fœdere fundentes preces, & reuerentes Iſaac. Quid elati Regis animum compreſſit, vt ad priuatum hominem diuerteret, atque ſolerti ſolicitudine illius amicitiam gliſceret? Fortunam non mutauerat Iſaac: vnde igitur animus Abimelec mutatur, vt in tanto pretio habeat, quem antea deſpexerat? Ipſe textus perſpicuè rationem reddit. *Vidimus*(aiunt) *Deum eſſe tecum, & ideò diximus: ſit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus*. Dei affectum, & beneuolentiam erga Iſaac videntes,& ipſum ad tam egregiam amicitiam euectum reuerentes, ipſam cum illo inire ſatagunt: & quem paulò antea procacibus, & amaris verbis tractauerant, atque à regno depulerant maximo dedecore, iam fortunatum honorant, & gratum habere deſiderant. Quia dignitatis faſtigium omnes colunt, & laudibus exaltant; ſemperque dignitatem comitatur adulatio. ſicut deiectionem irriſio. Vnde arcanè in illis equis, quos viderat Zacharias 1.v.8. (*Vidi per noctem: & ecce vir aſcendens ſuper equum rufum, & poſt eum equi ruſi, & albi*.) D.Hieronym.& plerique alij interpretes imperia intelligunt Medorum, Macedonum, & Romanorum in equis autem rectè deſcribitur vtraque ipſorum fortuna, & proſpera, & aduerſa, & ſtatus imperij, & declinatio: quia ſicut equi; quamdiu ſellam habent, & phaleram, venuſti ſanè, & pulcherrimi apparent, & eques dum ſedet in equo rectus videtur, licet & equi depoſitis ornamentis vlceribus ſint pleni, & eques pedibus incedens claudus. Sic ſuperiorum crimina, & defectus dum dignitate fulgent, non apparent: nemo eſt, qui illa vocitet, reprehenſio commutatur in laudem: dum viget præfectura, omnes applaudunt, & blandiuntur imperantibus: tametſi cum illam depoſuerint, in illos fœdiſſima iaciant conuitia, & ab illis velut à peſte infectis recedant.

4. Vlceroſa lepra percuſſit Deus Regem Ioſiam, & illa ſerpente abſumebatur eius corpus, in regno ſucceſſit eius filius: poſtquam vero illud depoſuerat (ait text. ſacer) *Habitabat in domo ſeparata plenus lepra*. 2. Paralip. 26. v.21. In Hebræo eſt, *In domo libera*: Ita legit Batab. At cur domus, in qua habitabat Ioſias, poſtquam regno renuntiauerat, libera vocatur? Fortè quia domus Principis, & Prælati non libera, ſed captiua eſt? Sic non nemo, & quidem rectè: ſed credo, idcirco domum liberam vocari, poſtquam regnare deſijt, & imperium ad ſucceſſorem tranſtulit, quia libera erat à frequentatione hominum, & negotiorum expeditione. Iam illa domus non regia erat, nullus ad eam accedebat, non ambientes, non litigantes eam inuiſebant, nec Ioſiam quiſquam ſequebatur, ſed ab illo, non quia lepra infecto, ſed quia à dignitate priuato fugiebant. Depoſito regimine nemo ſuperiorum recordatur, niſi vt ipſis illudat: imperantes omnes comitantur, & blandiuntur. De vocatione gentium ad Eccleſiam latè agit Iſaias 62.verſ.4. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt venerunt tibi &c.* Mirum eſt, quanta facilitate, quot muneribus ad Eccleſiam volant gentes, quæ prius illam tot conuitijs, & afflictionibus inſequebantur. Quæ huius mutationis cauſa, vt pro iniurijs ampliſſimos reddant honores, & pro contumelijs pretioſa deferant munera? Audi Oleaſtrum in comment.huius loci. *Aduerte etiam, quomodo omnes ſequuntur eos, quos viderint Principibus familiares: poſtquam enim viderunt fauorem, & effectum Domini erga Eccleſiam, omnes ad eam non ſolum veniunt, ſed currunt: etiam illi, qui eam antea afflixerant*. Commune vitium, & callidum genium hominum eſt felicem comitare, & fraudulenta adulatione blandiri; infortunatum autem, & à dignitate depoſitum conuitijs, & irriſionibus inſequi: quia laudes, & vituperia à fortuna mutuans, & ad ipſius nutum placita diſpenſant.

DIS-

DISCURSUS II. MORALIS.

Reges tributa auferentes, & regna firmant, & arctius ſubditos efficiunt tributarios.

1. TRibutorum ſolutio hominum generoſam conditionem maximè deuenuſtat, quia ſeruitutem redolet à primo peccato ortam: etenim à tranſgreſſione primorum parentum vectigal exiuit; terra enim in ſtimulorum germinatione fuit mulctata, vt cultori ſuo ſpinas redderet: quod nihil fuit aliud, quam æquè ipſum ac illam pungentibus tributis manere ſubiectam, atq; terram, & hominē ignobilitatis notam ſubire. Vnde Tertull. in Apol c.13. dixit: *Sed enim agri tributo onuſti viliores: hominum capita ſtipendio cenſa ignobiliora: nā hæ ſunt notæ captiuitatis.* Et Greg. Nazianz. orat. 9. inter alia, quibus miſeram & ſeruilem tributorum ſolutionem ponderat, dicebat: *Satis ſuperque graue eſt, liberis hominibus ſeruitute premi: tantumque inter eos, qui ex eadem terræ maſſa coagmentati ſunt, intereſſe vt alij imperij teneantur, alijs tributa conſtituant.* Hinc liquet, quam cautè & quanta moderatione Principes vectigalia debeant imponere, quę primum dedecus, & originalem ignobilitem repetunt, & reſuſcitant. Vnde Theodoricus apud Caſſiodorum lib.4. epiſt.38. maximam moderationem, & attentionem ſolertem exoptabat in deſignandis tributis. *Cum omnes Reipublicæ noſtræ, partes æqualiter deſideremus augeri: crementa tamen fiſcalium tributorum iuſtiſſimo, ſunt penſanda iudicio.* Quia tributa, quæ ingenuam nobilitatem deprimunt, & exprimunt ſeruitutis notam, ægerrimè ferunt homines, & exactione reddere, quæ nonniſi libenter ſunt expetenda. Exinde conſulebat Tertullianus eleemoſynæ titulo aptius neceſſaria exigi, quam alio quocunque metum incutiente. *Sed omni petenti me dabo in cauſa eleemoſynæ, non in concuſſuræ petenti. Porro qui incutit non petit, qui comminatur, ſi non acceperit, non poſtulat, ſed extorquet. Non eleemoſynam exſpectat, qui non miſerandus, ſed timendus venit. Dabo igitur miſericordiæ non timiditatis meæ nomine.* Generoſa indoles dedignatur non ſpontè, ſed violenter operari, decreſcitque Principum auctoritas, & ſubditorum obedientia, quantum tributa, & exactiones creſcunt: quia quod atrocitet extorquetur, ſubditorum voluntates exacerbat. Neceſsè eſt ergo quamdiu publicæ neceſſitatis patiuntur, quod fiſcus euacuetur, vt plena laus, & beneuolentia ſubditorum erga Principem ſit, vt dicebat Theodoricus apud Caſſiodorum lib.1. epiſt.22. *Quapropter ſit interdum cauſa mala fiſci, vt bonus Princeps eſſe videatur, Maiori quippè compendio perdimus, quam ſi nobis indebitè victoria ſuffragetur.* Quod in laudem ſui Principis dixerat Plinius in paneg. ad Traian. *Quæ præcipua tua gloria eſt, ſæpius vincitur fiſcus, cuius mala cauſa nunquam eſt, niſi ſub bono Principe.* Optimè Theopompus Lacedemoniorum Rex cum multa iura, multaque tributa populo remiſiſſet, querenti vxori turpè eſſe regnum minoris emolumenti filijs tradere, quam à maioribus accepiſſet, reſpondit: *Trado diuturnius.* Tributorum namque ablatione, & diuturniora regna fiunt, & arctius ſubditi efficiuntur tributarij ipſa ratione, & natura dictante.

2. Dauid valde ciuilitet locutus, & conſultiſſimè politicus dicebat Pſal. 106. verſ.40. 41. *Effuſa eſt contemptio ſuper Principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via. Et adiuuit pauperem de inopia, & poſuit ſicut oues familias.* Quaſi cauſam contemptionis Principum innuens, quæ ſæpè oritur ex iniuſta vectigalium impoſitione, & violentia Miniſtrorum exactione, documentumque præbens, vt gloria Principum augeatur, & ipſorum obedientia in ſubditorum animis firmetur: ex ſubleuatione enim pauperum familias quaſi oues poſitas præſagiebat. *Et adiuuit pauperem de inopia, & poſuit ſicut oues familias.* Ideſt: quia adiuuit pauperem, populum ſcilicet, de inopia, in qua erat? *Porque le releuo de el tributo. Poſuit ſicut oues familias.* Pacificas habuit, intenta atque humili obedientia ſubiectas, & magis quam antea proficuas, & numeroſas. Quis enim inter cætera animalia multum fœtificat, & prolem ſæpius edit. Releuatis ergo populis à tributorum ſolutione, augentur, creſcunt fœtus, rutilat lana, effulget lac in Principis obſequium, & plus, quo ipſi famulentur, habent. Vnde Zacharias 3. verſ.6. loquens de Principe benefico, & ſuæ vtilitatis ſtudioſo dicebat: *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt, ego cælabo ſculpturam eius* ibi v.9. Etenim Deus (hic ſubauditur) Principum Magiſter, populum ſuum beneficijs onerare pollicetur, & eius incrementa curare. Septem oculi ſeptem Spiritus-Sancti dona deſignant, vt Hieronym. Rupert. S. Thom. & alij non pauci autumant. At quid cœleſtis Princeps, poſtquam populum ſuum tot beneficijs auxit, ab eo exſpectat, vt grates tantæ liberalitatis rependat? Iam exprimit. Ego (inquit) *cælabo ſculpturam eius.* Verùm quid eſt ſculpturam lapidis, qui ſubditum populum ſignificat, cęlare? Quæ cuditur figura in ſubditis, & quo inſtrumento inſculpitur? Suſpicor, S, & clauum, quibus noſtri vtuntur, vt mancipia ſigillent, figuram eſſe, qua Deus vtitur, & inſculpit in ſubditis, & inſtrumentum ſtylum ferreum, ſiue æs candens. Quaſi diceret: poſt collata populo beneficia eum tanquam meum mancipium ſigillabo: quia gratiæ populo exhibitæ,

Digitized by Google

bitæ, & releuata tributa in arctiorem captiuitatem, & ſeruitutem eum redigunt, & tanquam mancipia ſeruire cogunt, quod nihil habeat proprium, ſed quod veluti ſeruus famuletur, vt lucrum Domino reportet, illique libenter obſequatur: ſi enim aliter oneretur, fortè vexatus, aut Domino tributa non ſoluet, quia vires deficiunt: aut alterius Dominationis fiet ſeruus.

3. Vt innoxium à vectigalibus, & tributis Principum, & violentijs, rapiniſque exactorum Deus redderet populum ſuum dicebat Ezech. 46. verſ. 16. & 17. *Si dederit Princeps donum alicui de filijs ſuis, hæreditas eius filiorum ſuorum erit, poſſidebunt eam hæreditariè; ſi autem dederit legatum de hæreditate ſua vni ſeruorum, erit illius vſque ad annum remiſſionis; & reuertetur ad Principem: hæreditas autem eius filijs eius erit.* Valdè fauet Dominus Principibus, dum ipſis firmam proprietatem bonorum concedit, ſeruis autem vſum dumtaxat, vel fructum pro tempore determinato, & ea conditione, quòd ad proprietatem filiorum Regis poſtea deuoluatur. Et cur Principi non licebit legatum condere in fauorem ſerui, vt ipſe & eius filij poſt illum poſſideant: ſed Regij patrimonij integritanti Ita prouidit, vtunquam ab illo per proprietatem pars aliqua ſeparetur? Auſculta text. *Et non accipiet Princeps de hæreditate populi per violentiam, & de poſſeſſione eorum: ſed de poſſeſſione ſua hæreditatem dabit filijs ſuis: vt non diſpergatur populus meus vnuſquiſque à poſſeſſione ſua.* Ibi verſ. 18. Princeps enim, qui per violentiam tributa à ſubditis non extorquet, ſed hereditatem ſuam filijs relinquit; non ſolum ſuas, ſed & ſubditorum hereditates, quas illis conceſſerat, filijs perpetuas derelinquit. Qui tributis, & vectigalibus ſubditos onerat, & illorum bonis non potitur, & ad rebellionem excitat. *Vt non diſpergatur populus meus à poſſeſſione ſua.* patriam relinquendo, & ad alienum ſe transferens dominium. Diſperguntur populi depopulantur, ciuitates, dum ciues depauperantur, famem fiſci, & exactorum expleant: & extrema ſeruitute annihilatur ſeruitus, redduntur que ſubditi impotentes ad ſubueniendum Princrpi, quod ſponte facerent (ſi eorum ſubſtantia non abſumeretur) attributorum onere releuati, tunc enim non ſolum bona, ſed & animam ponere non dubitant, cum non tanquam ſerui, ſed tanquam ingenui tractantur. Hinc Dauid præſagiens Chriſti Domini ſuauem poteſtatem, atque obnixam ſeruitutem ipſi exhibendam aiebat: *Auertit ab oneribus dorſum eius manus eius in cophino ſeruierunt.* Pſal. 80. verſ. 7. Vbi egregiè D. Auguſt. *Quis* (inquit) *auertit ab oneribus dorſum eius? Niſi ille qui clamauit: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Vt eos ad ſe trahat, & ad ſeruitutem alliciat, exonerat: quia artificium eſt amplificandi famulatum ſubditos ſubleuare. Vnde ingenioſè Bernard. ſerm. 15. in Pſal. Qui habitat. *Onerat nos, cum exonerat Deus.* Generoſa indoles non violentia trahitur, extra ſeruiturem poſita ad ſtrictiorem ſeruitutem mancipatur, oneratur à ſe ipſa, cùm à Principe exoneratur: & cum nimis opprimitur, in libertatem inobedientem degenerat, atque illa eadem poteſtas, cui obſequerentur homines libenter, ſi eos violenter cogit, ſpernitur, & vſque ad irriſionem protrahitur. Sic iniuſto Principi Nabuchodonoſori accidit, qui à gentibus, & populis, quos tyrannica dominatione depreſſerat, & violenta tributorum exactione depauperauerat, atque ad miſeram ſeruitutem redegerat, irridetur, & ludibrium fit ijs, quibus terribilis apparuerat. *Nunquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument, & loquelam ænigmatum eius, &c.* Hic verſ. 6.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Fortunata adulatio ob malefacta coronatur.

1. PVlchrè Phauorinus philoſophus apud Stobæum adulatores canibus Actæonis comparauit, qui lautè nutriti, ipſum diſcerpſerunt, & ab illis quibus alimenta dabat, deuoratus fuit, *Quemadmodum Actæon à canibus, quos ipſe enutrierat, dilaceratus fuit; ita adulatores hos, qui ipſos alunt, euertunt.* Notiſſima eſt Actæonis fabula de qua illud Ouidianum.

Inſcius Actæon vidit ſine veſte Dianam.
Præda fuit canibus non minus apta ſuis.

Sic aſſentatores aluntur, & afficiuntur præmio ab ijs, quos ipſi lacerant, & diſcerpunt: præſertim cum illos in aliena vident fortuna. Sed quod mirari licet, ſemper adulatorum ſæuitia, & fallacia experitur, & nunquam vitatur: ita vt malum reputetur neceſſarium, & morbus peſtilens indeclinabilis. Quod de mathematicis, & diuinis dicebat Tacitus lib. 1. hiſtoriar. *Genius hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in ciuitate noſtra, & vetabitur, & retinebitur* hoc ipſum de adulatoribus, & eodem iure dici poſſe reputo: nam genus hominum eſt infidum, & fallax: quod cum omnium opinione damnetur, ſemper cum plurium voluntate retinetur. Fit enim (neſcio qua mentibus puerili blandiente fallacia) vt cum certum ante oculos ſit periculum, frauſque hominum aſſentatorum egregiè calleatur, non pauci tamen dulci malo inducti adulatione capiantur. Vidit hoc Seneca lib. 4. natur. cum dixit: *Habent hoc in ſe naturale blanditiæ; etiam cum reijciuntur placent: ſæpè excluſæ*

Digitized by Google

reÿciuntur. Et Ciſpus Paſſienis ſubtili vir ingenio aiebat: *Quoſdam claudere oſtium adulationi: ſed ita quemadmodum opponi amica ſolet: quæ ſi impulit: grata eſt, gratior ſi effugit.* Vel vetulæ fallaci dat prudens manum, & illi gratum eſt, quod certo ſcit eſſe mendacium. Tanta ineſt adulationi vis, vt ea Chriſtum euertere crediderit Diabolus: aſſentationem enim redolent illa verba, quæ Chriſto in deſerto delitеſcenti dixit: *Si filius Dei es, dic, vt lapides iſti panes fiant.* Matth. 4. verſ. 3. cur non famem obijcit, vt ad miraculum inducat? Cur nullam vrgentis neceſſitatis mentionem facit, quæ magis ſuo deſiderio congruebat? Egregiè Chryſoſt. hom. 13. in Matth. *Non dixit: quandoquidem eſuris; ſed ſi filius Dei es: videlicet; exiſtimans poſſe ſe illi aliquid per laudum blandimenta ſuffurari, Idcircò non commemorauit eſuriem, ne hoc ei quaſi exprobare, atque obijcere videretur.* Blanda aſſentatione fallere ſatagebat, quem alijs artibus, & tentationibus non potuerat emoliri. Nec Chriſti faciem veretur adulator, ſed eius ſanctitatem adulatione deprauare tentat, & præſumit ipſa deijcere, quem alijs fallacijs nequiuit inflectere. Hæc inquam cauſa eſt, quod adulatores raro puniantur, quamuis criminoſè viuant, & plerumque afficiantur præmio, quia incantationibus iuſtitiam exarmant, & ad ſua deſideria animos inclinant.

2. Dei iuſſu præcepit Samuel Saull vt in uiſos ipſi Amalecitas penitus euerteret. Pergit Saul, & Dei auxilio obarmatus adoritur hoſtiles acies inimici, quas proſtrauit, fugauit, & ipſarum Regem Agag viuum ſecum detulit, ipſique, & optimis gregibus atque vniuerſis, quæ pulchra erant, contra Dei præceptum pepercit. Acerbè tulit Deus huiuſmodi tranſgreſſionem, & propter ipſam reijcere Saulem à regno decreuit. Accedit Samuel reprehenſurus ipſum, & cum interrogaſſet, quænam illæ eſſent armentorum voces, quæ ſonabant; reſpondit Saul. *De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ouibus, & armentis, vt immolarentur Domino Deo tuo,* 1. Reg. 5. verſ. 15. Si Deus omnium Deus eſt, vt quid Saul *Deo tuo* addidit? Si Deum placare deſiderat, cur non ſuum confitetur, ſed Samuelis tantum, quaſi non alterius eſſet Deus? Egregiè Caiet. *Ad placandum Samuelem vtitur pro nomine tuo dicendo: Iehouah Eloiu tuo,* Succinit D. Gregor. lib. 6. in expoſ. 1. Reg. cap. 11. *Quid eſt, quod Deum ſuum ſingulariter aſſerit? Niſi quia eum familiarem Dei amicum oſtendit.* Vide aſtutiam, & calliditatem impij Regis: de ſanctitate adulari Prophetæ intendit, vt à punitione eum auertat; adulationis arte ipſum inuitiare præſumpſit, & Dei obedientiam retardare. Vide, & admirare Prophetæ reſponſum. *Sine me: & indicabo tibi, quæ locutus ſit Dominus ad me nocte,* Ibi. v. 16. quid eſt ſine me? Fortè Rex tuam linguam deuinxit? Fortè facultatem loquendi abſtulit? Fortè Dei verba iniquo ſubordinantur Principi? Cur ipſum deprecaris, vt te correctionem effari ſinat? Audi Gregor. *Qui me laudas* (inquit) *loqui tibi dura non poſſum: ſine ergo: id eſt, permitte me loqui.* Tanta enim adulationi ineſt vis, vt vel ſanctorum manus, & linguam deuinciat, ne adulantibus meritas retribuant pœnas. Verſutè nimis ſciuit ad malitiam Saul: ſatis adulationis incantamenta nouerat, cum Samueli blandiendo dixit, ſuum eſſe Deum, & egregia ſua ſanctitate totam illius gratiam promeruiſſe, vt ſupplicium auerteret, quia nemo reprehenditur ab eo, cui adulatur. *Qui me laudas, loqui tibi dura non poſſum ſine ergo: id eſt, permitte me loqui.* Talis energia latet in adulatione, vt Propheta non audeat contra criminoſum Regem ſæuire, dummodo adulationis laqueis eſt irretitus.

3. Hoc adulationis incantamentum oleum peccatoris eſt, de quo Lyra coronata ita cecinit. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Cur adulatio oleum nuncupetur, variè exponitur. Petrus Damianus epiſt. 33. ſic dictum putat; quia dum aſſentationis oleum, quod adulatores effundunt, extimc caput audientis linit, intima eum luce priuat, & mentis oculos deturbat: pulchraque ſimilitudine huiuſmodi nocumentum exprimit. *Quid leuiter volitantes birundines niſi leues adulantium, & blandæ loquentium ſignificant mores? Qui dum blandiloquij ſui ſuauitate demulcent, dum adulationis oleo caput audientis impinguant: interiores oculos, ne ſoluta luce perfruantur, excæcant.* Quia adulator intellectum, & cor illius ſubripit, cui blanditur, D. Auguſtin. ſic verſat prædicta Dauidis verba. *Impinguatum eſt caput peccatoris oleo. Hoc eſt, non aſpera veritate corrigentis; ſed leui falſitate laudantis,* Caput autem nominat, eo quod ſit veluti ſedes propria, domiciliumque ſuperbiæ. Vnde (vt aduertit idem Auguſtin. epiſt. 147.) de homine, quem falſæ blanditiæ reddunt arrogantem, vulgo dicitur. *Creuit caput,* ſed ad vmbram tantorum Patrum ſuſpicor, idcirco adulationem oleo comparari: quia ſicut oleum plurimis admixtum liquoribus ſuper omnes natat, & omnibus inſidet: ſic adulator ſemper præficitur, quia ipſorum, quibus incumbit punire, manus alligat, ne contra ipſum ſæuiant, & mouet, vt ipſum eleuent. Semper aſſentatio præmio afficitur, & ei, qui fraudulenta arte blanditur, nunquam officium & præfectura deficit; quia laudes, quas mentitur, nemo eſt, qui non audiat, & cui non arrideant: & quomodocunque laudet, fomitem ingerit, vt bene audiatur, & ſuper omnes aſcendat. Vineæ, quam plantauit Pater familias, Eccleſiæ in Euangelio aſſimilatur. *Homo erat Paterfamilias, qui plantauit vineam.* Matth. 21. verſ. 33. At cur non vitibus

bus in horto plantatis, & pinguiores fructus atque folia producentibus comparatur? Putabit non nemo, nec ineptè: quia ſicut vites humi reptant, & proficuæ ſunt in vinea, ſimiliter humiliores magis proficui ſunt in Eccleſia: elati autem ab illa penitus excluduntur: proindeque non vitibus in horto confertur, quia altæ ſunt, propterea quod Domini inſeruiunt guſtui: & licet in vinea vtiliores ſint, quia non ibi ſicut in domo placent, & blandiuntur: ideo non ſicut in horto eleuantur: ſic enim in mundo verſantur res: qui proficuus eſt, & veritate corrigit, nec dilaudat vituperanda, humi ſerpit, & in nullo pretio habetur: qui adulationi ſeruit, & guſtui blanditur, ſcandit, & eleuatur, atque præmia adipiſcitur.

4. Ieremias Ieroſolymæ ciuitatis, & potentum inuerſionem deplorans arcanè eam arguit cap. 4. verſ. 3. *Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos ſuos.* Per lamias Hugo Carenſis peccatores intelligit, qui nutrices ſunt adulatorum, quos catulorum nomine Propheta indigitat. Neſcio, an aptè: quia potius canibus adultis veniunt comparandi, nam more ipſorum Dominum tantum, à quo aluntur, alliciunt, ipſi ſolum blandiuntur, & reliquos mordent, procacibus, & amarulentis verbis detrahunt omnium honori, latrant, & blaterant, dum de alijs loquuntur, quia reputant, aliorum detractione blandiri ijs, à quibus aliquod commodum captare prætendunt. Vt quid igitur non in canibus maioris ætatis, ſed in catulis adulatores deſignantur? Crediderim, quia catuli communiter in manibus deferuntur, familiariter tractantur, & ex cibis Domini delicatioribus nutriuntur; quia ipſi blanda adulatione gratiam Dominorum ſibi conciliant ipſos leniter lambentes lingua, blandientes cauda, & tota adulationis arte fallentes; atque ſi quid vlceroſum inueniunt vulnus aut plagam, blandè ſugunt, & vſque ad ſanguinem extrahunt. Quod omne genium, & fortunam adulatorum apprimè exprimit: nam mollibus verbis mulcentes, & catulorum more mille blanditijs lambentes totam ſubſtantiam dulciter, & inſenſibiliter ſugunt. Quod feſtiuè tonſoris exemplo dixit Hugo Carenſ. ad illud Pſal. 51. *Sicut nouacula acuta feciſti dolum.* Tonſor enim prius aqua tepente vtitur, vt mulceat: & poſtea nouacula vt rapiat. *Aqua tepens præcedit raſuram: id eſt adulatio.* Pſalm. 54. *Moliti ſunt ſermones eius ſuper oleum. Ecce tepefactio. Et ipſi ſunt iacula ecce raſura.* Nec pilos tantum abradit adulator, & temporalia bona, quibus proſperatur, ſed intima quæque, & pulchra animæ ornamenta petit.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Tranſitus extremæ paupertatis ad diuitiarum extremum inter opera Dei non computatur.

1. DIuitiarum lucra repentina ſemper ſuſpecta habentur, & non bona arte adquiſita reputantur: paulatim enim natura ſua opera perficit, & incrementat, & ex fortunæ bonis ea renuit, quæ ſuperfluunt, quia neceſſaria tantum exigit. Vnde Seneca epiſt. 119. moderationem conſulebat. *Nihil enim mi lucile intereſt, vtrum non deſideres, an habeas. Summa rei in vtroque eſt eadem: non torqueberis. Neque illud præcipio, vt aliquid naturæ neges: contumax eſt, non poteſt vinci, ſuum poſcit: ſed vt quidquid naturam excedit, ſcias precarium eſſe, non neceſſarium. Eſurio cedendum eſt. Vtrum hic panis ſit plebeius an ſiligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, ſed impleri. Sitio: vtrum hæc aqua ſit ex lacu proximo excepta, an ea quam multo niue cluſero, vt rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc vnum iubet, ſitim extingui.* Cum autem natura ſic parcè, & moderatè res expoſcat neceſſarias, & abhorreat ſuperfluas, atque non ſubitò opera ſua perficiat, eius Auctor ſua non recognoſcit, quæ nimia celeritate ad vltimum incrementum, & ſuperfluam, abundantiam deuenere. Vnde ſapiens à feſtinata diuitiarum adquiſitione, non bonam conſcientiam arguit. *Qui autem feſtinat ditari, non erit innocens.* Prouerb. 28. verſ. 20. Diuitiarum cumulos, qui repentè apparent, rapina poſſideri, & arte diabolica congregari, indubium eſt. Auaritia enim, & bonorum auiditas artificium eſt, quo homines illaqueantur. Exinde Paulus, vt Timotheum quem erudiebat, ſaltem formidine, à diuitiarum cupiditate abſtraheret, laqueum, & foueam ante oculos ponit. *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem* 1. ad Timoth. 6. verſ. 9. Tranſitus enim improuiſus, & repentinus à paupertatis extremo ad extremum diuitiarum ars eſt diaboli, quia homines illaqueat, & eius opus manifeſtè perhibetur.

2. Inuaſerat callidus hoſtis Chriſtum Dominum in deſerto eſurientem, & vt eum à propoſito abſtinentiæ reuocaret, & eius naturam detegeret, tot temerario auſu ipſum adoritur: lapides primò offert, vt ex illis panem conficiat, & comedat. Cui Dominus (ac ſi ſatanicam deceptionem ignoraret) manſuetè reſpondit: non in ſolo pane hominem viuere. Ite-

rum ſuper pinnaculum templi conſtituit, & ſuggerit, vt ſedet præcipitem; ſimiliterque hoſtis inſidias diſſimulat. Tandem ad montis verticem ipſum aduehit, & omnia imperia, & eorum Theſauros pollicetur, ſi pronus in terram ei cultum exhibet. Tunc autem quaſi impatiens ipſum repellit, eius audaciam increpat, & proprio nomine improperat. *Vade Sathana: ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Matth. 4. verſ. 10. Mirum eſt, quod qui ſemel, & iterum ſuggeſtionem æquo animo pertulit, & inſolentem, ac fallacem artem, quin perſonam dæmonis agnouiſſe indicaret; ſic in tertio certamine excandeſcat, & exacerbetur, vt quaſi ira percitus à ſua præſentia releget, & ſceleris auctorem propalet proprio nomine Satan improperans. Non minus videbatur reprehenſione dignus, cum lapides offert, & præcipitium conſulit, quam cum regna opulenta promittit: quin potius auarior deprehenditur & crudelior, cum dura, & periculoſa ſuggerit, neque aliquid ex proprijs pollicetur. Vt quid igitur ſeuerè reprehenditur, cum minus nociuus apparet? Præclarè Chryſoſtom. in Catena relatus, difficultatem diruit. Pertulit enim Chriſtus Dominus machinamenta diaboli dum ea conſulit, quæ aliàs Deum non dedecebant, neque ab ipſo videbantur aliena. Lapides in panem conuertere, atque à ſublimi ad ima aduolare etſi conſilio diaboli non ſit faciendum, non indignum tamen Deo eſt, cum id ob alios fines poſſit efficere. Cæterum cum audit dæmonem eum à paupertate extrema, in qua erat, ad extremum diuitiarum, & ſummam opulentiam traducere pollicentem, eius malitiam detegit, vt id opus Satanicæ artis eſſe fateatur, & nequaquam Dei, ſuſpicetur. Se agnouerat omnibus bonis deſtitutum, & ſummè indigentem, audit promiſſa, & omnium ſtatim diuitiarum dominium ipſi oblatum, & vt auctorem illius tranſitus repentini de extremo ad extremum manifeſtet, ipſum proprio nomine compellat: *Vade Satana*. Ac ſi diceret; Hæc tua promiſſio non Dei opus, ſed diabolicæ fraudis eſt, quæ, vt repentè ſuos ſequaces ditet, furto, rapinis, & deceptionibus vtitur, quibus non ipſi famulantes, ſpoliantur. *Sed ea* (ait Chryſoſtom.) *quæ per iniquitatem fiunt in mundo, puta per furtum, aut periuria adquiſitas diuitias, diabolus dat*. Non Dei hæc mutatio eſt: proindeque qui heri nudus incedebat, & hodie diuitijs cumulatus apparet, qui non per medium de vno ad alterum extremum tranſit, arte diabolica transformari, & diuitias medijs non licitis comparaſſe, non eſt dubium.

3. Cum Ioannes in vinculis detentus mirabilia, quæ de Chriſto dicebantur, audiret, diſcipulos ſuos miſit, vt ab illius ore diſcerent, an ipſe eſſet in lege promiſſus, qui ipſis ſciſcitantibus reſpondit: *Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis: cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.* Matth. 11. verſ. 5. Quaſi diceret: Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me quare ea narraſe ſufficit, vt Ioannes certioretur, me eſſe, quem futurum ſperat, opera ipſa, de quibus ſtupet natura, cum vires illius excedant, & ſupra humanum captum ſint, me Deum confitentur. Sed obſeruatione dignum eſt, quod cum (vt ſe manifeſtet) miracula adducat præclara, & in eorum quolibet per contraria naturæ vires ſuppleat, tribuendo cœcis viſum, claudis pedes, ſurdis auditum, leproſis ſanitatem tamen cum ad pauperes deuenit, non eorum indigentiæ ſubuenit, ſed eos euangelizari affirmat. Vt enim conſequenter ad ea, quæ prædixerat, loqueretur, pauperes ditari dicere debuit, & hoc modo contexere: cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui ſurgunt, pauperes ditantur: ſic enim nexus periodi, & tranſitus à priuatione ad formam, qui in cœteris operibus habetur, exprimebatur, atque vt ſe Deum oſtenderet, videbatur congruentius. Nam quid quod pauperes Euangelizentur, vt ſe Deum demonſtret? Si ſigna exhibet, quæ ipſum Deum indubiè indigitent, vt quid inter grandiora miracula, quod pauperes Euangelizentur, commemorat, & non ipſos ditari affirmat, vt eorum egeſtati formam apponat contrariam, ſicut in reliquis mirabilibus, vt ſe Dominum naturæ, oſtendat? Suſpicor ſic fuiſſe locutum, vt huiuſmodi opus à ſuis excluderet operibus. Cætera miraculoſa opera, quæ Ioannis diſcipulis Chriſtus retulit (qualia ſunt, quod cœci videant, leproſi mundentur, claudi ambulent, & mortui reſurgant) Deo ſunt digna, & idcirco de illis gloriatur. Cæterum quod pauperes ditentur, & ab extrema paupertate ad ſummam diuitiarum traducantur, non Dei opus cenſetur, ſed diaboli: exindeque cum cętera mirabilia referat, & ſua recognoſcat, atque per oppoſitas formas naturæ defectus ſuppleat: dum ad pauperes deuenit, non ipſos ditari ait, licet videatur conſequens: quaſi opus ſit alienum ab ipſo, & quod inter eius opera non veniat computandum.

4. Hinc ſolicitudo, & auiditas, qua Iacob ſuo commodo incumbebat, differtiſſima apparet, cum enim de ſomno euigilaſſet, & itineri ſe accingeret poſt viſionem, quæ ipſi acciderat in Bethel. dixit: *Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum.* Gen. 28. verſ. 20. & 21. Cur vt Dominum in Deum habeat, neceſſaria tantum ad victum, & veſtitum expoſcit: quandoquidem melius Dei poſſe, & beneficentia demonſtraretur, ſi eum bonis, & diuitijs abundanter

ter cumularet? Quis Dei characterem agnoſcet tam parcè porrigere, vt ſuſtentationi tantùm neceſſaria tribuat? Qui eius practicam, & conditionem callverit. Bonis omnibus Iacob erat deſtitutus, extrema egeſtate laborabat, & vt ſuæ indigentiæ ſuccurrat, & manum Dei ſubuenientem agnoſcat: non opulenta munera petit, quibus ad diuitis ſtatum aſcendat, ſed neceſſaria tantum ad victum, & veſtitum: nam ſi ſuperflua acciperet, pro comperto haberet, à manu Dei non veniſſe. In doni quantitate, & moderatione Deum agnoſcere pollicetur, & eum cum tantum neceſſaria tribuit, Dominum confiteri promittit, non in ſubita, & repentina abundantia: quia illam neque Deus fouet, neque largitur. Idcirco Dauid cum felicitatem, & auxilium Dei & ſibi, & omnibus deprecaretur aiebat, Pſalm. 120.verſ.5. *Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua, ſuper manum dexteram tuam.* Valde miratur Auguſt. quod Dei protectio tantum ſuper manum dexteram ſit, & quod ſiniſtram neque protegat, neque foueat. *Quid enim dexteram noſtram Deus cuſtodit, & ſiniſtram non cuſtodit?* Ita eſt, ait Auguſt. Et cur in ſiniſtram manum ſuam auxiliantem Deus non mittit, ſed quaſi diſtantem, & ab ipſo independentem relinquit, quaſi ab illius approximatione abſtineat? Quia inibi diuitiæ, & bona temporalia aſſiſtunt: per dexteram enim ſpirituales diuitias, & per ſiniſtram temporales intelligi in ſacro eloquio, non eſt dubium: ideoque Deus manum non mittit in ſiniſtram, vbi diuitiæ aſſiſtunt, vt innuat, ipſas non à ſua manu prouenire, neque eas abundanter conferre. *Siniſtra noſtra* (ait Auguſt.) *dicitur, quidquid temporaliter habemus: dextera noſtra dicitur, quidquid nobis æternum, & incommutabile Dominus pollicetur.* Huiuſmodi ergo diuitiarum cumulos, qui in ſiniſtra locantur, neque Deus porrigit, neque protegit: quare inter eius non veniunt numerandi. Proindeque, vt ingentes Theſauros, quos Nabuchodonoſor comparauerat, non Dei beneficio, ſed furto, & rapina innuant poſſideri, illos ipſi inſimilantes luto comparant non Dei ope, ſed diabolica arte congregato. *Va ei, qui multiplicat non ſua, vſquequo & aggrauat contra ſe denſum lutum?* Hic verſ.6.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Omnes, quibus indigent blandiuntur.

1. Omnium rerum ſumma, & omnium artium peritia apud homines proprio commodo incumbere eſt: nec dedecere credunt, quæ ad huuc finem conducunt, & ſi in ſe indecora ſint. Hinc neminem pudet alteri blandiri, & ſi inferioris, ſortis, & fortunæ ſit, nec veretur in huiuſmodi abiectiſſimum vitium incidere, dummodo propriæ vtilitati conſulat. *Blanditiæ* (aiebat Tacitus lib. 1.Hiſtor.) *peſſimum veri affectus venenum ſua cuique vtilitas.* Hoc (inquam) naturale vitium eſt, & quaſi à natura inditum, quæ irrationabilia docuit ijs adulari, à quibus commodum capiunt. *Aſpice* (dicebat Seneca lib.2. de ira cap.31.) *Elephantorum iugo colla ſubmiſſa, taurorum pueris pariter ac fœminis perſultantibus, terga impunè calcata, & repentes inter pocula, ſinuſque innoxio lapſu Dracones, & intra domum, Vrſorum, Leonumque ora placida tractantibus, adulanteſque Dominum feras.* Qui indiget, non dedignatur alijs blandiri, quia non tam ipſis, quam propriæ vtilitati præſtare putat obſequium: aſſentatio enim non perſonarum reſpicit, quam moliter laudat, ſed commodum, quod venari gliſcit. Vnde Bernardus lib.4. ad Eugen. huiuſmodi negociatores carpit. *Magna* (inquit) *abuſio pauci ad os legiſlatoris, ad manus omnes reſpiciunt: non immeritò tamen omne populi negotium illi agunt. Quem dabis mihi de tota maxima vrbe, qui non in papam receperit pretio: ſeu ſpe pretij non interueniente? Et hunc potiſſimum volunt dominari, cum profeſſi fuerint, ſeruituti fideles ſe ſpondent, vt opportunius fidentibus noceant.*

2. Magdalenæ Chriſtum Dominum in horto quærenti, quem adhuc exiſtimabat mortuum, duo Angeli pulchra facie condecorati, & gloriæ veſtibus ſplendentes apparuerunt: lacrymarum cauſam ab illa ſciſcitantur quibus illa terga vertens, & abſque vlla vrbanitate, & reuerentia tantum reſpondit: *Tulerunt Dominum meum, & neſcio, vbi poſuerunt eum*, Ioann.20.verſ.13. Cumque terga vertiſſet Angelis, in conuerſione hortulani ſpecie Chriſtum vidit, ſago, ac ſordida veſte indutum, nudis pedibus, manibuſque obductis callis, qui cum ab illa idem quod Angeli quæſierit. *Mulier quid ploras?* Ibid.verſ.15. Statim ipſa quaſi euentus præſaga, dixit: *Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum, vt ego eum tollam*, Ioann.20. Valde mirum eſt, quod honorificum Domini titulum plebeo homini tribuat, & exiſtimationem: quam Angelicæ denegauit formæ. Cur Maria reuerentius abiectum hominem alloquitur, quam Angelos? Cur tam obſequioſam ſe exhibet ruſticano homini, & tantum cum illo demoratur, quæ Angelicam non eſt verita naturam? Pulchrè Auguſt. in Catena relatus. *Nemo autem calumnietur mulierem, quod hortulanum dixerit Dominum, ibi enim honorabat hominem, à quo beneficium poſtulabat. Aliter ergo dum dixit: ſuſtulerunt Dominum meum; aliter autem: Domine ſi tu ſuſtuliſti eum.* Idem habet Theophil.

Phil. adductus à Gloſ. *Quem putat hortulanum dicit Dominum: vt honorificaret hominem, à quo rogabat beneficium*. Apparuerat Mariæ ille, quem Dominum illius poſſeſſionis putabat, in ruſticana, & abiecta hortulani forma, ipſique videbatur lucrum ab ipſa concupitum (corpus ſcilicet Magiſtri) ab eo reportare poſſe. Licet ergo plebeus ſit, illum obnixè reueretur, vrbanè alloquitur, & Dominum compellat; Angelos autem, à quibus nullum beneficium exſpectabat, inurbanè relinquit ad terga: quia ijs, à quibus aliquod emolumentum ſperatur, honores, reuerentiæ, & adulationes deferuntur: tanquam Domini honorantur, licet ruſtici, & ex infima plebe ſint. Ijs autem, qui nullatenus ſunt proficui, nec poſſunt commoda concupita exhibere, licet Angeli ſint, ſcientia, vita, & gratia, terga vertuntur deſpiciuntur ab omnibus, & in ſepulchris relinquuntur.

3. Auſpicatur Iſaias vaticinium de Chriſto pro peccatoribus patiente in prooemiolo cap. 53. verſ. 2. & 3. *Non eſt ſpecies ei neque decor: vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus: vnde nec reputauimus eum*. Quod Chriſtus ſic laceratus appareat ingruente ſuper ipſum tormentorum alluuione, non mirum. Verum cur ita deſpectus, vt omnibus ſit ludibrium? Cur ita abiectus, vt nemo ipſum reuereatur ſaltem propter compoſitionem? Qui omnium Dominus erat, ſic ab omnibus deſpicitur, vt ne no ipſi reuerentiam exhibeat? Cur ita? Feſtiuè Tertull. lib. de Idolatr. *Quia poteſtatem quoque nullam neque in ſuis quidem exercuit, quibus ſordido miniſterio functus eſt, ſe Regem denique fieri conſcius ſui regni refugit*. Quaſi dicat, ſi imperare noluit, quo pacto obſequendus eſt? Princeps erat, ſed in humilitate principatum voluit abſcondere: & vbi poteſtatem celauit, omnibus ſe commodis priuauit: nemo erat qui eius vultum reſpiceret. *Non erat ei ſpecies neque decor*. Vbi ſe Regem negauit, omnium conuitia, & deſpectionem fuit expertus, nullius beneuolentiam: quia omnes ijs blandiuntur, & obſequuntur reuerenter, à quibus commodum accipere conantur. Ridet valdè idem Tertullianus crimen, cuius Gentiles inſimulabant Chriſtianos, nempè, quòd ligna in crucibus adorarent, quos ipſe acriter redarguit. Dato (inquit) quamuis non conceſſo, quòd lignis cultum exhibeant Chriſtiani: nonne & vos eadem ligna, & lapides in ſimulachris veſtris, & idolis adoratis? Cur igitur hic lignum dignum adorationis videtur, & illic dignum vt comburatur? Sed iam rationem agnoſco. *Laudo diligentiam: noluiſtis nudas, & incultas cruces conſecrare*. Idem. Veſtra quidem ligna deaurata ſunt, ditata auro, & pretioſis vnionibus: noſtra abiecta, inculta, & nullo pretio condecorata. Quidquid igitur auro abundat, & diteſcit, adoratur: at quod nullo pretio nulla cultura ornatur, deſpiciatur ab omnibus, & comburatur igne. Quia ſic adulationis genium honores, & vituperia diſtribuit: cultum & reuerentiam ijs, qui proficere poſſunt, defert: deſpectionem, & deriſum ijs, qui nullius emolumenti, nullius vtilitatis ſunt. Hinc creaturus Deus hominem præuia conſultatione ipſius fabricam meditatur. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Geneſ. 1. verſ. 26. Cur tam ſolerti conſilio hominem Deus creat, cum ad reliquas creaturas nulla conſultatio præceſſerit? Tempeſtiuè Baſil. de ſeleuc. orat. 1. *Oportebat hominem procreari, qui regali throno conueniret: quapropter vel nondum factus homo à Conditoris conſideratione, & Dei conſilij commendationem, & pretium accepit, antiquiorem conditione ſua honorem ſuſcepit*. Vel nondum natus honoratur homo, quia præſidere debebat, & omnibus futurus erat proficuus. Præſulibus enim, quibus omnes indigent, honor conſecratur, & ambitioſo propriè vtilitatis obſequio omnes ipſis famulantur, quandiu ab eis emolumentum ſperant. At cum ad aliam tranſeunt fortunam, eos deſpiciunt, & in deriſum habent. Sic accidit ſuperbiſſimo Principi Nabuchodonoſori, qui in ſecunda fortuna omnes gentes, quas ſubiugauerat, pronas & obſequentes habuit, & diuinos honores ipſi in ſtatua aurea deferentes: poſtquam autem ab illa cecidit, omnibus fuit ludibrium, & irriſio, & ſuper ipſum ſatyrica conuitia canebant. *Nunquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument, & loquelam ænigmatum eius? Et dicetur: væ ei qui multiplicat non ſua. Vſquequo & aggrauat contra ſe denſum lutum?* Hic verſ. 6.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Imperandi deſiderium non ſemper reprehenſibile.

1. NVllum efficacius medium natura relinquit ad ſui conſeruationem, & augmentum, quam appetitum innatum, qui omnibus ineſt creaturis perfectionis propriæ, & incrementi: exindeque deſiderium ſe præficiendi ex ſuo genere non ſolum laudabile eſt & honeſtum, ſed obligatorium. Vnde conſulebat Ioan. *Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc* Apocalypſ. 22. verſ. 11. Et Tacitus lib. 4. annal. dixit: *Optimos quippè mortalium altiſſima cupere*, In ambitione non omnia videntur imputabilia: ex aliquot eius partibus, quæ proficuæ ſunt, medela conficitur contra eius morſum;

ſum : cum enim deſiderium propriæ perfectionis ſit honeſtum ex ſuo genere, id ad minus in ſuperbia non eſt reprehenſibile. Scribens D. Paulus ad Timoth. 3. verſ. 1. cum partes, quibus Prælatus condecorandus eſt, expoſuiſſet, non illi conſulit, vt à deſiderio Epiſcopatus abſtinear, ſed illius appetitum laudat, quaſi boni ex ſe amabilis. *Si quis Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat*. Sed inconſequentiæ arguit Caietanus Apoſtolum in his verbis : nam ſi præfici ita periculoſum eſt, & tot difficultatibus plenum, vt ipſe Apoſtolus præmiſerat, quatenus Timotheum deterreret, vt ab illius auocaret deſiderio: cur ipſum laudat, nec dehortatur prælaturæ cupiditatem? *Quia ſuperintendere* (ait Caiet.) *eſt opus non qualecunque, ſed opus bonum ex ſuo genere : nullum itaque peccatum eſt ex ſuo genere : deſiderare Epiſcopatum*. Nec ſolum licitum, & honeſtum crediderim huiuſmodi deſiderium, ſed multoties obligatorium, præſertim in illis perſonis, quæ virtute, & ſufficientia pollent, Reipublicæque aut communitati poſſunt eſſe proficuæ.

2. De Eccleſiæ primatu agebat Chriſtus Dominus : & vt electionem ſucceſſoris ſanciret, vndique præuio examine Diſcipulorum merita ponderat. Cumque ad Petrum deueniſſet, & generoſam Aquilam ad Charitatis radios comprobaſſet, Principem, & Paſtorem ipſum conſtituit. *Simon Ioannes diliges me?* Ait illi : *Etiam Domine : tu ſcis, quia amo te*. Dicit ei ; *Paſce agnos meos*. Ioann. 21. verſ. 16. Dubitat Magn. Greg. in paſtor. c. 5. cur voluerit Dominus, poſtquam Petri charitatem comprobauit, & oſtendit, eum Principem conſtituere, & (quaſi eſſet amoris neceſſaria conſequentia cura cœterorum) rationem & motiuum ſuæ electionis charitatem haberi prætenderit? Perpende Gregorij ſolutionem. *Si ergo dilectionis eſt teſtimonium cura paſſionis : quiſquis virtutibus pollens gregem Dei paſcere renuit, Paſtorem ſummum conuincitur non amare*. Non modo licitum deſiderium præfecturæ relinquit, ſed obligatorium. Quia Deum non amare conuincitur, qui cum ſit præditus charitate, feruore, & ſpiritu, regimen, & prælaturam renuit. Non igitur honoris deſiderium ſuperbiæ ſemper, & ambitionis argumentum debet reputari : licet multoties dignitatem appetere : præſertim cum vtilitati publicæ, & bono communi conſulitur : nam ſi omnes bene meriti ipſius fugam arripiant, & præfecturas recuſent, Rempublicam periclitari neceſsè eſt. Vnde dixit Greg. Nazianzen. Satis ciuiliter, & Chriſtianè. *Æquè pernicioſè, abſurdèque res ſe habet, cum vel omnes præeſſe, aut imperare cupiunt, vel nemo*. Quia ſicut contentio inuidiam, & rixas gignit, quibus bonum publicum euertitur. Sic demiſſio, & inertia in cauſa eſt, vt dignitates deſpiciantur, viduentur authoritate, & vitia ac mores efferantur improbi.

3. Conſuluit Deus ſeipſum, vt ſui Vicarium, & legatum mitteret ad Iſtraeliticum populum, qui eius obiurgaret vitia : cumque more humano dubitaſſet. (*Quem mittam, & quis ibit nobis*? Iſaiæ 6. verſ. 8.) audiens Propheta Deum ſciſcitantem, legationis muneri ſe vltro obtulit. *Ecce ego, mitte me*. Ibi. Quaſi cæteris ſe iudicaret digniorem : quod non parum dedecebat humillimum, & circumſpectum Vatem. Vnde Iſaias ſic obliuiſcitur modeſtiæ, vt præſumptioni ſtudeat, atque ſe magis idoneum huic functioni reputet, quam reliquos ipſi coœtaneos : maximè cum Deum audit irreſolutum, quem illius merita non latebant ; & eo tempore, quo viri florebant ſanctiſſimi, quales erant Michæas, Amos, & Oſeas illius contemporanei, atque alij quam plurimi capaces ad illam legationem obeundam? At non admiremini (ait Ambroſ.) quòd vltrò ſe offerat Propheta muneri, & officio, neque eum elatum iudicetis : quia cum ipſe onus, non honori proprio ambijſſet, ſed Domini obſequio, & ſui populi vtilitati, atque reſolutionem & ſpiritum ad increpandos Iſraelitas ſufficientem haberet, quem fortè in alijs dubitabat, legationi ſe non vocatus ingerit, ne tam neceſſarium officium incongruè exerceatur. *Non temeritate, & arrogantia* (ait Ambroſ.) *ſe vltro obtulit ; ſed quia legationis neceſſitatem videbat*. Vrgebat Prophetam charitas, & idcirco ſine pudore legationem ambit, quia ſic expedire præſagiebat. Plerumque enim tegimen, & dignitates concupiſcere non ambitionis, ſed feruoris, & charitatis argumentum eſt.

4. Senuit Samuel, & vt regimini populi prouideret, filios ſuos iudices conſtituit, vt ex tunc, & poſt illius diſceſſum populi habenas moderarentur. Quod cum efficere cœpiſſent, & neque patri ſimiles, neque populo vtiles viderentur ; ait populus ad Samuelem : *Conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos, ſicut vniuerſa habent nationes*. 1. Reg. 8. verſ. 5. Quod cum audiſſet Samuel, & ipſum à regimine populum voluiſſe deponere, dum adhuc viueret, & ſimiliter filios ſuos : egrè tulit huiuſmodi verba, ita vt dolore percitus orauerit ad Dominum. *Et diſplicuit ſermo in oculis Samuelis, eo quod dixiſſent : da nobis Regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuel ad Dominum*. Ibi verſ. 6. Quis à viro perfecto, & alias ſanctiſſimo talia præſumeret, vt tam amarè doleret de regni remotione? Qui ita humilis, & Deo gratus vſque tunc ſe exhibuerat, quomodò cum priuationem dignitatis audit, ſic mœret, & contriſtatur? Ita ne ambit imperium, vt ab eo deponi tam vehementer doleat? Verum audi Dionyſium Carthuſian. pro Samuelis humilitate decertantem in commenr. huius loci. *Diſplicuit ſermo non ex ambitione, ſed æquitate ad bonum commune : quia ſciebat populo potius expedire, quod regeretur per iudices*.

Sa-

Digitized by Google

Samuelis diſplicentia de regni remotione non ambitio iudicanda eſt, ſed zelus vtilitatis populi. Non iniquè patitur populi petitionem, quia ſe, & filios ſuos à regimine exules timet: ſed de populi ruina lamentatur, & Deum pro conſeruando munere adit, & deprecatur, quia ſciebat ſuum regimen populo profecturum. Sic Ioſepho, Moyſi, & Ioſue accidit, qui oblatum imperium libenter fuerunt amplexi, non vt ſe magnificarent, ſed vt bono communi conſulerent. Sic Samuel non propter ſuam deiectionem dolet, ſed quia in populi damnum redundabat. Plerumque enim dominium affectare, non ambitio eſt, ſed zelus: maximè eum deeſt populo, qui bono communi prouideat. Ita pernicioſè multoties res ſe habent in Republica, vt charitas reputetur illius regimen appetere, vt damnum, quod à regimine noxio imminet, euitetur. Nemo hac doctrina decipiatur, neque illa ambitionem excuſet, charitas enim, & zelus publicæ vtilitatis potens eſt ambitionis deprauatas proprietates expurgare. Prætérquamquod qui ductus Dei timore, & propriæ vtilitatis immemor præeſſe deſiderat, virtutes colit, merita adauget, vt optata aſſequatur. Quod in laudem Traiani dicebat Plin. in Paneg. nam ille tam bonus apparuit in culmine dignitatis, ac cæteri videri affectant, cum illud ambiunt. *Quotidie admirabilior, & melior, talis denique, quales alij futuros eſſe pollicentur.* Qui præeſſe aliis deſiderat, virtutes alit, vitia eliminat, vt ad concupita perueniat. Idcirco cum videret Vates noſter inſolentem dominationem Nabuchodonoſoris, qui populum Iudæorum opprimebat, cum eſſet aduena, & tyrannus, licet à Deo eſſet conſtitutus, vt vindictam ſumeret de ſceleribus Iſraelitici populi non ceſſabat Deum orare, vt ſuæ gentis Principem eleuaret: non quia honorem ſibi, & ſuis ambiret; ſed vt vtilitati publicæ ſuæ gentis conſuleret. Quod pro voto accidit; nam ſuæ gentis Principem, & tyranni ignominioſam deiectionem Deus pollicetur. *Nunquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument, & loquelam ænigmatum eius, &c.* Hic verſ.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Regni tutores ob nulla commoda debent ipſum non ſeruare.

1. MVltoties Regnorum proſcriptio ex inextinguibili auaritia eorum, quibus ea ſeruare incumbit, oritur: nam vt ſuis honoribus, & particularibus commodis prouideant, non verentur regna ipſorum tutelæ commiſſa vendere, & illorum ruinam propriam exaltationem mercari: cum tamen ſolerti diligentia populos, & ciuitates deberent tueri, poſtpoſito quocumque ipſis oblato fauore. Egregiè Procuratores populi, qui pauperculam plebem euertunt, vt ſuam domum adaugeant, ac illos, qui integra conſcientia muneta propria reſpuunt, ne vaſtentur regna, & ſpolientur ciuitates, depinxit Libius (5. ab Vrbe condita) & Ælian. (lib. 12. de hiſt. anim. c. 33.) in eo quod accidit Romanis: nam cum, vt excubias facerent ſuper ciuitatem, Canes, & Anſeres conſtituiſſent, aduenientibus Gallis ad deuaſtandam ciuitatem, & fruſtra carnis, atque eſculenta ipſis obijcientibus, Canes quidam eis acceptis ſiluerunt; Anſeres vero gracitare non ceſſarunt, Gallos in limine adeſſe canentes: nec tacuerunt obiecto cibo, ſed ore iugiter perſtrepuerunt. Exindeque quotannis apud ipſos Romanos recolebantur maximo honore: Canes autem perfidiæ ſuæ pœnas dederunt. *Anſeres* (ait Ælianus) *ad cuſtodiam præferendi ſunt canibus, quod Romanorum periclitatione conſtat: Canes enim ad cibum oblatum* (à Gallis) *ſilebant: Anſerum verò proprium eſt ad eſculenta, quæ eis obijciuntur, non quieſcere, ſed exclamare.* Non canis perfidiam, ſed Anſeris fidelitatem imitari debet, quiſquis regni cuſtos ad generales curias conſtituitur, ne de illo verè dicat Virgil. lib. 6. Æneid.

> *Vendidit hic auro Patriam, Dominumque potentem*
> *Impoſuit: finxit leges pretio, atque refinxit.*

Aut Lucanus lib. 4.

> *Momentumque fuit mutatus Curio rerum*
> *Gallorum captus ſpolijs, & Cæſaris auro.*

Quodcumque munus ipſi oblatum in perniciem Patriæ redundans reſpuere debet. Nam boni (vt dicebat Cicero pro Milone) *nullo emolumento impelluntur in fraudem: impij ſæpè paruo.* Qui bonus eſt ciuis, pro nulla gratia patriam, & vrbem vendit: qui malus, & auarus pro paruo, pro pecunia, pro quacunque gratia, & honoris ſigno proditor eſt regni, & in patriam: poteſtate abutitur ſibi commiſſa, nec veretur generale exitium, vt ſuam domum adaugeat. Quod acriter reprehendebat Saluianus lib. 4. de guber. Dei, eos pungens, qui præfecturas, & ſuffragia emunt. *Quid enim omnium aliud dignitas ſublimium, quam proſcriptio ciuitatum. Aut quid aliud quorundam, quos taceo, præfectura, quam præda? Nulla ſiquidem maior pauperculorum eſt depopulatio, quam poteſtas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, vt cunctorum vaſtatione ſaluatur. Reddunt miſeri dignitatum pretia, quas non emunt: commercium neſciunt & ſolutionem ſciunt. Vt pauci illuſtrentur; mundus euertitur. Vnius honor orbis excidium eſt. Denique ſciunt hoc Hiſpaniæ, quibus ſolum nomen relictum eſt.*

2. Ob-

Digitized by Google

2. Obſederat domus Ioſeph Ciuitatem Bethel, quæ antea luza vocabatur id eſt *auellana*, quia vt dicunt Hebræi Ciuitas hæc admodum huiuſmodi fructus conſtructa erat: ſcilicet non habens portam patentem. Cum autem latenter Hebræi eam cingerent: *Viderunt hominem* (inquit text.) *egredientem de Ciuitate, dixeruntque ad eum: oſtende nobis introitum Ciuitatis, & faciemus tecum miſericordiam. Qui cum oſtendiſſet eis, percuſſerunt vrbem in ore gladij: hominem autem illum, & omnem cognationem eius dimiſerunt. Qui dimiſſus abijt in terram Hetthin, & ædificauit ibi Ciuitatem, vocauitq; eam Luzam.* Iudic. 1. verſ. 24. & 25. Abul. quæſt. 25. in Iud. exiſtimat illum hominem fuiſſe Ciuem valdè potentem, ac nobilem; colligitque ex eo, quòd dimiſſus in Hetthin Ciuitatem ædificauerit. At valdè mirum eſt, quod homo honoratus in patria, & diuitijs abundans illam traderet in manus inimici. Quid impulit huiuſmodi Ciuem, vt tam infidelis, ingratus, & inciuilis eſſet in patriam; & viam demonſtraret, qua ſua Ciuitas vaſtaretur? Textus cauſam innuit, & latenter hunc atque reliquos proditores Reipublicæ carpit. *Dixeruntque ad eum: oſtende nobis introitum Ciuitatis, & faciemus tibi miſericordiam.* Caietanus legit: *Faciemus tibi gratiam.* Gratia maior ei promittitur; vndè licèt eſſet in Ciuitate potens, & in ea exaltatus, vt maior, & potentior redderetur, Ciuitatem tradidit diruendam, vt non iam priuatus homo, ſed nouæ Ciuitatis nouus eſſet Dominus idcircò enim Ciuitatem Luzam appellauit. *Deſiderio* (inquit Abul. loc. cit.) *terræ ſuæ originis: ne illa perijſſe videretur, vel non videretur ſubiecta hoſtibus; ſed haberet filios ſuæ originis.* Amore patriæ allectus quidem erat, ſed magis propriæ excellentiæ addictus: & propterea patriam tradidit vaſtandam, vt excellentior redderetur; & Ciuitatem, quam ædificauit, appellauit Luzam, vt nouos titulos in propria domo erigeret, & ne patriæ hoſtis haberetur. Quam multi ſunt, qui vt potentiores fiant, & nouos titulos, & honores ſibi accreſcant, patriam deuaſtant, & tamen Reipublicæ Patres, & Zelatores videri gliſcunt. Ab ipſa honorantur, & cum totius regni cura, & tutela ipſis committatur, viam oſtendunt, quia ipſi diriuatur, vt conuentione venali facta è priuatis magnates habeantur, atque ex proditione lucrum reportent; cum tamen proprio commodo commune deberent præferre.

3. Num. 5. verſ. 1. dixit Dominum ad Moyſem: *Præcipe filijs Iſrael, vt eijciant de caſtris omnem leproſum.* Pertinuit hęc eiectio non ſolum ad tempus illud, quando Iudæi poſtmodum futuri erant in terra promiſſionis, atq; eiectis propter infirmitatem loca commoda aſſignari poterant: ſed etiam ad tempus peregrinationis deinceps adhuc faciendæ, vt patet ex Exodo, vbi ſtatim, ac Maria Moyſis Soror fuit percuſſa lepra, eiecta fuit à caſtris. Et quidem cum ſit certum, quòd in deſerto multa cæremonialia præcepta non fuerunt obſeruata (vt patet de circumciſione, quæ à Ioſue generaliter ſemel per tota caſtra facta fuit poſt tranſitum Iordanis in Galgalis, vt habetur Ioſue 5.) notabile quidem eſt, quod præceptum de eijciendo leproſo extra caſtra voluerit Deus inuiolabiliter ſeruari peregrinationis tempore: maximè cum extra caſtra, dum peregrinabantur, difficulter infectis lepra loca certa aſſignari potuerint, vbi medicarentur, & ab hoſtium, qui paſſim occurrebant, incurſionibus tuti exiſterent. Cur igitur Deus, qui tantòpere hoſpitalitatis officium, & infirmorum curam commendauerat, modò quaſi præcipit eam negligere? Rectè Marius in comment. huius loci difficultatem diruit: *Voluit Deus* (inquit) *caſtrorum munditiem ſingularem particulari commodo præponi: vt oſtenderet maiorem ſemper habendam eſſe rationem boni communis: quam priuati: præſertim quando bonum priuatum non poteſt haberi ſine publico malo.* Etenim lepra, quæ omnes poterat inficere, & per caſtra ſerpere, publicum erat malum; commoda autem illius curatio priuatum bonum: hoc igitur deſeratur, quia ſine communi damno haberi non poteſt: pateat lepra infectus hoſtilibus incurſionibus, & bonum publicum violetur. Hoc (inquam) de ſuperna venit politia: hoc cuiuſque generoſi, ac Chriſtiani Ciuis debet eſſe proprium (ſemper enim cauſa publica præferenda eſt) & hoſtium exponi periculo, atque potentiorum indignationi, ne regna integra, pereant, & Ciuitates deuaſtentur, pulchrum debet reputari.

4. Deplorabat Ieremias Hieroſolymæ inuerſionem, atque potentum (vndè oriebatur) auaritiam, in ipſoſque acerbè admodum inuehitur. *Sacerdotes mei, & ſenes mei in vrbe conſumpti ſunt: quia quæſierunt cibum ſibi, vt refocillarent animas ſuas.* Thren. 1. verſ. 19. Exaggerat Hieroſolymæ famem, & inopiam, qua laborabat, eo quòd Sacerdotes (quibus victus deeſſe non debebat, cum tyrannus Princeps Pharao tempore fames Ægypti illis alimenta miniſtrauerit, vt habetur Geneſ. 47.) cibum quæſierunt. At ſi Sacerdotes tantum ad ſuſtentandam vitam alimenta quæſierunt, non delitias, & epulas exquiſitas, ſed congrua tantummodo, & neceſſaria, quare de hoc conqueritur Propheta, & hanc famis, & indigentiæ aſſignat cauſam? Quod Populi Proceres, & Sacerdotes congrua alimenta perquirerent, quo pacto plebeculæ indigentiæ potuit eſſe occaſio? *Fortaſſe* (inquit Hector Pintus in comment. huius loci) *vertit hoc vitio Sacerdotum, & Præſidum, quorum vnuſquiſque ſibi, non autem populo cibos quærebat.* Alienum quippe à Præſidibus, & Gubernatoribus eſſe debet, vt pro ſuo commodo publicam ne-

gligant vtilitatem. Hoc (inquam) ægrè fert Deus, & propter ram immane ſcelus graue ſupplicium Hieroſolymæ intulit.

5. De Elia, qui maximo feruore regimen populi curauit, dicitur 1. Machabæor. 2. c. 4. v. 57. *Elias, dum zelat zelum legis, receptus eſt in cælum.* Quid proportionis, & congruentiæ Eliæ zelus cum cœlo habet, quod ad illud sransfertur, & adhuc viuens illius incola, & Ciuis conſtituitur? Suſpicor: quia cœleſti politia eruditus, illam exercuit, quæ cœlos ſemper mouet. Inter alia enim in quibus cœli excellunt elementa, præcipuum eſt finis motus vtrorumque. Etenim elementa in ſuis motibus proprium tantum commodum appetunt, centrum nempè, vbi quieſcunt, & loca apta ad ſui conſeruationem; & idcircò mouentur motu recto, quo nonum locum ſemper adquirunt. At cœli mouentur motu circulari, qui cum intra eundem locum exerceatur, nullum nouum ambiunt, neque de nouo acquirunt; quia cœli proprio commodo non incumbunt, ad commune bonum ſemper mouentur, neque intendunt niſi optimum gubernandi modum, vt vniuerſum ipſis commiſſum nunquam deterioretur. Meriro ergò *Elias dum zelat zelum legis, receptus eſt in cælum*: Quoniam qui zelant commune bonum, ob ſimilitudinem, quam cum cœlis habent, ad illos quaſi naturaliter feruntur, neque excipiuntur vt aduenæ, ſed vt conciues ſupernorum ſpirituum. Sed proh dolor! Quot ſunt, qui elementorum genio mouentur proprium commodum appetentes, & noua loca, nouos honores, & dignitates ambientes! Quot Ciues, qui ob bonum proprium patriam vendunt, & proditores ſunt Reipublicæ! Quot, qui aſſenſum præbent, vota offerunt, & ſuffragia, quibus Reſpublica vaſtetur, vt domos ſuas ditent, & nouis titulis exaltent? Hanc politiam, quę non de ſupernis, ſed de inferno venit, practicauit Nabucho: omnes Ciuitates, & regna diruens, quę ipſi obijciebantur, vt propriam domum cumularet diuitijs, cuius euerſionem paulò poſt vidit: & ipſo itinere, quo magnitudinem anhelabat, pręceps iuit ad ruinam, & ad vituperationem. *Nunquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument, & loquelam ænigmatum eius? Et dicetur: væ ei qui multiplicat non ſua? Vſquequo, & aggrauat contra ſe denſum lutum?* Hic verſ. 6. Nam ſicut ędificium ex luto conſtructum facilè ruit: ita qui aliorum depauperatione diues efficitur, facilimè abit in ruinam.

DISCURSUS VIII. MORALIS.

Plus alienis bonis, quam proprijs malis, cruciatur inuidus.

1. NOn tam malum inuidus timet, quod aduerſa fortuna ipſi minatur, quam quod ab aliena felicitate ſibi fabricat. Grauius ſupplicium inuidia poſſeſſo quam proprium tormentum, alterius honor eſt. Aliena felicitate cruciatur, & infortunatur aliena fortuna. Malo ſpiritu acerbè agitabatur Saul, ad quem tranquillandum aliquem bene pſallentem ad ſe adduci iubet. Unus autem ex aulicis, qui aderant, Dauidem ad hanc rem non ſolum opportunum iudicat, ſed etiam magnis laudibus commendat, & exaltat. *Ecce* (inquit) *vidi filium Iſai Bethlemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus eſt cum eo.* 1. Reg. 16. verſ. 18. Hunc autem Dauidis laudatorem, & panegyriſtam dicunt Hebræi (vt ex ipſis refert Lyra) fuiſſe Doeg. Idumeum capitalem ipſius Dauidis inimicum. At quo animo infenſiſſimus Dauidis hoſtis tam egregius ipſius encomiaſtes efficitur apud Regem? Sat enim erat dicere, eum bene pſalere; neque aliud quærebat Saul. Ad quid igitur addit fortiſſimum robore, bellicoſum, prudentem, pulchrum, & Dei amicum? Hæc omnia minimè congruunt cum munere, ad quod eligitur: nam etſi ea non haberet, pſalere tamen ſcire poterat. Tamen aſtutus nimis in hoc facto apparuit Doeg: quia (vt ait Mendoza ad cap. 1. Reg.) Doeg *volebat Dauid occidere ſine vlla nota ſuæ maleuolentiæ, & ſciebat Saulem eſſe inuidum, & alienis laudibus incredibiliter cruciari. Laudat igitur Dauidem apud Saulem, vt Saul inuidiæ ſtimulis agitatus interficiat Dauidem*: Rara ſubtilitas nocendi! Mirum calumniandi genium! Refert Polibius de quodam Apele, quòd cum apud Philippum Mazedonum Regem, quendam inimicum deuenuſtare non potuiſſet calumnijs, & detractionibus, aliam calumniandi excogitauit artem: illum etenim apud Principem iugiter commendabat, exaltabat laudibus, honorabat encomijs, & gratiam, quam apud populum habebat, maximè exaggerabat: quo factum eſt, vt animum Principis ad vehementem traheret ſuſpicionem, & in odium incideret ille, qui gratiſſimus erat. Super quod mirabundus exclamat Tacitus. *Nouus calumniandi modus repertus ille; non culpantes, ſed laudantes lædere, atque euertere alios.* Animus Principis inuidia poſſeſſus exoſum habuit, quem tam egregijs virtutibus pollere audiebat. Sic, inquam, Doeg pignora, & virtutes Dauidis apud Saulem

com-

commendauit, vt hac arte animum Regis liuore incenderet, & pallida inuidia tingeret faciem, vt ipſum agitaret contra Dauidem; ſciebat enim verſutus hoſtis plus Dauidis laudibus cruciandum, quam proprio malo, minus dœmone torquendum, quam Dauidis encomijs: quia magis inuidus aliena gloria vexatur, quam propria infœlicitate.

2. Iſrael malè conciſſus Dei arcam aduocat auxiliarem. Philiſtæi nuper victores mæſto pauore illacrymantur exclamantes: *Væ nobis. Quis nos ſeruabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga in deſerto*. 1. Reg. 4. v. 8. Valdè ſudant expoſitores, vt horũ verborũ veritatem confirment: quia non omni plaga percuſſi fuerunt Ægiptij in deſerto; vndè Hugo Carenſ. eos mendacij arguit. *Hoc videtur falſum, nam non omni plaga percuſſi ſunt Ægyptij in deſerto.* Vltima plaga, & conſummata in mari Rubro Ægyptijs inflicta fuit: mare autem Rubrum non eſt deſerti pars. Quomodo ergò Deus pugnans pro Iſraelitis dicitur percuſſiſſe æmulos Ægyptios omni plaga in deſerto? Vermilius à noſtro Ramgolio relatus in comment. huius loci ſic dictum putat: quia: *Iudæi cum ex Ægypto migrarent à fronte mare habebant, montes à lateribus, & hoſtem à tergò: quare nullo pacto videbantur euaſuri; ſed ex inſperato mare ſe aperuit, atque illis tranſitum patefecit; Pharao verò cum exercitu eos inſequens marinis fluctibus eſt ſubmerſus, Iudæi verò poſtea redierunt ad idem litus, à quo exierant; vndè calamitas hæc dici poteſt in deſerto Ægyptijs accidiſſe*. Sed hæc planè non conuincunt, vt Ægyptij omni plaga dicantur in deſerto percuſſi, quia in rigore hoc non ibi accidit. Idcircò reputo ad myſticum ſenſum prædicta verba eſſe contorquenda: in deſerto enim Deus populum ſuum diuina lege erudiuit, ſplendida columna eum deduxit; cœleſti manna lautè aluit, & alia perquam plurima præſtitit beneficia. His igitur Hebræorum fœlicitatibus ita cruciabantur inuidi Ægyptij, vt verè dicatur, Deum illos percuſiſſe acerbius in deſerto, quam prius percuſſerat in Ægypto amaris plagis illos infeſtando: quia in Ægypto ſua infœlicitate vexabantur: at in deſerto Hebræorum fœlicitatibus; inuidus autem plus feritur, & cruciatur alienis bonis, quam proprijs malis. Accinit id quod habetur Pſalm. 104. verſ. 25. *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius*. De Ægyptijs hic ſermo habetur, quorum corda Deus conuertere dicitur, vt Hebræos odirent, & inuiſos haberent. At quo pacto Deus Ægyptiorum corda conuertere dicitur ad odium, & ad malum impellere? Deus enim intentator malorum eſt, neque ea ſuggerit, quę poſtea imputat ad culpam? Vt quid igitur Dauid ipſum dœmonis genium vſurpaſſe affirmat? Audi Auguſt. ad prædicta verba. *Conuertit cor eorum, non illos malos faciendo, ſed iſtis bona, quibus mali facillimè poſſent inuidere, largiendo incitaſſe dicitur ad odium*. Cum Deus inuidos Ægyptios cruciare, & vltima pœna afficere decreuiſſet, fœlices illis Hebræos ante oculos poſuit: quia inuidi plus aliena fœlicitate, quam infœlicitate propria torquentur. Cruciatur inuidus, liuore rumpitur, & tabeſcit alienas glorias inſpiciens, ſpirat iras, & venenum quod ebibit: & grauius punitur ęmuli ſublimitate, quam propria deiectione, & miſeria.

3. Conueniunt Theol. in 4. diſt. 45. & 1. part. quęſt. 64. art. 1. non paucos dœmonum in hoc medio aere, qui caliginem inter cœlum, & terram occupat, habitare; in quo abſque dubio inferni tormentis cruciantur (licèt quidam ex vetuſtis Patribus vſque ad diem iudicii dœmones non excruciari teneant) quia Concilium Florent. contrarium decreuit, & omnis Theologorum ſchola ex profeſſo id impugnat. Cui, & Bernardi auctoritati inhærendo, illos non modo torqueri in ea parte aeris, quæ inter cœlum, & terram interiacet, gehennalibus pœnis cenſeo, ſed alio acerbiori tormento inferni crudelitatem ſuperante, inuidia nempè, qua vexantur beatas animas, quæ de terra ad cœlum migrant, videntes, & inuidentes. Audi Bernard. ſerm. 54. in Cant. cuius hęc ſubtilis excogitatio eſt. *Diabolus in pœnam ſuam locum in aere medium inter cœlum, & terram ſortitus eſt, vt videat, ipſaque inuidia torqueatur*. Parum eſſet ad peruicaciam diabolicam plectendam, dœmonem diris inferni cruciatibus mancipare. Maius tormentum, & acerbior tortura ipſi deſtinatur in aere habitanti, vt inter iuſtos, qui iam triumphant in patria, & qui adhuc in via peregrinantur, vtriſque inuideat, & inuidendo acerbius, quam infernali cruciamento vexetur; plus enim hoc liuore, quam quouis alio dolore, etſi æter naturæ incendij ſit gehenna, torquetur; ingentius diaboli tormentum non pœna ipſi inflicta infernali flamma, ſed æmuli gloria metitur.

4. Æternis cruciatibus auarus ille Epulo apud inferos vexatus aiebat ad Abraham: *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Luc. 16. verſ. 24. Adhuc diues ſtulteſcit, adhuc in pauperem inhumanus exiſtit. Cur non poſtulat, vt ſibi liceat ad Lazarum aſcendere, vt æſtuanti ſiti refrigerium prouideat? Cur Lazarum à conſortio Patriarchæ, & conciuium ſupernorum ſegregare, atque ad ſe deſcendere ſatagit? Præclarè, & luculenter Chryſolog. ſerm. 122. *Quod agit diues, non eſt nouelli doloris, ſed liuoris antiqui: & cœlo magis incenditur, quam gehenna. Eſt graue illis malum, eſt illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre felices. Adhuc diuitem malitia non deſerit, quem iam poſſidet pœna; qui non ſe ad Lazarum duci poſtulat, sed ad ſe Lazarum*

rum vult deduci. Plus inuidiæ quam gehennæ diues cruciabatur incendio: plus aliena gloria, quam propria ęterna pœna torquebatur, liuoris antiqui reſpirabat venenum, & non tam refrigerium linguæ, quam cordi inuido ſatagebat: gliſcebat Lazarum à fœlicitate, & gloria diuertere, vt acerbius laxaret cruciamentum. Ægrè ardorem fert flammarum, ęgerrimè incendium ferebat inuidię, tabeſcit deſperatus, diſcruciatur impatiens fœlicem, & glorioſum aſpiciens, quem aliquando habuit in deriſum. Ad eum ſane modum minaturDeus Nabuchodonoſori,& eadem pœna ipſum mulctare pollicetur,dum illis, quibus imaniſſimus fuit,opulentia,& victoriarum felicitate rurgens, deſpectus, & à throno depoſitus apparebit, atque illos, quos inhumaniter tractauit, feliciter locupletatos aſpiciet: vt videat, & inuideat atque aliena gloria torqueatur. *Nunquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument, & loquelam ænigmatum eius? Et dicetur: væ ei qui multiplicat non ſua? Vſque quo, & aggrauat contra ſe denſum lutum?* Hic verſ. 6.

Verſ. 7. Nunquid non repente conſurgent, qui mordeant te; & ſuſcitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?

Verſ, 8. Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis propter ſanguinem hominis. & iniquitatem Terræ Ciuitatis, & omnium habitantium in ea.

ANNOTATIO VI.

Expoſitio Litteræ.

1. OStendit Propheta talia paſſuros eſſe Chaldæos, & eorum Regem, qualia ipſi gentibus, ac populis intulerunt incommoda. Quaſi dicat: Quia tu ſpoliaſti multos, hi qui è gladio tuo reliqui fuerint, ſpoliabunt te propter ſanguinem tot hominum, quos interfeciſti; propter iniquitatem, quam admiſiſti contra regiones, quarum pecora, arbores, & herbas abſumpſiſti; & quam admiſiſti contra Ciuitates, quas diruiſti; & contra ipſarum habitatores, quos ſua pace, opibus, & vita priuaſti; propter tyrannidem, qua vexaſti terram Juda, & Ciuitatem Hieruſalem oppreſſiſti.

2. *Nunquid non repente conſurgent, qui mordeant te?* Cum maximè ſecurus tibi videberis, ex inopinato ſurgent contra te Medi, & Perſæ; qui te primum mordebunt, vrgebunt, & infeſtabunt in bello, atque multos ex tuis Ciuitatibus occident, & nonnullas ipſarum Ciuitatum quaſi morſibus auferent: ſed poſtea plena, ac potenti victoria penitus te lacerabunt, & proſternent, atque imperium tuum perdent. Loquitur enim Vates Nabuchodonoſori, quaſi authori illius Regni, & Monarchiæ Chaldæorum, eum enim mordent, & lacerant, qui imperium conuellunt, & diruunt ab ipſo partum, & tot incrementis auctum: licèt hoc non regnante Nabuchodonoſore factum fuerit, ſed regnante eius nepote Balthaſare, & anno tertio illius imperij. Pleræque enim comminationes, & promiſſiones, quæ in ſacra pagina habentur, non in tempore eorum, quibus prænuntiantur, ſed in ſucceſſorum temporibus complentur. Multa enim prædixit Iacob morti proximus filijs ſuis, quæ tamen dum viuerent, non viderunt, ſed in illorum filijs ſunt adimpleta. Geneſ. 27. verſ. 29. fauſta Iſaac dixit Iacob, & inter alia: *Eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur antete filij matris tuæ*: & tamen Iacob fratres non habuit, cum vnicus tantum illi fuiſſet frater, Eſau nempè: neque ante ipſum ille fuit incuruatus, ſed è contra ipſe Iacob fratrem ſupplex adorauit, vt habetur Geneſ. 33. verſ. 3. *Et ipſe progrediens adorauit pronus in terram*

ram ſepties, donec appropinquaret frater eius. Illa autem prophetia in filijs Iacob fuit adimpleta, quia Idumæos, filios ſcilicet Eſau, ſuo ſibi imperio ſubiecerunt, atque ad adorandum coegerunt. De ſupplicijs, comminationibus, & plagis quas Deus inferre minabatur, eadem ratio habetur: nam Geneſ. 49. verſ. 7. de Simeone, & Leui locutus Iacob aiebat: *Diuidam eos in Iacob, & diſpergam in Iſrael*. Quòd non ipſis, ſed in eorum poſteris fuit adimpletum: nec enim Leuitæ ſortem aliquam habuere in Iſrael; & tamen de Simeone dicitur (Ioſue cap. 19.) nullum proprium habuiſſe funiculum, ſed de tribu Iuda partem quamlibet recepiſſe. Videndus D. Chryſoſtom. hom. 8. in Matth. Sic noſter Vates minatur Nabuchodonoſori venturum ſupplicium, quod in ſuis ſucceſſoribus, extincto iam Perſarum armis imperio ſuo, & præcipuè regnante eius nepote Balthaſare, ad implendum erat.

3. *Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes*. Sic enim diuina prouidentia ſupplicia diſponit, vt eadem impietate qua delinquitur, puniantur impij, & idcircò prænuntiat Deus, tam inexorabiles, immanes, & crudeles futuras eſſe gentes, quæ Chaldęos opprimerent, & quibus vindictam de eorum inſolentia ſumet, quam ipſi ſe alijs exhibuerunt. Cum res ipſis accidebant proſperè, duros, & inhumanos ſe populis, quibus dominabantur, oſtenderunt, ipſos deprimendo ſpoliando, & inhumaniter tractando. Qua propter ſicut alios omnibus bonis ſpoliarunt, & nullum ſubſidium præbuerunt; ſic (inquam) ipſi omnibus ornamentis, & ſubſidijs, & ſolatio deſtituti, imò & ipſa vita, ſuæ inhumanitatis, & Diuinę vindictę documentum illuſtre prębebunt. Ad idque *omnes, qui reliqui fuerint de populis* fœdus, & amicitias cum Perſis, & Medis facient, aut mercede eos conducent, vt viribus iunctis, fortius contra inimicum communem inſurgant. Licèt (vt credo) Perſę, & Medi nunquam á Chaldęorum Rege fuiſſent ſubacti, quamuis ipſe ſuperbiſſimus Chaldæus Princeps multoties illos ſubiugare tentauerit, cuius opinionis fuere Xenophon. lib. 1. Cyropædiæ, & Herodot. in Clio.

4. *Propter ſanguinem hominis, & iniquitatem Terræ Ciuitatis*. Redditur autem cauſa, cur tam dira ſupplicia infligenda ſint Nabuchodonoſori: videlicet, quia inextinguibili ſiti ſanguinem humanum effuderat, atque nunquam atrocitatibus ſatiabatur, ſed pluſquam ferali ſęuitia inuehebatur in Iudęos, & pręcipuè inhabitatores Hieroſolymę; quam exprimit illis verbis: *Et iniquitatem Terræ Ciuitatis*. Quia per Antonomaſiam Ciuitas dicebatur; vndè Chaldeus vertit: *Ob ſanguinem hominum, & rapinam Terræ Iſrael vrbis Hieruſalem, & omnium habitantium in ea*. Sic fere omnes interpretes; & congruit cauſæ, quæ non ſemel euerſionis Chaldęorum imperij in Sacra Scriptura producitur, pręcipuè Jeremię cap. 51. verſ. 11. *Suſcitauit Dominus ſpiritum Regum Medorum, & contra Babylonem mens eius, vt perdat eam: quoniam vltio Domini eſt vltio templi ſui. Et reddam Babyloni, & cunctis habitatoribus Chaldeæ omne malum ſuum, quod fecerunt in Sion in oculis veſtris, ait Dominus*. Etenim abſque dubio Hieruſalem Ciuitas per Antonomaſiam dicebatur: ſic enim Thren. 2. verſ. 15. *Hæccine eſt vrbs dicentes perfecti decoris*. Et Pſalm. 86. verſ. 3. *Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei*. Sicut enim apud latinos Roma Ciuitas abſque addito dicebatur: ſic apud Hebręos Hieruſalem: de ipſaque potuit dici quod de Roma Virgilius.

Tantum alias inter caput extulit vrbes;
Quantum lenta ſolent inter viburna Cupreſſi.

Niſi fortè pro terra hic accipiatur ille mundi tractus, quem Iſraelitis Deus aſſignauit, cuius caput Hieroſolyma potuit appellari: quia ab Abrahami temporibus magnis fuit illuſtrata prodigijs, & ſemper populoſa extitit.

DIS-

DISCVRSVS I. MORALIS.

Ambitioſus bonorum perditione mulctatur: & dum non poſſeſſa quærit, poſſeſſa amittit.

1. QVòd omnes poteſtates, & dominationes terrenæ inſtabiles ſint, & vicibus humanis obnoxiæ, adeò eſt certum, vt omnem dubitationem excludat: huius autem varietatis, & inconſtantiæ cauſa non adeò certa. Naturalis ea eſt, quam ipſa natura offert, in qua nulla res permanet, quia vltimum punctum incrementi primum declinationis eſt. Id in corporibus humanis obſeruauit Hipocrates: nam illa cum ad integram valetudinem perueniunt, non poſſunt ſubſiſtere, & neceſſe eſt, deteriorentur, quia in quiete permanere non poſſunt. Ipſæ cauſæ vniuerſales cœlorum nunquam quieſcunt, & ipſis attribuit Iſocrates poteſtatum, & dominationum mutationes, quia dignitates non ſunt diſſimiles viuentibus, & vegetabilibus; naſcunt, viuunt, creſcunt, & moriuntur, exindeque illorum annihilatio naturalis videtur, quia dum non creſcunt, decreſcunt; vndè Seneca Controu. lib. 5. eleganter dixit. *Maligna, perpetuaque in omnibus rebus lex eſt, vt ad ſummum perducta rurſus ad infimum, velocius quidem, quam aſcenderant relabantur.* Cœterum licet natura ipſa decreſcant imperia eorum mutationes viciſſitudiueſque à prouidentia diuina pendere, non eſt dubium. Quare qui huiuſmodi mutationes caſui, aſtrorum influentijs, Platonicis numeris, aut annis Climactericis atttribuunt, turpiter errarunt, cum Deo denegent curam, & gubernationem ſuarum creaturarum. Ipſe imperia diſtribuit, mutat, & concludit: ea tamen ſuauitate, vt in eorum ruina, aut conſeruatione relinquat inclinationes naturales tota ſua libertate operari. Nobiſcum diſponit conſeruationem, aut ruinam temporalium poteſtatum; nullaque fuit lapſa, in qua non interuenerit humana imprudentia, & paſſiones depranatæ naturę non ad ruinam impulerint; vndè dixit Saluſtius perpetuas futuras huiuſmodi dominationes, ſi nunquam ipſas moderantes à ratione deuiarent. Cum autem in declinatione regnorum, & dignitatum humana interueniat imprudentia, cauſas illius aſſignare non erit difficilè, etſi longum ſit, & materia nimis lata, nimiſque verſata apud omnes. Inter multas autem cauſas, quę poſſunt concurrere ad huiuſmodi deiectionem, ea mihi videtur efficacior, quæ ab appetitu naturali ampliandi dominium, & iuriſdictionem oritur: nemo enim ſua ſorte contentus eſt, nullaque inter humanas poſſeſſiones eſt ita cæca, & effrænis, ſicut ambitio, periclitatur enim in ſe ipſa, & cum terminos ſuæ poteſtatis gliſcat ampliare, perdit poſſeſſa, & ſe ſua manu interimit, non aliter, ac teſtudo, quæ, vt dixit Libius, dum caput intra tegumen recondit, tuta eſt: at ſi illud extrahat, euidenti exponitur periculo. *Teſtudinem vbi collecta in ſuum tegmen eſt, tutam ad omnes ictus eſſe: vbi exerit partes aliquas, quodcumque nudabit, obnoxium, atque infirmum habere.* Inconſiderata nimis, & fallax ambitio eſt: non enim pericula cogitat, quę ſibi imminent dum artem machinatur, qua aliena ſubripiat. Exindeque conſulebat Curtius. *Suam quiſque fortunam in conſilio habeat, cum de aliena deliberat.* ſæpiſſimè enim in pœnam inordinatæ cupidinis ambitioſus non modo non conſequitur, quod anhelat, ſed acquiſitum cum ignominia perdit.

2. Supremus ille Angelus tot excellentijs naturæ, fortunæ, & gratiæ cumulatus Diuinitatem, quę illi tantum deficiebat, temerè, & audacter appetiuit. *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero altiſſimo.* Iſaiæ 14. verſ. 14. Inuſitatum delirium, & cæca ambientis ſtultitia, id ipſum appetere, quod poſſidebat. Superbus ille ſpiritus non fuit in cœlo creatus? Non fuit primogenitus gratię inter illas ſpirituales ſubſtantias? Non habuit primum locum in illa patria beata? Cur ergò ſic cœcutit, & inſanit, vt locum ſuſpiret iam poſſeſſum, & cœlum, vbi erat, aſcendere? Quis niſi demens anhelat, id quod poſſidet, & tam impiè gliſcit obtinere, quòd habet? Deſiderium non verſatur circa rem poſſeſſam, ſed de bono abſenti, & nondum acquiſito negotioſum eſt. Si Angelus eſſet creatus in terra, & in ea permaneret, non mirum, quod cœlum nondum poſſeſſum appeteret: at id ipſum cupere, quod poſſidetur, nugax deſiderium eſt. Tamen Theodoreti ſubtilitas in huiuſmodi appetentia non inconſequentiam reprehendit. ſed ambitionem: appetiuit enim Lucifer cœlum aſcendere, quod illi deficiebat. Quomodo cœlum dum in ipſo erat? Non erat equidem, ambiuit ſolium excelſum, & eleuatum Diuinitatis: & ità eſt certum, ambitioſum perdere acquiſitum dum quærit non poſſeſſum, quòd quamuis Lucifer in cœlo eſſet tanquam in proprio domicilio, vix primum appetiuit locum, cum proprium amiſit vix ad thronum pergit diuinitatis, cum ad profundum demergitur: appetere enim, & cadere non res fuerunt diuerſæ, illa verba *in cælum conſcedam*, in cœlo cœpit pronuntiare, & in abyſſo concluſit: proindeque cum cœlum aſcendere ſatagit, quòd ſibi deeſt, deſiderat, quia iam perdidit, quòd habebat. *Quid tandem eſt* (ait Theodoretus lib. 1. de Victoria Verbi Dei cap. 10.) *quod ait: aſcendam in cælum? Nonne in cælo erat? Sed propter ſuperbiam de cælo cecidit.* Pœna mulctatur ambitioſis taxata, nempè bonorum perditione:

&

Digitized by Google

& dum diuinitatem ipſi indebitam, & impoſſibilem anhelabat, cœlo priuatur, quod poſſidebat, & aliena ambiens propria amiſit.

3. Poſtquam Amaſias Rex Iuda felices victorias acquiſiuit. & ex belli exuuijs locupletatus fuit, ad bellum laceſſiuit Ioas Regem Iſrael ſpiritu ſuperbiæ, & elationis inflatus, & vt illius regnum occuparet, arma & inſidias parabat; cui Ioas vt à probo ampliandi dominium Deſiderio inimicum Regem reuocaret, aiebat: *Contentus eſto gloria tua, Quare prouocas malum, vt cadas tu, & Iudas tecum?* 4. Reg. 14. Stulta perſuaſio, nullaque energia roborata, nam ſi animus erat Ioas ab intento bello diuertere Amaſiam, præſtaret formidabilem ſe exhibere ingentes militum ſuorum copias, & validiſſimos exercitus exaggerans; vndè certo ſciebat Amaſiam caſurum in certamine, quòd ſine hæſitatione ipſius ruinam denuntiat, vndè auguratur regnum penitùs amitteodum? Nam licèt in bello, quòd Amaſias contra Iſrael parabat, eſſet profligatus, adhuc poterat ad ſuum regnum confugere, ibique ſecurus conſiſtere: eſto in bello, quo regnum ambiebat alienum, eſſet deuictus, cur proprium cadet, *vt cadas tu, & Iudas tecum?* Verum Ioas ambitionis finis, & deceptionis ſatis conſcius, ſolerter, & efficaciter dehortatur bellum, id inimico Regi prædicens, quod ſemper accidit, nempè regni, quod poſſidebat, amiſſionem, ſi alterius ambiret dominium: non hoſtis, ſed amici munus exercuit, prænuntians, quòd certò erat euenturum. Licèt vſque tunc Amaſias illuſtres habuiſſet victorias, quibus ampliauit imperium, Dei auxiliante manu, ex quo in ſuperbiam incidit, & turgente ſpiritu regnum non ſuum ſibi arrogare præſumpſit proprij ruinam, & deiectionem fuir molitus; alterius dominationis cupiditas annihilationis eius, quam poſſidebat, indubia erat prophetia: non tam hoſti, quàm ſibi parat præcipitium, qui aliena tentat rapina, & vi comparare. Ergò ſatis congruè, & nimis verè conſulebat Ioas Amaſiæ. *Contentus eſto gloria tua. Quare prouocas malum, vt cadas tu, & Iudas tecum?* Etenim ambitioſus non ſolum optata non aſſequitur, ſed aſſecuta deperdit. Inter alia, quæ Ioanni in ſua Apocal. 3. v. 11. Epiſc. Philadelphiæ conſulere præcipitur, valdè illud monitum obſeruandum eſt. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Quaſi diceret: Conſerua acquiſitum, nedum es ſolicitus noui incrementi, alius ſubripiat coronam certamine obtentam. Putabam ego, vt illi conſuleret, animum erigeret ad maiora adipiſcenda, & prouocaret ad pugnam ſpe vlterioris brauij. Cur ipſum admonet, vigilanter conſeruare poſſeſſum, & non acquiſitum ambire? Hoc (inquam) magis congruum videbatur. Non ita (inquit Leo Papa Epiſt. 59. Decret.) cautè procede, eſto propria ſorte contentus, ne aliena ambiens, propria deperdas, & dum nouæ ſortis es anxius, alius tuam ingrediatur. Ingens periculum ambitionis non in denegatione concupiti, ſed in amiſſione poſſeſſi conſiſtit, quia dum quod deeſt, tentat acquirere, perdit quod adeſt. *Tene quod habes* (ait Leo) *ne alius accipiat coronam tuam: nam ſi inconceſſa quæſieris, ipſe te tuo munere priuabis.* Sumptu enim ſuorum viſcerum, ſicut aranea, ordiuntur ambitioſi immortalibus curis ſuam fortunam, & tandem retia texunt, vbi non ſolum confidentiam illuſam inueniunt, ſed laqueum armant, quo illaqueantur, & vana ſpe decepti noua ambiendo, ſtatum, & vitam perdunt. Ex capite cuiuſdam Meſcouiæ Principis, Tartariæ alius vas fabricauit, in quo hanc inſcriptionem ſculpſit: *Hic aliena appetendo propria amiſit.* Quia cum illum eſſet adortus, vt regno ſpoliaret, proprium amiſit. Aſcendit enim (vt dixit S. Nilus orat. de Superbia) ambitioſus per ſcalam carie corroſam, & putridam, quæ cum in ſuperiori parte pondere opprimatur, perſtrepit, & frangitur, atque aſcenſorem in profundum demittit. *Vt imbecillis ſcala eum, qui aſcendit, deijcit: ſic ſuperbia eum, qui eam aſcendit.* Vel (vt idem S. Doctor) ambitio eſt arbor à vermiculo corroſa, quæ in ſuis ramis confidentem præcipitat, & eum, qui ad ſuprema aſcendere conabatur, in profundum demergit; vndè conſulebat Curtius: *Impone felicitati tuæ fræna, facilius reges.* Niſi enim fortuna comprimatur, à ſe ipſa ægrotat, & per lubricam viam graditur, qua præceps fertur ad ruinam, & ex inopinato euaneſcit: ſic contigit Nabuchodonoſori, quia cum nullis terminis coerceret imperium, & omnis terræ ambiret dominium, miſerè ruit, & veluti ephimera regnum eius diſparuit. *Num quid non repente conſurgent qui mordeant te, & ſuſcitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?* Hic verſ. 7.

DISCURSUS II. MORALIS.

Non deſunt raptoribus, & inhumanis, qui eos mordeant, & ſpolient.

1. EAdem atrocitate, qua Nabuchodonoſor inſurrexerat in Iudæos, in ipſum inſurrecturos Perſas, & Medos Dominus pollicetur: quia eadem menſura, qua alijs ſupplicia intulerunt impij, ipſis rependitur. Mordent enim iniuſtos, auaros, & raptores prolixi morbi, lites perpetuæ, luxurioſi, & prodigi filij, infidi famuli, aduerſi caſus, imò & alij tyranni raptores, & auari, qui ipſis eadem

Digitized by Google

dem mala inferunt, quæ illi alijs intulerunt, & primo ignominia, & dedecore regno priuantur iniuſtitia, & rapinis acquiſito. Quia (vt dixit Eccleſiaſt. cap. 10. verſ. 8.) *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.* Hinc loquens Iſaias cap. 21. verſ. 1. de ſupplicio, quòd Deus inflixit inſolenti, ac tyranno Nabuchodonoſori, eo quod velut mare cœteras vrbes, & loca abſorbuerit, vt vnam ditaret Ciuitatem, Babyloniam nempè, ad quam ſecum aduexerat diuitias, quibus ſpoliauerat Hebræos, ait: *Onus deſerti maris: ſicut turbines ab Africo veniunt, de deſerto venit, de terra horribili:* At quorſum Propheta deſertum vocat Ciuitatem nobilem, & opulentam, quæ velut mare erat? Quæ ſuperba murorum ſtructura, & populo erat plena, quo pacto deſerti ſolitudinem imitatur? Audi Oleaſt. in comment. hui. loc. *Sunt multi Reges, & potentes, qui aliorum bona velut mare rapiunt, & abſorbent, nihil timentes, nihil curantes, ſed putantes licere, quodlibet: quos vindicta in Babylone facta admonet, & hortatur reſtituere, ne diuitias quas comedunt, cum maximo dolore euomere cogantur: quemadmodum Babylonij. Et expende vindictam; nam quæ antea mare erat cuncta abſorbens, nunc omnibus vacua fit deſertum.* Eadem enim fortuna, quæ reliquis Ciuitatibus contigit Nabuchodonoſoris tyrannide, & Babyloni accidit: nam illa, quæ inexplebili auaritia, & immaniſſima rapina reliquas ſpoliauerat, & vſque reculas pauperum ſudore partas abſtulerat, vt ſe decoraret luxurianti ornatu, hæc inquam: quæ numeroſo populo replebatur, & velut mare omnia abſorbebat, deſertum apparet, & ſolitudo vacua diuitijs, & ornamento depoſito fortunam commutauit, propter tyrannidem, & iniuſtitias, quæ non ſinunt diu permanere imperium. Nam illud æquitate fulcitur, & iniuſtitia ruit, vt dicebat Poliuius. *Illud clarum teſtatumque exemplis eſt, quod homines felicitatem aſſequantur, benignitate in alios, & bona de ſe opinione: ijdem cum adepti, quæ voluerant, ad iniurias, & impotentiam imperijs dilabuntur, fit meritiſſimo, vt vnà cum imperantium mutatione ipſi ſubditi ſe, & affectus mutent.* Sic enim propter tyrannicam dominationem mutantur imperia: ſic Babylon Ciuitas magna, vbi Nabuchodonoſor plurima magnifica opera, & hortos penſiles extruxit, in deſertum commutatur, & excidium, quód alijs Ciuitatibus intulerat, in propria experitur, fitque præda alijs, qui alios deprædatus fuit.

2. Plurima monſtrorum, & ferarum genera Danieli apparuerunt, quę varia eſſe regna, & imperia Angelus indicauit: imperium autem Perſarum in truculento vrſo adumbratum vidit: *Et ecce beſtia alia ſimilis vrſo in parte ſtetit.* Daniel.7. ver. 5. Hoc autem monſtrum, quod vrſus primo apparuit, poſtea Ibid. cap.8.v.3. in ariete fuit expreſſum. *Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce aries vnus ſtabat ante paludem habens cornua excelſa, & vnum excelſius altero, atque ſuccreſcens.* Huius tranſmutationis cauſam non facilè interpretes auſpicantur, cum nulla inter vrſum, & arietem intercedat ſimilitudo, neque in figura, neque in inſtinctu. Crediderim tamen hic vtramque fortunam, & proſperam, & aduerſam Perſarum deſcribi: primò enim, Perſarum furor Babylonium Regem inuadentium in vrſo repreſentatur, qui immanis beſtia truculenta, & carniuora eſt, ſicut ipſe Perſa in populis ſubiugandis ſe geſſerat: at hic idem, qui tanquam vrſus lacerabat Prouincias, & diripiebat populos, poſtquam à Græcis fuit ſubactus, & ipſorum dominio ſubiectus, imperantibus ipſi victoribus, non iam vrſus, ſed aries apparebat. Quia (vt inquit Theodoret.) *Propheta Perſicum regnum arieti ſimile intuetur tanquam diuitijs ſuis laborans, multarumque facultatum obtinens abundantiam.* Quaſi dicat: Idcircò Perſarum imperium de vrſo mutatur in arietem, quoniam omnes diuitias, quas Perſa rapinis obtinuerat, in ſe poſuit, & dilatauit, & poſtea Græcis, qui ipſi dominati ſunt, eas exhibuit, quemadmodum aries vellus, & carnem nutrit, vt alijs proficiat. Sic plerique vrſi opes, & facultates pauperum diripiunt, qui poſtea ab alijs veluti arietes ignominosè tondentur. Tyranni enim eorum, quæ furantur, non proprietarij, ſed depoſitarij ſunt, à quibus alij eadem immanitate diuitias repetent rapina acquiſitas, & ea reſtituent, quæ mala arte compararunt.

3. Sic Job de diuite tyranno, qui inſatiabili ſiti depauperauit populos, loquebatur: *Diuitias quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet illas Deus.* 20. verſ. 15. Verbum *deuorare* inexplebilem ingluuiem, & auaritiam, qua diuites bona pauperum ſubripere anhelant, & auiditatem, qua ea in ventrem mittunt, & ad inſtar cibi in propriam carnem, & ſanguinem conuertunt, denotat. Sed quo pacto Deus dicitur huiuſmodi bona de potentum ventre extrahere? Rectè Chriſoſt. *Quamuis enim poſſeſſionem tantam diuitiarum adeptus ſit, vt eas in ventrem fermè addidiſſe videatur: breui tamen illas ipſas dolens amittet.* Sic enim Deus extrahet ſubſtantiam pauperum, quam deuorauit impius, vt neque reliquię aliquę remaneant, neque veſtigium relinquat. Etſi vomitu vehementer crucietur, cum dolore intenſo illas effundet: atque (vt eleganter dixit. Olimpiodorus) *Quemadmodum, qui venenum hauſerunt, incitantur ad vomitum: ſic cum quis diuitias comparauit iniuſtè, cruciatur diuulſis viſceribus illas ipſas effundere.* Opes iniuſtè partas non patitur iuſtitia diu permanere, furtinè dilabuntur, quę furto poſſidentur, & tyrannus eas diripiens non tam ſibi, quàm alijs congregat. Hinc enim dicebat Ieremi-

Digitized by Google

remias cap. 17. verſ. 11. *Perdix fouet, quæ non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio: in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, & in nouiſſimo ſuo erit inſipiens.* Loquitur Propheta de populo Iudę, qui bona aliena furtiuè aggregauerat, & rapina poſſidebat: quapropter ea Chaldęus diripuit, vt inſipientiam ſuam agnoſceret, dum aliena bona non ſibi, ſed tyranno raptori aggregauit. At cur perdici auarus, & iniuſtus poſſeſſor comparatur? Congruenter Lyra ad noſtram Theſim. *Perdix fouet oua aliena, quæ furatur, & quandò pulli ſunt nati fugiunt ab ea; ſic diuitiæ malè acquiſitæ frequenter ab alijs rapiuntur, & laborantes ad earum acquiſitionem defraudantur.* Furtiuè fugiunt, quę auara rapacitate tenentur: quia ipſa bona iniquè poſſeſſa iniuſtum dominium detrectant. Se defraudat auarus, dum aliena rapit: quia ſtatim amittit, quę non bona arte acquiruntur: nam proprium dominium agnoſcentes, ad ipſum confugiunt; vndè illorum ſtultitiam, qui ex alienis ditantur, pulchrè carpebat Saluian. lib. 1. ad Eccleſ. *Lucro pecuniæ damna ſua ementes, vt acquirant, quæ non ſunt ſua, prodigunt quæ ſunt ſua, mandantes terræ Theſauros luctuoſos, hæredibus breue gaudium, authoribus longum mœrorem alaturos: condentes profundis ſpecubus infernas opes, fraudantes vſu rerum præſentium tam alios, quam ſe ipſos.* Quòd omne Nabuchodonoſor fuit expertus: nam non potius diuitijs, quas congreſſerat furto, eas ſucceſſori Balthaſari reliquit, qui eas diſſipatas vidit, & ad alium raptorem traductas.

DISCURSUS III. MORALIS.

Homines non videntur habere, niſi quod ab alijs aufertur.

1. ALienum eſt à generoſa indole ex alienis defectibus propriam laudem fabricare: ſine alterius diminutione lucere nobilem, & proficuum animum arguit. Sic Apis ſedula ſolicitudine flores libat, & ſine fructus damno, dulcia mella refert; plurimum enim ingenij ipſi natura tribuit, vt minimè ſit malefica, & nullius opus vellicans, faciat deterius. Neutiquam floribus inſidendo officit, aut impedit, quominus plenum fructum afferant, docens, ſapientem neminem lędere, ſtultumque arguens, qui non niſi alterius damno, & nocumento viuere ſcit, quas aliena infamia ſua eſſet nobilitas, & ſua virtus alienum vitium. Hoc (inquam) ingratum Deo eſt, & à quocunque viro ingenuo longè debet eſſe. Sic iuſtorum genium exprimebat Dauid Pſalm. 91. verſ. 13. *Iuſtus vt palma florebit ſicut cedrus libani multiplicabitur in domo Domini.* Palma vt creſcat, & floreat, non indiget beneficio, neque vt eius vicinæ plantæ, aut herbæ eradicentur, quin potius ſi fodiatur, ipſo beneficio exareſcit; ſic ſapiens neſcit cum alterius nocumento florere, & creſcere. Exindeque inculto flori, & qui abſque beneficio germinat, ſe comparat ſponſus Cantic. 2. verſ. 1. *Ego ſum flos campi, & lilium conuallium*: non verò floribus, qui in horto naſcuntur, qui vt creſcant, opus eſt, quod vicinæ herbæ eradicentur, atque non niſi aliorum detrimento germinant: flos autem campi abſque vllius damno creſcit, & vernat, quin ad hoc vicinis herbis damnum inferatur, ſiquidem cum ipſo viuunt, & conſeruantur.

2. De anima ſibi grata, & egregia pulchritudine alliciens dicebat Sponſus Cantic. 4. verſ. 1. *Oculi tui columbarum.* Et cur Sponſus dum ſtudet, vt iuſtorum perfectiones exaltet, illarum maximam, quæ in oculis exprimitur propter excellentiam huius ſenſus, cum oculis columbæ confert? Cur ſponſæ oculos ad Aquilam non refert, quæ alituum regina eſt, & immoto obtutu ſolem aſpicit? Licèt enim in ſimplicitate, & puritate columba Aquilam ſuperet, in perſpicacia oculorum, & regia dignitate longe Aquila columbam excedit. Cur igitur non illa, ſed hæc in comparationem adducitur? Pulchrè Auguſt. *Innocens eſt natura columbarum: nam corui de morte paſcuntur, columba non niſi de frugibus terræ viuit.* Vt enim columba nemini vitam aufert, vt ipſa viuat, in quo à cæteris alitibus diſcriminatur; quæ ad imitationem Aquilæ alias enecant, vel formicas, & vermes edunt; ſic iuſtus ita neceſſaria ad commodum, vitam, & honorem quærit, vt abſque vllius damno ea aſſequatur. Non creſcit alterius exiguitate, non aliorum decremento augetur: ſed ſicut Columba ex innoxijs ſuſtentatur. Idcircò illius pennas anhelabat Dauid. *Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ.* Pſalm. 54. verſ. 7. Qui pennas tantummodo exoptat, ad volatum ſe præparat. At cur non alas Aquilæ, Accipitris, vel aliarum alituum, quæ celerius volant, cupit; ſed columbæ. Pulchrè Caſſiodor. *Non dicit Aquilæ, non Accipitris, non Hirundinis quæ celerius volant ſibi dari poſtulat, ſed columbæ: quæ vitam ſine alterius grauamine peragit, auis innocens, manſueta, quæ in nullum animal conſurgit.* Optabat Dauid à manibus eripi Saulis, qui illum impiè vexabat, ſed hoc abſque vllius nocumento: volare cupiebat, ſed non alios repere, & docebat illos qui volare ambiunt in dignitatibus, volare quidem, ſed ſicut columba, abſqne grauamine ſcilicet, & detrimento aliorum, lucere, ſed ſine alterius obſcuritate. Hoc (inquam) ſic ratio expoſcit, ſic æquum eſt, vt vel virgines illæ fatuæ, quæ inſipientium titulo deuenuſtantur, non alienas extinguere, ſed ſuas lampades illuminare ambierunt.

runt. *Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur.* Matth. 25. verſ. 8. Quod acutè annotauit Euſebius Emiſenſ. hom. 7. ad Monachos. *Et quidem illæ ſtultæ Virgines quamuis ſtultæ eſſent, non tamen alienas extinguere, ſed ſuas lampades illuminare cupiebant.* Excedit enim fatuarum virginum ſtultitiam, quiſquis fulgere ſatagit alium extinguendo, & ex aliorum dedecore decorari prætendit: nam vera laus non ex aliena infamia, ſed ex propria oritur nobilitate: nec iuſti, & veræ laudis amatores, aliter quam ex proprijs lucere ſciunt.

3. Non ſic impij, non ſic nam, vt ſe laudent, alios vituperant, & more ſublunaris lucis, quæ ſplendere neſcit, niſi conſumat ceram, vel quodcunque ſit pabulum: ſic de aliena morte vitam hauriunt, aliorum decremento creſcunt. Quod egregiè dicebat Iſaias cap. 57. verſ. 20. *Impij autem quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundat fluctus eius in conculcationem, & lutum.* Impiorum turbulentum genium apprimè mare demonſtrat: nam nunquam quieſcunt, etſi aliquando apparent pacati, fallax, & doloſa tranquillitas eſt, omnes indifferenter tentant ſubmergere, & neque Principem, neque egregiæ virtutis virum reuerentur. Et vlteriùs ferucnti mari comparatur impius: quia in ipſo propter noxiam naturam pulchrè depingitur, vt dicebat Pintus. *Vt enim mare propellit in litus limum, ſpumas, & alias ſpurcitias, & vt ſe purget, litus coinquinat: ſic impius vt ſe laudet, alios vituperat, vt ſe defendat, alijs vitiorum notam inurit, eorumque ſplendorem maculare contendit.* Hæc (inquam) ſordida natura maris eſt, quæ ſpurcitias, & algas pellit ad litora, & ea commaculat, vt ſe purget: ſic impius neſcit viuere, niſi alieno damno, aliorum extinctione ſplendet, & ſic alienis excellentijs inuidet, vt non reputet poſſidere, niſi quod aufertur ab alio. Homo ille diues peregrè proficiſcens tradidit ſeruis ſuis bona quæ habebat, vt lucrum ex negotiatione reportarent: ex illis autem qui quinque talenta acceperat, alia totidem lucratus fuit: qui duo, duo: qui verò vnum accepit tantum, otioſum illud habuit, & ſine aliquo emolumento Domino reddidit. Qui ob negligentem negotiationem præcepit, vt ab homine nequam, & otioſo ſeruo auferretur talentum, dareturque ei, qui iam habebat decem. *Tollite ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta: omni enim habenti dabitur, & abundabit.* Matth. 25. verſ. 28. Non leuem difficultatem ingerunt poſteriora verba huius ſententię. Etenim ſi Chriſtus Dominus affirmat, omni habenti talentum illud, quod aufertur à negligenti ſeruo, dandum fore, cur illud pręcipit tantum habenti decem dari, cum etiam qui quatuor habebat, duo, aut tria, habens eſſet? Cur non dicitur habere, niſi qui decem habebat talenta, cum & reliqui talenta haberent primo donata, & quę poſtea ſunt lucrati? Crediderim, quoniam huic ſolum, qui decem habebat talenta, talentum illud, quod à pigro, & otioſo ſeruo fuit ablatum, tribuitur, & idcircò ſolus hic talenta habere, niſi quòd ab alio aufertur, vt ipſi tribuatur. Cęteri, qui talenta habebant, non aliorum bonis dictabantur, neque ab alijs aufertur, quòd ipſi habent: proindeque non habentes creduntur, quia ea tantùm reputantur habita, quæ de aliena poſſeſſione veniunt: quòd tam proprium hominum eſt, ſicut Deo alienum.

4. De formatione Euę ſic faſſus eſt hiſtoricus ſacer: *Tulit vnam ex coſtis eius, & repleuit carnem pro ea.* Gen. 2. v. 21. Ad quid Euę conditor pro coſta, quam ab Adamo abſtulit ad formationem mulieris, carnem repleuit, quaſi reſtitutionis adſtringeretur pręcepto? Qui, ſicut figulus luti, Dominus erat vtriuſque carnis, & eam commutare ſine alicuius querela poterat, vt quid tam ſolerti prouidentia eos, quod abſtulerat, commutat in carnem? Feſtiuè Oleaſt. *Clauſit loca illa, à quibus coſtam tulerat, carne, ne truncus remaneret.* Intererat enim Dei prouidentię illa commutatio, ne in hominum ſtylum incideret, qui ſine vnius corruptione neſciunt aliud ędificare. Noluit fabricare Euam deſtruens Adamum, & ideò carnem reſtituit pro coſta, quam abſtulerat: quia ingenuo animo indignum eſt aliorum decremento augeri, & aliena infamia nobilitari. Hinc lucem capit locus ille (Num. 11. verſ. 17.) variè & aliquando violenter ab interpretibus verſatus. Conquerenti enim Moyſi de pertinacia populi, & viros poſtulanti in adiutorium regiminis pręcepit Deus, ſeptuaginta deligere, quibus pollicetur de ſpiritu Moyſis largiturum. *Auferam de ſpiritu tuo tradamque eis.* Valdè ſudant interpretes, vt componant cum liberalitate Dei huiuſmodi ablationem: nam indignum ipſo videtur, quod quę ſemel contulit, vt alijs conferat auferat. Phil. de Gigant. cõciſè, & compẽdioſè difficultatem ſoluit: *Caue* (inquit) *ne putes, hanc oblationem fieri per abſtractionem, diminutionemque: imò potius qualis ab igne fit.* Vt ſenibus pręſtaret ſpiritum, de ſpiritu Moyſis Deus abſtulit, ſed hoc non per ablationem, aut diminutionem ſpiritus, qui erat in Moyſe: ſed qualis ab igne fit, qui abſque vlla diminutione, & decremento manet, tametſi plures faces ab eo incendatur. Non decreſcit Moyſis gratia, eo quod eadem alijs detur: quia Deus vnius detrimento alium non auget. Huc reſpicit forma, quam obſeruauit Iſaac filijs Iacob, & Eſau benedictionem impertiens: etenim Iacob ſic benedixit. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam.* Gen. 27. verſ. 28. Eſau autem, Dei inuocationem prętcriens, dixit: *De pinguedine terræ: & de rore cœli erit benedictio tua.* Ibid. verſ. 20. At

cur

cur non vtrique optar, vt Deus ipſis conferat; quòd ille preſagiebat? Forte iam exoſum ha-bebat Eſau, quòd Dei inuocationem, quam ad benedictionem Iacob prę miſerat, in Eſau benedictione pręterijt? Quem ad primogenita vocabat, à Dei beneuolentia excludebat? Cur fauſtam Dei largitionem Iacob exorat, & Dei non meminit, cum Eſau benedixit? Pulchrè Author Catenę grecę. *Ille fructibus vberibus, tritico, vinoque fruetur: hic in vbere quidem ſolo habitabit; ſed ad victum comparandum gladio vtetur in prædis, quo circa noluit adijcere: det tibi Deus.* Vtrique filio prędixit Iſaac ad degendum bonis terrę fruituros eſſe: ſed quia Eſau venationi erat vacaturus, & comeſturus de prędis, idcircò non adiecit; *Det tibi Deus.* Deus enim adeò odio habet eos, qui vt viuant, aliis noceat, & aliorum detrimento fortunam ſuam faciunt, vt Eſau, qui ex horum numero erat prę iam occiſurus, vt ſe aleret, non auſus eſt Iſaac illius benedictionis Deum Authorem conſtituere. *Ad victum comparandum gladio vtetur in prædis: quo circa adijcere noluit: det tibi Deus.* Abhorret enim Deus illios, qui aliorum extinctione fulgere cupiunt: nam Diuinus ſplendor ſine aliorum obſcuritate nitet, hominumque aduerſatur naturę, quę neſcit creſcere, niſi alios diminuat. Huiuſmodi autem indecora hominum ambitione puniendum eſſe. Nabuchodonoſorem, pręſagiebar Vates noſter, dum ipſum direptioni Perſarum, qui ipſum ſpoliarunt, vt illius diminutione ſua acreſceret potentia, illius vituperio ſua gloria, exponit. *Nunquid non repente conſurgent, qui mordeant te, & ſuſcitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?* Hic verſ. 7.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Quæ ſubditus pro ſubueniendo Principe offert, non ſunt violenter extorquenda.

1. IN ſubditis naturale debitum eſt, tribura Principi impendere, & rebellionis ſpecies illa denegare: nam hæc regalis dignitatis eſt poteſtas, & neceſſitas publica hoc expoſcit: quia ſine tributis neque bellis ſubſidia neceſſaria poſſunt adminiſtrari, neque pax ſine armis firmari. *Neque quies gentium ſine armis* (dicebat Tacitus lib.4.hiſt.) *neque arma ſine ſtipendijs, neque ſtipendia ſine tributa haberi queunt.* Tributa, quæ populi debent ſoluere, non exactorum auara, & moleſta rapacitate ſunt extrahenda, ſed vltro ea populi debent pendere: ſuauiras enim, & vrbana petitio non modo deuincit populos ad tributa oblata ſoluenda, ſed ad alia de nouo offerenda, vexationes autem, quas plerumque miniſtri tributarijs populis inferunt, intolerabiles prorſus ſunt. Quia (vt dicebat S. Maximus.) *Quod Cæſar præcipit ferendum eſt, quod Imperator dicit, tolerandum eſt: ſed fit intolerabile, dum illud præda exactionis accumulat.* Vectigalia enim, quæ per exactionem extrahuntur, libertatem minuunt, & animos ſubditorum exacerbant. Optimam quidem formam exigendi tributa Deus Moyſi tradidit Exod.15. *Loquere filijs Iſrael, vt tollant mihi primitias: ab omni homine, qui offert vltraneus, accipietis eas: hæc ſunt autem, quæ accipere debetis aurum, & argentum &c.* Attentè obſeruandum eſt, non ſegetem, aut frugem, quod proprietas vocabuli exegerat, ſed partem quandam ſeparatam deſtinatæ pecuniæ cuiuſquam in opus diuinum ad inſtituendum tabernaculum Deum poſtulare. Vt quid igitur primitias expetit, & non fructuum determinatam portionem? Præclarè Hugo Victor. adductus a Gloſ. *Sicut pecuniæ ſolent ſeparatim Deo dari, quantum quiſque vult, non pars determinata, ſicut decima: & hoc denotat littera, quæ ſequitur: qui offert vltraneus.* Quaſi dicat: Idcirco Deus primitias, & non aliam determinatam fructuum partem vult offerri, quia primitiæ vltraneè offeruntur, & non coactè. Sic ergo Deus non mittit Miniſtros, qui domos ſubditorum ingrediantur, ipſaſque diripiant, & tollant quod ipſis placuerit: ſed vult, vnumquemque apud ſe deligere, & pro nutu ſuo deſtinare, quod Domino ſit oblaturus: vt Principes inſtruat, ne Miniſtros mittant, qui pauperes violenter excorient, & quæ ſponte promiſerunt, coactione extorqueant.

2. Miriſſimum planè eſt, quam acerbè tulerit Deus, quod Moyſes porrecturus aquam de petra, ipſam virga percuſſerit: tale enim ipſi propter huiuſmodi percuſſionem minatur ſupplicium. *Non introducetis hos populos in terram, quam ego dabo eis.* Num 20. verſ.12. Varias huius comminationis cauſas authores cogitauere. Et quidem humanorum Principum beneuolentiam ſapit, quod leui tranſgreſſione, ſeruitia, & gratiam deperdat Moyſes tot præclaris virtutibus, & obſequijs parta. Cur tàm ſeuerè Deus punit, quem tam gratum, & benemeritum habebat, & leuis noxæ indignatione, eum relegat à promiſſa, & tot delitijs referta terra. Lyra ex Hebræo non incongruam rationem huius acerbitatis rimatur. *Hebræi autem dicunt: quod Moyſes, & Aaron peccauerunt, eo quod non fecerunt, ſicut præceperat Deus; quia dixerat: loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas, vt patet in textu; ita quod ex ſolo verbo abſque percuſſione dediſſet aquas, quod fuiſſet nouum ſignum diuinæ potentiæ,* Ad petram tantum loqui Deus præceperat, ipſamque libenter aquam affluenti vena ſcatutire pollicebatur: Moyſes autem ver-

verberibus more exactoris rigidi aquam repetijt, *Dabit*. Deus dixerat: non ſoluet, & quod ſolum debetur, quia promittitur, non eſt flagellis, pignoribus, carceribus, & mille alijs exactionum generibus extrahendum. Inhumanum namque eſt, ſic populi donationes repetere, vt mutuum exigitur. Quod ſpontè promittitur, extorſionibus non exigatur. Sic enim Deus abhorret huiuſmodi ſeruituti res, quas ipſe ingenuas condidit, ſubijcere, vt ſæuiret contra Moyſem propter violentiam, quam intulit petræ, quia ipſam non coactam, ſed libenter aquam porrecturam promiſerat: quia, quæ vltroneè à ſubditis offeruntur, non debent violenter ab exactoribus extrahi. Huc reſpicit, quod cum ipſe Moyſes ad Deum in Rubo accedere tentauit, calceamenta prius deponere præceperit. *Ne appropies huc, ſolue calceamenta de pedibus tuis*. Exod. 3. verſ. 5. Cur (obſecro) Deus à ſuo Principe calceorum ſolutionem exigit, non autem vt nudo capite appropinquet, ſiquidem nunquam antea fuerat auditum, in ſignum reuerentiæ calceamenta ſoluere: quin potius frequens ad vrbanitatem, & ſolemnis apud Nationes capitis eſſet diſcoopertio? Cur igitur Deus in pedibus nuditatem expoſcit, quæ capiti congruebat? Niſi quia caput laneis tegebatur operimentis, quæ de pecudum tonſione ſumuntur: calceamenta autem ex pellibus animalium fiunt, quæ vt huiuſmodi muneri inſeruiant, prius ſunt iugulanda, & excorianda. Principem igitur inſtruere voluit, quod non de pellibus occiſorum, quæ violenter extrahuntur, ſed detonſione vellerum, quæ ſponte fit, abſque eo quod oues liguriat, vitam debet agere, non violenta exactione pauperculos excoriare, ſed liberos relinquere, vt libenter præſtent, quod libenter obtulerunt.

3. Præcepit Deus filijs Iſrael, vt lampadibus quæ in templo aderant, oleum offerrent, vnde earum lumen perpetuo aleretur. Sed expenſione dignum eſt, quale oleum pro lucernis ſuſtentandis offerri voluerit, *Præcipe filiis Iſrael, vt afferant mihi oleum de arboribus oliuarum puriſſimum, piloque contuſum, vt ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij*. Exod. 27. verſ. 20. Caietanus conſultiſſimus Hebræorum obſeruator ex eis tenet non oleum, quod mola extrahitur contritis oliuarum oſſibus, ſed quod eis innocuis à carne extrahitur, offerendum fuiſſe: quia in Hebræo de pilo non fit mentio. Conſulta eius verba, quæ noſtro inſtituto congruunt. *Iuxta Hebræum nihil habetur de pilo; ſed oliua non molita, ſed tuſa deſcribitur, vt oleum ex carne oliuæ, ſeu pulpa oliuæ, & non ex oſſe eiuſdem fieret: molendo enim etiam oſſa franguntur, tundendo autem, ſeu premendo ſola caro frangitur*. Non ſuccum ab oſſibus artificiosè, & violenter extractum Deus ſibi offerri præcipit, quia ipſum ingratum habebat, ſed quod ex carne oliuæ vltro diſtillatur, aut facillima, & ſuaui tunſione extrahitur; vt doceat Principes à ſubditis tributa vltroneè poſtulare, non verò violenter extorquere, quæ ſuaiter poſſunt dare, non eorum oſſa conterendo, neque oſſa tantum relinquendo ſed leuiter, & ſuauiter ipſos tractando. Huc enim reſpicit, quòd Reges Deus præceperit vngi oleo ſacro, cum ad regnum deſtinabantur, vt conſtat (ex 1. Reg. 9. verſ. 16.) Vbi dicitur de Saule: *Vnges eum ducem ſuper populum meum Iſrael*: non autem iudices, qui populo moderabantur. Multas huius diſcriminis cauſas Interpretes excogitarunt. Illa, quam Abulenſis quæſt. 10. in 9 cap. 1. Reg. reddit nunc plurimum arridet. *Inter Principes* (ait) *ſolus Rex vngendus erat, iudices autem nunquam vncti ſunt, qui licet dominarentur ſuper totum Iſrael, tamen poteſtas eorum parua erat, quia tributa nulla exigebant, nec poterant imponere aliqua ſeruitia*. Excellentia, qua Iudicibus Reges præſtabant, erat poteſtas imponendi, & exigendi tributa: & idcirco nunquam Iudices vngebantur: Reges tamen oleo deſignabantur peruncti, vt exinde Reges docerentur, quod ſicut ipſi oleo ſacro illiniebantur, ſic in exercendis vectigalibus ſe debeant gerere, vt bona ſubditorum non diripiant, ſed leniter, & ſuauiter ex illis extrahant, quæ libenter offerunt, ipſos mulcendo, & perungendo, vt oleum ſapiat tributorum impoſitio, quod leniter ſonet, non pharmacum, quod non ſolum tumorem reſoluit, ſed radices extrahit, atque acerbitate doloris inaudiſſimos clamores prorumpere cogit. Soluturus Chriſtus Dominus tributum, quod miniſtri Cæſaris expetebant, præcepit Petro. *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui prius aſcenderit, tolle; & aperto ore eius inuenies ſtaterem: illud ſumens da eis pro me, & te*. Matth. 17. v. 26. Non caret myſterio, quod vt Chriſtus tributum ſoluat, ad quod non tenebatur, præcipiat Petro, illud educere ex piſce, & non ex alio animali terræ, aut æris; cauſam fuiſſe ſuſpicor: quia piſcis (vt author eſt Plinius, & omnes qui de natura animalium ſcribunt) caret voce, & gemitu: cætera animalia dolent, queruntur, & ingemiſcunt, dum acerbè tractantur, & ab ipſis aliquid auferatur: vult ergo Deus vt tributa, dum vrget neceſſitas, cum ſuauitate auferantur, non verò ita violenter, vt ſubditi vociferentur, & inclamantes cœlum gemitibus tundant: hoc enim & Principis intereſt, & ſubditorum: nam ex violenta exactione, in vectigalibus exigendis, non raro imperium euertitur, & regnum amittitur.

4. Cum magna ſolertia, & attentione Romana Reſpublica tributa imponebat (vt dixit Tacitus lib. 4. Annal.) timens: *Ne prouinciæ nouis oneribus turbarentur, atque vetera ſine auaritia, aut crudelitate Magiſtratuum tolerarent*.

rent. Et ne ſuis ſubditis accideret, quod quibuſdam à naufragio maris ereptis, & in portu propter exactorum tyrannidem periclitantibus: de quibus dicebat Caſſiodorus lib. 4. epiſt. 19. *Portus noſtros nauis veniens non paueſcat, vt certum nautis poſſit eſſe naufragium, ſi manus non incurrerit exigentium: quos frequenter plus aſſignut damna, quam ſolent nudare naufragia*. Tributum, quod longo tempore obtinuerant Philiſthim ſuper Iſrael cum magno populi opprobrio, abſtulit Dauid cum magno decore: idque ita refert text. ſacer. *Factum eſt autem poſt hæc, percuſſit Dauid Philiſthiim, & humiliauit eos, & tulit Dauid frænum tributi de manu Philiſthiim*. 2.Reg.8. v.1. Vectigalia, quibus populus præmebatur, frænum vocantur pulchra metaphora, quia frænum firmamentum eſt (vt ait Lyra) quo tenetur equus ſubſeſſore, & pari modo tributum eſt id; *quo tenetur populus ſubiectus ſub dominatore*. Congruè etenim tributum fræno comparatur: quia quod frænum equis, id tributum præſtat ſubditis: ſicut enim equus fræno ſuaui actus rectè ambulat, currit, & curſum finit: ſi verò fræno duro, & aſpero adſtringatur, erigitur, & ſæpè equitem præcipitat: ſic ſubditi ſub ſuaui tributo benè ſe habent, & obedientes fræno curſum peragunt ſine turbatione: ſi verò violenter adſtringantur, & acerbè tractentur, ſæpiùs irreguntur, & Principum dominium excutere conantur. Sicut Babylonio Principi accidit, cuius tyrannicas contributiones ægrè ferentes populi ipſi ſubiecti, & intolerabile iugum ferre neſcientes, illud excuſſerunt contra ipſum. *Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis*. Hic verſ. 8. Vide quale nocumentum ipſi attulit auara diuitiarum congeſſio; nam erecta ex illis ſtatua, fabricato ventoſiſſimo ſimulachro miniſtros congregari iubet, vt aurum, quod rapuerant immani rapacitate, adorarent. Sic habes Daniel 3. *Itaque Nabuchodonoſor Rex miſit ad congregandos Satrapas, Magiſtratus, & Iudices Duces, Tyrannos, & Præfectos, omneſque Principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem ſtatuæ*. Satrapas vocat, quia commentatore Lyra: *Satrapa dicitur, quod ſat rapiat*: Et Tyrannos, quia Tyranni vocabantur, vt aduertit Cornelius, *ærarij Præfecti*. Hos & huius farinæ alios, qui opes per violentiam, & exactionem comparatas adminiſtrauerant, vocauit ſtatuæ feſto dedicando, vt quos ſuæ auaritiæ nutritores habebat adorationis auri, quod rapuerant, efficeret. Sed vide emolumentum, & magnitudinem, quæ ipſi vſurpatæ attulerunt diuitiæ: lapis ſine manibus vix pedes attingit ſtatuæ, cum illa euanuit, in ſignum annihilationis regni: hic fuit, & ſemper erit ſpoliationis pauperculorum exitus.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Cauſidici, velut ſentes iuſtitiam ſepiunt: ſi lanam non deponas, ad illam non accedes.

1. PVlchrè Innocentius lib. de Vilitate conditionis humanę Cauſidicorum auaram rapacitatem carpit, qui diuitias toto animo anhelant, & dum litigantibus hæredibus patrocinantur, maiorem ipſi hæreditatis partem ſibi vendicant. *Sæpè cauſas tantum differunt, quod litigantibus plus quam totum auferunt: quia maior eſt expenſarum ſumptus, quam ſententiarum fructus*, Ex litibus maiora emolumenta percipere intendunt, & niſi ea percipiant, indefenſa litigantium iura relinquunt. Vnde ex ſimilitudine rotæ, quam, ne ſtrideat, & perſtrepat, vngere neceſsè eſt, vellicandi deſumpſit anſam neſcio quis.

Ne ſiccus, voluente rota, crepet vngitur axis:
Cauſidicum mos eſt vngere, ne taceat:

2. Non ſat eſt ipſis lites ſerere, & protrahere, vt magis quæſtuoſæ ſiur, contentiones excitare, & perpetuas ciuium inquietudines, quæ creſcentibus Cauſidicis increuerunt (ſicuti introdutis Medicis creuerunt morbi) niſi litigantes excorient, & nihil laboris, aut ſtudij impendant, vbi non lucra reportare præſagiunt; ſicuti operarij fodinarum auri, qui laborem tantùm applicant, vbi diuitem venam ſentiunt; iura & defenſiones diſpenſant iuxta vtilitatem, quam percipiunt. Nec modo iura, & defenſiones apud ipſos venalia ſunt, ſed etiam ipſum ſilentium: nam multoties defenſionem, quam non faciunt partis ſibi commiſſæ, alteri vendunt. Quod ſubtiliter dixit Caſſiodorus ſuper illa verba Pſalm. 39. verſ. 10. *Irritat aduerſarius nomen tuum, &c. apud Cauſidicos etiam ipſum ſilentium venale eſt, ac lingua eorum damnifica, niſi funibus argenteis ligetur*. Infeliciter felix facultas, vbi ſilentium venditur; peſſima corruptio, vbi tutor aduerſarius eſt. De illa loquebatur ſapiens (Prouerb. 25. v. 26.) fonti pede turbato huiuſmodi miniſtros comparans. *Fons turbatus pede, & vena corrupta*. Etenim Iudex fons debet eſſe, ex quo omnis populus iuſtitiam bibat: ſed ſi muneribus corrumpatur, turbatur aqua, peruertuntur leges, & iura inuertuntur. Si ſpinis, & vepribus valletur fons, neceſsè eſt, populum perire ſiti, & iuſtitiam nunquam obtinere, niſi in vepribus lanam, & ſæpè pallium derelinquat: quemadmodum pecudibus accidit, quæ ad ſenticoſos frutices accedunt. Plerumque enim Cauſidici, cæterique inferiores miniſtri adeo ſunt auari, vt nemo ad fontem iuſtitiæ poſſit accedere: ni prius in eorum manibus omnia bona derelinquat: adeo ſenticoſi, & intractabiles, vt lanam, & pellem rapiant.

3. Zac-

2. Zachariæ 5. verſ.6. Volens Deus Prophetæ oſtendere humanum genus, ex qua ab eo maximè culpa dilabatur, per imaginem amphoræ quaſi patens os auaritiæ deſignatur. *Hæc eſt amphora egrediens. Et dixit: hæc eſt oculos eorum in vniuerſa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur; & ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ. Et dixit: Hæc eſt impietas, & proiecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os eius.* Et cur auaritiæ impietas, & rapacitas per amphoram ſignificantur? Auſculta Gregor.lib.14.Moral.c.19. *Auaritia velut amphora eſt, quæ os cordis in ambitu apertum tenet?* Inhiat ſemper auarus inſatiabili ore, & inextinguibili ſiti ad bona aliena diripienda. Sed mirari licet, quod mulier illa, quæ in medio amphoræ auaritiam figurabat, ſedere dicatur: nihil enim minus auaro competit, quam quies; nam ſemper irrequieto motu, & perpetua ſolicitudine anhelat; euiſceratur, & immortalibus curis concupita adquirere satagit. Vt quid ergo auaritia amphoræ inſidet? Habitudinem amphoræ meditare, & inertiæ cauſam percipies. Etenim auaritiæ os maſſa plumbea oppilatum perhibetur, idcirco ſedet, idcirco inertia poſſidetur. Si enim maſſa aurea, aut argentea oppilaretur, non vtique ſederet, non iners eſſet, ſed volaret ſolicitus: & (vt noſtri dicunt) ventos biberet. Congruenter hic eorum genium adumbratur, quorum os ſi maſſa aurea non opilas, ſed plumbea, plumbei tibi erunt, tardi, & odioſa procraſtinatione in defendenda cauſa diu indormient, tanquam podagroſis incedent pedibus, vincentes teſtudinis moram. Si aurum inijcias, cernes ambulantes celeri curſu ſuper pennas ventorum: ſi eorum linguas funibus argenteis liges, ſi auro oppilaueris ora, videbis eos ſolicitos, nunc dilatantes, nunc coercentes, verborum ſenſus, dicta iuriſconſultorum ampliando, limitando, diſtinguendo, inducendo, vt in quamcunque voluerint formam, velut ductilem ceram redigant. Quod ſubindicant illa verba: *Hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra.* Vbi citatus Gregor *Qui ad bona videnda cæci ſunt, excitantibus præmijs, ad peragendum mala vigilantes ſiunt. Vnde rectè de hac eadem auaritia dicitur: hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra.* Quaſi non alios oculos habeant huiuſmodi auari miniſtri niſi lucrum, niſi quæſtum, niſi aurum. Hoc eſt oculus eorum, res quidem ipſis chariſſima qua mouentur, quemadmodum res chariores oculis ſolemus aſſimilare. Hoc (inquam) lucrum eorum linguas mouet, titillat, & illo in fauorem partis affectæ pruriunt. Sic mater illa Micheæ (de qua habetur ſermo Iudic.17.v.5.) ex pecunia, quam ipſi filius præſtitit, partem conflauit idoli, quod Theraphim vocabatur. *Fecit Ephod, & Theraphim:* de cuius ſtructura ſic loquitur Abulenſ.quæſt.12. in cap. 17. Iud. *Theraphim erat quoddam caput pueri primogeniti occiſi dæmoni immolati, & conditum erat pigmentis varijs, ne computreſceret: ſub lingua erat lamina quædam aurea, & reſpondebatur per illud caput ad quæſita.* Vt fauſta prædiceret idolum, eius linguam deaurabant: non ſecus ſi Cauſidicorum linguæ aurum portent, haud dubiè fauſta tibi pollicebuntur: illita, & iniuncta auro Cauſidici lingua in controuerſia litis ſæuiet in merentem, ab eoque eripiet trophæum victoriæ, vt tibi conferat, ſi eam auro delinieris: ſin minus, nonniſi infelicem euentum exſpectes.

3. De his quidem auaris miniſtris dicebat Dauid, ſatis experientia doctus Pſal. 25. verſ. 10. *In quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus.* Ex Hebræo vertit Caiet. *Quia in manibus eorum cogitatio eſt, & dextera eorum plena munere.* Mira commutatio! Quis vnquam cogitationem habuit in manibus? Illę etenim exercent, quod intellectus, & voluntas imperant, ſed non cogitant: quia cogitatio non ipſis, ſed intellectui competit, qui huiuſmodi munus delegare non valet. Vnde igitur cogitatio ſic aberrat, vt peregrinetur in manibus? Egregiè Caietan. *Homines, qui muneribus corrumpuntur, primum deſcripſit: quia in manibus eorum cogitatio, habent enim tales homines cogitationem non in recta ratione, ſed in manibus. Si manus ſunt vacuæ, habent vnam cogitationem: ſi manus ſunt plenæ, habent aliam cogitationem, & propterea dicitur de ipſis; quod in manibus eorum cogitatio.* Non in mente, ſed in manibus iniqui miniſtri cogitatiònem habent, vt iuxta incrementum, aut decrementum, munerum varia, & diuerſa conſilia parturiant. In ijs iuris regula, & iuſtitiæ norma munus eſt ſuggerens animo opinionem, & ſententiam. Si manus ſit vacua, aduerſa litigator feritur lege: ſi plena, ſuffragiorum omnium in illum incumbit inclinatio: neque iuſtitiam habere creditur, qui munera non offert. Sanauit Chriſtus Dominus (vt habetur Matth.8.verſ.4.) hominem infectum lepra, & vt de ipſius ſanitate, & munditie conſtans haberetur opinio, ei præcipit. *Vade oſtende te Sacerdoti, & offer munus tuum, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.* Licet aliàs ad Sacerdotes pertineret cenſere, an verè à lepra mundus eſſet infirmus: hic autem, qui integrè Dei manu ſanatus fuit, cur remittitur ad Sacerdotes, vt iudicium ferant de illius ſanitate? Dei opera, quæ ex omni parte perfecta ſunt, ad quid ſubijciuntur humano iudicio? *In teſtimonium* (ait textus) *offer munus tuum:* vt munera Sacerdoti oblata ſanitatem teſtentur. Vbi acutè Hugo Card. in Luc.5.v.13. *Offer munus tuum illis in teſtimonium, tuæ ſanitatis. Ideſt, vt ipſa oblatio ſit teſtimonium, & ſignum tuæ ſanitatis, ſiue curationis.* Etſi euidentiſſimè ſis ſanus, etſi iuſtitiam euidentem habeas, ſi non offers munus tuum, non ſanus exiſtimabere, nec iuſtus. Sic apud Cauſidicos,

Digitized by Google

cos, & forenſes res agitur: etenim incauti, & malè prouidi clientes, & diſceptantes in tribunalibus tamdiu exaudiuntur, atque eorum cauſa defenditur, quamdiu munera offerunt: & ſtatim deſeritur, quamuis iuſtiſſima ſit, ac ipſos expilatos ſentiunt. Hinc enim, vt Euangeliſta Marcus pium opus exaggeraret, quod Ioſeph ab Ari-mathias erga Chriſtum fecerat, ſic de ipſo loquitur. *Venit Ioſeph ab Ari-mathia nobilis Decurio, qui & ipſe erat exſpectans regnum Dei.* Marc. 15. verſ. 43. Et quidem valde mirabile eſt, quod cum cæteri, qui Chriſtum ſequebantur, beatitudinis ſpe eſſent allecti; non de ipſis dicatur: quod eam exſpectarent, & de Ioſeph ſignanter hoc exprimat Euangeliſta. Accedit quòd alia præclara opera habebat Ioſeph, de quibus poterat laudari: etenim quod audacter introierit ad Pilatum, & corpus petierit IESV, potius erat commendandum. Quid magnum præſtabat Ioſeph beatitudinem exſpectans, vbi vtilitatem tantùm propriam reſpiciebat? At tam rarum eſt in homine curialibus officijs implicato (qualis erat ab Arimathia, quia vt ait Beda in Catena relatus, *Decurio vocatur, quod ſit de ordine curiæ, & officia curiæ adminiſtraret: qui etiam curialis à procurando munera ciuilia ſolet appellari.*) Vt neceſſarium duceret Euangeliſta exprimere, quod regnum Dei exſpectaret, neque allud lucrum ex illo opere quæreret: ne ſuſpicaretur aliquis, propter munus aliquod temporale illi officio vacauiſſe: quia inſolita eſt huiuſmodi curialibus Miniſtris ſolicitudo, quæ non munera reſpicit terrena, ſed æterna tantùm. Nam humana ſemper anhelant, & miſeros litigantes extenuant, & vſque ad ſummam inopiam redigunt. Rectè enim (vt annotauit S. Thom. in Catena ex Hieronym.) Pilatus, qui iniquus fuit Iudex, interpretatur *Malleator*: quia curiæ Miniſtri fabrorum ferrariorum officiales apprimè exprimuntur. Ibi enim neruoſi, & robuſti homines plurimo cibo, & vino refecti grauiſſimis ictibus ferream maſſam ignitam conterunt, & ad laſſitudinem in incude tundunt. Similiter curiæ officiales ab epulis, & luxu turgidi; hinc Iudices, & officiales, inde Cauſidici, & Tabelliones ferreos litigantes, tanquam in incude tundunt, & alternantibus ictibus, nunc timore verberant, mox malleum attollentes in ſpem illos excitant, & verſantque tamdiu inter ſpei, & metus contuſiones, donec re tota familiari decocta ſero ſentiant, ſolam ſibi ſcoriam, & purgamenta è ſua maſſa relicta eſſe. Huiuſmodi autem vexatione, qua Nabuchodonoſor populos ſibi ſubiectos cruciauerat, eos ad rixas contentiones, & litigia reducens, ipſum torqueri, atque eius clientes vulnerari in vltimam ſuæ punitionis exaggerationem, prædixit Vates. *Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis, propter ſanguinem hominis, & iniquitatem terræ Ciuitatis, & omnium habitantium in ea.* Hic verſ. 8.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Inter omnia ſcelera maximè Deum impellit ad ſupplicium tenuiorum expilatio.

1. DEVM inermem facere, & debilium non prouidentem, neque curantem de eorum vindicta error fuit Epicuri, quem acerrimè carpit Seneca lib. 4. de benef. cap. 19. longèque perſuadet, non modo Deum non diſſimulare pauperum iniurias, ſed ſeuerè inſurgere contra illas inferentes, atque violentam direptionem pauperum grauiſſimo mulctare ſupplicio. Quod noſtrum Vatem latere noluit; & idcirco ipſi pollicetur, tradere Babylonium, & inſolentem Principem in manus Perſarum, & Medorum, vt meritiſſimas luat pœnas, atque ipſe, & eius populi fine aliqua miſericordia deuaſtentur, ſicut ille expilauerat inermes, & miſeros Iudæos. *Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis.* Hic verſ. 8. Ægerrimè enim fert Deus inualidorum hominum vexationem, & inter maxima ſcelera ſuper hoc ita excandeſcit, vt ſtatim accingatur ad vindictam. Audiuit Deus clamorem Sodomorum, qui vſque ad cœlos pertingebat, & ita percitus ad mulctandos nefandos populos accedit. *Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis.* Geneſ. 18. verſ. 20. Quodnam delictum fuerit à Sodomitis perpetratum, & vſque ad cœlos perueniens (licet non innuat text.) facilè percipitur: nefanda enim & abominabilis ciuium commixtio clamores eleuauit, & ad cœlos vſque ſcandere fecit fætorem criminis. Et ſi plurimis alijs Sodomitæ polluerentur flagitijs, hoc vnum reliqua in malitia ſuperare videtur. At hoc non Deum prouocauit ad vindictam (ait Chryſoſt. hom. 42. in Geneſ.) Auſculta ipſum: *Opinor* (inquit) *ſignificat, quod cum indicibili iniquitatè illa etiam ex omni virtute priuati ſint, multaſque iniuſtitias, quas commiſerunt, demonſtrauit: & ſurrexerunt potentiores, ditioreſque contra pauperes. Proinde* (inquit) *non ſolus magnus erat planctus clamoris, ſed & peccata ipſorum non vulgaria fuiſſe, ſed magna.* Miriſſimum ſanè eſt, quod in tanta vitiorum collectione, in tantorum criminum confuſis vocibus vna tantum in cœlo exaudiretur inhumanitas: Tacebat libido, præpoſtera Venus ſilebat, ebrietas, & luxus non audiebantur:

tur: vna tantum vox miſerorum, qui apud potentiores patiebantur, in cœlo exaudita eſt, & ignem inde eo traxit, quo tyranni potentes ſunt combuſti. Quis crederet, cum nefando crimine aliquod in malitia contendere? At quis non videat rapinam repetitam potentum, qua ſuffurantur pauperculam ſubſtantiam inopum, illud ſuperare, cum Deum aſpiciat ad reliqua vitia immotum, & ad violentam pauperum direptionem excandeſcentem, & ad vindictam properantem?

2. Inter reliquas plagas, quibus Deus verberauit Ægyptum, importuna ranarum garrulitas maximum ei attulit tormentum. *Edidit terra eorum ranas in penetralibus Regum ipſorum*. Pſalm.104.verſ.30. Ex Nilo Deus ranas ebullire fecit, quæ inconcinnis clamoribus obſtrepebant, Ægyptiorum obtundebant aures, & in abdita pomuum irruentes omnia fœdabant, & confundebant, & quod peius erat, vix ora aperiebant Ægyptij, cum per ipſa ad interiora ingrediebantur corporis, vt ex Hebræo colligit Lyra. Incertum valdè eſt, propter quod ex criminibus, quæ Ægyptij commiſerant, hac fuiſſent plaga percuſſi. Et quidem eorum maximum Idolatria videtur, quæ omnium impietatem excedit, neque ad comparationem cum ipſa aliquod crimen venire poteſt. Chryſoſtom. verò conſequenter ad ea, quæ nuper ex ipſo tecitauimus, in expoſitione huius loci hæc tempeſtiuè ſubiungit. *Quoniam enim Hebræorum infantes in flumium coniecerant: idcirco fluminis aquam, in ſanguinem mutauit; ea ſcilicet ratione nefarium ſcelus, quod in ipſo perpetratum fuerat, redarguens; ranis autem illic oriri fecit interfectorum infantium more prorepentes, atque in domos impetum facientes*. Atrociſſima ſanè ſcelera in Hebræos commiſerant Ægyptij, atrociſſima contra Deum perpetuauerant flagitia: nullum tamen eorum peculiari pœna mulctauit, & qua in ipſa delictum exprimeret, præter regiam tyrannidem erga innocentes pueros: quoniam nihil Deo tam exoſum eſt, quam potentem imperio aduerſus inualidos crudeliter abuti: impietas enim in pauperes impietatem in Deum in malitia ſupetare videtur. Idcirco tam graui, & importuna plaga percuſſit Ægyptios in vindictam necis Hebræorum infantium, quos in fluuium ferali liuore demerſerunt: quoniam inter grauiora, & immaniſſima ſcelera maximè Deum impulit ad ſupplicium violenta inualidorum oppreſſio, tenuiorum iniqua expilatio.

3. Huiuſmodi autem impatientiam, qua contra diuitum crudelitatem Deus inſurgit, & præceps fertur ad vindictam pulchrè deſcripſit Dauid Pſalm. 11. verſ. 6. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam*. Quid? Cœtera crimina ſic patienter Deus ſuſtinet, & impunita relinquit, quòd ſolum ad vindictam pauperum oppreſſorum exurgere dicitur? Qui ſedet vſquedum ſtragem, & direptionem pauperum vidit, ſupplicium reliquorum criminum prætermittere videtur. Igitur qui ad cætera flagitia fertur, dum innocuos pauperes relinquit, immunis erit à pœna: ſiquidem ad hoc tantum crimen Deus excandeſcit, & quaſi ira percitus exurgit, qui ad alia ſedens, & pacatus perhibetur. Ità equidem videtur, etſi non ita ſit. Audi Chryſoſt. ad præcitata verba. *Maximæ defenſionis loco eſt calamitatis mala pati; magna eſt vis eiulatus, qui ſupernum vocat auxilium. Timere quicunque pauperes iniuria afficitis: habetis vos potentiam, opes, & pecuniam, & iudicum beneuolentiam: ſed habent illi arma omnium validiſſima luctum, & eiulatum, & illud ipſum iniuria affici, quæ è cœlis auxilium attrahunt*. Magnum præſidium in ſuis gemitibus pauperes habent, nam ſtatim, ac exaudiuntur, Deum prouocant ad vindictam: & qui ad reliqua flagitia immotus exſtitit, cum inopes videt laceratos, immaniter oppreſſos, fame pereuntes, & diuitum contra ipſos rauidam inſaniam, exurgit, & ad eorum ſupplicium feſtinanter irruit, quia commiſerationis dolor acriter eum pungit, & exacerbat. Inter tormenta, quæ Chriſtus Dominus in ſua paſſione pertulit, principem locum obtinet ſpinea Corona, qua eius tempora lancinauerunt, & acutis pugionibus transfixerunt. Hæc autem ex bonis pauperum rapina ſublatis in Dragonis contemplatione fuit contexta. Sic enim in ſerm. de ſacra Dominica Paſſione meditabatur. *Plectentes coronam de ſpinis ponunt ſuper caput IESV: cum de rapina pauperum ſpineas ei diuitias coacerbantes, caput eius ad regnum elationis efferunt*. Quid mirum, quòd tam inuiſa Deo ſit inopum depauperatio, & tam feſtinanter ad ipſam plectendam exurgat. Hoc enim maximè illum exacerbauit contra immaniſſimum Principem Nabuchodonoſorem: nam eius tyrannicam dominationem, qua pauperes opprimebat, & ſpoliabat, intuens, celerrimè contra ipſum exurgit, & in manus Perſarum, & Medorum diripiendum tradidit. *Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis, propter ſanguinem hominis*. Hic verſ. 8. Quod perpendens Origenes hom. 4. in diuerſos rem exaggerat. *Quid adiuuerunt Nabuchodonoſor Regem totius pariter orbis diuitiæ congregatæ? Nonne eliſus: de throno gloriæ ſuæ, & de medio hominum ſubito ſeparatus eſt? Quid adiuuit Balthaſar filium eius, quod ipſe poſt patrem ſuum innumerabiles terrenas congregauit diuitias? Nonne percuſſus ſtatim in eadem nocte perijt?* Nabucho repente moritur, Balthaſar in eadem nocte perijt. Quid Deum adegit, vt tam celeri, tam inopinato ſupplicio puniat vtrumque? Quid mortem impulit, vt tam pernici præda vtrumque rapiat niſi bona pauperum male parta? Illorum, quos vitæ ſubſi-

ſubſidijs ſpoliauerant, vox ſtatim exaudita fuit, vltionemque non fuit paſſa diu protrahi. Sic ſic Deus exurgit in vindictam pauperum, *vt ſubito, in eadem nocte* in eorum expilatores lethaliter irruat.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Nemo ſe præfecturæ perpetuare gliſcat.

1. PLerique ad dignitatem alios erigunt, non vt honorent, ſed vt onerent: non vt dominos, ſed vt captiuos habeant: non vt dignitatem ea, quæ decet viros ingenuos conditione, conferant, ſed vt commodent, vt ipſorum manus habeant deuinctas, & ad ſuum nutum omnia diſponant. Hæc turpis, dominandi cupiditas indecentiſſima eſt, & à generoſo animo aliena: etenim qui dignitatem confert, quantum eſt ex ſe, omnino eam debet largiri, vt honori conſulat electi, & ſuæ prouideat conſcientiæ, quæ dignitati omnino renuntiare exigit, vbi, & quando iura decernunt: neque illi indiſſolubiliter quiſquam expedit deſponſari. Vt Ducem, & Principem populi Deus Moyſem conſtitueret, ipſum vocauit à Rubo: cumque ille veſte, qua erat indutus accederet, calceamenta prius ſoluere præcepit. *Ne appropies* (inquit) *huc: ſolue calceamentum de pedibus tuis.* Exod. 3. verſ. 5. Cur diſcalceatus Moyſes iubetur accedere, vt ad dignitatem euehatur? Fortè calcei impedimento ſunt, vt quis ad honores aſcendat? Fortè per ſemitam ſentibus, ſpinis plenam ambulare præcipit, vt ad principatum vocatus iam iam pungentes ſubditorum linguas, & curarum ſtimulos præſentiat? Fortè ita. Sed ad noſtram Theſim audi Iſidorum à Gloſſa relatum. *Verùm tamen conſuetudo erat, vt ſi ſponſus ſponſam repudiaret, in ſignum repudij diſcalcearetur. Ideò Moyſes diſcalceari iubetur, ne ad Eccleſiam, quæ in rubo ſignificatur, quaſi ſponſus accedat calceatus, hoc enim Chriſti oro ſeruandum, qui verè eſt ſponſus: de quo Ioannes ait: cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti.* Ritus enim erat calceamenta ſoluere eum, qui mulierem repudiabat. Voluit ergo Deus innuere Moyſi, ne cum dignitate ad quam ipſum eligebat, deſponſaretur. *Que no ſe auia de caſar con la dignidad.* Sed quod ex tunc libellum repudij exhiberet calceamenta ſoluens, ne per totum vitæ tempus (ſicut ſponſa ducitur) dignitatem habere præſumeret, hoc enim non ipſi conceditur. Non ergo ad munus ipſi iniunctum calceatus accedat Moyſes vt ſponſus, ſed diſcalceatus vt repudiator: vt ſciat ad breue tempus ipſi dignitatem conferri, ne ipſam iure hæreditario perpetuò poſſidere contendat. Hoc (inquam) & electum dedecet, & electorem, cui incumbit non mancipatam tradere dignitatem, ſed libetam, & ingenuam.

2. Concepit ex inceſtu & Iuda Thamar Zaram, & Phares; quorum alter ad primogenita, & principatum erat deſtinandus. *Inſtante autem partu apparuerunt gemini in vtero: atque in ipſa effuſione infantum vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum dicens: iſte egredietur prior: illo vero retrahente manum egreſſus eſt alter.* Gen. 38. verſ. 37. Puerile certamen, & infantium iudecoram victoriam reportauit Phares, & perdidit Zaram: nam ſi propter dignitatem & primogenituram decertabant in vtero, & iam Zaram in lucta fratrem deuicerat, ſiquidem manum prius protulit, & cur ipſam ſtatim retrahit, & locum præſtat, vt Phares egrediatur prior, & dignitatem ab eo auferat? Fratri cedit, cum ad meliorem partem certaminis deuenit, & quod tanto labore comparauerat, tam facili negotio amittit? Puerilis ſanè inertia videtur; verum non talis reputanda eſt, ſed cana prudentia. Cur ita? Auſculta text. *Protulit manum in qua obſtetrix ligauit coccinum.* Principatus in coccino alligatus erat, dignitas autem, in qua ſuperior ligatas habet manus, prudenter renuenda eſt. Sapientet ſatis Zaram principatum recuſat, & ab illius retrahitur acceptatione, quem alligatum, & adſtrictum vidit: quia illiberalem iudicauit præfecturam, vbi ad nutum alterius mouendæ erant manus. Huc reſpicit, quod poſtquam Dominus Lazarum ſuſcitauit, & à ſepulchro exijt ligatis manibus, dixit: *Soluite eum, & ſinite abire.* Ioann. 11. verſ. 44. Domine quo abibit? Quo voluerit: vt intelligatis, me beneficijs homines obligare, non adſtringere indecora ſeruitute, nec meam politiam humanam tedolere, vbi benefactores homines aucupantes ex ingenuis ſibi aggregare ſtudent mancipia, quaſi libertatem venderet, qui beneficium accipit, non ſic Deus, non ſic: homines ſuſcitat, ſed liberè abire ſinit. Ipſum imitari liceat. Exeat à ſepulchro ligatus, qui à vobis ſuſcitatur: nolit quidpiam ſine veſtro conſilio operari: hoc inquam: gratæ & generoſæ indolis ſignum eſt. Sed vos *ſoluite eum & ſinite abire.* Liberè, & expeditè ſinite illum ſua munera exercere, & quantum in vobis eſt, repudiaet dignitatem, quaſi ea nunquam ſit reaſſumenda.

3. Elias Dei zelo feruens, & delicta populi ægrè ferens famem ipſi comminatus dicebat: *Viuit Dominus Deus Iſrael in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis hiſros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* 3. Reg. 17. verſ. 1. Nimis arrogans, & reprehenſibilis in hac comminatione videtur Vates. Quid? Dominium habet deſpoticum ſuper nubes, quòd tam confidenter, & audacter pluuiam non dare minatur?

E e Sibi

Sibi arrogat poteſtatem vni Deo debitam? Fortè à Deo tantam auctoritatem accepit, vt abſque vlla hæſitatione, quidquid voluerit, poſſit efficere? Ita quidem. Nam aliter non poſſet populum rectè gubernare. Qua enim reuerentia colerent, quem virgam habere non pleni potentem noſſent? Sic Deus Miniſtros inſtituit omni auctoritate pollentes. Si homines quoſcunque decenter, & vt par eſt, ad munus obeundum eligunt, illius manus non debent vincire, ſed liberas relinquere. Succinit S.Baſil. de Seleuc.orat. in Eliam ipſius nomine loquens. *Religionis Magiſtrum me populo emiſiſti, Doctorem impiæ multitudinis me conſtituiſti: da mihi & puniendi poteſtatem*. Pudeat hæc verba audire eos, qui poteſtatem conferunt ligatam, & contractam, atque inermem ad ſceleratos coercendos eos, qui manus detinent ſuperiorum, cum ad crimina plectenda accedunt. Vel Deum ipſum dedecet miniſtrum conſtituere, & eum non liberum ad puniendum, & operandum relinquere, Huiuſmodi autem cœleſti politia Elias inſtructus Eliſeum Præſulem populi inſtituit. Bis pallium ſuum Elias tradidit Eliſeo. ſemel 3.Reg. 19.verſ.20. vbi cum ipſum orantem inueniſſet. *Pallium ſuum miſit ſuper eum*: Secundo, cum 4.Reg. 2. verſ. 13. pallium Eliæ cecidit ſuper Eliſeum, dum ille ad cœlos igneo curru vehebatur. *Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei*. In pallio dignitatem, quam Elias habuerat, & transferebat ad Eliſeum, adumbrari, non eſt dubium. Audi Lyram. *Non caſu cecidit, ſed ex diuina ordinatione, vt Eliſeus ipſo operiretur in ſignum, quod ſpiritus Eliæ requieſcebat ſuper eum, & quod erat ſubſtitutus loco eius. Vnde & in ſua vocatione Elias poſuit pallium ſuper eum, vt habetur*. 3. Reg. 19. At quæ tanti diſcriminis cauſa? Cur hic pallium ſignum fuit, quod Eliſeus ſpiritum habebat Eliæ, quod requieſcebat ſuper eum, & quod loco eius conſtituebatur populi præſes, non verò eum primò pallium ſuper eum miſit? Quid hic affuit, vt electio optima haberetur, quid illic defuit? Nonne vtrobique idem pallium Elias tradidit Eliſeo? Suſpicor: quia illic Elias pallium tradidit Eliſeo amplius ab eo accipiendum, & eo pacto, quod illud tenebatur reſtituere: hic verò pallium Eliam dimiſit non vltra, ex ſuo animo, ab ipſo ſuſcipiendum: & idcirco cecidiſſe dicitur, *Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei*. Quia in electione ſucceſſoris pallium debet cadere ab optimo Paſtore, non tradi, nam quod traditur, videtur eſſe quaſi ad inſtantiam præſtitum, & qui tradit, ſpem habere iterum reaſſumendi, quod cadit, vt perditum habetur. Sic enim bonus Præſul non dignitatem tradit cum ſpe vlterius eam obtinendi, ſed ab eo cadit, quaſi non amplius poſſidenda: non ligat manus eligendo, ſed liberas, & abſolutas relinquit.

4. Vt Dominus oſtenderet, optimam fuiſſe electionem Aaronis in Summum Sacerdotem, & linguas hominum refrænaret, qui de electo non benè loquebantur, miraculosè virgarum vna ex ijs quas in ſanctuario præceperat collocari, germinare fecit. *Et erit homo* (inquit text.) *quemcunque elegero virga eius germinabit*. Num.17.& ſtatim *ſequenti die regreſſus inuenit, germinaſſe virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati ſunt*. Non caret difficultate, quòd Deus, vt approbationem, & complacentiam, quam habuit ſuper huiuſmodi electione demonſtraret, virgam germinaſſe, floruiſſe, & fructus maturaſſe fecerit: quocunque enim ſigno miraculoſo congruentem, & optimam huiuſmodi aſſumptionem ad dignitatem oſtenderet. Vt quid igitur ſigno florentis, & fructificantis virgæ eam gratam, & opportunam perhibuit? Penſitabam: quia virga germinans flores, folia, & fructus nullas miſerat radices, cum tamen virgæ, quæ naturaliter creſcunt, & plantæ proceres efficiuntur, ſicut ramos in altum proferunt, ſit radices iaciunt in terram. In virga igitur (vbi poteſtas, & dominium denotatur) quæ ſine radicibus erat proficua, optimus Præſul effigiabatur: quia ille merito eligitur ad dignitatem, & ſuffragium Dei in electione lucratur, qui nullas in terram mittit radices, qui ita floret, & fructificat in præfectura, vt nullas radices iaciat, quibus in poſterum dominari velit: qui dignitate depoſita omne præſcindit ligamentum manus ſucceſſoris adſtringens. Aliter enim notam non effugiet ambientium; quorum diuturnam præfecturam optimè carpit S.Nilus habitus tom.3.Biblioth. Veterum Patrum exemplo Gruum. *Tradunt rerum naturalium obſeruatores Gruem triginta dies commune auium agmen ducere: deinde alteri Grui idem munus tradere. Qui nunc gregi ſuo præeſt, ambitioſus, imperandique cupidus (vt audio) expleto iam anno miniſterij ſui, non permittit, vt alius regendi munus, curſumque ſuſcipiat. Et quid dicemus ad hæc?* Quid dicemus? Niſi quod & ſe ipſum, & electum denuſtat, qui non ipſum liberè, & integrè munus ſuum exercere relinquit, & indignum ſe perhibet munere, quod obtinuit: nam benemeritus non dolet à regimine abſtinere, dum alteri moderari incumbit. Narrans Euangeliſta Lucas apparitionem, quam Angelus fecerat Zachariæ, vt filium polliceretur, & tempus deſignans ait: *Factum eſt autem cum Sacerdotio fungeretur* (Zacharias) *in ordine vicis ſuæ ante Deum* cap.1. Id eſt, in ſua hebdomada: nam alternantibus vicibus miniſterium ſacerdotale ad domum Abiæ, atque ad domum Zachariæ deuenerat. D.Ambroſ.ponderans illud verbum *vicis ſuæ* ait: *& tunc vices erant, nunc autem perpetuitas*. In iuſto & benemerito (qualis erat Zacharias) dignitates vices ſuas habent, quia nolunt in ipſis perpe-

tuò

Digitized by Google

tùò immorari, neque tranſacta ſua hebdomada de illis curant, ſed ſucceſſori integrè tradunt: ipſius gratitudini, & vrbanitati correſpondentiam, quam pro libito ſuo habere voluerit, relinquentes: non iam ſuam ſed ſucceſſoris dignitatem iudicant.

4. Non conuenit inter interpretes, an virga Moyſis, qua mare diuiſit, & aquas eduxit ex ſilice, & virga Aaronis qua aquas in ſanguinem conuertit, plures, aut vna fuerit. Multi vnam fuiſſe eamque primò Moyſi traditam, tenent. Quòd ſi ita accidit, difficultatem ingerit, quòd cum Moyſes aquas Ægyptij in ſanguinem conuertere, Aaroni præcepit; virgam illi tradidit, & non ſuam, ſed Aaronis appellauit. *Tolle virgam tuam, & extendè manum ſuper aquas Ægyptij*. Exod. 7. Cur virgam ipſi traditam non iam ſuam, ſed Aaronis vocat? Fortè proprietatem perdidit eam featri ad breue tempus conferens? Ità equidem. Licèt enim antea ad ſuum nutum virga vteretur tanquam peopria, poſtquam eam tradidit, Aaronis vocat, vt non iam ſuam, ſed Aaronis eſſe innuat: id enim denotant verba illa. *Extende manum tuam*. Vt innoteſcat, manum Aaeonis non eſſe ligatam, ſed ſolutam, & libeeam, vt pro libito ſuo virga vtatur. Potentia enim, virga, & iuriſdictio non libera, ſed ligata non virga eſt, ſed lignum: non honor, ſed dedecus, & proſcriptio dignitatis. De Chriſtro Domiuo à Iudæis comprehenſo inquit text. *Et áddnxerunt eum ad Annam primum, erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius*. Ioann. 18. verſ. 13. Et cur primo Chriſtus ſiſtitur ante Annam, qui Pontifex non erat, & poſtea adducitur ad Caîpham; qui Pontificatum illo anno exercebat? Auſcultæ Lyeam. *Quia Pontificatus tunc ſingulis annis vendebatur; & iſti duo ſcilicet Annas, & Caiphas, quaſi alternatim erant Pontifices: propter quid quaſi Pontifex habetur, quia anno præcedenti fuerat*. Caiphas dignitatem pretio comparauerat, non eam ipſi contulit Annas, ſed commodauit, & vendidit: idcircò non ea vtebatur vt ſua, non liberè eam exercebat, & propterea iuſtus opprimebatur, & abſoluebatur impius: quia in dignitate pecunia parta violentee omnia iura peſſundantue, & in poteſtate male acquiſita omnia tyrannice tractantue. Sic inquam in potentatu Nabuchodonoſoris contigit: nam dominationem, quam praue, & doloſè acquiſierat, tyrannicè, & cum vltima populorum iactura exercuit, vndè ſua ruina feſtinauit. *Quia tu ſpoliaſti gentes multas ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis propter ſanguinem hominis, & iniquitatem terræ Ciuitatis, & omnibus habitantium in ea*. Hic verſ. 8.

DISCVRSVS VIII. MORALIS.

Principis nomine indignus eſt, qui vel cum periculo Ciues ab iniurijs non tueatur.

1. NAturali debito Principibus incumbit iuſtitiam conſeruare illibatam, & à quacunque violentia ſubditos ipſis populos arcere: ideò enim fortes terræ, & robore potentes appellantur, Pſalm. 46. verſ. 10. *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham: quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt*. Vbi Hieronym. vertit: *Clypei, ſeù ſcuta terræ*. Quia quemadmodum clypeus, & ſcuta coepus peotegunt, & primos ictus recipiunt, ne lædatue: ſic Principum munus eſt populos protegere, quos ad tutelam habent commendatos, & prima tela, ne ad ſuos pertingant, excipere; vt ſcuta ſuos tutari, ac defendere debent, & vt innocuos eeddant, ſe ſe omnibus periculis obijcere. Hinc enim muniſſimæ turris vocabulo eos inſigniuit Caſſiodorus lib. 7 Formul. 39. *Tuitionem tibi noſtri nominis, quaſi validiſſimam turrim contra inciuiles impetus, & conuentionalia detrimenta noſtra concedit auctoritas*. Nam ſicut turris præſidium eſt, vbi milites ab hoſtium incurſionibus defenduntue, illaque primò ictus eecipit bellicæ machinæ: ſic Principes proximo periculo ſe debent exponere, vt ſuorum ſecuritati prouideant. Ob id etiam nubis epitecto in ſacris literis dignoſcuntur. Vbi habetur Geneſ. 23. verſ. 6. *Tu es Princeps Dei apud nos*. Hebræus vertit *Princeps maximus, ſeù maxima eminentia, nubes, & exaltatio*. Quia Principes inſtar prærupti montes fulminum ictibus debent obſiſtere, & illorum feangere primum furorem, ne ad valles deſcendant, & inermes arbores lædant: atque inſtar nubis ab æſtu aduerſitatis, & iniuriaeum ſubditos debent protegere, & libeealitatis rore (ſi opus fuerit) etiam cum diſpendio propriæ ſubſtantiæ eos perfundere: ſicut nubes peo fœcundanda terea in pluuiam diſſoluitur, & ſibi non parcit, vt vegetabilibus ſit proficua.

2. Jacob adhuc iuuenis fratrem timuit Eſau, & vt ab illius ſe inſidijs expediret, matris conſilio peregrinus in Meſopotamiam receſſit: tamen poſtquam in perfectum adoleuit virum, & ampliſſimam familiam, cuius Princeps, & patee erat, in patriam eeduxit, fratrem quidem non timuit, imò audactee ante omnes illi obuius peçceſſit. *Et ipſe progrediens adorauit pronus in terram ſepties*. Geneſ. 33. verſ. 3. Canæ prudentiæ, & iuuenilis ardoris commutauit munera, iuuenis ſe proeipuit in fugam, vt periculum declinaret: ſenioe verò peri-

periculum non refugit, ſed illud quaſi laceſſit. Et cur in iuuenili ætate, vbi ſanguinis feruor cor reddit impauidum, fratrem formidat, & vt ipſius manus effugiat exulat in Meſopotamia, & in matura ætate, quando pugnandi ardor deferueſcit, ante præcurrit, & periculo ſe exponit intrepidus? Eleganter Chryſoſtom. hom. 33. in epiſt. 1. ad Corinth. cap. 13. *Vide* (inquit) *vt timidus ille charitate ſuſcitante, leone quouis animoſior euadat, veluti propugnaculum enim quoddam ſe ipſum ante cæteros, locans paratus erat ferrum illum, & minas (quemadmodum ſuſpicabatur) ſpirantem excipere primus, & ſuo ipſius corpore parare vxoribus ſalutem: & quem domi timebat, intueri primus in acie ſtudet.* Similem animoſitatem in Moyſe ponderat, qui priuatus mortem fugit, vt habetur Exod. 2. At vbi Magiſtratum acceſſit, mortem contempſit viriliter, vt ſuos à morte liberaret, vt dicitur Exod. 5. *Moyſes* (pergit Chryſoſt.) *Ille fugitiuus, & vnius viri minas ſuſtinere non valens, melle charitatis ſemel guſtato, nemine cogente mori pro ſuis feſtibabat.* Sic enim incaleſcit animus, accenditur cor, vbi tutela inſtat, & aliorum protectio, quòd Moyſes, & Iacob aliàs timidi, & vel ab vmbra inimicorum fugientes, cum aliorum curam ſuſcipiunt, ipſa morte neglecta audacter, & intrepida animoſitate periculis obijciuntur: vbi iniuriam ſuorum ſuſpicantur, mortis metum excutiunt, & inimicorum faciem non verentur. Hac igitur generoſa indole prædito, & iniuriarum ſuorum impatienti Moyſi præcepit Deus, cum iam morti eſſet proximus, *Vlciſcere de Madianitis, & collegeris ad populum tuum.* Num. 31. Ingens hic difficultas ab interpretibus excitatur: nam alienum à Dei miſericordia, & practica videtur vindictam de inimicis conſulere: maximè in motte. Nam moriturum vltionem ſumere iniquum potius probat animum, quam Deo placitum: quia moribundi ad imitationem Filij Dei pro offenſoribus potius preces debent fundere, & indulgentiam impertiri, quam vindictam iracundo animo ſumere. Quo ergò pacto Deus non ſolum Conſulit, ſed iniungit Moyſi, vt de inimicis vlciſcatur, ante, quam mortem ſubeat, neque à vita recedat impunitis Madianitis? Egregiè Oleaſt. difficultatem ſoluit. *Qua in re docentur Principes vindicare iniurias, quas aliqui ſubditi ab alijs paſſi ſunt, antequam ipſi, qui ſunt iniuria affecti, ab hac luce diſcedant, vt cum iucunditate moriantur.* Sicut Dei præcepto tenentur Principes proprias iniurias condonare, ſic ſubditorum vindicare debent. Non enim ad mortem pergit ſecurus, qui impunitas ſuorum offenſas relinquit, eos enim innoxios debent ſeruare, at quandocumque ipſis irrogatur iniuria, de ipſa debent vlciſci, & non tam ipſorum, quàm propriam reputare.

3. Occiderat Ioab Abner, & Amaſam abſque vlla cauſa, & rationis prætextu, & quia potens erat, & pacem populi poterat turbare, diſſimulauit Dauid, nec meritas pœnas ipſi dedit. At cum iam morti eſſet proximus accerſito Salomone regni hærede, & ſucceſſore dixit illi: *Tu noſti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus Principibus exercitus Iſrael. Non deduces caniciem eius pacificè ad inferos.* 3. Reg. 2. verſ. 5. & 6. Non conſtat in ſacra pagina, quod Joab iniuriam irrogauerit David; vndè non leue dubium eſt, quo pacto dixerit Salomoni ſe à Ioab grauiter offenſum fuiſſe; proindeque ſupplicium ipſi inferendum iuxta flagitia, quæ contra ipſum perpetrauerat: de nullo enim alio habetur mentio, niſi de morte duorum Principum Abner, & Amaſa, quorum ſanguinem innocenter fudit; nec veriſimilè erat, quod mitiſſimus Princeps (qualis erat Dauid) ſuarum iniuriarum vltionem Conſuleret. Quo ergò pacto ſuam vocat iniuriam non propriæ perſonæ irrogatam? Egregiè Oleaſt. in comment. huius loci, *Dicit tamen: tu noſti, quæ fecerit mihi Ioab, vt oſtendat, iniurias priuatis perſonis factas prius, ac magis illatas Principi, ac Deo, quam illis.* Suas debet reputare Princeps ſuorum iniurias ad dolorem, & non ſuas ad vindictam: proprias parcere tenetur, ſubditorum vlciſci, & non tam ipſis, quàm ſibi irrogatas credere. Hinc cum ſatellites ad Chriſtum Dominum comprehendendum acccederent, obuiam ipſis occurrit dicens: *Si ergò me quæritis, ſinite hos abire.* Ioan. 18. verſ. 8. vbi Cyrillus lib. 11. in Ioan. cap. 33. ſapienter dixit. *Propterea id dixiſſe, vt ſecuros redderet Diſcipulos, & probaret mortem ſuam pro omnibus eſſe ſufficientem hoſtiam.* Periculum diſcipulis imminens anteuertit, & ſe illorum tutela honeratum oſtendit, atque vt ipſorum liberati prouideat, vinculis ſeſe offert: quia hoc Principibus maximè incumbit. Ad quam ſententiam elegans extat locus apud Hildebert. epiſt. 74. *Confundor quoties proximus, quòd ei ad confuſionem cedit, operatur; Præſulis eſt ijſdem iaculis vulnerari, quibus proximum cognoſcit vulneratum. Hinc eſt quod Apoſtolus 2. ad Corinth. 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?*

4. Cum verò hoc Principum munus tam ſtrictè poſtulet: qui ſubditos non curat, & patitur impiè tractari, Principis nomine indignus perhibetur. Poſtquam Saul Dei mandatis reſtitit, acceſſit Samuel. & ipſum à regno depoſuit. *Pro eo quod abieciſti ſermonem Dei, abiecit te Dominus, ne ſis Rex.* 1. Reg. 15. verſ. 13. Comminatio non conſonat euentui: nam Saul dum vixit regnauit, & mors coronam ſimul cum vita abſtulit. Quo ergò pacto iam à regno abiectum, & Deo exoſum dixit Samuel? Nam eius verba non comminatoria tantum cenſenda ſunt, ſiquidem in Dei oculis iam diſplicebat Saul. & à regno deponi merebatur. Vrget difficultas expoſitores,

&

Digitized by Google

& diuerſa via vnuſquiſque incedit. Abulenſ. quæſt. 26. in 1. Reg. 15. ad noſtram theſim difficultatem egregiè ſoluit. *Fuit* (inquit) *priuatus gloria regnandi: quia antequam peccares, erat ſpiritus Domini ſemper in Saule, ſcilicet ſpiritus roboris, & fortitudinis, itaut nullos hoſtes formidaret, ſed contra omnes auderet, & omnes bello ſuperaret: poſtquam autem peccauit contra Amalecitas, redditus eſt corde infirmus: in quo erat magnum dedecus eius, & imminutio gloriæ: nam cum veniſſet Goliath ad caſtra Iſrael, quotidiè exprobrabat Iſraelitas per quadraginta dies continuos loquens contra exercitum Iſrael, & Saul non audebat pugnare contra virum illum: in alijs quoque bellis timebat Saul, ſicut factum eſt in bello, in quo mortuus eſt: nam dicitur: quod vidit Saul caſtra Philiſthijm, & timuit, & expauit cor eius.* Sic doctiſſimus Abulenſ. probat, abiectum à regia dignitate Saulem, eo quod abiectum induit animum, & ſpoliatus fuit omni robore, & fortitudine, nec audebat, pro ſuorum defenſione, inimicorum impetus propulſare, ad quod ex iniuncto ſibi munere tenebatur: nam cum pertineat etiam ad illos, qui nullo publico funguntur officio, imbecillium iniurias auertere, & vindicare, multò magis ſpectabit ad eos, qui Reipublicæ curam, & ſubditorum tutelam gerunt.

5. Quod adeò verum eſt, vt Deus ipſe Princeps, & Dominus non dicatur, quandocunque ſuos ab inimicorum poteſtate non eruit. Apparuit Moyſi (Exod. 6. verſ. 3. vt eum ſolaretur terræ Chanaam promiſſione, & ſic alloquitur: *Ego Dominus, qui apparui Abraam, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Rupert. lib. 1. ſup Exod. c. 24. tenet ex decem nominibus, quibus apud Hebræos Deus inſignitur, Adonai ſeptimum eſſe, quod Dominum ſignificat. Iamque exurgit difficultas: cur ſcilicet hoc nomen Deus celauerit Patribus, qui præceſſerunt Moyſem, & ipſi indicauerit? Cur qui omnium rerum habet dominium, Dominum vocari recuſat, quaſi pudeat nominari, quem eſſe non pudet? Cur nomen, quod à ſeipſo Deus habet, nec mendicat à creaturis, per tot ſecula recondit, & Moyſi illud detegit? Dixerim: quia Deus cum Moyſe agebat de libertate populi, illumque educere tractabat de miſera ſeruitute: & vt hanc ingenuam reſolutionem periphraſi pulchra deſcriberet, dixit ſe modo Iſraelis Dominum oſtenſurum. Nam adeò proprium Principis eſt ſuos protegere, ac de nocentibus manibus eripere, vt non ſe Deus Dominum oſtenderit, niſi dum populum à tyrannide Ægyptiorum liberare accedebat. Non ſe Dominum declarauit, quouſque de inimicorum immani poteſtate Hebræos eruebat, vſque tunc non Dominum ſe oſtenderat, quaſi erubeſcens Dominum vocari populi afflicti, & infami ſeruituti mancipati. Ideò enim quia Patres antiquos non eduxerat à ſeruitute, ſe illorum Dominum non oſtendiſſe, ait. *Et nomen meum Adonai non indicaui eis.* Non enim Princeps debet vocari, qui innocenti populo præſidium non eſt, qui ſuos ab inimicorum periculis, & iniurijs non eripit. Nec modo nomine, ſed & poteſtate debet priuari, qui tutelam negligit ſubditorum, & manum adiuuat flagellantis. Hoc enim ſupplicium Nabuchodonoſoris propetari fecit: nam cum ipſe curæ obliuiſceretur populorum ſuæ obedientiæ ſubiectorum, præceps iuit ad ruinam, & de potentiſſimo principatu ad miſeram ſeruitutem fuit redactus: nec ſolum nomen Principis amiſit, ſed & hominis etiam in belluam commutatus. *Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis propter ſanguinem hominis, & iniquitatem terræ ciuitatis, & omnium habitantium in ea.* Hic verſ. 8.

DISCVRSVS IX. MORALIS.

Opera proximo exhibita ad æqualitatem Deus rependit.

1. TAlia paſſuros eſſe Chaldæos, qui Iudæos vexabant, qualia ipſi populis intulerunt incommoda, minatur Vates: nam ſicut illi Leonum inſtar, & Luporum mordebant, lacerabantque animalia, quæ repugnare neque audebant, neque poterant; ſic alij conſurgent, qui vicem rependant, nec minus lacerent crudeliter Chaldæos, quam ipſi antea fecerunt. *Nunquid non repente conſurgent, qui mordeant te?* Ac ſi diceret Deus: Quemadmodum tu alijs mala inferebas, itidem ego tibi ſupplicia infligam. Tu pauperes, & imbecilles opprimebas, ego opprimam te. Tu ſubſtantiam illorum diripiebas, tuam ego diripiam, & conſumam; æquiſſimus namque Deus eſt, & quod proximo quiſque fecerit, ſiue in bono, ſiue in malo, hoc ſibi ſine dubio ſperet accidere. Mulier illa Sunamitis cum filium ſuum, quem Eliſei procibus obtinuerat, mortuum videret, vt illum Propheta ſuſcitaret, ad eum confidenter ſe contulit: cumque ipſam Propheta intueretur, interrogauit. *Rectene agitur circa te, & circa virum tuum, & circa filium tuum? Quæ reſpondit: rectè*, 4. Reg. 4. Mirum valdè eſt, quod mulier mœrore confecta, tabeſcens animo, & profuſis lacrimis inundans propter mortem filij, rectè ſibi & pro votis omnia accidere dicat. Nulla alia infelicior fortuna, & ingentior calamitas ipſi poterat euenire, quam illa, quam deplorabat, & Prophetæ reparandam exponebat. Et quidem valdè premit Interpre-

pre-

pretes, an hæc mulier prædicto reſponſo peccauerit, & mentita fuerit. Abulenſ. quæſt. 39. in 4. Reg. 4. reputat Sunamitidem non fuiſſe mentitam, cum Prophetæ reſpondit, proſperè omnia ipſi contigiſſe, licet filium vnicum, quem habebat, mortuum portaret in manibus. *Quia dixit: quod rectè agebatur apud filium ſuum certiſſimè ſperans ſuſcitationem eius; & ideo mortem iſtam non reputabat vt mortem, ſed vt ſoporem.* Benefecerat hæc mulier Eliſeo: illum multoties in domo ſua receperat hoſpitio, atque officioſa charitate aluerat. Sciebat ergo ſic eſſe certum Deum largiri, & reſpondere pia officia proximo exhibita, quod licet filium mortuum haberet, non mortuum reputabat, ſed ſopori tantum deditum. *Certiſſimè ſperans ſuſcitationem eius.* Quia Deum ad mercedem adſtrictum tenebat, & ea rependere, quæ expetebat, ſine hæſitatione credebat, rectè agi, & filium non mortuum autumabat, quia eius vitam in promiſſione Dei habebat repoſitam. Nec fuit decepta vitam auſpicata filij, dum vitam aluit Ptophetæ; quia Deus ad talionem retribuit, quæcunque proximis conferuntur.

2. Auarus ille diues, dum apud inferos dictis cruciatibus torqueretur, Abrahamum vidit, & Lazarum in ſinu eius, vel (vt legit Caietan.) *In ſinibus eius.* Quia *tanquam complexus vtraque ſinus parte deſcribitur Lazarus, vt valde charus ſignificetur Abrahæ.* Tunc inquam: pauperem felicem videns, nec ſuſtinens intolerabilem ſitis ardorem, clamauit ad Abraham. *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Lucæ 16. verſ. 24. communiter ſtultitiæ arguitur diues, & inter impudentes damnatos hic ab omnibus cenſetur ſtolidiſſimus. Sed neſcio, vnde hæc eius ſtultitia inferatur: nam remedium appetere vrgenti neceſſitati opportunum, non inſania, ſed prudentia eſt, & naturalis agitati animi affectus: id enim & animalia bruta expetunt à natura edocta, cuius opera intelligentiæ ſunt. Cur igitur ad gehenales flammas miſer damnatus non ſaluatur ab ſtultitia, dum congruentius neceſſitati, quam patitur, remedium expoſcit? Pulchrè Caiet. eius vecordiam conuincit. *Aduertè verè impeditum intellectum iſtius diuitis apparere in hac petitione: dum petit Lazarum mitti ad ſui refrigerationem, cui meminit ſe tam inhumanum fuiſſe.* Stultitia ſumma, & impudentia fuit, filium Abrahæ chariſſimum impiè offendiſſe, & à Patre refrigerationis leuamen ſperare. Quod enim proximo fecerit, hoc ſibi à Deo ſperare debet quiſque. Et idcircò diues inſipiens oſtenditur, dum remedium in ſua neceſſitate poſtulat ab eo, quem immani auaritia offenderat. Maxima enim ſtultitia eſt pauperes lædere, quos tanquam filios chariſſimos habet Deus, & ab ipſo aliud, quam ipſis contuliſti, ſperare, ſi famem, famem, ſi fraudem, fraudem. Permittit enim Deus vt malum, quod proximo infertur, in caput inferentis reuertatur: & patiatur id, quod intulit.

3. Seruiuit Iacob Laban ſeptem annis, quibus tranſactis, & Rachelis connubijs promeritis, ſocerus, vt eius ſeruitutem longius aucuparetur, doloſè: *Liam filiam ſuam introduxit ad eum.* Geneſ. 29. verſ. 24. Quod Laban propriæ vtilitati intentus, & vt filiæ à natura infortunatæ maritum quæreret nobilem, & egregium Iacob deciperet, non miror. Verum quòd Deus huiuſmodi dolum permitteret, valdè alienum videtur à beneuolentia, quam habebat erga Iacob, & qua ipſum delegerat, vt ſui populi caput, & Patriarcha exiſteret. Maximè cum ex Lia filios ad huiuſmodi propagationem non eſſet ducturus. Vt quid igitur tam grauiter decipi Sanctum Patriarcham permiſit, vt mulier lippis oculis pro pulcherrima ſupponatur, pro cuius amore per longum tempus tot ſubierat labores? Egregiè pariter, ac ſuccinctè Oleaſt. *Fortè hac fraude voluit Dominus punire illam, quam fecerat ipſe Eſau.* Iacob ſenem decepit Iſaac, cum pelliculis hædorum manus circumdedit, vt Eſau piloſus videretur, atque illius benedictionem, & primogenita ſubriperet. Idcircò permiſit Deus, in punitionem fraudis commiſſæ, deceptum fuiſſe Iacob, tametſi in illo facto non peccauerit, quia omnia illa diuino inſtinctu agebantur, peccatorem enim figurabat (licèt non eſſet peccator) qui dum fraude alios decipit, ipſemet decipitur: quod malum molitur in alios, in ſe reuertit. Vel fraus non imputabilis fratri illata punitur in Iacob. *Fortè hac fraude voluit Dominus punire illam, quam fecerat ipſe Eſau.* Vel quia ſic Deus dolum abhorret, vt etiam illum, quem tacitè approbauit, explicitè approbare erubeſcit. Vel vt homines percipiant, quam ſeuerè deceptionem corripiat iniuſtam, qui non imputabilem ſic plectit: quam æqualiter dolos contorquet in molientem, qui inculpabilem non relinquit impunitum.

4. Semel & iterum Thamar fefellit Iudam eius ſocerum: & cum ſe finxit meretricem, & cum accepto pignore è loco, in quo inueniri poterat, diſceſſit: tunc autem fraudem agnoſcens. Ait Iudas: *habeat ſibi, certè mendacij nos arguere non poteſt: ego miſi hædum, quem promiſeram, & tu non inueniſti eam.* Geneſ. 38. verſ. 23. Quòd Judas paruipendat deceptionem ingenui animi eſt, familiareque viris prudentibus, fraudem, & mendacium patienter tolerare: ſicut mulierum aſtutiæ, illud machinari. At cur hoc accidit Iudæ, & Thamar virum nobiliſſimum, & Iudicem populi toties fallere fuit cauſa? Egregiè D. Ambr. lib. 3. in luca ad illa verba c. 3. (*Qui fuit Phares qui fuit Iudæ*) rationem reddit. *Domini ſo-*

ni ſoceri fraudata permiſſionis ex ea familia, quam deligeret, conuerſo dolo fructum voluit ſucceſſionis adipiſci. Expeodè *conuerſo dolo*. Quaſi dolus in fraudem molientem conuertatur. Quiſquis proximum decipere tentat, non illum, ſed ſe ipſum decipit, ad ſe reflectit dolum, quem in alium moliebatur, ſic Deo permittente, qui eodem genere damni illud inferentem mulctat, & ex noſtris operibus diſcit prœmia, aut ſupplicia rependere. Hinc enim cum ſeruum videret à conſeruo ſuffocari, cui ipſe omne debitum remiſerat, ita percitus dixit ei: *Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me; non ne ergò opportuit, & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum*. Matth. 18. verſ. 32. Statimque ipſum tradidit tortoribus cruciandum. Et cur Dominus ſic excandeſcit aduerſus ſeruum, qui alias benigniſſimus eſt? Audi Chryſoſt. hom. 20. in Matth. *Quid hoc Domino benignius cogitari poteſt? Cum ei deberet decem milia talentorum, nec verbo quidem illum contriſtauit, neque ſceleſtum vocauit, ſed venumdari tantum iuſſit, idque in hoc vt abſolueret eum à debitis; poſtquam autem erga conſeruum malus apparuit, tunc demum iraſcitur, & exaſperatur*. Qui irrogatam ſibi iniuriam patienter ſuſtinuit, & omne debitum dimiſit ſeruo infideli, cum ipſum inhumanum in conſeruum vidit, ad vindictam properat: quaſi ab illo diſceret non parcere, & erudiretur ad ſupplicium; vndè Chryſolog. Serm. 71. *Homo tibi miſericordiæ factus eſt ipſe menſura; quantum quæris miſericordiæ fac tantum*. Non aliundè Deus menſuram ſumit ſupplicij, niſi à noſtris operibus, quod nos facimus, ipſe imitatur.

Verſ. 9. Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali.

Verſ. 10. Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua.

Verſ. 11. Quia lapis de pariete clamabit: & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.

ANNOTATIO VII.

Expoſitio Litteræ.

1. Alia parabola eandem ſententiam, quam præmiſerant, exornant, qui Regi Babylonis inſultant, & conuitiali ænigmate ſuper ipſum rident. Id autem primò oſtendunt, quod auaræ diuitiæ malè partæ, & rapina poſſeſſæ Chaldæorum regiæ domui damni, & nocumenti attulerunt. Eius autem exemplo oſtendunt, quam multum decipiantur, qui imperium, & ingentes opes eo animo per iniuriam, & rapacitatem acquirunt, vt commodius, & ſplendidius vitam degant, & ab omni malorum incurſu his præſidijs reddantur tutiores; cum potius pernicioſa ſibi, ſuiſque, & quæ ſibi tandem ac domui ſuæ exitum, & ruinam parat, huiuſmodi ſit auaritia.

2. *Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ*. Sic ſenſum capio: ideſt, propter domum ſuam in augmentum, vtilitatem, honorem, & fortitudinem domus ſuæ. Ita vt illud *domui ſuæ*. Non iungantur adiectiuo nomini *malam*: quod perpetuum epitectum auaritiæ eſt: ſed cum verbo *congregat* copuletur. Sitque ſeries, & ſtructura verborum: *Væ qui domui ſuæ congregat auaritiam malam*. In hunc ſenſum vertit Pagnin. Paraphraſticè. Væ auarum ſectantem auaritiam malam, vt domum ſuam ædificet, & extollat. *Domus* autem nomine non ſolum locum manſionis, ędeſque, ſed ſtatum, atque familiam, liberos autem in primis, vniuerſamque progeniem, ſed & dignitates quoque, & honorem ſcriptura diuina ſignificat. Quo pacto domus Dauid, & domus Iſrael pro tota Dauidis, atque Iſraelis poſteritate ſumitur. Etenim auari,

auari, & ambitioſa domorum capita faciunt, quoad fieri poteſt, vt ſuam proſapiam nobilitent, eamque opibus, ac titulis extollant, ſed exile ſemper fundamentum iaciunt: quia quod ex alieno ſanguine exſtruitur, vanitatis molem ſuſtinere non valet, & vel leui aura abit in ruinam.

3. *Vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat à manu mali*. In excelſo verò, in conſpicuo, aut in tuto loco ſignificat. Scilicet vt à periculo immunis omnes ſuperet, atque clarus euadat. *Nidum* autem dixit ex aquilarum metaphora, quæ vndique conquiſitam materiam in eum locum, quem ponendis nidis optauerint, congerunt, eoſque quam poſſunt aptiſſimè componunt, atque ſubſternunt. Nidulantur verò (vt ait Iob 39. verſ. 27.) in arduis ſaxis, & præcipitijs, vt pulli tutiores ab inſidijs reddantur. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? In petris manet, in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus*. Nidi autem tranſlatione Habacuc facilè oſtendit, non ſibi tantùm Nabuchodonoſorem, ſed & filijs, ac nepotibus ſuis, poſteris denique conſuluiſſe. Sed euentus fefellit ſpem; quia non quomodo cogitant, accidit auaris. Nidum enim ſibi in montium iugis aquilarum ſuperbiam imitantes extruunt, quo credunt, inimicorum arma non aſcendere, neque tempeſtates, aut terræ violentos motus fundamenta poſſe conuellere: ſed decipiuntur planè; quia ibi magis fulminum ictibus exponuntur. Audi quæ parabolizantes ſubiungunt.

4. *Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua*. Eleganter dictum. Cum tu potentiam, & diuitias tuas augebas, cogitans de regni perpetuitate, tunc non incolumitatem, & firmitatem imperio tuo, & tuis poſteris cogitabas, ſed confuſionem, & ignominiam: quia illis ſceleribus hanc pœnam commeruiſti, vt deleretur imperium tuum, & tua poſteritas. Ad eum modum, quo ille naufragium amare dicitur, qui vndis ſe committit tempore, quo iugruit tempeſtas: ſuſpendium optare, qui latrocinia exercet; ſpoliari cupere, qui Theſaurum portat in via: ſic inquam, Babylonius auarus Princeps, quia rapinam meditabatur, & cædes, extremum, exitium, & confuſionem domus ſuæ cogitaſſe dicitur. *Concidiſti populos multos*. Dum has diuitias comparabas, & congregabas numeroſas opes, deſtruxiſti multos populos, & grauiter peccaſti multos iniuria afficiendo, & prouocaſti iuſtitiam Dei, vt cito potentiam tuam deleret: quia turpiter à tua prætenſione aberraſti. Peccare enim non ſolum ſignificat ſceleratum aliquid operari, ex quo labes in anima reſultat, quæ peccatum dicitur: ſed (vt bene notauit Pagninus) deflectere à ſcopo, & aberrare à prætenſo. Et certè ſic Nabuchodonoſori contingit: nam cum ille per rapacitatem, & furtum plurimas congregaret diuitias, vnde putabat imperium ſtabilire, quod finis erat ſuæ cogitationis, nunquam ad illum finem media direxit, quin potius ſibi obſtitit, & ſuam cogitationem euertit. Exindeque errare ſic accipit Pagninus, vt idem ſit, atque à via, & inſtituto deflectere: quod etiam accidit, vbi nulla intercedit culpa. Non impropria hæc expoſitio videtur: ſed magis arridet, quod plurimi cum Hieronymo, & Tigurina tranſlatione indicant; videlicet Nabuchodonoſorem cum gentes diripiebat, & ſpoliabat opibus, in ſuam animam peccaſſe: nam non tam alijs deprædando nocuit, quam ſibi, & ſuæ domui, cum vltimam ruinam & ſibi, & poſteris inuexerit. Hoc enim eſt, quod confeſtim connectunt, qui væſaniam Babyloni derident.

5. *Quia lapis de pariete clamabit*. In ferè omnium ſententia loquitur Vates de materiali domus ſtructura, quam aut conſtruxerunt ſibi Chaldæi, aut alijs euerterunt. Dubium tamen eſt, an hic clamare dicantur domus inuerſæ, & dirutæ tyrannica impij Principis manu, aut illæ, quas ipſe ædificauit opibus furto acquiſitis? Hieronym. clamorem eſſe putat illarum domuum quas militaris furor, & truculenta Chaldæorum rabies diruit. *In tantum* (inquit) *crudelitatis bacchatus es (ſic vt dici poteſt) lapides ciuitatis, & ligna parietum, quos ſubuertiſti, tuam ferociam clamitent*. Sed licet hoc non incongruum videatur; ſuſpicor de lapidibus loqui Prophetam, quos deſtructis domibus, ad ſuam fabricam, ſeu ornamentum diſturbata ſaxa, & diſſipatas trabes adduxit; ita vt voces illas darent lapides, & ligna, quæ erant in ædifi-

cijs

cijs palatiorum, arcium, vel murorum Nabuchodonoſoris, contra ipſum vindictam à Deo petentia, quia ille rapuit, vel certè quia nummis ex rapina partis exſtruxit.

6. *Et lignum, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.* Non conuenit inter Interpretes, quid per lignum inter iuncturam debeat intelligi. Hieronymus, quem multi ſequuntur, putat, eſſe lignum; quod ad continendos, & ligandos parietes, aut duas parietum partes, in media ſtructura ponitur; adducitque alias duas translationes, quas ſe vidiſſe affirmat congruentiſſimas quidem ad huius capitis contextum: vna eſt: *Lapis de pariete clamabit, quaſi vermis de ligno loquens*: altera. *Lapis de pariete vociferabitur, de ligno loquetur.* Meminit autem Vates huiuſmodi ligni, quod in pariete occultum eſt, & vtraque parte tegitur; atque vermis, qui in ipſo generatur. Quaſi dicat: Quę occulta videntur, & non apparent hominibus, coram Deo, quem latere nihil poteſt, clamabunt, & accuſabunt te. Quod quidem vim habet maximam ad exaggerandam accuſationem: nam ſi occulta ligna clamant, & exaudiuntur contra iniuſtum raptorem, quanto magis quę oculis ſunt obuia, & euidenter cognoſcuntur eſſe ab alienis domibus ſublata. Translationes autem adductę à Hieron. egregium habent ſenſum: etenim denotant, neque die, neque nocte voces intermitti, quę violentum poſſeſſorem accuſant: ſicut vermis, qui lignum corrodit, die, ac nocte edit quemdam ſonum planè moleſtum. Quo ergo pacto tranquillum ſonum ducere poterit, qui aſſiduè accuſatorum inimicas voces audit? Sicut enim ſuccisæ ligna tineas alunt, & vermes, qui illa omnino perdunt, & moleſto ſtridore ſomnos adimunt, & quietem turbant; ſic opes furto aut vi, ideſt immaturo tempore ſublatę tineas ſecum afferunt, quę ruinas minantur, & conſcientię morſus, ac mentis angorem.

DISCURSUS I. MORALIS.

Non proſunt, ſed obſunt, quæ Deo relicto peccatis acquiruntur.

1. NOn ſolum Sacri Expoſitores cœleſti ſapientia imbuti, ſed & prophani humana doctrina eruditi docent ea, quæ malè ſunt parta, aut Iniquè comparata, non poſſe eſſe diuturna, non proficuä, non augere opes, ſed in nihilum redigere. Scitè dixit Euripides. *Non probe vnquam inter homines illas opes, quæ facilius delentur à Deo, quam ſcribuntur.* Ociſſimè volant malè acquiſita: & vix diues talis ſcribitur, cum iam pauper videtur. Veniente Domino regionem Genazerorum occurrerunt ei duo homines de monumentis exeuntes à dæmonibus obſeſſi, & dicentes: *Quid nobis & tibi IESV Filij Dei? Veniſti ante tempus torquere nos.* Erat autem non longè ab eis grex porcorum; petuntque à Deo, vt illos mittat in gregem, qui & annuit. *At illi exeuntes abierunt in porcos. Et ecce impetu abijt totus grex præceps in mare, & mortui ſunt in aquis.* Matth. 8. verſ. 29. & 32. Alienum videtur à Dei miſericordia; quod ipſi placuerit alienum gregem ſpiritibus immundis tradere, vt præceps in mare rueret, & aquis mergeretur: nullum enim Deus ex ſemetipſo patitur iniuſtè lædi. Vt quid igitur bona illius ciuis ſic diripi conſenſit, vt velociter diſparuerint, & inſtantaneè abierint in ruinam? Auſculta Rupertu lib. 7. de gloria, & honore Filij Dei c. 8. difficultatem diruentem. *Hoc quicunque requirit, ſcire debet homines regionis illius tales fuiſſe, qui non ſolum porcorum ſuorum damna, verum etiam pœnas omnimodas deberent ſuſtinere.* Et poſt pauca. *Sic & iſtis* (videlicet Genazerenis) *veraciter dicere potuit. Iſti enim non ſolum non crediderunt, cum tantas virtutes vidiſſent, verum etiam rogauerunt eum, vt diſcederet à finibus eorum. Diſceſſit autem; & contingit eis, ſicut & cæteris regionibus ſtultis, ſecundum ſimilitudinem porcorum ipſarum, qui à dæmonibus agitati præcipites in mare abierunt, & mortui ſunt.* Petierant homines illius regionis, vt Chriſtus recederat ab eis. Receſſit, & illorum bona diſſipata ſunt, quia diuitiæ & opes, quæ Deum elongare faciunt, bona, quæ Deo relicto acquiruntur, non proſunt, ſed obſunt, euaneſcunt, & diſparent, atque illorum Dominos in baratrum detrudunt: in poteſtatem dæmonis traduntur, vt citiſſimè elabantur, atque nullum commodum ex illis reportent. De magno illo ſacerdote IESV ſtante coram Angelo Domini dicitur (Zachariæ 3. verſ. 1.) quod *Satan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei.* Quærunt interpretes de quo eum illum accuſabat? Reſpondent Hieron. & Lyra, & alij accuſatorem fuiſſe, quia vxorem

alienigenam accipiebat. Sed aduertere licet, quod adhuc poſtquam vxorem duxit, dicitur ſordidis veſtibus indutus. *Et veſtitus erat veſtibus ſordidis*. Non mirum, quod antequam duceret vxorem, veſtibus deſpectis, & impolitis indueretur: at poſtquam ad meliorem ſtatum acceſſit, & pretioſam dotem accepit, quomodo ſordidus adhuc exiſtit? Cur non ſe extersit, & prætioſis, ac mundis veſtibus exornauit? Non difficilis ſolutio eſt. Sacerdos ille contra legem Dei vxorem duxit: diuitiæ autem, quæ contra Dei legem poſſidentur, non proſunt, non ſplendent, non abſtergunt: ſed potius coinquinant. Adhuc accepta diuite dote veſtitus erat veſtibus ſordidis. Quia malè partæ opes nulla ex parte proficiunt.

2. Naues illæ, quæ Tharſum nauigabant, procelloſas vndas, & maximas tempeſtates fuerunt perpeſſæ: quod annotauit Dauid Pſ. 47. verſ. 7. *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis*. Id eſt maxima ventorum, ac tempeſtatum turbine naues conteres ad Tharſum properantes. Quænam hæ fuerint naues, & ob quam cauſam à Deo perhibeantur frangendæ, & lacerandæ, non facilè Interpretes decernunt. Plerique ſeniores cum Genebrardo aiunt, naues has potentiſſimas eas fuiſſe, quibus Salomon ab India aurum optimum, & maximas diuitias aſportabat; Tharſis namque in horum opinione regionem Indiæ ſignificat. At cur Dominus diſſipaturus dicitur vehementer naues, quibus ſapientiſſimus Rex opes, & aurum aſportabat ad templum fortè deaurandum, aut ad regni ſalutem reſtaurandam? *Quoniam quæuis nauis è Tharſi in medio mari erat innatans vitioſitas*: ait D. Greg. Niſſen. Quælibet nauis erat ipſamet malignitas ſuper vndas, diuitiæ verò, quæ dæmone medio acquiruntur, & poſſidentur, habentibus non proficiunt, ſed à Deo diſſipantur, fugaces ſunt, & inſtabiles: quot merces, tot auaritiæ: quot donatiua, tot iniuſtitiæ. Contra naues ergo tot ſceleribus onuſtas æquum erat, vt mare magnis tempeſtatibus armaretur, vt eas abſorberet, ne alicuius deſeruirent commodo: quia nulli proſunt, quæ malè comparantur. Magiſtrum Iudas vendidit denariorum numero: & ſtatim pergit ad templum, & ſpargit pecunias, quas noluerunt recipere ſeniores. *Non licet eos mittere in corbonam; quia pretium ſanguinis eſt*. Matth. 27. verſ. 6. Omnes recuſant huius modi pecuniæ dominium: nec Iudas eam ſeruat, nec Principes recipiunt; imò vt nullus illius ſit Dominus, morti deputatur, & in ſepulturam peregrinorum inſumitur. Quid cauſæ? Pecunia quæ tam auidè comparatur, quomodo tam facilè deſpicitur? *Quia pretium ſanguinis eſt*. Pretium fuit ex culpa, & auaritia reſultans: & idcircò nullius viuentis vſibus inſeruit; alicui tantum conceditur in ſepulchrum: quia non commoda, ſed mortem afferunt, quæ furto, & rapina poſſidentur, fugitiua ſunt, nullum recognoſcunt dominium, & vix poſſidentur, cum è manibus elabuntur. Et nonniſi cruciamenta afferunt poſſeſſori. Auarus ille diues, cuius cenſus è pauperum teculis erat congeſtus, apud inferos detruſus clamabat ad Abraham: *Pater Abraham mitte Lazarum, quia crucior in hac flamma*. Luc. 16. Quæ nam illa erat flamma, quæ cruciabat diuitem, & à qua ſignatè torquebatur? Sat eſſet dicere crucior in inferno, vel in igne, vt tormentorũ ſuorum grauitatem ponderaret, quid illa flamma acerbitatis addidit? Audi Iſidorum Peluſiot. epiſt. 215. *Alijs autem opes aggeris, quibus quemadmodum & tibi plures cruciatus accumulas. Quo circa ſi tibi cordi eſt, & illos & te ipſum igni eximere, multi te Lazari circumdant: in eos pecuniarum flammam excute, & cum his illic refrigerationem, ac ſolatium conſequeris*. Pende illud: *In eos pecuniarum flammam excute*. Flamma, quæ diuitem cruciabat pecunia erat, qua pauperes defraudauerat, & per furtum, & rapinam acquiſierat: ignis pro auro fulgebat, & intra loculos, vbi congregauit diuitias, flammam accendit æternaturam ſupplicium. Verum cur non in igne, ſed in flamma cruciari dixit, quæ pallore aurum referebat? Sanè vt volatilem diuitiarum poſſeſſionem ſerò fateatur. ignis enim inductus in ligno, etſi viuaciſſimus ſit teneri forcipe, aut alio quouis inſtrumento queit, at flamma tam fugacis naturæ eſt, vt nullo valeat artificio apprehendi, nullo detineri ingenio, in momento, in ictu oculi crepitat, ſplendet, & diſparet: igitur ab intellectu, quem vexatio dedit auaro, nouiſſe credas voliticam, & fugacem diuitiarum naturam, & in flamma ſatis expreſſam: ab auri ſpecie, quæ refulgebat in flamma, cruciatur acerbè, ſeuerè torquetur, & pecunia, quæ vix vnius inſtantis attulit gaudium, æterna poſt intulit cruciamenta.

3. Pulchrè fugacem hanc diuitiarũ acquiſitarum rapina deſcripſit Dauid conditionem, *Catuli Leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi*. Pſal. 103. verſ. 21. Cardin. Hugo per Leones ad prædam diripiendam paratos, & cruente rugientes Principes, & potentes carpit, qui bona Dei, & pauperum auara rapacitate furantur. *Sæuos Principes*, ait, *qui rapiunt bona Dei. Ideſt, religionum, & pauperum hominum*. Sed attentius aduertenda ſunt verba Pſalmographi, quibus Principes carpit, & opulentos viros inſtar Leonum rugientes ad prædam pauperum. Ait enim: *Rugientes vt rapiant, & quærant*. Præpoſtera namque videtur ſeries, & collocatio verborum: prius enim eſt, vt auari raptores inueſtigent, & quærant prædam, & poſtea vt rapiant. Quis enim tam hebes eſt, vt, quod iam rapuit, mox diligenter quærat? Quis, quod iam habet, quærit, vt rapiat? Etenim inueſtigatio negotioſa eſt non poſſeſſi. Vt

quid

quid igitur Dauid priùs huiuſmodi auaros rapere affirmat, & poſteà quærere? At conſultiſſima ſunt Prophetæ verba, quibus taxat, & arguit diuitum auaram rapacitatem: nempè vt Prophetico ore ſanciat, quod quamuis ſolers diuitum auaritia multas opes iniuſtè congerat aſtu, vi, rapina, quantumuis inter ſuas opes diuitias repoſitas habeat, quas rapuerat, tam citò elabi, perdi, & diſſipari, vt vix rapuerit, cum eas ſtatim quærere ſit neceſſe. Nam opes ex aliorum egeſtate comparatæ detrectantes iniuſtum poſſeſſorem ſic defluunt, & euaneſcunt, ſic diſſipantur, & pereunt, vt inter ſuas diuitias computari non debeant; quia vix raptæ ſunt, & congeſtæ inter ſuas opes, cum ſtatim vt perditas, & fugitiuas quærere illas poſſit. Hinc Iacob de Beniamin locutus arcanè dixit: *Beniamin lupus rapax: manè comedit prædam, veſperè diuidit ſpolia*. Gen. 49. verſ. 27. Si tanquam lupus rapuit, quomodo ex ijs, quæ rapuit, manè comedens, veſperè, quæ ſuper ſunt, diſtribuit? Cur prædam non diuturniori tempore ſibi reſeruauit? Ita ne regij animi eſt lupus, vt cum liberalitate ſpolia diuidat? Cur veſpere non comedit, quod manè rapuerat? Quia *commune eſt* (inquit Oleaſt) *vt raptores breui tempore poſſideant, quæ rapuerunt*. Vſque adeo enim infidæ ſunt, & volaticæ diuitiæ rapina partæ, vt ſtatim poſſeſſorem deſerant, vt naturalem dominum quærant. Et quidem meritò: quia indignum eſt, vt aliorum ſit poſſeſſor bonorum, qui ea labore ſibi non acquiſiuit: ſed fraude dolo, & rapina comparauit.

4. Expreſſit hoc apprimè Iob, cum de impiorum, & violentorum rapacitate agens dixit: *Ædificauit ſicut tinea domum ſuam, & ſicut cuſtos fecit Vmbraculum* c. 27. verſ. 18. Cur qui per rapinam domum erigit, & ex aliarum domorum inuerſione ſuam ædificat, tineæ comparatur? Auſculta Lyram. *Tinea enim rodendo veſtem facit ſibi domunculam ſuam: ſed cum veſtis excutitur, tinea de domo ſua eijcitur; ſic talis eijcitur de domibus ſuis, quas ædificauit cum labore, & expenſis*. Dum enim in veſte domum ſibi ædificat tinea, veſtem ipſam corrodit, & debilitat, atque adeo eam deſtruit, vt non diu poſſit durare domus illa? Sic iniuſti raptores decipiuntur, dum domus ſuas erigere rapinis tentant, quia non tam ipſas, quam ipſarum ruinas moliuntur. Sibi non conſtat ædificium ſupra fundamentum tam exile erectum, nec diuitem facit huiuſmodi auiditas, ſed pauperem; quia vix erigitur ex alieno ære ædificium, cum elabitur. Idem & in illo, quod ſequitur, Hemiſtichio. *Et ſicut cuſtos fecit vmbraculum*. Vbi Lyra *ad habitandum ad tempus modicum (ſcilicet) tempore maturationis fructuum*. Etenim qui tabernaculum ædificat ad pomorum cuſtodiam, illic quam primum deijcit, & alio comportat, nec vſquam apparet hiemali tempore tugurium. Sic qui ex pecunijs iniuſtè congeſtis domum ædificat, etſi lapides fortiſſimos iaciat, non firmius exſtruit ædificium, quam ſi è cæſpite, atque ramis vmbraculum faceret. Nec ſolum huiuſmodi phantaſtica ædificia vmbracula vocauit Iob, quia fictilia ſunt; ſed quia ſicut vmbra prætereunt. Vndè dixit Chryſoſt. hom. 33. in Ioann. *Quid autem omnino ſunt diuitiæ? Vmbra iners, fumus, qui citò euaneſcit*. Sicut enim qui manum mittit ad vmbram, vacuam extrahit: ſic qui huiuſmodi, ſimulatas opes poſſidet, ſi neceſſitatis tempore, ad eas manum mittat euaneſcunt, & nullum earum niſi vmbratile apparet veſtigium. Hinc dixit Sapiens. *Qui ædificat domum ſuam impendijs alienis, quaſi qui colligit lapides ſuos in hyeme*. Eccleſiaſt. 21. v. 9. Ac quo pacto qui alienis, atque furto ſublatis opibus domum ædificat proinde facit, ac ſi in hyemali tempore, quando domus maximè neceſſaria eſt, illam ædificaret? Audi Lyram. *Nam ædificium tale non eſt ſtabile; ſic domus per rapinam ædificata*. Domus enim in hyeme conſtructa non eſt diuturna, cum eo tempore (vt experientia docet) non bene coagmentetur, ſolideturque conſtructio. Vnde aptiſſima eſt 70. Lectio. *Qui ædificat domum impendijs alienis, quaſi qui colligit lapides ad ſui ſepulchri tumulum*. Ædificium enim hyemali tempore exſtructum, quaſi ſepulchrum eſt: nam habitantes ex inopinato opprimit, quia præter opinionem ruit, cum noua ſtructura doloſè diuturnitatem polliceatur. Non ſecus qui ex alieno ſanguine ſolidare ſtructuram ſuæ domus conantur. Non enim protectionem, & ſubſidium faciunt, ſed ſepulchrum, vbi citiſſimè, & diuitijs malè acquiſitis ſpoliantur, & vita.

5. Eadem metaphora de inſubſiſtentia rapacium diuitum loquebatur Abdias c. 1. verſ. 4. *Etſi exaltatus fueris vt Aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum: inde detraham te*. Nidum vocat Propheta domus ac palatia, quæ diuites auari per fraudem, & rapinam ſibi conſtruunt. Quia vt ait Ribera. *Pulchrè etiam nidum ponere dicuntur inter ſidera: quia vt maximè laborant pro firma ſibi, & quieta vitæ ſuæ ſecuritate quærenda, nidus tamen eſt, quem conſtruunt, & fœno, & ſtipulis conſtat: magno labore confectus eſt, ſed minimo diſſoluitur*. Et vlterius ſuſpicor: non dixiſſe, ſi inter ſidera poſueris vrbem tuam, domum, aut palatia. Sed *nidum tuum*: quia illa omnia magna ſunt, & idcircò latere non poſſunt; nidus autem cum exiguus ſit, ſi paulò ſit ſublimior, non poteſt à terra videri. Sic (inquam) palatia, & domus alieno ære per rapacitatem, & prædam erecta, nidus ſunt conſtructus ſuper ſidera, qui non videtur. *No les luce lo que tienen*. Hiſpanè dicitur, quia quæ iniuſtè comparantur, diſparent, effugiunt, nec proſunt ad vtilitatem, ſed incommoda efferunt. Dæmonis aſtu voluit Prothoplaſtus Adamus Diuinitatem ſubripe-

Digitized by Google

ripere: comederunt ipſe, & vxor eius ex arbore vetito, & ſtatim, *cognouerunt ſe eſſe nudos*. Geneſ. 3. verſ. 7. Vnde Diuinitatem ſuſpicabatur hautire, nuditatem hauſit. Rationemque reddit text. *Quis indicauit tibi, quod nudus eſſes? Niſi quia de ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti*. Vbi Rupert. lib. 3. in Gen. c. 15. *Hæc ipſa ſcientia, quanudum te eſſe perſpexiſti, culpa eſt, quia rapina eſt*, Atquæ connexio nuditatis cum rapina, vt ex raptu nuditas inferatur, cum potius ad veſtes, & poſſeſſiones poſſidendas rapina inſeruiat? Ingenioſè quidem: quia diuitiæ iniuſtè comparatæ, & contra legem Dei acquiſitæ non tegunt, ſed detegunt: non ditant, ſed depauperant: non veſtiunt, ſed denudant: non proſunt, ſed obſunt.

DISCURSUS II. MORALIS.

Nihil Refert, Præſtantiores Miniſtros eſſe in iuſtitia præſtantes, ſi inferiores ſunt auari.

1. TAm crebro ſeruorum nequitia dominorum honor periclitatur, vt vix aliquis ab hac infamia inueniatur immunis: malum enim neceſſarium, & ineuitabiles ſunt inimici; neque ſine illis commodè, neque cum illis decenter poteſt viui. Vetus erat prouerbium, *Qui multiplicat ſeruos, multiplicat furta*. Et nondum aboluit, Nec dominorum tantum domos diripiunt, ſed ab illa dependentes ſpoliant. Sæpiſſimè ingenui Miniſtri famulatum habent pernicioſum, cuius rapacitate commaculatur eorum opinio. Quid prodeſt Magiſtratui, ſedula integritate muneri ſuo incumbere, integerrimè iuſtitiam adminiſtrare, ſi eorum famuli candidatos ſpoliant, & ſuffurantur eos, quos domini innocuos relinquunt, atque inferiores Miniſtri conſtuprant iuſtitiam, quam ſupremi inuiolatam ſeruare contendunt? Vbi primum Iehu in Regem Iſrael Dei præcepto fuit vnctus, qui aderant, & quibus grata erat huiuſmodi electio, vt ipſam applaudere viderentur. *Feſtinauerunt* (inquit text.) *& vnuſquiſque tollens pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus eius in ſimilitudinem tribunalis*. 4. Reg. 9. verſ. 13. Chaldæus ſingulariter transfert. *Poſuerunt ſub pedibus eius ad gradum horarum, ſeù ad horologium ſolare*. Miriſſimum valdè eſt, quòd tribunal in quo primò Rex acclamatur, & iuratur Princeps, horologium vocetur. Quid cum regali munere, dum in tribunali ſiſtitur Rex, horologium habet commune, quòd tale vocatur? Crediderim: quia ſicut, vt rectum ſit horologium, quod ex maioribus, & minoribus rotis componitur, non ſatis eſt, quod maximæ rotæ ordinatè moueantur, ſed etiam inferiores, quia quæcumque ex illis præcurrat, retardetur, aut immobilis exiſtat, totum horologium inuertitur, & non rectum dicitur: ſic licet Magiſtratus iuſtitia præſtantes ſint, ſi eorum famuli, aut inferiores iuſtitiæ miniſtri auari ſunt, ſi præcurrunt ad munera litigantium, aut retardantur ad inopiam, totum tribunal non rectum dicitur. Et idcircò tribunal, vbi primò Rex vngitur, & coronatur, non horologio, quod ex multis rotis componitur comparatur, ſed ſolari: quia ſolare horologium non à rotis dependet: proindeque à veritate, & rectitudine non deflectit. Vbicumque minor fuerit miniſtrorum numerus, rectius præualebit iuſtitia, & ſecuriùs ſuperiorum Magiſtratuum opinio firmabitur, quæ plerumque ſatellitum, & aliorum miniſtrorum rapacitate periclitatur. Vt enim ſtatua Nabuchodonoſoris, etſi caput haberet aureum, fuit penitus lacerata, & confracta, quia pedes habebat luteos, qui lapide vix tacti totam ſtatuam euerterunt; ſic iuſtitia ſæpè numero cadit, & temeratur, quia etſi Magiſtratus, qui rectè caput appellantur, ſint recti, & ex auro virtutis conflati, adminiſtratores iuſtitiæ fictiles ſunt, terram, & lutum intuentes, muneribus mouentur, & conteruntur, ob quorum cupiditatem violant, ac præcipitant iuſtitiam, & tacti lapide aliquo pretioſo, vel quouis alio omnia peruertunt iura.

2. Jacob iam iam moriturus ad Ioſeph, quem maximè diligebat, ſic alloquitur: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo*. Geneſ. 48. verſ. 22. Non facilè decernunt expoſitores, quænam pars hæc fuerit, in qua Iacob prętulit Ioſeph. Plurimi agrum Sichimorum fuiſſe affirmant. Quod magnam difficultatem ingerit: quia verificari nequeunt verba illa, *in gladio, & arcu meo*, quæ militarem vim, & apparatum bellicum denotant. Inſpecta autem attentè ſacra pagina, nullibi habetur Iacob pro agro Sichem vſquam contendiſſe, neque cum Amorrhæis geſſiſſe bellum, Hieronym. putat, difficultatem diruere his verbis. *Quod autem dicit, ſe eam in gladio, & arcu poſſediſſe: arcum hic, & gladium iuſtitiam vocat*. Sed quo pacto Hieronym. arcum, & gladium iuſtitiam vocat, ſi (vt ſupra enarrauit Moyſes) illum agrum agnis centum emit Iacob, qui pro pecunia tunc temporis deſeruiebant? Num quia pecunia iuſtitia eſt, aut quia arma ſunt neceſſaria, vt iuſtitia in tribunalibus obtineatur, quia Aſtræa, auara metamorphoſi, in Palladem verſa eſt? Vel denique, quia qui iuſtitiam adminiſtrant, armare ſe debent contra eos quibus eam adminiſtrarunt? Vt enim dicebat Bias apud Laertiũ lib. 1. *Mallem inter inimicos iudicare quam inter amicos: quippè ex*

Digitized by Google

pè ex amicis alterum futurum inimicum. Fortè propter dicta, quæ non incongrua videntur, dictum eſto. Sed ad rem noſtram idcircò ſuſpicor iuſtitiam à Hieronymo gladium, & arcum nuncupari, quoniam tamcirca internos, quam circa externos adminiſtrari debet. Arcu enim res diſtantes vulneramus; gladio, quę iuxta nos habemus, ferimus. Sic iuſtitia vt integra ſit, non ſolum exteros, cum res poſtulat, debet ferire, ſed miniſtros inferiores, qui iuxta ſunt, damnare. Parum enim refert, quòd in Magiſtratuum manibus arma ſint ad nocentes feriendum, ſi in miniſtris inferioribus non arma ſunt, ſed ſacculi ad auarè rapieudum. Tenentur enim ſupremi Magiſtratus rapacitatem inferiorum coercere: nam vt dicebat D. Ambroſ. lib. 4. in Lucam cap. 4. *Non tantum ſatis eſt, ſi lucrum ipſe non quæras, familiæ quoque tuæ cohibendæ ſunt manus.*

2. Præeminebat inter ſex viros, quos vidit Ezechiel, vir auguſta maieſtate conſpicuus, Sacerdotalibus veſtimentis ornatus, qui iuxta diuinæ æquitatis normam Hieroſolymæ ſcelera plectere veniebat: ad quod munus quinque miniſtros habebat adiunctos. *Appropinquauerunt* (inquit text.) *viſitationem Vrbis, & vnuſquiſque vas interfectionis in manu ſua. Et ecce ſex viri, & vniuſcuiuſque vas interitus in manu eius.* Ezechiel. 9. verſ. 1. Pro vaſe in Hebræo eſt *Gele*, quæ dictio arma etiam ſignificat, eſtque frequentiſſima locutio. Geneſ. 49. *Vaſa iniquitatis bellantia.* Et idcircò Hector Pintus vertit. *Et vnuſquiſque tenebat manu arma ad interficiendum, ſiuè interfectionem.* Congruit 70. lectio. *Vnius cuiuſque ſecuris in manu eius.* Iam igitur ſciſcitari licet; ad quid miniſtri omnes qui ad Hieroſolymam corripiendam venerant, arma in manibus portant, & ad quid illa portare, tam expreſsè perhibetur? Etenim ſufficeret virum illum, cui committebatur huiuſmodi executio, arma portare, quin ipſum comitantes ea deferrent, quia fortè immiſericordes in ſupplicijs excederent. At niſi ita accederent, iuſtitiam non rectè adminiſtrare, crederetur. Idcircò ſcelera Hieroſolymæ iuxta æquitatis præſcriptum punita ſunt, propterea iuſtitia rectè adminiſtrata, quoniam non ſolum ſuperior Magiſtratus arma ſecum tulit, ſed etiam inferiores miniſtri arma ad executionem ſententiæ portarunt, vt vniuocè operarentur. Hoc (inquam) rectæ iuſtitiæ adminiſtrationi intererat: nam nihil refert, quòd Magiſtratus præditus ſit virtute, & iuſtitia præſtans, ſi miniſter inferior iniuſtus, & auarus eſt. Quid intereſt, quod ſupremus Adminiſter iuſta decernat, ſi inferior non ſecurim portat ad feriendum nocentes, ſed ſacculum ad pecuniam deportandum? Non ſolum iuſta decidere debet Magiſtratus, ſed curare, vt ea exequantur: quia raro inferiores miniſtri iuſtitiam non temerant, quam illibatam ſeruatuere ſupremi.

4. Adeò ſerpit auaritia in miniſtrorum inferiorum turbam, vt miraculum reputetur eſſe aliquem, qui litigantes, aut delinquentes innoxios relinquat. Comprehenſo Petro cum iam eum erat producturus Herodes, in ipſa nocte Angelus Domini apparuit: ipſum velociter ſurgere præcipit. Solutis autem Catenis, quibus ligabatur, & vndequaque indutus, cum primam, & ſecundam cuſtodiam Angelo comitante tranſiſſet, veniſſetque ad portam ferream, dixit: *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni exſpectatione plebis Iudæorum.* Actor. 12. verſ. 11. Quis non miretur, quod Petrus Angelum non cognoſcat auxiliatorem, niſi cum ad portam Ciuitatis deuenit, cum talia præceſſiſſent, quæ niſi cœleſti auxilio non poterant contingere? Nam lumen cœleſte ex inopinato refulſerat in habitaculo: ſine humano auxilio catenæ, quibus adſtringebatur, ceciderunt: prima, & ſecunda carceris porta abſque claue fuit aperta: & tamen non agnoſcit eſſe Angelum Domini, qui talia præbebat auxilia, vſque dum plena potiebatur libertate. Taliter Petrus erat attonitus, quòd ignotum habuit tot beneficia conferentem, & manum Dei ibi miraculosè operantem non præſenſit? Præſenſerat verè. Tamen licet ſigna, quæ præceſſerant, omnipotentem, & auxiliatricem Dei virtutem euidenter demonſtrarent; euidentius tamen eam agnouit, cum vnam, & alteram portam carceris pertranſiuit, quin ipſius miniſtri aliquid ab ipſo expoſcerent, quin gauellas, quas ipſi imponunt, extorquerent. Sic eſt rarum, & inuſitatum, immunem, & innocuum, è manibus miniſtrorum eripi, quod Petrus, qui planè viderat tot miraculoſa ſigna, miraculoſius habuit, à carcere liberari ſine miniſtrorum exactione: & tunc firmius credidit cœleſti auxilio eſſe liberum, *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis.* Hinc enim Miniſtrorũ auaram rapacitatem, qui ad bona toto animo inhiant, & nihil aliud cogitant, carpit noſter Vares. *Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ.* Hic verſ. 9.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Nec gratis quidem licet apud malos Miniſtros mori.

1. VOx eſt Diogenis apud Plutarchum: cum enim ille damnatus fuiſſet ad mortem Athenis, ductus ad ſupplicium, & deficiente confeſſione veneno ſi potus, quo in illa Republica mors inferebatur reis, tortore ipſum

ipſum poſcente pecuniam ad toxicum emendum, viriliter, & lepidè dixit: *An nec gratis quidem licet Athenis mori?* Mos illius Reipublicæ ſerpſit in omnes, & miſeri litigantes, vel pro ſententia, quam aduerſam deferunt, vel pro morte, qua tandem puniuntur, pecunias exhibent, & ex illorum iactura lucrum reportant curiales Miniſtri. Non ſolum plerumque litigantes contraria feriuntur ſententia, ſed in Miniſtrorum manibus bona ſua deſerunt. Hinc ſapienter admonebant Caſſiodorus 11. variar. 8. *Si quæritis lucra, vitate potius damnoſa litigia.* Et longè melius D. Ambroſ. 2. de offi. cap. 21. *Diſpendio litis carere non mediocre lucrum eſt.* Et Chriſtus Dominus, vt iurgia, & litigia, quæ tam ingentia incommoda afferunt, relegaret à ſuis, dicebat illis: *Et qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Matth. 5. verſ. 40. At hoc non illorum lucro, ſed iacturæ conſulere eſt. Quid deterius ex lite poteſt accidere, quam quod Chriſtus admonet? Si litigium tantum erga tunicam mouetur, fortè expediet eam dimittere, ne ipſam cum expenſis litigij poſtea à iudice dimittere cogatur. At pallium non exagitanti vt quid relinquet? Ne lite implicatus, & tunicam, & pallium, & omnia bona inſumat. Ne igitur (ait Chriſtus) te liti admiſceas, vel tunicam perdere lucrum eſt, dummodo Miniſtrorum manus effugias: nam in illis pallium ſalutem, & vitam perdes. Non enim Miniſtri lites dirimunt, ſed fouent, & protrahunt, vt tua bona diripiant. Idem eſt, in manus eorum incidere, ac in ſenticoſos frutices, & ſpinoſos ramnos, quibus non tantum læderis, ſed & laceraberis. Hæc inquam vltima ruina litigantium eſt, nam mille artibus illaqueantur, & decipiuntur. *Quod illi faciunt* (inquit Seneca) *qui pretium captant ex litium numero, vel mora.* Cum magno Reipublicæ detrimento.

2. Arcanè miſeram litigantium ſortem deſcripſit Dauid, dum ſe ab illa ereptum gloriabatur, & lætus grates rependebat. *Qui exaltas me deportis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filię ſion.* Pſalm. 9. verſ. 15. Legunt nonnulli, *De portis litium*: quia lites exercebantur in portis, vbi erant erecta tribunalia ad dirimendas litigantium cauſas, vt notum eſt in ſcriptura. Verùm cur qui exercentur in litibus, & indigent forenſibus Miniſtris, atque ipſos pertractant, in portis mortis verſari dicuntur? Non enim congrua videtur ſimilitudo; quoniam qui in mortis limine per infirmitatem eſt, in lecto iacet, de nullo alio curat, quam de ſalute animæ. Qui litigat ſolicitudine laborat, nec curat de anima, ſed totus in lite eſt, immortalibus curis, quæ ad ſuam ſpectant cauſam diſponit, & totus incumbit ſuo negotio. Quo ergò pacto qui litigat, in portis mortis eſſe dicitur? Suſpicor: quoniam, qui in extremo mortis eſt periculo, qui in egreſſu corporis ad quem mors protinus ſubſequitur, conſtituitur, non tantum vitam amittit, ſed & omnia bona ſua deſerit, & ſuperſtitibus relinquit. Sic qui litigat, non ſolum aduerſa feritur ſententia, & ſœpè ad mortem damnatur: ſed abſque bonis ſuis ſpoliatus euadit: pro damno ſuo bona derelinquit Miniſtris; nec gratis quidem moritur, vixque habet ſindonem, & ſudarium, quo poſſit ſepeliri. Ad hoc enim miniſtrorum auaritia lites fouet, prolixa mora prolongat, vt ex illarum procraſtinatione pro damno, quod infert, lucrum reportet. Sic enim Card. Hugo illa verba capit Iſaiæ 2. v. 4. *Conflabunt gladios ſuos innomeres, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Vbi ſummam felicitatem auguratur Propheta, eo quod accidet fallaces, & moroſas Miniſtrorum dilationes eſſe præſcindendas. *Prophetia eſt* (inquit Hugo) *de deſtructione litium, & cauſarum aduocatorum, & legis latorum, qui non quærunt niſi lites, & bella.* Ad hoc lites protrahunt, vt ex nocumento illato pecunias captent, & in perniciem litigantium omnia conuertant.

3. Idem Regius Pſaltes contra litigioſos ſic Deum prouocabat, & ab eis eripi poſcebat. *Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me: qui cogitauerunt iniquitates in corde, tota die conſtituebant prælia.* Pſalm. 139. verſ. 2. & 3. Dubitat nuper datus Hugo Card. quinam iſti fuerint implacabiles inimici, à quibus Dauid tam auidè liberari, deſiderat. Nam quamuis plurimos habuerit, & potentes hoſtes, qui eum ad prælium prouocarunt; non facilè percipitur, quo pacto tota die arma ſumere, & præliari dicantur. Nam Philiſthæi non ſemper ipſum agitabant: Saul aliquando parcebat, & pacatum animum erga ipſum demonſtrabat. His, & alijs rationibus conuictus Hugo credit, ad metaphoricum ſenſum inflectenda eſſe prædicta verba, & de forenſibus Miniſtris hic ſermonem eſſe, qui tota die prælia conſtituere dicuntur: quia nunquam ceſſant fraudes moliri in clientes, & litigantes, vt ipſos deuaſtent, ſpolient, & deprædentur: perpetuo eos profligare contendunt, & non modo ipſorum bona diripiunt, ſed quietem, ſalutem, & vitam. Quod omne ceſſabit, cum huiuſmodi officiales de medio auferentur. *Tota die conſtituebant prælia. Aliquando tamen* (inquit Hugo) *ceſſabunt lites: quia deſtruentur legiſtæ legibus abutentes, quæ propter pacem factæ erant, & ipſi per eas faciunt lites, & bella.* Non aliter prælia Rempublicam deuaſtantia ceſſabunt, niſi diſſipatione curialium Miniſtrorum, qui perpetuas contentiones fouent, & prælia conſtituunt immortalia. Nullum populis vtilius erit beneficium, quam huiuſmodi longas litium moras præſcindere. Ideò enim tantopere laudatur Debbora, quæ, vt cauſas populi iudicaret, & citò decerneret, ſedem, & tribunal inter Rama, & Bethel elegit,

Digitized by Google

git, vt eſſet in medio, ac veluti in promptu, ne litigantes moram facerent diuturnam, & expenſas facerent profuſiores. *Aſcendebantque ad eam* (inquit text.) *filij Iſrael in omne iudicium.* Judic. 4. verſ. 5. *Ad dirimendas lites.* Exponit Saa. Tantæ enim æquitatis erat, vt eius conſilio litigantes facilè acquieſcerent, & & citò eorum cauſæ diſſoluerentur. Et (vt nuper dicebamus) antiquitus tribunalia ad ingreſſum Ciuitatum erigebantur, vbi iudices ſedebant, & ſine officialium interuentu decidebant litigia: ne agricolę, aut verecundia præoccupati, aut timore rapacitatis curiæ, iuſtitiam amitterent, litium nexibus præſtigijſque implicari, quibus, & clientes ſpoliant, & aduerſæ parti nocumenta inferant, iuſtitiam, quam habet, adulterantes: & quidem irreparabiliter omnibus officiunt, & nocentius quam latro, quia quod ſubripiunt, non poteſt repeti, nec reſtitui ſolirat, vt dicebat Verone S. Zeno. Serm. de iuſtit. *Inde fraus, periurium, rapinæ, lites, ac bella: quotidiè mugitibus alienis quæritur lucrum; & perſcriptio induſtria vocitatur, & appetitio rei alienæ ſub prætextu propriæ defenſionis, ac diligentiæ callidiſſimis argumentis, vrgetur, vt quis indefenſus, aut innocens, quod habet legibus perdat, quod eſt omni violentia deterius: quia illud quod vi rapitur nonnunquam repeti poteſt; quod legum circumſcriptionibus, non poteſt.* Hanc, quæ inualuit apud impij Regis Miniſtros, artem deplorabat Vates, de miſera Iudæorum oppreſſione condolens. *Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ.* Hic verſ. 9.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Sæpe Deus hominibus, qui pro ditandis filijs mala agunt, hæredes permittit, qui eorum bona diſperdant, quin de ipſorum animabus curam habeant.

1. MIrum eſt, quanta auiditate inhiant homines, vt poſterorum commodo prouideant: etenim anhelant, ſuſpirant, & euiſcerantur, atque plus de ſucceſſoribus, quam de ſe ipſis curant. Quos labores non perferunt, quæ non moliuntur media, vt opes congerant, domos ædificent, titulos erigant, atque nobilem, ac diuitem proſapiam relinquant? Sumptu enim ſuorum viſcerum ſicut araneæ retia contexunt, & meditantur, non tam ſibi, quam ſucceſſoribus, elebotionem, plus enim ipſorum iacturam præuiſam ſentiunt, quam propriam. Hinc expergectus Noe à ſomno cum cognouiſſet, quod filius eius Cha... reuerenter alijs tra... reuelaſſet, dixit: *Maledi...* MORALIS. *uorum erit fratribus ſuis.* G... Dubitant interpretes, cur non pec... *...ntur*, um, ſed nepotem maledixerit Noe impli... nocentem relinquit, & innocentem grauiſſi... plectit ſupplicio? Non minus pœna aberrauit, quam culpa; hæc filium tot beneficijs patri deuinctum induxit ad irriſionem: illa criminoſum pertranſiens ad inſontem deuenit. Fortè Noe adhuc vino ingurgitatus inſanit, quod delinquentem relinquit innoxium, & innocentem caſtigat? Non ità (Ait acutè Oleaſt.) imò grauiori ſupplicio affecit Cham nepotem maledicens, quam ſi in propria perſona illum feriret. *Mihi verò videtur ideò nepotem, aut filium in nepote maledixiſſe: quod homines ſoleant magis de poſteris, quam de ſe ſoliciti eſſe.* Vt acerbius corriperet filium, nepotem maledixit; quia plus patres ſentiunt iacturam, quæ euenit filijs, quam quæ ipſis accidit. Vehementius ſæuit contra Cham diro anathemate filium eius percutiens, quam ſi in ipſum Cham maledictionem proferret. Frequens eſt in ſacris, & prophanis literis parentes radicibus comparare: ſic Pſal. 79. v. 10. *Plantaſti radices eius, & impleuit terram.* Et ſæpè alibi: Cuius pulchram, & congruentem ſimilitudinem reddit Chryſoſt. *Quod eſt in herbis, atque arboribus humor, hoc eſt in hominibus amor: humor quidem de radicibus aſcendit in herbam, de herba autem non reuertitur ad radices, ſed ſurſum tranſmittitur in ſemen: ſic & amor de parentibus aſcendit in filios, de filijs autem non reuertitur ad parentes; ideò parentes diligunt, ſed non diliguntur.* Finis arborum fructus eſt: humor, quem in radice ſugit, non eſt, niſi vt communicetur fructui: folium quod nutrit, vt à calore protegat, & frigore; radix eſt, quæ fructum ſuſtentat; fructus nihil arbori præſtat, niſi ad ſummum ornatum. Non ſecus in parentibus: omnis eorum amor, eorum omnis cogitatio in lucra filiorum ordinatur: filij autem nihil parentibus tribuunt, ad ſummum, quod eorum memoria non pereat. Adde, quòd ſicut radix terram ſugit, & terebrat, vt frondes, flores, & fructus arboris vireſcant, cum tamen ipſa atra, & denigrata ſit: ſic parentes terram arant, inſudant, & mille laboribus ſunt obnoxij, vt filij alantur, & comptè vireſcant, nihil de ſe, plurimum de illis ſunt ſoliciti.

2. Miranda etenim apud Iob non ſolum tentationem alluuio, ſed & ipſarum ſeries. Primo boues, & aſinas per manus Sabæorum malus abſtulit dœmon: deindè oues igne combuſſit: poſtmodum Chaldæis miniſtris deripuit camelos, & tandem liberos interemit. Sic enim ſtragem referebat nuntius. *Filijs tuis, & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit è regione deſerti, & concuſſit quatuor*

angu-

angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt. Iob. 1. v. 8. Verum cur callidus hoſtis prius ſubſtantiam Iobi diripuit, & abſumpſit, quam liberos abſtulerit? Non enim verſute ſe geſſit. Nam qui iuſtum ſenſibilius affligere conabatur, prius liberos debebat percutere, quam bona; ne fortè dum in bonis diripiendis immorabatur, facultas ipſi conceſſa reuocaretur, & innocuos relinqueret liberos, quorum mors ingentior erat iactura. Vt quid igitur, qui ad omnia profliganda habebat permiſſionem, non à filijs, ſed à bonis inchoauit ſtragem? Præclarè pariter, ac venuſtè D. Chryſoſt. hom. 1. de patient. Iob. *Primum capit hæreditaria bona viuis hæredibus arripere, quod filijs, filiabuſque exiſtentibus per iumentorum amiſſionem lethale accipiat iuſtus mæſtitiæ vulnus. Conſiderauit enim prauus dæmon, liberis fortaſsè prius extinctis, nullo mouendum ſenſu, amiſſione iumentorum*. Satis callidè proceſſit dæmon: prius abſtulit bona, quam filios: quia ſi liberos prius abſtuliſſet, non eſſet, cur doleret Iobus bonorum amiſſione, cum non haberet, quibus ea relinqueret. Lethale tamen vulnus accepit, cum relictis filijs, hæreditatem, & poſſeſſiones, quibus eos poterat ditare, ſurreptas vidit. Nihil tam acerbè parentes ferunt, quam bona non acquirere ſucceſſoribus relinquenda, aut acquiſita deperdere: magna enim ſolicitudine opes ambiunt, & magno dolore feriuntur, cum hæredes bonis, & dignitatibus, quæ ipſi poſſederunt, defraudatos vident. Hinc Moyſes narrans peccatum, ob quod Deus in terram promiſſam ingreſſum illi prohibuerat, dixit: *Nec miranda indignatio in populum: cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: nec tu ingredieris illuc, ſed Ioſue filius Nun miniſter tuus: ipſe intrabit pro te; hunc exhortare, & robora, & ipſe fortè terram diuidet Iſraeli*. Deuter. 1. verſ. 37. Quæ tam magna indignatio Dei fuit, vt illam tam ſtudioſè referat, & tantopere exaggeret Moyſes, atque ſe tam grauiter punitum doleat? Quia, quod Ioſue eius loco ſubrogaretur, vt terram promiſſam ingrediatur: maximè cum eius vitæ tempus ante ingreſſum fuerit adimpletum? Si principatum neceſſe erat Moyſes relicturas eum vita ante promiſſæ terræ poſſeſſionem, quomodo ſeueriſſimum ſupplicium putat, quod Ioſue in munere ipſi ſuccedat? Audi Oleaſt. *Fuit etiam fortè hæc magna Sancti Moyſis tentatio; cum videret ſeruum ſibi ſubrogari, non filium*. Non ægrè tulit Moyſes, quod ipſi denegaretur in terram promiſſam ingreſſus: ſed quod alius præter filium ſuum, & ſucceſſorem ad Ducis officium aſſumeretur. Grauius ſupplicium, non in propria ſenſit perſona, quamuis ipſi magna infligeretur pœna, ſed in filio, quem ipſi non ſucceſſurum in munere, & principatu videbat. Nam nihil ſic parentes torquet, quam filios non poſſe ad hæreditatem adducere, & magnis titulis nobilitare: quippè qui magis de poſteris, quam de ſe ipſis ſunt ſoliciti.

3. Vt autem huiuſmodi deſiderio parentes ſatisfaciant, mala pleraque perpetrant, & cum propriæ conſcientiæ damno lucrum filijs negotiantur. Seruus ille nequam, cuius meminit, Matth. 18. verſ. 25. qui domini bona erat ſuffuratus, vt ea rependeret, præcipitur, venundari, & vxor, & liberi. *Cum autem non haberet, vndè redderet, iuſſit eum Dominus eius venumdari, & vxorem eius, & filios*. Nimis rigidus patientiſſimus dominus videtur, dum propriam libertatem vendere, quæ nullo emitur pretio, præcipit, vt debita ſoluat, qui bona diſſipauerat non ſua. Et licet iuſtitia id exigeret in Villico, in vxore, & filijs non expetebat: nam neque ipſa, neque illi bona inſumpſerant: vt quid igitur pœnas luit, qui non peccauit? Egregiè Oleaſt. ad cap. 32. Iſaiæ difficultatem ſoluit. *Quoniam nouerat* (Rex nempè) *horum gratia eum tot furta, ac debita contraxiſſe*. Vt filios exornaret pretioſis veſtibus indueret, & latis epulis aleret, homo ille bona diſſipauerat, & propterea venundari filios iubetur, quorum cauſa debita contraxerat, & commiſerat furta. Quia ſic parentes amore filiorum diſipiunt, vt cum ſua iactura illorum lucro prouideant: & ferè certum ſit, qui prohibitis non vtitur artibus, eos pauperes relinquere. Hinc paupercula illa vidua, quæ Eliſeum receperat hoſpitio, vexata ab exactoribus, qui debita extorquebant, dicebat ad Prophetam: *Seruus tuus vir meus mortuus eſt, & tu noſti, quia ſeruus tuus fuit timens Dominum. Et ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad ſeruiendum ſibi*. 4. Reg. 4. verſ. 1. Vt ſuam egeſtatem perſuadeat, maritum habuiſſe Deum timentem dicit, quaſi idem ſit illum ſanctum extitiſſe, & filios pauperes neceſſario manſiſſe: idem ſeruum Dei prædicare, & inopem familiam reliquiſſe. Nam qui eam proſperam, & opulentam relinquunt, cum magno animæ periculo id faciunt. Cum autem patres adeò multa pro ditandis filijs committant flagitia, permittit Deus, vt tales illis ſuccedant hæredes, qui bona diſſipent malè parta, & de illorum animabus curam non habeant.

4. Obſeruatione dignum eſt, quam multi in ſacra pagina reperiantur patres, & matres quam plurimæ, quæ pro filijs, & filiabus obnixè multoties fuderunt preces: & quam pauci, aut nulli filij, qui pro parentibus rogaſſe perhibeantur. Ad Ieſum acceſſit filiorum Zebedæi mater, & deprecata fuit, vt vterque filius in præſtantioribus ſedibus collocaretur Matth. 20. verſ. 20. *Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi*. Regulus pro ſalute filij exorabat. *Domine Deus accede priuſquam moriatur filius meus*. Ioann. 4. verſ. 49. Princeps Sinagogæ *filia mea modo defuncta eſt*: dicebat Matth. 9. verſ. 18. Chananæa, & alij plurimi. Vni-

cus

eius tamen reperitur filius, qui curam habuerit patris: is ſcilicet, qui Chriſto Domino dixit Matth. 8. verſ. 21. *Permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum*. Ad hoc enim tota filiorum erga parentes cura reducitur. At cur non aliud miſericordiæ, & pietatis opus filius exhibet in parentes beneficus, niſi exequias, & funeralia officia? Suſpicor: quia ſolicitudo tota filiorum ſolum eſt cogitare, quomodo parentes ſepeliant, vt in ipſorum hæreditatem ingrediantur: Hoc anhelant, ſuſpirant, & toto animo cupiunt: & ad hoc neque ipſi Deo parcunt. Sic enim dicebant Iudæi filij à Deo dilecti Matth. 21. verſ. 33. *Hic eſt hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius*. Vt hæreditatem poſſiderent, Deum occiderunt, & facti ſunt ipſi infenſiſſimi hoſtes. Sic enim ſemper accidit, quod domeſticos inimicos parentes proprio ſanguine nutriant, qui ipſorum ſanguinem effundere conentur, & de illorum animabus non curent. Idcircò Scriptura Sacra tantopere laudat, & commendat Salomonis obedientiam, qua parentis voluntati obtemperauit, & bona quæ dereliquit, ad nutum eius diſtribuit: cum enim templum perfeciſſet, in illud intulit, quæ ſanctificauerat pater eius Dauid. *Argentum & aurum & vaſa poſuit in Theſauris domus Domini*. 3. Reg. 7. verſ. 51. vbi Caietan. *Religioſus filius dicata à patre Deo aurum, argentum, &c. in Theſauris domus Dei. non in proprijs poſuit*. Sic fecit religioſus filius. At non ſic faciunt communiter filij, qui patrum induſtria diuites efficiuntur: non in theſauris Dei, ſed in proprijs reponunt, quæ parentes pro ſuis animabus reliquerunt, negligentes pia officia, quæ patribus debebant exhibere, quaſi non filij, ſed hoſtes eſſent. Quod ſanè iuſto Dei iudicio contingit: quoniam cum propter illos ditandos aliena ſubripere non ceſſarunt, æquum eſt, vt nihil emolumenti ab eis poſt mortem accipiant. Quod certè magna confuſio, & euerſio ſuarum domorum eſt, cum ex labore vitæ, & irrequieto conatu, quo filios augere anhelabant, non æternam requiem, ſed confuſionem æternam hauriant. Quod inter alia tyranno Principi Nabuchodonoſori euenturum, præſagiebat Vates. *Cogitaſti confuſionem domui tuæ concidiſti populos multos, & peccauit anima tua*. Hic verſ. 10.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Peccatoris aures ita obtunduntur, vt neque voces validas valeat audire.

1. A Peccato totus homo ægrotat, totam culpa ſalutem deuorat, & à planta pedis vſque ad verticem capitis vires abſumit, & omnes operationes aut vitiat, aut impedit. Vndè Chryſolog. ſerm. 15. paralyſin peccatum appellat. *Faciat iuſtitiam, & liberetur à paralyſi omnium peccatorum*. Non tantum ſenſus internos hebetat, ſed & externos enertit, & inhabiles ad ſua munera reddit; præcipuè auditum, ne verba conſultoria, & fœditatem criminis detegentia percipiat: priuationem ingerit auditus, ne peccator verbum Dei audiat, & reſipiſcat. Vndè vt Cyrum fauoribus cumulatum, & induratum in flagitijs ad agnitionem ſuorum ſcelerum reduceret, dicebat Iſaias cap. 45. verſ. 4. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro. Vocaui te nomine tuo, aſſimilaui te, & non cognouiſti me*. Ille autem omnes monitiones quaſi non audiſſet, prætermiſit, & obſtinatus remanſit. *Ego Dominus* (ait Rupertus) *& non eſt amplius, extra me non eſt Deus: ſurda aure præteriuit Cyrus*. Quod & omnibus, qui à peccato poſſidentur, accidit: nam cum primò dæmon eos occupat, aurem impedit, ne in cor verba ſalutis deſcendant. Hinc putat Titus Boſtrenſ. quod homo ille Lucæ 11. relatus à dæmone obſeſſus, non tantum lingua, ſed & aure carebat. *Mutum autem vel ſurdum dicit dæmonium, quod hanc ingerit paſſionem, vt non audiatur diuinum verbum: nam dæmones auferentes aptitudinem humani affectus obtundunt animæ noſtræ auditum*. Neque vtcumque ſurditatem ingerit, ſed tali ineptitudine, vt vociferantes neque confusè audiat, & inclamantibus, quaſi marmorea, & inſenſibilis ſtatua aſſiſtat.

2. Premebatur gens Hebræa in Ægypto dura ſeruitute, & laterum infami labore gemebat. Placuit Deo ipſam liberare, & Moyſi apparet, quem conſultiſſimè elegerat ad legationem Pharaoni deferendam: quod cum ipſi proponeret, munus oblatum refutat, & balbutie linguę indecora, atque vocis tenuitate, quam gracilem habebat, ſe excuſat. *Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius: & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum*. Exod. 4. verſ. 10. Inſtat Deus, & linguæ expeditionem pollicetur ad agendum acerrimè cum Pharaone pro eductione populi, & Aaronem virum eloquentem, & expeditum in conſortium ei aſſignat. Inuſitatum apparatum, & incongruen-

gruentem ſuę functioni Moyſes exigit, & obtinet; nam quid, quod delicatę ſit vocis, vt legationem recuſet? Imò hęc, videbatur conuenientior diſpoſitio, vt Regem blandè, ac tenui voce alloqueretur, & ea modeſtia, quę Dei miniſtrum, & regiam dignitatem, quam erat allocuturus, decebat: functionis enim intererat, verba leniter pronunciare, & ſubmiſſa voce depromere. Cur igitur voce graeili excuſatur, & Deus alia indigere validiori indicat, cum & expeditionem linguę, & Aaronem ſocium eloquentia, & robuſta voce pollentem pollicetur? Carthuſianus difficultatem tacitè attigit, dum eam ſoluit. *Qui enim Regi loqui debebat, & præ arduis cauſis, indigebat voce tubali.* Mittebatur Moyſes ad loquendum cum peccatore obſtinato, & corde Pharaonis ſaxeo: ſciebat, peccatum aures obtundere profunda ſurditate, ita vt neque validiſſimas voces audiat, qui ab illo poſſidetur: ne igitur legationi non ſatisfaciat, tenuitatem vocis Deo proponit ſuo muneri imparem, & quaſi tubalem vocem expoſcit (ſi fortè illa poſſet audiri) annuitque Deus Moyſis ſolertię, & robuſtiſſimam vocem, atque conſortium Aaronis audacter, & expeditè loqnenris (vt congruenter ſuo muneri incumbat) promittit. Sic enim abſurdè operantes ſurdè ſe habent ad audiendum, vt tubam ad aures clangere ſit neceſsè, vt aliquo modo ſonum percipiant, & à ſurditate excitentur. Hinc vbi Chriſtus Dominus ad Caſtellum Marthæ, & Mariæ peruenit, & eas deplorantes mortem Lazari vidit: acceſſit ad ſepulchrum, & Patri gratias agens voce validiſſima humatum cadauer vocat, & reuocat ad vitam. *Hæc cum dixiſſet: voce magna clamauit: Lazare veni foras.* Ioan. 11. verſ. 43. Quorſum Chriſtus vt Lazarum à ſomno mortis excitet, tam ingenti vtitur voce, & quaſi violenter eum extrahit à ſepulchro, ac ſi mors ſuo imperio reſtitiſſet? Quid? Sepulchrum renuit mortuum euomere, quòd neceſsè fuit mortē ſono vocis deterrere, quando creaturæ omnes vel leui oculorum nutui obediunt? Fortaſſe mors tardioris erat auditus, quod magna indiget voce, vt obediat? Cur igitur Chriſtus præter conſuetudinem, & modeſtiam, quæ ipſum decebat, in vocem prorumpit ſic deformem, vt Lazarum à mortis ditione eruat? At hic non res materialis agebatur, ſed myſtica: ſignificabatur enim in Lazaro iuueteratus, & longæua conſuetudine peccandi inſenſatus peccator: vt igitur Chriſtus ſurditatem ſic delinquentis exprimeret, voce vtitur validiſſima, vt exindè auditum amiſiſſe oſtendat; & cum ipſo, ac cum ſurdo ſe geſſit. cui neceſsè eſt, voce magna loqui, vt verba confusè ſaltem percipiat. Sic ſapit Auguſtin. *Sed vt confitearis Deus facit magna voce clamando: id eſt, magna gratia vocando.* Vocis magnitudine ſurditatem exaggerat, atque aurium obtuſionem, quæ tuba indiget, vt loquentem aduertat: imo nec tuba ſufficit: nam facilius eſt inſenſibilia vocem audire exhortantis, quam peccatorem, qui inanimatis inſenſibilior eſt.

3. Vt obſtinationem Ieroboam increparet, vir egreditur de Iuda: cumque ad præſentiam Regis, & illic adſtantium deueniſſet, ac vitulos pro Dijs cultos aſpexiſſet: voces dirigit contra altare, & ad ipſum ſermonem fecit. *Et ecce vir Dei venit de Iuda in ſermone Domini in Bethel, Ieroboam ſtante ſuper altare, & thus iaciente: & exclamauit contra altare in ſermone Domini; & ait: altare altare, &c.* 3. Reg. 13. verſ. 1. Quid ſibi vult hæc locutio altari imminens, & ſententiam contra ipſum pronuntians? Culpa, & idololatria non altaris erat, ſed Regis ſupra ipſum incenſum adolentis, & vitulos adorantis. Cur igitur Regem non alloquitur delinquentem, ſed altare criminis incapax? Veretur Regem in publico reprehendere, cum ipſe in publico delinquit? Aut metu non audet Regis idololatriam exprobrare? Fortè inſtructionem à Deo acceptam deperdit, aut Regis præſentia turbatur, quòd lapidibus loquitur, & illorum aures arrigere, & intentas habere ſatagit? Non ita (ait Carthuſian.) ſed magna ſolertia, & energia altare alloquitur, & increpat: Vt hinc circumſtantium ſurditatem demonſtraret, & argueret. Videbat eos peccato impijſſimo, & atroci culpa vtramque aurem clauſam habere, & manum cuidam ſuperponere, ne vox exprobrantis audiretur: vt igitur ſic inſenſatos idololatras arguerè reprehenderet, cum altari loquitur, ac ſi poſſibilius haberet, lapides, quibus idola innitebantur, vocem audire, quam impium Regem, & ipſi miniſtrantes. Lapidibus loquitur, vt adſtantes erubeſcant, dum tanquam inſenſibiliores lapide tractantur. *Ait altare altare: non quia altare potuerit verba intelligere, vel audire; ſed propter adſtantes ad altare verbum direxit, vt ipſi aduerterent.* Vtitur Dei Præco tali induſtria, vt qui ſurda aure præterirent Dei verbum, ſi ad illos dirigeretur ſermo, ſaltem aduerterent hominem lapidibus loquentem, vt ſurdiores lapide ſe haberent; & fortè propter ignominiam attenderent, dum quaſi truncos, & inſenſatos ſe deſpectos vident. Ferè eadem ſagacitate reprehendit Oſeas maleficia populi Iſrael, dum cum eodem Ieroboam ſub nomine Ephraim loquitur. *Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum eius, dolores parturientis venient ei, ipſe filius non ſapiens.* Oſeæ 13. verſ. 12. ſub metaphora naſcentis filij, & mulieris mille cruciatibus parturientis, peccatum Ieroboam deſcribit Vates, & inſimulat. Ad cuius intelligentiam neceſſarium eſt, Ariſt. & ipſius ſequaces adire, qui tenent, filium talem amicitiam contrahere cum materno ventre, quòd cum naſcitur ſomno ſopitur oneroſo, atque inter dolores, eiulatus, & lamen-

tatio-

Digitized by Google

tationes matris parturientis ſomno correptus in lucem prodire, quin longa ſuſpiria, & validi clamores valeant eum excitare, vt matri compatiatur, & periculum aduertat. Mirares, & peccatori onere peccatorum grauido aptiſſima, ac ſi diceret Propheta. Quod filius dormiat in brachijs puerperę ipſum lactantis, in incunabulis, aut in lecto, non mirum: cætterum in partu, vbi vita plus periclitatur, inter acerbiſſimos dolores, & eiulatus triſtiſſimos, mira ſtultitia, & inſenſibilis inſipientia. *Ipſe filius non ſapiens.* Extrema ſurditas eſt, ſuſpiria validiſſima non audire, & ingentes voces ignorare. Sic peccatori ſemper accidit: nam, inter immanes dolores, quibus eum conſcientia, torquet, & continuo præcordia pulſat, inter ingentes voces prędicantium, & prouocantium ad pœnitentiam, inter pericula imminentia mortis improuiſæ altè dormit, & ſurdus, ac velut truncus inuenitur. Hinc maximè induratum cor Nabuchodonoſoris reprehendebat Vates noſter, eo quod voces, quibus parietes clamabant, quos bonis rapina comparatis exſtruxerat, non exaudiuit, & inſenſibilior ipſis parietibus oſtendebatur: dum illi voces articulabant, quas ipſe audire neſciebat. *Quia lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.* Hic verſ. 11.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Vel neceſſitatibus oppreſſi debent ſubditi in publicis calamitatibus Principibus ſubuenire.

1. CVM regna, & principatus regulariter ſine externis inimicis non poſſint conſeruari, ad illos repellendos, & populos ſibi commiſſos tutandos, indiget Princeps eorum ſubſidijs, & ipſi tenentur naturali debito ea conferre, vt in tranquillitate, & pace conſeruentur. Mutuus enim contractus inter Regem, & ſubditum expoſcit, vt ſicut ille ſubditum debet protegere, & ab hoſtium incurſionibus liberare, ſic ſubditus Regi ſubuenire tenetur, maximè cum cauſa publica, & neceſſitas vrget: quia (vt dicebat Cicero 2. offic,) ſine huiuſmodi ſubuentionibus ſtatus Reipublicæ, & particularium commoda non poſſent ſubſiſtere. *Da operam vt omnes intelligant (ſi ſalui eſſe volunt) neceſſitati eſſe parendum. Quæ enim Reſpublica aut Regnum ſine tributis? Nec enim quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendijs, ſine tributis, haberi queunt: hæc neruos eſſe imperij, ſemper dixerunt ſapientes.* Hinc eſt, quod, Principes nubes in ſcriptura vocentur. Vbi Geneſ. 23. verſ. 6. habetur. *Tu es Princeps Dei apud nos.* Hebręi vertunt. *Princeps maximus, ſeu maxima eminentia nubes, & exhalatio.* Quoniam ſicut nubes ab aduerſitatis æſtu, & hoſtium periculo ſubditos protegere debent: verùm adminiſtrante terra, & Republica emolumenta neceſſaria, quibus id pręſtare poſſint, ſicut nubes terram ab ęſtu Solis protegit, & defendit exhalationibus tamen à terra acceptis, quibus craſſior, & validior efficitur, vt ſolis radijs ſe opponat, ab eiſdemque terram tueatur, & obumbret. Niſi enim terra exhalationes mittat, haud ſanè nubes poterit illam ab ęſtu ſolis protegere, & ad ipſius vtilitatem reflectere, quę acceperat. Sic ſi Reſpublica vectigalia Principibus non contribuerit, quę robur ſunt, & firmamentum imperij, non poterunt illam ab hoſtium periculo defendere, & incolumem conſeruare. Debet ergo populus hilariter (etiamſi in maxima neceſſitate ſit conſtitutus) tributa Principibus ſolutre, vt in communi, publica, ac ingruente neceſſitate illum poſſit ab hoſtium periculis liberare.

2. Pręcepit Deus Moyſi in deſerto degenti, vt illi ſumptuoſiſſimum conſtrueret tabernaculum, idque ex ſumptibus filiorum Iſrael, ad quod vectigalia populo imponere iniunxit? Expoſuit Moyſes omnibus pręceptum, quod acceperat, cauſamque contributionis. Quid tunc pópulus? *Obtulerunt* (inquit text.) *mente promptiſſima atque deuota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi teſtimonij.* Exod. 35. verſ. 21. Tantumque ſuperfluit ex tributis, vt dixerunt artifices: *Plus offert populus, quam neceſſarium eſt.* Cap. 36. verſ. 4. Iura hic cogitanda ſe offerunt: & primo non omittendum illud: *Obtulerunt mente promptiſſima.* Solutio tributi non eſt actus mentis, ſed voluntatis, nam liberè populus contributionem obtulit. Vt quid igitur non voluntate, ſed mente obtuliſſe dicitur? Crediderim: quia cauſam expoſuit Moyſes, & iuſtum iudicauit populus vectigalia ſoluere; quod ad intellectum pertinebat. Quotieſcunque enim fieri potuerit, quod populus vrgentem Principis neceſſitatem, qua compulſus vectigalia imponit, intelligat, plurimum erit expediens, vt mente ſoluat, quod voluntate renuit. At cur tam hilariter, & abundanter populus exhibuit, quod Moyſes petierat? Cur nullam prætendunt excuſationem? Non dicunt (vt veraciter poterant) tempus illud non eſſe ſumptuum, ſiquidem gens plurima erat, alimentum paucum, ſiccus annus, deſertus locus: ſed profuſè, quod Princeps poſtulauerat, dederunt, quin remaneret auri gaza, argenti vel alia alicuius pretij, quam non ſpontę exhiberent, ita vt operis Architecti compulſi ad munera accipienda apud Moyſem conquererentur de profuſa populi largitione, illique præceperit, ne plus offerret. *Iuſſit ergo Moyſes præconis voce cantari: nec vir, nec mulier* quid-

quidquam vltra offerat in opere ſanctuarij. Sicque ceſſatum eſt à muneribus offerendis,eo quod oblata ſufficerent, & ſuperabundarent. Ibi verſ.6.Quæ nam liberalitas hæc tanta eſt populi in deſer. to poſiti, & neceſſitate laborantis? Feſtiuè Oleaſt.in comment.huius loci. *Quod dederant ad idolum fabricandum, nunc dant ad opus Domini. Vtinam ſatis eſſemus mentis, vt tot expenderemus in miniſterio Dei, quot expendimus in obſequium vitiorum*. Verebatur populus tam ſpontaneum fuiſſe inuentum, ad offerendum omnia hæc pro vitulo fabricando, & non eadem promptitudine pro tabernaculo Dei ea offerre. Sic ſecum populus agebat: paulò antea omnia hæc pro vitulo aureo fabricando obtulimus, & nunc Deo nihil offerimus? Pudeat pro Deo non offerre, quæ pro peccato obtulimus. Sic quotieſcunque aut Dei, aut Principis ſeruitium inſtat, ſecum agere ſubditi debent: diuitiæ, & pecuniæ ad ludum, ad vanitatem, ad vitia non deſunt, deſunt tamen ad Deo ſeruiendum, ad pauperem ſubleuandum, ad Principi ſubueniendum, vt Rempublicam ab hoſtibus defendat? Præſcindatur ergo à ſuperfluis, & noxijs, & ad id, quod neceſſarium eſt (etiam cum vrget neceſſitas) hilariter & ſpontaneè offeratur.

3. Poſtquam fortiſſimus ille dux Samſon mille mandibula aſſini profligauit Philiſthæos, æſtuanti ſiti animam exhalans clamauit ad Dominum, vt eius neceſſitati ſubueniret. *Tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam, atque victoriam: & en ſiti morior, incidamque in manus circumciſorum. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ, quibus hauſtis refocillauit ſpiritum, & vires recepit*. Iudic.15.v.18.& 19. Mirum valde eſt, quod Deus, vt reficeret Samſon extrema neceſſitate laborantem, aquas non educeret ex terræ mineralibus, & profluentibus vndique venis, ſed ex arido oſſe, quod nullum habebat humorem. Cur ad ſedandam Principis ſitim ex ſicca mandibula hauritur aqua? Num quia nulla eſt materia, etſi oſſea ſit, & ſterilis, ex qua Princeps humorem non emungat? Sic lepidè penſitabit non nemo. Sed ſuſpicor: idcirco ex oſſe aquam fuiſſe hauſtam ad ſitim iudicis ſedandam: quia ad iudicis, & Principis neceſſitatem ſuccurrendam, vel ex oſſe aqua educenda eſt,vt Princeps in manus inimicorum non tradatur, & ſubditos ab illorum incurſionibus protegat. Etiam neceſſitatibus contriti (*aunque eſtenenlos gueſos*) illi debent ſubuenire, & vſque impoſſibilia tentare, vt ſubſidia conferant,quandocunque neceſſitas, & bonum publicum vrget.

4. Refert Euangeliſta acceſſum piarum mulierum ad ſepulchrum verbis admodum difficilibus, & quæ rerum naturis non congruunt: *Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbati veniunt ad monumentum orto iam Sole*. Marc.16. verſ.8. Veſper enim non luceſcit, ſed nocti proximum diem ſepelit, & lucem finit: non diem inchoat, ſed concludit: tenebreſcit, non ſplendet. Quo ergo pacto veſper ille, quo Chriſtus occubuit, lucem concepit, & parturiuit, cum tenebras parturire deberet? Cur ſic commutantur munera, vt in noctis vltima diſpoſitione dies oriatur, & à tenebris lumen exſurgat? Eloquenter, ac ſubtiliter Chryſologus ſerm.74. *Veſper mater noctis parturijt diem, mutat ordinem, dum agnoſcit authorem, radiat de nouitate myſterium,anhelat, creatori ſeruire, non tempori*. Quaſi dicat. Vt Dominus à funere exſurgat, & glorioſus reſuſcitet, per impoſſibilia lux oritur, & quæ mater eſt noctis diem parit, vt Domino, & creatori famuletur, non tempori. Loquitur S.Pater de horis, quibus in eius ſententia Sol in reſurrectionis die anticipatus fuit. Sicut ergo vt Dominus reſurgat, nox lucem parturiuit, & diem fuit enixa, quod impoſſibile videbatur, vt creatori mortis iniurijs obnoxio ſeruiret: ſic ſubditi impoſſibilia debent facere, & vltra vires ſe erigere, vt Princeps reſurgat, eluceſcat, & decenter poſſit agere, quod illi velut noua vita eſt. Adhuc neceſſitate vexati ipſi debent ſubſidia impendere, quibus vita, & honor regni conſeruetur. Licet enim Princeps grauiter delinquat, cum abſque ſufficiente cauſa populos depauperat, & contributionibus grauat (vt tyrannus Nabuchodonoſor efficiebat. *Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua*. Hic verſ.10.) tamen cum neceſſitas vrget, & publica cauſa exigit, tenentur ſubditi Principi ſubuenire, quin aliqua indigentia excuſentur.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Noſtra peccata nos exarmant, noſtra ſcelera nos expugnant.

1. Licet aliquando calamitates, quæ nos vexant, non culpæ reatus, ſed virtutis ſint exercitia, regulariter tamen maxima eorum pars à noſtris oritur ſceleribus. Noſtra crimina tot bellorum periculis nos obijciunt, tot hoſtibus nos tradunt. Nutat ad ruinam imperium, cum in illo effrænis eſt licentia ad peccandum, quia exanimes animos culpa reddit, & vbi Deus habetur offenſus, nullam firmitatem habet ſtatus. Magnam fecerant ſtragem in Sichimitas, & in illorum Principes Simeon, & Leui filij Iacob in vindictam iniuriæ irrogatæ ſorori, quam Princeps Sichem oppreſſit, & temerauit. Cum primò autem eam audiuit Iacob pauidus timebat

mebat Sichimitas. *Turbaſtis me* (inquit) *& odioſum me feciſtis: nos pauci ſumus, illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.* Geneſ. 34. verſ. 30. Cui ſtatim Deus: *Surge, & aſcende Bethel; & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſau.* Gen. 35. verſ. 1. Iacob ergo conuocata omni domo eius pergit in Bethel, & ibi omnem eius familiam ab idolorum ſordibus expiauit, vt ibid. dicitur. At cur ſi ſolus in Bethel ire iubetur, familiam ab omni crimine expurgat? Vt quid tunc temporis omnes curauit expiare ſordes, quæ irrepſerant in filios, ſeruos, & amicos? Audi Rupert. lib. 8. in Geneſ. cap. 12. *Hac eadem viſione Iacob perdoceri potuit eſſe in domo ſua ſcelus idololatriæ: nec poſſe ſtare coram inimicis ſuis, quamdiu domus eius contaminata eſſet ſcelere.* Ad bellum ſe præparabat Iacob, & antequam bellicum armorum apparatum preueniret, ſuam, & ſuorum conſcientias expiare ſatagit, ſciens non robur militum in bellis præualere, ſed iuſtitiam. Plurimus erat populus Sichem, & exiguum bellatorum numerum ducebat Iacob; ſed à peccatis expurgati inimicum profligarunt. *Cumque profecti eſſent, terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi* (Sichimitæ) *perſequi recedentes.* Ibi. Ne viribus maneret inferior, familiam ab idolorum ſordibus expiauit Iacob, & ſic domus eius, quæ cædibus, & ſanguine turbabatur, omnes ciuitates terruit, quoniam formidinem peccati abſtulit, & robur, ac vires adiecit, & pectora, quæ idolorum cultus exarmauerat, pœnitentia, & contritione fulcinit.

7. Mira, & præclara geſta de fortitudine Dauid narrantur: non ſolum fugitiuum eum timuit, magno conſtipatus exercitu Rex Saul: Vrſos, & Leones occidebat; carneam illam turrim Goliad, profligauit; verum etiam *octingentos interfecit impetu vno.* 2. Reg. 23. verſ. 8. & alibi. *Leuauit haſtam ſuam ſuper trecentos vna vice.* 1. Paralip. 11. verſ. 11. Hic vero ſtatim ſtrenuus miles, qui antea integros fugabat exercitus, poſtea rebellantem fugiebat Abſalonem. *Surgite fugiamus.* 2. Reg. 15. verſ. 14. imò quod magis mirum eſt, cognito Berſabeæ conceptu vehementer timuit Vriam. Vnde (quæſo) fortitudo Dauid ita decreſcit, vt qui octingentos viros vno impetu occidebat, & qui gigantem proſternebat, nunc puerum fugiat Abſalonem? Et qui fugitiuus Saulem, & eius exercitum terrebat, nunc ſeruum timeat Vriam? Audi Hieronym. *Minuitur de fortiendine propter peccatum, quod commiſit in Vriam.* Et Chryſoſt. in Pſalm. 3. *Fugiebat filium Dauid, qui Dei legem fugerat. Videte, & admiramini fratres, quantum mali ſit delictis, & peccatis obnoxium fieri. Rex militem timet, & formidat ſubditum.* Filium & ſubditum formidabat Dauid: at non tam ipſos, quam ſeipſum timebat: à peccato inermis reddebatur peccatum, neque audebat in hoſtes inſurgere, quia à potentiori hoſte erat ſubactus. Peccata enim vires, & fortitudinem abſumunt, & non tam inimicorum robore, quam noſtris peccatis profligamur, ſcelera ſunt, quę nobis calamitates afferunt. Sui ipſius peccatum pœna eſt, vt dicebat Seneca epiſt. 97. *Prima, & maxima peccantium eſt pœna peccaſſe: nec vllum ſcelus, licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, licet tueatur, ac vindicet, impunitum eſt: quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt. Sed nihilominus & hæc, & illa ſecundæ pœnæ premunt, ac ſequuntur, timere ſemper, ac expaueſcere.* Quod Græci vulgari paræmia apud Suidam ſignificare voluerunt, figentes aquilam vulneratam ſagitta, quæ quidem ſagitta aquilinis pennis tanquam remigijs librabatur, & dicere ſolitam: *Non ab alijs, ſed à noſtris pennis, capimur.* Sic enim peccatores à ſeipſis vulnerantur, vires amittunt, & arma hoſtibus adminiſtrant, quibus vulnerentur.

3. Loquens Chriſtus Dominus de die extremo, in quo homines meritas ſuorum criminum pœnas luent, dicebat: *Sicut fulgur exit ab oriente; ita & erit aduentus filij hominis.* Matth. 24. verſ. 27. Fulguri confert ſupplicia hominibus infligenda, vt multi Patres, & Interpretes voluere. At cur tormentorum calamitas quæ ſuperueniet in tremenda illa die, ſicut fulgur pertranſibit? Fulgur citò euaneſcit: tormenta autem, quibus miſeri damnari cruciabuntur, in æternum perennabunt. Vt quid igitur fulguri comparantur? Auſculta philoſophiam, quæ de fulgure docet eius materiam è terra aſcendere, eſſeque denſas exhalationes, quas excutit, & Solis calor eleuat, & ad mediam aeris regionem protractis, vniuerſa cœlorum machina contremiſcit, furunt venti, criſpatur mare, cœlum crebris ſcinditur tonitruis, & tandem fulgura decidunt, quæ terram feriunt, & effodiunt: itaut ſi cœlum terram percutit ignitis, & fulgurantibus ſcintillis, ideò facit, quoniam ipſamet illi materiam fulgurum, qua cœlum caret, miniſtrat. Ad eum planè modum Deus, cuius natura clemens, & pijſſima eſt, homines ferit, & atris affligit supplicijs, quoniam eorum materia ad ipſum aſcendit: quia peccatores denſiſſimas flagitiorum exhalationes crebrò ad cœlum mittere non ceſſant; arma, & vires, quæ peccatum aufert, contra ipſos infert: in ſe ipſo pœnam, & ſupplicium habet. Hinc ſæpè in ſcriptura peccata vermibus comparantur. Sic Iſaias 6. & Chriſtus Dominus Marc. 9. verſ. 44. dicebat: *Vermis eorum non moritur.* Cuius rationem egregiè reddit Ambroſ. lib. 7. ſup. Luc. cap. 14. *Irrationabilia animæ peccata mentem rei, ſenſumque compungunt, & quædam exedunt viſcera conſcientiæ, quæ tanquam vermis ex vnoquoque naſcitur, tanquam ex corpore peccatoris.* Cœtera inſtrumenta ſupplicij, quibus cruciatur peccator, exteriora ſunt, vermis interior,

Digitized by Google

terior eſt, & natiuus; & in hoc maximè aſſimilantur corporis, & animæ vermes: quòd ſicut infirma caro vermes gignit, qui ſæpè illam rodunt, deſtruunt, ac conſummunt, & corpus mortuum in illos roſoluitur; ſic infirmiæ culpæ vermes ſunt in illa geniti, qui illam rodunt paulatim conſummunt, & eueruant. Sui ipſius peccator hoſtis eſt, & arma adminiſtrat, quibus vulneratur, materiam, quaſi fulgura ſibi parat; vndè dicebat Dauid Pſal. 17. verſ. 9. *Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à faciè eius exarſit*. Prius fumus aſcendit, & poſtea ignisxarſit. Quod rectè annotauit Caiet. *Ad denotandum* (inquit) *ordinem generationis (quod ſcilicet prior eſt aſcenſus fumi, id eſt, exhalationem, & indè ſequitur generatio ignis) ponitur in littera: aſcendit fumus, & poſtea ſubditur: & ignis à facie eius exarſit*. Prius enim noſtra ſcelera velut exhalationes adDeum aſcendunt: & poſtea Deus exardeſcit, & fulminat ſupplicia, atque noſtris nos vulnerat armis, quia nulla habet peccator, vt ſe defendat. Hinc non modo ſupplicia, quæ Deus immediatè infert, ſed quæ aliundè, quomodocumque veniant, oriuntur: hinc fames, ſterilitas, peſtilentia, hoſtes, & aduerſæ fortunæ: noſtra ſcelera nos axarmant, & in manus tradunt inimici.

4. Horribilis valdè tempeſtas fuit, quam in mari validiſſima claſſis Regis Ochoziæ paſſa fuit, ibi enim quotquot naues erant, perierunt, quotquot procelloſum mare nauigabant, ſunt contritæ. *Poſt hæc* (ait text.) *iniit amicitiam Ioſaphat Rex Iuda cum Ochozia Rege Iſrael, cuius opera fuerent impiiſſima, & particeps fuit, vt facerunt naues, quæ irent in Tharſis, feceruntque claſſem in Aſiongaber &c. contritæque ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis*. 2. Paralip. 20. verſ. 35. Quæ autem huius tempeſtatis fuerit cauſa, non facilè augurantur Interpretes, nam Ioſaphat Rex fuit ſanctiſſimus, in cuius rebus geſtis nihil legitur indecorum, nihil quod Dei iram potuerit prouocare. Vt quid igitur tam graui plectitur ſupplicio, & omni belli robore ſpoliatur? Audi Lyram. *Propter amicitiam ipſius Ioſaphat contractam cum Ochozia, qui erat peſſimus indololatra*. Non fert mare naues Regis etiam optimi (qualis erat Ioſaphat, vt habetur 3. Reg. 22.) ſi cum ſcelerato, & impio (qualis erat Ochozias (fœdus iniit: nam ſcelera ſunt, à quibus calamitates omnes oriuntur. Videant hoc Principes Catholici, qui impia fœdera ineunt cum infidelibus, vt fideles expugnent: & quanta animæ, & rerum temporalium iactura id faciant. Vel commercium, & amicitia cum impio ſat eſt, vt catholicus exarmetur, & eius claſſes mare non patiatur, ſed miſerè abſorbeat.

5. Cum Madianitæ Iſraelitas (Deo pro eis fortiter pugnante) vincere non poſſent, atque de victoria diffiderent, perſuaſit ei Balaam, vt non, viri, ſed mulieres cum illis decertarent, quæ armorum vice corporis venuſtate, & verborum illecebris eſſent præditæ, vt illarum pulchritudine Hebræi capti, ac verborum lenocinijs allecti, idolis inſeruirent, & cultum exhiberent. *Verùm tamen* (dicebat Balaam) *pergens ad populum meum dabo tibi conſilium, quod populus tuus populo huic faciet extremo tempore*. Num. 24. verſ. 14. Quod quidem conſilium cap. 31. explicatur videlicet (vt dictum eſt) vt mitterentur mulieres ad prouocandos Iſraelitas ad luxum, & idolatriam. At quæ ars, quod bellicum artificium impij Vatis illud fuit, ex quo populum fortem profligandum credebat? Quid mulier inermis, & fœminea imbecillitate ad bellum poterat proficere? Quod non robuſti exequebantur milites, mulieres comptæ, & pulchro ornatu cultæ exequentur? Fatuè enim conſulebat Propheta. At non ita (ait Theodor. quęſt. 45. in Num.) ſed ſatis verſutè, & nimis callidè. *Cum igitur falſus Vates tantam à Deo accepiſſet experientiam, alios contra Deum machinatus eſt dolos: nam probè ſciens illos inuictæ fortitudinis eſſe, qui proteguntur à Deo, excogitauit in filios Iſrael impietatem, in quam prolaberentur per intemperantiam, & propter impietatem, denudati auxilio, captu faciliores fierent*. Succinit D. Chryſ. hom. 14. ad popul. Antioch. *Poſtquam in peccato ceciderunt, omnibus facti ſunt expugnabiles: & quos arma, & equi, & milites, & tot machinamenta capere non potuerunt, hos peccati natura vinctos hoſtibus tradidit*. Non mirum; quòd Hebræi alias inuincibiles expugnentur: nam poſtquam in peccatum fuerunt prolapſi, & mulierum ſuggeſtionibus conſenſerunt, exarmati, & effœminati in prædam inimicis ſunt traditi. Non mirum quod belligeræ nationes, quæ orbem terrebant, terga dent inimicis, & earum prouinciæ expugnentur etiam ab ijs, qui numero, & viribus longè impares ſanè ſunt, cum ad flagitia efferuntur, & immerguntur vitijs. Etenim de ſimili miratus Saluianus lib. 7. de gubernat. Dei, cur Vandali ignauiſſimi, & inermes hoſtes Hiſpanos milites fortiſſimos ſuperanerint, dicebat. *Ideò infirmiſſimis hoſtium cuncta tradidit Deus, vt oſtenderet, ſcilicet, non vires valere, ſed cauſam, neque nos tunc ignauiſſimorum quondam hoſtium fortitudine obrui; ſed ſola vitiorum impunitate ſuperari*. Quibus affine eſt illud D. Hieronym. in epitaphio Nepotiani. *Noſtris peccatis barbari fortes ſunt, noſtris vitijs Romanus ſuperatur exercitus*. Quod vtinam non adeò eſſet verum! Hanc vitiorum imbecillitatem cum magna ſuæ fortunæ iactura expertus fuit Nabuchod.: nam vbi ſecuritatem, & firmamentum imperij ſui præſagiebat, indè ruinam ſenſit. Credebat enim diuitijs, quas furto comparauerat, domum erigere ſempiternam: & euerſionem eius ſtatim deplorauit, & in prædam inimicorum, quas congeſſerat

opes:

opes, tradidit, expertus, quam ſit infirmior potentia, quæ non iuſtitiæ, ſed prauæ rapinę innititur. *Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua.* Hic verſ. 10.

DISCURSUS VIII. MORALIS.

Pudoris, & confuſionis ſupplicium ipſa morte, & gehenna grauius eſt.

1. EXaggerat Vates noſter ſupplicium Babylonio Principi inferendum, & inter alia quibus ipſum aggrauat, confuſionis meminit, & pudoris, vt vltimam ponderationis metam attingeret. *Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua*, Hic verſ. 10. Quaſi verecundia, & confuſio adeò angat, & cruciet, vt qui pudore ſuffunditur, attrociſſimas luat pœnas, & merita pro grauiſſimis flagitijs ſupplicia patiatur. Siquidem Babylon quæ à Medis, & Perſis vaſtabatur, ſuperbiſſimus eius Princeps, qui in belluam erat commutatus, confuſione ſuffundi prædicitur, quaſi hæc pœna acerbior ſit, quam duriſſima captiuitas, acerbiſſima calamitas, & immaniſſima regni vaſtitas. Se (inquam) deſpectum videri, & pro commiſſis ſceleribus infami ſeruituti mancipatum, grauius erat ſupplicium. Verecundia enim non modo viros ingenuos, & honoris amatores, ſed perditiſſimos homines maximè cruciat, & ad delinquendum retardat; vndè ſcitè dixit Seneca: *Hominibus, & præditis, & ad omne dedecus expoſitis tenerrima eſt oculorum verecundia.* Quaſi nullus ſit tam impudens, & effrænis, vt alijs intueutibus fœda crimina audeat patrare, & non vereatur verecundiam. Et Saluian. lib. 7. de gubernat. Dei non hominem, ſed monſtrum putat, qui inuerecundè delinquit, nec erubeſcit deliquiſſe. *Supra omnem monſtroſi piaculi execrationem ſcelus ſummum admittere, & pudorem ſceleris non habere.* Quia prima, & maxima peccati pœna eſt erubeſcere. Adeò enim pudor, & confuſio egregium animum torquent, vt dixerit Seneca lib. 2. de Benef. cap. 1. cum, qui beneficium confert non rogatus, munera multiplicare, quia pudorem aufert ex ſuplicationibus prouenientem. *Cum homini probo ad rogandum os corrnat, & ſuffundatur rubor: qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus.* At qui hoc tormentum addit, multiplicat pœnas, & quidem morti non inæquales.

2. Vt primum parentem ab eſu prohibiti cibi Deus arceret, pœna mortis eum mulctare minatur, ſi manum porrigat ad arborem vetitam. *In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Geneſ. 2. verſ. 17. Comedit mulier, & ipſe mulieris ſuggeſtione deceptus: & tamen eorum nemo morte punitur; imò ne viuant in æternum, cauetur (eis in exilium deductis) ne ex ligno vitæ comederent. Et cur ſi præuaricatus fuit Adam, pœna ipſi iniuncta non plectitur, neque executioni Dei decretum mandatur? Fortè comminatorium tantum fuit, & non abſolutum, quod poſt commiſſum crimen immunis à pœna euadit Adam? Non adducuntur Interpretes, vt huic placito acquieſcant. Quo ergò pacto cum ſuperſtes remanſiſſet Adam, Dei comminatio adimpletur? Crediderim (alijs omiſſis quæ hic ab Expoſitoribus dicuntur) pœnam mortis ſtatim, ac deliquit, Adamum luiſſe, eo quod poſt perpetratum flagitium nudus remanſit, & pudore ſuffuſus. *Et aperti ſunt oculi amborum: cumque cognouiſſent ſe eſſe nudos.* Ait text. cap. 3. Non minori pœna mulctatur Adam, quam ſi mortem ſubiret: quia non minus ſupplicium homini ingenuo eſt ex nuditate pudore ſuffundi, ac mortis cruciatus perferre. Vt ergò verificetur, Deum ſententiam mortis executioni mandaſſe, ſat fuit, confuſionis cruciamento, & tormento verecundiæ punire peccantem: ſatis dicere, apparuiſſe nudum, vt acerbiori ipſa morte ſupplicio mulctatus videretur. Succinit Gregor. Niſſen. hom. 1. ad Eccleſiaſt. *Videntur eſſe arma valida, & potentia ad effugienda peccata pudor; qui eſt inſitus in hominibus: qui ideò (vt puto) eſt nobis à Deo inditus, vt huiuſmodi animi affectio ſit nobis auerſio à deterioribus, pudor enim magis, quam timor, erudit ſæpè ad praua fugienda. Sed & pudor ſequens debiti reprehenſionem per ſe ſufficit ad caſtigandum eum, qui peccat, ne rurſus in ſimilia incidat.* Alia ſupplicia etſi delinquentem torqueant, non illum retrahunt à praua operatione: at pudor, & verecundia, quæ ſanguinem honoris effundunt, & nobilitatem deuenuſtant, ipſum acerbè puniunt, & cautum reddunt ad ſimilia patranda. Non minori pœna plectitur Adam, dum erubeſcit fœda nuditate, quam ſi morte afficeretur: quia verecundia. *Per ſe ſufficit ad caſtigandum eum, qui peccat:* ſiquidem morte ipſa acerbior eſt. Hinc D. Paulus recenſens, quæ Chriſtus pertulit (vt longiunculas moras præſtringeret) hoc vno verbo compendioſè omnia ponderauit. *Aſpicientes in Auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum; qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta.* Ad Hebræos 12. verſ. 2. Vbi Anſelm. Lauduneuſ. vertit: *Neglecta verecundia humana.* At qui tot, & tam ignominioſa tormenta pertulit, hoc vnum tantum hominibus obijcit, quod verecundiam, & pudorem contempſerit? Cum cœtera cruciamenta Paulus omittit, & hoc ſolum Hebræos deuincire tentat, vt pro tam ingenti beneficio grates rependant

dant debitas? Suſpicor: quia hoc vnum tormentum omnia ſuperauit, quæ Chriſtus fuit perpeſſus: & ideò omnia ſatis ponderaſſe putauit pudorem exprimendo, quo nudus in cruce, & criminis tribunalibus accuſatus apparuit: quia neque mors ipſa cum pudore in grauitate pœnæ venit comparanda. Vltima pœnæ exaggeratio ſuffundi fuit confuſione? quia non tantum mortem ſuperat pudoris tormentum, ſed inferni cruciamenta.

3. Liuore percitus, & inuidia agitatus inſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, quem exoſum habebat, eo quod in illius oblatione complacuerat Deus, qui, vt illum à concepto fratricidij crimine deterreret, dixit: *Nonne ſi benè egeris recipies: ſin autem malè: ſtatim in foribus peccatum aderit?* Geneſ. 4. verſ. 7. Quaſi diceret: Aduerte, & ne decipiaris, licèt enim peccatum, quod concipis, & in mente moliris, tibi videatur abſconditum, & nulli reuelandum, tamen ſtatim, ac illud commiſeris, omnibus erit obuium, patebit in foribus, & tunc maxima verecundia ſuffunderis propter quod ab illo debes abſtinere. Miriſſimum planè eſt, quòd Deus, vt impijſſimum hominem reuocaret à ſcelere, quod mente verſabat, illi proponat, puniendum fore dedecore, confuſione, & verecundia. Cur non gehennales flammas illi minatur, & atrociſſima tormenta proponit, vt deſiſtat à crimine? Quid tam formidandum, quam inferni immaniſſimi cruciatus? quid tam efficax, vt reſipiſcat? Vt quid igitur non Barathri cruciamenta antè oculos ponit, ſed confuſionem, & pudorem, quibus coram omnibus ſuffundetur? Audi Gregorium lib. 7. moral. cap. 14. qui de intollerabili pudore, quo peccatores operientur, cum eorum crimina in extremo reuelentur iudicio, dicebat: *Tunc iniquos pudor capiet, cum eos in conſpectu iudicijs teſtis conſcientia adducit: tunc Iudex exterius cernitur, ſed accuſator interius tolleratur: tunc omnia ante oculos culpa reducitur, & mens ſuper gehennæ ſuo granius igne cruciatur.* Leue enim gehennæ incendium reputabitur comparatione ad pudorem ex peccatorum reuelatione ortum: plus confuſio torquebit damnatos, quam Orci voraces, & inextinguibiles flammæ. Idcircò cum Deus ſatagit Cain à crimine auertere, quod patrare tentabat, non diris inferni cruciatibus puniendum proponit, ſed pudore, & confuſione, quibus in plateis erit ſuffuſus, quia reſpectiuè ad iſtud ſupplicium inferni tormenta leuia ſunt, & quæ facili negotio ſuperantur. *Et mens ſuper gehennæ ſuo grauius igne cruciatur.* Quid exaggeratius? Hinc apud Hebręos eadem voce *Malach.* & Principis munus, & pudor ſignificabatur, idem enim erat regnare, ac erubeſcere, vt exindè Principes, intelligerent, niſi muneri, ac dignitati (vt par erat) ſatisfacerent, pudore eſſe afficiendos: non pœnas quibus in æternum cruciarentur, ſi ab iniunćto officio deflecterent, ſed pudorem, & confuſionem, quibus coram omnibus afficerentur obijciebant, vt exindè cautiores fierent pœnam omnium maximam ſubituri; vndè optimè dixit Hieronym. ad Pamachium. *Quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor: & ingenia liberaliter educata facilius verecundia, quam metus ſuperat.* Pudet ingenuum tormentorum metu reſipiſcere, & placet pudoris ruborem non incurrere: quia hoc animum arguit generoſum, & nobilem. illud autem abiectum, & ſeruilem. Quia vt ingenioſè dixit Bernard. Serm. 1. in Circumciſ. Domini. *Erubeſcimus vulnerum ligaturis, qui de vulneribus interdum gloriamur.*

DISCURSUS IX. MORALIS.

Gubernatorum frugalitas publicam calamitatem clamitet.

1. ACerbè cruciabatur Vates mutas voces exaudiens, quas parietes, & palatiorũ Nabuchodonoſoris ſuperba ſtructura dabant: nam cum illa ex aliarum domorum ruina, & inuerſione fuiſſent erecta, & dum ille lautè, ac ſplendidè viueret, populi ſubiecti miſerè laborarent, vel inanimatæ res contra ipſum clamabant. *Quia lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.* Hic verſ. 11. Sic eſt à ratione alienum Dynaſtas, & Gubernatores ſuperba pompa laſciuire, cum populus extrema egeſtate gemit, vt & inſenſibilia contra ipſos vocitent. Nam vtique deberent non lautè viuere, nec ſplendidè incedere, cum ſubditi præmuntur inopia, ſed in pompa, & faſtu ſe pręcingere, vt publicis miſerijs auxiliari poſſine; & ne populos in deſperationem adducant, qui ſemper cogitant ex ſua ſubſtantia opes congeri, atque ædificia exſtrui, quibus Præpoſiti ditantur, & delitioſè viuunt. Deſcripſit Amos calamitatem, & miſeriam Iſraelitici populi; ad ipſumque mittitur, vt eius ſcelera increpet, quæ ſub tyranno Principe commiſerat; ſicque eius inchoatur vaticinium. *Verba Amos, qui fuit in paſtoribus Thecue: quæ vidit ſuper Iſrael in diebus Oziæ Regis Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas Regis Iſrael* cap. 1. verſ. 1. Licet planus, & apertus horum verborum videatur ſenſus; tamen non leuem emphaſim, neque contemnendum myſterium detegunt Interpretes ſub nomine *Amos* abſconſum: nam illud *populus auulſus* interpretatur, vt tenet Hierony. in prooemio huius vatis, & ibid. Rupert. Si autem inquiras, cur huic Prophetę tale nomen Deus indiderit, vel ad vaticinij munus aſſumpſerit eum, qui illo

Digitized by Google

illo nomine erat inſignitus perſpicuè ediſces ex populo, cui pręfectus eſt, & ad quem fuit miſſus verba facere, nomen deſumpſiſſe. *Quæ vidi* (inquit) *ſuper Iſrael*. Hoc eſt ſuper decem tribus, quæ popolus auulſus dicebantur: ſiue quia auulſę erant à tribu Iuda. Siue quia à Domino auulſæ vt vult D. Hieronym. *Verba itaque Amos, quo tempore populus Iſrael auulſus erat à Domino, & aureis vitulis ſeruiebat, ſiue auulſus à regno ſtirpis Dauid*. Siue quia Iſrael auellendus erat à terra ſua, vrgente Ægyptiaca captiuitate, vt placuit Rupert. *Amos* (*qui interpreratur populus auulſus*) *ex ipſa ſui nominis interpretatione durum præſefert præſagium Iſraeli, ad quem mittitur: quod videlicet proxima captiuitate de terra ſua erat auellendus, quia aureos colendo vitulos à domo, & ſtirpe Dauid quem elegerat Dominus, erat auulſus*. Ergo ad populum auulſum mittitur Amos, qui nomen habet muneri ſuo conſentaneum: ideoque tale ipſi contigit nomen, quia auulſo populo præponebatur, vt in omnibus ſe illi conformaretur. Paſtor erat Amos, & quia ſolemne eſt paſtoribus, ouium, quas paſcunt, pelle veſtiri, vt ſimiles gregi appareant, pro pelle mutuatur à grege nomen, quo inſignitur, vocaturque quemadmodum grex populus auulſus, vt nec breui vngue à populo ſibi commiſſo diſcedat. Hoc enim plurimum intereſt in Gubernatoribus, vt ſolentur populos, ne deſperatione tabeſcant, cum illos ſuperba pompa viuentes videant.

2. Deleturus Deus generali alluuione vniuerſum orbem pręcepit Noe, vt arcam fabricaret, in qua reliquię reſeruarentur viuentium futurę propagationi inſeruiturę: & inter alia, quę in ipſius ſtructura erant exſequenda, hoc expreſſit. *Fac tibi arcam de lignis lauigatis, manſiunculas in arca facies*. Geneſ. 6. verſ. 14. Caiet. ex Hebręo vertit pro manſiunculis. *Nidos ad arcam facies*. Et quidem rectè, nam verbum hebraicum *innim* 70. *nidos* tranſtulerunt. Scio plures interpretes nidos, pro manſiunculis ad aues pertinentibus, accipere, qui ſuaptè natura ipſis competunt. At Caiet. etiam de animalium manſionibus, quibus ſeorſim habitare poſſent, dictum accipit. At vt quid nidi extruuntur, vt animalia morentur in arca, cum multorum proceritas non poſſit nidulo includi? Expediret enim ſpecus, & cauernas fabricare, vt commodè eſſe poſſent, & ſeparata ab auibus degant, ne ipſas naturali hoſtilitate adoriantur? Tempeſtiuè Caiet. rem ſoluit. *Appellauit manſiunculas pro animalibus nidos, ad ſignificandum, quod erant tanquam nidi: hoc eſt, ſufficientes ad manendum tantum, & non ad diſcurrendum*. Quaſi dicat: tempore afflictionis, calamitatis magnæ, & preſſuræ, quando terra aquarum diluuio inundabatur, & minitabatur omnibus ingruens tempeſtas, proceriora animalia, regales Leones, Iouis Aquilæ, & cætera huius generis ſe debent præcingere, & coercere, ita vt manſiunculas habeant arctas, quaſi nidos, vt ibi manere tantum, ſed minimè diſcurrere, ac diuagari poſſint: id enim communis expoſcebat calamitas. In ea namque Gubernatores optimi, etiamſi potentiſſimi Dynaſtæ ſint, ſumptus, faſtum, & pompam debent præſcindere, frugaliter, & moderatè viuere, atque à delitijs abſtinere, vt publicis calamitatibus auxilio eſſe poſſint, & quietos habeant populos, quorum linguæ, & animi pruriunt, ſuperflua præpoſitorum abundantia: maximè, dum ipſi inopia laborant. Hinc Noemo Deus præcepit, vt animalibus, quæ includenda erant in arca, cibaria prouideret. *Tolles igitur tecum ex omnibus eſcis, quæ mandi poſſunt, & comportabis apud te, & erunt tam tibi, quam illis in cibum*. Gen. 6. verſ. 12. Quærit Abulenſ. quæſt. 34. in cap. 10. Geneſ. an carnium prouiſionem fecerit Noe ad alenda animalia ferocia, & carniuora, Leonem ſcilicet Tigrim, & Vrſum, quamdiu diluuium vniuerſale viguit: reſpondetque: *Quædam animalia ſunt, quæ ſolas herbas comedunt, vt pecudes: quædam, quæ ſolas carnes, vt Leones, & alia ferocia: licet iſta aliquando propter magnam famem herbas comederint, ſicut creditur factum fuiſſe in arca Noe, tempore diluuij*. Tempore enim afflictionis, & calamitatis expedit, vt etiam animalia moderentur. Leo animalium Rex, cuius eſus eſt caro, in publica neceſſitate herba veſcitur, vt Reges inſtruat, & Gubenatòres, ſobriè viuere, & delitijs abſtinere, quando orbis fame perit, & neceſſitas vrget communis.

3. Poſtquam ſuis fratribus innotuit Prorex Ioſeph, conuiuium ipſis, & Ægyptijs præparauit, vt beneuolentiam erga fratres oſtenderet. *Feſtinauitque quia commota fuerant viſcera eius ſuper fratre ſuo, & erumpebant lacbrymæ. Et introiens cubiculum fleuit, rurſumque lota facie egreſſus continuit ſe, & ait: ponite panes, quibus appoſitis ſeorſum Ioſeph, & ſeorſum fratribus Ægyptijs quoque, qui veſcebantur ſimul ſeorſum, &c.* Gen. 43. verſ. 30. 31. & 32. Sed quam lautum, opiparumque conuiuium fuit, quod Ægypti Præſes, qui vniuerſo imperabat regno, chariſſimis fratribus coram Ægypti proceribus, qui eius menſæ inſedebant, in die maximè feſtiuo, quo ſuis fratribus innotuit, & præ magna lætitia de fratre viſo Beniamin, parare iuſſit? *Ponite panes*, inquit. Nunquid panes tantum apponi præcepit in conuiuio, quod lautiſſimum propter tot circumſtantias debebat eſſe? *Nomine panis* (inquit Lyra) *intelligitur omnis cibus: vnde* 4. Reg. 6. *vbi dicitur: appone eius panem, & aquam, ſubditur: & appoſita eſt eis ciborum magna præparatio*. Sed non placet Lyræ intelligentia, quatenus aſſerit omnes ciborum differentias fuiſſe appoſitas, nec locus 4. Reg. *illi* multum iuuar, cum ibi expreſsè denotetur, magnam ciborum copiam ibi fuiſſe appoſitam: quod hic non exprimitur.

Quare exiſtimo eum Philone (lib. de Ioſeph) cibos non valdè lautos, ſed parce admodum ad hoc conuiuium parauiſſe Ioſeph, licet contrarium prædictæ circumſtantiæ perſuadeant: quia etſi conuiuæ eſſent Dynaſtæ, Prorex conuiuator, lætitia exuberans; tamen tempore famis illud celebrauit, & modeſtum Gubernatorem non decebat (cum populus egeſtate laborabat) ad delicatas eſcas delicioſè diuertere. Audi Philonem. *Interim cibi non valdè lauti apponuntur, quod conuiuatori non liceret vti delitijs in publica penuria, & hoc ipſum homines prudentes in laudem vertebant, vitari luxum intempeſtiuum, & inuidioſum: probantes conſilium, memores quid vel præſentem lætitiam, vel publicum ſtatum deceat, & vtrique ſe accommodantes tempori: atque ita opportunus, & minimè inuidioſus apparatus fuit.* In publica inopia, quando populus fame obruebatur, non decedebat Gubernatorem modeſtum vti delitijs, faſta pompa incedere; ſed ſobriè, ac parcè viuere, ſuperfluum præſcindere faſtum, vt communi populi neceſſitati prouideret. Huc reſpicit, quod poſtquam idem Ioſeph ſomnium expoſuit Pharaoni de futura, ac ingruente fame, ſubdit: *Nunc ergo prouideat Rex virum ſapientem, & induſtrium, & præficiat eum terræ Ægypti; qui conſtituat præpoſitos per ſingulas regiones, & quintam partem fructuum per ſeptem annos fertilitatis, qui iam nunc futuri ſunt, congreget in horrea.* Gen.41.verſ.33.& 34. Cur cum tempus ſterilitatis æquale fuerit fertilitatis tempori (ſiquidem vtriuſque ſeptem numerantur anni) non medietatem fructuum conſulit reſeruandam, ſed quintam tantum eorum partem? Si quatuordecim anni computantur, fertilitatis ſeptem, & ſeptem ſterilitatis; cur non æqua prouidentia media pars in ſeptem annis inſumitur, & alia media alijs ſeptem reſeruatur? Audi Lyram difficultatem diruentem. *Ad quod dici poteſt: quod tempore ſterilitatis fuit aliqua aratio & meſſio, ſed modica: verumtamen cum illa modica meſſione ſufficiebat illa reſeruatio quintæ partis de annis præteritis: maximè, quia tempore famis homines ſtrictius viuunt*: Optimus, & attentè prouidus Præſes erat Ioſeph, & idcirco quintam partem tantum reſeruandam conſulit, quia neceſſitatis tempore ſtrictius homines, & maiori frugalitate debent viuere, maximè Gubernatores, vt ſe plebi conforment, & ex ſuperfluis populo poſſint eſſe adiumento, ne in rabiem degeneret ſumptuoſum faſtum eorum videns. Succinit, cum hac Ioſeph prouidentia, ea quam habuit in familia parentum ſuſtentanda: *Et alebat eos* (inquit text.) *omnemque domum patris ſui præbens cibaria.* Gen.47. verſ 12. vbi Gloſ. *Metiebatur triticum patri ſuo Ioſeph*: ſeu vt habetur in Hebręo *pane ore paruuli.* Et quorſum Princeps parentibus, ac fratribus annonam metiebatur, & panem porrigebat tanquam ori paruulorum: Regali animo id indignum videtur. Cur non ſuis cibaria confert affluenter, & abſque menſura? Auſculta text. *In toto enim orbe panis deerat, & oppreſſerat fames terram, maximè Ægypti, & Chanaan.* Ibi cum mundus eſurit, & fame laborat, debet bonus Princeps etiam ſuis librare, & metiri quidquid ad congruam ſuſtentationem erogat. Gloſ.ibi. *Ac ſi eſſent adhuc paruuli, vel iuxta familiam.* Quaſi dicat: alebat eos paucitate, & numero determinato, ſeu (vt ait Caiet.) *Pauit domum patris ſui pane, tanquam dando ori paruulorum.* Non ſolum ſine pretio, & eorum labore (vt aluntur paruuli) ſed exiguum exhibendo: non quaſi homines, ſed quaſi paruulos alebat, & metiebatur annonam. Id enim exigebat publica calamitas, quæ pręmebat terram; & id decebat frugalem, ac modeſtum Gubernatorem.

4. Exod. 3.verſ.2. *Apparuit ei* (Moyſi ſcilicet) *Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Quærunt Interpretes, cur Dominus hic Moyſi non apparuerit in throno Maieſtatis, quod conuenientius videbatur ad rem, de qua agere venerat quandoquidem legationem ſuperbo Regi mittere decreuerat. Audi Theodoret. quęſt.6.in Exod. *Videns vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto, & clamorem eorum audiui. Vniuerſus ille locus demonſtrat Deum eſſe, qui apparuit in rubo.* Quaſi dicat. Vidit Deus afflictionem populi, & miſeram ſeruitutem, qua præmebatur apud Ægyptios, & vt compateretur ipſi, in rubo apparuit ſpinoſo. Explicatius Oleaſt. *Spinis puncti ſunt filij Iſrael: & donec à captiuitate liberentur, ſciant, me in rubo eſſe eiſdem punctum ſpinis, quibus illi ab Ægyptijs flagellantur. Non illi ſolum patiuntur, ſed cum illis ego.* Tenentur Principes compati in publicis neceſſitatibus: non decet eos luxuriari, cum populus miſera egeſtate obtuitur. Elię in deſerto degenti. *Corui deferebant panem, & carnes manè, ſimiliter panem, & carnes veſperè.* 3.Reg.17. verſ.9. At poſtea Reginam fugiens Iezabel pane, & aqua tantum alebatur ab Angelo. *Et ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ* 3.Reg.16. verſ.6. Num corui liberaliores ſunt, quam Angelis quòd illi floridos panes, & delicatas carnium eſcas deferebant, iſti verò panem, & aquam ſolum? Cur non ex menſa impij Acaab lautos cibos exerunt, vt Eliæ adducant, & ipſum nutriant? Egregiè Tertullianus cap. 9. de ieiun. *Conſtitui oportebat exemplum docens, in tempore preſſuræ xerophragys, ideſt, abſtinentijs eſſe viuendum.* Alio tempore, quo res eueniebant ſecundæ, & populus vberibus fructibus potiebatur, pane, & carne veſcebatur Elias: & preſſuræ, & afflictionis tempore ſubcinericio tantum pane vtitur, vt optimi Gubernatoris ſit exemplar.

DISCVR-

Digitized by Google

DISCVRSVS X. MORALIS.

Nullum non frangit auaritia vinculum.

1. VEtus quæſtiuncula eſt, quiſnam dęmonum ſit fortior, & viribus validior, an qui auaritiæ, an qui ambitioni preęſt? D. Ambroſ. lib. 4. in Luc. pro dęmone ambitionis fert ſententiam, & ipſum concludere, quod auaritię dęmon non exequitur, putat. *Quos non potuit auaritia ſubuertere, fecit ambitio.* Euripides (vt refert Nicetas Nazianz. Commentator.) inter dæmones potentiorem eſſe, qui auaritiam ſuggerit, autumat: auaram enim cupiditatem dæmonem ſceleſtiſſimum vocat; & rectè quidem: quoniam liberalis dęmon, ac munera conferens (qui iuxtà Georgium Venetum in Problemat. vocatur Aſmodęus) maximam ſtragem in orbe facit. Hic qui auro præeſt, & theſauros diſpenſat, in Iudicibus iuſtitiam, in hominibus veritatem, in fœminis honeſtatem corrumpit, & nullum eſt adeo ſtrictum vinculum, quod non frangat, & diſſoluat. Duos Iſaac filios habuit: alterum iuſtum, & religioſum, qualis fuit Iacob, reprobum alterum, & deprauatæ naturę, qualis fuit Eſau: & tamen ipſe pius pater nequam filium plus diligebat, & ei primogenia conferret, niſi cœlitus impediretur. Quæ huius inęqualitatis cauſa in parente aliàs iuſto? Nam iuſtitia poſtulabat, virtuoſum filium, & paternę beneuolentię benemeritum, pręponi indigno, & non benè morato. Credo ſufficienter textum cauſam innuere: *Diligebat Iſaac Eſau; eo quod de venationibus eius veſceretur.* Geneſ. 25. verſ. 28. Vbi mirabundus Oleaſt. *Mirum valde eſt, quod etiam inter parentes, & filios munera amorem gignant, & augmentent. Vnde vulgatum illud prouerbium: Matrem & filiam mutuis donarijs amicas fieri.* Strictum enim vinculum inter parentes, & filios ſolet eſſe: nam ipſos amore mutuo natura connectit: & nihilominus munuſcula delitioſa, quę Eſau patri ſeneſcenti porrigebat, amorem ipſius conciliarunt, vt illum pręferret, & minus diligeret Iacob, quoniam ſeipſum magis diligebat. Primum ergò ſoluit auaritia vinculum amoris patris ad filium benemeritum. Filiorum ad parentes amorem diſſolutum iam accipe. Murmurauerant filij Laban de Iacob, eo quod patris diuitias ſuſtuliſſet; ſtatuit Iacob peregrè ad terram ſuam, idque conſultis prius eius vxoribus Lia, & Rachel, quę cum cauſas audiſſent, quas Iacob proponebat ad reuertendum in patrium ſolum, reſponderunt: *Nunquid habemus reſidui quidquam in facultatibus, & hæreditate domus patris noſtri? Nonne quaſi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium noſtrum? Sed Deus tulit opes patris noſtri, & nobis eas tradidit, ac filijs noſtris. Vnde omnia, quæ præcepit tibi Deus fac.* Gen. 31. verſ. 14. Quaſi Iacob annuentes dicerent: omnia quę exponis, vera ſunt. Perge, viam carpe: quoniam nobiſcum omnia bona deferimus, nihilque amplius reſtat de hęreditate acquirenda. Sic capit Lyra illud *Nunquid habemus reſidui quidquam.* Quaſi dicerent. Non totum dedit fratribus noſtris? Quid ais ò Rachel? Nihil eſt, quod reſtet in domo patris tui, vt ibi maneas, quia nihil amplius reſtat, quod hęreditate capere poſſis? Vbi eſt vinculum, & nexus paterni affectus, & amoris? Natura tibi loquitur, & reprehendit. Nam quid pretioſius, quam filialis amor erga parentes? Cur etſi bona non remaneant, naturalis nexus non efficiet, vt in domo paterna remaneas, vel ad minus diſceſſum ab illa ſenſias? Verum vbi bona, & opes hęreditate poſſidendę defecerunt, nec paternus amor, nec naturalis nexus fuit ſatis, vt de abſentia patris dolerent. Lucrum quod ab ipſo ſperabant, eas apud ipſum manere cogebat, & illo deficiente, naturale amoris vinculum fuit diſſolutum; quia nullum eſt ita ſtrictum, quod cupiditas non violet, non frangat, non diſſoluat. Audi Oleaſt. *Ecce qualiter filij, & filiæ propter hæreditatem patrem diligunt, illique ſeruiunt: & quam verum illud ſit, quod propter virum vxor patrem relinquat & matrem.* Nodum, quem natura ſtrinxit, cupiditas diſſoluit, & nec amoris reſiduum remanet, vbi amoris fomes deficit: patris memoria deletur, cum primo nihil remanet hæreditate acquirendum.

2. Quid amplius? Eſt ne ſtrictius vinculum, quam quod cum ſe ipſis homines habent? Etiam hoc propter lucrum diſſoluitur, & facili negotio frangitur. De filijs Iſrael à dira Ægypti captiuitate exeuntibus dicitur Exod. 13. verſ. 18. *Armati aſcenderunt filij Iſrael de terra Ægypti.* Non facilè eſt examinare, vndè Hebræi arma habuerint, quæ ſecum portarent: quia cum eſſent opreſſi, ne tumultuarent, veriſimile eſt, ipſis Ægyptios arma non permiſiſſe habere, dum in Ægypto degebant: exitus autem fuit ita improuiſus, vt arma prouidere non fineret. Lyra autumat. *Quod habuerunt per accommodationem ab Ægyptijs. Sicut enim promptè, & liberaliter accommodauerunt eis vaſa aurea, & argentea ita accommodauerunt etiam arma ad defendendum pretioſa, quæ eis accommodauerant à prædonibus, ſi occurrent.* Arma ſecum deferebant pretio comparata, vt opes defenderent, quas ſecum ex Ægypto aſportabant. Sed adhuc non parua occurrit difficultas: quoniam (apud ipſum Lyram Deuther. 4.) Hebræi in vrbibus refugij non ſolum arma habebant prohibita, ſed & armorum officinæ ipſis interdicebantur, ne ibi aut vindices in fugitiuis, aut fugitiui in vindices armarentur: cauebatur enim ne illæ vt hæ, quæ

ad rixas extinguendas inſtitutæ fuerant, præberent ſouendis diſcordijs inſtrumenta. Jam ergò vrget difficultas. Cur armis priuantur, vt ſuas vitas defendant, ſi fortè ab inimicis impeterentur; & illis armantur, vt ſuas opes à prædonibus defendant? Utquid bona vitæ præferunt, & tutiorem cuſtodiam opibus, qua u proprijs perſonis prouident? Suſpicor: quia auari proniores ſunt ad bona, quam ad vitam, tutanda: ſtrictiori vinculo cum lucro, quam cum ſe ipſis, connectuntur; ob lucrum enim etiam arctiſſimum nexum, quem cum ſe ipſis habent, & cum vitæ conſeruatione, diſſoluunt: ad defendendas opes aſcendunt armati: armis priuantur, ne ab inimicis ſe defendant: quia auaritia nullum non frangit, etſi ſtriſſimum ſit, vinculum.

2. Denique omnium maximum, & ſtrictius vinculum eſt illud, quo homines cum Deo connectuntur, & ab illo ſunt deuicti: hoc tamen ob lucrum facillimè diſſoluunt: de quo maximè conqueritur Deus Malachiæ 1. verſ. 10. *Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuito?* Quaſi dicat (inquit Lyra) *nullus de vobis impendit mihi officia iſta gratis: quia oſtiarij templi, & illi qui nutriebant ignem in altari, habebant indè magnum emolumentum.* Adeò magna, & inſolens hominum cupiditas eſt, vt vel ad claudenda oſtia domus meæ gratis illud nolint efficere; neque ad id illos ſuadeat ſtrictiſſimum vinculum, quo mecum connectuntur, ſed ob hoc facillimè ab eis diſſoluatur; imò & propter hoc me occidere ſtatuant; vt Iudæi poſtea ſunt moliti, qui Chriſtum Dominum occidere auſi ſunt, vt illius hæreditatem occuparent. *Hic eſt hæres: venite, occidamus eum, & hæreditabimus hæreditatem eius.* Matth. 21. verſ. 38. Sic Iudas propter leuè lucrum, & pro vili pretio Magiſtrum tradidit, & tot vincula diſſoluit, quibus erat adſtrictus. Iam ergò videas auaritiam gymnaſium eſſe, & promptuarium omnium ſcelerum, ſiquidem nullum non committit: vndè dicebat Apoſtolus 1. ad Thimoth. 6. verſ. 10. *Radix omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Ideſt plurimis flagitijs ſe implicauerunt: quaſi omnium vitiorum compendium auaritia ſit. Quod explicans Sanctus Thomas dicebat: *Arbor autem à radice habet alimentum: & ſic peccatum à cupiditate, ex parte conuerſionis ad bonum commutabile, ſumit nutrimentum.* Sicut enim arbor alitur à radice, & truncus, rami, folia, & fructus radicis honore vitam habent: ſic omnia mala ab vno auaritiæ ſcelere nutriuntur, & capiunt alimentum. Omnia ſouet, omnia nutrit, & ad omnia prouocat. Huc ſpectat Philo. lib. de Iudic. vbi hunc peſtiferum morbum à recto Iudice exterminans illum vocat *Arcem iniquitatum omnium*: Ad quam omnia vitia confugiunt, vt fortiora reddantur, & auaritiæ inſeruiant. Auarus enim (ſi oporteat) mendax, ſuperbus, iracundus, crudelis erit, & fur; nec erit vllum flagitium, quod non committat. Etiam ipſum Deum vendet, & occidet, ſi ex eo lucrum reportare exiſtimat. Sic vltima verba Apoſtoli capit S. Thomas. *Errauerunt à fide: cuius ratio eſt; quia per ſanam doctrinam fidei prohibentur multa illicita lucra, à quibus deſiſtere nolunt, & inueniunt ſibi aliam doctrinam, vbi eis ſit ſpes ſalutis.* Etiam fidei vinculum frangit auaritia, & in hæreſes homines labuntur, ne à ſuis deſiſtant lucris, & rapinis: omnia enim mala vna comprehendit cupiditas; vndè per antonomaſiam mala indefinitè vocatur à noſtro Vate. *Væ qui congregant auaritiam malam domui ſuæ.* Hic verſ. 9. Quaſi pateria ſit communis omnium vitiorum, & quæ omnium iniquitates ſibi arroget.

DISCURSUS XI. MORALIS.

Nihil in iudicibus turpius, quam auaritia.

1. CUpiditas ſemper humani cordis fuit carnifex, & quamuis omnibus hominibus inſit, & pernicioſa ſit hæc auri inſatiabilis ſitis, in Iudicibus tamen tetra, ac turpiſſima ſanè eſt. Vt enim rectè dixit Cicero 2. Offic. *Nullum vitium tetrius, quam auaritia, præſertim in Principibus, & Rempublicam gubernantibus. Habere enim quæſtui Rempublicam, non ſolum turpè eſt, ſed etiam ſceleratum, & nefarium. Caput eſt in omni negotij procuratione, & muneris publici, vt auaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio.* Peſſimum namque eſt, eo infelicitatis iuſtitiam deuenire, vt iniuſti, & nequam impuniti pro muneribus euadant, & poſſit verum habere id, quòd de innominato poeta refert Saluianus lib. 7. de Prouid.

Sparſis redemerunt crimina nummis. Quia (vt dixit Ciprianus) *Facilè itur ad culpam, vbi eſt venalis indulgentiæ gratia*; vndè Plinius in præfatione laudat nobilem illam Cincer. ſententiam! *O te felicem, à quo rem improbam petere nemo auderet.* Plutarch. in Politica Iudices auaros carpit, & tenet. *Futurum perfidum conſiliarium Iudicem irreligioſum, quæſtui, & muneribus obnoxium.* Proindèque omni ferè æuo Iudicibus interdicta fuit omnis capiendorum munerum poteſtas. Lex Iulia repetundarum aduerſus eos lata eſt, qui pecuniam ob iudicandum, vel non iudicandum acciperent. Vel quo magis, aut minus quod ex officio ſuo facerent, teſte Flauio Vopiſc. in Aurel. ſitque, & à Sexto Cæcil. apud Aul. Gel. lib. 20. cap. 1. Alterius legis decemuiralis men-

Digitized by Google

inentio, qua cautum fuit, vt qui ob rem iudicandam pecuniam accepiſſe conuinceretur, capite puniretur: vt cautiores fierent, & ne muneribus, quæ potentiſſima ſunt, inuerterentur iura. De Phiſon fluuio, qui ex Paradiſo egrediebatur dicitur Geneſ. 2. verſ. 11. *Ipſe eſt, qui circuit omnem terram Heuilath, vbi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum eſt.* Phiſon, vt multis placet, *iuſtitia* interpretatur: & vt alijs (de quorum numero eſt Ambroſ.) *Oris commutatio*, nec ſine myſterio vtrumque ipſis conuenire ſuſpicor: vt innuatur, quod vbi aurum naſcitur, ibi iuſtitia, & os commutantur: aurea enim claue lingua facilè clauditur, vel aperitur, & in quamcunque velis partem iuſtitia, & os commutantur, & inflectuntur. *Meritò* (inquit Ambroſ. in Pſalm. 1. *os illic commutatur, vbi non tenetur promiſſorum fides: ſed fit in ore dolus, vbi eſt aurum bonum; auaritia enim fidem frangit, nec tenet verborum ſupplicitatem. Ornamenta quoque pretioſa mentem, animumque commutant, vt aliud in pectore, aliud in ſermone ſit.* Sic aurum verba contorquet, & diſpenſat pro libito iura.

2. Hos inquam corruptos Iudices muneribus animum commutantes, & os, pollicetur Deus, à populo ſuo auertere, & in extremo iudicio punire Iſaiæ 27. verſ. 1. *In illa die viſitauit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti ſuper Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum.* Appellantur ſerpentes vectes ob duritiem, & inflexibilem tyrannidem: tortuoſi autem, quia non rectè incedunt, ſed omnia iura pro nutu ſuo torquent, & corrumpunt: & modo ſe extendunt, modo ſe contrahunt, non æquale iudicium exercentes; ſed (delinquentibus multis, & in eodem crimine pariter deprehenſis) his fauent, & condonant, à quibus aliquid accipiunt, vel accipere exſpectant; aut quorum fortaſsè induſtria, & ſuffragio dignitatem, & magiſtratum obtinuerunt: illos autem à quibus nihil tale receperunt, nec recepturos ſe eſſe exiſtimant, damnant, & cruciant; & quod peius eſt viros pios, & innocentes condemnant, nocentes verò impunitos relinquunt. At cur iniquos Iudices ſerpentes appellat leues, tortuoſos, & flexibiles, cum eos antea ſerpentes vectes, duros, & inexorabiles appellauerit? Rationem congruam reddit Hector Pintus. *Voluit* (inquit) *his verbis Iſaias oſtendere iniqui Iudicis inæqualitatem, qui aduerſus non nullos impium, & inflexibilem tyrannidem exercet: erga alios verò mitis eſt, in quos deberet durius animaduertere.* Non aliter, ac piſcatoris arundo iniquus eſt Iudex: nam, illa capto piſciculo manet recta: ſi autem magnum piſcem extrahat flectitur, & contorquetur. Aut velut ſtatera, quæ illi parti inclinatur, cui maius pondus apponitur: non illi fauet qui iuſtum exigit, ſed qui plus muneris offert. Hunc enim arguebat ſapiens, tanquam Deo abominabilem. *Statera doloſa abominatio eſt.* Prouerb. 11. verſ. 1. vbi Beda lib. 2. *ſtatera doloſa non tantum in menſuratione tenetur: qui enim aliter cauſam pauperis, aliter potentis, aliter ſodalis, aliter audit ignoti, ſtatera vtique librat iniqua.* Diuitis cauſa apud doloſum, & infidelem Iudicem præponderat ſemper ſupra ius pauperis. Hinc enim notarunt nonnulli; quòd cum Phariſæi mulierem deprehenſam in adulterio ad Chriſtum adduxiſſent, & inſimulaſſent eius culpam, adulterum innocuum relinquerunt, cum tamen eiuſdem criminis eſſet reus, & eadem pœna plectendus: quia (vt dixit Lyra) *Fortè adulter erat diues, & ideò pro pretio ipſum liberauerant.* Iniqui enim Iudices qui muneribus illaqueantur iudicium peruertunt, ſontes liberant, & inſontes damnant.

3. Auaritia namque, & munerum acceptio cum æqui iudicij ratione ſtare nequit; Vel ipſo vultu tantum ingenuus Iudex terret clientes, ne munera offerre audeant. Hinc enim cum Saul (1. Reg. 19.) muneribus præuentus occurreret Samueli, vt ipſum placaret, eius obtutu perterritus pecuniam offerre non fuit auſus, vt tenent Theodor. Procop, & D. Hieron. quos ſequitur Abulenſ. quæſt. 3. *Quia Samuel* (inquit) *verbis præoccupatis longam texens orationem, & nullum ſpatium interponens, quo ille illata munuſcula offerret.* O vtinam ſic ſe ipſos componerent omnes Iudices, vt vel ipſo oris habitu terreant litigantes, vt cum ad ipſos plenas muneribus manus deferunt, offerre non audeant, & ea accipere vereantur, ne donorum corruptelis infecti malè ſemper litigantium cauſas, & rationes examinent. Idcircò Thebis Iudicum ſtatuas abſque manibus fuiſſe teſtatur Plutarch. Et lege Iulia cautum fuit, ne dona acciperent Quæſtores, aut xenia, quæ nihil aliud ſunt, quam ea munuſcula, quæ amici inter ſe officij cauſa mittebant. Quòd ſi quæras, cur etiam hæc munuſcula tam ſeuerè Magiſtratibus prohibeantur: cum (vt in antiquo prouerbio eſt) *Valdè inhumanum ſit à nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum, & per omnia auariſſimum.* Cauſa ſine dubio eſt: quoniam minimè fieri poteſt, vt qui etiam munuſcula hæc acceperit, non magis erga datorem afficiatur, proniorque in eum, quam in aduerſarium, ſit. Vſque adeò, vt parentes etiam ipſos in ſuam, liberorumque perniciem, & ignominiam muneribus corrumpi plerique credant. Sicut & vxores in perniciem, interitumque maritorum, veluti Eriphila (quam apud Homerum Vliſſes, Alcinoe narrat ſe vidiſſe apud inferos) quæ aurum in caput viri acceperat; vt non abs re dixiſſe videatur Cicero in diuinat. in Verrem. *Nihil eſſe tam Sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia poſſit.* Idcòque & Philippum Alexandri patrem ſæpius dixiſſe tradunt: *Caſtella omnia expugnari poſſe, in quo modo aſellus onuſtus auro poſſet aſcendere.*

2. Apo-

4. Apoſtolis per vniuerſum orbem prædicaturis inter alia Dominus præcepit. *Quicunque non receperint vos, exeuntes de Ciuitate illa etiam puluerem pedum veſtrorum axcutie, in teſtimonium ſupra illos.* Lucę 9. verſ. 5. Meritò hic ambigitur, cur iubeat Chriſtus Dominus in eos qui Apoſtolos non receperint puluerem de pedibus excuti. Quid refert, quod puluis calceis inhærat, at eos puniat, qui Apoſtolos hoſpitio non receperuut? Quid puluis ad ſupplicium obſtare valet? D. Auguſt. lib. quæſt. Euangelic. quæſt. 7. feſtiuè reſpondet. *Vt oſtenderent vſque adeò ſe ab ipſis nihil terrenum quærere, vt etiam puluerem de terra eorum ſibi non paterentur adhærere.* Horum Iudices in extrema die Apoſtoli erant conſtituendi, eorum cauſas decidere, ad illos pertinebat: rectè ergò pręcipitur, vt vel puluerem à pedibus excutiant, vt formidentur. Etenim ſolus ille Iudex timeri poteſt, qui vel puluerem non accipit ab ijs, quos iudicare debet. Adeò namque aliquid recipere homines flectit, quod vel leuis puluiculus eos ligat, & excæcat, vt non poſſint non eſſe grati, & proniores in eos, à quibus illum acceperunt. Idem habet Tertullianus lib. 4. contra Marcion. *Cum iubet puluerem excutere de pedibus in eos, à quibus non excepti fuiſſent, inhumanitatem inteſtationem redigi iubet: Iudiciũ minatur.* Acſi vel puluerem Ciuitatum illarum in ſe haberent, nec poſſent illos punire, nec vt Iudices timeri. Nemo enim veretur quem deuictum muneribus habet: nemo recipit (etſi donum munuſculum ſit) qui non inclinetur in largitorem. Nec homines tantum muneribus inclinatur, ſed Deos quoque illis flecti, vulgò creditum eſt; vndè Ouid. 3. de art. amand.

Munera, crede mihi, capiunt hominesque
Deoſque:
Captatur donis Iupiter ipſe datis.

Et Plato lib. de Republ. *Cum Diuis flectunt*
venerandos munera Reges.

Et Illud. *Superi flectuntur ab auro.* Celebraturque, & prouerbium illud *Pecuniosus damnari non poteſt.* De quo Cicero 2. in Verrem. Sed præcipuè illud probat, quod habetur Matth. 2. verſ. 12. Stella ducti in Bethlehem veniunt ab oriente Reges, Deum adorant: *Et apertis Theſauris ſuis obtulerunt ei munera aurum Thus, & Myrrham: & reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Si nihil Magi interrogant, cur reſponſa accipiunt? Quis vnquam non ſciſcitanti reſponſum præbuit? Audi Hieron. in catena. *Qui enim munera obtulerunt, conſequenter reſponſa accipiant.* Qui dat, interrogat: habent enim munera eloquentem linguam, quæ reſponſa extorquet: nulla alia interrogatio ſic vrget ad reſponſum, vt munerum oblatio; fallitur enim qui exiſtimat, non interrogare dona offerentem, & non poſtulare largientem munera, aut non ligari, qui ea accipiunt. Succinit Gloſ. *Sicut Moyſes* (inquit) *tacens clamabat: ſic iſti pro affectu interrogabant, quid diuina iuberet voluntas.* Muta namque interrogatio munera ſunt, quæ reſponſum, vel ab ipſo Deo extorquent: non enim per Angelum reſpouſum accepernnt Magi, ſed per ipſum Deum habet Gloſ. *Hac reſponſio non fit per Angelum, ſed per ipſum Deum, quia nullus alius viam reuerſionis instituit, niſi ille qui dicit: ego ſum via, veritas, & vita.* In receptione munerum iudicis periculum eſt: nam ſemel acceptis cogitur reſponſa dare propitia, & viam quærere, qua parti affectæ prouideat, vt ad prætenſum finem deueniant. Huiuſmodi autem munerum vis, & auaritiæ potentia perſpicuè oſtenditur in Nabuchodonoſore, & eius Miniſtris, qui nullum non inuerterunt iudicium, nullum non intulerunt populo damnum, corrupti inſatiabili diuitiarum ſiti. Dequo maximè dolebat Vates eorum æternam punitionem præuidens. *Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ.* Hic verſ. 9.

DISCVRSVS XII. MORALIS.

Theſauri Rapina comparati ignis ſunt, qui bona alia conſumit.

1. LUcrari ſe exiſtimat, qui alienam rapit ſubſtantiam: at non lucrum, ſed ingens damnum, & iacturam ſibi comparat: bona enim rapina parta non opes, ſed ignis ſunt, qui omnia deuorat, & ad fauillam conuertit. Quæ iuſtè poſſidebantur diuitiæ, malè acquiſitis adiunctę, ſicut ſtipula igni proxima, flagrant, in menſura doloſa, quas eas comparant raptores, remetitur eis. Non tantam diuitiarum copiam, quam Dei iram congregat auarus eiaculandam ſibi. Pulchrè hoc in Iuda proditore annotauit Bernard. de quo loculos habuiſſe legitur. *Fur erat, & loculos habebat* Ioan. 12. verſ. 6. Quid? Tam ingens erat Apoſtolici lycei peculium, vt non vnum ſufficeret, ſed plurima eſſent neceſſaria marſupia? Non ità (ait Bernard.) pauciſſima namque erat pecunia, & quæ exiguo ſacculo poterat contineri, at impius fur, & doloſus raptor (qualis erat Iudas) duos ad minus loculos debebat habere, vnum, in quo diuitias malè partas theſaurizaret: alium in quo Dei iras ad ſuam condemnationem aggregaret. *Vtinam ſaperes, miſer, & intelligeres, cum pecuniæ theſauris theſaurum iræ pariter cumulare.* Concreſcit, & nutritur cum diuitijs rapina poſſeſſis flamma, quæ & illas, & præhabita bona conſumit. Neque auaris raptoribus aliter accidit, quam coruis, qui (vt refert Vliſſes Aldoband.

Digitized by Google

band. lib. 12.) ignem portant in ore tempore, quo fulmina cadunt, ſe.eſcas portare credentes: cuius cauſam inueſtigat Author qui Scala naturalis inſcribitur. *Inter varios enim effectus* (ait) *qui dum fulminum tempeſtatum tempore fiunt, videntur, conſpicitur quid mirabilè: coruos per aerem huc, & illuc circumuolantes roſtro ignem deferre: cauſam autem cur hoc tempore huiuſmodi effectus conſpiciantur, aſſerunt Phyſici quidam, quòd quo tempore fulmina gignuntur, atque deorſum committuntur, multa fauilla ignis, extractioneſque accenſæ deſcendant, & oculi tunc temporis coruorum obſcurentur: & quia eo tempore corui per aerem igneas res, atque rubeas vident, credentes eſſe carnis fragmenta, occurrunt, vt comedant; vndè oculis noſtris apparet coruos ignem roſtro ferre; atque ex tali etiam deceptione Papeliones ad lumen lucernæ accurrunt*. Ita Schola naturalis. Non ſecus fures, & auari, dum raptu viuere tentant, raptu in æternum moriuntur: quia quas dapes credunt ſe deuorare ex pauperibus flammæ, & ignes ſunt, quibus non tantum apud infernos cruciabuntur; ſed ipſæ diuitiæ conſumentur: licèt theſaurizare videantur, decreſcere tamen interiori igne, quem fouent, neceſſe eſt; nam ſicut aqua iuxta ignem ex feruore ſubito augetur, & intumeſcit, & ex feruore attollitur: ſed tamen feruore ipſo conſumitur, & decreſcit: quod ſtatim apparet, vbi detracto igne detumeſcit, & ad ſe redit: pari ratione opes, quæ ſubito attolluntur, & præter omnem modum creſcunt, paulò poſt veluti deferuentes imminutæ apparent, & conſumptæ. Sic videas paſſim homines, qui à commercijs, aut quæſtibus iniuſtis, quibus eorum copiæ fallaci quodam feruore intumeſcebant, excidentes, & ad vltimam inopiam redeuntes; vndè Salomon Prouerb. 13. verſ. 11. *Subſtantia feſtinata minuetur*. Vertunt non nulli ex Græco. *Subſtantia efferueſcens minuetur*. Suppoſitum enim habent ignem diuitiæ non benè acquiſitæ, quo continuo ebulliunt, & euaneſcunt.

2. Minatur Deus Pharaoni plagam grandinis, eo quod non modo libertatem populi, ſed & bona eius iniuſtè detinebat. *Pluitque Dominus grandinem* (inquit text.) *ſuper terram Ægypti, & grando, & ignis mixta pariter ferebantur*. Exod. 9. verſ. 23. Grandine, & ignè omnia bona deuaſtauit Deus, quæ Ægyptius poſſidebat in agris, ab homine vſque ad iumentum, à proceriori planta vſque ad minutiſſimam herbam; omne lignum regionis illius confregit, & omnia ignis, fuit depabulatus. D. Auguſt. hanc ſeptimam plagam aduerſus fractores ſeptimi præcepti de non furando fulminatam fuiſſe, contendit, vt in illa præfigeretur damnum imminens raptoribus. & alienas res diripientibus. Sed quæ concordia inter grandinis, ac ignis flagellum, & furtum, quòd non alio ſupplicio plectitur? Cur non alia ex ſeptem alijs plagis Ægypto inflictis mulctantur poſſeſſores iniuſti? Audi Auguſt. lib. de Conuenient. precept. Decal. & plag. Ægypt. *Quòd per furtum contra Dei præceptum ſubducis, de cœlo perdis: ergò qui ſuo malo foriuſecus furantur, iuſto iudicio Dei intrinſecus grandinantur. Qui res alienas poſſident, neque dominis reſtituunt, intrinſecus grandine mixta igne percutiuntur*. Non diu permanent, quæ per rapacitatem habentur: nam quod terra reddere non cogit, cœlum perdit, grandines, & fulmina ſegetes exurunt raptoris: *De cœlo perdes*: Nemo ſine iuſto damno lucrum habet iniuſtum: vbi rapina, ibi damnum: vbi lucrum, ibi nocumentum: viſibiliter lucrum, nocumentum inuiſibiliter. *Intrinſecus raptores grandinantur*. Intrinſecus exuruntur. Et non ſolum iniuſtè parta, ſed & iuſtè poſſeſſa amittunt: quia ſerpente intrinſecus igne impiæ rapturæ omnia conflagrant, & veluti venenata potio non ſolum ad ſui ipſius, ſed ad vomitum viſcerum prouocat. *Sunt* (dicebat Oleaſt. ad cap. 29. Iſa.) *bona iniuſtorum venenata potio, quæ non ſolum hauſta non prodeſt; ſed omnia quæ ſunt in viſceribus hominis commouet, & exire facit: ſic opes ſanctorum in ventre iniquorum, non ſolum non decoquuntur in viſceribus eorum; ſed opes, & ferè viſcera eorum ſecum trahunt, & vacuum veluti ſomniantem relinquunt*. De quo etiam præclarum extat Emblema apud Alciatum: in quo depingitur Miluus ad nauſeam actus cum hac Epigraphe *Malè parta malè dilabuntur*: hiſce infra ſuppoſitis verſibus.

Miluus edax, nimiæ quem nauſea terſerat eſcæ
Hei mihi mater, ait, viſcera ab ore fluunt.
Illa autem quid fles? Cur hęc tua viſcera credas,
Qui rapto viuens ſola aliena vomis?

Quæque raptores ad ingluuiem, & voracitatem edunt, & de ſubſtantia aliorum diripiunt, quamuis ea in ventrem mittant, in ſubſtantiam conuertant, & incorporata habeant, ſic ab ipſis extrahuntur, vt illorum nullum remaneat veſtigium; quin potius propriam ſubſtantiam admixtam exerunt. Nec reliquiæ quidem remanent, quia ignis qui latenter exurit, omnia conſummit.

3. Auarus ille Diues, qui augendi opes cura peruigil æſtuabat in lecto, auaritiæ conſulens dicebat: *Quid faciam? Deſtruam horrea mea, & maiora faciam*. Quis de incremento ſolicitus à deſtructione incipit? Si vberes diuiti ager intulit fructus, præſtaret horrea ampliora erigere, & antiqua conſeruare: ſuomet deſiderio obſtare videtur, dum deſtruit, quod habebat, vt, quod non habebat, aſſeruaret: deſtruit, vt ædificet? Annihilat, vt augeat? Benè quidem. Quaſi præſagus nocumenti ſibi inferendi à diuitiarum copia nondum poſſeſſa, quam iam habebat deſtruere tentat; quia ſic eſt certum malè partas diuitias bona raptoris præhabita conſumere, vt vel ſpes futuræ frugis adigeret auarum, ad ea, quæ domi habebat, diripienda: ſegetes nondum diſſectæ ignem nutric-

nutriebant, qui ab agro crepitans, horrea comburſit ipſas ſpectantia, vix turgebant in ſpica grana cum in penetrali domo flagrabat ignis. Ergò dum malè congregat, bene cogitat diues, domum, quæ furta expectabat, deſtruere tentans. Inſolenti pernicacia depoſcebat Deos populus Hiſraeliticus in deſerto: aurum ſibi deferri præcepit Aaron, ex quo vitulum conflauit, quod narrans Moyſi dixit: *Tulerunt mihi, & proieci illud in ignem: egreſſuſque eſt hic vitulus*. Exod. 32. Cur aurum ad idoli fabricam congeſtum igni tradit comburendum? Audi Aug. quæſt. 15. in Exod. *Tanquam in ignem periturum aurum proiecit*. Sed ſi animus erat Aaron populum deludere, & aurum inſumere ne vitulus egrederetur, cur non illud abſcondit, vel aliorſum diſparere ingeniatur, ſed igni commendat illius annihilationem? Sed ò quàm benè rem meditabatur. Erant ſiquidem illæ diuitiæ impiè congeſtæ, & malè partæ; vtpotè ad idolum conſtruendum, ſciebat vindicem eſſe ignem malè congeſti auri, ad illum igitur trita, & lubrica ſemita illud deducit, vt malè tributæ gazæ in rogo populus videret abſumi. Fefellit ipſum tamen euentus, ſiquidem vitulus egreſſus eſt. Fateor. Sed exſpecta tantiſper, & videbis vltimam illius auri reſolutionem à Moyſe executam. *Arripiens vitulum, quem fecerat, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem*. Ibi Procliuis fuit tranſitus ab impia auri aggregatione ad ignem: procliuior ab igne ad puluerem: nec modo ignis aurum combuſſit, ſed quæ ſupererant populo bona, & corporum ornamenta conſumpſit. Auſculta textum. *Videns ergò Moyſes populum quod eſſet nudatus*. Ibi qualis hæc nuditas fuerit non liquet ex canone ſacræ paginæ Lyra pretioſis monilibus quę vitulo fabricando obtulit, credit fuiſſe ſpoliatum. Sed arbitror ab omni ornamento, quod populus habebat, pręter oblata, fuiſſe denudatum in pœnam commiſſi ſceleris, non ſolum aurum, quod congregauit impietas, ſed & reliqua, quę populus poſſidebat, ignis ille excuſſit: aurum, quod in flammam proiecerant, ignem vſque ad veſtimenta excuſſit, vt omnem Hebræę gentis ſubſtantiam conſumeret in vindictam impię oblationis: quia per impietatem, aut furtum congregatę diuitię totam poſſeſſoris domum ſuccendunt. Poſtquam Laban ſuſpicans Iacob ſuffurata detuliſſe idola; omnia eius ſuppellectilia fuit ſcrutatus; atque Deos non inuenit: *Tumens Iacob* (inquit text.) *cum iurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum ſic exarſiſti poſt me, & ſcrutatus es omnem ſepellectilem meam*? Geneſ. 31. verſ. 30. Patientiſſimus erat Iacob, & tolerantię merito plurimum excellebat: exilium, à paterna domo erat perpeſſus, quin vox audiretur impatiens: maleuolentiam, iras, & inuidiam fratris Eſau ſuſtinuerat, & diſſimulauerat, mutus fuerat ad iniurias, quaſi ipſi intulerat Laban, & ad deceptiones: & tamen cum ſuam ſubſtantiam propter ablati idoli ſuſpicionem ſcrutari videt, tumet præ ira, & iratus aduerſus Soceruin rixatur cum ipſo; vndè tam inſolitus irę affectus Iacob potuit contingere? Qui ad cœteras calamitates toleratiſſimus extiterat, cur ſic furit, & læſa eius patientia in furorem vertitur, acſi ſcrutationis offenſa contumelioſior eſſet reliquis, quas patienter tolerauerat? Egregiè Rupert. lib. 7. in Geneſ. cap. 45. *Tumor, vel iurgium ſeruilis motus eſt: at verò Iacob in hac cauſa liber non erat: quamuis enim neſciret penes ſe ipſum, cauſas ſeruilis, ideſt, culpa, furtumque erat*. Idola Labani vxor Iacob Rachel ſuffurata erat inſcio marito, illa occultabat, & quamuis furtum à Iacob fuiſſet ignoratum illum tamen inſenſibiliter iurgijs, ac iris reddebat tumentem. Furit, & tabeſcit adhuc ignorata rapina; quia quę non iuſtè poſſidentur, animum inflammant, ignem nutriunt, & ad iras, & conſumptionem prouocant, *Iacob in hac cauſa liber non erat, quamuis neſciret*. Si ergò vel ignoratum furtum lateret, & inſenſibiliter iras, & iurgia inſpirat, & fouet etiam in animo pacatiſſimo: quomodo furtum cognitum non omnia diſſipabit, & deſtruet. Quomodo non iurgia, & rixas inſpirabit rapina, quibus omnia bona inſumantur? Quod animi dotes, & egregias virtutes etiam abſque culpa exurit, ad quam non flagrabit ruinam poſſeſſorem iniuſtum, & opes furto comparatas, & ad quam non reducet confuſionem domum huiuſmodi rapinis ditatam de ipſa enim dolebat Vates, cum eius ſtragem pręuideret. *Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua*. Hic v. 10.

DISCURSUS XIII. MORALIS.

Vel vna ſola Filia totam domum euertit.

1\. DVm de inuerſione domus Nabuchodonoſoris, & cuiuſcumque alterius, qui ad bona inhiat aliena, vt filios ditet, loquitur Vates noſter. *Cogitaſti confuſionem domui tuæ*. Non potui non ad memoriam renocare confuſionem, cladem, & exitium quæ multoties filiæ parentum domibus attulerunt. Hanc quæ inter exitiales domorum confuſſiones Principem locum obtinet, quam plurimi deploratiſſimam habent, qui cum ingenti honoris iactura filias procrearunt, quæ poſtea parentum honori inſidiantur, & cum maximo dedecore nobilem deuenuſtarunt proſapiam. Hinc apud cordatos exoſę ſemper fuere, & diem, quo ipſis filia oritur infauſtum, & fu-

& funeſtum habent: quia nihil infortunatius poſſe teputant ipſis accidere. Pitagoras ſciſcitanti cuidam, cur filiam dediſſet vxorem implacabili inimico, lepidè, & verè reſpondit: *Quia nihil illi dare poteram deterius*. Rarò hominibus dilectis plurimas Deus dedit filias, vt ex canone ſacræ Scripturæ liquet: quia ab ipſis hoc lethale damnum auertere voluit. Sanctiſſimus enim Patriarcha Iacob, qui duodecim filios genuit Patriarchas, vnam tantum legitur, habuiſſe filiam, Dinam nempè, vt habetur Geneſ. 30. verſ. 21. *Peperit filiam nomine Dinam*. Et cur qui tot filios procreauit, vnam tantum filiam genuit? Auſculta Hieronym. in cap. 2. Eccleſiaſt. *Nullus ſanctorum, niſi per rarò fœminas genuiſſe narratur; ſoluſque Salphaad qui in peccatis mortuus eſt, filias genuit. Num. 26. & 28 Iacob inter duodecim Patriarchas vnius filiæ pater eſt, & ob ipſam periclitatur.* Vnam tantum filiam habuit Iacob, & ad dedecus, & confuſionem totam ipſius domum perduxit. *Dina enim* (vt ait Carthuſianus) *cauſa iurgiorum interpretatur*: Quia propter ipſam iurgia cum Sichimitis Iacob habuit periculoſa, & in cauſa honoris grauiſſima. Iacob de Palęſtina in Ægyptū remigrāte, vt graſſantis famis leuaret penuriam. *Venit in Ægyptum cum omni ſemine ſuo, filij eius, & nepotes, & filiæ, & cuncta ſimul progenies*. Geneſ. 46. verſ. 6. & 7. vndè ſudant Interpretes, vt quæſtionem dirimant, quæ ex his oritur verbis: nam Iacob vnam tantum filiam habuit. Quo ergò pacto filias ſecum detuliſſe dicitur? Maximè cum id ad nepotum filias non poſſit referri, cum ibi ſeorſim exprimantur: & perſpicuè de filiabus Iacob text. loquatur D. Auguſt. in quæſt. ſuper Geneſ. quęſt. excitat, & ſoluit. *Quærendum, quomodo dicat, filias, & filias filiarum eius cum filiam vnam legatur habuiſſe? Sed nunc cum dicit filias filiarum: propter vnam Dinam pluralis numerus pro ſingulari poſitus eſt*. Sed adhuc reſtat difficultas: cur ſcilicet, vna Iacobi filia plurali numero compelletur. Fortè vna plures æquiualenter dicitur, vt innuatur quam fuerit anxijs parentibus oneroſa, nobilibus fratribus periculoſa, & laſciuis ſpectatoribus exitialis: quia omnes hos tumultuir, & inquietauit quaſi plures? Fortè ita, vt non congruè cogitauit non nemo. Sed rationem eſſe reor; quia etſi vna in re, plures tamen erat in opinione; vna quidem parentibus videbatur, exteris altera, pudica illis, iſtis impudica: vna ad ſubſiſtendum, plures ad cuſtodiam: imò nulla ad paternæ domus vtilitatem, & plures ad illam perturbandam, & euertendam; dedecori enim fuit nobilibus parentibus, & ingenuis fratribus, atque luctuoſæ Sichimorum ſtragis cauſa. Vna ſola cum eſſet, eius leuitate tumultuauit domos, vt regna. Non parum laboris filij parentibus afferunt: anguntur enim, & euiſcerantur, vt ipſos ditent, & ab infortunatis euentibus eripiant: at verò filiæ immortales curas ingerunt, & neque vigilantia, neque cuſtodia vlla proficit, vt leuitate non inquietentur, & ruinam adducant irreparabilem. Propterea mulierem fœminam parturientem præcipitur (Leuitic. 12.) per duas hebdomadas immundam reputari, atque duplo maiori tempore expiari, quam ſi filium peperiſſet. *Eo quod* (vt dixit Fonſeca) *Maior debilitas medicina prolixiori curari debet*. Domus ægritudo filia eſt, quæ totam illam perturbat, inficit, & infamat.

2. Dei auxilium expoſcebat, Dauid, quo ab omni inimicorum incurſione ptotegeretur: vt autem vigilantem, & vndique munitam cuſtodiam haberet, dicebat: *A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me, vt pupillam oculi*. Caiet. ex Hebræo vertit. *Quaſi pupillam filiam oculi*. Pſalm. 10. verſ. 8. At cur pupilla filia oculi dicitur, cum penes ipſam facultas reſideat videndi, & ſit ipſamet potentia? *Quia hebraico more* (ait Caietanus ex Hebręo idem) *Appellatur filia oculi Interior pupilla, qua videmus, eo quod de genere oculi ſit, & quod tota oculi plenitudo ad ipſam ordinatur ſeruandam*. Inter corporis partes nulla tam ſeruatur attentè, ac oculi pupilla, quia facillimè offenditur, cum delicatiſſima ſit, & ea læſa, quaſi læduntur omnes corporis facultates, & totus homo euertitur. Vt autem pupillarum curam, & eam quam ſibi poſtulabat, Dauid exaggeret, tanquam filiam oculi pupillam ſeruari deſiderat: quia nihil eſt tam ſtudioſè ſeruandum, ac filia. Sicut enim ad pupillam cuſtodiendam omnia membra inſeruiunt, & ictus recipere non recuſant, dummodo intemeratam pupillam ſeruent: ſic tota domus cura neceſſaria eſt, ad vnam, vel leuiculam filiam cuſtodiendam, quæ tam eſt vt pupilla oculi diligenda, ac ſeruanda: quia quolibet ipſius offendiculo tota periclitatur domus, tota deuenuſtatur nobilitas: ab vna pupilla totus homo ęgrotat: & ab vnica filia numeroſæ familię inhonorantur. Hinc vt Iſaias exaggeraret ignominiam, & dedecus Tyro celeberrimo orbis Emporio ſuperuenturum, ipſam filiam maris nuncupauit cap. 23. *Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraheret ſuperbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam deduceret vniuerſos inclytos terræ. Tranſi terram tuam quaſi flumen filia maris, non eſt cingulum vltra tibi.* In Hebræo eſt *filia Tharſis*. Scio litteralem ſenſum, in quo Tyro, ſeù Tharſis filia maris dicitur, quia ad ipſam per mare, ſiuè Mediterraneum fuerit, ſiuè Oceeanum, negotiationis cauſa, tanquam ad totius terræ Emporium, quidquid pretij, quidquid diuitiarum erat concurrebat: aut quia cum illa Ciuitas inſula eſſet, maris filia propriè dicebatur. Mittò diſputationem, quam excitat Pineda lib. de reb. Salomonis cap. 5. circa terræ tractum, in quo Ciuitas Tharſis ſita erat: nec damno mordacitatem, qua acriter contendit Tharteſiacos,

& Bæticos eoſdem fuiſſe, atque Tharſim in Scriptura idem eſſe, ac Tharteſum ad noſtram Bæticam pertinentem; quia parcendum eſt nouæ opinionis Authori, quando quidem vnuſquiſque erga propria in pia affectione excedit, & quia noſtro inſtituto non competit Geographi perſonam agere. Hæreo in filiæ maris nomenclatura, qua opulentiſſima Ciuitas inſignitur, dum de illius dedecore, & vaſtatione agitur. Cur non terræ Emporium, & mater nuncupatur, ſiquidem ad ipſam ex omnis terræ partibus ob mercimonias confluebant? Enim verò quotquot diuitiæ in orbe erant, ibi ad nundinas appulerant. Præſtaret illam theſaurorum orbis ærarium dicere, & gloriæ, ac felicitatis humanæ centrum, vt cum relatione ad huiuſmodi opulentiam ingentior appareret ſuper ventura ignominia: quid filię, & maris filię epitectum conducit, vt Tharſis contumelia exaggeretur? Multum ſanè, nam nulla alia viuatiori periphraſi (etſi hiperbolica eſſet) potuit tam compendioſè deſcribi vltimum dedecus, & miſera ignominia illius Ciuitatis, ac filiæ nomine, quod fatale, & exitiale ſemper fuit, & in re honoris infauſtum, ac periculoſum. Ideò maris filia vocatur Tharſis, quia ſicut nullibi vita tam imminenti periculo exponitur, ac in mari, ſic nullibi honor tam certò periclitatur, ac in filia. Satis fuit, Tharſim vocare filiam, vt omnem gloriam, decus, & honorem, quæ ipſi eius habitatores accreuerant, & tanquam parentes, vt illam nobilitarent, congregauerant, penitùs amittenda cognoſceret; quia ſat eſt vnica filia, non ſolùm numeroſam familiam, ſed opulentiſſimas Reſpublicas, imò integra regna deuenuſtare? vnde nulla illius omittenda eſt cuſtodia.

3. Iſaias felicitatem venturi ſęculi præſagiens, & documenta prębens, quibus Eccleſia erat decoranda, & nobiliſſimas propaganda generationes, ſic fatur: *Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent* Iſaię cap. 60. verſ. 4. Mittò literalem ſenſum, in quo innuitur gentium ad Eccleſiam vocatio, & quod procliuè eſt, ad mores inflecto. Cur ſi vterque eſt filius, non eodem modo tractatur? Filij enim de longè venire dicuntur, & filiæ à latere ſurgere perhibentur? Illi cum magna moleſtia, longo itinere confecto accedunt: iſtę in ſinu materno delitioſè excipiuntur, & neque greſſu vno à matre diſcedunt. Cur ità? Egregiè pariter, ac moraliſſimè (vt aſſolet) Oleaſt. *Admonetur etiam hic fœminæ matres, non ſinant filias ſuas à ſuo latere diſcedere, ne malum aliquod incurrant: vadant filij, & de longè veniant: filia tamen ad latus ſedeant, & ibi nutriantur*. Vt pupilla oculi filię debent cuſtodiri, à matre neque breui vngue debent diſcedere, niſi velint totam familiam euerti, honorem totum deuenuſtari. Hinc enim volens Deus vt Hebręi totam Ægyptum ſuis opibus ſpoliarent, imperabat illis: *Poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua vaſa argentea, & aurea*. Exod. 11. verſ. 2. D. Auguſt. quęſt. 39. in Exod. legit cum aliquibus Gręcis, & Latinis codicibus. *E Cancellaria ſua*. Et cur viris licebat ab amicis petere, etſi à ſua domo, & Ciuitate diſtarent: fœminis autem, non niſi a vicinis ea poſtulare, pręcipitur? Cauſam fuiſſe ſuſpicor: ne mulieres (pręcipuè innuptę, & quę intra cancellos domus paternę debent recludi) licentiam exindè arriperent vagandi; nihil enim tam indecorum, nihil tam periculoſum puellis, quam remotiores à ſua domo ędes inuiſere, imò & proximas: & idcircò à vicinis tantum, quę intra eandem domum cohabitabant, vaſa poſtulare, permittitur. Vt enim dixit Ariſtipus ſerm. 33. generaliter de fœmina loquens. *Paruum eſt pulchrum, magnum autem malum*. Imbecillis puella ingentem domum inuertit, & honorem magno labore partum exigua leuitate deuenuſtat, damna quę infert, recenſeri non facilè poſſunt: ea perſtringit Philippus Abbas Epig. de mala fœmina.

Corpus, opes, animos eneruat, concoquit, angit:
Tela, manus, odium ſuggerit, armat, alit.

Verſ. 12.

Verſ. 12. Væ qui ædificat Ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate.

Verſ. 13. Nunquid non hæc ſunt à Domino exercituum? Laborabunt enim populi in multò igne, & gentes in vacuum, & deficent.

Verſ. 14. Quia replebitur terra, vt cognoſcant gloriam Domini, quaſi aquæ operientes mare.

ANNOTATIO VIII.

Expoſitio Litteræ.

1. ITerat ſæpiùs illud canticum lugubre, quod minas continet, quaſi dicat: Vę impio tyranno, qui Ciuitatem exſtruit opulentam, & ſuperbam ex opibus per rapinam acquiſitis, & pauparum ſanguine. Pauperum nomine hic ſignificantur rapinę, quibus tyrannus Princeps, aut Ciuitatem ædificauit, aut nouis auxit incrementis. Hæc autem (vt dictum eſt) Babylonia fuit Chaldæorum Metropolis, cuius originem Semirami attribuunt Plutarch. in vita Alexand. Quint. Curt. libr. 5. Diodor. lib. 2. cap. 4. Juſtin. lib. 1. Solin. cap. 60. Suidas in Addit. Semiram. Strabus lib. 2. Ouid. lib. 4. Matamorph. & Properc. lib. 3. eleg. 11.

Perſarum ſtatuit Babylone Semiramis vrbem.

Herodot. lib. 2. putat varijs temporibus diuerſorum Regum fuiſſe exſtructam. Et Ammianus Marcel. lib. 23. autumat arcem Babylonię exſtruxiſſe Bellum primum Aſſyriorum Regem, Semiramim autem muros erexiſſe. S. Auguſt. lib. 10. de Ciuit. Dei latè probat. Nembrot Noemi nepotem Babyloniam primo ædificaſſe: cui conſentiunt eius illuſtratores, Aloyſius Viues, Ioſephus, Euſebius, & Marcellin. plurimi Authores Perſię nomen Chaldeę dederunt, quamuis prouinciæ ſint admodum inter ſe diſtantes, aut Baſilius Hom. de humana Chriſti generat. Ambroſ. lib. de off. cap. 14. Chryſoſt. hom. 6. in Matth. & expreſsè Lucanus lib. 3. Pharſal. vbi Perſiæ nomen terræ accommodat, vbi Naſcitur Euphrates, qui per Babyloniam fluit. Et in Scriptura Sacra dicitur 2. Machab. cap. 1. *Cum in Perſidem ducerentur patres noſtri.* Et tamen Dei populus non in Perſiam, ſed in Babyloniam ductus fuit. Quocunque autem tempore prima Babyloniæ fundamenta fuerint iacta, eius muri, vt aduerſus incurſiones hoſtiles eſſet munita, fortiſſimi ſunt ſtructi ex lateribus. Sic Iuſtinus. lib. 1. *Hæc Semiramis Babylona condidit, murumque vrbi coctо latere circumdedit arenæ vice bitumine interſtrato*, & Quint. Curt. lib. 5. *Murus inſtructus laterculo coctili bitumine interlitus, ſpatium duorum, & triginta pedum latitudinem amplectitur.* Poſtquam autem Nabuchodonoſor Imperium Chaldęorum obtinuit, & pręcipuè poſt Hieroſolymę vaſtationem Babyloniam muniuit, vt dixit Ioſephus lib. 10. antiq. cap. 11. *Auxit etiam, & reparauit antiqua verbis ædificia, munitio etiam fluminis alueo, ita ne hoſtes eo poſſent vti ad Ciuitatis incommodum; tres quoque murorum ambitus intra vrbem exſtruxit, & totidem foris circumdedit, omnibus è coctilibus laterculis.* Sic Ciuitatem pręparauit, vt quamlibet hoſtium irrideret potentiam, & ſibi ipſi de tam ſuperba fabrica blanditus dixerit Daniel. 4. *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni; in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Sic ſe iactabat de munitiſſima vrbe, ſicut Auguſtus de Roma, quam ampliauit, & ferè in expu-

gnabilem reddidit; vt refert Suetonius Tranquil. in ſua vita cap. 28. *Vrbem namque pro maieſtate imperij ornatam, & inundationibus, incendijſquo obnoxiam, excoluit adeò, vt iure ſit gloriatus, marmoream ſe relinquere, quam lateritiam accepiſſet.*

2. *Væ qui ædificat Ciuitatem in ſanguinibus.* Dupliciter poteſt accipi: aut quia ex multorum cęde magnam copiam congeſſerit pecuniarum, quibus Ciuitatem exſtruit, & ideo ędificata dicitur in ſanguinibus: aut quia ſanguinis nomine pecunia venit accipienda, vt Gueuara, Ribera, & Sanchez interpretantur, quibus ſubſcribo. Vt enim ſanguis vita vocatur, aut quia in illo vita continetur, & formaliter viuit, vt plurimi autumant Philoſophi: aut quia hominum vita ſine ſanguine nequit ſuſtentari; ſic etiam ſubſidia omnia vitę neceſſaria ſanguis dicuntur, & vita: proindeque non ſolum ij, qui vitam violenter auferunt, ſed qui alimenta neceſſaria fratribus ſubripiunt, ſanguinarij in ſcriptura appellantur; imo & hi poſteriores immaniores reputantur. Vnde Thren. 4. verſ. 6. *Melius fuit occiſis gladio, quam interfectis fame, quoniam iſti extabuerunt conſumpti à ſterilitate terræ. Et præparat Vrbem in iniquitate.* Id eſt, ex aliorum bonis furto, & rapina ſublatis Nabuchodonoſor ſplendidam, & munitiſſimam Vrbem ſuam reddidit, & præparauit, vt hoſtium incurſionibus poſſet reſiſtere; huc enim valet præparare Vrbem: nam Vrbem præparo hic idem eſt, ac confirmo; aut ſtabilio. Vt Iſaiæ 2. verſ. 2. *Præparatus mons domus Domini in vertice montium.*

3. *Nunquid non hæc ſunt à Domino exercituum?* Supplendum putat Hieronym. *Dicta aut decreta.* Quæ dicturus ſum, á Domino exercituum dicta, & decreta ſunt: ait Vates, vel à Domino audiui, vt dicerem tibi. Illa antem, quæ hic non exprimuntur, ea ſunt, quæ poſtea producuntur vſque ad finem iſtius capitis; & ea omnia vaticinium ſunt ruinæ Babylonici regni, & libertatis Iudæorum, qui in Chaldæa exularunt. Quaſi dicat Propheta: hęc tu meditaris (ò vaniſſime, & iuſolentiſſime Princeps) & tibi blandiris potentiſſima Ciuitate, qua credis tutiſſimum habere pręſidium, vt ęternum, & indeclinabile imperium firmes Chaldęorum. Verum aliter tibi accidet: quia aliter Deus decreuit, vt penitus imperium tuum euertat.

4. *Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient.* Id eſt, incendetur Babylon á Medis, & Perſis in ipſam irruentibus, & populi Chaldęorum, & aliorum gentium, qui eis adhęſerant mittentur extinguere ignem, & hoſtes expellere: ſed fruſtra laborabunt, nihil enim proficient, ſed defatigati deficient. Non laborabo vt inueſtigem, an Medi, & Perſę cum Babylonem fuerunt ingreſſi, eam incendio tradidiſſent, nam ad noſtrum inſtitutum parum refert: ignis enim hic pro vaſtitate, & excidio ſumitur, quomodocunque illud contigerit: licet certum habeam Babyloniam igni fuiſſe traditam, vt habetur Ieremię 51. verſ. 58. *Murus Babylonis ille altiſſimus ſuffoſſione ſuffodietur, & portæ eius excelſæ igne comburentur, & labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt, & diſperibunt. Quia replebitur terra, vt cognoſcat gloriam Domomini, quaſi aquæ operientes mare.* Modus loquendi obſcurus eſt, & non perſpicua ſententia. Ribera ſic eam capit: vt totam Chaldęorum terram replendam Medis, & Perſis pre innumerabili multitudine innuatur, in modum aquarum, quę fundum, ſiue alueum maris operiunt. Palatius ſic putat intelligi, vt poſt exuſtam Babyloniam, & in nihilum redactam, terra Iudęę ſit replenda ciuibus ſuis, vt aquæ mare replent. Et hoc eſt gloriam Dei cognoſci, qui manu potenti captiuos tam diſſitos, & ſub tali tyranno in patriam reducere potuit. Vterque ſenſus congruit: ſed primus propter auctoritatem Hieronymi magis placet.

DISCVR-

Digitized by Google

DISCURSUS I. MORALIS.

Tributa non Regi, ſed Miniſtris inſeruiunt, maximè cum iniuſtè imponuntur.

1. DOlet Vates non ſolum de tyrannica Nabuchodonoſoris rapacitate, qua ex prædis, & rapinis, atque contributionibus iniuſtè impoſitis Babyloniam vrbem ſuam tantopere locupletarat, ſed de Miniſtrorum auaritia, qui ex diuitijs furto comparatis particulares, & ſuperbas domus in eadem vrbe exſtruxerant, ære & ſanguine alieno repletas, atque ex direptione pauperum erectas. *Væ, qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat Vrbem in iniquitate.* Hic verſ. 12. Vtrorumque enim & Principis, & Miniſtrorum opes, quia malè partæ, nulli prodeſſe, ſed hoſtili ferro conſumi augurarur: quia quæ malè poſſidentur, non ad vtilitatem, ſed ad ruinam poſſeſſorum inſeruiunt, & quotieſcunque Princeps ſine iuſta cauſa tributa extorquet, non ipſi proficiunt, quia nullum in ipſis acquirit dominium, nam licet omnia ſubditorum bona Principum ſint imperio, non tamen dominio, vt dixit Cuxatius obſeruat. 15. cap. 30. ex Seneca. *Omnia Rex imperio poſſidet, ſinguli dominio: nec enim quæ tua ſunt, Principis ſunt, aut certè tua non ſunt: quoniam dominium inſolidum duorum eſſe non poteſt; & communia quoque eſſe inter te, & Principem dixerit nemo.* Vnde (vt annotat. Godofredus ad Nouell. 15. c. 2. fine) ſine cauſa iuſta, puta delicti, bona ſubditis auferre licitè non poteſt Princeps. Leg. 5. cod. *ſine pretio*, leg. *Iuliam Maieſtat.* & titul. de *bonis damnatorum*, *vel ſine pretio*, leg. 13. §. *Communium Prædiorum.* Alioqui ſi omnia permiſſa ſunt Principi, quid erit Dei? Vt Tertullian. lib. de Idolat. dicebat. Licet ergo Principes ciues ſuos poſſint grauioribus tributis premere, quam quæ ab initio placuerunt (vt tenet D. Thom. opuſc. de regimine Iudæorum Duciſſæ Brauuantiæ) hoc tamen ſine cauſa iuſta non poteſt fieri: quæ vel neceſſitas eſt, vel certè rationabilis vtilitas Reipublicæ, extra hanc enim ſi quid ſuperior exigit, fit, vt Princeps reputetur lupus rapax, homicida pauperum, & harpia, quæ ex populi lacrymis impinguatur. Exindèq. exterioribus membris Reipublicæ, tanquam proprij corporis exhauſtis expleto ventriculo interitum ſibi parat; ſicut Liene cui fiſcus comparari ſolet, intumeſcente, totum corpus languidum, & morboſum redditur. Qui ergo Principes iniuſtè oneroſas contributiones ſubditis pro ſuo libito imponunt, ſciant, ſibi minimè profecturas, ſed vel illis id, quod olim accidit, accidere, vel à ſuis Miniſtris inſumendas. Narrat Athenæus Liſimacho lib. 2. c. 1. quondam in Troiade vectigal Salinarum conſtitutum: verum natura id quaſi refugiente ſtatim exaruiſſe Salinas, ac remiſſo vectigali rurſus redijſſe. Apud eundem Athanæum eum aliquando prętér morem, & loci genium faba Ægyptia ex palude quadam in Epiro emerſiſſet, totoque biennio fructus vberrimos peperiſſet: Alexander Pyrrhi filius, collocato præſidio, commune beneficium eſſe vetuit: at quod alijs pareus inuidit, eodem ipſe priuatus eſt: nam ſimul cum aqua nouus ille fœtus euanuit. Quod etiam Antigono Regi contigit: poſtquam enim in Edepſo auxiliares quædam aquæ erupiſſent, quibus multi mortalium ſanabautur, riuulum vectigalem eſſe, iuſſit: at is auaritiam fugiens initio ſe condidit, ſcatebramque cohibuit: ex quo nimirum documentum Reges capere debent, quam ſit humanis Principibus extimeſcendum, qui prolixam, & beneficam eius naturam lucri cupiditate, corrumpunt: aut enim eiſdem aliquando commodis carituri ſunt, quæ vetant eſſe publica: aut quod veroſimilius eſt, pœnas grauiores à Diuino Numine luituri, & in hac vita commodis priuandi: ſiquidem Dei permiſſio eſt, vt quoties triburum iniuſtè ponitur, non illis proſit, ſed à ſuis Miniſtris inſumatur.

2. Ioſeph ſapientiſſimus Ægypti Gubernator, vt futuræ, quæ imminebar, fami prouideret, non ſolum frumenta in horrea congregauit, ſed ex illis, quæ vendidit, pecuniam in regium ærarium poſuit. *Omnem pecuniam congregauit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium Regis.* Geneſ. 47. Quid ad hiſtorialem contexturam, & prouidentiam Ioſeph exaggerandam refert, quod pecuniam in regales theſauros intulerit? Eam reſeruare oportebat, vt tempore graſſantis famis eſſet ſubſidium. At parum intererat, quod apud ſe, vel in ætario regio illam haberet repoſitam. Vt quid igitur textus tam ſpecificè loquitur? Auſculta Lyram: *Intulit in ærarium Regis, non per exactionem, ſed per venditionem valdè iuſtam: quia tantum valet res, quantum poteſt vendi.* Propterea in ærarium Regis repoſita perhibetur pecunia: quia iuſtè exigebatur, Si enim per exactionem, violentiam, & rapinam extorqueretur, forſan non in Regis ærarium, ſed in Miniſtrorum domos eſſet illata. In quos hinc ſumpta occaſione acriter (& vtinam non verè) inuehitur Oleaſter. *Non poſſum ſatis mirari videre eos, qui grati Regibus ſunt, diteſcere: Regem ipſum in dies pauperiorem fieri, neque aliud iudicare poſſum quam quod ipſi non ad Regis ærarium, ſed ad ſuum, pecuniam venantur à populo.* Non Regi commoda inferunt, quæ per contributiones iniuſtas Miniſtri extrahunt, ſed ipſis; neque illi diſſimulare queunt, quæ hinc percipiunt emolumenta, vt nulla Principes tergiuerſatione poſſint ignorare ex ſubditorum bonis, quæ pro cauſa publica illi

ſol-

ſoluunt, Miniſtros ditari, & quæ ad regium pertinebant ærarium, ad ſuas domos locupletandas inflectere, Deo ſic permittente in vindictam expilati populi.

3. De Sobna illo ſummo Sacerdote Theſaurario, & cuſtode vaſorum templi Domini dicebat Iſaias 22. verſ.16. *Quid tu hic, aut quaſi quis hic? Quia excidiſti tibi hic ſepulchrum, excidiſti in excelſo memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi. Ecce Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus, & quaſi amictum ſic ſubleuabit te*, Iſaiæ Si autem cauſam inquiras, cur Deus ita iraſcatur contra Sacerdotem illum, cui theſaurorum templi cuſtodia, committebatur? Audi Lyram: *Ædificauerat enim ſibi ſepulchrum notabile in ciuitate Dauid inter ſepulchra regia, vt poſt mortem eſſet in memoria celebri*. At quod delictum hoc fuit, vt tam ſeuerè puniatur Sobna? Imo religioſum, & opus laude dignum videbatur, ſepulchra ædificare, ac de morte iugiter meditari. Nulli enim ſumptus tam vtiliter inſumuntur, & à populo grati habentur, quam ſepulchra erigere, & funeralia officia in vita decernere? Igitur opus ex ſuo genere non reprehenſibile, ſed honeſtum, quo pacto tam vehementer Deum exacerbauit, vt memoriam illius Miniſtri delere minetur: Cauſam fuiſſe reor: quia etſi ſepulchra ædificare, ex ſuo genere ſit opus bonum: peſſimum tamen eſt ex tributis, & opibus regijs talia opera exſtruere, atque lapides erigere pauperculorum ſanguine commaculatos. *Memento etiam* (ait Oleaſt. ad hunc locum) *hunc fuiſſe præpoſitum domus regiæ: vt ſcias, quam antiquum ſit huiuſmodi Miniſtros regios ex opibus regijs præclaras ædes conſtruere, & amplas emere poſſeſſiones*. Hoc enim Miniſtrorum genus omnibus ſæculis viguit, in omnes ſerpſit ætates: quia Dei iuſta prouidentia ſic ſupplicia modulatur, vt in pœnam iniuſtæ exactionis, exactorum rapacitatem permittat, ne vectigalia Principi impendant, ſed ſuis commodis accommodent.

4. Præoccupatus Rex Nabuchodonoſor infauſto ſomno, ad interpretationem illius Danielem expoſcit, & ſeriem nocturnæ ideæ ſic narrauit: *Videbam: & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia: folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & eſca vniuerſorum in ea: ſubter eam habitabant animantia, & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres cæli, & ex ea veſcebatur omnis caro. Videbam in viſione capitis, mei ſuper ſtratum meum: & ecce vigil, & ſanctus de cœlo deſcendit, clamauit fortiter, & ſic ait: ſuccidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & diſpergite fructus eius*, Daniel.4. verſ. 8. & deinceps. Annuit autem Daniel Regis deſiderio, & ipſum in ſublimi arbore, quam viderat, fuiſſe deſcriptum dixit. *Arborem quam vidiſti ſublimem tu es Rex*. Sed quod mirari licet in huiuſmodi viſione, id eſt, quod cum folia pulcherrima nominaſſet, fructum non pulchrum, ſed nimium vidiſſe affirmat. *Et fructus eius nimius*. Vt quid autem auariſſimo Principi, cuius cupiditas ad omnium populorum ſubſtantiam diripiendam vehementer anhelabat, nimius apparet fructus, quem ex ijſdem populis congeſſerat? Pulchrè Theodor. *Fructum vero tributum vocat, quod vndique ei afferebatur. Idcirco autem multum fructum, non autem pulchrum dixit, nec enim iuſtè impoſitum erat*. Et quid ad tributa iniuſtè impoſita ſucceſſit? *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & diſpergite fructus eius*. At cur fructum diſperſum, & non excuſſum ſicut folia vidit? *Fructum vero* (pergit Theodoret.) *vidit diſperſum: quia qui tributum exigebant ad ſe ipſos in reliquum, ſine vllo metu, lucrum conuertebant*. Non ad Regis vtilitatem, ſed ad propriam Miniſtri inflectebant tributa: & proindè non in ærario ſuo congregata vidit, ſed in Magiſtratibus diſperſa. Non ſibi, neque regno ſuo Princeps lucrum parat, cum vectigalia imponit iniuſta, ſed Miniſtris ea ſuffurantibus, & inter ſe ſpargentibus, quę violenter extorquent. Execranda ſanè eſt quorundam exactorum violentia, qui non tam Principi, quam ſibi, miſeros ſpoliant pauperes, & regiæ neceſſitatis pallio contecti omnia diripiunt, & maiorem vectigalium partem apud ſe relinquunt. Rari enim ſunt, qui integram contributionem Principi deferant, & ferè nullus, qui velut canalis aqua, quam vehit, non humectetur.

5. Quis Ioſeph fidelior adminiſter? De illo namque dicitur Gen. 45. quod cum fratres ad patriam reuerterentur pro adducendo parente, decretum Regis expectauerit, vt parua munuſcula ipſis conferret. *Dic fratribus tuis: onerantes iumenta veſtra, &c.* Is autem modeſtiſſimus, ac fidelis Miniſter (vt ſcriptura aduertit Gen.41.verſ.45. exactionis tempore ditatus eſt: id enim denotant verba illa, quibus vtitur Spiritus-Sanctus, quando ei filius Ephraim fuit natus, qui diuitiarum augmentum ſignificat, & obliuionem paupertatis. *Nomen quoque ſecundi appellauit Ephraim, dicens: creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*. Veniunt ergò fratres, & vt ad neceſſitatem ſuccurrendam frumentum emerent, diſpenſatori Prorex præcipit. *Imple ſaccos eorum frumento: quantum poſſint capere, & pone pecuniam in ſummitate ſacci; Scyphum autem meum argenteum, & pretium, quod dedit, pone in ore ſacci iunioris*. Gen.44. Meritò ambiges, cur Ioſeph Scyphum, quo ipſe vtebatur, in fratris ſacco ponere pręceperit? Multa hic commentatores cogitauere. Rupertus lib. 6. in Gen.cap.10. pulchræ, & peculiaris rationis fuit Anthor: *Illud* (inquit) *præſcire poterat, quod educendi eſſent cum auro, & argento de Ægypto, ſicut ſcriptum eſt, benè igitur in prophetia ſpoliationis Ægyptiæ abeuntibus argenteum Scyphum ſuum impoſuit*. Sed adhuc latet ſenten-

Digitized by Google

tentia: quid proportionis habet ſcyphus Ioſeph cum ſpoliatione auri, & argenti Ægyptiorum, vt prophetia illius ſit? Crediderim: quia adeo ſolemne eſt regnorum eſſe diuitias, quas Miniſtri in tributorum exactione acquirunt, vt Ioſeph cum fuerit adeo culpæ expers, & fidelis, voluerit in ſcypho ſuo fratres poſſeſſionem bonorum Ægypti ſumpſiſſe; vt innueret, non minus regni eſſe, quæ Miniſtri habent, quam quæ ciues poſſident: bona enim Miniſtri prophetia ſunt ſpoliationis regni. *Bene igitur in prophetia ſpoliationis Ægyptiæ abeuntibus argenteum ſcyphum ſuum impoſuit*. Sic eſt innatum Miniſtris quæſtus facere, & lucra reportare ex ijs, quæ populi Principi ſoluunt, vt integerrimi Adminiſtri (qualis erat Ioſeph) opes, & ſi non eſſent euidentia ſpoliationis Ægypti, quia non malè illas comparauerat, tamen prophetia fuerunt aliorum exactorum rapacitatis, & depauperati regni. Etenim quod de quodam vectigalium exactore dixit Baſil. de Seleucia orat. 35. *Publicanus ipſo morum, vitaque inſtituto accuſabatur, latrocinium legibus pro armis vtens, vectigalium redemptio, cuius fructus aliorum lachrimæ, cuius theſaurus aliorum miſeria*: ferè omnibus quadrat Miniſtris.

6. Litiganti populo, quis nam Sacerdotio ſummo dignus eſſet, & tabernaculi adminiſtrationi idoneus, præcepit Deus, ab vna quaque tribu ſingulas virgas aſſumi cum proprio nomine, eaſque collectas in tabernaculo aſſeruari vſque ad ſequentem diem, vt quæ germinaſſet virga ſignum eſſet eius, quem Dominus elegiſſet: cumque Aaronis virga vireſceret, & turgentibus gemmis flores erumperent, qui folijs dilatatis in amygdalas tranſierunt, viſus eſt à Domino electus in ſacerdotem ſummum. *Sequenti die regreſſus inuenit, germinaſſe virgam Aaron in domo Leui*. Num. 17. verſ. 8. Planè hoc miraculosè accidiſſe, omnes arbitrantur, eo quod virga flores, folia, & fructus perfectos produxiſſet, ſine eo quod radices in terram miſerit, quod naturaliter non potuit accidere: quia plantæ eo tempore, quo ramos in altum proferunt, radices in terram iaciunt. Sed cum virga regios Miniſtros denotet (vt Gloſa in hoc loco innuit) *omnis Princeps habet virgam; quia ſine ea populum regere non poteſt*: *vnde Paulus dicebat* 1. Corinth. *quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate*? Ideo eam aſſeruari in tabernaculo Deum præcepiſſe ſuſpicor, non ſolum vt miraculum electionis teſtaretur, ſed etiam vt prodigioſum eſſe perhibeatur, quod virga flores, fructuſque Deo deferret, qui his ſignis indigebat ad electionem, quam facere intendebat, quin ſuccum ex terra ſibi extraxiſſet: prodigioſa enim illa virga eſt, quæ emolumenta, & tributa quibus Principi opus eſt, reddat, quin ſibi prius ſuccum è terra ſugat, radices mittat, & totam eius hauriat ſubſtantiam. Miraculoſus Miniſter, qui ex bonis quæ Regi extorquet, nullus ſibi commodum lucretur. Vndè cum ad Petrum acceſſiſſent Cæſaris exactores rogantes, an Chriſtus ſolueret tributum. Ipſe Dominus vt eum ſolueret, & ſcandali occaſionem præſcinderet, dixitque ad Petrum. *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me, & te*. Matth. 17. verſ. 27. At dubitant interpretes (cum Hieronymo) an pecunia illa in ore piſcis fuerit creata? Ferè omnes recentiores cum Gloſ. interlineali affirmant. *Mira potentia, qua hoc dicendo creauit ſtaterem*. Potuit etiam à piſce inueniri, & ore illum aſſumere: ne verò deglutiret, & in ventrem traijceret, fateri omnes tenentur à Domino fuiſſe impeditum, cum piſcis animal ſit voraciſſimum, & tam ad ingluuiem ventris propenſum, vt quidquid ore capit, ſtatim in ipſum inducat quinimò ſi fortè iam pecuniam in ventrem innexerat, prodigium ſine dubio eſſet, eam ad os reuocare. At inter tot miracula, quæ hic occurrunt, non minus illud mirabile eſt, quoe piſcis ſtaterem, ſiue à Chriſto Domino creatum, ſiue inuentum haberet in ore, quin in ventrem traijceret, ſiue iam traiectum ad os reuocaret, exhiberet, vt tributum ſolueret: quia res noua, & admiranda eſt, Miniſtrum inueniri, qui pecuniam, quam Principi extrahit ex ſubditis, in ore habeat, vt poſſit Principi ſubuenire, & non potius traijciat in ventrem, & illam in carnem conuertat, & ſanguinem.

7. Poſtquam Samuel Saulem vnxit in Regem, vt illum in regio munere inſtrueret, atque ea, quæ ſibi oportebant, conſuleret, dicebat, inuenienos fore tres homines, qui panes ipſi erant largituri, de quorum manibus eos accipere monebat. *Cumque te ſalutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum*. Reg. 10. verſ. 4. Cur Samuel de regni felici progreſſu ſollicitus non aliud præbet documentum, niſi quod panes vltro oblatos non per alias, ſed per ſuas manus recipiat? Quid quod Miniſtrorum interuentu panes, quibus indigebat, ipſi deferantur? Egregiè noſter Rangol. in comment. huius loc. *Idcirco autem hæc potiſſimum prænunciari voluit: quod ad eius vtilitatem ſpectarent*. Nihil vtilius Samuel Regi nouiter electo potuit conſulere, quam quod id, quod ſubditi offerebant, ab ipſorum manibus acciperet ſine exactorum interuentu, vt integra perciperet tributa, & occaſionem ſuffurandi, atque aditum ad propria commoda præcluderet. Sine dubio ſufficientia ſtipendia ad compeſcenda bella, alijſque vrgentibus neceſſitatibus regni ſubueniendum Principes haberent, ſi ad regias, de ſubditorum manibus, tributa pertingerent, & non in Miniſtrorum manibus inſumerentur, eo modo quo aqua in fractis canalibus diſparet, & conſumitur,

mitur, nec ad publicum accedit bonum. Parum refert, quod populus (vt par eſt) Principi accurrat, ſi contributio ad ipſius manus non accedit. Sicut enim ſæpè in ſtagno aquæ in magna copia recluduntur, quæ hortum abundantiſſimè irrigarent, frondeſcere, & florere facerent, ſi rectè diſtribuerentur, à talpis verò, & muſtelis impediuntur, magnis hiatibus in terra confoſſis: ſic copioſum à ſubditis Principi oblatum tributum ſufficeret ſine dedecore bella ſuſtentare, publicis neceſſitatibus ſubuenire, niſi infideles Miniſtri veluti talpæ, ac muſtelæ illud ita inſumerent, vt ad manus regias ferè nihil accedat.

DISCURSUS II. MORALIS.

Lethaliter regnum nutat ad ruinam, cum vel remedia non occurrunt, vel quæ occurrunt non proficiunt, & corrumpuntur.

1. IMperia, & poteſtates non tam armis, quam ſapientia, & conſiliorum dexteritate conſeruantur. Multoties plura exequitur conſilium, quæ vi non poterant concludi, æquiualetque pluribus ſæpè manibus ingenium vnum. Vt dixit Euripides.

Mens vna ſapiens plurium vincit manus.

Et Cicero dicebat regna ſtabiliri. *Non viribus, non velocitate, non celeritate, ſed conſilio, & ſententia.* Proindèque quotieſcunq; Deus regna, aut propter eorum flagitia, aut propter alios fines ipſi reſeruatos, mutare decernit, & in fortunam properare aduerſam, non tam vtitur inimicorum externis viribus, quam internorum corruptis conſilijs: hi enim intimè pugnant, & ſtatum ſine contradictione euertunt. Vnde dixit Velleius Paterculus. *Inevitabilis fati vis, cuius fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit.* Nulla remedia proficua ſunt, vbi ſupernum decretum intercedit. Quod pulchrè Vates noſter deſcribit in Chaldæis ad ruinam properantibus, & pro tuendo imperio plurima, ſed inutiliter tentantibus: *Nunquid non hæc ſunt à Domino exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient.* Hic verſ. 13. Infructuosè Chaldæorum Principes, & aliæ gentes, quæ ipſis adhæſerant, conabuntur ignem à Medis, & perſis introductum extinguere, & hoſtes expellere: fruſtra laborabunt, nihil proficient, ſed deficient potius defatigati: quoniam à Deo efficaciter Babylonis ſupplicium erat decretum. Volebat regnum penitus euertere; & quotieſcunque efficaciter Deus regnum deſtruere decernit, in vanum laborant, qui illud cuſtodiunt. Sic capiendum arbitror illud *laborabunt gentes in vacuum, & deficient.* Quod conſonat cum illo Dauidis vaticinio Pſalm. 106. verſ. 40. Vbi de ſimili regni euerſione loquitur Propheta. *Effuſa eſt contemptio ſuper Principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via.* Vbi Caiet. ex Hebræo legit: *Errare fecit eos in vacuo.* At quid in vacuo aberrare eſt? Audi Caiet. *Ad ſimilitudinem errantium in loco vacuo ſine via: qui ſicut cæci diſcurrunt, conſulunt, agunt.* Quotieſcunque Deus regnum procliue eſſe vult ad interitum, & elabi decernit; conſiliarios permittit confundi, in vacum laborare, & ſcopo congruentioris conſilij toto cœlo aberrare. Per vacuum incedere dicuntur, vt labor vagationis quin viam adinueniant, denotetur: qui enim per locum arboribus plenum, & culturæ expertem ambulat, ſentibus pungitur, plurimum defatigatur, iterque minimè offendit. Sic Deus cum regni parat ruinam ijs, qui illud tutari tenentur noxia permittit conſilia, vt fatuè, & ſine via, atque maximo labore errent. Vlterius in vacuum laborare dicuntur, vt error conſiliorum, quibus regnum deſolatur, denotetur. nam ſi daretur vacuum (vt ſchola docet Philoſophica) omnes res ad illud replendum concurrerent, atque vnaquæque extra proprium locum exiſteret. Non ſecus conſiliarij in vacuo errant, cum diruendum eſt regnum, res extra propria loca trahentes: milites ad conſilia mittunt, ad res belli conſiliarios, vt omnia inuertantur murra, & regnum, vndequaque vergentibus erroribus, quatiatur excæcata ſapientia humana, & remedijs aut non inuentis, aut in plagam conuerſis.

2. Mortem Abſalonis, qui rebellarat in patrem, ſic refert text. Sacer 2. Reg. 18. verſ. 9. *Accidit autem, vt occurreret Abſalon Seruis Dauid ſedens in mulo: cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum, & magnam, adhæſit caput eius quercui, & illo ſuſpenſo inter cœlum, & terram, mulus, cui inſederat, pertranſijt.* Pendulus è quercu infelix iuuenis remanſit, & quaſi morti conſentiret, nullum legitur adhibuiſſe ſtudium, vt ab ingruente periculo eriperetur, cum tamen non pauca obuia occurrerent: nam brutum, cui inſidebat, poterat detinere habenas coercendo, & interim capillos ſoluere, vel amputare: aut tranſacto mulo vna ſe manu ex ramis arboris librare, & altera extricare capillos. *At nihil horum feciſſe* (ait Abulenſ. quæſt. 12.) *quoniam Dominus habebat exoſum Abſalonem, & volebat eum tradere in manu hoſtium.* Ad interitum Deus in pœnam tanti flagitij Abſalonem deſtinauerat: & vbi Deus efficaciter pœnam decernit, vel remedia (etſi alioquin obuia, & facilia) non occurrunt, vel ſi occurrunt, non proficiunt, & fruſtra adhibentur. Nulla humana ſapientia

Digitized by Google

tia aut creata conſilia decreta Dei valent irritare. Vel ipſa, quę videbantur remedia, obſunt, & in damnum molientis corrumpuntur, cum Deus ea fruſtraneè tentari decernit; nam ea ineſt potentiæ eius ſapientia, vt ex qualibet cauſa, & effectum naturalem, & contrarium extrahat, & efficaciſſima energia media, quæ homines congruere arbitrantur ad fines ſibi proficuos, ad ipſorum ruinam inflectat.

3. Mirabiliter filij Iſrael multiplicati fuerunt in terra Ægypti; ſeptuaginta enim egreſſi ſunt, & cum ibi 210. vel 215. annorum ſpatio habitaſſent ita creuerunt, vt ex Ægypto ſexcenta bellatorum millia exirent præter Leuitas. fœminas, pueros, & ſenes, Lege cap. Num.1.& 2.& Exod.12.& id quod Moyſes Iſraelitis dicebat Denther.10. verſ.22. *In ſeptuaginta animabus deſcenderunt Patres tui in Ægyptum: & ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus ſicut aſtra cœli*: Admirationem auget, quòd cum Rex nouus ſurrexiſſet, timens tam ingentem multitudinem nullum non mouit lapidem, vt Hebræos perderet, ne tumultuarent, & in diſpendium regnum adducerent: ob quam cauſam maſculos decreuit infantes in fluuium demergi; tali enim conſilio ſapienter damna euertere, & numeroſam Hebręorum propagationem impedire erat ratus. Sic enim aiebat: *Ecce populus Iſrael multus, & fortior nobis eſt: venite ſapienter opprimamus eum*. Exod.1.verſ. 10. Sed quid illi profuit huiuſmodi humana ſapientia? Quid infantium neces, vt ad finem pertingeret, quem intendebat? Auſculta text. Exod.1.verſ.12. *Quanto opprimebat eos, tanto magis multiplicabantur, & creſcebant*. Sic enim Deus vtitur humanis conſilijs, vt illa inflectat ad euentus, quos ipſe decernit, quamuis contrarij ſunt ijs, qui ab illis intenduntur. Vt enim ait Salomon Prouerb.21.verſ.32. *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Deum*. Et Iſaiæ 46. verſ.10. *Conſilium meum ſtabit (ait Dominus) & omnis voluntas mea fiet*. Decreuerat Deus Iſraelitas in gentem multiplicare (id enim ipſis erat pollicitus) vt promiſſionis terram ingreſſi eius habitatores debellarent: ideoque vanè, & fruſtra ab Ægyptijs oppugnabantur: quia voluntas Dei efficax nullo humano valet irritari conſilio.

4. Vetus quæſtiuncula eſt, quam ob cauſam Euang. Mattheus ſeriem generationis Chriſti contexens, perueniens ad Dauid dixerit: *Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ*. Matth.1. Cum potius (vt apparet) dicere debuerit: Dauid autem Rex genuit Salomonem ex Berſabeæ, appoſito expreſsè potius mulieris nomine, ex qua Chriſtus traxit originem, quam Vriæ, qui ad eiuſdem Chriſti genealogiam minimè ſpectabat. Vt quid perſonam introducit nullo pacto ad generationem Chriſti pertinentem, & eam prætermittit, quæ iure ſanguinis cæteris annumerari debuit? Communiter Expoſitores à difficultate expediuntur arbitrantes, propterea Euangeliſtam ſic narrationem concinnaſſe vt peccatum Berſabeæ aliqualiter tegeret, illam ex nomine non proferendo. Sic enim ſe geſſit Lucas 7. v.37. conuerſionem Magdalenæ enarrans. *Ecce mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix*. Vbi quia peccatricem dixit, nomen ſubticuit. Sed ad noſtram theſim egregiè Auctor Gloſſæ rem dirimit. *Silentio nominis mulieris, quod turpe eſt tegitur: nomen autem occiſi viri ponitur, vt immanitas ſceleris memoretur*. Voluit Deus in pœnam commiſſi ſceleris, quod nunquam è memoria excidat, ſed omnibus ſit obuium: & idcircò illud ipſum, quod Dauid aſſumpſerat in ſui ſceleris tegumentum, nempè Vriæ mortem, quam iniuſtè intulerat, idem ſcelus patefaceret, & palam proderet: nam vbicunque Vriæ nomen auditur, ſtatim Dauid ſcelus memoratur. Nullum medium, etſi totis ſapientiæ humanæ viribus ſit excogitatum, aduerſus Dei decretum quidquam valet, non proficiunt prudentiæ creatæ conſilia, licet expertæ intelligentiæ] ſint: quia ignotis diſpoſitionibus in damnum molientis inuertuntur, & multoties, qui plurimum ſibi fidentes, ac plurimo imaginantes conſilia præſtant, quibus regnum ſtabiliri autumant, ad velociorem ruinam illud impellunt, quia Deus infatuat ipſorum cogitationes. Ioſeph ad dignitatis culmen eleuando, adorandoque fratribus cernua ſubmiſſione per ſomnium Deus futuram reuelauit felicitatem inſtante ſuo manipulo. Quem fratrum manipuli adorauerunt: hæc autem quæ ſomnia erant, & mendacia reputanda, talem in fratribus genuerunt inuidiam, & maleuolentiam, vt Iſmaelitis illum venderent mercatoribus, vt in longinquum velut mancipium deductus nulla deinceps ipſum adorandi ſupereſſet occaſio. *Vendiderunt eum Iſmaelitis viginti argenteis qui duxerunt eum in Ægyptum*. Geneſ. 37. Verum quid hoc ſapientiæ humanæ præſtigium inuiſis Ioſeph fratribus profuit ad finem intentum? Quid illos iuuit huiuſmodi machinamentum? Audi Baſilium de Seleuc.orat.8. *Verum (ò diuinam prouidentiam verax eſt) quia comprehendit ſapientes in aſtutia eorum. Nam inuiti illis ſomnijs per imprudentiam abſorbiunt, inuiti Ioſephi ſomnijs operam commodant, viam, qua vera euadant ſomnia, venditionem moliuntur*. Ne fratrem adorent ipſum relegant, vendunt, & ſeruum efficiunt, Iſmaelitis, & Ægyptijs. Sed ò quam exaduerſo res accidit, nam ea via perducitur ad Ægyptum, Prorex conſtituitur, & accurrentibus ibi famis tempore fratribus ab ipſis adoratur: praua conſilia aduerſus ſomnia bellantia in cauſa ſunt, vt vera euadant ſomnia, atque non tam fratri quam ſibi ipſis inſidiantur tentantes à ſomniata dignitate illum deturbare, dum eum deprimere volunt exaltant. Sic Deus prudentiæ humanæ irritat vota, vt quæ molitur, ad contrarios fines inflectat;

quia per pugnantia media, & contrarias cauſas ſua decreta, ac voluntatem ſuam ad effectus intentos perducit, vt eleganter ponderauit Tertullianus aduerſus Gnoſticos, cuius aliquid omittere culpa eſſet. *Medicum videbis etiam in illo, quod fermè pares adhibet qualitates medelarum aduerſus qualitates querelarum, cum quaſi de peruerſo auxiliatur, per ea ſubueniens, per quæ laboratur. Nam & calores caloribus amplius onerando compeſcit; & ardores ſibi potius macerando reſtringit, & fellis exceſſus amaris quibuſque potionibus colligit, & ſanguinis fluxus diffuſa inſuper venula reuocat. Deum vero, & quidem zelotem, culpandum exiſtimabis, ſi voluerit certare cum cauſa, & iniuriæ æmulando prodeſſe: mortem morte diſſoluere, occaſionem occaſione diſpergere, tormentis tormenta diſcutere, ſupplicia ſupplicijs euaporare, vitam auferendo conferre, carnem ſecando iuuare, animam eripiendo ſeruare. Peruerſitas, quam putas, ratio eſt: quod ſæuitiam exiſtimas, gratia eſt.* Sic ille dilucidè pariter, ac venuſtè, quo nihil ponderoſius, nihil illuſtrius.

5. Decreuit Deus Hanonis Ammonitarum regnum deuaſtari, illudque ei eripiens in manus tradidit Iſraelis: à cuius facie cum inimicos profligaſſet, fugerunt quinquaginta & octo millia virorum, & occidit Dauid de ijs, qui Ammonitis auxilio erant, ſeptingentos currus, & quadraginta millia equitum, nonne magna ſtrages? At quibus medijs Deus tam ingentem ſtragem hoſtibus Iſraelis intulit? Fortè Iſraelis armis ſuperati victoriam, & ſpolia in ipſius manus reliquerunt, & à multitudine oppreſſi indecoram arripuerunt fugam timentes ſibi totalem interitum? Non certè ſed Miniſtrorum Hanonis deprauatis conſilijs. Auſculta textum. Factum eſt autem poſt hæc vt moreretur Rex filiorum Ammon, & regnauit Hanon filius eius, pro eo? Dixitque Dauid, faciam miſericordiam cum Hanon filio Naas, ſicut fecit Pater eius mecum miſericordiam. Miſit ergo Dauid conſolans eum per ſeruos ſuos ſuper Patris interitu. Cum autem veniſſent ſerui Dauid in terram filiorum Ammon. *Dixerunt Principes filiorum Ammon ad Hanon Dominum ſuum; putas, quod propter honorem patris tui miſerit Dauid ad te conſolatores, & non ideo vt inueſtigaret, & exploraret Ciuitatem, & euerteret eam, miſit Dauid ſeruos ſuos ad te?* 2. Reg. 10. verſ.3. Miſerat legatos Dauid ad conſolandum Hanonem Ammonitarum Regem de morte patris, aulici autem & conſiliarij qui aderant, putantes obſequium præſtare Regi ſuſurrarunt, Dauidem praua intentione legatos miſiſſe, non tam vt Regi ſolatium afferent, quam vt Vrbem conſiderarent, vt poſtea eam hoſtili gladio Iſraeliticus exercitus inuaderet. Vt autem de hac præſumpta nociua intentione Rex vindictam ſumeret, conſilium peſſimum ei dederunt, atq; induxerunt, vt Dauidis legatos magna cum ignominia dimitteret, tulit itaque Hanon ſeruos Dauid. *Raſit enim dimidiam partem barbæ eorum, & præcidit veſtes eorum medias vſque ad nates, & dimiſit eos.* Hæc ergo ignominia tantorum præliorum cauſa fuit, & vt regnum Ammonitarum ferè funditus euerteretur. Quod ponderans Caier. *Mali Principes* (inquit) *interpretantes officium honoris defuncti patris coram filio in officium explorationis.* Ferè in omnibus curijs hæc maligna Miniſtrorum præſumptio plurimum officit, & multoties ſuo ducti dictamine, cui peramanter ſunt deſponſati, res communes, & regni ſtatum ad vltimum ducunt excidium. Quoties pia, vrbana, & ingenua officia, praua interpretantur intentione, & Principes ad bella trahunt æterna, quæ facili negotio poterant excuſari. Damnum & ignominiam, quam Ammonitarum conſilium Iſraelitico populo inferre præſumpſerat, in regni perniciem redundauit; quia ſic Deus arrogantiam humanæ ſapientiæ deridet, vt vnde ſecuritatem, & honorem aucupari homines ſatagunt, ignominiam, & confuſionem exhauriant.

DISCURSUS III. MORALIS.

Qui non abſtinet à ſuperfluis, cito indiget neceſſarijs.

1. PRudentis viri eſt fortunæ bonis quę neque in noſtra ſunt poteſtate, neque ſemel lapſa in nobis eſt, vt redeant, ſobriè ac frugaliter vti: non ſolum quia moderatio, & frugalitas ſemper decent, ſed etiam quia à ſuperfluitate ad indigentiam procliuis eſt tranſitus, & qui ſumptibus immoderatis vtuntur, poſtmodum extrema gemunt egeſtate. Vnde monebat Euripides in Oreſt. *Summo iure vtere moderatè: nauis enim tenſa vi ſumma rudentibus mergitur, erigitur iterum: ſi laxaueris rudentes.* Sobrietas & moderatus faſtus neque fortunam mutant nec honorem: at luxurioſa, & phantaſtica pompa de vno ad alterum extremum mutata vice tranſfert. *Suus cuique* (vt dicebat Iulius de Orat.) *modus eſt: tamen magis offendit nimium, quam parum.* Quot domus, quot familiæ extrema, & indecora egeſtate laborant, quia inconſiderata redundarunt abundantia, nec propriæ fortunæ medum ſeruauere? Scitè admodum conſulebat. Etenim quotieſcumque homines intemperatè viuunt, & ſupra vires pompaticè incedunt, citò planè in miſeram abeunt paupertatem: niſi vela contrahant, & intra fortunam ſe contineant, è pompa in egeſtatem, è ſuperfluis in miſeram, & obſoletam paupertatem detrudentur. Hinc inter alia, quæ

Deus

Digitized by Google

Deus præcepit populo Hebræorum; id mira prouidentia fuit iniunctum. *Quando ingreſſi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum.* Leuitic. 29. verſ.23. Id eſt primas flores (vt interpretatur Lyra) & gemmas, ne erumpant in fructus. At cur primos nouarum arborum fructus ſic Deus deteſtatur, vt flores vnde procedunt, carpere præcipiat, ne ad maturitatem deueniant? Hoc quidem à natura, & à conuenientia videtur alienum: à natura quidem, quia eo fine plantantur arbores, fouentur, & nutriuntur, vt fructus capiantur: à ratione ſanè, quia primi fructus maiores, & nonnunquam ſuauiores reliquis eſſe ſolent. Vt quid igitur arborem cultores primis earum defraudantur fructibus? Pulchrè, & tempeſtiuè Lyra. *Quia arbores poſtea ſunt minus vtiles, quando nimis citò faciunt fructum.* Non iræ, ſed amoris illud erat præceptum: conſulebat enim Dominus populi maiori vtilitati, & quia arbores, quo nimis citò fructificant, vel plures afferunt fructus, poſteà minus vtiles ſunt, ideircò præcepit Deus, vt earum præputia auferrentur, vt populum inſtruat à ſuperfluis abſtinere, vt futuris temporibus prouideat. Quod eadem ſimilitudine venuſtè conſulebat Seneca epiſt. 39. alibi datus. *Magni animi eſt magna contemnere: prudentis eſt, mediocria malle quam nimia: iſta enim vtilia ſunt, illa quod ſuperfluunt, nocent: ſic ſegetem nimia ſternit vbertas: ſic rami onere franguntur: ſic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas.* Sicut enim virtus in medio conſeruatur: ſic fortuna. Vnde Socrates cuidam ſciſcitanti, quid vitam modeſtam deceret, reſpondiſſe dicitur. *Nec quid nimis.* Nam qui vltra vires audet, & à ſuperfluis non abſtinet, in miſeram, & ſterilem paupertatem incidit: expedit enim luxuriantem fortunam coercere, & non inuidere alienæ, nam qui ex neceſſitate vires extrahit, vt cæteris in pompa non appareat inferior, inferior, omnium poſtremiſſimus poſtea habetur, & aliorum imitatione decreſcit, & periclitatur.

2. Hebræos mare rubrum ſicco pede tranſeuntes inſequebantur Ægyptij hoſtili manu, vt ipſos opprimerent: cum autem ad litus Hebræus populus deueniſſet, aquæ obruerunt Ægyptios, qui alueum ingreſſi ad hoſtes properabant. *Reuerſæque ſunt aquæ, & operuerunt currus, & equites totius exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi fuerant mare, nec vnus quidem ſuperfuit ex eis.* Exod.14.verſ.28 Et cur tam miſerè Ægyptij operiuntur aquis, & quæ refugium extiterunt Hebræis, Ægyptijs vltimum fuerunt exitium? Vnde tam ingens diſcrimen, quod eædem, aquæ alios defendant, ſubmergant alios? Auſculta text. *Diuiſaque eſt aqua, & ingreſſi ſunt filij Iſrael per medium mare ſicci: erat enim aqua quaſi murus ad dexteram eorum, & læuam, & perſecuti ſunt Ægyptij, & ingreſſi ſunt poſt eos omnis equitatus Pharaonis, & equites eius ad medium maris.* Ibi verſ. 22.& 23. Eadem via & fortuna Ægyptij incedere voluerunt, & ideò ſuffocantur, atque aquarum montibus ſubmerguntur. Sic ſæpè accidit: nam qui alienæ fortunæ inuidus eam æquare gliſcit, qui feliciores alios imitari volunt, ſubmerguntur. *Andan abogados,* hiſpanè dices. Gemunt ſub aquis, qui potentes videri conantur; & quia nullus intra fortunam manet, omnes ſubmerguntur, dum vana contentione, & nociua inuidentia quiſquis vt alius, etſi ditior ſit, & nobilior, apparere vult: quod in maximam & vniuſcuiuſque, & totius Reipublicæ perniciem vertitur. Prodigus ille filius, qui à patre receſſit, abijt in regionem longinquam, & vbi ad eam peruenit: *Facta eſt fames per regionem illam.* Lucæ 15.verſ.14. Quæ tam graſſantis famis, qua miſer prodigus peribat, cauſa extitit? Vnde iuuenis deperditi tam extrema indigentia? Egregiè Ambroſ. *Egere ergo ideò cœpit & famem pati, quia nihil prodigæ ſatis eſt voluntati.* Cauſam famis, & egeſtatis prodigi regionis ſterilitatem putaueram ego: at D. Ambroſius lib.7.in Luc.cap.15. non terræ ſterilitati, non temporalium fructuum defectui egeſtatem tribuit, ſed prodigalitati vnius iuuenis. Pompoſè prodigus regionem illam adijt, alij eum ſunt imitati, & cum omnes æque res inſumerent, cariores fiunt, vnde *facta eſt fames per regionem illam.* Vnius exceſſus totam regionem euertit: quia ſuperfluè bona, quæ ipſi contigerant diſſipando, reliquos ad imitationem adduxit, & omnium ſuperfluitas in cauſa fuit, vt neceſſaria omnibus deeſſent, quia anticipatis ſumptibus, quæ poſtmodum erant inſeruitura, inſumpſerunt. Et quotieſcunque in Republica liberum ſit vnumquemque, prout ſibi placuerit, incedere, nec plebeius à nobili, diues à paupere diſcriminetur, perniciosè ſeſe habebunt, & neceſſarijs ſibi ac Principis ſubſidio indigebit.

3. Expedit ſanè ad Reipublicæ ſtatum, & optimam gubernationem, ſuperflua amputare exemplo Dei, qui etſi omnibus abundet, nec vereatur ſibi deficere, tamen non ſuperflua largitur, ſed neceſſaria, & ſufficientia tantum. Vt inſomnes & vigilantes ſeruos redderet, & pendula exſpectatione paratos, ipſis curam, & vigiliam rependere pollicetur pio famulantis officio. *Amen dico vobis: quia præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Lucæ 12. verſ. 37. Quænam hæc ſit præcinctio, qua Dominus adminiſtrare ſeruis ſuis in beata Patria (de qua hic ſermo habetur) promittit, non leuem ingerit difficultatem Theodoretus altè rem meditatus ſic ſcribit. *Vel præcinget ſe in eo, quod non totam vbertatem bonorum largitur, ſed hanc cohibet ſecundum certam menſuram.* At qui in retribuendis obſequijs tam liberalis vbique

perhibetur, quo pacto hic tam parcus vult videri, & præcinctus, atque ad certam, & limitatam menſuram alligatus? Quænam illa menſura erit potens immenſitatem metiri? Non me latet lumine gloriæ; quo Deus beatorum intellectus diſponit ad ſui claram viſionem, quodammodo ipſummet Deum præcingi, & ad menſuram limitatam coarctari, vt talem rependat viſioni intenſionem, qualem beati menſuram habuere meritorum. Tamen adhuc me vrget difficultas. Vt quid eum ſuorum animos erigere tentat ſpe futuræ beatitudinis, ipſam iuxta limitatam menſuram largiri pollicetur? Nam etſi hoc ita ſit, illud ſubticere expediret, cum ad virtutem allicit, & ad imitationem prouocat: ne parcæ remunerationis propoſitione deficiant, & à propoſito virtutis deſiſtant. Verum ea eſt Dei natura, & proficua moderatio, quod ſi non neceſſaria, & ſufficientia, ac titulo iuſtitiæ debita ſuis Deus polliceretur, ſed ſuperflua, & ſuperabundautia, fortè ſuſpectam illius haberent pollicitationem, qui nouerant, quamlibet ſuperfluitatem & Deum, & ipſos dedecere. Nam in ſchola virtutis eruditi neque plus, quam ipſis debebatur appetebant, neq; Deum ſuperflua largiri, ſed neceſſaria tantum, arbitrabantur. Succinit D. Anſelm. lib. 11. epiſt. 28. *Guſtate amantiſſimi, quam ſuauis eſt Dominus, quod nequaquam ſcire poteſtis, quamdiù dulcis eſt vobis mundus: ſcitis dilectiſſimi mei, quia mundus tranſibit, & omnis gloria eius: qui ergo diligit mundum, ſectatur vanitatem, & conſequetur miſeram indigentiam: qui autem contempto mundo eligit Deum, ſequitur veritatem, & inueniet beatam ſufficientiam*. Pende illa aurea verba, quæ pulchrè noſtro inſtituto congruunt. *Qui diliget mundum, ſectatur vanitatem, & conſequetur miſeram indigentiam*. Mundi amatores, & qui ipſius ſuperfluitatibus viuere conantur, tandem miſeram conſequuntur indigentiam, quia immoderati ſumptus extremæ ſunt neceſſitatis prognoſticon. *Qui autem contempto mundo eligit Deum, ſequitur veritatem, & inueniet beatam ſufficientiam*. Non ſuperflua inuenient beati in ſuperna patria, ſed quæ ſufficientia erunt ipſos beare: quia quæcunque ſuperfluitas exulat ab illa ciuitate, vbi vnuſquiſque intra fortunam ſuam continetur; quia qui minus meruit, non ſuſpirat gradum gloriæ ſuperioris meriti; nec peruerſiones humanæ ſupernam patriam aſcendunt, quæ hominum Rempublicam docet, ſuperflua præſcindere, ne neceſſaria deſint, & communis atque particularis euertatur ſtatus.

4. Rex ille diues, qui rationem acceſſit ponere cum ſeruis ſuis, oblato illi vno, qui debebat decem millia talenta, cum non haberet, vnde redderet. *Iuſſit eum Dominus eius, venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi*. Matth. 18. verſ. 25. Vbi Caiet. crudelitatis notam, qua dominus poterat inuri, abſtulit. *Si miraris præceptum regium vt crudele, recole quòd antiquo tempore rigor iuſtitiæ admittebat venditionem hominum fieri pro ſoluendis debitis* (vt patet 4. Reg. 4.) Non hoc mirum, cum à nouitate excidat; ſed quod vxor, & filij pro culpa, quam infidelis ſeruus commiſerat, venundentur. Ille enim crimen perpetrauerat inſcijs filijs, & vxore: & quamuis ipſum ſuffuratum fuiſſe agnouiſſent, tamen non dicitur, quod fuiſſent eo operati, nec tenebantur illum prodere. Vt quid igitur vxor, & filij venundantur, & mancipantur miſeræ ſeruituti? Difficultatem excitat, & ſoluit Oleaſt. ad cap. 3. Iſaiæ. *Quare exiſtimas vxorem ſcilicet, & filios cum eo vendi, niſi quia magna debita vxoris, & filiorum gratia contraxit: non enim timuit aliena rapere, vt vxorem, & filios pomposè indueret, & ornaret*. O quot vxores, & filij (ſi hæc vigeret lex) vænundari deberent, vt debita ipſorum cauſa contracta, ſoluerentur? Quia ſtultus ille ſeruus pompaticè ſe, vxorem, & filios induere voluit, idcirco cum ipſis vænundari præcipitur, atque in miſeram redigi ſeruitutem. Miſeriæ cauſæ, & indecoræ crebro nobilium hominum ſeruitutis intemperantia eſt, & ſuperfluis luxuriari, quo tandem mancipia fieri negotiantur, & miſeram viuendi formam. Nec ſolùm in particularium redundat detrimentum immoderata eorum ſuperfluitas, ſed in Reipublicæ damnum vergit, cuius ruina eſt, quod equites velut Principes, plebei velut equites induantur. Ideò cautum fuit Deuther. 22. verſ. 11. *Non indueris veſtimento, quod ex lana linoque contextum eſt*. At cur talem veſtem Iſraelitis lex inhibet, cum modeſtiſſima videatur, neque modum excedat, quem frugalitas exigit? Auſculta Lyram. *Hoc fuit prohibitum propter Sacerdotij dignitatem: quia in veſtibus Summi Sacerdotis erat talis coniunctio textura; & ideo non erat licita alijs veſtis ſic contexta*. Ratio enim dictat monſtruoſum eſſe, omnes, ſine delectu pro libito ſuo, exornari, & plebeium hominem eodem veſtimento, ac Principem operiri, & ſine diſcrimine veſtibus, & alijs honoris inſignibus quemlibet pro ſuo libito vti.

5 Moyſem ad idolatriam populi vindicãdam ſic deſcribit textus Sacer. *Videns ergò Moyſes populum, quod eſſet nudatus (ſpoliauerat enim eum Aaron ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat) & ſtans in porta caſtrorum ait: ſi quis eſt Domini iungatur mihi. Congregatique ſunt ad eum omnes filij Leui; quibus ait: hæc dicit Deus Iſrael: ponat vir gladium ſuper femur ſuum: ite & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſq; fratrem, & amicum, & proximum*. Exod. 32. verſ. 25. & ſeqq. Et deinceps difficilè explicatu eſt, quænam hæc fuerit denudatio, ob quam tam ingentem ſtragem Moyſes in populo fecit Lyra autumat Moyſem ſic exacerba-

tum,

tum, quia populus ſe denudauit, *à pretioſis iocalibus ad fabricationem vituli*. At quæ hæc culpa fuit, vt tam ſeuerum populo infligatur ſupplicium? Quod propter vituli formationem plecterenrur æquum erat: ſed quod ad illum fabricandum denudentur, quid tam deteſtabile eſt, vt propter hoc tam ſeuerè puniantur? Tam execrabile, videtur delictum, pretioſas induere veſtes, quod reſpectiuè ad idolatriam hæc veſtimentorum exorbitantia punibiliot appareat, & illa Moyſes moueatur ad vindictam? Ità equidem. Nam ex hac populi perniciosâ licentia ſæpiſſimè ad fœdiſſima trahitur flagitia, populus lautè comedebat, & diuitibus ornamentis vtebatur, ex quo fortè in idolatriam fuit lapſus. Debuit ergò modeſtus Dux (qualis erat Moyſes) non ſolum idololatriam punire, ſed & populi exorbitantem pompam compeſcere, & ſupplicio moderare. Quia ibi, vt dixit Oleaſt. *Docentur Duces quantum in illis eſt, curare, ne populus bona ſua, & temporales diuitias prodigat, quia neceſſariæ ſunt ad Reipublicæ conſeruationem*. Ne Principi neceſſaria deficiant ad Rempublicam tuendam, curet populum à ſuperfluis abſtinete: ne dum vanitati iuſeruit, & immoderata pompa luxuriatur, nec ſibi, nec Principi ſufficiat. Superflua præſcindantur, ne neceſſaria deſunt: ideò enim colon̄i, qui vineam babebant locatam, tributum Domino non reddebant Matth. 21. verſ. 30. quia neque vineam colebant, neque vitibus amputabant ſuperflua, vt vberiores facerent fructus. Niſi ſubditi ſuperflua amputent, neceſſarijs indigebunt, in miniſtros inſurgent, quin & in ipſum Regem blaſphemabunt: vt agricolæ, qui vineam non amputabant: *Ecce hæres, venite occidamus eum*. Hinc Babylonia (de cuius iniquitate plurimum dolet Vates noſter) vltimam eſt aucupata ruinam, quia nulli voluptati parcens, nullis non dedita delitijs in ruinam abiuit, & dum eius Ciues luxui, ac ſupetfluis pompis operam dabant, ad vltimum exitium deuenere, & pulcherrimam Ciuitatem funditus euerterunt. *Væ qui ædificat Ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate*. Hic verſ. 12.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Res, vt ægritudine, dilectione pereunt.

1. Babylonia Chaldæorum Metropolis, quam Nabuchodonoſor muniuit, inexpugnabilium murorum ſtructura, exornauit domorum pulchritudine, quamque magnis locupletauit diuitijs, & quam tam amanter diligebat, vt dixerit de illa ſibi blandiens Daniel. 4. *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Hæc (inquam quam propter amorem, & complacentiam tot cumulauit diuitijs, oculos inimicorum allexit, vt ad eius direptionem, & ruinam properarent. atque dilectione amatoris ſui ad vltimum exitium peruenit: quia non minus, quam ægritudine res dilectione pereunt, amore non ſecus, ac morte deuaſtantur, & quæ dulciter atridet voluntas lethalem morbum, & interitum parat. Neque aliter amor officit, quam herba, quæ in Sardorum inſula naſcitur, & Sardoa propterea dicitur: hac enim (iuxta variorum Authorum mentem) comeſta homines ita ora in riſum efformant, vt ridentes pereant; Nec ſolùm in amantem inſurgit amor, ſed in rem amatam lethifero dente inuehitur; vndè de illo locutus S. Gregor. Nazianzenus Orat. in laudem S. Baſilij dixit: *Nec enim flamma, conſumpta materia, remanet, ſed vnà cum ea extinguitur*. Cibus, quo amor nutritur, deficit, & inſumitur, atque inter vitæ ſuffragia perit.

2. Poſtquam Iacob reuerſus de Meſopotamia verno tempore ad terram, quæ ducit ad Ephraten, iter ageret, & Rachaeli ipſum comitanti partus dolores ſuperuenirent, atque ex ortu Beniamin mors ipſi accidiſſet in via, ipſam ibi ſepeliuit Iacob iuxta Bethlem. *Mortua eſt Rachel, & ſepulta eſt in via, quæ ducit Ephratam, hæc eſt Bethlem*. Geneſ. 35. verſ. 10. Quorſum tempus, & locus mortis Rachel ita exprimuntur, vt de illo dicatur fuiſſe vernum, de iſto autem Ephratam, quæ alio nomine vocabatur Bethlem? Cur Scriptura Sacra eundem fuiſſe locum, vbi Chriſtus erat naſciturus, & vbi Rachaeli mors contigit, tam vigilanti calamo expreſſit? Cum tamen nulla cohærentia inter has temporis, & loci circumſtantias inueniatur, cum Rachaelis inopinato interitu, ſed potius maximum diſcrimen, & non leuis indecentia. Nam ſi Chriſtus venturus erat hominibus vitam largiturus, non parum potentiæ eius dettahebatur, demonſtrata mortua Rachaele iuxta locum, vbi ipſa vita erat naſcitura. Si verno tempore omnia vireſcunt, & reuiuiſcunt, vt quid in illo mortem eueniſſe Rachaelis denotatur? Expediret enim locum reticere, vbi mors accidit, ne vitæ futuræ non bonum capiatur præſagium. Accipe Hiero. lib. 1. aduerſ. Iouinian. de illo euentu mirificè loquentem. *Illa quondam dilecta coniux, pro qua ſeruierat, iuxta Bethlem, in qua erat virginatis præco Dominus naſciturus, à filio doloris occiditur*. Dilecta nimis erat Rachel, & pro qua tot amoris Iacob præbuerat ſigna: & idcircò inter vitæ fomenta moritur, inter vitales vmbras occidit: nam quod ferui-diius diligitur, morti periculoſius ſubeſt, vel inter vitæ principia mortem adinuenit, & nimia

mia dilectione paratur illi interitus. Latet in amore mors, & præ nimia dilectione periclitatur vita. Ideò enim verno tempore, vbi germinant flores, Rachel moritur, quia inter ipſa nouæ vitæ renaſcentia principia mors oritur dilectę coniugi.

3. Mulier illa, quę duodecim annis ſanguinis profluuium patiebatur, & quę ita ſanitatem exoptabat, vt in medicos omnem ſubſtantiam ſuam erogauerit abſque vlla ſanitatis ſpe, cum mirifica Chriſti Domini opera audiſſet, ſanitatem anhelans acceſſit retro ad ipſum, & attactu fimbrię veſtimenrorum eius confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis; atque cum Saluator diligenter percontaretur, quis eum tetigiſſet, & ipſa piam audaciam fidei ſuę palam fuiſſet confeſſa, dixit ad illam. *Confide filia, fides tua te ſaluam fecit*. Matth. 9. verſ. 22. Non videntur hęc verba ſibi conſtare: etenim ſi mulier illa iam ſalua facta erat, atque à morbo liberata, vt quid illi pręcipitur, quod confidat? Habebitne confidentiam ſanitatis conſequendę, ſi ipſam iam habebat, & fuerat conſecuta? Nemo exſpectare poteſt quod iam habet: quia fruitio poſſeſſionem reſpicit, fiducia non poſſeſſum. Vt quid igitur mulier illa anhelauit, vt habeat, quod iam poſſidet, quaſi non haberet? Vt quid illi mandatur, quod ſanitatem iam acquiſitam ſperet? Profectò reor: quia adeò caduca ſunt ea omnia, quę vehementer deſideramus, vt cum primum obtinentur, quaſi iam amiſſa ſint, opus eſt, ea de nouo optare. Ideò iubetur fœmina ſanitatem, quam habuerat, ſperare, poſtquam eam erat adepta, quia ipſamet poſſeſſio materia reputatur deſiderij, & propter fugitiuam humanę felicitatis conditionem, & quia poſſeſſio boni, quod vehementer diligitur, ęgritudo, & mors ipſius boni eſt. Optauerat mulier illa auidiſſimè ſalutem, quæ illi deficiebat, vehementer poſſeſſam amabat, & ità in ſalute latet infirmitas, in dilectione mors, vt fiduciam habere, & ſanitatem iam poſſeſſam toto animo concupitam, & amatam ſperare præcipiatur; quaſi iam ab ipſa dilectione ſanitas eſſet occiſa, & pro ipſa de nouo preces fundere eſſet neceſſe: quaſi appetitus, & delectabilis fruitio ſalutis idem ſint: quaſi ex amore rei dilectæ oriatur deſtructio. Laſciuiebat infernali ardore impudica fœmina Ioſeph allecta pulchritudine, procaci perſuaſſione ipſum ad illecebras prouocabat, & effronti impudentia inducebat? reſiſtit viriliter ille, & ſtatim illa maritum interpellat validiſſimis vocibus, vt iuuenem detrudat in carcerem, & ad mortem damnet, quaſi reum criminis, quod aiebat, intendiſſe patrare. Non miror quod nefarij facti, quod ille committere recuſauit, illum inſimulet; fortè illa arte flectere tentabat formidine, quem verborum lenocinio inducere non potuit. Sed valdè miror, quod quem tam ardenter amabat ad mortem deduci conetur. Fortè amor degenerauit in odium, & rabiem dilectio, & exoſum iam habet illum cuius amore antea deperibat? Minimè: adhuc illius flagrat deſiderio, adhuc ardore æſtuat. Audi S. Proſperum alibi datum. *Cum ſuus maritus aduenisſet, falſa pro veris affirmat, violentiam ſe dixit perpeſſam fuiſſe, quam fecerat. O impudica fæmina! ardet amans vulnus alit venis, & cæco carpitur igne; amat, & perſequitur, concupiſcit, & ſæuit, & quia ad ſtuprum non conſentit trucidandum eum ſtatuit, quæritque, perire quem diligit*. Pende illud. *Quæritque perire quem diligit*. Non dixit quem *diligebat*, ſed quem diligit. Adhuc amor eius exurebat præcordia; ideòque amatum perire ſatagebat, ac ſi dilectionis mors eſſet conſequentia. Quaſi diceret: Adeò mortis Ioſeph mulier erat ſolicita, vt exindè credatur illum vehementer amare. Nec ſolet, nec poteſt, qui intenſius odit tam impensè mortem exoſo prætendere, ac amato dilectio: igitur ardentius amauiſſe credas mulierem caſtum iuuenem, dum magis inſtat, vt citius pereat, ferocia, qua contra ipſum inſurgit, violenti amoris ignis erat argumentum: quia non tam aduerſatur rebus odium, non tam vitæ inſidiatur, ac inimica dilectio.

4. Hoc irreqnieto rerum delectabilium deſiderio ille angebatur, de quo dicebat Dauid. *Et tabeſcere feciſti ſicut arancam animam eius*. Pſalm. 38. verſ. 12 Hebræus vertit: *Et liqueſcere feciſti, quaſi à tinea, deſiderandum eius*. A quo pacto quod deſideratur, & anxiè diligitur, à tinea liqueſcit, & tabeſcit? Num amor, rem concupitam, & delectabilem iuſumere conatur: Qui ſolicitus, & negotioſus eſt rei amatæ durationis, ipſam quaſi tinea corrodit: Pugnant enim inter ſe, & digladiantur huiuſmodi affectus: nam amor ſolicitus eſt exiſtentiæ rei deſideratæ: tinea quam alere dicitur, ipſam ad interitum deducit. Qua igitur mente Dauid deſideratum à concupiſcenti liquefieri affirmat? Venuſtè Caiet. *Intendit, quòd Deus inter alias pœnas efficit, vt id, quod eſt charum homini, deſtruatur, quaſi à tinea: hoc eſt, pariat ſibi ipſi deſtructionem; tineæ enim eſt corrodere illud, vndè naſcitur, itaut quod deſtruitur à tinea, pariat ſibi ipſi deſtructionem*. Talia eſſe noſtra deſideria, experientia comprobatur, delectabilia enim, quæ appetimus, pariunt deſtructionem ipſorum delectabilium. Amor ſicut tinea rem dilectam corrodit, & liquefacit: tabeſcunt amore concupita, neque exteriori indigent contrario, quia in ſe ipſis vermem habent iugiter ipſa corrodentem. Dilectio boni ægritudo eius eſt, poſſeſſio interitus: ægrotant amore res, poſſeſſione pereunt.

DIS-

DISCVRSVS V. MORALIS.

Vt ſimus grati non eſt opus Deum præcipere: ne grati ſimus, non ſat videtur, etſi probibeat.

1. PEr ſe ipſam expetenda eſt gratitudo; per ſe ingratitudo fugienda. Idcireò ad gratitudinem non eſt impoſita lex, quia (vt dixit Seneca) naturaliter ad illam Propendemus: *Huic enim vni rei* (ingratitudini nempè) *non poſſumus legem, tanquam ſatis natura cauiſſet: quomodo nulla lex amare parentes, indulgere liberis iubet*. Neque ad ingratitudinem prohibitionem imponere fuit neceſſe, quia ſuapte natura illa placet, hæc diſplicet: & naturalis ratio ſat id pręcipere videtur; nec opus eſt Dei præcepto ad id, in quo non agimus, ſed agimur à natura. Impudica mulier Ægyptia venuſtate Ioſeph allecta ipſum ad inpudicos concubitus, & maritalis toriuiolationem prouocabat. Ille autem, vt ſuam honeſtatem tueretur, atque laſciuientis fœminæ ardorem mitigaret, & ſeipſum ab immani ſcelere haberet excuſatum, dixit ad eam. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo ſua: neque quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere?* Geneſ. 39. verſ. 8. & 9. Retrahebant Ioſeph à conſenſu ſolicitantis mulieris, & præceptum Dei, qui inhoneſtum concubitum prohibuerat, & gratitudo erga Dominum ſuum, qui tot beneficijs illum deuinxerat: & tamen vt ſe à crimine excuſet, non Dei præceptum in medium profert, ſed confidentiam Putiphar, & beneuolentiam ipſi exhibitam. Quid? Plus in dominum, quam in Deum gratum ſe prodit Ioſeph, quo à crimine ſe abſtinere, dicit, non propter, quam in Deum gratum ſe prodit Ioſeph, quo à crimine ſe abſtinere, dicit, non propter offenſam Deo irrogandam, ſed propter iniuriam homini inferendam? Plus timet hominem, quam Deum offendere? Cur non Deum dicit potius vereri quam hominem? Præterquam quòd ſi delictum perpetraſſet, non ſolum marito irrogaret iniuriam, ſed Deo. Vt quid igitur non Deum, ſed hominem offendere formidat, cum & inhoneſtos amplexus, & ingratitudinem erga benefactorem Deus haberet inhibita, atque æquè vtrumque offendere pertimeſcere teneretur? Crediderim ſic Ioſeph à crimine ſe excuſare, vt generoſam, & gratam indolem oſtenderet, ad quam non fuit neceſſe præceptum Dei interueniſſe. Licèt enim Deus ingratitudinem non haberet interdictam, ad illam vir benè moratus (qualis erat Ioſeph) aſtrictum ſe agnoſceret. Non igitur Deum, ſed beneficum maritum reuereri, atquè offendere pertimeſcere ait; quia ad gratum animum benefactori exhibendum non Dei præcepto opus eſt. Ad ingratitudinem fugiendam non fuit neceſſe, diuinam interponere auctoritatem; quia ſi Deus non præcipiat, natura ipſa præcipit, & extorquet. Quaſi Dei præceptum ſuperuacaneum fuiſſet, illud non memorat Ioſeph, dum de honore agitur benefactoris: quia ad illum tuendum, & pro beneficijs acceptis gratiam impendendum, non Dei mandato indigebat,

2. De populo Hiſraelitico ab Ægypto exeunte poſt diram captiuitatem affirmat textus Sacer innumerabilia ſecum detuliſſe animalia diuerſorum generum. *Profectique ſunt filij Iſrael vulgus promiſcuum innumerabile, & oues, & animantia diuerſi generis multa nimis*. Exod. 12. verſ. 38. Poſtea autem cum in deſerto degiſſent, fame pereuntes, & anxiè carnes Ægyptij manducare cupientes dicebant: *Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium*. Ibid. cap. 16. verſ. 3. Valdè miratur Auguſt. ſuper huiuſmodi Hebræorum carnium appetentiam. Etenim ſi tam auidè carnes comedere cupiebant, cur partem armentorum, quæ ſecum aſportabant, non occidebant, vt ſuo ſatisfacerent deſiderio? Adeò auaritia tenebantur, vt mori potius, quam agnum iugulare voluerint? Adeò erant cupidi, vt nec pro vita ſuſtentanda animalia occiderent? Non ità (ait Auguſt.) non auaritia greges, & armenta reſeruabant, ſed religionis zelo, & ſacrificiorum ſtudio: volebant enim gratos ſe Deo exhibere propter tot, & tam mirifica accepta beneficia, & melius dicebant fame mori, & inedia tabeſcere, quam à ſacrificijs in gratiarum actionem abſtinere, quod præſtare non poſſent, ſi quoties fames vrgebat, ipſi ſubuenirent: nam quotidianis carnium cibis cito animalia deficerent, & ſacrificijs non iucumberent. *Niſi fortè dicatur* (ait Auguſt. quæſt. 64. in Exod.) *illos pecoribus, ne omnibus deficientibus etiam pepercisse ſacrificijs neceſſarijs deeſſent*. Deficientibus animalibus, quæ ſacrificijs inſeruiebant, non tenebantur ad ipſa; pecoribus, quæ ſimul deferebant ad vitæ ſuſtentationem, vti licitè valebant, & tamen ab illis abſtinuerunt, ne gratitudinis materia deficeret. Vel non vrgente præcepto potius fame perire volebant, quam à gratiarum actione ceſſare: quia ad rependendum pro beneficijs acceptis grates debitas, & deuictum animum exhibendum, non Dei opus eſt voluntate præcipiente, quia natura, vbicunque id fieri poteſt, illud exigit.

2. Expugnauit dextro Numine tribus Joſeph vrbem Bethel, quæ olim Luza appellabatur, non tamen ea facilè eſſet capienda, niſi Luzeus quidam eiuſdem Ciuitatis Ciuis ſe

ea egre-

ea egreſſus aditum in illam oſtenderet, quo vnà cum eius cognatione, ob indicatam partem, qua Ciuitas erat inuadenda, vita donato, reliqua Ciuitas ferro vaſta fuit. *Hominem autem illum* (inquit text.) *& omnem cognationem eius dimiſerunt*. Judic. 1. verſ. 25. Quærit Abulenſ. (quæſt. 25.) an Hiſraelitæ peccauerint permittentes viuere iſtum virum, & cognationem eius? Videtur enim ſine dubio peccaſſe: quia vir ille Chananæus erat natura, & cognatione: Hiſraelitæ autem non poterant aliquando permittere viuere, ſed tenebantur occidere tam viros, quàm fœminas, vt habetur Deut. 20. verſ. 16. *De his autem Ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere*. Sed tamen autumat Abulenſ. non peccaſſe Hiſraelitas, rationemque reddit: *Quia naturaliter tenemur benefacere benefactori*. Cum ergò vir ille Hebræis tradiderit vrbem, debebant ei ſaltem donando vitam concedere. Ad id autem, quod obijcitur ex præcitatis Deut. verbis, reſpondet. *Quòd iſte leges erant generales, & non extenduntur ad iſtos caſus. Et ſic opinione communi Hiſraelitarum definitum eſt, quòd in iſto caſu non agerent contra legem*, Inſtabat beneficium acceptum ad vitam donandam, præceptum Dei ad mortem infligendam; præualuit autem (nec immeritò) grata beneficij rependio, & licet Dei mandatum de Chananæis occidendis indefinitè loquatur, & ad iuſtum caſum contrahi, atque illum comprehendere videtur, tamen exceptum reputarunt: quia ne homines ſint benefactoribus grati, non ſat videtur, etſi Deus gratitudinem prohibeat. Sic vrget debitum ex beneficio accepto contractum, vt caſus in Dei lege repntetur exceptus, quotieſcunque Deus id præcipit, quòd cum gratitudine non cohæret.

3. Acceſſit ad Ieſum homo ille lepra infectus, quem Marc. refert, & genuflexus pro ſalute, qua indigebat, deprecatus eſt. *Et venit ad eum leproſus deprecans eum: & genuflexo dixit ei: ſi vis potes me mundare*. Marc. 1. verſ. 40. Extendit autem Ieſus manum, cumque dixiſſet: volo mundare: ſtatim deceſſit ab eo lepra, & ſanatus eſt, *Et comminatus eſt ei* (inquit text.) *& dixit ei: vide nemini dixeris*. Ibid. verſ. 43. *More comminantis inhibuit* ait Caiet.) Ad Lucæ 5. verſ. 14. (vbi ad ipſum refertur) præcepiſſe dicitur: *Præcepit ei*. Itaque mandatum intimauit, & prohibuit, nemini quidquam de miraculo dicere. Quid tunc leproſus? *At ille* (inquit Marc. 1. verſ. 45.) *egreſſus cepit prædicare, & diffamare ſermonem*. Mira ingratitudo; vix beneficium accipit leproſus, cum præcepto Dei iniurioſus eſt inobediens. Tàm citò benefactorem offendit, qui adhuc de ſalute poterat dubitare, & vereri, ne beneficium, acceptum propter inobedientiam amitteret? Saltem propter ſeipſum obedire expediebat, ne beneficus Dominus iniuria laceſſitus beneficium irritaret, & lepra iterum ipſum puniret. At hęc non reprehenſibilis inobedientia, ſed gratitudo laudabilis fuit. Audi Caiet. *Non intelligas, propterea leproſum hunc reum fuiſſe inobedientiæ: intellexit enim Ieſum prohibuiſſe, ne diceret factum ad euitandam humanam gloriam, & quod officij ſui ipſius curati erat publicare diuinum miraculum, & gratum ſe exhibere Ieſu, prædicando, & extendendo famam ipſius*. Duobus præceptis homo ille erat adſtrictus, & Chriſti, qui loqui inhibuerat, ne propter laudem, & gloriam vanam illum ſanaſſe videretur, & gratitudinis, quo tenebatur beneficium propalare, virtutemque benefactoris diuulgare. Inter vtrumque ergò obedientiæ, & gratitudinis præceptum non malè fuit arbitratus pręcepto Chriſti de non prodendo miraculo non obſtringi, proindeque ad gratum ſe exhibendum expeditum remanere, & præcepto gratitudinis obnoxium, nec ſatis iudicauit, ne gratus videretur, quòd vel ipſemet Deus id prohiberet. Hinc maximè arguebat Vates Nabuchodonoſoris arrogantem elationem, qui omnia, quæ ipſi proſperè accidebant, non Deo, ſed ſibi arrogabat, & pro acceptis beneficijs nullum gratitudinis exhibebat indicium, nec ea à Deo prouenire agnoſcebat. *Nunquid hæc non ſunt à Domino exercituum? &c* Hic verſ. 13.

DISCURSUS VI. MORALIS.

Excuſſo Dei iugo mille alia accipimus grauiora.

1. A Peccato homo vileſcit, & generoſæ libertatis immunitatem perdit, & mille indecoris ſubditur ſeruitutibus: iugum vnum excutit, cum à Deo homo recedit, & multa ignominioſa admittit. Hincindè vagatur ſub diuerſis dominationibus: nunc ad Deum accedit, nunc affectibus, illecebtiſque peccatorum rapitur, neque conſtans eſt, niſi in ipſa mobilitate. Pluribus obnoxius famulatibus miſerè gemit, & cum ab vno, eòque optimo dominio liberatur, multa admittit incomportabilia mundo, & mammonæ deditus, ſuis voluptatibus, & affectibus obtemperans, quæ miſerrima omnium eſt ſeruitus: quia non tam oneroſum eſt, pluribus dominis ſeruire, quam ſibi ipſi. Quod pulchrè dixit Seneca lib. 3. natural. quæſt. in præfat. *Liber autem eſt, qui ſeruitutem effugit ſui: hæc eſt aſſidua ſeruitus: & ineluctabilis, & per diem, ac noctem æqualiter premens ſine internallo ſine commeatu: ſibi ſeruire grauiſſima ſeruitus eſt*. Qui à ſuis voluptatibus non expeditur, grauiſſimam, & contumelioſam ſeruitutem patitur: quia tot dominis obtemperat, quod cupiditates

tes habet, excuſſoque Dei iugo, quod vnum, & leuiſſimum eſt, ingemiuata ſibi imponit dominia: & qui libertate potiebatur ingenua vnico, ac generoſo Domino obediens, indecoras multiplicat ſeruitutes. Quod pulchrè penſitauit Bernard. ad parabolam, quæ habetur Luc. 14. verſ. 19. ibi enim paterfamilias lautum, & opiparum præparauit conuiuium; cumque inter conuiuas ad quemdam ſeruus ex parte domini accederet, & inuitaret, reſpondit ille: *iuga bouum emi quinque*. Vt quid hac excuſatione inurbanus Ciuis, ſuaue, ac conuiuale Chriſti iugum reſpuit, qui iuga quinque emerat? Nonne facilius, & commodius vnum, quam quinque, illudque delitioſum ferret iugum; Qui vnum excutit, quinque ſubijcitur? Ità equidem (ait Bernard.) nam qui ceruicem à lege Dei eximit, plurima, & grauiſſima iuga admittit. *Cum ſine iugo eſſe non poſſint, quale hoc ipſum eſt? Eligere potius quinque quam vnum: qui enim poteſt ſeruire quinque Dominis, nedum quinque prædonibus* &c. Et paulò antea (in eodem ſerm. de verb. Euangel. *Ecce nos reliquimus omnia*) pia, qua ſolet venuſtate, vtriuſque iugi diſcrimen ponderans dicebat, *Quid enim iuga emit, & iuga bouum, cui iugum ſuaue gratis effertur: nam iugum Chriſti iugum hominis, ſiquidem, & Chriſtus homo: nec modo gratis tribuitur, ſed etiam copioſa, his qui tulerint illud, remuneratio eſt, vt à nemine non dico emi, ſed gratis ſuſtineri queat*. Reijcit, & contemnit peccator honorificam, & ſplendidam ſeruitutem, cum à præcepto Dei ſe ſubducit, & malè affectat peccati contumelioſas infamias, & durum, atque geminatum iugum, nam Dei ſuauiſſimum experitur, & à labore immune, culpæ autem miſerum, & laborioſum.

2. Pulchrè etenim ponderauit D. Gaudentius commune Exodi præceptum, quo Hebræis erat prohibitum, ſub mortis pœna, panem fermentatum comedere per ſeptem Paſchatis ſolemnes dies. *Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus veſtris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſrael à primo die vſque ad diem ſeptimum*. Exod. 12. verſ. 15. Nimis rigidus in hoc præcepto apparet pientiſſimus Dominus, itaut ex illo occaſionem ſumpſerit Hæreticorum turba, & præcipuè Marcion ad arguendum de crudelitate Deum eo quòd tam leuem culpam (qualis erat fruſtra panis fermentata comedere) capitali ſupplicio punire. Contra blaſphemantem Hæreſiarcham deuotus inſurgit pater, & in oppoſitione ſubtiliter eum conuincit. Si Deus (ait) contrarium iniungere, nempè panem fermentatum comedere. opus eſſet conuiſcerata. Verùm quod Deus præcipit, non labor, ſed quies erat, non fatigatio, ſed incuria farinam ſcilicet comedere aqua immerſam, & abſque aliquo labore: Dei obedientia erat requies, violatio præcepti labor, iuſtè igitur pœna mortis mulctatur, qui tantum, vt Deum contemneret, labori, & fatigationi ſe locauit. *Et non vis* (ait Gaudent.) *vt diſperdat illam animam, quæ diligentiam commodauit vt contemnat*. Deus præcipit requieſcere, & tu laborem aſſumis, vt contemnas: quid mirum, quòd pro illa, quæ tam leuis videbatur culpa, tam acerba ſtatuatur pœna? Nam nulla condignè punitur hominum dementia, qui à lege Dei, in cuius obſeruantia requiem, honorem, & vtilitatem capiunt, declinant, vt mundo, dæmonio, & incomportabili labori, ac ſeruituti ſe mancipent. Nouerat ſuo malo prodigus ille filius durum, & laborioſum iugum, quod mundus ſuis aſſeclis imponit, eum paternam, loco præmij, ambibat ſeruitutem, *Fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis*: Dicebat ad patrem, Luc. 15. verſ. 19. Et cur non ingenuam libertatem in paterna domo expoſcit, qui mundi ſeruitutem erat expertus, ſed mancipium in domo patris vult haberi? Præclarè Chryſol. ſerm. 2. *Hoc petit: quia qui penes extraneum ſeruam ſenſerat libertatem, penès patrem credidit ſibi futuram liberam ſeruitutem*. Hoc enim inter Dei, & mundi iugum diſcrimen intercedit, quod qui mundo inſeruiunt ſeruam, & mancipatam habent libertatem: qui verò à Dei lege non recedunt, libera gaudent ſeruitute: quia illa mille laboribus, & ærumnis ſunt obnoxij, atque tot dominis obediunt, quot voluptatibus potiuntur: iſti autem libera, ingenua, & felici ſeruitute quieſcunt, quia vni tantum domino, & nobiliſſimo obediunt.

3. Promulgaturus Moyſes Iſraelitis præcepta, quæ Deus ipſi tradiderat pro bono populi regimine, vt eos ad illorum obſeruantiam alliceret, dicebat Deuth. 6. verſ. 4. *Audi Iſrael: Dominus Deus noſter Dominus vnus eſt: diliges Dominum* &c. Non ſuſtinet Theologia huiuſmodi Diuinæ legis propoſitionem: quia cum de voluntate Dei præcipiente agitur, tres Perſonas exprimere, eſſet expediens, nam opera ad extra indiuiſibiliter trium perſonarum ſunt, neque ab eo quod eſſentia decernit, Perſonæ diſſentiunt. Vt quid igitur Moyſes, cum legem promulgat, non Perſonarum numerum, ſed eſſentiæ vnitatem exprimit? Qui fidem Perſonarum, ſicut & naturæ habebant, magis ad obedientiam allicerentur, ſi voluntatem, & perſonas legem imponere audiſſent. Præterquamquod populi prædeceſſoribus (quales fuerant Abraham, Iſaac, & Iacob) Trinitas Perſonarum iam antea apparuerat pollicitura ipſis eiuſdem populi propagationem, & in futuris temporibus magnam erga ipſum beneuolentiam. Cur igitur cum ad benefaciendum Deus accedit, Trinus apparet, & Legiſlatoris munus obiturus non niſi vnus? Egregiè, & moraliſſimè Oleaſt. *Conſidera à quot laboribus nos eripuit. Difficilè eſt multis dominis ſeruire, quantò magis dijs: ne*

ergò labores ò homo in multorum deorum tam diuerſa poſcentium cultura, oſtendit tibi Deus tuus ſuam vnitatem. Ne populus, cum legem accipit, pluribus dominationibus ſe adſtrictum putaret, Deum non Trinum, ſed vnum tantum perhibuit Moyſes, vt diſſimilem à mundi famulatu, qui tot dominis eſt obnoxius, Dei ſeruitutem oſtenderet. Perſonas tacet, & vnitatem Eſſentiæ in medium prodit, vt vel hinc populus, qui ingeminata mundi dominia erat expertus; iugum ſuauiter ferret, quod ipſi imponebatur, ſaltem vnitate dominationis allectus: quia nihil indignius, nihil durius, quam pluribus dominis ſeruire.

3. Recuſabat Gaal filius Obed. imperium Abimelech, & præpoſiti, quem in populo conſtituerat: vt autem iugum eſſe incomportabile oſtenderet, dicebat populo, *Quis eſt Abimelech, & quæ eſt Sichem, vt ſeruiamus ei? Nunquid non eſt filius Ierobaal, & conſtituit Principem Zebul ſeruum ſuum ſuper viros Emor Patris Sichem? Cur ergò ſeruiemus ei*. Iud. 9. v. 28, At quo genio, quia aſtutia populum ab obedientia Abimelech arcere ſatagit? Quid quod Abimelech præpoſitum conſtituiſſet Zebul populi gubernationi, vt exindè credat ab illius obedientia, & ſeruitute populum diuertere? parum refert, quod populus pluribus dominis obtemperet, dummodo ille rectè agant, vt exindè populum ſubducere, & iugum excutere, præſagit. At ſatis verſute (ait Caiet.) ſe geſſit Gaal, vt populum ab obedientia Abimelech arceret. *Exaggerando* (inquit) *indignitatem adiungit, & Zebul præpoſitum eius: quia indignius eſt ſeruire duobus, quam vni*. Vt populum commoueret, non ſolum Abimelech imperare proponit, ſed eius ſubſtitutum Zebul, vt vltimam miſeriam populo obijceret, & exaggeraret indignitatem, eo quod, duobus dominis eſſet mancipatus: pluribus enim ſubeſſe dominijs vltima calamitas eſt. Quam libenter homines ambiunt, dum vnius Dei excuſſo dominio, iugo proiecto, innumera alia grauiora accipiunt. Sicut iniquo Principi Nabuchodonoſori accidit, qui Dei legem aſpernatus, & ſuarum voluptatum mille iugis obnoxius ad indecoram, & turpem Medorum, ac Perſarum ſeruitutem ſuum tandem traxit imperium, & nepotes, quos orbi imperare ſatagebat, viliſſimo, ſubdidit famulatui, atque ſe ipſum ſtolidiſſimæ belluæ naturæ ſubiecit. *Laborabunt enim populi in multò igne, & gentes in vacuum: & deficient*. Hic verſ. 13.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Non minus ſtolidi ſunt nonnulli in adhibendo placationis genere, quam impij in deſerendo Deo.

1. CVm externa tantum, & fucata ſanctitas, atque ſacrificia Deo non corde oblata non ipſi placeant, quia tantùm illi, arridet animus, & interna religio, à qua cætera habent, vt grata ſint, & meritoria, & ſine qua inuiſa Deo quæcunque ſunt opera: non minus ſtolidi nonnulli videntur, cum Deum placare conantur, quam cum ipſius inimicitiam ſibi conciliarunt ipſum deſerentes. Summa ſtultitia, & dementia eſt cogitare ſolum externis ſacrificijs, & abſque à peccato reſipiſcentia Deum fore placandum: quia qui talia intendunt, Deum lignum reputant, qui eorùm præcordia, & deprauatam conſcientiam non agnoſcit. Ex primitijs pecorum, & terræ fructuum Deo ſacrificia obtulerunt Cain, & Abel: cumque munus Cain reſpueret, in Abelis oblatione complacuit. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera eius non reſpexit*. Geneſ. 4. verſ. 4. Si vterque munera obtulit ex bonis, quæ ipſi contigerunt, nec renuit gratum ſe exhibere creatori, cur vnius munera beneuolo excipiuntur aſpectu, & alterius oblatio infenſo reſpuitur animo? Nullum enim diſcrimen in libatione apparet: nam ſicut Abel ex pecoribus, ita Cain ex terræ frugibus obtulit; vndè ergò exoſum Deus habuit ſacrificium Cain, & gratam oblationem Abelis? Egregiè Rupert. lib. 4. G. cap. 4. *Cain* (inquit) *cum Deo offerret ſua, ſe ipſum ſibi retinuerat, huiuſmodi portionem Deus non accepit. Sed præbe* (inquit) *fili cor tuum mihi: at ipſe cor ſuum retinuit ſibi, & fructus terræ Deo obtulit*. Quia ſtolidus Cain rès ſuas Deo obtulit, pretioſumque ſibi cor reſeruauit, quia non ſe libauit, ſed cor Deo ſubripuit, ideò in eius ſacrificio non placuit: quia Deus non muneribus attendit, ſed animo. non bona accipit, quibus minimè indiget, ſed corda. Idem eloquenter dixit Gregor. 22. Moral. cap. 21. *Omne quod datur Deo, ex dantis mente penſatur, non dicit ſacrum eloquium. Reſpicit ad munera Abel, & ad munera Cain non reſpexit; ſed prius ait, quia reſpexit ad Abel: ac deindè ſubiungit: & ad munera eius. Ex dantis quippè corde id, quod datur, accipitur: idcircò non Abel ex muneribus, ſed ex Abel munera oblata placuerunt; prius namque ad eum loquitur Dominus reſpexiſſe, qui dabat, quam ad illa, quæ dabat*. Non qualitates muneris Deus reſpicit, ſed offerentis animum: & qui cor à mu-

nere

here ſubducit, non veniam negotiatur, ſed indignationem; quia quidquid ſui ipſius à ſacrificio ſubtrahit, Deo defraudat, cuius omnia ſunt, atque ſacrilegium committit, vt ſcitè dicebat Seneca lib. 7. *Quiſquis id, quod Deorum eſt, ſuſtulit, & conſumpſit, atque in vſum ſuum vertit, ſacrilegus eſt; omnia autem Deorum ſunt, Quod quiſque ergò tollit, deorum tollit, quorum omnia ſunt,*

2. Conqueritur Deus de Iſraelitis, eo quod pro beneficijs acceptis grates non rependerint, neque ſacrificium liberauerint eo tempore, quo in deſerto peregrinabantur. *Nunquid hoſtiam, & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis domus Iſrael?* Amoſ. 5. verſ. 25. Hæc interrogatio negationi æquiualet, vt communiter tradunt Interpretes: quaſi diceret: Nullam hoſtiam nulla mihi obtuliſtis ſacrificia. Magna hinc exurgit difficultas, quia conſtat ſacrificia populum in deſerto obtuliſſe, vt habetur. Exod. 24. verſ. 5. *Obtulerunt holocauſta, immolaueruntque victimas pacificas Domino.* Quo ergò pacto Deus conqueritur, & nullam ipſi hoſtiam populum obtuliſſe affirmat? D. Hieronym. difficultatem attigit, & tempeſtiuè ſoluit. *Quædam Domino eos obtuliſſe legimus: quòd non voluntate, ſed pœnarum fecerunt metu, & eorum interfectione, qui propter idola corruerunt. Dominus autem non ea, quæ offeruntur, ſed voluntatem reſpicit offerentium.* Plurima ſacrificia in deſerto Iſraelitæ obtulerunt, ſed quia non ea animitus libarunt, ſed metu perterriti, nulla obtuliſſe dicuntur: quia Deo irritum, ac nullum eſt, quod non ex corde offertur. Mentem tantùm offerentis reſpicit, proindèque muneribus non placatur, ſed prouocatur ad vindictam: quia ipſum (quaſi cœcus, aut inermis foret) decipere, aut illudere tentant huiuſmodi ſine voluntate offerentes.

3. Tres illos pueros, quos barbarus ille Rex Babylonicus mittere in caminum ignis impiè præcepit, quia idolis cultum exhibere noluerunt, illæſos Deus eripuit, & à voracibus flammis ſeruauit immunes. *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino.* Daniel, 3. verſ. 24. Aſt templum ab eodem iniquo Rege ſuccenſum flagrare fuit paſſus, & in fauillam abire: Cur qui pueros à flammis exurentibus liberauit, non templum ab eiſdem flammis eripuit? Qui tantòpere complacuit in ſtructura templi, libationis, & holocauſtis, quæ ibi offerebantur, vt qui patitur, ipſum conflagrare, & æquari ſolo? Venuſtè Rupert. lib. 6. de victo. Verbi Dei cap. 25. *Erudiendus erat munus, quòd Deus excelſus non pulchris lapidibus, aureiſue parietibus templi manufacti delectetur, ſed fidei charitate, & mundis cordibus: & ille eſt ei optabilis locus.* Quia templum, quod Salomon erexerat, tantòpere auro, & gemmis extruxit, atque perornauit, exiſtimare poterant homines cupidi de Deo malè ſentientes, & de religione, & iuſtitia nihil curantes, quod eſſet eorum similis, ſi templum mirabiliter à flammis eriperet, atque muneribus placaretur, putarentque ſatis Deum honorare, ſi ſacrificia, & munera Deo obtuliſſent, atque ſuam cupiditatem corroborarent, quaſi exemplo Dei: & idcircò hanc ſuſpicionem à ſe remouere curauit, & ex templo templum tot diuitijs exornatum exuri permiſit, & opere compleuit illud, quod ad Salomonem dixerat, cum ædificium domus Domini perfeciſſet. 3. Reg. 9. verſ. 6. *Si autem auerſione auerſi fueritis vos, & filij veſtri, auferam templum, quod ſanctificaui nomini meo, proijciamque à conſpectu meo.* Non enim Deus complacet in donis extima oblatione libatis, ſed in offerentium mente. Et idcircò pueros à flammis liberauit, quia non ipſum dedecebat corda fidelia excipere, & gratanter complacere in virili puerorum fide: at gazas, & diuitias templi ab incendio eruere forte indecentem de ipſo gigneret ſuſpicionem, ideòque eas eripere non curauit, quia dona parui pendit, & animum tantum offerentis reſpicit.

4. Diuiſerat olim Deus ſub perſona hominis patris ſamilias bona ſua, ſeruiſque diſtribuit, lucrum ex eis reportaturus, cum autem rationem reddere acceſſiſſent: qui quinque acceperat talenta, alia quinque ſuiſſe lucratum compertum eſt: qui autem duo, duo alia. Vtrique autem ſeruo, & qui de quinque decem fecerat, & qui de duobus quatuor, idem patris ſamilias ſermo blanditur, vtrumque ſimili recipit gaudio, & laude exaltat. Matth. 25. verſ. 21. *Euge ſerue bone, & fidelis: quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Cur ſi inæqualia lucra obtulerunt, non etiam inæqualia præmia reportarunt? Qui plus laborauerat, plus laudari merebatur; ſi eodem brauio vtrumque compenſatur ſeruitium, iners deindè diligentior erit ſeruus, ſiquidem ſine præmio plus inſudat, & in remuneratione æquatur cum eo, qui duplo minus erat lucratus. Ut quid igitur diſparibus meritis paria correſpondent præmia? Præclarè Hieronym. in comment. huius loci. *Non conſideremus* (inquit) *lucri magnitudinem, ſed ſtudij voluntatem.* Deus non eam munera reſpicit, quam offerentis animum: voluntate, non oblatione metitur præmium, & quamuis in lucro ille ſeruus, qui talenta quinque reportauerat lucrata, conſeruum excederet animo, & voluntate ab ipſo æquabatur: ideòque pari gaudio vterque excipitur; quia pium boni operis propoſitum pro opere reputatur, & imputatur ad meritum.

5. Concupiuit Dauid æſtuanti ſiti aquam bibere de ciſterna Bethlem quæ Philiſtinorum turmis erat vallata: cumque tres milites ſtrenui Regis deſiderium audiſſent, caſtra irruperunt Philiſtinorum, & extremo vitæ periculo

detulerunt aquam, quam accipiens Dauid noluit bibere: *Libauit eam Domino* (inquit text.) *dicens propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hoc. Nam ſanguinem hominum iſtorum qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam?* 2. Reg. 23. verſ. 17. Quid? Aqua pro ſanguine reputatur? Qui aquam Regi detulerunt concupitam, quo pacto ſanguinem effudiſſe dicuntur? Tanti facit Dauid militum audaciam, & impauidum valorem, vt abſtineat ab aqua, ne ſanguinem bibat? Illi etenim neque effuderunt, neque detulerunt ſanguinem. Quo ergò pacto cauet Dauid aquæ potionem veritus, ne ſanguinem bibat? Aquam ſanguinem arbitratur? Ità equidem: nam operis propoſitum pro ipſo opere ſupponit. Non minus milites promeruerunt periculo ſe exponentes, ac ſi in illo ſanguinem fudiſſent. Aqua extremo diſcrimine parta Regi fuit oblata, ſed ipſe ſanguinem reputauit. *Num ſanguinem hominum iſtorum, &c.* Ab animo opera valorem ſumunt, exiſtimationem aucupantur; nec muneris qualitas ad remunerationem conducit, ſed offerentis voluntas: hæc enim opera extollit ad præmium, aut imputat ad ſupplicium; & merum deſiderium in animo conceptum, quamuis non executioni mandetur, pro conſummato opere accipitur. Hinc cum fratres Ioſephi ad ſupplicia in Ægypto reponerentur, Ruben veterem illorum iniuriam replicabat dicens. *Numquid non dixi vobis: nolite peccare in puerum, & non audiſtis me? En ſanguis eius exquiritur.* Geneſ. 42. verſ. 22. Ac ſi dicat: Pro fraterno ſanguine, quem fudiſtis, veſter à vobis ſanguis exquiretur. Criminosè nimis, & minus verè Ruben fratres ſuos incuſat: nam illi in Joſeph non extiterunt ſanguinarij, ſed planè incruenti. Quorſum ergò Joſephi ſanguis effuſus dicitur, & fratres puniendi propter ſanguinem ab ipſis effuſum? Optimè Chryſoſt. hom. 65. in Gen. ipſum Ruben introducit ea, quæ dixerat, exponentem. *Sanguis eius exquiretur: nam quantum ad propoſitum veſtrum occidiſtis.* Intentio pro opere reputatur, quia ex illa in opus malitia refunditur. Proindèque cum fratres Ioſephum interficere deliberaſſent, quamuis executioni propoſitum non dediſſent, occiſores, & ſanguinarij habentur, & pro crimine patrato reputatur voluntas. Hinc enim non modo ea crimine, quæ Nabuchodonoſor commiſerat, & executioni mandauerat, Iudæos opprimens, & ad miſeram reducens ſeruitutem, ſed quæ mente conceperat, & nondum opere compleuerat, punienda dicuntur, quaſi ea de facto perpetraſſet. *Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient.* Hic verſ. 13.

Verſ. 15. Væ qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius.

Verſ. 16. Repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque, & conſopire: circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.

Verſ. 17. Quia inquitas Libani operiet te, & vaſtitas animalium deterrebit eos de ſanguinibus hominum, & iniquitate Terræ, & Ciuitatis, & ominum habitantium in ea.

ANNOTATIO IX.

Expoſitio Litteræ.

1. VÆ *qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius*. Senſus planè difficilis eſt, & inquo multum laborant expo-

expoſitores: eorum plurimi, ſicut ſonat, accidiſſe credunt. Nam Hebræi tradunt Nabuchodonoſorem in lauto conuiuio, quod fecerat, Sedeciam vocaſſe, quem in vinculis retinebat, dediſſeque ei vinum quoddam felle mixtum, vt coram conuiuijs fluxuum ventris pateretur, & ſic indecorè inebriatus pudenda adſtantibus patefaceret. Hanc autem fabellam plurimum ridet Hieronym. quæ verbis Prophetæ minimè congruit: quia Sedecias non fuit amicus Nabuchodonoſoris; non igitur ei quadrat præſens vaticinium, quod de amico loquitur. Verior igitur, & germana huius loci interpretatio (quam tenent cum Hieron. Gueuara, Ribera, Sanchez, Palatius, & alij quam plurimi) in calice propinato tribulationem, & calamitatem intelligit, quamplurimum exaggerat illud *mittens fel*, in quo donatur maxima doloris acerbitas. Nec aliud eſt inebriare aliquem abſynthio, aut aqua fellis, quam illum inhumaniter cruciare. Igitur Nabuchodonoſor, qui regnum Iudæorum olim habuit amicum imperij ſui, nam Merodac Baladam Babyloniæ Rex Ezechiæ Regi munera miſit, & poſtea Ioſias in gratiam Nabulaſſaris Babylonij arma contra eius hoſtem Pharaonem ſumpſit, vt habetur. 4. Reg. 23. & alios Reges, & Principes ad ſuam amicitiam, & ſociale fœdus adduxit, poſtea tantopere deuaſtauit, vt nudos ipſos omnino viderit, quibus loco vini, fel cruentæ direptionis immiſit, illos quos fallaci promiſſione lactauerat, vino felle condito vexauit, itaut eorum viſcera diſrumperet, quia bonis omnibus ſpoliauit detrudens in vincula; & tandem agerent fecit vt vitam priuatam, & ignobilem, itaut omnes eorum nuditatem aſpicerent, & ab omnibus riderentur. Sic de Ægyptio dicitur Iſaiæ 20. verſ. 4. *Nudam, & diſcalceatam, diſcoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.*

2. Fel namque aliquando venenum ſignificat, vt in Deuth. 32. verſ. 33. *Fel draconum vinum eorum.* Et Pſal. 139. verſ. 4: *Venenum aſpidum ſub labijs eorum.* Quoniam virus, & venenum ſerpentum nihil eſt aliud præter eorum fel, vt ait Plinius. Athenis autem vſitatum fuit, vino veneno condito mortem infligere damnatis. Aliquando etiam fel iram ſignificat, & furorem; vndè Simachus transfert, *& mittens abſque iudicio furorem ſuum.* Et Iob 21. verſ. 20. *de furore omnipotentis bibet.* Nam (vt idem Plinius aſſeruit) in felle nigro inſaniæ cauſa eſt, quod bilis nomine accipitur. Bilis autem pro ira, quæ à felle, ideſt, bili excitatur; vndè Horatius. *Neſcio quid ſplendida bilis.* Et Græcorum prouerbium: *Ineſt, & formicæ, & ſerpho bilis.* Potauit ergò Nabuchonodoſor amicos, ideſt, Reges, & Principes, qui cum ipſo fœdus inierant, vino felle condito, quia furore, arrogantia, & proteruia eos amarè vexauit, & cruciauit acerbè, atque ad ſeruilem, & abiectam conditionem deduxit.

3. *Replētus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque, & conſopire.* Ideſt, vndè gloriam, & exaltationem aucupari putabas, indè ignominiam, confuſſionem, & dedecus conſequeris; hoc ipſum quod credebas fauſtè, & glorioſè tibi euenturum, magnam poſtea ignominiam tibi afferret, nam tu quoque bibes de calice iræ Domini, itaut inebrieris, & conſopiaris, atque temulentus omnes ſenſus amiſiſſe videaris. Imperatiua *bibe, & conſopire*, pro futuris hic poſita ſunt. Suſpicor, illuſionem eſſe ad conſuetudinem, quæ vigebat apud Hebræos: apud quos his, quibus capitale ſupplicium erat inferendum, vinum propinabatur aromatibus conditum; vt de vino Chriſto Domino propinato dixit Lyra ad illud Matth. 27. verſ. 34. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Scribitur enim in quodam libro Hebraico, qui apud eos intitulatur liber Iudicum Ordinariorum, quòd quia Salomon dixerat Prouerb. 31. date ſiceram, ideſt potum inebriatiuum mærentibus, & vinum ijs, qui amoroſunt animo, vt bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ; & doloris ſui non recordentur amplius: ideò ex occaſione huius verbi ſeniores Iudæorum ſtatuerant, vt condemnatis ad mortem daretur vinum aromaticum ad bibendum, vt facilius tolerarent paſſionem in Hieruſalem autem erant Matronæ deuotæ, & compaſſiuæ, quæ hoc vinum dabant ex deuotione.* Hoc autem vinum felle mixtum, & mirrhatum non ex ſæuitia, ſed ex humanitate datum fuiſſe Chriſto Domino, putant Salmeron. tom. 1. tract. 35. Suarez. 1. tom. in 2. part. diſput. 36. ſect. 3. & Cæſar Varonius tom. 1. ann. Chiſti 34. cum autem Nabuchodonoſori dicitur: *Bibe tu quoque, & conſopire*, miſera fortuna euentura ipſi donatur, qualis illia

illa eſt, quæ morti deſtinatis imminet, cum iam iam carnificem exſpectant; tunc enim bibunt, & ſopiuntur, quia ad mortem preparantur. Et fortè ex iſta conſuetudine calix pro morte, aut ingenti tribulatione ſumitur, vt Iſaiæ 51. verſ. 17. *Quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius.*

4. *Circumdabit te calix dexteræ Domini.* Varia hic congerunt expoſitores. Hieronym. à cuius ſententia pauci recedunt, ingentia hic putat ſignificari infortunia, quæ Chaldęum Principem, & eius gentes erant circumdatura: nam calix hic (vt dicebamus) calamitatem magnam ſignificat. Dicitur à manu Domini propinatus, quia ſicut ipſe Dominus Chaldęos induxit, vt de ſceleribus Iudęorum vindictam ſumerent; ſic Perſas & Medos erat inducturus, vt Chaldęis meritas ſuorum flagitiorum pœnas inferrent. In vaſe autem circumdante (vt vult Theophilat) conſuetudo illa innuitur, quam multę gentes habuere; nam in conuiuijs vnum calicem circumducebant, ex quo omnes potabant in amicitię, & fidei ſignum. Conſiderat autem Vates Deum calicem illum, quem prius propinauit Iudęis, poſtea alijs populis propinaſſe, itaut & illos, & hos ad nuditatem, & ſordidam fortunam reduxerit: & tandem Chaldęorum Regi illum offerre, atque ad ebreitatem: & nuditatem ex ſecunda fortuna traducere. Calicem autem circumferri in conuiuijs, itaut de primo ad vltimum perueniat, ſolemne eſt in ſcriptura. Sic enim Ieremię 25.verſ. 17. *Accepi calicem de manu Domini, & propinaui cunctis gentibus, ad quas miſit, me Deus.* Et Pſalm. 74.verſ. 9. *Quia calix in manu Domini vini meri, plenus mixto. Et inclinabit ex hoc in hoc: veruntamen ſex eius non eſt exinanita; bibent omnes peccatores terræ.* Et alibi ſępè ad huiuſmodi conuiuiorum conſuetudinem in ſacra pagina fit alluſio.

4. *Et vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.* Ex omni parte affligeris, & laborabis: nihil præſidij tibi erit (ait Hieronym.) & vomitum tantum hauries vini de calice iræ Domini, vt more ebriorum indecorè, & turpiter neceſsè ſit vomere. Vomitum ignominiæ vocat, id eſt, ignominioſum, & ridiculum. Solent enim irrideri, & contumelijs affici, qui ita intemperanter bibunt, vt præ ingluuie vomendum ſit, ad diſtinctionem vomitus, qui ægro nauſeante ſtomacho ſolet accidere: nam licet cum dolore contingat, nullam tamen ignominiam, aut infamiam affert, quia non perſonæ vitio, ſed naturæ morbum ſuperantis impulſu, aut cedentis imbecillitate prouenit, qualis eſt ille, quem in acceſſionis initio contingere ſæpius experimur, quemque morbo leuando vtiliſſimum eſſe docet Hipocrates. *Super gloriam tuam.* Gloriam vocat diuitias, id eſt, pretioſas, ac regales veſtes, quas vomitu erat polluturus. Perſtar in metaphora ebriorum: ac ſi diceret: Valdè ignominioſum erit tanto imperio, & tam diuiti, ac opulento regno, ſubitò potentia ſua ſpoliari, ab omnibus irrideri, atque ſordidari, quod ad vomitum prouocato accidit: nam ornamenta quæque turpiter aſpergit, & immundè fœdat.

5. *Quia iniquitas Libani operiet te.* Hæc (inquam) eſt Diuinæ ſententiæ cauſa, & damnationis motiuum: quod eleganter Vates explicat. Sumitur namque hic Libanus pro templo, vt multi Interpretes reputant ad illud Zachariæ 11. verſ.1. *Aperi Libane portas tuas.* Et Ezech.17.verſ.4. *Venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.* Nec ratio deeſt, cur templum Salomonis vocari poſſit Libanus, cum ex materia cæſa illius conſtructum fuerit, & quidquid aromatum in eo conſumebatur, ex monte Libano. Pręcipuè fuerit adductum: Iniquitas ergo Libani, ea eſt, quam Nabuchodonoſor exercuit in rapina, & ſpoliatione Ieroſolymitani templi: hęc autem iniquitas præcipuè ipſum oppreſſit, quia meritas pro tanto ſcelere pœnas Deus ipſi intulit, quia hoc maximè flagitio ad iram, & vindictam fuit prouocatus.

6 *Et vaſtitas animalium deterrebit eos de ſanguinibus hominum, & iniquitate terræ, & ciuitatis, & omnium habitantium in ea.* Quoniam metaphoricè templum Libanum vocauit, nunc in eadem metaphora permanens animalia videtur appellare Leuitas, & Sacerdotes & homines ad ſacrificia venientes: hæc enim ſunt animalia, quæ in Libano verſabantur. Vaſtitas ergo animalium, id eſt, hominum in templo occiſorum deterrebit Chaldæos, & efficiet, vt fracto, & conſternato animo ſint, ne poſſint Perſis, & Medis irruentibus reſiſtere. Sic capienda crede verba: licet alij per animalia

Per-

Perſas intelligant, qui duce Cyro ſubiugarunt Babylonem: meritòque animalia vocari poſſunt, quia non ſecus ac feræ, omnia conculcarunt, diripueruntque. In hac autem acceptione vaſtitas ſumitur actiuè. Ita Græci Patres Theodoret. Cyril.& Theophilat. *De ſanguinibus hominum &c.* Id eſt propter ſanguinem Iudæorum, quem effuderunt, & propter iniquitatem, quam in terram eorundem exercuerunt, præſertim ciuitatem Ieruſalem, & eius templum, à Perſis & Medis vaſtabuntur. Sic Hieron. Hac de cauſa, aut propter hanc cauſam valet ly *de*: quod frequens etiam eſt apud latinos: ſic enim in ſomno Scipionis aiebat Cicero; *Regem familiæ noſtræ iuſtis de cauſis amiſimus.* Ideſt propter iuſtas cauſas.

DISCURSUS I. MORALIS.

Eccleſia aliena à vectigalibus.

1. PLurima flagitia impius perpetrauit Nabuchodonoſor, propter quæ ignominioſum ſupplicium ſubiturum: minatur Vates, Præcipuè autem ſex capitalia vitia illius arrogantiæ annumerauit Lyra, videlicet, irreuerentiam, quia vaſa templi Deo dicata humanis vſibus applicauit, violentiam aliorum regnorum rapinam, auaritiam, homicidia, ignominiam illatam dignitati regiæ, idololatriam, ac denique templi iniuriam, rapinam & prophanationem, *Quia iniquitas Libani operiet te, & vaſtitas animalium deterrebit eos.* Hic verſ.17. Cum autem tot flagitia commiſerit, tantum ſpoliationis templi Vates recordatur, & propter ipſam à Medis, & Perſis fuiſſe deuaſtandum prædicit. Et cur ſi tot ſceleribus Chaldæi erant obnoxij, ſolius iniuriæ templo illatæ fit mentio, cum de illorum ſupplicio agitur? Quia *propter hoc* (inquit Lyra) *Chaldæi meruerunt deſtrui.* Cætera quidem vitia grauiſſima erant, ſed propter hoc vnum deuaſtauit Deus Chaldæorum imperium; ægerrimè enim fert iniurias templo illatas, illud aut rapina ſpoliare, aut vectigalibus obnoxium reddere: quia omni iure, omnique ratione cautum eſt templum tributa ſoluere, & illius bona in quoſcunque non ſacros vſus conuertere. Immunia debent eſſe à quocunque rapina, & exactione, quæ Deo dicantur, & eius cultui inſeruiunt, ipſa natura docente. Sic enim refert Plinius lib.10.cap. 10. ex animalibus, quæ Ioui in Olympa ara ſacrificabantur. Miluum, etſi rapaciſſimus ſit, auidiſſimuſque eſcæ: nunquam aliquid ſubripuiſſe, nec auſum fuiſſe, aram Iouis tangere. *Notandum in his rapaciſſimam, & famelicam ſemper alitem nihil eſculenti rapere vnquam ex funerum ferculis. nec Olimpiæ ex ara.* Vel famelica, & rapaciſſima auis ea ſubripere veretur, quæ prophano Deo immolantur. Quid non verebitur Catholicus ſacra ſubripere: aut ſaltem tangere, quæ immortali Deò ſacrantur ſi. Seneca pro immunitate coram quæ dijs inſeruiebant, acriter pugnabat, & quoſdam eorum ſubreptionem honeſtantes arguebat. *Quod quiſque ergo tollit, deorum tolli, quorum omnia ſunt. Ergo quiſquis tollit aliquid, ſacrilegus eſt. Deinde cum effringi templa, & expilari impunè capitolium iubet, dicit nullum ſacrilegium eſſe: quia quidquid ſublatum eſt ex eo loco, qui deorum erat, in eum transfertur locum, qui deorum eſt. Hic reſpondetur, omnia quidem deorum eſſe, ſed non omnia illis dicata; in ijs obſeruari ſacrilegium, quæ religio Numini adſcripſit:* Nullo ergo pacto, nullo iure res ſacras in prophanos vſus expedit commutare. Nullo titulo Eccleſia Principibus ſæcularibus tributa ſoluere tenetur, proindeque illi, vtpotè immuni debent parcere.

2. Iacob cum ſuis filijs, & vxoribus in Palæſthinam rediens fratrem Eſau cum ſua familia adorauit, & tamen Beniamin nec dum natus fratri huiuſmodi cultum non exhibuit: Item Iacobi filij annonæ reparandæ cauſa in Ægyptum pergentes etiam Ioſeph Principem adorauerunt, verum cum Beniamin, qui cum parte remanſerat domi in terra Chanaan, poſteà ad Ioſephum fratrem adduceretur, non ipſum adorbuit, neque ſubiectionis ſignum aliquod dedit. Mira planè res omnes fratres cultum exhibent, & ſolus Beniamin adorationem recuſat. Et cur fratrum omnium poſtremiſſimus ab adorationis obſequio ſemel, & iterum tam ſolerter exuitur, & neque Eſau, neque Ioſeph maiorem ætatem, & poteſtatem reueretur? Congruentiſſimè Græcus in catena apud Lipoman. *Cumque adoraſſent eum fratres ſui. Notandum vero quod Beniamin neque Eſau, neque Ioſephum quemadmodum reliqui fratres, adorauit: ideo quod in partem tribus Beniamin ceſſit templum.* Dei voluntate, & fecunda fortuna tribui Beniamin templum contigit; & idcirco neque Eſau, neque Ioſephum adorauit, etſi vterque tempore & dignitate eſſet præſtantior; quia Dei templum, & qui in ipſius ſorte ſunt, nemini obſequium debent præſtare. Quo ergo pacto ab omni cenſu & vectigali non erant immunes, qui nulli ſubiectionis ſigna tenentur exhibere? Iure enim naturali ab omni contributionum ſolutione ſunt liberi, qui Deo famulantur, & miniſterio

ſer

inſeruiunt, altaris. Vt immunes eſſe à tributorum ſolutione, quotquot ipſi bona & perſonæ ſacrantur, Chriſtus ſanciret, Miniſtris Herodis ſciſcitantibus an tributum liceret Cæſari impendere, accepto nummo, dixit: *Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? Dicunt ei Cæſaris. Tunc ait illis: reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Matth. 22. Præter intentum videtur Chriſtus agere, dum de tributo Deo ſoluendo loquitur, nam nihil de Deo interrogauerant Herodiani Miniſtri, & tantum de tributo Cęſari dando diſſerunt. Quorſum ergo Dominus erga debita diuino numini dirimit quæſtionem, quam nemo excitauit? Crediderim vt indubium relinqueret, ea quæ Dei ſunt, & illi dicantur, nunquam licere ad Principis ſæcularis tranſire dominium. Occaſione deſumpta ab interrogatione facta, quæ Dei ſunt ſoli Deo inſeruitura ſtatuit. *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Recole Chryſoſtomum vbi ſupra. *Tu autem cum audieris: redde quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, illa, ſcito eum dicere ſolum, quæ in nullo pietati nocent: quia ſi aliquid tale fuerit, non adhuc Cæſaris eſt. ſed diaboli tributum.* Præmenda illa *quæ in nullo pietati nocent.* Vbi omnia, quæ ad cultum, Dei famulatum, & miniſtrantes pertinent, expreſſa videas. Vt autem hoc nulla poſteà tergiuerſatione poſſet turbari, perſpicuè ſuorum à fiſci contributione immunitatem declarauit, cum Petro ad mare mittendo, vt ſtaterem adduceret ſoluendo Cæſaris tributo dixit. *Quid tibi videtur Simon, Reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filijs an ab alienis? Et ille dixit: ab alienis. Dixit illi Ieſus: Ergo liberi ſunt filij.* Vbi S.Thomas ad cap.Matth.18.non modo Chriſti libertatem à pendendo tributum, quia Dei filius erat, ſed eorum, qui ratione muneris, & filiationis ſpiritualis ipſi adhærent, agnoſcit. *Liberi ſecundum ſpiritum, eo modo habebant libertatem, quo filiationem, per conformitatem ad Chriſtum.* Ergo priuilegium libertatis in coniunctione ad Chriſtum fundatur. Quique igitur tanquam liberi in ipſius domo educantur, illiuſque deſtinantur famulatui, à ſolutione vectigalium, quæ Principibus ſæcularibus impenduntur, ſupputari debent, & à ſtipendiario cenſu prorſus immunes cenſeri. Quod optimè ponderauit D. Hilarius canone in Matth.idipſum expendens. *Si enim nihil, quod Cæſaris eſt, penes nos reſederit, conditione reddendi ei quæſtum, non tenebimur.* Neutiquam tributum iuſtè exigitur ab eo, qui reddere non tenetur: reddere autem ille tantum debet, qui apud ſe aliquid Principis retinet; qui verò nihil Cæſaris poſſidet, & quæcunque habet Dei ſunt, non Cæſari, ſed Deo reddere debet; apud quem ſpeciali appropriatiòne bonorum Eccleſiæ directum reſidet dominium.

3. Graſſante fame in terra Ægypti emit Ioſeph omnem illam, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ famis magnitudine. *Præter terram Sacerdotum* (inquit text.) *quæ à Rege tradita fuerat eis: quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur; & idcirco non ſunt cōpulſi vendere poſſeſſiones.* Gen.c.47.v.22. Mirū planè eſt, quod in tanta rerum penuria, in tam extrema egeſtate non ſolum non impoſuerit Pharao Sacerdotibus vectigalia, verum quòd eis non ſubtraxerit ſolita alimenta. Et cur impius Princeps, & alias crudeliſſimus, & auarus in publica, & ingruente fame Sacerdotibus pepercit, nec de bonis, quæ poſſidebant, aliquid aut tributi, aut donatiui titulo extorſit? Meritò Marius pietatem impij Principis exaggerat, & in illo pios Reges erudire conatur. *Magnum documentum pietatis non in Ioſeph tantum cultore veri Dei, ſed etiam in Pharaone*, Adeo notum eſt iure naturæ Eccleſiam, eiuſque Miniſtros immunes à vectigalibus, & exemptos eſſe, vt non ſolum verus Dei cultor (qualis erat Ioſeph) verum & Rex prophanus, & impijſſimus in tanta præſſura, in tam extrema penuria non ſolum ab omni cenſu pro Sacerdotibus abſtinuerit, veritus Eccleſiæ immunitatem violare; ſed etiam de quotidianis alimentis pro Sacerdotum ſuſtentatione impenſis nihil abſtulerit. Vt exinde maneret ſancitum (cum omnem legem poſitiuam hoc anteceſſerit) iure naturali, quod Ioſeph & Pharao ſunt ſecuti, Eccleſias. & earum Miniſtros nullo pacto teneri tributa Principibus pendere.

4. Olim pręcipiebat Deus Exod.28.v.36.Summo Sacerdoti. *Facies & laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere cælatoris ſanctum Domino, ligabiſque eam vitta Hyacinthina, & erit ſuper tiaram imminens fronti Pontificis.* Et ſtatim, *erit autem lamina, ſemper in fronte eius.* Per huiuſmodi laminam Venerabilis Beda Eccleſiam denotari autumat Ibi. verſ. 38. *Significat hæc lamina ipſam profeſſionis noſtræ fiduciam.* Et cur tantopere Deus curat, vt hæc lamina ſemper in fronte ſummi Sacerdotis exiſtat? Cur non permittit, vt in pectore deferatur, vbi frequentius à fœminis ſimilia xenia; & gazæ portantur? Crediderim: verborum æquiuocationi more hiſpano adhærendo, quia in pectore portabantur filij Iſrael, totus populus afferebatur. *Portabitque Aaron nomina filiorum Iſrael in rationali iudicij ſuper pectus ſuum.* Ibi. verſ. 26. Populus ergo portetur in pectore. *Sea pechero*, Hiſpanè dices lamina vero, quæ Eccleſia eſt, nunquam in pectore deferatur: ſemper ſit in fronte, ſupra caput habeatur, nunquam vectigalibus oneretur, ad pectora nunquam deſcendat. Huc enim reſpicit quod de ipſa Eccleſia dicebat Sponſus. *Soror noſtra paruula & vbera non habet.* Cant. 8. verſ. 8. Et quæ laus deſponſatæ mulieris vbera non habere, quibus filios nutriat, & lactet? Verum non

cum

cum exteris loquebatur ſponſus, dum ſponſæ pulchritudinem,& privilegia,quæ ipſi donauit natura extollebat: etenim ad proprios filios nutriendos pectora habet Eccleſia, quia ex proprijs bonis Sacerdotes, alioſq; Miniſtros templi alit; at ad exteros, & ſæculares pectora non habere perhibetur. *Vbera non habet. No es pechera.* Quia vectigalia ſoluere non tenetur. Hæc etſi verborum ſacræ ſcripturæ proprietati non congruant; noſtris dialectis non illiberalia ſunt.

DISCURSUS II. MORALIS.

Regni excidium Eccleſiæ vectigalia.

1. VLtima ruina imperij Nabuchodonoſoris ipsũ Deus minatur,eo quod templum Ieroſolymitanũ expilauerit ſecumq; aduexerit vaſa aurea, & qnidquid Dei cultui inſeruiebat: ita ut vnde regni ſui opulentiam arbitrabatur aucupari ruinam, & vltimam, direptionem moliatur. *Quia iniquitas libani operiet te.* Hic verſ. 17. Id eſt eadem rapina, qua templum ſpoliaſti, ſpoliaberis à Medis, & Perſis. *Iniquitas libani* (ait Sanchez.) *hoc eſt iniuria, ſeu rapina quam illi, ò Nabucbodonoſor, intuliſti, opprimet te: quia pœnas ex te repetet Deus eorum, quibus templum non minus auara, quam impia, & crudeli manu perdidiſti.* Severiſſimè Deus punit iniurias templo illatas: & qui illud vectigalibus vexant, excidium regni moliuntur, & non tam Eccleſiam, quam commune bonum offendunt. *Lædunt Rempublicam* (aiebat Seneca controverſ. lib. 5.) *qui aliquid illi auferunt, non qui adijciunt: qui templa dirnunt, non qui ornant.* Funeſta, & deploranda exempla impiam templa diripientium audaciam demonſtrant, & cautos ſuperſtites reddunt. Gundericum enim Vandalorum Regem templum Sancti Vincentij ingredientem, animo illud expilandi, prævenit mors in limine, & extemplò à vita diſceſſit. Similiter in limine Legionenſis Sancti Iſidori templi Regina Vrraca dicta ſubito vitam exhalauit, quia theſauros eiuſdem templi vſurpauerat. Brachium Sanctij Aragoniæ Regis, quod templa diuitijs ſpoliauerat, ſagitta transfixit. Primus Ioannes Caſtellæ Rex præter ſpem victoriam perdidit in Aliuuarrota, quia gazas D. Mariæ de Guadalupe dicatas abſtulit, vt ſtipendia militibus inde ſolueret. Et alii quam plurimi infortunati euentus Principibus euenere qui bonis Deo ſacris fuerunt abuſi, vt futuri arcerentur ab huiuſmodi audacia.

2. Non damno Principes, qui exhauſtis iam ſuis theſauris, ad fidem ſuſtentandam, bonis Eccleſiæ vtuntur: hoc enim naturalis ratio licitum eſſe perſuadet, vt factum probat Regis Ioas, quod ſic narrat ſcriptura 4. Reg. 12. Cum enim aſcenderet Hazael Rex Syriæ in Ieruſalem. *Tulit Ioas Rex Iuda omnia ſanctificata, quæ conſecrauerat Ioſaphat, & Ioran, & Ochozias Patres eius Reges Iuda & quæ ipſe obtulerat: & vniuerſum aurum quod inueniri potuit in theſauris templi Domini & in palatio Regis miſitque Hazaeli Regi Syriæ, & receſſit ab Ieruſalem.* Vbi quærit Abuleuſ. quæſt. 20. An peccauerit Ioas pro ſedando Rege Syriæ ei Sacros templi theſauros porrigendo: nam illa, quæ ſemel erant Deo dicata, non licebat vltra alijs vſibus applicari: vt habetur Leuit. vltimo. Eum tamen à culpa excuſat, quia in extrema neceſſitate erat conſtitutus: nam in manus Aſſyriorum inciderat, qui eum in Syriam ducere captiuum tentabant, quo regnum Iuda funditus euertebatur. Quapropter ei licuit iniuſtam defenſionem religionis, & populi ea auferre quæ Deo inſeruiebant, vt ipſi Deo vtiliori forma inſeruirent. *Ab hoc exemplo* (ait Caietan.) *pecuniæ, & iocalia Eccleſiarum pro redimenda vexatione populi ab infidelibus, vexati ſeu vexandi bello, licitè impenduntur. Scilicet tamen, cum toto theſauro regio, vt hic narratur factum iniquum ſiquidem eſſet inchoare à ſpoliatione Eccleſiarum. Sed vbi publicus theſaurus non ſufficit, Eccleſiarum opes ſubuenire debent.* Idcirco Ioas licitè, & abſque noxa diuitijs templi fuit vſus, ingruente vltimo regni, & religionis exitio, quia palatia ſua prius ſpoliauit opibus, ut publicæ occurreret neceſſitati, vt aduertit text. *Et vniuerſum aurum quod inueniri potuit in theſauris templi Domini, & in palatio Regis.* Aliter enim non liceret, templa denudare: quia ad id deſperati tantum caſus diſpenſant, quos ſacri Canones iam habent præſcriptos quibus ceſſantibus, impium eſt, ad ſacra quoquo modo accedere.

3. Cum Chriſtus Dominus ſe liberum ab impoſitionibus hominum oſtendiſſet, ne tamen infirmi ſcandalum paterentur, Miniſtris Cæſaris tributum extorquentibus ſolui illud præcepit. Sed vnde? Auſculta text. ſacrum. *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum aſſumens da eis pro me, & te.* Matth. 17. verſ. 26. Quorſum Dominus, vt tributum rederet exactoribus, Petrum mittit ad mare, vt de ore piſcis pretium ſumat ad ſoluendum tributum, & non de loculis, in quibus collegij pecunia reponebatur, illud reddere præcipit? Tantane erat Lycei ſacri neceſſitas, vt ad miraculum recurrere compulerit, quod ſine neceſſitate, & vrgente

caſu nunquam effleitur? Tam ingens erat ve- ctigal, vt nummus pro quotidiano victu congeſtus illud ſoluere non ſufficeret? Conſule Agonardum Lugdunenſem contra Simoniacos decertantem, cauſamque huiuſmodi euentus reddentem. *Quia Domini loculi in pauperes, & in dies feſtos expendebantur; & cum exegiſſet, neceſſitas, in alimenta diſcipulorum Domini, noluiſſe eum rem pauperum in publicam exactionem mittere, ſed omnipotenti virtute, quod vtique pauperum non erat, de mari tollere, & fiſco reddere voluiſſe, & formam dare Diſcipulis, quam Eccleſiæ commendarent*, Succinit D. Hieronym. in Catena relatus. *Rem pauperum in vſus ſuos conuertere nefas putauit? nobiſque idem tribuit exemplum.* Omnia prius inſumenda, & vel ad miraculum recurrendum, quam Eccleſiæ bona Principes tangant etenim quæ Eccleſiæ nocent, contributiones, non Principum, dæmonum tributum eſt, vt rectè dixit Chryſoſtom. hom. 17. in Matth. *Tu autem cum audieris redde quæ ſunt Cæſaris Cæſari; illa ſcito eum dicere ſolum quæ in nullo pietati nocent: quia ſi aliquid tale fuerit, non adhuc Cæſaris eſt, ſed diaboli tributum.* Nihil enim magis regno, & pietati nocet, quam impia manu Eccleſiæ bona, quibus Deus publicè colitur, arripere.

4. Pepercit Saul contra Dei præceptum Regi Agag, & pretioſis eius gazis: acriter illum arguit Samuel de inobedientia erga Deum, & infida tranſgreſſione. Falsò Saul ſe excuſat, & rogat Prophetam obnixè, vt ſecum reuertatur ad Deum adorandum: quod cum renueret Propheta, & abire tentaret: *Ille apprehendit ſummitatem palij eius, quæ ſciſſa eſt, & ait ad eum Samuel: ſcidit Dominus regnum Iſrael à te hodie, tradidit illud proximo tuo meliori te.* 1. Reg. 15. verſ. 27. & 28. Et quam culpam Saul commiſit caſualiter veſtimentum Samuelis ſcindens, vt ex illa auguretur Propheta ſciſſionem regni? Ad id quidem aptior eſſet regalis veſtis dilaceratio, quam Prophetæ: non enim Saul vim aliam adhibuit, quam quæ inter amicos, & familiares eſſe ſolet: illum enim properantem ad diſceſſum retinere voluit, manumque iniecit in pallium, non animo lacerandi, ſed reuocandi tantum, vt cum illo victimam libaret. Vt quid igitur regni exicidium, & diviſionem ex ſciſſione Sacerdotalis veſtis præſagit? Rectè equidem. Nam quandocunque bona Eccleſiæ ſcinduntur, regni excidium infallibile eſt: diuitiarum Eccleſiæ diuiſio regni ruinæ eſt vaticinium. Pulchrè & eleganter S. Ioannes Damaſcen. à noſtro Rangolio in comment. huius loci relatus ex iſto euentu nefariam quorundam Principum Eccleſiæ bona diripientium audaciam carpit. *Reddite omnibus debita (Paulus clamabat Apoſtolus) cui tributum; tributum: cui Vectigal, Vectigal: cui timorem, timorem; cui honorem, honorem Regum eſt ciuilis adminiſtratio; Eccleſiaſtica vero inſtitutio Paſtorum atque Doctorum, impetus iſte latronum eſt fratres: Saul ſcidit pallium Samuelis, & quid ei contigit? Abſcidit regnum eius Deus, & dedit ipſum Dauidi manſuetiſſimo.* Sic ille opportunè ſatis. Habuit Sacerdotalis veſtis ſciſſura cum ſciſſura regni non modo analogiam, ſed neceſſariam connexionem: nam ex vna altera neceſſario infertur. Quotieſcumque enim Reges bona ſcindunt Eccleſiæ ſciant regnum ſcindere, & penitus euertere, quique manus extendunt Prophanas, vt bona tangant, quibus æternum Numen piè colitur, propriam moliti ruinam.

5. Arca Dei periclitante, officioſo famulantis obſequio Oza eius caſum anteuertere tentat, & ex templo moritur. *Extendit Oza manus ad Arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate: qui mortuus eſt ibi iuxta arcam.* 2. Reg. 6. verſ. 6. Huius inopinati euentus cauſam non facilè explorant Interpretes. Tam inſolitum videtur pro pio (vt apparebat) obſequio mortem rependere, quod omnes exinde admirationis, cogitationis anſam ſumant. S. Patianus in paraneſi ad pœnitentiam ſic mortis cauſam ponderabat. *Et tamen ille non vt aliquid ex ea ſumeret, ſed vt declinantem ad lapſum vituli contineret, acceſſerat: tanta in facie cura Diuinæ reuerentiæ, vt audacem manum nec ob auxilium ſuſtineret.* Si nec ob auxilium ſua Deus patitur tangi, quo modo ea diripi ſuſtinebit? Si manum aream ſubleuantem punit, quo modo patietur manus ea, quæ intra aream ſunt auferentes? Manum extendit Oza ad arcam, *non vt aliquid ex ea ſumeret*; ſed vt periclitantem tueretur: & nihilominus capitale ſupplicium fuit expertus: vt exinde vereantur Principes non modo res Deo ſactas diripere, ſed necdum eas tangere. Expediet enim potius mortis exponi periculo propter reuerentiam templi, quam mortis ſubire ſupplicium propter eius prophanationem.

6. Inuento ab Heleia Sacerdote libro legis, miſit Rex Ioſias conſulere Holdam, Prophetidem de ira Domini propter fractionem legis: qui calamitatem populi annuntians futuram, ſic fatur; *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro eo quod audiſti verba voluminis, & perterritum eſt cor tuum, & humiliatum eſt Coram Domino &c. Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulchrum in pace, vt non videant oculi tui, quæ introducturus ſum ſuper locum iſtum.* 4. Reg. 22. verſ. 19. 20. Difficile hoc vaticinium (vbi Ioſiæ in pace requieſcere, & in lecto ſuo mori Vates pollicetur) cum euentu

tu concordatur ; uam Ioſias, dum bellum gereret contra Regem Ægypti, vulneratus cecidit, & vitam violenta morte finiuit, vt habetur cap. 23. Eiuſdem libr. Iyra prophetiam inflectit ad tempus, in quo regnauit Ioſias ; & ideo putat dictum in pace requieſcete, quia eius tempore deſtructio templi, non accidit. *Dicendum, quod iſta collectio pacifica intelligitur, quantum ad hoc, quod deſtructio ciuitatis, & templi non acciderit in diebus ſuis.* Pij enim, & religioſi Principes amariùs reputant templi & religionis deſtructionem videre, quam mori, vt ſtrenui Machabei dicebant. *Melius eſt nobis mori in bello, quam videre mala gentis noſtræ, & Sanctorum* 1. Mach. 3. verſ. 59. Et idcirco Ioſias prænunciatur in pace moriturus, licet in bello occiderit, quia dum templum vidit tyrannica direptione immune, mortem violentam pacificam, & ſuauem reputauit.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Peccata quæ extra templum caſus videntur, intra præcipitia ſunt.

1. TEmplorum venerabilis maieſtas non ſolum apud Catholicos, ſed etiam apud Ethnicos, & paganos ſemper inuiolabilis fuit : Saraceni (teſte Lyrano ad cap. 3. Exod. templorum limina tantopere reuerebantur, vt non niſi nudis pedibus ea attingerent. Gentiles varijs ſuperſtitionibus eorum cultum extollebant ; & cernui limina adorabant. Vnde Iuuenal Satyr. 6. *Tarpeium limen adora*. Inter Chriſtianos adeò hæc reuerentia inualuit, vt aliqui Imperatores (quales fuere Conſtantinus, & eius filius Conſtantius) in primo limine templi Apoſtolorum Petri, & Pauli ſepeliri mandauerint; arbitrantes ſe penetrali templi indignos. Et antiquitus (ſi forte libris in cauernis Sacri Montis Granatenſis repertis fides adhibenda eſt) corpora intra templum ſepeliri fuit cautum, ne accideret damnatorum cadauera Dei præſentiæ adeſse, & inſtrumenta culpæ ibi ſiſtere, vbi tantum illibata puritas decet. Tam ſcrupuloſè Dei domus reverebantur, vt quidquid culpam redolebat, ab illis eliminaretur : ſic enim Deus abhorret flagitium in templo perpetratum, vt multoties quaſi impatiens, & ira percitus illud punierit. Quod in Senacherib in Antiocho, & in commerciantibus intra Ieroſolimę templum peruium eſt : quaſi ea peccata, quæ extra templum & ſuſtinet, & permittit, intra tolerare non valeat, quia dum in eius conſpectu committuntur, ad ſummam malitiam perueniunt, & è loci maxima ſanctitate maximam grauitatem hauriunt ita, ut peccata, quæ extra templum perpetrantur [etſi flagitioſiſſima ſint,] caſus tantummodo videantur, quæ vèrò intra, præcipitia, & vltimum exitium.

2. Verſutè nimis callidus hoſtis Criſtum adoritur in deſerto deliteſcentem, & ſuggeſtionibus conſentire tentat, quo victoriam reportaret, & Chriſtus deceptionis pœnas lueret, & ſatanicæ ſeruituti manciparetur. Semel, iterum, atque iterum ipſum aggreditur ſed cum magno diſcrimine : nam in primo conflictu non periculum conſenſus prodit, ſed vtilitatem tantum, dum petras conſulit in panem conuertere, vt ſuæ indigentiæ ſuccurrat; nec in ſecundo cum ad templi pinnaculum eum ſubleuaſſet, vt agilitatem experiretur, atque Angelorum famulatum. Ceterum in tertio certamine ſuam malignitatem prodit, dum eius adorationem, & cultum deiectione ad ipſius pedes gliſcit proindeque in vltima tentatione inſolentior apparet, & ingentius nocumentum inferre prętendit, dum idololatriam ſuadet. Hoc autem cum ita ſit, notandum maximè eſt diſcrimen inter hanc vltimam, & ſecundam ſuggeſtionem, nam in ſecunda ita eum alloquitur : *Si filius Dei es mitte, te deorſum*. Matth. 4. verſ. 6. Id eſt, à ſummo templi faſtigio vſque ad pauimentum inferius te, da præcipitem : in tertia verò ſic pollicetur, & ſuadet. *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me*. Vbi caſum tantum, non præcipitium conſulit, *ſi cadens*, quod aptius erat commutare ; nam cum idololatria, quam in monte ſuadet, ſit grauius, & abominabilius flagitium, non caſus debuit reputari, ſed præcipitium maximum ; ad aera autem ſe mittere, & ad terram de pinnaculo templi redire, non adeo videbatur peſſimum vt præcipitium vocetur : cum id Deo ſit perquam facile, neque ipſius naturæ repugnet, ſicut diaboli procliuis adoratio. Quare igitur conſcenſus in ſuggeſtionem montis, & idololatria caſus vocatur, & pinnaculi volatus præcipitium? Remigius à D. Thom. in Catena relatus difficultatem in parte attingit : & dum vnam ſoluit alteram firmat. *Intelligendum eſt, quod in illo loco ſtatuiſſet eum, vnde aliquod præcipitium eſſe potuit ; quia diabolus fidelibus Chriſti etiam in ſanctis locis inſidiatur*. Quaſi dicat : Ideo Chriſtus pręcipitium dæmonem conſulere permittit, dum in pinnaculo templi habetur vt innuat, quod lapſus quilibet in templo pręcipitium eſt, & vlterius cum ad idololatriam prouocat, non præcipitium, ſed caſum tantum perſuadere, denotetur quod inſolentius peccatum (quale idololatria eſt) cum extra templum committitur, caſus tantummodo reputatur ; leuis quidem, & alias Deo non indignus volatus, ſi in templo dæmonis

ſuggeſtione perpetraretur, non caſus, ſed præcipitium foret: & conſequenter quod peccata alias leuiſſima, quæ intra templum committuntur, ea, quæ extra illud perpetrantur quamuis ex ſuo genere atrociſſima ſint, in grauitate excedunt, tantumque ab illis diſtant, quantum præcipitium à caſu.

3. Cum primò Philiſthijm arcam Domini intulerunt in templum Dagon, & ſtatuerunt eam iuxta Dagonis altare, in ipſa eadem nocte Dagon à proprio loco cecidit, & mane coram arca deiectus in terra apparuit. *Ecce Dagon iacebat pronus in terra iuxta arcam Domini* 1.Reg.5. verſ.3. Quod cum ipſius Sacerdotes ægrè vidiſſent, eum in priſtinum locum reſtituerunt. Factum eſt autem, vt ſequenti nocte Dagon iterum cecidiſſet & collapſus deformiterque confractus manè appareret. *Rurſumque manè die altera conſurgentes inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen, porro Dagon ſolus truncus remanſit*. Ibi. verſ. 4. & 5. Et vt tenet Auctor mirabilium Sacræ Scripturæ lib. 2. cap. 7. *Craſtina die fractis ad limen iacentem partes capite & manibus, ſpina dorſi eius truncata reperitur*. Semel, & iterum Dagon cecidit ab eodem, & in eundem locum: cæterum cum magno diſcrimine nam prima vice illæſus apparuit, nec partes eius diuulſæ ſunt ſecunda autem, ita contritus, & comminutus, vt à maximo præcipitio videretur deiectus. Et quæ cauſa talis diſcriminis? Text. nullam aſſignat; imo identicas circumſtantias in vtroque caſu deſcribit, nam idem fuit idolum, idem locus à quo, & ad quem. Vnde igitur in ſecundo caſu illa dilaceratio, & omnium partium diſperſio; cum caſus eius naturalis cauſa nequeat eſſe, ſiquidem in prima deiectione ſimiliter accideret? Difficultatem expoſitores attigiſſe non video rationem tamen fuiſſe reor: quia cum primò arca templum ingreditur, quod Dagoni fuerat dicatum, ſibi conſecrauit, & vt eum à poſſeſſione deijceret, caſum primum effecit, quaſi eum impelleret, vt à templo exiret, & ipſam in poſſeſſione deijceret, caſum primum effecit, quaſi eum impelleret, vt à templo exiret, & ipſam in poſſeſſione relinqueret: & licet vſque tunc idololatriæ eſſet occaſio, quod magnum crimen eſt, tamen id non in templo Deo ſacro accidebat; vnde caſus tantummodo videbatur, ideo caſu tantum punitur: cæterum eum ſecundò Dagon in altare collocatur, iam arca erat in poſſeſſione templi, & ipſum ſibi dicauerat: & idcirco ſecundus lapſus non caſus, ſed præcipitium fuit: in cuius ſignum cum iterum cadit, toto corpore lacerus, & diſſipatus apparet, quod præcipitatorum ſignum eſt; vt hinc moneamur, quam ſit periculoſum Deum in templo offendere, Succinit huic cogitationi Vermilius à noſtro Rangolio in comment. huius loci adductus. *Reſtitutus Dagon rurſus concidit, & quidem turpiori caſu. Verus Deus cum deprimi videtur, fortior & robuſtior excitatur: Dagon autem cum reponitur, cadit longè turpius, quam prius*, Iniuria Deo irrogata extra templum (etſi turpiſſimæ idololatriæ ſit) caſus tantum reputatur: leuior autem lapſus intra ipſius domum exitiale præcipitium eſt.

4. Publicano, & Phariſæo in templo orantibus, dum Phariſæus de ſua iuſtitia gloriatur, & publicanum increpat, innoxam labitur grauiſſimam, quam Chriſtus detegit, & quibuſdam de ſua ſanctitate præſumentibus eam fugiendam proponit, atque Phariſæi arrogantiam reprehendit; ſe enim extollebat, & dum Publicanus pectus tundebat, non ſe illum imitari gloriabatur. *Non ſum velut hic Publicanus*. Luc.18.verſ.11.Sed hæc non magna culpa videtur: ſæpiſſimè enim homines alios excedere in ſanctitate, genere, & alijs pignoribus blaterant, etſi non omnes dicant, ferè omnes ita ſentiunt. Cur igitur Phariſæus indignationem Dei tam miſerè incurrit, & ſuper eius arrogantia tantopere Chriſtus excandeſcit? Maximè cum (vt aduertit Chryſoſtom.) iuſtificatus in templum deſcendiſſet, & vera, quæ protulit eſſent: *Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo*. Ibi. Quod videtur Dominus inſinuare, dum ait, cum de Publicano loqueretur: *Deſcendit hic iuſtificatus ab illo*. Quare iuſtitiam tot bonis operibus acquiſitam vno leuiculo verbo, quod fortaſſe multoties protulerat, deperdit? Rem altè cogitauit Chryſoſt. & malitiam huius criminis non à fine, & obiecto, ſed à circumſtantijs fuit dimenſus, licet enim leuis eſſet illa tranſgreſſio, & multoties ſine tanto periculo repetita: cum tamen eam in Dei oculis, & in ipſius templo committit, ad deteſtabile flagitium tranſit, quod paucis verbis præſtingit Chryſoſt. *Non eſt autem gratiarum actio inuectiua aliorum*. Quaſi dicat: Quod Phariſæus, dum gratias agit in templo, inuectiuam aduerſus publicanum orantem faciat, hæc (inquam) cauſa fuit tanti ſceleris; hinc illius culpa maximè ingraueſcit: nam quæ extra templum leuis videretur, & vix imputabilis, ad Dei præſentiam magnum flagitium reputatur: qui vix lapſus eſſet in loco prophano, in Deo ſacro præcipitium eſt.

5. 1.Reg.2. verſ.17. Cum de iure deberetur Sacerdoti pars hoſtiæ, quæ immolabatur, & puerum vt ſecum eam deferret, miſiſſet, eum nondum adeps eſſet combuſtus, vt mos erat, & ritus: immolantem agitabat, vt portionem, quæ Sacerdoti contigebat non coctam conferret, ut ipſi poſtea conditetur: quod ſi aliter feciſſet, vi arripiendam minabatur. Huiuſmodi autem puerilis audacia tam ingens flagitium reputabatur, vt illud exaggeret Sacer Hiſtoricus, & exceſſum fuiſſe gra-

ſe grauiſſimum aſſirmet. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino*. Et vide tam monſtroſam deformitatem illa puerorum importuna repetitio exerit? Nam primo aſpectu leuis videtur. Quid enim quod ritus violetur? Quidquod pucrili facilitate carnem extorqueant, non coctam, vt Spiritus Sanctus immoretur in eorum nequitia ponderanda, cum & à pucrili ætate illa culpa diminuatur, & neque culpa grauis alias indicetur? Sed huius deformitatis cauſam textus non omiſit: committebatur enim illa culpa in templo, & à loci ſanctitate illius deformitas augebatur; licet enim in alio loco illa improbitas, & exagitatio leuis culpa videretur, maximè propter puerorum incapacitatem, cum ad Dei conſpectum committitur, non leuis, ſed grauiſſima reputatur: exindeque non abſolutè dixit textus peccatum puerorum fuiſſe grande nimis; *ſed coram Domino*. Quia quæ leuis noxa extra templum videtur, intra mortifera, & lethalis, imo grandis nimis iudicatur.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Dei ſacratiſſima templa magna reuerentia tractanda, & illorum iniuria maxima pœna plectenda.

1. VEnerabile Templum Deo Optimo Maximo ſacratur, vt illuc aſcendamus auxilium ab eo petituri, & redditurì gratias pro beneficijs acceptis, atque pro commiſſis peccatis veniam poſcituri: nam ibi eius Auguſta Maieſtas exoranda proponitur: proindeque ibi maximè revereri affectat, & grauiſſimè offenditur quacunque iniuria ipſi irrogata: ſicut grauius Rex offenditur, cum aduerſus illum in ipſius palatio delinquitur. Aula regia ſi è ſicario effuſo ſanguine madeat, iniurioſo dehoneſtatur pallore, & omnium irritat animos ad vindictam: quam autem manum non armabunt ad vltionem ſacri cultus religioſa inſtrumenta, venerabiliſq; templi Maieſtas, ſi à minus compoſita manu tractentur, minuſque librato pede terantur, & à ſæcularium veſtigiorum puluere ſordeant? Firma Catholicorum eſt ſententia aſſerens: Adamum filios genuiſſe, neq; cognouiſſe vxorem, niſi poſt eiectionem, & exilium à paradiſo. Sic Auguſt & Hieronym.l.1.in Gen.vbi illud habet. *Nuptiæ replent mundum: virginitas autem paradiſum*. Sic Lyra ad illa verba Geneſ.4. *Adam cognouit vxorem ſuam*. Et omnes à veritate non recedentes: licet in contrarium pondus rationis vrgeat, quia nulla lege hoc Adamo fuit prohibitum, & maximè videbatur neceſſarium ad mundi propagationem, qui in ſpe primorum parentum continebatur. Vt quid igitur humani generis caput generationem negligit, dum eſt in paradiſo, quæ ipſi omnimodè licebat? Auſculta Oleaſt. *Quo facto docemur, quanta veneratione, & reuerentia à nobis habenda ſint loca ſacra, vt ſcilicet, ibidem nullam turpitudinem operemur, quia locus ſacer fœdari poſſit: ſi enim domum Dei domum negotiationis facere prohibemur, multò magis domum turpitudinis*. Peculiari titulo paradiſum ſibi Deus ſacrauerat: idcirco quamuis licitus eſſet concubitus, ab illo primi parentes abſtinuerunt, vt exinde reuerentiam, & venerationem domui Dei debitam erudirent, atque eius puritatem commendarent, quam illibatam ſeruauere; ne ex licentia ipſis conceſſa occaſio poſtea arriperetur ad temerandam ſacri templi munditiam.

2. Communiter mirantur omnes, quòd Chriſto Domino nato ſtatim eius natiuitas ab Angelis paſtoribus annuntietur, antequam vel leuem ipſius ſuſpitionem aliquis haberet præter ipſos: *Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid*. Lucæ 2. verſ. 10. Cœleſtis Angelorum multitudo ſeſe agglomerat, vt paſtoribus Dominum in carne natum prædicent, & neque vnus hoc myſterium narrat Simeoni, aut Prophetiſſæ Annæ; qui Meſſiam ardenti deſiderio anhelabant, & qui digniores videbantur paſtoribus huiuſmodi conſolatione. Cur ergo, & his, & alijs per quam plurimis aduentum Meſſiæ exſpectantibus ardentiore fide non prius, quam paſtoribus reuelatur? Pulchrè Eucherius hom.de natiu.Chriſti quæſtionem ſoluit. *Ea cauſa eſſe videtur, vt prius paſtoribus hæc verba Angelus nuntiaret, ne quaſi incauti ſtabulum intrarent, in quo puer poſitus erat*. Zelo domus ſuæ & reuerentiæ ipſi debitæ ſic Deus ordinauit, vt prius paſtoribus, quam alijs ſua natiuitas innoteſceret. Solebant enim pro more paſtores in antro illo, in quo ab Angelo aduerterentur de Maieſtate illius loci ob Dei præſentiam in ſacrum templum iam tranſlati: vt ſic cum debita intrarent reuerentia, ne incauti aliàs, abſque illa, quæ decebat, veneratione accederent. Zelator Dei domus erat Angelus, ipſique incumbebat de cultu illius paſtores aduertere, quem tam ſcrupuloſè ipſe tractauerat: ſic enim Iſaiæ verſ.6. dicitur Angelum de cœlo deſcendiſſe, vt eius labia calculo purificaret, quem non manu, ſed forcipe tulerat de altari: *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum*. Quærit Procop.in Comment.huius loci, cur ad purificanda Iſaiæ labia calcu-

lum

-lum Angelus tulerit non manu ſua, ſed forcipe. Forſitan timuit comburi, & ab igne offendi? Minimè; quoniam ſpiritus materiali igne non læditur. Vt quid igitur propria manu calculum ignitum aſſumere rècuſat? Audi Procop. *Prophetæ purgationi ſubſeruit vnus de Seraphim, qui carbone de altari forcipe accepto honorem, quem altari exhibet, apertè ſignificat, eum manu tangere non audet.* Reuerebatur Angelus altare, in quo Deo ſacrificia immolabantur, & tam ſcrupuloſè res ſacras pertractabant, vt manu non auderet illas tangere veritus, ne eas vel leui attactu offenderet. Delicata nimis puritas ſacratiſſimi templi eſt, ſiquidem Angelus puriſſima, ac nitidiſſima ſubſtantia illam violare formidat, & præcauet, ne paſtores ſine loci cognitione ad ſtabulum Deo ſacrum accedant.

3. Sex olim in Hebræorum Republica ciuitates conſtitutæ erant à Deo in delinquentium confugientium aſylum, vt habetur Num. 34. Deuth. 16. & Ioſue 9. Vt qui ſe ad eas recepiſſet, capitali pœna eximeretur, atque ſupplicium euaderet crimini deſtinatum. Quæret tamen aliquis, cur non potius tabernaculum, ſeu templum Deus deſignauerit in delinquentium refugium: nam cum hæc tota indulgentia à diuina miſericordia proceſſerit, nullus videatur locus aptior, in quo panderetur, quam templum diuinæ clementiæ, & petendæ, & accipiendæ deſtinatum. Vt quid igitur venia non in templo criminoſis erat concedenda? Audiendus Philo citatus à Gloſ. ad locum Numer. allegatum. *Non in templis ſacriſque aperuit aſyla, ne ab immundis inficerentur.* Adeò in mundum, & à quacunque ſorte alienum templum in quo ſedem delegerat, Deus extitiſſe voluit, vt omnem ab eius ambitu criminis ſuſpitionem ablegaret; proindeque ne delinquentium inquinaretur præſentia, eos ibi recipi prohibuit. Congruit eidem inſtituto, quod idem Philo. (lib. 2. de Monarch.) penſitauit id ponderans, quod Summo Sacerdoti templum ingreſſuro præcipiebatur, portare nempè veſtimenta non lanea, ſed linea. *Hæc autem erunt veſtimenta, quæ facient: rationale, & ſuper humerale, tunicam, & lineam ſtrictam, &c.* Exod. 28. verſ. 4. Ad quæ verba hæc exſcribir Philo *Pontifex iubetur veſtem lineam ſumere, quando abdita ſubit, quia linea non conficiuntur à mortali materia, ſicut veſtes laneæ.* Adcò enim Deus omne carnis inquinamentum à templo ſuo exulare ſatagebat, vt nec veſtes quidem laneas: quæ de carne aſſumitur, illuc gerere quempiam permitteret,

3. Ex nimia igitur zelotipia qua Deus templorum honorem, & illibatam ſanctitatem cuſtodit, ſic excandeſcit, & exacerbatur contra illius prophanatores, vt ſupplicium non alia, quam propria manu infligat. Sic Ieroſolymæ templum ingrediens. *Eiecit omnes vendentes, & ementes in templo, & menſas Nummulariorum; & Cathedras vendentium columbas euertit.* Matth. 21. verſ. 11. Vbi obſeruant expoſitores eas tantùm res ibi venales proponi, quas qui in templum è longinquo veniebant immunes. hoc eſt ſine munere, ſeu donario offerendo, facilè haberent obuias emendas, ſtatimque ſacrificandas: ex quo hæc negotiatio, ſi quid deformitatis haberet, non paucum extenuari videbatur; & nihilominus à Chriſto Domino ſeuerè damnatur, & acriter punitur. Vnde à minori ad maius rectè arguit Auguſtin. tractat. 10. in Ioann. *Non magnum peccatum erat, ſi hoc vendebant in templa: & tamen eicit inde illos. Quid faceret Dominus, ſi ibi ebrioſos inueniret? Si Domus Dei non debet fieri domus negotiationis potiouis debet fieri?* Nullum enim delictum in templo perpetratum impunitum remanet, nullum non criminoſè incuſatur: quia cum à delinquentibus confugientibus illuc gratiam concedendam ſit inſtitutum, ibi delinquentibus nulla indulgentia conceditur in pœnam ſuæ abuſionis. Hinc Chriſtus Dominus de templo loquens dicebat. *Aperite mihi portas iuſtitiæ.* Pſal. 117. verſ. 19. Cur portæ templi iuſtitiæ portæ compellantur cum ad miſericordiam elargiendam Deus deſcendat, & ibi ſolita clementia peccata condonet? Fortè iuſtitiæ portæ dicuntur, quia ibi animæ iuſtificatio. quę iuſtitia dicitur, acquiritur? Fortè ità, ſed reor portas templi iuſtitiæ vocari, quia crimina ibi commiſſa toto rigore iuſtitię, & nulla interueniente venia plectenda ſunt, vt ſaltem exindè venerationem templa aucupentur, nec vllus ea contemnere audeat, quin maximo ſupplicio ſciat exponi: quemadmodum, qui iuſtitiæ miniſtros non reueretur, & abſque veneratione illos contemnit, extremo afficitur ſupplicio. Inter tot enim & tam immania ſcelera, quę impius Nabuchodonoſor perpetrauit, iniuria quam intulit Ieroſolymitano, templo eius vaſa turpiter prophanando, manum Dei armauit ad eius exitiale ſupplicium: quia nihil tam Deum exacerbat, quam templa ad illum exorandum inſtituta criminibus ſordidari.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Non leui cauſa ab amicis recedendum.

1. POtauit impius Rex Nabuchodonoſor Reges, & Principes, alioſque quibus amicitiam inierat vino felle condito, quia eos ſpoliauit bonis omnibus, quæ fidenter ſub amicitiæ prætextu poſſidebant, compegit

Digitized by Google

pegit in vincula, & omnia fortunæ commoda doloſè abſtulit, *Væ qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius. Repletus es ignominia pro gloria.* Hic verſ. 15. Quod maximè odibile Deo fuit, & hominibus: quia abhorret natura, deteſtatur ratio doloſam amicorum fidem, & fractam leui cauſa amicitiam, quæ ſi vera eſt, perennare debet. Nam (vt dixit Auguſt.) fracta amicitia nunquam amicitia fuit. Et Cicero lib. 1. de off. *Diſſuendas non ſcindendas eſſe amicitias*, conſulebat. Vnde in laudem Cæſaris olim dicebatur: *Amicitiam nec facilè admiſit: admiſſam conſtanter retinuit.* Nam ſine vrgenti cauſa, & quæ omnibus ſit nota: ab amicis recedere, & artificioſum, & proprio commodo incumbentem animum arguit: quem acriter pungit Seneca epiſt. 9. in Epicuro, qui ſociale fœdus ineundum aſſerebat propter propriam vtilitatem, nullo amici habito reſpectu. *Hæ* (inquit) *ſunt amicitiæ, quas temporarias populus appellat. Qui cauſæ vtilitatis aſſumptus eſt, tamdiù placebit, quamdiu vtilis fuerit, hac re florentes amicorum turba circumſedet: circa euerſos ingens ſolitudo eſt: & inde amici fugiunt, vbi probantur. Hac re iſta tot nefaria exempla ſunt aliorum metu relinquentium, aliorum metu prodentium. Nec eſſe eſt initia inter ſe, & exitus congruant. Qui amicus eſſe cœpit, quia expedit, placebit ei aliquod pretium contra amicitiam, ſi vllum in ipſa placet pretium præter ipſam. In quid amicum paro? vt habeam pro quo mori poſſim, vt habeam quem in exilium ſequar, cuius me morti opponam, & impendam. Iſta quam tu deſcribis negotiatio eſt, non amicitia: quæ ad commodum accedit, quæ quid conſecutura ſit, expectat.* Sic ille ſatis ſapienter, & verè. Et Iſidorus Pelaſiota lib. 3. epiſt. 211. diuturnitatem, & obſtinatam perſeuerantiam in amicitia admonebat nulla temporis, aut fortunæ iniuria obliterandam. *Inimicitiam in aquam ſcribere oportet, vt quam primum oblitteretur: amicitiam autem in æs incidere, vt perpetuò firma, & immota conſeruetur.* Proindeque quæcunque amicitiam reſcindere poſſunt occaſiones, præſcindendæ ſunt, ne amor leui cauſa in odium degeneret.

2. Alexander diſertiſſimus Princeps Ionathan, quem amicitia ſibi coniunctiſſimum habebat, in forum adduci iuſſit, ibique præconis voce inclamari: ne vllus deinceps eum apud ſe accuſare auderet. *Dixitque Principibus ſuis: exite cum eo in medium ciuitatis, & prædicate; vt nemo aduerſus eum interpellet de vllo negotio, nec quiſquam ei moleſtus ſit de vlla ratione.* 1. Machab. 10. verſ. 63. Cur ſapientiſſimus Princeps Ionathan calumniari prohibuit, cum eum honorare decreuit, purpura induit, & ſecum ſedere conceſſit? Num populus querelis eum dehoneſtabat, cum ad familiaritatem regiam euectum videbat? Præcauet Alexander populi inuidiam, quæ ſemper felices adoritur, & eos qui fulgent obſcurare tentat? Non (inquam) hoc illi nociturum fuit ſuſpicatus: nam poſt inuidioſas delationes eum ad ſuam gratiam, & amicitiam euexit. *Concurrerunt* (inquit text.) *aduerſus eum, & non intendit ad eos Rex.* ibi verſ. 61. Cur igitur non attendit ad accuſationes; ſed potius illum honorauit, & edicto publico amplius calumniari prohibuit? Fortè, quia iudicauit regno dignum, quem peſtilentes viri accuſabant? Nam vituperari, & malis diſplicere laudari eſt, & beneficio inimicorum commendari. Sic aliquando meditabar. Nunc rationem fuiſſe ſuſpicor: quia iam Rex Ionathan amicitia coniunctum habebat; adeoque Princeps in amicitia conſtans eſſe debuit, vt non leui cauſa (qualis malorum hominum erat accuſatio) ab amico recederet. Indignum videbatur regio animo in gratia, & fauore nutare: & idcirco non ſolum non mouetur inimicorum callida accuſatione, ſed poſſibilem frangendę amicitię occaſionem pręſcindit: roboratur aduerſantium calumnia, obſtinatur inuidorum accuſatione: quia ſemel admiſſa amicitia conſtanter retineri debet: nam temporaria ingenuum animum dedecet. Detractionem in amicum nunquam audire licebit, ipſum honorare etiam ſupra modum ſemper laudabile erit; vnde ſententioſè Plinius lib. 7. epiſt. ad Septitium qui ei detrahebat, eo quod amicos plurimum coleret, & nimis honoraret, dixit. *Agnoſce crimen, amplector etiam. Quid enim honeſtius culpa benignitatis?* Exceſſus pro conſeruanda amicitia ſemper erit, culpa laudabilis, honeſtum crimen, & de quo non erubeſcere, ſed gloriari licebit.

3. Filij Ruben & Gad, & dimidia tribus Manaſſe trans Iordanem ędificauerunt altare, vt ſacrificia offerrent: quo audito Iſraelitæ manu armata conuenerunt in Silo, vt contra eos dimicarent. *Et interim* (ait text. 22. verſ. 13.) *miſerunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari Sacerdotis, & decem Principes cum eo, ſingulos de ſingulis tribubus, qui venerunt ad filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe in terram Galaad, dixeruntque ad eos: hæc mandat omnis populus Domini. Quæ eſt iſta tranſgreſſio? Cur reliquiſtis Dominum Deum Iſrael ædificantes altare ſacrilegum, & à cultu illius recedentes?* Ioſ. 22. verſ. 13. Si filij Iſrael cultu Dei zelatores ſuſpicati ſunt, quòd altare feciſſent ad immolandum idolis, vel ad immolandum Deo extra locum Silo, quod eis erat prohibitum: cur non ſtatim bellum mouent, vt expiarent eorum ſcelera, ſed nuntios mittunt cauſam inquirentes irregularis cultus, & erectionis altaris extra locum deſtinatum? Maximè cum certò haberent, illam partem populi, quę trans Iordanem erat, idololatria iamiam eſſe infectam in Beelphegor. Iniuria Deo irrogata nullo erat diſſimulanda prætextu. Vt quid igitur per internuntios

bellum

bellum diſſerunt, & non ſtatim hoſtili impetu illorum caſtra irruunt? Feſtiuè Lyra cauſam aſſignat. *Quia bellum non debet (maximè contra amicos) moueri, niſi ex certa cauſa, & iuſta: & ideo ad hoc inquirendum miſſi ſunt certi, & ſolemnes nuntij.* Illi, qui altare extruxerant, amici erant filiorum Iſrael, eiuſdem populi, & legis: & ideo bellum eis non ſtatim mouerunt; eſto audirent altare magnum aduerſus eos confeciſſe, quo idolis immolarent, vel ab eis diuiderentur, vſque dum per idoneos nuntios, & veridicos teſtes ſine hæſitatione de crimine conſtaret; quia ab amicis non leui cauſa, ſed magna, certiſſima dumtaxat, & quæ nulla poſſit tergiuerſatione honeſtari, recedere licet: ne aliter amicitia frangatur, quę niſi medijs omnibus tentatis non debet violari, ſed eius conſeruandę cauſa nullum non mouere lapidem, ſicut Iſraelitę fecerunt, qui ad ſtrictiorem amicitiam diuiſam populi partem reduxerunt, audita eius ſatisfactione. Sic enim reſponderunt, qui à populo diſceſſerant. *Putauimus itaque melius, & diximus: exſtruamus nobis altare, non in holocauſta, neque ad victimas offerendas: ſed in teſtimonium inter nos & vos, & ſobolem noſtram, veſtramque progeniem, vt ſeruiamus Domino.* Ibid.verſ.29. Quot auerterentur mala, quot fideliſſimę amicitię non ſcinderentur, ſi leuibus ſępè, & fallacibus ſuſpitionibus aures Principes, & ſuperiores non pręberent ſuſurrantium, ſed maturè res trutinarent, nec leuiter famulorum, & adulatorum verbis fidem adhiberent: qui propter ſua commoda, vel vt maligno ſuo genio blandiantur, alios ab eorum amicitia reſcindere conantur, & mendacijs, calumnijs & deceptionibus ad indecentem credulitatem, & indecoram fidem pertrahunt; vnde bella, ſeditiones, & immortalia od.a oriuntur?

4. Separationem Lot ab auunculo Abrahamo, cui ſanguine, & amicitia erat coniunctus cum ingenti vtriuſque vtilitate, ſic narrat text.Sacer. *Dixit ergo Abraham ad Loth: ne quæſo ſit iurgium inter me, & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos, fratres enim ſumus. Ecce vniuerſa terra coram te eſt, recede à me obſecro.* Gen.13. verſ.8. Quę huius ſeparationis, quę tam ingentia incommoda vtrique attulit, cauſa fuerit, non ſatis ex textu liquet. Lyra diuitias fuiſſe autumat, quę cum ſupra modum excreſcerent, non terra eas capiebat, neque potentiſſima dominia pacificè cohabitare poterant. At D. Chryſoſt. hom. 33. in Gen.iniquis ſeruis Abrahami, & Loth cauſam huius diuiſionis adſcribit. *Attende* (inquit) *quomodo valdè familiares diſceſſionis initium faciunt. Hinc enim omnia mala pullulant à famulorum nequitia.* Serui nequam & inuidioſi faciunt, vt amicitię inter conſanguineos reſcindantur cum magna honoris, & bonorum iactura, quòd lites & iurgia oriantur, & tot nocumenta, quot Loth ex ſeparatione ab auunculo accidetunt; nam eo tempore quo habitauit cum Abraham, ingentem bonorum copiam, & ſubſtantiam, quam terra capere non poterat, congregauit; & cum famulorum iniquo aſtu ab auunculo diſceſſit, miſera malorum congeries eum innaſit, voracibus flammis regio, quam habitabat, ſuccenditur; perit ſubſtantia, & vxor; ac tandem cum filiabus immane inceſtum perpetrat. O famulorum nequitiam. Quot mala paras. Quot ſtrages, & infelices euentus moliris? Ex vna amicitia fracta propter famulorum verſutam ſuſurrationem tot mala pullulant. Et quot non experiuntur incommoda, & indecores euentus, nobiles familię propter famulorum ipſarum honori inſidiantium nequitiam?

DISCURSUS VI. MORALIS.

Fraternitas, quæ concordiæ vinculum eſſe debet, plerumque diſcordiarum ſeminarium eſt.

1. INter fratres amorem fore colendum vel ipſa natura ſuadet, quę non patitur vinculum ab ipſa ſtrictum diſcordia violari. Hinc enim fratricidium arguens dicebat Dominus ad Cain. *Quid feciſti? Sanguis fratris tui clamat ad me de terra.* Gen.4.verſ.10. ad quę verba eleganter D.Ambr.lib.de Cain & & Abel.c.6. *Et bene ait: vox ſanguinis fratris tui clamat ad me, non frater clamat: hoc innocentia, & gratia germanitatis etiam in ipſa morte ſeruat: non accuſat frater, ne videatur parricida; non accuſat vox ipſius, non anima eius: ſed vox ſanguinis accuſat, quem ipſi fudiſti & bene ait: clamat de terra. Non dixit de fratris corpore, ſed de terra clamat: & ſi frater parcit, terra non parcit.* Sic fraternitas aduerſatur inimicitiam, vt frater mortuus fratricidę parcat. & germanitatis concordiam in ipſa morte ſeruet. Vox vltionem expoſcens non fratris erat, non perſona Abel clamabat, ſed ſanguis: quia vox illa quę naturę erat, cum vindictam poſtulat, fraternitatis nomen exuit. Hinc cum ad Chriſtum Dominum quidam litigator acceſſiſſet dicens: *Magiſter dic fratri meo: vt diuidat mecum hereditatem.* Luc. 12. verſ. 13. Ille reſpondit. *Quis me conſtituit iudicem ac diuiſorem inter vos?* Ib.Cur illam litem vno verbo, vt poterat, non ſedauit, ſed in litigio remanere conſenſit? Qui pacem venerat mittere in terram, cur arbiter conſtitutus contendentes fratres non concordat? Auſculta eundem Ambroſ. ad prędicta verba. *Non immerito refutatur hic frater; cum inter fratres patrimonium non*

iudex

Digitized by Google

iudex medius, ſed pietas debeat ſequeſtra diuidere. Proptereà, Dominus litigantium fratrum iurgia non compoſuit, quia germanos fratres non externo iudice, ſed interno amore ad concordiam redigi oportebat. Quaſi diceret: Hoc munus non mihi, ſed naturę, quę vos ſanguine coniunxit, incumbit; ipſa enim pro fratrum concordia decertat, & mutuam vnionem ſuadet. Quàm fluuiorum ſimilitudinė, qui in vno alueo placidè colliguntur, conſulebat Corderius Lepidus his venuſtis verſibus:

Diuerſis fluuijs manantes partibus, vno
Diſſimili ſe ſe flumine conciliant:
Diſſimiles vno ſic coniunguntur in alueo,
Et ſeruant proprias alter, & alter aquas.
Fluctibus inter ſe nec agunt, nec murmura miſcent;
Diſtinctis placidè nec gradiuntur aquis.
Diſcite (ni pudor eſt) exemplo hoc, diſcite fratres,
Concordes vna poſſe manere domo.

2. Sed proh dolor, fraternitas quę concordię vinculum eſſe deber, contra naturę, rationis, ac politię leges plerumque odij, ac diſcordię extat ſeminarium: nullum enim ita frequens, nullumque terribilius, ac inter fratres eſt diſſidium: ex domeſtica cohabitatione odia, & rixę naſcuntur immortalia, & monſtroſum fœtum diſcordię propinquitas ſanguinis, aut profeſſionis gignit; quia ſummus amor (qualis inter fratres verſatur) dum pacatè ſe gerunt, ſi degeneret, in ſummum odium commutatur. Iacobo ad patriam reuertenti Angelorum exercitus apparuit, atque ipſo munitus pergit ad patrium ſolum. *Iacob autem* (inquit text. Gen. 32. verſ. 1.) *abijt itinere, quo cæperat: fueruntque ei obuiam Angeli Dei, quos cum vidiſſet, ait: caſtra Dei ſunt hæc.* Ad quid tot Angelorum Miriades ei aſſiſtunt? Ad quid cœleſtis militia eum comitatur, cum vnus, vel alter Angelus ſufficeret ipſum ducere, & à quolibet ingruente periculo defendere? Gloſ. Interlinealis ideo reputat agglomerata multitudine Angelorum Iacob. circumcingi: *Quibus confortatus non metueret fratrem, ſecurus eorum auxilio*: Cui conſentit D. Hieronym. Pulchrè ad fratrem inimicum iturus Angelorum comitantium eum choris excipitur: quaſi vnus non ſufficeret Angelus, ſed omni illo comitatu indiguiſſet, vt ad fratrem inimicum ſecurus ſe conferret. Adeo ſęuit fraternus amor cum in odium tranſit, adeo implacabilis eſt hoſtis, vt Angelorum caſtris homo indigeat ad declinandas eius inſidias, & iras contringendas. Vehementem impetum fratris iracundi non vnus Angelus coercere ſufficeret, ingentia caſtra opus fuit adeſſe ad reprimendam ferociam germani ſæuientis ſanguinis.

3. Frequens eſt, & familiaris Chriſti Domini in Iacob prefiguratio propter multas, & paſſim obuias conuenientias, quæ in vtroque reperiuntur, in eo autem diſconuenire videntur, quod Iacob in vtero matris aduerſus fratrem inſurrexit, ipſumque artificioſa lucta deuicit: Chriſtus autem nullum vnquam certamen cum fratre habuit, quia nullum habuit natura germanum. Verum & in illa lucta Chriſtum fuiſſe adumbratum contendit Guilleim. Cail. ad c. 32. Gen. auſculta quam ille huiuſmodi ſimilitudinis cogitauit rationem. *Iacob luctator, aut ſupplantator interpretatur; luctatus eſt in vtero contra fratrem: ſuper & Dominus in cœlo velut in ſecretario quodam genitali luctam habuit contra Luciferum: qui ideo frater dicitur.* Quaſi dicat. Vt Lucifer Chriſti dicatur frater, ſat eſt, quòd Chriſtus illum in cœlo debellaſſet, fratris nomen in bellis, & diſſidijs præcipuè deprehenditur. Adeò fratres frequenter inter ſe opponuntur, quòd ſat videatur, vt Chriſtus, & Lucifer fratres dicantur, quod implacabiles inimicitias gererent. Quaſi fratris character cum fratre contendere ſit, *luctam habuit contra Luciferum: qui ideo frater dicitur.* Nullo alio epitecto inimicitias inter Deum, & Luciferum melius potuit exaggerari, quam fraternitatis nomine: quia nullum non excedit odium fratrum inuerſa voluntas: ſemel exaſperatus fraternus amor in extremum odium, & crudelitatem tranſit.

4. Ad Nili vndas vt celaretur Aegyptijs, proijcitur infans Moyſes: periculo adſtat Deus, dum ad fluminis ripas filiam Pharaonis prę uentam habet, quę pueri pulchritudine alle cta non ſolum vitam protegit, verum & filium infantem fluctuantem adoptat Exod. 2. v. 10. Demiratur Macharius huiuſmodi Moyſis fortunatam infelicitatem: ille enim è matris vtero Ægyptiorum gladius oritur, Aegyptiorum flagellum, & ſupplicium Deus poſtea ipſum conſtituit: quòd clarè tunc cum ad brachia filię Pharaonis deuenerat, optimè agnouit. Cur ergo qui poſtea Ægyptum erat inuerſurus, & puniturus magis plagis, Reginæ adoptionem ſecundo naufragio conſequitur? Ille ipſe *quem illa* (vt ait text.) *adoptauit in locum filij*, regnum ipſum humaniter & benignè excipiens magis vexauit calamitatibus, quod indignum videbatur generoſę indolis, & grati animi. Fortè ne oportuit Moyſem adoptare, vt poſtea diuini furoris congruentius eſſet inſtrumentum? Fortè ita. Nam ex die adoptionis futurum infenſiſſimum Ægypti hoſtem auguratur Macharius hom. 9. *Cum Deus Moyſem prænoſceret, & præordinaſſet futurum ducem & redemptorem populi, efficit, vt adoptaretur à filia Pharaonis.* Futurus eſt Moyſes Dux, qui populum ex terra Ægypti educat, & qui vt hanc obtineat libertatem, potiorem huius Reipublicæ partem vndis obruat. Vt ergo ad hanc ſtragem vehementius inclinet, hanc ei Deus adoptionem prępenit. Fiat per adoptionem Ægyptiorum frater, vt maiori crudeli-

delitate eos puniat; conſanguinitas enim, & naturę propinquitas, ſiue naturaliter, ſiue per electionem ſit acquiſita, optimum venenum eſt ad tingendum manus cruore confratris. Sit frater, per adoptionem Moyſes (ſi natura id non acquiſiuit) vt ſæuiſſimo, ac inteſtino odio Ægyptiorum fratrum ſanguinem vertat. Neceſſe enim eſt, vt illos funditus perdat, ipſorummet (ſaltem per affectum, & adoptionem) ſanguine armari: nam qui fraterno ſanguine inſurgit in fratrem, acriter pugnat, & contentioſiſſimè ipſum ſupplantare contendit.

5. Pro conſeruatione generis, & conſanguinitatis olim huiuſmodi præceptum populo fuit intimatum. *Quandò habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri: ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Iſrael.* Deuth. 25. verſ. 5. Quamuis huius legis motiuum, & fundandi ratio in ipſa exprimatur: adhuc non leuem difficultatem ingerit, quod frater ſuperſtes deſignetur loco defuncti, vt eius nomen ſuſcitet, ne ſine liberis obliteretur. Nam omiſſo quod non multum expediret particularis familiæ nomen deleri, eodem pacto potuit conſeruari, ſi quiſpiam alius illius generis prę, ter fratrem ad ſecundas vxoris defuncti nuptias vocaretur, vt quid igitur cognatus tam ſtrictiori gradu, qui poſtea erat prohibendus, ad ſucceſſionem deſignatur? Egregiè Tertul. lib. de Monogam. cap. 7. rationem meditatur. *Ne proindè maledicti iudicarentur, qui non naturæ reatu, ac mortis præuentu orbi deceſſiſſent; ideò illis ex ſuo genere vicaria, & quaſi poſthuma ſoboles ſupparabatur.* Infelicitas in populo illo maxima erat ſine liberis mori, itaut maledictus haberetur, qui filijs orbatus diſcedebat. Sit ergò frater, qui ſuccedat, vt liberis poſt habitis defuncti infelicitatem puniat: nullus enim gladius ad puniendum alium fratrem eſt aptior, quam frater eodem ſanguine acutus. Subſtituatur ergò frater liberos habens, qui defuncti fratris frigidum cadauer felicitate mulctet, qui populi iras in exoſum fratrem ſeuerius exequatur. Nam nullus infenſior fratris inimicus eſt, quam frater; ex pręcordijs enim inteſtina odia gignunt. De quo maximè dolebat ſponſa, cum ſe denigratam artificioſa fratrum cautela amariſſimè flebat. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Cantic. 1. v. 5. Non aliter melius pugnacem naturam ipſi inuidentium potuit exaggerare, quam fratres eos nominando; quia nullus eſt ita ſubdolus, & verſutus hoſtis, quam frater fratrem impetens; vndè Bernard. Serm. 25. in cantica ad monachos huiuſmodi verba inflectit. *Nec cauendum* (ait) *à grauioribus tantùm offenſis, ſed à clandeſtino quoque, & venenato ſuſſurio: non ſufficit os cuſtodire ab his, & ſimilibus: cauenda ſunt, & leuia; ſi tamen leue debeat dici, quodcunque in fratrem præſumpſeris voluntate lædendi.* Quaſi nullum ſit leuè nocumentum, ſed grauiſſimum, quòd frater molitur in fratrem; nam quod ex ſuo genere leue eſt, fratrum nequitia vltra modum ingraueſcit, & ſub ſpeciè amoris, & fraternitatis venenum ſerpit lethale, ſub amicitię larua latet mortiferus ſerpens. Quod maximè Nabuchodonoſoris ſcelera aggrauauit: nam quos amicitiæ, & fraternitatis vinculo ſibi coniunxerat, verſutè fefellit, & vſque ad mortem fuit inſecutus. *Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum &c.* Hic verſ. 15.

DISCURSUS VII. MORALIS.

Nihil deteſtabilius, quam amicum os præferre, & inimicum cor geſtare.

1. QVi inimicitias palam gerit, non tam exitialem plagam infligit, quam qui ſimulata amicitia præter ſpem, & ſuſpitionem amicum adoritur. Sedula cura notos inimicos cauemus: at contra ignotos, & qui ſub ſpecie amicitiæ latent, nulla valet cautela; nam tunc non tam hoſtilis inimica manus lædit, quam propria fiducia. Odium manifeſtum inimicum ſeruat, fucata amicitia ſine defenſione ictum infert. Idcircò nihil deteſtabilius abhorrent homines, quam duplicitatem, & perſonatum amicum, vtpotè monſtrum naturæ horribile, & ſimillimum illis perdicibus, de quibus Plinius lib. 11. cap. 37. *In Paphlagonia bina perdicibus corda.* Quod falſæ, & phaleratæ amicitiæ Regius Pſaltes accommodat. Pſal. 11. v. 3. *In corde, & corde locuti ſunt.* Ideſt duplici corde, vt explicat S. Iacobum à domo ſoceri fugientem ille inſequitur, & cum ad eius conſpectum deueniſſet, de ingratitudine, furto, & inurbanitate conqueritur. *Cur ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi, vt proſequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis? Non es paſſus vt oſcularer filios meos, & filias: ſtultè operatus es.* Geneſ. 31. verſ. 27. Iuſta Laban querela videtur; quæ enim cauſa ſaltem apparens potuit ſubeſſe, vt non pateretur Iacob Laban filias ſuas, & chariſſimos nepotes oſculari? Vt quid vltimos amplexus illi prohibuit, apud quem & bona, & filios fuerat aucupatus, cum fugitiuus ad ipſius domum acceſſiſſet? Audiendus Philo lib. quis rerum diuinarum ſit hæres. *Iuſtè, ac meritò Simulationem enim implacabiliter odiſſe didicimus. Dilige virtutem, & animo amplectere, & non requires oſculum fucatum*

ſpe-

Digitized by Google

ſpeciem ex amicitiæ. Non ſincero corde querelas formabat Laban: nam tunc & filias, & nepotes habet exoſos, oſculaque ſi dediſſet, non corde ſed ore feciſſet. Et idcircò Jacob ab vrbanitate excuſatur, & ſatis ſapienter declinat à fucata amicitia. Nam nihil eſt deteſtabilius, nihil periculoſius, quam vultum blandientem oſtendere, & venenoſum cor celare: os amicum præferre, & ſæuientem in pectore liuorem portate; aliud in ore palam prodere, aliud in pectore clandere; geminata corda habere: & vno fraudnlenter adulari, altero exitiale damnum moliri.

2. Miſit ad Eliam Rex Ochozias Quinquagenarium Principem, & quinquaginta qui ſub ipſo erant; accedenteſque ad Prophetam in vertice montis ſic illum Princeps ſalutat. *Homo Dei, Rex præcepit, vt deſcendas.* 4. Reg. 1. verſ. 9. Reſpondenſque Elias ira percitus, & quaſi verbis laceſſitus. *Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos: Deſcendit itaque ignis de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo.* Ibid. verſ. 10. Mirum planè eſt, quod Elias vir patientiſſimus, & qui tot ærumnas, & perſecutiones Regis Achab, & vxoris eius Iezabel conſtanter fuerat perpeſſus, nunc adeò ferueat, & excandeſcat in huiuſmodi nuntios, qui eum reuerenter alloquuntur, & virum Dei appellant. Ve quid vrbanitate offenditur, & ſæuit in legatos, qui patientiæ erat trophæum, & tot ſuſtinuerat iniurias? Pulchrè Rupert. lib. 6. in Apoc. *Vndè conſtat, quod intentione nocendi dixerint: homo Dei, Rex præcepit, vt deſcendas: Homo Dei hæc dicit Rex feſtina, deſcendè, & idcircò dixerit ille: deſcendat ignis de cælo, & deuoret vos, dictumque effectus conſecutus eſt.* Amaro, & infenſiſſimo corde Achab, & Iezabel perſecuti erant Eliam, nullum tamen eorum igne mulctauit Propheta, quoniam eorum nullus exteriorem pacem, & amicitiam cum eo ſimulauerat, ſed manifeſtè, & aperto Marte inſequebantur ipſum; quinquagenarij verò iſti legationis munere fungentes corde, & corde loquebantur. Nocendi intentionem clam habebant in pectore, & palam vrbanitatem, & beneuolentiam ſimulabant. Hos ergò igne combuſſit, quia nihil ſic exarmat patientiam, armat manus, quam fucata amicitia, duplicitas cordis, animitus odium nutrire, & extima facie os amicum præſerre.

3. Miriſſima patientiæ documenta Chriſtus Dominus exhibuit. Tacet, cum per conuitium Samaritanus vocatur: dæmoniacus appellatus modeſtè reſpondit: & alibi paſſim contumelioſa verba ſuſtinuit. Cum verò Magiſter à Phariſæis compellatur contra ipſos ſæuit, & rependit honorificum epitectum generationis adulteræ compellatione. *Tunc reſponderunt ei quidam de Scribis, & Phariſæis dicentes: Magiſter volumus à te ſignum videre. Qui reſpondens ait illis: generatio mala, & adulterſi ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Matth. 13. verſ. 38. Cur patientiſſimus agnus, qui ad tot blaſphemias, & inſultationes ſilebat, aut modeſtè reſpondebat, ad vrbanum, & laudatorium Magiſtri verbum ſic excandeſcit, vt viperarum mortiferum, & omnibus odibile genus eos compellet? Auſculta Chriſoſt. hom. 26. in diuerſ. Matth. loc. *Magiſtrum vocat* (Phariſæus videlicet) *cuius non vult eſſe diſcipulus.* Inter inimicos illi deteriores ſunt, & omnibus exoſi, qui ſub amicitiæ colore mortem, & exitium moliuntur; adeòque ſunt deteſtabiles, vt vel ipſe patientiæ exemplar Chriſtus Dominus, qui tot inimicorum myriades æquo tulit animo, ad hoc excandeſcat, & illos aculeatis verbis feriat, *Generatio mala, & adultera.* Vapulat vt vile mancipium, ſpineo ſerto coronatur, ſuſtinet omnium tormentorum molem, & figitur acerrimè pendulo corpore vſque ad vitæ defectum, & qui ad tot acerbiſſima ſiluit cruciamenta hominem duplicis cordis ſuſtinere non valet. Ad dolorem, & vulnus doloſę linguæ ſic exacerbatur, & ſæuit, vt diſſimulare non poſſit præ magnitudine doloris, qui patientiam quodammodo ſuperare videtur, & dedecus reputat diſſimulare ſimulatæ amicitiæ officia doloſa, & eam non ſtatim punire.

4. Inter præcepta, quæ Deus magnopere commendauit, & inuiolabiliter obſeruari pręcepit, illud valdè mirabile eſt, quod habetur Exod. 21. verſ. 28. Vbi bos, qui hominem cornu peteret, & vulneraret lapidari iubetur. *Si bos cornu percuſſerit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur.* Quod præceptum de boue ſpecificè loquatur, non autem de tauro, difficilè reddit legis motiuum, & rationem, Cur ſi taurus hominem occiderit, impunitus remaneat, nec vlla pœna mulctetur; bos autem cornu aliquem petens ad mortem damnatur? Si domini incuria hic plectenda venit, non minus cum taurum in occaſione lædendi relinquit, quam cum bouem, mulctare fas erat. Ut quid igitur tauro homicidiæ lex indulget, & in bouem tam ſeuerè animaduertit? Cauſam fuiſſe arbitror: quoniam bos inimicum latenter inſidiantem deſignat, taurus autem apertum, & manifeſtum. Bos ſolita manſuetudine decipit, nam ea confiſi ab illius impetu non cauemus, quia domeſticum eſt animal, & in nullius præſumptione nociuum: taurum autem tanquam inimicum apertum, & exitialem formidamus; ab illoque conamur diſcedere, itaue in tauro nota inimicitia nobis proficiat ad cautelam, in boue autem nota amicitia nos trahat ad interitum, Qui pulchrè fucatam amicitiam deſignat, & idcircò tanquam naturæ moſtrum lapidibus obrui præcipitur. Quia tam acriter Deus, cuius natura ſimpliſſima eſt, du-

plicitatem deteſtatur, vt in boue ſine deliberatione operante falſæ amicitiæ ſpeciem,& ſimilitudinem puniat, vt à natura exulet, quod natura tantòpere abhorret. Hinc inter maxima ſcelera, & immania crimina quæ Nabuchodonoſor perpetrauerat,illud maximè ponderauit Propheta, quòd falſa, & doloſa amicitia ad ſociale fœdus Principes traheret,quos poſtea dignitate priuauit, & priuatam, ac illiberalem vitam agere coegit. *Væ qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius.* Hic verſ. 15.

DISCURSUS VIII. MORALIS.

Qui amicitiæ larua ſe nimis introducunt, infidelitatis ſuſpicionem incurrunt.

1. AMicum non repertum, ſed inuentum eſſe oportet, magna enim cura, & diligentia eligendus eſt, cui poſtea omnia committenda ſunt. *Tu verò* (aiebat Seneca Epiſt. 3.) *omnia cum amico delibera; ſed de ipſo prius: poſt amicitiam credendum eſt, ante amicitiam iudicandum: Iſti verò præpoſtere officia permiſcent; qui contra præcepta Theophraſti cum amauerint, iudicant, & non amant; cum iudicauerint. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit.* Non qui obuiam fiunt, & placendi arte latera ambiunt, fideles reputandi ſunt; quia hi fucatam, & adulterinam monetam perfidæ amicitiæ introducere ſatagunt. Cui Ariſtot. 6. Ethicor. comparauit. *Adulterinæ ſimiles monetæ, quæ quantò eſt probato auro affinior, tantò eſt aptior ad fallendum; vt cuius omnis fulgor eſt fictus.* Obſequioſa introductio anſam præbet ad ſuſpitionem: & qui nimis affectat amicitiæ veritatem, nimis eam accuſat, veritas enim ſe ipſa contenta non ambit videri, ſed eſſe; intra ſeipſam colligitur, neque audet offitioſo famulatu affectare quod eſt, verita ne quod non eſt videatur. Vt deſideratæ felicitatis ſigna deferret Noe. *Dimiſit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram.* Geneſ. 8: verſ. 7. Hebræus legit. *Qui exiuit exeundo vſque ad ſiccari aquas ſuper terram.* Poſtea autem *emiſit quoque columbam poſt eum, vt videret, ſi iam ceſſaſſent aquæ ſuper faciem terræ.* Ibid, verſ. 8. Vterque tamen ſine ſigno pacatæ tempeſtatis ad arcam reuertitur, eò tamen diſcrimine, quod coruus arcam multòties ingreditur: columba verò arcam ingredi non audet, ſed collecta iuxta ipſam perſiſtit, vſque dum Noe illam introduxit. *Quæ cum non inueniſſet vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam; extenditque manum, & apprehenſam intulit in arcam.* Ibid. verſ. 9. Vbi Caiet. ſubtiliter, & collectionem columbæ, & corui audaciam ponderauit. *Columba non ad ipſam feneſtram; ſed ad locum propè eam venerat: coruus autem ad feneſtram ipſam regrediebatur, & propterea de ſola columba dicitur, quod extenſione manus Noe ducta eſt ad ipſum Noe ad arcam; habetur enim in Hebræo. Et fecit venire eam ad ſe ad arcam.* Et cur columba adeò elongatur, & veretur arcam accedere: coruus verò, qui domeſtica auis non eſt, intrepidè labitur in eum? Cur foris manet ſimpliciſſima auicula, donec introducatur in arcam, vbi coruus nulla aſpectata vocatione ingreditur? Crediderim: quia iſte coruus erat, illa columba. Plerumque enim, qui verſutus, & fraudulentus hoſtis eſt, qui oculis inſidiatur, & honorem lædere intendit: is magis ingreditur, magis accedit, & introducitur, amicitiam ſimulans, & perfidiam recondens: amicus verò fidelis, corde ſimplex, qui pacatum animum habet. pacem, & amicitiam quam habet in pectore, geſtat in ore, qualis erat columba, venit ad eum *portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore ſuo.* Vt ibidem verſ. 10. habetur hic inquam elogatur, colligitur. *Anda vranno, y encogido:* Hiſpanè dicitur. Et neceſſe eſt, manum extendere, vt accedat. Corui introductio ſuſpectum falſitatis ipſum reddit: quia offitioſa familiaritas mendaciſſima ſolet eſſe, & blanda adulatione plerumque fallit, qui duros molitur ictus.

2. Diſcumbente Chriſto Domino cum Diſcipulis ſuis in nocte cœnæ, & illis edentibus dixit: *Amen dico vobis: quia vnus veſtrum me traditurus eſt* Matth. 26. verſ.21.& 22. *Qui contriſtati cœperunt dicere ſinguli nunquid ego ſum Domine?* Sic vndecim ſunt ſciſcitati, ſolus Iudas orationem inuertit dicens: *Nunquid ego ſum Rabbi?* Non ſicut cæteri Dominum vocat, ſed Magiſtrum, quod nomen maiorem beneuolentiam, & amicitiam ſanè indicat. Vt quid Iudas ſtylum interrogationis mutat, & diligentiorem ſe cæteris Diſcipulis demonſtrare intendit? Præclarè Rupertus ſcopum attigit, & falſitatem Diſcipuli detegit. *Solùm hoc dicere Magiſter, ſiuè Rabbi, & non dicere: Domine; cordis eſt longinqui, ideſt longè remoti à familiaritate dilectionis.* Nihil enim minus ſignificant amica verba amicitiam affectantia, quamquod ſignificare videntur. Signum cordis perfidi, & amoris longinqui blanda verba ſunt, quibus ſe magis ingerere ſubdolus Diſcipulis ambit. Bellè quidem, Nam offitioſa amicitia mentita fere ſemper eſt. Ex aſſentatorio Magiſtri verbo auguratur Rupertus animum deprauatum, & amoris expertem. *Solum hoc dicere Magiſter, ſiuè Rabbi, & non dicere Domine, cordis eſt longinqui, ideſt, longè remoti à familiaritate dilectionis.* Quo magis

Iudas

Digitized by Google

Iudas ſe introducere gliſcit, & dilectionem affectat, eò magis falſitatis ſuſpitionem gignit. Ille vt ſimulatus amicus magis ad amicitiam accedere videtur, reliqui, qui veraciter amabant, generali vocabulo Magiſtrum compellant; & quia corde accedebant, verbis recedere videbantur. Quia vera amicitia nimis timida eſt: falſa autem nimis audax. Hinc idem factum Ioannes referens ſolum Petrum Magiſtrum interrogaſſe de proditore aſſirmat. Nam etſi omnes hæſitaſſent, Petrus præ omnibus auſus, & conſtriſtatus euentu quis ipſum erat traditurus, ſciſciatur. Cuius rei rationem reddit Auguſt. ſerm. 18. ad fratres in eremo. *Aliqui de Petro fortè ſuſpicabantur: quia plus, & plurima ſe facturum iam promiſerat pro Magiſtro ſuſpicantes quod ficto corde ſic toties loqueretur.* Plurimum de dilectione erga Magiſtrum Petrus ſe iactabat, mirabilia facere garriebat: ex quo non leuis ſuſpicio aderat, quod ipſe magiſtrum erat traditurus; & idcircò primus interrogat, an ipſe eſſet proditor: nam qui de amore gloriatur, falſitatis habetur reus. Fucata amicitia ficta ſœpenumero eſt, & infidelis, nam artifitiosè loca ambit, ad quæ amicitia vera accedere non audet.

3. Diſcuſſurus Chriſtus Dominus hominum cauſas in extremo iudicio, vt iuſtis merita rependat, eos ad ſe vocat, & paternæ hæreditatis conſortes efficit. *Tunc dicet Rex ijs; qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Matth. 25. verſ. 34. Impijs autem ſententiam damnationis intimabit dicens. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Ibid verſ. 41. Mira vtriuſque ſortis differentia: vt iuſtos, & amicos remuneret, eos ad ſe auocat, ac ſi non adſtarent, ſed longè ab ipſo eſſent: *Venite benedicti*: At verò vt inimicos damnet, ipſos à ſe expellit, longèque remonet, quaſi proprius adeſſent. *Diſcedite à te maledicti.* Num ſancti ab eo fugiunt, & longius abeſſe procurant, quod eos vocare, fuit neceſſe reprobi verò latera tenent, & propiùs adeſſe conantur? Ità equidem: nam hoc eſt perfidæ amicitiæ genium ſe ingerere remunerantis lateri, obuiam fieri conſpectui. Vera autem, & quam iuſti profitentur ſe elongat, & diſcedit, quia neſcit, verſutæ amicitiæ officia exercere. Proindeque multòties, qui magis lateri adhæreſcunt, minus amant, qui placere magis ſtudent, ſuſpicionem generant falſitatis: ipſoque expediet, tanquam reprobos relegare, & aduocare eos, qui veritatem nulla arte violare procurant.

4. Obnixè pro filia à dœmonio vexata pia mater Chananæa orabat: illa tamen præter conſuetudinem, & ſpem verbis rigentibus excipitur *non eſt bonum* (inquit Chriſtus Dominus) *ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Matth. 15. Centurio autem, qui ſalutem ſerui poſtulabat, benignè recipitur, & ſine cunctatione audit: *Ego veniam, & curabo eum* Matth. 8. verſ. 7. Cur mater pro filia rogitans repulſam patitur, Centurio verò ſtatim optata conſequitur: Cur vbi Dominus pro ſeruo exauditur, pro filia mater repellitur? Suſpicor, quia Chananæa maximè loco, & ſitu, Chriſto, & Apoſtolis appropinquare ſtudebat: dicunt enim Diſcipuli: *Dimitte eam, quia clamat poſt nos.* Centurio parum fidebat propinquitati loci. Nam cum Chriſtus diceret. *Ego veniam, & curabo eum.* Reſpondit ille *Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.* Quæ ergò clamoroſa negotiatione propius ad Chriſtum accedere, & illius ſe lateri ingerere ſtudebat, repulſam tulit, quouſque fides eius amplius diſcutiatur: qui diſſitus, & relegatus latera Principis non cingit, ſed ad ea veretur accedere, ſtatim exauditur: quia non melior, nec fidentior eſt, qui audacter ad penetralia Regis intromittitur, ſed qui verecundior non audet, & fugiens Principem confugit ad obſequia, vt hic, de quo Chriſtus Dominus *non inueni tantam fidem in Iſrael.* Fides enim non probatur intima, & adulatoria aſſiſtentia, ſed veridico cordis affectu, qui à loci non dependet propinquitate, imò ab illo falſitatis arguitur.

5. Mulier illa, quæ ſanguinis fluxum duodecim annis patiebatur, ſalutis cupida ad Chriſtum accedere ſatagebat, vt ſaltem fimbriam veſtimenti eius tangeret, vndè ſanitatem haurire arbitrabatur. *Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius. Dicebat enim intra ſe: ſi tetigero tantum veſtimentum eius ſalua ero.* Matth. 9. verſ. 21. Chriſtus verò antequam illi ſanitatem conferret, cui illam adſcribere debeat, animaduertit. *Confide filia fides tua te ſaluam fecit.* illa in ipſa fimbria, quam tangere procurabat, ſanitatem eſſe, credebat: Chriſtus autem ad fidem animum eius reuocat: & fimbriæ tactæ mentionem non facit. Quaſi diceret: Tu in attactu veſtis ſpem locaſti: ego verò cordis affectum, vt obſequium fidele laudo; nec enim, quia propior accedis, & fimbriam prendis, facilius obtinebis ſalutem: ſed quia fidam mentem eleuas, vt gnauum famulatum exhibeas. Filiam, & amicam te voco, non quia me cingis, & fimbriam meam tangis: ſed quia fidelem tuum animum agnoſco Fides non probatur propinquitate loci, ſed cordis affectu; imò à fide ſolet deflectere, qui nimis ſtudet latera occupare; & offitioſa amicitia in fraudem ſœpè pellexit, quem aſſentationis aſſenſum præbentem vidit. Sic enim illos, quos prius blanda, & fraudulenta amicitia Nabuchodonoſor allexerat, poſtea infenſiſſimus hoſtis inuaſit, vt ſtultæ confidentiæ pœnas luerent, & perfidæ amicitiæ dolos experirentur. *Væ qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius.* Hic verſ. 15.

DIS-

DISCURSUS IX. MORALIS.

Bona fama præcipuè in ſuperioribus adipiſcenda, conſeruanda: mala autem nimis fugienda.

1. Glorioſa geſta non morte finiuntur, poſteritati enim remanent immortalia: & allecti hac futura ideali gloria homines ambiunt ſuorum geſtorum laudabilem opinionem: Præcipuè Principes, & Dynaſtę, quibus hoc vnum deficit, quia ab aliorum votis dependet, cum cœtera ſuperſint, vt dicebat Tiberius apud Tacitum lib. 4. annal. *Omnia Principibus adeſſe, vnum inſatiabiliter parandum, proſperam ſui memoriam.* Gloriæ cupidi omnia audent, quæ ad ipſam conducunt: & omnia exequi monebat Paulus ad Philippenſes 4. verſ. 8. *Quæcunque amabilia; quæcunque bonæ famæ, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate.* Ille Rex ſapiens maximè gloriabatur de fama, quam ſibi parauit ſapientia. *Habeo propter hanc immortalitatem, & memoriam æternam.* Sapient. 8. v. 13. Non modo, opinionem non contemnere licet, ſed illam expedit magno ſtudio, ſcrupuloſa attentione acquirere, atque acquiſitam conſeruare. Vt docebat Bernardus Serm. 16. de modo bene viuendi. *Diſce flagrare bono præconio, habere teſtimonium bonum; cuſtodi tuam famam bonam: tua bona fama nullis fœtoribus obſcuretur: tua bona fama nullis opprobrijs laceretur.*

2. Primus ille à Deo electus Saul cum eſſet vnctus in regem ne fortè dubius remaneret de felicitate ita magna, ac incogitata, dixit Samuel ad eum. Vt te certiorem faciam de principatu, ad quem aſſumptus es, *cum abieris hodiè à me, inuenies duos viros iuxta ſepulchrum Rachel* 1. Reg. 10. verſ. 2. Inuſitatæ lætitiæ Principis recenter electi, mulieris demortuæ exequiæ: circuitus hominum ad ſepulchrum mulieris, quæ mortiferum fœtum peperit. Talis debet eſſe Principis, ac ſuperioris ſtatus, qualis Rachaelis, cum ipſi mors accidit, grauidus quidem ſpiritualibus curis, & anxietatibus vſque ad animam pro ſubditis exhalandam. Verùm cur ad inſtruendum Principem in prudentia, ſagacitate, & politia quibus ad regimen indigebat, loco Magiſtri mulier delicata, & defuncta ipſi adſcribitur? Quod documentum ciuilis prudentiæ, aut militaris gloriæ à Rachaele potuit ediſcere? Quam eruditionem aſſumere à marmore frigido, quod cineres raræ pulchritudinis claudebat? Arbitror voluiſſe Prophetam in primis regni veſtigijs Saulem inſtruere, formulam regiminis tradens, ac primam obligationem in Rachaele mortua exprimere, vt in ea quid quærere, quid effugere teneretur, aduerteret. Effœminatus animus indecorus eſt Principi: quia conſtantia, & fortitudo eſt tota conſiſtentia regiminis: bonum nomen, honeſta fama honor eſt; & ornamentum mulierum, quibus inter ſidera (vt dixit Tulius) collocari meruerunt. *Famam mulierum vt multorum oculis lux clara cuſtodiat, diligentiſſimè ſanciendum eſt.* Eat igitur Saul in limine Principatus ad tumulum Rachaelis, vt in ea inſpiciat, & imitationem, & fugam: vt ſexus valorem recordetur, & fama honeſtatis Rachel Principis nouiter electi animum erigat ad propriam, & glorioſam adipiſcendam. Nam ſicut mulieres ſuæ opinionis debent eſſe ſolicitæ; ſic ſuperiores bonæ famæ ſtudioſi, & eam magnis laboribus comparare, nam nomen magnum, & honorificum non niſi magna ſolicitudine acquiritur. Sic accidit Iacob, qui luctator interpretatur, eo quod cum Deo ad Brachia deuenit: in quo conflictu illi præcepit, vt deinceps non Iacob, ſed Iſrael qui videns Deum interpretatur, vocaretur, quia ipſum Deum in agone vicit. Quodquidem nomen ſic glorioſum in pignus ſuę fortitudinis, & animoſitatis fuit relictum: mutauit enim nomen Iacob in Iſrael, quod honorificum eſt: quia nomina ſic glorioſa non niſi à glorioſis geſtis deriuantur, nec ſine magno acquiruntur labore. Præexcelſum nomen Ieſu habuit Diuinum Verbum antequam carnem aſſumeret. *Quòd vocatum eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur* Lucæ 2. verſ. 21. Verùm poſtquam inter homines fuit commoratus, id non admiſit, vſque dum circumciſus fuit. Quare nomen paterna hæreditate acquiſitum, & non aliundè vſurpatum per octo dies non habuit, & illo carere voluit? Quia in his octo diebus non aliquod opus, quo ſibi meruiſſe videretur, fecerat, & vſque ad octauum diem, in quo ſanguinem fundere inchoauit, quo illud poſſet ſcribere erubeſcebat aſſumere; nondum enim illud comparauerat ſanguine effuſo, & propterea ab illo ſe abſtinuit: nam nomina glorioſa, & immortalia effuſione ſanguinis acquiruntur, & primi quidem, qui in proſapijs illuſtribus ea obtinuere, magno pretio laborum ea compararunt, & in ſimili obligatione ſucceſſores relinquerunt, qui ad imitationem tenentur, vt honorem tot laboribus partum, & hæreditate poſſeſſum eadem, qua fuit acquiſitus fama, & æſtimatione, conſeruent. Qui ab imitatione maiorum recedit degeneris arguitur animi: quia quietem aucupari ab alienis laboribus indecorum eſt, & gloriam extrahere, atque blandiri in ſtatuis, & marmoribus figuratis, nihil eſt aliud, niſi perſonali laudi ſepulchrum aperire.

3. Ad id enim præteritorum glorioſa facta ſcribuntur, vt eorum memoria permaneat, & exiſtentium imitatio inſtruatur, & facilitetur: ſicut indecora facinora eo ſcribuntur fine, vt eorum authores ea pœna mulctentur, & in eis præſentes periculum faciant. Quia (vt dixit Caſſio-

Caſſiodor.) ea eſt vindicta factornm turpium, infamia videlicet, quæ in dierum volumine manet immortalis. *Habet vltionem ſuam hominum frequentia, ſi loquatur aduerſa, & de iudice iudicium eſſe creditur, quòd à multis ſtipulantibus perſonatur.* Actorum à ratione deuiantium vltio ſanguinolenta nimis eſt, remanent enim in ære exarata: & quoties leguntur, toties ſordidatur memoria, à qua nunquam excidunt, & infamia repetitur. In hoc enim (vt dixit Sidonius Apolinaris) æqualis fortunæ ſunt, & elegantiora facta, & ignobilia, vtraque enim incorrupta memoria conſeruat, & publico teſtimonio aut deuenuſtat, aut extollit, *Improborum proba æquè vt præconia bonorum immortalia manent.* Et tacitus eos Principes ridet, qui præſumunt ſua magnitudine memoriam obliterare eorum, quæ indignè faciunt. *Quo magis eorum ſocordiam irridere licet, qui fama præſentis potentia credunt poſſe extingui futuri æui memoriam.* Libr. 4. annal. nullum enim inimicum telum ſic formidare debent Principes, ac populi ſuſurrationem, vel calamum hiſtorici in ſua proba geſta inuectum.

4. Prophanus ille Princeps Balthaſar inter delitias ſacrilegas opipari conuiuij, quamuis vino ingurgitatus, & temulentus, manum vidit, quæ ſecreto impulſu in ſuperficiè parietis qui è regione erat, ſcribebat. *In eadem hora apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrū inſuperficiè parietis aulæ regiæ* Daniel. 5. verſ. 5. Manſit attonitus, & tali prodigio perterritus, mens turbata, & confuſa informauit vultum, & intet timorem, & admirationem vitales ſpititus ſunt diſrupti. *Facies Regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbant eum: & compagnes renum eius ſoluebautur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur.* Ibid. verſ. 9. Quid Balthaſar aſpicit, vt ſic pertimeſcat, & tot anxietatibus magnanimitatem regalis animi deuenuſtet? Fortè fulgur vidit eius vitæ imminens? Rotam manu inimica iactatam? Enſem ſupra caput pendulum è filo? Nihil horum vidit, ſed manum calamo armatam, & ſcribentem. Quid mirum? Iuſta timoris cauſa in Principe non iuſto manum inſpicere ipſius facinora, ſcelera, & dedecora ſcribentem: nullum enim hoſtile telum ſic timorem incutit, ac calamus, qui indelebili tinctura in annalibus temporis ſcribit viles, & deteſtabiles actiones illius, qui ratione muneris heroicas famę tradere debuit. Nulla pœna penna hiſtorica eſt terribilior: id enim formidat, & meritò prophanus Princeps, manum ſcribentem eius ſacrilegia, & poſteritati ea tradentem. Id autem non timuit eius Auus Nabuchodonoſor: & idcircò gloriam, quam ſibi & poſteris acquirere debuit, in ignominiam, & dedecus commutanit. *Repletus es ignominia pro gloria* &c. Hic verſ. 16.

DISCVRSVS X. MORALIS.

Fama pluſquam dimidium laudibus detrahit, vt vituperijs adaugeat.

1. FAciles ad aliorum proba, credenda, & diuulganda homines ſunt: ad laudes verò difficiles: naturaliter ad alienam gloriam obnubilandam proni, & ad vituperia detegenda propenſi. In vtriſque narrandis falſitatis ſuſpecti habentur, & ferè ſemper aut per exceſſum, aut per defectum mentiuntur: nam excellentijs detrahunt, vt dedecora adaugeant: fama enim nunquam veraciter loquitur, nec ei fides adhibenda eſt. Pulchrè eius naturam depinxit Tertul. cap. 7. Apolog. *natura famæ omnibus nota eſt: veſtrum eſt.*

Fama malum, quo non aliud velocius vllum. Cur fama malum? Quia velox, an quia index? An quia plurimum mendax? Quæ neque nunc quidem cum veri aliquid affert ſine mendacij vitio eſt, detrahens; adijciens, demutans de veritate, quidquod ea illi conditio eſt quod non niſi cum mentitur perſeueret: & tamdiù viuit, quamdiù non probat, ſiquidem vt probauit, ceſſat eſſe, & quaſi officio mentiendi functa rem tradit: exindè res tenetur, res nominatur. Mendaciſſima ſemper eſt, eo tamen genio ſemper mentitur, vt proba adaugeat, quia fidem ſemper in auditoribus habet; vndè dixit Seneca lib. 2. de ira cap. 22. *Non criminationibus tantùm, ſed ſuſpicionibus impellimur, & ex vultu, riſuque aliena peiora interpretati innocentibus iraſcimur.* Fluuiorum more, qui fluendo maiores fiunt, creſcit opinio, & eundo vires acquirit, & ex rumore exiguo ingens poſtea fama oritur proindèque maximè timenda eſt: nam (vt dixit Hieronym. Epiſt. ad Celantiam) ex parua ſcintillula malæ opinionis totus honor flagrat. *Hanc adhibeamus vitæ noſtræ diligentiam: ne malæ mentes occaſionem inueniant detrahendi: ne ex nobis ſcintilla procedat, per quam aduerſus nos ſiniſtræ famæ flamma conſletur; alioquin fruſtra iraſcemur obtrectatoribus noſtris, ſi eis ipſis obtrectandi materiam miniſtramus.* Vt immenſum de nobis malę famæ incendium ſuſcitentur, ſufficit paruam præbere ſcintillam, nam pluſquam dimidium vituperijs adauget.

2. Oppreſſit Ammon ſororem Thamar, & concubuit cum ea: quòd cum Abſalon vtriuſque confrater intellexiſſet, mortem contra frattem fuit molitus: illum enim ad conuiuium deduxit cum reliquis filijs Dauid, & inter epularum delitias cruentè interemit. Peruenit fama ad Dauid, & Abſalonem omnes interfeciſſe fratres fuit narratum. *Fama peruenit ad Dauid dicens; Percuſſit Abſalon omnes filios Regis, & non remanſit ex eis ſaltem vnus.*

vnus. 2. Reg. 13. verſ. 30. Quòd cum audiſſet Dauid, & ſe tam charis pignoribus orbatum crederet, præ ingenti dolore ſcidit veſtimenta ſua, & pronus in terram iacuit. Aderat autem (cum nuntius huiuſmodi tragœdiæ aceeſſit) Ionadab, qui vt Regem conſolaretur, dixit: *Non eſtimet Dominus meus Rex, quod omnes pueri filij Regis occiſi ſint, Ammon ſolus mortuus eſt* Ibi. v. 33. Rem probauit euĕtus: nam ità acciderat, ſicut Ionadab narrabat. Sed vndè cognouit ita accidiſſe, vt aſſeueranter loquatur? Notitiæ enim, quæ deferuntur Regi, omnium cladem, & interitum denuntiant, neque tunc temporis veritas euentus aliunde innoteſcebat. Cur igitur ſic confidenter alloquitur, ac ſi facti eſſet conſcius, & periculo mentiendi exponitur Gloſſa Franciſci Harei opportunè difficultatem attigit. Erat enim Ionadab nimis ſagax, & aulicis negotijs expertus: didicerat famam geſtorum ignobilium ſupramodum eſſe mendacem, & veritati pluſquam dimidium ſuperaddere. Vt igitur primas notitias fama poſſideri conſpexit. *Fama peruenit*. Quaſi ſecurus de eius fallacia, & mendacitate pluſquam dimidium ipſi detrahere audet, & Regi non ſicut dictum eſt, accidiſſe affirmare. Licèt enim ab Abſalone acceperit, eum occaſionem tantum fratris Ammon occidendi fuiſſe molitum; experientia didicit liberalium geſtorum famam eundo vires acquirere. *Quod hoc eodem capite perlata quadam fama ad Dauid de omnibus filijs Regis occiſis Ionadab iſte dixerit ad Dauid: Ammon ſolus mortuus eſt, non dixit ſpiritu prophetico, quod Hebræi putant: ſed ex ſagacitate*. Ionadab enim vt erat in genio acer, & experientia eruditus, famam mentiri apud ſe ſine hæſitatione tenebat, quia in publicandis ſceleribus nimis ſe dilatare antea cognouerat. Nec fuit deceptus, nam ità acciderat, ſicut ipſe narrabat: ſolus enim Ammon mortuus fuerat. Idcircò, cum alterius dedecora audiuntur, & ità eſſe affirmatur, famæ pluſquam dimidium detrahere fas erit, & eam mentiri tenere, cum talis naturæ ſit vt veritatem ſemper demutet, & ei adijciat, cum mala prodit.

2. Propoſuit Chriſtus Dominus Diſcipulis ſuis parabolam de diuite habente villicum, qui diffamatus fuit apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Vocat ſeruum vt rationem ſui muneris reddat, & vrget his verbis: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ*. Lucæ 16. verſ. 2. Non eſt dubium Deum ſub perſona diuitis latere, qui bona nobis commiſit, & rationem ipſorum eſt petiturus. Tamen id videtur Deo alienum, quod hæſitanter loquatur, dum id quod obijcit, audiuiſſe affirmat, & fama circumferri. *Quid hoc audio de te?* Et cur cum ſit certum notiſſimam ipſi eſſe infidelem villici adminiſtrationem, quaſi dubitanter de ea loquitur? Chryſoſt. dubitationem attigit, & dum Deum, perſonam hominis induiſſe videt. *Homo quidam erat diues*? More humano Deum ſe geſſiſſe credit. Dixerat enim Euangeliſta, quod villicus diffamatus fuerat apud illum: *Hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius*. Fama enim illa mala opinio poſſidebatur, quæ ita mendax dignoſcitur in probris diuulgandis, vt quamuis ſcientia infallibili Deus cognoſceret villici iniquitatem, cum eam à famæ rumoribus didicit, de illa quaſi dubitat; atque cum ex vna parte ſua infallibilis cognitio pro veritate decertaret, & ex altera fama pro mendacio, quaſi non audet credere, quod cognoſcit, quia credit famam ſemper mentiri. Sic Chriſoſtom. in Catena relatus. *Opinio quędam erronea aggrauata mortalibus auget crimina, minuit bona*. Sic fama ſemper mentitur aut per defectum, aut per exceſſum, ea tamen malignitate, quòd fœda adaugeat, & pulchra diminuat.

3. Cum audiſſet Regina Saba ſapientiam, magnitudinem, & decorem Regis Salomonis, à propria aula regia diſceſſit, & itineri ſe commiſit, vt ea videret, quæ pene incredibilia videbantur. Quod non leue facilitatis apparet argumentum, propria relinquere, vbi ſuperbo & magnifico faſtu colebatur, & aliena nimia curioſitate inuiſere, maximè cũ ad id ſole fama moueretur *Regina Saba audita ſama Salomonis venit tentare eum in ænigmatibus.* Ait tex. 3. Reg. 10. v. 1. Et quis qui de prudentia gloriaretur, famæ ita crediditſet, vt ea tantum permotus longum iter faceret: cum apud cordatos ipſius rumores pro mendecio habeantur? Leuitatis, ac facilitatis notam non effugit Regina Saba, dum à ſuo regno opulentiſſimo egreditur, vt eliena ſcrutetur: ſi enim ea, quę de Salomone fama loquebatur, vera eſſe haberet aut exploratoribus ad id miſſis, aut alia via, cui fides eſſet adhibenda, non mirum, quod à proprijs domibus extraxiſſent, cum prę magnitudine admirabilia eſſent. Verum ſola fama mille mendacijs obnoxia moueri, facilitatis fœmineę indicium eſt, quod in huius Reginæ ſapientiam poſſe incidere ſuſpicaretur nemo. At ſi rem attentè inſpiciamus, & Reginam non leuiter, ſed maturè & prudenter motam comperiemus, atque in hoc facto eius ſapientiam emicaſſe. Nouerat enim famę genium, & eius auaritiam in laudibus & excellentijs aliorum publicandis, & quod ab illis ſemper maiorem partem adimeret. Vt autem famam, quę de Salomonis gloria, ſapientia, & felicitate circumferebatur, audiuit. Sic ſecum meditatur: famam mentiri in aliorum præconijs, & illis detrahere, extra dubium eſt: qualis igitur excellentia Salomonis erit in re, cum in famæ pennis, vbi illam minui neceſsè eſt, ita ingens habetur? Vadam & contrectabo: nam ea mirifica eſſe, & maiora, quam diuulgatur, opus eſt. Nec fuit decepta: nam cum ad Salomonem deueniſſet, ſtupor

eam

Digitized by Google

eam inuaſit, dixitque de ea text. Sacer. *Videns autem Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & ordines Miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat vltra ſpiritum: dixitque ad Regem: Verus eſt ſermo: quem audiui in terra mea, vidi oculis meis, & probaui, quod media pars mihi nuntiata non fuerit, maior eſt ſapientia, & opera tua, quam rumor, quem audiui.* Ibi. verſ. 4. 5. 6. & 7. Pluſquam dimidium enim fama veritati detraxerat: & ea (qua ſolet) taciturnitate Salomonis dimidiam gloriam ſilentio prætermiſiſſet. Sic præconia ſemper mutilat, vt duplo maiora, quam alloquitur, ſuſpicari poſſis: ſic decora incrementat, vt ab illis pluſquam dimidium adimere equum ſit.

4. Ioſeph in puerili ætate Sycophantica delatione in fratres inſurrexit, ipſoſque inſimulauit *Ioſeph cum ſexdecim eſſet annorum paſcebat gregem, cum fratribus ſuis adhuc puer, & erat cum filijs Cale, & Zelphe vxorum patris ſui, accuſauitque fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo.* Gen. 37. verſ. 2. Pro vltimis verbis ex Hebræo vertit Caiet. *Retulit Ioſeph famam eorum ad patrem eorum.* Quænam fuerit illa fama, quæ de fratribus Ioſeph criminoſis circumferebatur, non conſtat apud Interpretes. Aliqui malè de patre fuiſſe locutos, eo quod Ioſeph plurimum diligeret arbitrantur: alij de nefando crimine rumorem famæ accipiunt. Sed vtcunque ſit quomodo crimen peſſimum fama nuncupatur, & reos eſſe creditur illius flagitij, quod ſola fama erat notum? Aptè Caiet. *Non crimen hic, ſed famam criminis denunciauit Ioſeph patri.* Adeo enim fama creſcit, adeo exlex eſt, vt vel inter fratres, quod fama ſola erat, crimen peſſimum reputatur, *Accuſauitque fratres de crimine peſſimo. Retulit famam eorum ad patrem.* Quod leuiter fama concepit, aſſeueranter loquitur, & mendaci genio auget crimina.

Tota fremit, voceſque refert, iteratque quod audit.

Et Titus Liuius Dec. 3. lib. 8. *Inſita cupido hominibus augendi rumores.* Loquaciſſima enim eſt, & mendaci ſuſurratione dedecora incrementat, crimina adauget, & nullum ſcelerum ſupplicium grauius eſt, quam quod fama infert: quia ipſa crimina criminibus plectit, & in pœnam commiſſi flagitij illud ſupra modum aggrauar. Huiuſmodi autem famæ nunciante rumore plectendum eſſe impium Principem Nabuchodonoſorem, dicebat Vates ad exaggerationem ſupplicij. *Repletus es ignominia pro gloria &c.* Hic verſ. 16.

DISCVRSVS XI. MORALIS.

Nulla facilior, nullaque ſenſibilior iactura honoris eſt.

1. OMnes honorem naturaliter appetunt, & própriam excellentiam cupiunt. *Nullus ſeipſum parui pendit.* Dicebat Ariſt. 2. Rethoric. *Honori totum datur*, Bernard. lib. 4. de conſider. & D. Maxim. lib. 3. *Potior eſt bonis dignitas ſine vita, quam vita ſine dignitate.* Nullus non ambit cæteris præferri, omnes anhelant in magno prætio haberi, & nihil, quod æſtimationi conducat, prætermittunt. Vt Samaritanam ad veram cognitionem Chriſtus pertraheret, poſt varios ambages, quibus illam à perditionis via reuocare procurat, aquam promittit viuam, & vitalem: cui illa: *Nunquid tu maior es patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius.* Ioan. 4. verſ. 22. Nimis ſtulta hæc mulier videtur, dum dedecus incurrit, quod vitare ſatagebat. Si Iudæis ſe elongare deſiderat, & nullum cum illis neque conſanguinitatis, neque affinitatis vinculum habere prætendit: ad quid Iacob patrem vocat? Ad quid conſanguinitatis ſuæ cum Iacobea gente gloriatur? Optimè Chryſoſt. in Catena relatus. *Vide autem qualiter ſe impulit in nobilitatem Iudaicam: Samaritani enim Abraham progenitorem ſuum dicebant, quaſi à Chaldæa exiſtentem, ſed & Iacob patrem vocabant, quaſi ipſius exiſtentem nepotem.* Nihil anxius deſideratur, concupitur auidius, quam honor: vel mulier meretricula, proſtituta, abſque re de Iacobi genere gloriatur, ipſius nobilitate ſibi blanditur, & vt honorem aucupetur, originem ab illo trahere, blaterat. Honoris ſtemmata omnes ambiunt, dedecoris vel leuem ſuſpicionem fugiunt. Vnde Dauid obnixè poſtulabat. *Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum.* Pſalm. 118. Vel conceptam in animo non bonam opinionem, & ſuſpicatam tantum à ſe relegare procurat, quia nullus tam degenerat animo, vt non ægrè ferat vel leuiculam ſuſpitionem famam ſordidantem.

2. Quo autem anxius deſideratur honor, eo vehementius eius iactura ſentitur, & à ſe quiſque maculam abſtergere conatur. Exulabat Abraham in Geraris: vt autem pericula præcaueret, vxori pulcherrimæ perſuaſit, vt ſuam ſororem eſſe diceret: eius autem venuſtate allectus Abimelec Rex Gerare eam tulit, & intactam cuſtodiuit. Acceſſit autem Deus in ſomnis, & Regi iniunxit, vt Saram Abrahamo reſtitueret. *Nunc ergo* (ait) *redde viro ſuo vxorem, quia Propheta eſt.* Gen. 20. verſ. 7. Sed ad quid vt Abimelec reddat vxorem, Abrahamum

mnm Prophetam eſſe Deus aſſirmat: Quid prophetiæ donum cum reſtitutione vxoris habet affine, quod ideo reſtituendam ſuggerit, quia Propheta eſt? Fortè ſi Propheta non eſſet Abraham, vxorem ei non teneretur reddere? Non hoc Deus intendit, ſed exprimere, quòd niſi Propheta eſſet Abraham, vxorem non reciperet: ſciebat enim prophetię lumine vxorem contumeliam non fuiſſe paſſam, id autem ſi ignoraret, etiamſi vis illata à Rege non foret, ſibi eam minimè copularet. Adeò enim honoris iactura vel à ſanctiſſimis viris ſentitur, vt vxorem accipere Abraham renueret, niſi ſpiritu prophetico intemeratam eſſe agnouiſſet. Sic Lyra ſubtiliter penſitauit. *Nunc ergo redde vxorem viro ſuo, quia Propheta eſt. Ac ſi dicat? Non formides eam reddere timens, quòd ipſe non recipiat eam, vel quòd eam odio habeat, eo quòd fuerit in domo tua. quia per ſpiritum prophetiæ ſcit eam eſſe mundam, & quòd eam non tetigiſti*. Vel leuis inhonoratæ vxoris ſuſpicio eam arceret à conſortio Abrahami, quia honor tam delicatæ eſt conditionis, vt tenui lædatur aura, & niſi euidenter Abraham inſpexiſſet illibatam fuiſſe vxorem, non eam exciperet, ne conſentire videretur in dedecus ipſi illatum: quia honor impatiens cuiuſcunque eſt iacturæ.

3. Paulus ad Romanos ſcribens c.8. verſ. 35. toto charitatis animoſo feruore armatus omnes poſſe ſuperare inimicos gloriabatur. *Quis nos ſeparvbit à charitate Chriſti? Tribulatio? An anguſtia? An fames? An nuditas? An periculum? An perſecutio? An gladius?* Optat pugnam conſerere eum tota aduerſitatum cohorte, eamque verbis laceſſit, & irritat: ſed vnum non prouocatum ſilentio præterit, ſcilicet, maledictum, opprobrium, conuitium. Vt acutè notauit Origen. lib. 1. contra Celſum. *Certè Paulus innumera perceuſens, quæ à dilectione Chriſti, & ab ea, quæ in Chriſto eſt Dei charitate ſeparare alios ſoleant, quibus omnibus ſuperior ſit ipſius charitas, verba non ponit in hoc numero*. Et cur conuitiorum non meminit, cum reliquas perſecutiones debellare non dubitat? Arbitror? Quia fame, ſiti, nuditate, cruce acerbior eſt percuſſura linguæ. Ad illa omnia Paulus animoſus exiſtit, ad opprobria exhorruit: licet enim eius virtus ſuperior eſſet contumelijs, quia tamen in hac epiſtola alumnos ſuos imbuit euangelica diſciplina ad tolerantiam ſuppliciorum, cum omnes res aduerſas numeraſſet, non eſt auſus catalogo hoſtium prouocantium adſcribere opprobrij verba, honoris iacturam. *Verba non ponit in hoc numero*. Ne fortes, qui non expaueſcunt ad virgas ferreas, crepitantes flammas, dilaniationem beſtiarum, patibuli cruciatum, ignominiæ, & maledicentiæ verbis opprimantur: ad hæc enim ſuſtinenda maior virtus, ſuperior tolerantia exigitur. Adeò inhonorata opinio vires eneruat, vrit animum. Vnde Iacobus dicebat: *Ecce quantus ignis quam magnam ſiluam incendit, & lingua ignis eſt vniuerſitas iniquitatis*. capit. 3. verſ. 5. Omnium malorum congeriem, & compendium in lingua conſtituit Apoſtolus. At quo pacto vniuerſum malum in lingua continetur? Auſculta lectionem Syriacam. *Accendit ſeriem genealogiarum*. Cum honor pluris fiat, præ omnibus ametur: hinc lingua quæ honorem maculat, & genealogias deuenuſtat, vniuerſitas iniquitatis eſt: quia omni malo æquiualet, imo & omne ſuperat, honoris iactura.

4. Sed cum adeò æſtimabilis honor ſit, & eius imminutio ſenſibilis; nihil facilius amittitur nihil difficilius recuperatur. Semel macula contracta difficillimè abſtergitur, & ſordidatam ſemper opinionem relinquit. Hinc impius Macchiauellus impiè adhortabatur. *Calumniare, ſemper aliquid reſtat*. Quod fortaſſe ex altero eiuſdem farinæ Alexandri paraſito accepit: (vt refert Eraſmus lib.8.Apotegmar.) accuſare de crimine peſſimo quendam conſulebat, adijciebatque diabolicam cauſam. *Vt maximè ſanet vulnus, qui dilatus eſt, manet tamen cicatrix*. Sic callidè hortabatur, vt in exoſum inimicum non metueret aulicus, quem docebat, quoduis crimen intendere. Vt reſurrectionis Chriſti veritatem obnubilarent Phariſęi, congregati cum ſenioribus conſilio accepto pecuniam copioſam dederunt militibus dicentes: *Dicite quia Diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus; & ſi hoc auditum fuerit à Præſide, nos ſuadebimus ei & ſecuros vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt ſicut erant edocti, & diuulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos vſque in hodiernum diem*. Matth.28.verſ.13.14 & 15. Et quid tam ſedula diligentia diuulgari procurant? Omnes Interpretes Chriſtum a Diſcipulis fuiſſe ſublatum ore militum, qui præpoſiti fuerant ad cuſtodiam ſepulchri, divulgatum exiſtimant: ſolus Maldonatus arbitratur. *Vel inter ipſos Iudæos diuulgatum fuiſſe; milites data à Sacerdotibus pecunia corruptos dixiſſe, atque divulgaſſe Diſcipulos ſe dormientibus furatos fuiſſe corpus*. Falſitas militum perſpicua fuit, nullus Iudæorum non agnouit fuiſſe mentitos, & pecunia corruptos: & nihilominus (vt ait Hugo Card.) verbis inhęrendo pręcitatis *Adhuc Iudæi dicunt Chriſtum fuiſſe ſublatum*. Aſt quo pacto cum mendacium eſſet adeo euidens, & apertum, & ipſis Iudæis ſine hęſitatione notum; adhuc hodie verè Chriſtum fuiſſe ſublatum, pertinaciter credunt, & fidem adhibent meraciſſimo mendacio? Quia vel falſum verbum contra manifeſta ipſius dicentis atteſtatam euidentiam adeo denigrat famam, & opinionem commaculat, vt contra rationem credatur, & ſemel ſordidata opinio nunquam lauetur. Honor ſemel periclitatus velut nodus ſericus eſt, qui facillimè efficitur, & difficillimè ſoluitur. Proindeq; principijs obſtandum

Digitized by Google

dum eſt : nam ſi ſemel infamia ſerpat, flagrat incendium, & neque integro Oceano extinguitur. Hinc Matthęus ſedula diligentia genealogiam Chriſti deſcripſit ab Abraham vſque ad Ioſephum. *Liber generationis IESV Chriſti filij Dauid, filij Abraham &c.* cap.1. v.1. Superflua alicui hæc Matth. cura videtur, quia notiſſima erat Hebręis Chriſti genealogia. Et nihilominus quia aliquando ab inſano quodam Samaritanus fuit dictus, idcirco Euangeliſta huiuſmodi homunculi notam obliterare ſtuduit : quia vel inſani in honoratum verbum notiſſimam Chriſti nobilitatem, & regalem proſapiam deuenuſtare ſufficiebat. Quod optimè notauit Abulenſ.q.5. in Matth. *Cum Chriſtus eſſet Iudæus conſtabat eum deſcendere ad Abraham, niſi dicerent eſſe è Gentilibus Samaritanis, ſicut ſemel dixerunt, ſcilicet : Samaritanus es tu, & dæmonium habes*, Delicatiſſima opinio eſt, & ſemel iactata contra ipſum infamiæ nota difficilè abſtergitur. Neceſsè fuit & pro euidentiſſima Chriſti nobilitate Euangeliſtæ calamum ſedulo incumbere, vt conuitium nulla authoritate fulcitum deleretur. Hac infamiæ ſerpente malitia deuenuſtandum fore Nabuchodonoſorem minatur Vates in ſuorum ſcelerum vindictam. *Repletus es ignominia pro gloria &c.* Hic verſ.16.

DISCVRSVS XII. MORALIS.

Religioſorum noxæ ad exteros non deferendæ : ne euangelica ratio in contemptum imperitorum & improborum deueniat.

1. ETſi Religioſi Deo ſacri vitam agere teneantur adeò inculpabilem, vt nec leuem ſuſpicionem admittant, adeò ſolertem, vt mendacium quodlibet, quamlibet calumniam præcaueat, veriti fidei ſæcularium facilitatem, quæ plus credit, quam fingi poteſt, proindèque quidquid poteſt fingi tanquam credibile eſt declinandum (vt dicebat Athanaſius) *Omne quod fingi poteſt, tanquam poſſe credi caueamus : nec tantum nobis fides facti, ſed poſſibilitas mendacij releganda eſt* : Si tamen aliquando per infirmitatem humanam in peccata labantur, ea intra clauſtra recondi expediens erit : ne exteri, qui libenter audiunt, & temerè detrahunt Religioſis viris, eos contemnant, & diſciplina euangelica euigoretur pernitioſo exemplo ſerpente. Sic Ioſeph fratres ſuos allocuturus. *Præcepit, vt egrederentur cuncti foras, & nullus intereſſet alienus agnitioni mutuæ*. Gen.45.verſ.1.Cur fratres in receſſu alloquitur, & aſtantes abire præcepit, ſi alienigenarum fratrem ſe poſtea erat oſtenſurus? Ad quid ſolitudinem procurat, & à nemine audiri, cum primò fratribus ſe manifeſtat? Opportunè Rupertus lib.9.in Gen.c.11. *Non alicuis iam communicanda erat domeſtica notitia ſceleris, neque ſub eorum præſentia pius frater edicere voluit rem tantæ conſolationis, quam ferre non potuerunt fratres remotis etiam cunctis arbitris*. Propterea alienos egredi, præcepit, & ab eius præſentia exulare; ne quis eorum venditionem fratribus obijciendam, & crimen contra ipſum perpetratum auſcultaret. Nec omittenda Ioſeph in fratribus alloquendis ſolertiſſima prudentia : nam quando fratres recognouit, vocem extulit etiam ab ijs, qui foris aderant, audiendum. *Eleuauit vocem, quam audierunt Ægyptij, omniſque domus Pharaonis : & dixit fratribus ſuis : ego ſum Ioſeph. Adhuc pater meus viuit?* Vbi Lyra v.4. interpretatur. *Volebat Ioſeph, vt audirent illud, quod tunc dixit*. At vero cum ipſorum crimen declarauit & prodirores eſſe dixit, propius ad ſe accedere iuſſit, & ſubmiſſa voce inſuſurrauit ad aures. *Accedite ad me : & cum acceſſiſſent propè : ego ſum (ait) Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis*. Ibi rurſus Lyra *Iſtud volebat eis dicere ſummiſſè : & ideo fecit eos propè venire : ne Ægyptij audirent proditionem, quam fecerant*. Quæ ad eorum laudem pertinebant, eleuata voce dixit, vt ab omnibus audirentur : quæ ad ipſorum viruperationem ſpectabant, voce admodum ſummiſſa indicauit, vt ab ipſis tantum fratribus caperetur. Quod fratribus, & Religioſis, ac quibuſuis eiuſdem profeſſionis perſonis documentum eſſe debet, quatenus extranei eorum fraternitatem agnoſcant. Hoc (inquam) eleuata voce debet prædicari : at eorum rixæ, diſcordię, & peccata ſilentio obtegenda ſunt, ne à ſæcularibus deſpiciantur, & Euangelicus honor abeat in contemptum, quæ indecora ſunt, alto ſunt ſepelienda ſilentio, & nullus, vel leuis rumuſculus ad aures exterorum deferri debet.

2. Vino inebriatus, & temulentus indecorè ſe denudauit Noe. *Quod cum vidiſſet Cham pater Chanaam, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nuntiauit duobus fratribus ſuis foras*. Gen.9. verſ.21. Euigilans autem Noe, & ab ebrietate experrectus, cum irriſionem, & ludibrium agnouiſſet ait. *Maledictus Chanam ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis*. Ibi ſummopere aggrauant Sancti Patres peccatum Chami, vel Chanaam : vtrumque enim probabile eſt, vel quod id fecerir filius Cham, & illum in filio maledixerit; vel quod nepos Chanaam, qui more ſcripturæ filius nuncupatur. Criminis malitia, quam ex ſuo obiecto fuit aucupatum, grauis admodum eſt. Sed quæ ex circumſtantijs illi accreſcit, quæ & quantà eſt, quod tam acriter Patres in irriſores inuehantur? Vnde illa culpa tantopere ingraueſcit? Audiendus Procopius adductus à Gloſ. *Ex his cir-*

circumſtantijs peccatum Chami amplificatur: deſpectui habet parentem, effudit, quam turpiter iacuerit pater: nec vni ex fratribus nuntiauit, ſed vtriſque: ſi plures præſto fuiſſent, facinus detexiſſet omnibus, nec ijs, qui domeſtici erant id annunciat, ſed externis. Præmenda ſunt hæc vltima verba: *Nec his, qui domeſtici erant, id annuntiat, ſed externis.* Quaſi præcipua circumſtantia, quæ Chami peccatum aggrauauit, nuditatem patris exteris notam facere, fuerit: grauiſſimum namque flagitium eſt, parentum fratrum, & internorum ſcelera, & defectus externis reuelare. Vel immaniſſimum peccatum, quale erat patris illuſio, ab hac circumſtantia ingraueſcit, quia cuiuſcunque ſceleris malitiam ſuberat, palam prodere, & in vulgus diſſeminare, quæ parentum, & fratrum honorem deuenuſtant, cum ea addere debeant, ne bonum nomen, & ſtatus deſpiciatur, qui cuiuſcumque indiuidui noxa commaculatur. Nam ea eſt Religioſi criminis miſera conditio, quod originalis culpæ naturam induit, & vno peccante omnibus imputatur delictum: & idcirco quaſi vniuſcuiuſque ſit, vnicuique illud celare incumbit, ſiquidem vnicuique imputatur, & intra clauſtra recondere, ne ſi ſcintilula ad exteros tranſeat, nunquam infamiæ extinguatur incendium.

3. De doctrina, qua Chriſtus Dominus Diſcipulos ſuos imbuit, plurimum gloriabatur in illa complacens, dum alloqueretur Patrem. *Et ego claritatem, quam tu dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.* Ioan. 17. verſ.22. Non leue dubium eſt, apud interpretes, de qua claritate hic Chriſtus loquatur à Patre accepta, & ſuis fidelibus communicata. Cyrill.lib.11. in Ioan. c.27. autumat de concordia, & vnione loqui, qua vnanimes, & pacifici inter ſe, vno ſpiritu, vna fide, & vna charitate erant Apoſtoli, ſimilitudo namque hæc eſt, non æqualitas: nam filius, & Pater vnum ſunt, quia vnam habent ſubſtantiam numero, eandemque voluntatem. *Hanc claritatem & gloriam Pater quam mihi dediſti (quæ eſt, vt tecum vnum ſim) dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.* Fideles enim & Diſcipuli non illam poterant habere vnitatem, quæ inter Patrem, & filium intercedit, ſed ſimilem: vt idem vellent & idem nollent, quaſi vno, & eodem ſpiritu moti. Si ergo vnionem ſimilitudinis tantum poſtulabat filius, & de ipſa loquebatur: cur ad vnionem illam naturalem & ineffabilem recurrit, quæ inter Perſonas diuinas ratione naturę tantummodo reperitur? Arbitror: quia Chriſtus Dominus illam ſimilitudinem in Diſcipulis ſuis exigebat, quæ ad Diuinas Perſonas poſſet omnimodè referri. Inter Perſonas diuinas (etſi eiuſdem, ſint naturæ) oppoſitio relatiua reperitur, hæc tamen oppoſitio, quæ inter ipſas verſatur, tantum eſt ad intra: nam ad extra taliter earum vnitas apparet, vt Dei actio indiuiſibilis ſit iuxta communem Theologorum ſenſum. *Actiones ad extra ſunt indiuiſibiles.* Sanctiſſima illa Perſonarum Trinitas ſic operatur ad extra, vt quamuis quid efficit, à Trinitate procedat: tamen (vt aſſerit Theologorum Schola cum ſuo Anteſignano D.Thoma) non operatur Deus vt Trinus, ſed vt vnus: vnde ab operatione ſolum in cognitionem vnitatis poſſum deuenire, in Perſonarum numerum, & oppoſitionem minimè. Hoc ergo & poſtulat, & exoptat Chriſtus Dominus, vt pacem, concordiam, & charitatem inter ſe ipſos ſui habeant Diſcipuli, & taliter ad extra operentur, vt ſi fortè aliquis irrepſerit defectus, aliqua contentio, & oppoſitio, ad intra ſit, & ad intra remaneat: neque aliud exteris appareat niſi vnitas, & concordia. Quot vtinam in clauſtris ſemper vigeret & rixæ atque oppoſitiones (ſi aliquæ eſſent) ad intra tantum ſerperent, intra Religionis clauſtra deliteſcerent: ad extra verò nonniſi vnitas, & concordia exirent. Religioſorum infirmitates non ſunt medica arte curandæ, quæ humorem à centro ad circumferentiam ab interiori ad exterius auocare procurat. Sed inuerſis regulis ab exteriori ad interius humorem peccantem reuocando.

4. Semel Chriſtus Dominus aſcendens in nauiculam tantum Diſcipulos ſuos aſcendere permiſit. *Et aſcendente eo in nauiculam ſecuti ſunt eum Diſcipuli eius.* Matth.8. v.23. Vix ergo ventis panduntur vela, & ecce tempeſtas magna exorta eſt vrget procella imminet periculum, ita vt Apoſtoli timore correpti ad Magiſtri pedes currerent dicentes: *Domine ſalua nos perimus.* Quod ægrè ferens Dominus illos acriter increpat, & reprehendit. *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Ib. verſ.15. Dubitat Abulenſ. cur Chriſtus Dominus alios prohibuerit aſcendere in nauiculam præter Diſcipulos, ſiquidem alios commodè portare poſſet, & non ipſum latebat futura tempeſtas, cui aliorum auxilio commodius reſiſtere poſſent, & ijs, quæ ad liberationem intererant, adiuuari. Satiſque congruenter quæſtionem ſoluit. *Quia Chriſtus nouerat, quod Diſcipuli ſui in hoc periculo futuri erant infirmi, & ipſe propter hoc eos increpaturus erat, vocans eos, modicæ fidei, noluit, quod turba viderent defectus Diſcipulorum ſuorum:* Vt hoc documento ipſi ad inuicem defectus reconderent, ne infamia, aut mala opinione apud exteros laborarent. Huc reſpicit, quod cum Chriſtus Dominus veniſſet Capharnaum cum ipſis diſcipulis, iamque in domo eſſent interrogauit eos, de quo agerent in via, qui etſi præ verecundia tacuiſſent, Marcus tamen eorum diſputationem detexit. Qui cum domi eſſent interrogauit eos: *Quid in via tractabatis? At illi tacebant, ſiquidem in via inter ſe diſputauerant, quis eorum maior eſſet.* Marc.9.verſ.34. Et cur non in via reprehendit eorum contentionem, ſed

in

in penetrali domo, vbi nemo increpationem audiret, niſi vt eorum honori conſuleret? Non enim decebat publicè eorum iurgia reprehendere, ne in adſtantium deſpectionem venirent: ſicut neque ipſis licebat in publica via de principatu contendere. Videant, & erubeſcant Religioſi, qui in via publicè, & in tribunalibus dignitate contendunt, & ad id fratrum, & Religionis honorem denigrant, & commaculant, quoſcumque defectus detegentes, & texentes lites, vnde Religionis decor in contemptum ſęcularium deueniat.

5. Mortuo Lazaro venit Chriſtus Dominus à Iordane in Bethaniam, vt eum à morte ſuſcitaret: accedit obuia Martha, & conqueritur dicens: *Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus*. Ioann. 11. verſ. 21. Pungit Dominum ſororis incredulitas illamque ſtatim corripit. *Ego ſum reſurrectio, & vita: qui credit in me etiam ſi mortuus fuerit, viuet*. Ib. verſ. 25. Accedit mox Maria, & eadem fidei infirmitate correpta dixit: *Domine ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus*. Ibi. verſ. 32. Et tamen eius incredulitatem non arguit, ſed miſeratione commotus ait: *Vbi poſuiſtis eum?* Ib. v. 34. Et ad miraculum reſurrectionis accingitur. Quærit Chryſoſtom. (ad hunc locum) cur Chriſtus Dominus Mariam non reprehenderit, ſicut Martham quandoquidem ſicut Martha hæſitauit in fide. Cur ergo conſors culpæ reprehenſionis eſt expers? Niſi ætas hic, non fides ſit rea & Martha, quia maior, veniam non mereatur, Maria autem, quia ab illa fortè erat, edocta, indulgentiam conſequatur. Non ita (ait pulchrè Chryſoſt.) ſed ideo Mariam irreprehenſam reliquit: quia plurimi erant ſpectatores, & eius opinioni prouidebat. *Mariæ* (inquit) *Chriſtus non loquitur, ſicut ad ſororem: nec erat tempus verborum, aderat enim turba*. Quando Martham Chriſtus reprehendit, ſola aderat, nec eius defectus poterant alicui innoteſcere: at cum Maria ad Chriſtum acceſſit, plures illam comitabantur. *Iudæi ergo* (inquit text.) *Qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam, cum vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit, & exijt, ſecuti ſunt eam*. Non ergo illam arguit, nec eius incredulitatem increpat: ne à turba audirentur reprehenſionis verba, & opinionem Mariæ deuenuſtaret. Defectus enim Religioſorum (quorum typum gerebat Maria) non ſunt ſęcularibus diuulgandi, ne paruipendant Religioſum, inſtitutum, & communem vitam Religioſa anteponant; ſed in ſecretiori pectoris recondendi.

6. Horrenda ſanè fuit inter Ægyptiacas illa tenebrarum plaga, quā ſic refert Hiſtoricus Sacer Exod. c. 10. v. 22. & 23. *Extenditque Moyſes manum in cœlum, & factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco, in quo erat. Vbicunque autem habitabant filij Iſrael lux erat*. Audienda eſt ſuper hac re Hebræorum quædam mirabilis traditio, quam his verbis exarauit Lyra. *Dicunt autem Hebræi, quod prædictæ tenebræ trium dierum non ſolum fuerunt ad percutiendos Ægyptios, ſed etiam propter filios Iſrael, inter quos erant aliqui mali, & increduli, nec volebant de Ægypto decedere: & illi mortui ſunt in illis tribus diebus, & ſepulti: ita quod Ægyptij non viderunt*. Vide, & demirare Dei prouidentiam: ne paucorum Hebræorum defectus patefierent, totus orbis inuertitur.

DISCVRSVS XIII. MORALIS.

Nunquam mendacium impunitum: ne Deus, quem deſtruere tentat, in illud conſentire videatur.

1. IGnobiliſſimum vitium mendacium eſt; etiam apud Gentiles ſeruile, & indecorum reputabatur, nec ingenuus aliquis vel leuem ipſius notam admittebat. *Mentiri* (dicebat Plutarch. de liberis educandis) *Seruile eſt, dignum apud omnes homines odio, ac nec mediocribus quidem ſeruis ignoſcendum*. Vel mancipijs non ſunt indulgenda mendacia, ne qui illa condonat, aliquo modo in ea conſentire credatur. Et Mamertinus in laudem Iuliani, & in gratiarum actione dicebat: *Mira eſt in Principe noſtro mentis, linguæque concordia: non modo humilis, & parui animi, ſed ſeruile vitium ſcit eſſe mendacium*. Quod ſi homines ingenui tantopere affinitatem mendacij fugiunt, & ipſius vel ſuſpicionem abhorrent: quid non ipſi aduerſabitur Deus, qui meraciſſima, & ſimplex veritas eſt, & iniuriam reputat ipſi ſpecialiter irrogatam, atque molientem ipſius deſtructionem, mendacium quodlibet, & cuiuslibet, propinquitate ipſius teſtimonia falſificari reputat? Inde Tertullian. lib. de anim. cap. 2. Philoſophos carpit, qui fictionibus, & fabuloſis transformationibus veritates Prophetarum confirmare ſatagunt: quaſi Spiritus Sancti infallibilis locutio vitietur huiuſmodi artificijs. *Philoſophi vera quæque, & conſonantia Prophetis, aut aliunde commendant, aut aliorſum ſubornant cum maxima iniuria veritatis, quam efficiunt aut adiuuari falſis, aut patrocinari*. Detrectat Deus præſtigias Philoſophiæ, quia adulteria ſunt veritatis, ne in mendacia, quæ modulatè fingunt, conſentire videatur; & non aperto Marte, ea oppugnare, quæ cum ipſo aperto Marte pugnant: nam hoc inter cætera vitia ad deſtructionem Dei directè tendit. Vnde

D.Ba-

D.Baſilius (in procemio lib. de Spiritu-Sancto) extremam deformitatem in mendacio reperit. *Rerum omnium potentiſſima eſt veritas, & extrema malitiæ linea mendacium.*

2. Poſtquam Cain fratrem interfecit, cadauer abditum reliquit, putans poſſe Deum latere homicidium. Accedit Deus, & eum interrogat: *Vbi eſt Abel frater tuus?* Geneſ. 4.verſ. 9. Cui ille: *neſcio*. Non ſolum grauiſſimum crimen commiſerat Cain, ſed illud ſupra modum aggrauat mendacium proferens: nec ſanguine fratris effuſo eius ſedatur inuidia, ſed homicidium altero cumulat. At quod nam illud aliud homicidium eſt, nam vnicum commiſiſſe legimus? Crediderim non ſolum aliud homicidium perpetraſſe, ſed & patraſſe Deicidium, nam mendacio, quod incurrit, dum ſe ignorare vbi ſit Abel, fatetur, & ſe ipſum occidit, & Deum optatiuè: nam mendacium ad deſtructionem Dei directè tendit, & in pœnam extremæ nequitiæ in mortem mentientis relabitur. Sic Laurentius Iuſtinian.c.4.de vita ſolitaria. *Quantum in mendacibus eſt, immortalem, & æternam veritatem, quæ Deus eſt, deſtruere, moliuntur; hoc vero dum agunt, illam in nullo lædunt, illi nequaquam detrimentum inferunt; ſed perimunt ſe quemadmodum in ſapientiæ volumine continetur: ſic enim habet: Os autem, quod mentitur, occidit animam.* Gladium, quo Cain fratrem interfecit, poſtea mentiens, & ipſum ignorare affirmans, & in Deum vibrauit, quem tentauit deſtruere, & in ſe ipſum. Se occidit falſitatis telo, & in tanta diſtantia aberat inter Deum, & mendacium, qua maior eſſe non poteſt, ſagitta, quam in Deum iecit? In ipſum lethaliter reſiliuit è manu Dei iacta, vt eum perdat, qui ipſum perdere moliebatur; ne diſſimulatione mendacij iudicaretur aliquo modo in illud conſentire. Vnde Dauid ipſum armatum, & in mendaces acriter inſurgentem introducit. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Pſalm. 5. verſ. 7. Non alijs committit mendacij punitionem: quia ipſum ita irritat, & prouocat ad vindictam, ita offendit, vt niſi vltionem per ſe ipſum ſumat, ſuo honori detrahi reputet. Sic enim exoſum habet mendacium, deteſtatam deceptionem, vt nunquam aliquid ipſius impunitum relinquat.

3. Abſalon poſtquam rebellauit in patrem, & ipſum à throno deponere tentauit, conciliato ſibi populi fauore, nuntios miſit ad vniuerſas tribus, vt ipſum audito ſigno Regem acclamarent. *Poſt quadraginta autem annos miſit Abſalon exploratores in vniuerſas tribus Iſrael dicens: ſtatim vt audieritis clangorem buccinæ dicite: Regnauit Abſalon in Hebron.* 2. Reg. 15.] verſ. 10. Non leuis difficultas eſt inter Interpretes, à quo anno hic annorum numerus computandus ſit, & quod myſterium lateat in illo quadraginta annorum numero, quæque correſpondentia in primo quadraginta annorum cum illo, in quo rebellauit Abſalon, & patrem Dauid tot vexauit calamitatibus vt textus exprimat quadraginta annis elapſis rebellionem accidiſſe. D. Hieron. lib. q.hebraic. hanc mouet, & oportunè ſoluit. *Quadrageſimus* (inquit) *agebatur annus ex eo tempore, quo Saul Nobe Ciuitatem cum Sacerdotibus octoginta quinque propter Dauid interemit: & idcircò hic idem quadrageſimus annus ponitur, vt monſtretur Diuinam vltionem ſuſcitari ſuper Dauid; eo quod Abimelec Sacerdotem ſefellerit, & propter eum tot Sacerdotum cædes facta fuerit.* Vel remotum motiuum, poſt tot annos elapſos, quod Dauid dedit ad Sacerdotum cædem Abimelec fallens, puniuit Deus rebellione regni: adeò dolum, & deceptionem, & mendacium odio habet, vt nullo tempore à memoria excidat, nullaque ratione non publicè plectat: ne infallibilis eius veritas conqueratur; aut gignatur ſuſpicio, quòd diſſimulando conſentit: Fortè Dauid aut non peccauit, aut pœnitentiam egerat ſuper illam deceptionem, & nihilominus poſt prolixum temporis curriculum mendacij ſupplicium ſenſit, quia nullum impunitum remanet, criminosè illud inſimulante Diuina veracitate, Quia nullum hominum flagitium ſic Deum lædit, & exarcebat, ac mendoſa deceptio:

4. Regius Vates doloſos homines deteſtans ſic aduerſus eos imprecatur: *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes.* Pſalm. 54. verſ. 16. Batab. ex Hebræo vertit: *Exactricem conſtituat Deus mortem aduerſus illos, vel exigat debitum mors ab eis:* Nullo præcedente morbo, ſubita morte pereant huiuſmodi infideles; ac ficti homines, extremo afficiantur ſupplicio. Iuxta Genebrard. ſententiam alludit Propheta ad exitium Core, Dathan. & Abiron: quos (vt habetur Num.16.) propter ipſorum aduerſus Moyſem, & Aaronem conſpirationem terra viuos abſorbuit. De magno igitur ſupplicio huiuſmodi hominibus meritò infligendo loquitur Vates. Sed quòd illud erit crimen adeò immanè, vt tot pœnarum acerbitate ſit plectendum? Præmiſerat Propheta. Ibi. v.13. & 14. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique &c. Tu verò homo vnanimis, Dux meus, & notus meus.* Quæ verba dixerat Chriſti perſonam agens (vt communis tenet Patrum aſſenſus (Judam proditorem, & doloſo oſculo Iudæis Chriſtum tradentem increpans. Quaſi nihil immanius, intolerabilius nihil Chriſtum lædere potuerit, quam ſimulata pace, doloſo oſculo, & mendoſis verbis illum tradere. Hoc (inquam) vnum Iudæ flagitium tam intolerandum fuit, vt propter illud omnium pœnarum ſupplicio dignè fuerit afficiendus. *In proditore* inquit Ambroſius 3. offic. cap. vltim. *Dominus hoc grauiſſimum inuenit, quo eius condemnaret perfidam, quod gratiæ vicem*

non

non repreſentauerit, & conuiuijs amicitiæ venenum malitiæ miſcuerit. Exacranda nimis, nimis exoſa Deo eſt ſubdola deceptio, mendoſa amicitia, quæ alind in corde, aliud geſtat in ore, & verbis mendacibus contra mentem it; proindèque ſupplicia agglomerat, vt mendacium puniat: quaſi toto eorum cumulo nec ſibi, nec iuſtitiæ ſatisfaciat veritus ne conſentire mendacium videatur.

5. 2. Reg. 23. verſ. 8. Catalogus habetur fortiorum militum Dauid, quorum nomina in eorum laudem exarantur. *Hæc nomina fortium Dauid* &c. Tamen expenſione digniſſimum eſt, quod Ioab Dux fortiſſimus, & de quo glorioſa geſta in re militari narrantur, in huiuſmodi fortium catalogo non ſcribatur (vt legenti patebit) Fortè aulicorum aſtu, qui nomina ſcripſerunt, ſtrenuus Dux excluditur, & defraudatur laude tot inclytis trophæis promerita? Cur apud Regem æquiſſimum (qualis erat Dauid) ſaltem memoria non remunerantur præclara Ioab merita? Egregiè Rupertus ad lib. 2. Reg. quæſtionem excitat, & ſoluit. *Quare autem Ioab neque inter tres, nec ſaltem inter triginta fortes numeratus eſt? Videlicèt, quia non hic tantùm vires corporis, ſed potius virtutes animi ſpectantur in fortibus Dauid: porrò Ioab interfecerat duos viros iuſtos, melioreſque ſe, Abner filium Ner Principem militiæ Iſrael, & Amaſa Principem exercitus Iuda, & effuderat ſanguinem belli in pace: ideſt, in dolo, vel pacis ſimulatione rectè ergò in numero fortium Dauid conſcriptus non eſt.* Dolus enim, & mendacium, quibus Ioab optimos Principes Amaſa, & Abner deceperat, nec Duce, nec homine digna erant; & propterea, vt ea damnaret, & puniret, non eius meminit ſcriptura, vtpotè hominis Deo infenſiſſimi, odibilis, & morte digni, vt proſequitur Rupert. *Attamen vtrumque ſcelus vna ipſius morte expiatum eſt.* Nec minori ſupplicio plectendum erat mendacium Deo omni ex parte contrarium, & quod ipſius naturæ omnimodè aduerſatur. Nec mitiori pœna promeritam luit Nabuchodonoſor: nam vltimum exitium, ruinam, & deſtructionem fuit expertus, eo quod non aliter, ac Ioab, Principes ſibi amicitia coniunctos fefellit, mendacio, & dolo ad impium fœdus inuitauit, vt poſtea eorum bona diriperet, & ad ignobilem ſeruitutem redigeret. *Væ, qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius.* Hic verſ. 15.

DISCURSUS XIV. MORALIS.

Plerumque Deus beneficia contrahit, vt noſtræ vtilitati conſulat.

1. AMor non ſemper probatur muneribus, nec beneficiorum copia iudicatur. Aliò liberalitas tendit, aliò voluntas: illa beneficia confert, non diſcernendo an proficua, an nociua ſint, iſta non quod appetit largiri, ſed quod vtile eſt, porrigit; proindèque plus diligit, qui beneficia denegat nocitura, quam qui illa indiſcriminatim exhibet; illa enim negatio non defectus, ſed ſuperabundantia amoris eſt, quia commodum accipientis reſpicit, non largientis animum. *Sunt quædam* (aiebat Seneca lib. 2. de benef. ap. 14.) *Nocitura impetrantibus, quæ non dare, ſed negare, beneficium eſt, æſtimauimus itaque vtilitatem petentium. Sæpè enim noxia concupimus.* Honeſtus amor, non tam reſpicit delectabile, quàm vtile: & minus dare, quando beneficium in damnum vergit, plus amare eſt, ipſaque beneficij negotio reputatur beneficium. Non tò maiora ſunt beneficia, quo tumultuoſius dantur, ſed quo vtiliùs, & opportuniùs: conuertit enim beneficium in iniuriam, cum illud confert, quando nociturum agnoſcit: amorem in odium vertit, nam damno recipientis delectatur, cum id largitur, quod noxium reputat; proindèque ſignum amoris eſt ea denegare, aut contrahere beneficia, quæ damnum inferre creduntur.

2. Innumera, & penè incredibilia Hebræo populo in deſerto peregrinanti Deus contulit beneficia: magna, & quæ ipſa natura ſtupuit, mirabilia patrauit, vt à captiuitate Ægypti eum liberaret: cœleſti pabulo ipſum nutriuit, ſed tam parcè exhibitum, vt non Dei, ſed hominis auari videretur donum: ſic enim illo populum vti præcepit: *Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficiat ad veſcendum.* Exod. 16. verſ. 16. Pro quacunque die tantùm ſufficientem mannæ portionem populus colligebat, quæ ſi fortè ad craſtinum ſeruaretur, ſcatebat vermibus, & putrefacta apparebat, atque nullius ſuſtentationi apta. Quis non miretur auaram Dei liberalitatem, & prodigam auaritiam: Panem largitur tot voluptatibus refertum, quot Hebræorum erant appetitus, nam ad cuiuſque palatum inſeruiebat, & quem cuiuſque cupiebat guſtum, & ſaporem, illum inueniebat: hoc autem ſic ſtupendum, & mirabile beneficium ad anguſtiam vnius diei erat contractum, & quod redundabat in ſaporibus, deficiebat in tempore. Cur non ad annum, menſem, aut hebdomadam protrahitur mannæ delitioſa voluptas, ſed vno die abſumitur, & ad breuiſſimum tempus conditur? Hic vnus ſapor, qui deficiebat, reliquos inſipidos red-

dere

Digitized by Google

dere erat ſufficiens; nam metu ipſius defectionis, & conuerſionis in ſordidam vermium progeniem, guſtus exacerbaretur, & vnius commoditatis ptinatio reliquas nullius momenti redderet. Præterquamquod dedecebat beneficum largitorem illam denegare voluptatem, quam permanens affert beneficium. Vt quid igitur illius æſtimationem à tempore decreſcere decreuit iniurioſus in ſuam liberalitatem, cuius intereat beneficium non minutim conferre, ſed largè, & ſupetabundanter? Egregiè Oleaſter. comment. huius loci id ita acciđiſſe tenet, *quia vult Dominus, nos ſemper ab eius prouidentia pendere: quoniam nouit, nos non adituros eum, niſi indigeamus*. Non tam, quæ ipſius beneficentiam decebant, reſpexit Deus, cum manna fuit largitus, quam quæ populo erant proficua. Nam ſi cibum reciperet ad longum tempus, benefactotis oblitus, cuius ope pro illo tempore non indigebat, neque grates rependeret, neque pro repetendo pabulo oraret; proindèque Dei largitas. & profuſum beneficium in damnum verteretur recipientis. Illius ergò commodo conſulens ad breue tempus beneficium contrahit, ne quod erat nociturum porrigeret, & liberalitate incumbens ab amore deflecteret, qui non quæ maiora, ſed quæ vtiliora ſunt, beneficia præſtat. Subtrahit Deus manum, ne à memoria recipientis beneficium excidat: & conuenientius ducit, notam auaritiæ incurrere, quam amoris defectum. Multoties enim collati beneficij magnitudo memoriam obliterat benefactoris, & illud non contuliſſe eſſet vtilius.

3. Toto Deitatis ſtudio, conſilio, attentione,& ſapientia primus homo creatur: quem ſic conditum in amæniſſimo delitiarum paradiſo Deus collocauit. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* &c. Geneſ. 1. verſ. 26. At quas pro tantis beneficijs gratias Adamus reddidit? Nullas etenim. Audi Rupert. lib. 2. in Gen. cap, 39. *Diuinæ beneficientiæ dilatus muneribus tacet, & nihil quod laudem Dei reſonet, eloquitur, nec vllum dilectionis, vel gratiæ verbum in ore eius fuiſſe,ſcriptura teſtatur*. Auget beneficia Deus: ſimile adiutorium fecit ei, vt creſcere, ac dilatari poſſet,& de ſe vno propagata ſelici progenie terram viuentium replere. Quid tunc Adam Egit ne gratias Deo? Minimè. *Adhuc tacet*. Nec tacet ſolum, ſed de grauitate doni, quaſi de iniuria illata queritur, de onere quod in ſe habet, dolet beneficium Deo non recognoſcit, ſed paruo oſſi, quod ad Euæ fabricam fuit ablatum. Hoc (inquam) ſignificant illa verba. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*. Ibid. verſ. 23. cap. 2. Et cur ad tam ſplendidum beneficium, quod per ſe ſolum, vel cum relatione ad præcedentia dubio abſque magnum erat, non ſolùm tacet Adamus in ordine ad gratitudinem,ſed de illo queritur, quaſi oneratum ſe agnoſceret, & non beneficentia creatotis deuinctum, ſed cura mulieris grauatum? *Quamobrem* (aiebat) *relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ*. Gen.2.v.24. Quod ſanè ingratiſſimum eſt. Arbitror, magnitudinem beneficij ingratitudinem Adami, & inſolentem querimoniam fuiſſe negotiatam. Hominis ingenti dilectione fertur Deus in exordio ad illum cumulandum muneribus, donis, & perfectionibus: & hoc ipſum, quod illum ad gtatitudinem debebat habere propenſum, ad ingratitudinem induxit: & quaſi iam benefactore non indigeret, & ab illo pateretur offenſionem, gratiarum vice querimoniam rependit. Nam ingratiſſima hominis natura in tantum beneficij memoriam conſeruat, in quantum largitore ad vlterius opus habet; proindèque ipſius commodo conſulere eſt,non omnia donare, vt partem acceptam alterius ſpè æſtimet, & vnius priuatione alterius memoria excitetur. Hinc cum ipſum hominem, cuius naturam Deus optimè nouerat, in paradiſo conſtituiſſet voluptatis fructum cuiuſdam arboris prohibuit, & præcepto adſtrinxit, ne de eo comederet. Putabit aliquis, Deum illiberali genio fructum inhibuiſſe: nam tot felicitatibus Adamo conceſſis, vnam vetuiſſe generoſum animum deuenuſtat, Qui innumeras, & delitioſas arbores conceſſit, vt quid vnam prohibet? Fortè Adamo inuidet, aut eum remiſsè diligit? Nam paruum donum (quale vetita erat arbor) negare, odij, vel ad minus remiſſi amoris eſt argumentum. Præclarè Baſil. de Seleuc. hom. 3 ideò hoc minutiſſimum donum homini fuiſſe prohibitum tenet: *Ne voluptas vndequaque circumfuſa beneficij memoriam ſpoliet*. Genium primi parentis agnouerat Deus, & erat expertus in beneficijs vſq; tunc collatis: ſciebat optimè omnimoda beneficiorum copia memoriam obliterari beneſici largitoris, atque tunc ſolum pro primo beneficio grates rependi, cum ſpes alterius recipiendi remanet: nam ſemel extincto deſiderio tota gratitudo extinguitur, Igitur remanet Adamo aliquid deſiderandum, vt cupiditate non poſſeſſi pro accepto gratias ſoluat,& vnius defectus recordationem reliquorum foueat, neque auarè, neque illiberaliter arborem Deus Adamo prohibuit, ſed maxima dilectione ipſius vtilitati conſulens: nam beneficia contrahere ſæpè non inſenſi, ſed diligentis animi eſt.

4. Accedente Chriſto Domino in Bethſaidam, adducunt ei cæcum quemdam hominem, vt illi oculos reſtitueret. Apprehenſa autem cæci manu eduxit illum extra vicum, & expuens liniuit oculos eius, manibuſque impoſitis interrogabat eum, an aliquid videret: ille autem aſpiciens dicebat: *Videò homines velut arbores ambulantes*. Marc. cap.8. verſ. 24. Iterumque ponit manus ſuper oculos eius,

per-

Digitized by Google

perfecit lumina, cæpitque videre, omnemque illi viſum reſtituit, itaut clarè, & perſpicuè intueretur omnia. Non minus mirabilis eſt viſus reſtitutio, quam illius forma. Cur non à principio cæcum omnimodè curauit priuationem abſtulit, palpebras abſterſit; ſed cunctanter, & ſpatiosè ſalutem tribuit? Cur beneficium per partes contulit quaſi dolens de illius largitione, quod exigui animi eſt? Amor, & liberalitas plus eluſceſcerent, ſi ſubito integrum viſum reciperet ægrotus. Vt quid igitur imperfectè à principio videre voluit, itaut non valeret homines ab arboribus diſtinguere, & paulatim oculos perficit, vt exindè incredulis, qui aderant, locum dubitandi relinqueret, & eius liberalitas ab æſtimatione caderet apud illos: Scitè Maldona, difficultatem attigit, & ſoluit. *Fortaſsè etiam voluit, vt cæcus beneficium quod accipiebat ſanitatis, dum paulatim ſibi conferebatur, pluris, faceret.* Repente homo cumulatus beneficijs ad eis tantum potiendum attendit, & quia non aliud expectat, benefactoris obliuiſcitur; in paulatim acceptum donum gratus eſt: nam vt quod deficit, mereatur, pro accepto gratias agit. Vt ergò homo ille orbatus viſu gratus extitiſſet in beneficum Dominum, non integrè, & à principio viſum accepit, ſed paulatim, vt quem beneficium inchoare vidit, perfecturum ſperet, & illius, quod deficit, priuatio gratitudinem excitet accepti. Vult Chriſtus minus liberalis videri, minus amans, vt magis patientis commodo prouideat, & illud ipſum quod amoris remiſſi videbatur indicium, intenſioris amoris argumentum eſt. Nam multoties beneficium maximum non conferre, maximum beneficium eſt, maximum amoris argumentum, qui non quæ placent, ſed quæ proſunt reſpicit. Quis ambiget, plurima plurimis Deum contuliſſe beneficia, quibus ea non accepiſſe conueniens eſſet: ſiquidem illis abuſi in maxima flagitia fuerunt dilapſi. Inter quos non vltimus venit computandus impijſſimus Princeps Nabuchodonoſor, qui temporalibus felicitatibus cumulatus præceps in fœdiſſima ſcelera, abominationes, & ſacrilegia abiuit, & à Dei beneficientia, qui opes imperia, & quidquid homana, gloria ambit accepit, & ad ſuam ruinam inflexit. *Circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominia ſuper gloriam tuam.* Hic verſ. 16.

DISCVRSVS XV. MORALIS.

Negotioſa honoris ambitio ipſa ſolicitudine inbonoratur, ſublimitate ipſa decreſcit.

1. Ambientis ſolicitudo merita, quæ non habet; negotioſa arte ſupplere procurat. Id quod cuique deficit, & demeretur, anhelat. Ignobilis honoris ambit faſtigia: indoctus peritorum inſignia: ignauus ſtemmata militaria; & vt ſuam proregat, & diſſimulet contumeliam honorificos titulos gliſcit indignus. At illam ipſam, quam celare ſatagit, vilitatem ambitionis arbitrio prodit: nam negotiatio, dignitatis ſuſpecta eſt, & honor non merenti collatus dedecus, & contumelia, ac titulus ſine re; vndè ſapienter Saluian. l. 4. de gub. Dei. *Nomen ſine actu, & officio ſuo nihil eſt. Quid eſt aliud Principatus ſine meritorum ſublimitate, quam hominis titulus ſine homine.* Qui vltra meritum creſcit, quaſi nemo eſt, quia ſolùm habet dignitatis titulum, at ſine homine: & ille quidem perſonam priuatam agebat, homo videbatur non inutilis, ad faſtigium dignitatis aſſumptus iam non homo apparet, ſed hominis tantùm titulus, non honorem negotiatur, ſed dedecus: nam ipſa maioritatis ambitio exiguitatis non modo argumentum, ſed euidentia eſt. Interitum æternum minatur Iudæis, eo quod prementibus ipſos Aſſyrijs contempto Deo humana ſolum quæſierant auxilia ad Ægyptios confugientes. *Væ filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis, conſilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, vt adderetis peccatum ſuper peccatum.* Iſaiæ 30. verſ. 1. Prouerbo *ordiremini* in Hebræo eſt verbum *Naſac*, quod conſtituere ſignificat, referrique poteſt ad Principis electionem, vt Pſalm. 2. verſ. 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex.* Vndè apud Pintum: quidam Hebræus ſic prædicta verba Iſaiæ verſat: *Væ filij deſertores, dicit Dominus, vt ponerent ſuper ſe Principem non ſecundùm voluntatem meam.* Vbi videas, Regem, & Præſulem iniuſtum, ac ineptum eligere, nil aliud eſſe, ſi telam araneæ ordiri, quæ facili negotio rumpitur, & diſparet. Ar cur ineptum ad dignitatem euectum in aranea deſcribit Vates? ſuſpicor vt indignorum genium, & immortalem curam, atque vanam ſolicitudinem oſtendat: nam aranea die nocteque non ceſſat fila diſtendere, & ambitum circuire, quem ad ſui tutelam, & rapinam delegit, diſparesque curas ſibi aſſumit: nam etſi longa habeat brachia, paruum corpus, & exiguum caput habet. Vbi videris ineptos, & incapaces qui dignitates exambiunt apprimè delineatos: nam in mortali-

talibus curis in circuitu ambulant, fila ſpargunt, vt retia contexant, quibus dignitatem capiunt: hi autem quia paruum habent caput, & exigua merita, brachia habent longiſſima, & multiplicia, vt brachijs, & fauoribus illuc perueniant, quò merita non pertingunt. Quotieſcunque ambientem videris mittentem retia, plurimis brachijs, & fauoribus munitum pro comperto habe, illum paruum caput, & exigua merita habere: Præclara animalia, quibus magna inſunt capita (vt leo, equus taurus &c.) breuiſſima, & curta habent brachia, quia non egent oblongis brachijs fortia, & generoſa animalia. Magnus homo virtute, & ſcientia præditus non eget fauorabilius brachijs ineptus, & aranea, qui nullum habet meritum, ad brachia confugit, magnos negotiatur fauores, vt telam ordiatur, & dignitatem furetur. At ipſa brachiorum propagatione decreſcit: nam quò magis longè, latèque brachia extendit, eò magis inhonoratur. Siquidem brachiorum multiplicitas meritorum paruitatem arguit, & dum in ſublimi curriculo verſatur, exiguitatem, & meritorum paruitatem prodit. Dignitas, quæ brachiorum vi obtinetur, violenter poſſidetur, & ipſum poſſeſſorem detrectat, atque deuenuſtat.

2. Intolerabilem illam Nabuchodonoſoris arrogantiam in ſuperbiſſima ſtatua expreſſit Daniel. cap. 2. verſ.34. cuius luteos pedes vix lapis attigit, cum in ruinam abiuit. *Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos*. De regno Chriſti, quod contrita dæmonis potentia erat ſtabiliendum, hæc capit Auguſt. ad Pſalm. 98. at quid eſt, quod Chriſtus lapis, ſine manibus dicatur? Rectè Pintus in comment. huius loci. *Lapis ſine manibus: hoc eſt, ſine induſtria humana*. Quoniam qui bene meriti ſunt de dignitate, ſicut Chriſtus, qui non rapinam arbitratus fuit, eſſe ſe æqualem Patri, hi ſanè ſine humana induſtria, ſine manibus, abſque hominum fauore ad dignitatem ſcandunt; è contra verò, qui fauorem manibus ad illam aſcendere contendunt, non illam merentur; ſed vt ineptæ araneæ brachijs hincindè diſtentis furantur dignitatem, atque ſe ipſos incapaces fatentur. Quo ſpectat illud Bernardi libr. de conſiderat: ad Eugenium. *Pro quo rogaris, ſit tibi ſuſpectus*. Ideſt: pro comperto habe, ineptum eſſe ad dignitatem, qui tuo fauore illam capit: nam ſe imparem agnoſcit, qui alienum implorat auxilium: & de ſublimitate tantùm arrogauter contendunt, qui diffidunt proprijs meritis ad eam aſcendere; benemeriti quieſcunt, quia dedignantur indigni videri id ipſum ambientes, quod ex iuſtitia ipſis debetur; vndè de iuſtis, ac benemeritis, qui in dignitatibus domus Domini plantantur, dicebat Dauid: *Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus libani multiplicabitur*. Pſalm.91.verſ. 13. Caiet. ex Hebræo vertit *creſcet* pro *multiplicabitur*: Et ſtatim ſubdit, *Excellentia augmenti iuſtorum ſignificatur ex ſimilitudine cedrorum in libano*. At quomodo augentur, & creſcunt cedri in libano, vt ex illorum incremento augmentum ſignificetur iuſtorum? Nempè: abſque vllo humano fauore, & beneficio: Solis enim tantùm, cœlorumque influentijs creſcebant cedri in libano plantatæ, & ſe ſe multiplicabant: ſic (inquam) qui in domo Dei plantantur, nullo humano ſuffragante fauore, nullo auxilio in dignitate creſcunt, nulla egent induſtria. Qui aliter ad dignitatis faſtigium aſcendunt, non in domo Dei plantantur, ſed in dignitatem furto ſe ſe ingerunt, & humano ſuffulti fauore ipſo ſe indignos profitentur.

4. Homo ille diues paterfamilias peregrè proficiſcens diſtribuit in ſeruos ſuos bona ſua, vt lucra exindè reportarent, & ſibi, & illis proficua, Vniquinque dedit talenta, qui & alia quinque fuit lucratus: alij duo, qui & duo alia auxit: alteri denique vnum tantum talentum largitur, qui cum nullum feciſſet lucrum, illud ſudario inuoluit, & in fouea, quam fecit, ſepeliuit. *Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam Domini ſui*. Matth. 25. verſ. 18. Quorſum ille qui minus talenti acceperat, abijt, fodit, & abſcondit? Nihil horum qui maiora talenta receperunt, fecerant. Vt quid igitur pauciſſimi talenti homo plus terram fodiendo fatigatur, plus inſudat ligone, & tandem nullum emolumentum affert: illi autem qui duplo maiora referunt accepta talenta, neque laſſati, neque fatigati dicuntur: abſque vlla enim negotiatione induſtria, & diligentia talentorum præmia aſſequuntur? Arbitror: quia qui maiora talenta habent, qui digni ſunt, & capaces, nullam adhibent diligentiam, vt brauia & dignitates aſſequantur, & ideò ad ſummum præmia ſuis meritis æqualia adipiſcuntur. Pręuia vt quinque talentis vt quinque reſpondentia, conſequuntur vt duo duobus talentis, & multoties merito defraudantur præmio, quia non ad conſequendum, ſed ad promerendum attendunt. Aſt qui minus habet talentum, non quieſcit, vt præmium ſibi impar, & inæquale ſubripiat: terram fodit; *Ara la tierra*, Hiſpanè dicitur. Nullum non mouet lapidem, nullum non negotiatur fauorem, vt dignitatem ſibi indebitam obtineat. Quid non fatigatur? Abijt, fodit, & abſcondit. Et tandem ingenti pretio propter dedecus ignobilem opinionem mercatur: nam immeritos adeptus honores, quibus menſus inæqualis omnibus apparet, talenti defectum oſtendit, irridetur ab omnibus, deuenuſtatur, non decoratur honore, & fatuorum officia quæ negotiatur, & quibus ſupra merita extollitur, ipſius detegunt incapacitatem.

5. Primas ſedes fauore matris duo anhelabant Diſcipuli: acceſſit illa, & obnixè depre-

précatur Chriſtum,vt dignetur ipſos ad huiuſmodi honorem euehere. *Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Matth. 20. verſ. 21. Cui Dominus, *neſcitis* (ait) *quid petatis*. Non ſat eſſet piam matrem non exaudiri, ipſos repulſam pati, & verecundia, ac pudore ſuffundi, ſed vlteriùs ipſos ignorantes prodere? Cur inſcitiæ, & inſipientiæ telo ſapientiſſimos Magiſtros in ipſius ſcola edoctos tam acerbè Dominus ferit? Cur ignaros vocat, & cognatos, & amicos? Suſpicor: quia non via ſapientum, ſed ignorantium curriculo ad dignitatem ſcandere conabantur: non præclara geſta repræſentant, non propter merita, ſed matris fauori innixi primas ſedes ambiunt, quod proprium ignorantium, ac indignorum genium eſt. *Neſcitis quid petatis*: Etſi aliàs egregia haberent merita, dum non ipſorum titulo, ſed titulo conſanguinitatis, & amicitiæ primas ſedes ſuſpirant, ignorantiæ nota inuruntur, quia hæc ignorantium ſemita eſt, qui meritorum defectum fauore ſupplere procurant. Hinc Paulus ad Philemonem ſcribens ipſi Oneſimum Seruum remittit, & commendat: vt autem ipſius fauore illum protegat, epiſtolam ſic ſubſcribit. *Ego Paulus ſcripſi manu mea*:, Cur pro ſeruo ſcribens,& commendans, vt eum in ſua gratia habet, & recipiat Philemon. cap. 1. verſ. 19. ſe propria manu Epiſtolam ſcripſiſſe ait? Caietan. Ibid. *Vt plenius credas, ex meis internis hæc procedere*. Solent enim fauorabiliores Epiſtolæ manu propria commendantis, & intercedentis ſcribi. Sed addiderim: Paulum epiſtolam propria manu ſcriptam dixiſſe, vt perſonæ, quam commendabat, defectum charta suppleret; indignitas enim perſonæ, quæ ſeruitium expoſtulabat, fauorabili charta compenſabat. Sic crebro, qui ſe indignum agnoſcit ad dignitatem obtinendam, magnis fauoribus, gratijs, & epiſtolis ſe armat, vt dignitatem violenter extorqueat, & ſuffuretur. Quibus omnibus reſponſio Chriſti Domini quadrat. *Neſcitis quid petatis*. Nam hæc non ingenui, non ſapientis via eſt, ſed ſerui, & ignorantis, qui ipſa negotioſa ambitione abiectiſſimum, & indigniſſimum ſe oſtendit: ſicut ſe manifeſtauit Nabucho: qui omnia Orbis imperia ambiens, & ad omnia incapaciſſimus ipſa ſublimitate decreuit omnium irriſioni expoſitus, & de throno in belluam commutatus propriam indignitatem detexit: *Repletus es ignominia pro gloria* &c. Hic verſ. 16.

DISCURSUS XVI. MORALIS.

Propter Principes populi, & propter populos Principes viciſſim pœnas luunt.

1. MInatur Vates Chaldæorum Principibus, ipſorumque populis, qui ſub tyrannorum Principum regimine iniquè agebant, & vtroſque Perſarum, ac Medorum incurſionibus puniendos fore, vaticinatur. *Quia iniquitas libani operiet te vaſtitas animalium deterrebit eos de ſanguinibus hominum, & iniquitate Terræ, & Ciuitatis, & omnium habitantium in ea*. Hic verſ. 17. Quaſi indifferenter Princeps, & populus eſſent puniendi: quia mutua communicatione peccata Principis in populum reſiliunt, & populi in Principem: proindèque vnius flagitia alteri imputantur ad pœnam, maximè popularia, quæ aut maligno Principis ſerpente exemplo vigent, aut permiſſione pullulant. Vterque obnoxius alterius fortunæ eſt: & iam Princeps flagitiorum populi meritas pœnas luit, iam populus propter ſceleratos Principes plectitur; vndè cecinit Horatius.

Quidquid delirant Reges plectuntur Achiui.

Et antè illum Heſiodus.

Principis iniuſti gens omnis crimina præſtat.

Quod egregiè expendit Iuſtinus martyr. quæſt. 138. ad orthod. *Sicut homo* (inquit) *ex anima, & corpore conſtituitur: ita Regnum ex Rege, & ijs, qui reguntur, coagmentatur: & quemadmodum ſi homo manibus peccatum committens tergò pœnas pendat, non iniquè qui in eum animaduertit, agit; ita non iniuſtè Deus facit Principum delicta populi coercens*. Supplicia Principibus infligenda propter eorum ſcelera in Ciuium capita plerumque relabuntur: quia vnum corpus Princeps, & populi efficiunt, & iuſtè pars non delinquens pro criminoſa plectitur.

2. Dei mandato parens patrium ſolum relinquit Abraham, & in Sichen grata Deo libauit ſacrificia: exindè autem propter graſſantem ſamem pergit in Ægyptum cum vxore ſua Sara, cuius pulchritudine allectus Pharao illius regni Princeps eam ſuſtulit. Quod ęgrè ferens Deus ipſum, & totam eius familiam plagis acerbiſſimis mulctauit. *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & dominium eius propter Sarai vxorem Abraham*. Geneſ. 12. verſ. 17. Indignum videtur, & à Dei iuſtitia alienum, quòd propter Pharaonis peccatum tota eius domus flagelletur. Si familia conſors culpæ non fuit, quare non eſt pœnæ exors? Regis flagitium ipſi imputetur ad pœnam, non vxori, quam certum eſt, in ablationem Saræ non conſenſiſſe: nec filijs, & famulis, de quibus non legitur participes cul-

pæ fuiſſe, aut conſenſiſſe peccatum: niſi fortè non culpa, ſed famulatus, & filiatio caſtigetur, quod eſſet puniendi libido, & extra Dei practicam. At Chryſoſt. audi, & huius euentus cauſam ediſces. *Qua de cauſa cum Rex peccet, omnes de domo eius ſunt pœnæ participes? Non abſque ratione hoc fit: ſed vt grauiùs puniatur, & grauiori pœna eius inſania compeſcatur.* Pœnalitas populi, qua torquebatur, non ipſum reſpiciebat, quia expers erat culpæ, ſed criminoſum Regem, vt in ſe, & in ſua familia torqueretur, & à prætenſa iniuria reſipiſceret. Sic Deus modulatur ſupplicia, vt Principis inſolentem licentiam in populo plectat. Eandem Saram iterum Abrahamo abſtulit Rex Gerare Abimelec: cui cum Dominus per ſomnium mortem minaretur, niſi Abrahamo reddidiſſet vxorem, viſione perterritus vocauit Patriarcham, dixitque ei: *Quid feciſti nobis? Quid peccauimus in te: quia induxiſti ſuper me, & ſuper regnum meum peccatum grande?* Geneſ. 20. verſ. 9. Attonitus Rex verba ſine delectu diſpenſat: nam quid culpæ regnum habuit in ſua culpa, vt verè dicat, peccatum grande ſuper regnum ex ablatione Saræ inductum fuiſſe? Scelus ab ipſo perpetratum in totum regnum refundit? Sic ſerpit contagioſum Regis flagitium, vt omnes populos vnò ipſius crimine credat infectos? Fortè à noxio exemplo, quod Principes ſuis ſceleribus populis exhibent, omnes vnico tantum crimine inficiari, credebat Pharao. Tam fœcundè nocet delictum Principis ſerpens, vt ex vnò capite tanquam hydra multa pullulent. Verùm Oleaſt. alio rem detorquet. *Solet enim regnum* (ait) *ſæpiùs luere peccata Regis: cum ſcilicet non punit iniurias, quæ innocentibus fiunt.* Licèt reatus culpæ, quam Pharao commiſerat Saram propiò viro auferens, apud ipſum remaneret, reatus tamen pœnæ ad omne regnum tranſiliuit, quia propter Regis peccatum pœnæ remanebat obnoxium.

4. Prælaturo Ioſaphat Rege Iuda ſimul cum Rege Iſrael aduerſus Regem Syriæ ambobuſque futuri belli euentum ſcire cupientibus, congregauit Rex Iſrael quadringentos circiter Prophetas, qui vnò ore aſcenſum in bellum Ramoth perſuaſerunt, eamque à Regibus fore expugnandam ſine hæſitatione affirmarunt. Quorum verbis, vtpotè pſeudo prophetarum cum non acquieuiſſet Ioſaphat, ſed à verò Dei Propheta ſucceſſum belli vellet enunciari: de mandato Regis Iſrael Michæas filius Gemla accerſiri cogitur. Hic verò licet primò proſpera, & iucunda nuntiaſſet, exſpectans iureiurando adigi, vt deindè verum diceret, ſic poſt iuſiurandam Regi Iſrael affatur: *Vidi cunctum Iſrael diſperſum in montibus, quaſi oues non habentes paſtorem.* 3. Reg. 22. verſ. 17. Vbi Theodoret. populi exitialem ſtragem, & miſerum interitum agnoſcit, quòd Dei Vates fuit auguratus. Sed quæ huius calamitatis cauſa fuit? Nam Reges potentiſſimo exercitu exibant ad prælium: Ioſaphat Rex pijſſimus, ac Religioſus erat. Auſculta Theodoret. quæſt. 63. in 3. Reg. *Per hæc autem oſtendit, quod illius prauitas* (ſcilicet Regis Iſrael) *cauſa ſit ſtragis: nam ſi bonum, ac pium habuiſſent paſtorem, vi ſuperaſſet hoſtem.* Principis omnia ſunt communia: ſi virtute vigeat, populum confirmat, & ſtabilit; at ſi impius, ſi vitioſus, ſi irreligioſus ſit, in cauſa eſt, vt acerbiſſimas pœnas populi ipſi ſubiecti patiantur. Vnius Regis Iſrael nequitia totus populus fuit diſperſus, & ab hoſtili manu ſuperatus: quia quidquid Rex meretur, aut demeretur, populum tranſcendit: itaut ex populi habitu, & conſtitutione Principis mores, virtutes, aut vitia poſſint indigitari.

4. Vſitatiſſimum eſt in ſacra pagina, Principes, ac ſuperiores radicibus conferre, iuxta illud Pſal. 79. v. 10. *Dux itineris fuiſti in conſpectu eius; plantaſti radices eius, & impleuit terram.* Ideſt Principes, & Paſtores huius populi elegiſti, plantaſti, & radicaſti: illos ſcilicet inclytos Heroes Moyſem, Aaron, Ioſue, & reliquos Prophetas, qui in cultu, fide, & pietate erga Deum erant radicati, & cœleſtis Regis operatione plantati. Sic Lyra, Hugo, Caſſiodor, & alij quam plurimi. Sed cur Principes, & ſuperiores radicibus comparantur? Nihil minus ipſis competere videtur, quam quod in radicibus cognoſcitur, illæ enim ſub terra laterint, earũ operationes nunquam vidẽtur, quod alienum debet eſſe à ſuperioribus: nam exemplo boni operis tenentur ſibi commiſſos ſubditos erudire: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.* Matt. 5. v. 16. Dicebat Chriſtus Dominus. Vt quid igitur in radicibus Duces, ac ſuperiores à Deo electi exprimuntur. Pulchrè D. Chriſoſtom. in tract. de Symb. comparationis proportionem tradit. *Quemadmodum videns arborem folijs pallentibus marcidam, intelligis, quod aliquam culpam habeat circa radicem: ità cum videris populum indiſciplinatum, ſine dubio cognoſce, quod Sacerdotium eius non eſt ſanum.* Non ſecùs, ac ex radicibus haurit tota arbor ſucceſum vitalem, quo nutritur, germinat, & vireſcit, tota Reſpublica à bono ſuperiore ſpiritualia accipit alimenta, quibus proficit, & vegetatur: quemadmodum peccatum, & vitium radicis in cauſa eſt, quod tota arbor marceſcat, & ſterileſcat: ſic maiorum vitia in cauſa ſunt, quod tota Reſpublica areſcat, & propter ipſorum ſcelera pœnas luet, fructus non afferat. A foliorum pallore licet radicum infirmitatem cognoſcere: & ſicut illarum infirmitas in totam arborem ſerpit: ſic ſuperiorum flagitia ad omnes ſubditos deſcendunt, & ipſis imputatur ad pœnam; atque è conuerſo populi peccata, ad Principes, & ſuperiores aſcendunt, & illorum gerunt reatum.

6. Dauid Regis ſtatum ad innumera flagitia

tia procliuem altè meditatus; ab illis, quæ nondum intellexerat, nec perpetrauerat, liberari poſtulat. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me: & ab alienis parce ſeruo tuo*. Pſ.18.v.13.Quid? Timet Dauid propter peccata aliena, aut proprias operationes indeliberatas plecti, quo ab vtroque expediri deſiderat? Quis pro alieno crimine pœnas luit, maximè, quæ ab æquiſſimo Dei iudicio proueniunt? Cui ignorata culpa imputatur? Vnde igitur angitur ſapientiſſimus Rex, quaſi aliena crimina eſſet luiturus? Rectè Euthimius Dauidis curam, & ſollicitudinem percalluit. *Nouerat* (inquit) *Reges, ac Dominos obnoxios eſſe ſubditorum, & ſeruorum peccatis*. Non minus de alienis, quam de proprijs augebatur noxijs prudentiſſimus Rex; quia nouerat, peccata ſubditorum ad Principes, & ſuperiores traduci, illorumque pœnis non minus ac delinquentes ſubijci. Per malignos traduces populorum vitia aſcendunt ad Principem, & ſemper reus ac criminoſus putatur in ſubditorum peccatis. Hinc cum Moyſes legis tabulas in Sinai cacumine accepit, non apparuit ſplendida facie: at cum ad populum idololatram acceſſit, & ira percitus ob tam flagitioſum crimen tabulas fregit, tunc illuſtrata facie, & ſuperna luce decorus apparuit. *Cumque deſcenderet Moyſes de monte Sinai, tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat, quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini*. Exod.34. verſ. 29. Notauit huiuſmodi inæqualitatem Rupertus lib.5.in Ioan. ſed eius non reddidit rationem. *Cum prioribus tabulis facies Moyſis non refulſit; ſed acceptione tabularum poſteriorum ſplendida facta eſt*. Et cur in conſpectu Dei, à quo mutauit lucem, non nitida facie coruſcat: cum autem ad populum accedit irradiare cæpit? Niſi quia cum in monte Deum alloquebatur, exors erat à culpa, & à quacunque illius ſuſpitione: at cum populo ſe immiſcet peccanti, cuius erat Princeps, in proximo eſt, vt iudicetur eadem noxa, ac populus, eſſe pollutum; vt autem omnem à ſe culpæ ſuſpicionem relegaret, nitida, & ſplendenti facie appatet. Tam. eſt certum, peccata populi in Principes refundi, vt neceſsè fuerit, ne crederetur Moyſes eodem peccato, ac populus, fuiſſe ſordidatus; balneo lucis expiari, vt à ſe omnem abſtergeret culpæ maculam.

DISCVRSVS XVII. MORALIS.

Monſtroſum flagitium eſt beneficium largitori inſidiari.

1. PErſæpè beneficentia infortunata eſt, nam multoties odia negotiatur, & ipſa quæ contulit proficua beneficia, in ſe hoſtiliter reſilire ſentit. Ingenioſa nimis ingratitudo eſt, & vt ſe à vinculis beneficiorum ſoluat, innumeros prætextus arbitratur: nefariè ſubdolo ingenio fucatos titulos quærit, quibus ſe eximat ab obligatione. Sed inter alios ille execrabilior, quem ex magnitudine beneficij aſſumit, nam quotieſcumque donum acceptum non poteſt ad æqualitatem rependi, immunis creditur ab obligatione, qui accepit, & gratitudinem in odium vertit, quia vbicumque benefactor videtur, impotentiam recordatur, quod maximè homines offendit. Propterea nil eſt periculoſius, quam magnum beneficium conferre, quia ferè ſemper in perniciem vertitur largitoris, & nullum alium fructum affert, niſi odium, & inimicitiam recipientis. In animo maximo beneficio deuincto nihil remanet beneuolentiæ: & tutius haberent quam plurimi, non maiorem poſt beneficium exhibitum accipere iniuriam, quam ante ipſius largitionem: nam etſi natura abhorreat, inclamet ratio contra huiuſmodi monſtroſum vitium, & referendam pro beneficijs acceptis gratiam, vel ipſa ferarum clamet ſæuitia: tamen inſania hominum ſe ipſos diligentium, non quod ratio dictat, ſed quod praua indoles, & infelix beneficiorum natura, reſpiciunt, documenta ipſius naturæ, quæ benefactorem non lædere docet, dediſcunt.

2. Pulchram quæſtionem excitat Philo lib.de ſpecial.legib.ad finem: cur ſcilicet, infantes, cum à matris vtero egrediuntur, ſine dentibus naſcantur, & decurſu temporis poſtea acquirant, quod tunc prouida natura non dedit. Rationemque tanto viro dignam reddit. *Ille* (inquit) *rerum parens, & conditor cuius nullum opus eſt ſuperuacaneum, dentes non vt cætera membra naſcenti ſtatim addidit. ne infantem lacte nutriendum grauarent inutiliter, & fontes vberum, per quos alimenta deriuantur, vexarent inter ſugendum*: Sed in tempus præſtitutum hoc ablactandi exortum eorum diſtulit: Præmenda illa verba: *Et fontes vberum, per quos alimenta deriuantur, vexarent inter ſugendum*: Quæ aurea ſunt. Quaſi dicat: Propterea natura, cuius opera intelligentiæ ſunt, dentes non præſtitit infantibus tempore, quo ablactantur, ne eis contingeret vbera mordere, & lacerare, quibus aluntur. Extremum namque eſſet malum, & execrabilis monſtroſitas, vt qui inepti ſunt ad reddendam matri gratiam pro innumeris be-

nefi-

neficijs, quibus in illa ætate ab ipſa afficiuntur, apta ſecum & nociua aſportarent inſtrumeuta ingratitudinis, quibus pro beneficijs collatis nocumenta redderent. Hoc (inquam) vt horrendum monſtrum à natura exulat, quæ non patitur, in largitoris damnum beneficium conuerti, & detrecta nefarium redditorem. Solerti cautela infantes exarmat, ne adoriantur hoſtiliter vbera, quæ ipſos lactant, & beneficia, quibus arctius ſunt deuincti, in benefactricem matrem nociuo morſu inflectant.

3. Dum de mundi fabrica Moyſes ſermonem inſtituit, omnium creaturarum, quas Deus condidit, mentionem fecit, & catalogo adſcripſit, nec mixta tantum recenſuit, ſed terræ elementum in principio, ac immediatè poſt cœlum conſtituit. *In principio creauit Deus cœlum, & terram*.. Gen.1. verſ. 1. Nuſquam tamen elementi ignis fuit recordatus, quod non paruam admirationem ingerit. Nam quorſum abiectiſſimum terræ elementum primo loco euulgauit, & ab illo cathegoriam ſublunarium rerum incæpit: nobiliſſimum autem ignem filentio inuoluit? Cur quem natura prætulit, & perfectioris conditionis creauit, non præponit Hiſtoricus Sacer, vel ſaltem illius recordatur? Rupertus lib. 1. in Gen. cap.8. Idipſum ambigit, & ſibi ſatisfacit. *Porro de terra & aquis producta ſunt omnium ſpecies rerum, quas nouimus: ſolus ignis licet gignentibus terra, & aquis cooperetur, nihil tamen ex ipſo gignitur: & proinde de hoc elemento non iniuria ſiletur*. Ingratiſſimè naturæ ſpecimen ignis præbet; ſterilis namque eſt & infœcundus; nihil ex ſe, vel in ſe gignit, omnia deuorat, nihil redonat, imo combuſtibile, quod accepit, in perniciem illum fouentis reddere conatur, & ipſo pabulo, quo alitur, in flammam conuerſo ipſum nutrientem adoritur: dignus proinde quod ex numero creaturarum Deum iugiter prædicantiũ expugnatur, quod à cæteris velut monſtrum relegetur, & quod prætermittatur ſilentio, quaſi dedignetur Deus illum creaſſe, & detrectet natura illum habere.

4. Saulem Dauid maximis beneficijs habebat deuinctum, opprobrium abſtulerat ab Iſrael Philiſthæum expugnans; occaſionem vindictæ nactus in ſpelunca pepercerat ſæuiſſimo hoſti, ſpiritum illum vexantem dulci, ac modulato ſono ſedauerat: & quid plura? Longum eſſet recenſere, quæ beneficia exhibuit Sauli. Et quas pro tantis beneficijs grates rependit. Auſculta textum. *Dauid autem pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos dies, tenebatque Saul lanceam, & miſit eam putans, quod configere poſſet Dauid cum pariete*. 1.Rege 18.verſ.11. Quærunt interpretes, an Saul dæmone arreptus, an deliberatè Dauid lancea configere voluiſſet, & illum interficere? D. Chryſoſt. primum amplectitur, & arbitratur, dæmonis impulſu Saulem inſurrexiſſe contra Dauid, nulla habita conſideratione flagitij, quod perpetrare intendebat, neque beneuolentiæ Dauid erga ipſum. Et vnde Chryſoſt. hom. de Dauid.& Saule. *Et quid obſecro facientem? Canentem cithara, & ipſius inſaniam ſedantem: age: poteſt ne huic malitiæ quidquam adiungi?* Qui nec beneficiorum quidem memoria furentem illum, ac delirantem ſpiritum coercuit, qui lancea voluit occidere beneficum Dauidem, qui tot beneficiorum authorem conatus eſt interficere, idque pſallentem, non homo, ſed monſtrum eſt, & quidem dæmone grauidum: extremum namque flagitium eſt, diabolicum, & ab omni humanitate alienum, beneficijs non gratitudine, ſed iniurijs reſpondere. Etſi Saul intenſiſſimus eſſet hoſtis, inuidus, & ſæuiens contra Dauid, dum tamen illum benefacientem, & malignum ſpiritum ſedantem lancea impetit, non ipſum operari creditur, ſed dæmonem ipſum poſſidentem: quia tranſcendit humanam malitiam armata manu benefactorem adoriri. *Age: poteſtne huic malitiæ quidquad adiungi?* Quaſi dicat minimè: hæc vna iniquitas omnes ſuperat, omnes humanitatis terminos tranſilit, & diabolicam reuerberat malitiam. Huc forſitan reſpexerunt Athenienſes nullas ingratis pœnas ſtatuentes, quia ſupplicia tanto ſceleri paria ignorarunt.

5. Horrenda ſupplicia contra Ieruſalem, eiuſque ciues referuntur propter illius inſolentiſſimam ingratitudinem, & receptorum beneficiorum obliuionem. *Hæc dicit Dominus exercituum: cædite lignum eius, & fundite circa Ieruſalem aggerem. Hæc eſt ciuitas viſitationis: omnis calumnia in medio eius. Sicut frigidam fecit ciſterna aquam ſuam: ſic frigidam fecit malitiam ſuam*. Ieremiæ 6. verſ.6. & 7. Atque in ſpecie illa fuerunt Ieroſolymæ flagitia, quæ tantopere Deum exacerbaut, & quæ tanto verborum pondere minatur plectenda? Illa ſatis indicat ſacer textus. *Sicut frigidam fecit ciſterna aquam ſuam: ſic frigidam fecit malitiam ſuam*. Verum quid quod malitiam infrigidet, ſicut ciſterna aquam, vt exinde tam acerbè ſit punienda? Quid quod frigeſcat, ſicut aqua in ciſterna, vt ex hoc capite tam acriter exprobetur eius malitia? Congruit ad inſtitutum, quod Theodor. indigitat in comment. huius loci. *Quemadmodum ciſterna mutat aquam in frigidam qualitatem ſic accedentes ad ſe mutauit in malitiam*. Quaſi dicat: Extrema malitia Ieruſalem in eo apparet, quod ſicut ciſterna aquam, quam recepit calidam, per alterationem tranſmutat in frigidam: ita hæc ciuitas contagioſo attactu bonitatem mutauit in malitiam: quidquid ad illam acceſſit optimum, in peſſimum vertit. Compertum eſt apud omnes, & à Philoſophis obſeruatum ciſternam, ac puteorum aquam infrigidari, per oppoſitionem, quam vocant antiperiſtaſim, idque in verno tempore ſolet accidere: nam

uam quo magis Sol aquam calefacere intendit, eo magis infrigidatur. Ciuitas ergo (inquit Deus) quæ frigidior fit, cum eam intenſius calefacere procuro, quæ meorum beneficiorum Sole conglaciatur, & calorem beneficentiæ in malitiæ frigiditatem immutat, non eſt eur toleretur, ſed funditus euellatur. *Fundite contra Ieruſalem aggerem &c.* Monſtruoſa ciuitas, & quæ peruerſo genio beneficia in nocumentum largitoris conuertere intendit, à natura relegetur, quia in ipſa omnium iniquitatum eſt ſentina; omnium ſcelerum ſchola, *omnis calumnia in medio eius eſt*. Nullum ingratitudine execrabilius malum eſt, proindèque quaſi omnium eſſet compendium, omnes in illo Nabuchodonoſoris iniquitates compendiauit Propheta, & de illo magnopere dolet, eo quod pro beneficijs amicitiæ obſequijs iniurias rependerit benefactori. *Væ qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius*. Hic verſ. 15.

DISCVRSVS XVIII. MORALIS.

Ingratis benefaciens ſupplicia Deus adauget.

1. INter plurimas deformitates quas ſecum ingratitudo affert, hoc bonum habet, quod ſui ipſius ſupplicium eſt, nec impunitus vnquam ingratus poteſt euadere: quia ipſa ingrati animi affectio, ipſa non repenſi beneficij conſcientia ſupplicium eſt, & ſemel tantum ingratum beneficium delectat, nempe cum illud recipit, deinceps torquet: & ipſo gratitudinis reatu, quem non ſoluit cruciatur. Ipſa recipientis, & non reddentis beneficium conſcientia acerbior pœna eſt, & tot cruciamenta patitur, quod beneficia auaro animo retinet; proindeque qui beneficia ingratis exhibet, ſupplicia adauget, & vnius non repenſi alterius acceptio caſtigatio eſt. Primordia naſcentis mundi ſic narrat Hiſtoricus Sacer. *In principio creauit Deus cælum, & terram*. Geneſ. 1. verſ. 1. Ex Græcis atque Hebraicis codicibus ferè omnes interpretes transferunt. *In principio creauerunt Eloin cælum, & terram*. Illa autem vox *Eloin*, quæ voci *Deus* in noſtra vulgata habitæ correſpondet, Iudices ſignificat. Vnde merito quærit Alcuinus, quæ inter creandi, ac iudicandi actionem conuenientia reperiatur, vt loco Creatoris benefacientis, nomen Iudicis punientis, ac de commiſſis criminibus pœnas exigentis ſubſtituatur. Quid tam diſtat à benefica manu beneficia conferente, quam manus ſupplicia infligens? Sub eadem voce, & beneficium, & ſupplicium latet, & beneficentia & punitio?

Ita equidem: ait Alcuinus interrog. 3. *Iudices vocantur tres Perſonæ facientes; vt intelligat homo, tot ſe habiturum ſuorum criminum exactores, quot fuerunt Perſonæ, quæ tanta in eum beneficia contulerunt*. Quo quis maioribus fuerit beneficijs cumulatus (ſi ea non rependat) eo grauioribus ſupplicijs manet obnoxius: non modo quia illorum poſtea pœnas luet, ſed quia ipſa accepta, & non repenſa beneficia ſupplicia ſunt, quæ ingratum animum in vindictam torquent. Eadem vox & benefactorem, & punitorem ſignificat, quia arbitrio ipſius beneficij plectitur ingratus animus, & artificium eſt ingratos puniendi eos beneficijs proſequi.

2. Sedula ſolicitudine Rebecca benedictionem, Iſaac filio ſuo procurauit Iacob, beneficia erga ipſum artem conſulit, qua benedictionem, & primogenitas ſubriperet. *Nunc ergo* (dicebat illi) *fili mi acquieſce conſilijs meis, & benedicat tibi, antequam moriatur*. Geneſ. 27. verſ. 8. & 10. Ingenti flagrabat amore Rebecca erga Iacob, & (vt apparet) inteſtino odio erga Eſau: huic enim propter maiorem ætatem iure naturæ benedictio erat exhibenda, & nihilominus ipſum pia mater à benedictione exulare procurat, quod aduerſæ voluntatis argumentum eſt, & indignum virtuoſæ fœminæ nam mater æquali dilectione filios amare tenetur) vel ad minus nullum exoſum habere, ſicut Rebecca habebat Eſau. Verum Ambroſ. lib. 2. de Iacob. & vita beata cap. 2. in officioſa matris diligentia, vt minorem fratrem ſeniori præferret, non odium, ſed amorem maximum erga Eſau detegit. Auſculta ipſum. *Sed & Rebecca non quaſi filium filio, ſed quaſi iuſtum præferebat iniuſto: etenim apud matrem piam myſterium pignori præponderabat, illum non tam fratri præferebat, quam offerebat Domino, quem ſciebat collatum ſibi munus poſſe ſeruare; in quo & alteri conſulebat, quem Diuinæ ſeducebat offenſæ, ne grauiori implicaretur reatu ſi acceptæ gratiæ benedictionem amitteret*. Sic Ambroſ. ſubtiliter pariter, ac luculenter. Ingratum & illiberalem animum Eſau, gratum, & generoſum Iacob pia mater agnoſcebat, & ſolerti diligentia benedictionem grato filio diſpoſuit, quem ſciebat pro beneficio accepto debitas reſponſurum gratias, & ab Eſau illud auertere procurauit, vt ab illo ſupplicium beneficio inferendum relegaret, quod materni amoris euidens erat argumentum: ſiquidem ipſius commodo incumbebat illum ſubtrahens ab occaſione ingratitudinis, quam incurſurum, ab illius peruerſa natura certò præſagiebat. *In quo & alteri conſulebat, quem diuinæ ſubducebat offenſæ ne grauiori implicaretur reatu, ſi acceptæ gratiæ benedictionem amitteret*. Non leue beneficium eſt, beneficium ab ingrato animo auertere: pignora amoris ſunt occaſiones ſubtrahere periculi, proindeque Rebecca primogenituram auferens Eſau, quam ſcie-

ſciebat nocituram, ipſum amare conuincitur, quia ſupplicia abſtulit benedictionem inuertens. Nam qui beneficia agglomerat in animo ſordido, aggrauat ſupplicia, & vna alteram ingratitudinem plectit.

3. Nauſeans olim poplus manna, in quo omnes ſuauitates, & ſapores deliteſcebant, carnes vehementer exoptauit, & importunè petiuit. Vt autem Deus populi deſiderio ſatisfaceret, carnes vſque ad nauſeam illi porrigere decreuit, ipſaque Moyſes multitudini promiſit ſuperabundanter. *Non vno die, neq; duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem: ſed vſque ad menſem dierum, donec exeat per nares veſtras, & vertatur in nauſeam.* Numer. 11. verſ. 19. & 20. Quod etſi Moyſes à Domino audierit, rem tamen difficilem reputauit: imo impoſſibile fuit arbitratus, tot hominum myriades vel vno menſe abundanter alere, ſuamq; difficultatem propoſuit Domino dicens. *Sexcenta millia peditum huius populi ſunt: & tu dicis: dabo eis eſum carnium menſe integro.* Ibid. verſ. 21. Quid diffidit Moyſes de Dei prouidentia, aut hæſitat de eius poſſe, quod carnes, vt promiſerat, exhibiturum dubitat? Aut non rectè de Deo ſentiebat, cui nihil eſt impoſſibile, aut infidelitatis notam effugere non valebit: nam verba illa plena ſunt diffidentia, & infidelitate. At non ita, ſed amoris verba ſunt de populi commodo ſollicita. Audi Oleaſt. *Fortè Sanctus Moyſes agnoſcens iratum Deum, & beneficium populo non profuturum, illud detinere ſua difficultate conatur.* Beneficium, quod Deus populo porrigere intendebat, ſatagebat Moyſes auertere; & ideo difficultatem carnium ad ſaturitatem populi exhibendarum propoſuit: vt exindè Deus haberet excuſationem, & manum retraheret, quia agnoſcebat, populum ingrato animo reſponſurum beneficio de nouo collato, ſibique in ipſius acceptione ſupplicium maximum inferri: atque adeo Moyſis difficultas, quæ in damnum populi vergere videbatur, in illius commodum redundabat: quia beneficium ab animo ingrato relegare maximum beneficium eſt, ſiquidem ſupplicium auertit.

4. Miriſſimum planè eſt, quod inter tot, ac tanta mirabilia, quæ Chriſtus Dominus inter homines fuit operatus, illis profectura, niſi illis abuterentur, nullum eorum in Nazareth patria ſuæ patrauerit. Cuius cauſam reddit Sacer text. *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.* Matth. 13. verſ. 58. At hæc ratio, quam Euangeliſta aſſignat, æque militat in reliquis locis, vbi Chriſtus miracula fuit operatus, nam vbique incredulitas Iudæorum ipſi aduerſabatur. Si ergo hæc non obſtante infidelitate, ſplendida ſæpè alibi efficiebat miracula, cur patriam hoc fauore non fuit proſecutus, cum ad ipſius beneficentiam, & vtilitatem homines naturaliter inclinent? Pulchrè Hieronym. rem dirimit. *Ne multas faciens virtutes ciues incredulos condemnaret.* Maius beneficium ingratis contulit conciuibus, pauciora miracula, & beneficia conferens, quam ſi magna largiretur, quia ſciebat ſua munera inuertenda in eorum perniciem, ſua beneficia in maiora ſupplicia. Beneficus ergo in patriam extitit ipſi non benefaciens, ne maiorem obligationem imponeret, cui ſciebat non reſponſuram.

5. Matth. 15. verſ. 30. de Chriſto Domino habetur. *Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos.* Mirabitur merito, qui hanc celeritatem in conferenda ægrotis ſalute conſiderauit, ſi prolixas Chananeæ preces audierit, & quam difficulter eius deſiderio Chriſtus annuit. Dubio abſque Chananea mulier in fide longè ſuperabat illos, qui cumulatim mutos; cæcos, claudos, & alios ægrotos adducebant ad Chriſtum, quos tamen confeſtim ſanauit: & ad Chananeæ voces pro filiæ ſalute exorantis cunctanter ſe geſſit. Quid? Quod fides expoſtulat imperfecta, conſummata non exequitur: & deſiderijs auditur repetitis pia, & fidelis mulier, quę audire meruit *magna eſt fides tua*? Et imbecillis ac infirma fides vix ſalutem appetit, cum illam conſequitur? Quę tanti diſcriminis cauſa extitit? Audiendus Euthimius: *Repentè curat illos, non quod maioris ſint fidei, quam Chananæa, ſed quod Iudæi ſint: vt ingratorum obturat ora Iudæorum demonſtrans illos dignos maiori ſupplicio?* Ingratos Iudæos repentè ſanat, vt puniat: quoniā beneficia adaugēs addit & ſupplicia, properat ad beneficium, quia eorum ſcelera ſupplicium exigebant: & cum quam citius puniat, non flagella multiplicat, ſed beneficia: quia nullum ingrato acerbius eſt cruciamentum, quam in pœnam doni non repenſi aliud recipere. Beneficentiæ artificio acrius, & vehementius plectitur ingratus. Chananæa dum magis probatur in fide, & ad gratias agendas diſponitur, magis proficuam conſequitur ſanitatem, & quod obnixè, & cunctanter impetrat, vtiliter obtinet: at Iudæorum praua indoles dum beneficium expoſtulat non gratificandum gladium ſibi parat, quo iuguletur. Sicut ingratiſſimus Princeps Nabuchodonoſor fuit expertus, qui cumulata beneficia, quę affluenter à manu Dei acceperat, in propriam conuertit ignominiam, interitum, & ruinam, quia non ea Deo recognouit, nec pro illis gratias egit, ſed ſibi ventoſiſſimè arroganit. *Circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.* Hic verſ. 16.

Digitized by Google

DISCVRSVS XIX. MORALIS.

Sic beneficia infortunata ſunt, vt tutius ſit aliquos offendere, quam fauoribus proſequi.

1. Sic aliquibus praua indoles à natura ineſt, vt beneficijs offendantur, & offenſis gratum animum exhibeant, ipſiſq; quadret, quod Leopardis: *Quibus cum beneficeris, peiores ſiunt*: vt communiter circumfertur, Vnde Seneca lib. 1. de benef. cap. 24. conſultiſſimus rerum ſcrutator, & genium hominum ſatis expertus dicebat: *Tutius eſt quoſdam offendere quam demeruiſſe*. Quaſi diceret: ſecurius viuere, qui ingratis iniuriam intulit, quam qui beneficia confert: etenim mala illis inferendo cauet à damno, quod illi tentabunt inferre: aſt illis benefaciendo cum retributionem exſpectet, & non vereatur nocumentum incautum illum mala inuenient, quibus ingrati beneficium ſoluunt. Idemque epiſt. 81. repetit. *Eo producturus eſt furor, vt pernicioſa ſit res beneficia in aliquem conſerre*. Quaſi prius ſit eligendum, ingratis damna, quam beneficia procurare: quia pro malo certo ſit malum reddendum, ipſique occurrit prouida ſolicitudine ne ex inopinato lædatur. At qui beneficium præſtat ingratis, & ſe reddit incautum, & indebita retributione cruciatur, Sed hęc quamuis edocta à magno Philoſopho, releganda à catholico pectore prorſus ſunt: aduerſantur enim ex diametro doctrinæ Chriſti Domini præcipientis: *Benefacite ijs, qui oderunt vos*. Matth. 5. verſ. 44. Sed eſto præceptum exactiſſimè obſeruandum ſit: adhuc (& vtinam non adhuc) ſubſiſtit veritas à nobis perſcripta: ſecurius videlicet eſſe (licet non ad conſcientiam) ad vitæ pericula vitanda, quæ paſſim ipſi inſidiantur, aliquos offendere, quam beneficijs deuincire, quæ in ipſum benefactorem hoſtiliter relabuntur, ipſo Chriſto Domino ſic docente. Nam cum Iudæi ipſum voluiſſent lapidare, eo quod præmiſiſſet, æqualem ac conſubſtantialem Patri eſſe, ipſos interrogat. *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo: propter quod eorum opus me lapidatis?* Ioan. 10. verſ. 32. Quaſi diceret: bona opera, quæ in veſtram vtilitatem, in publicum, & particulare commodum veſtræ Reipublicæ ſum operatus, ſanando ægrotos, mortuos ſuſcitando, ex Patre meo ſunt, ipſius virtute facta, & quæ me filium eius eſſe oſtendunt: propter quod eorum inſania correpti me vultis lapidare? Huic autem obiectioni quaſi onerati remanerent Iudæi (quia nemo etſi deſpicatiſſimus ſit, vitium ingratitudinis fatetur) reſponderunt: *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: & quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum*. Ibid. verſ. 33. Hoc abſque dubio falſiſſimum erat reſponſum, vtpote Chriſti Domini ſententiæ contrarium: at vnde eius falſitas conuincitur, & propter bonum opus Chriſtum velle lapidare conſtat? Rectè Toletus vtriuſque partis verba trutinat. *Operibus multis bonis in vos collatis me eſſe filium Dei affirmo: non minus factis, quam verbis loquor: quod enim ſermone aſſero, operibus etiam teſtificor: vt neceſſè ſit vobis lapidare volentibus, propter bonum opus me lapidare. Propter quod ergo opus bonum, & beneficium horum me lapidatis?* Licet Iudæi aut ex praua animi conſtitutione, aut alio prætextu Chriſtum lapidare poſſent intendere; tamen ſic certum eſt, beneficio accepto, ruinam largitoris ingratos moliri, vt ex aliquo ex collatis beneficijs occaſionem Iudæos inſaniendi arripuiſſe, Chriſtus veraciter dixerit: quaſi conſequens ſit ad beneficium, iniuriam inferre præſtanti. Quod innuunt verba illa. *Suſtulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum*. Ibi. v. 36. Ly *ergo* vim illationis, & conſequentiæ habet, & hoc entimema conſtituit: beneficia Chriſtus contulit Iudæis, ergo lapides ſuſtulerunt, vt eum lapidarent. Quia tot tela, & arma offenſiua contra ſe quiſque parat, quot beneficia confert: ita vt qui manum armat dona accipientis: vt ictibus reſiſtat, & ſe tueatur, neceſsè habeat patientia armari.

2. Arcanè D. Paulus ad Romanos ſcribens ſubſtantiuum boni operis patientiam collocauit. *Qui reddet* (inquit) *vnicuique ſecundum opera eius: ijs quidem qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt vitam æternam*. Cap. 2. verſ. 6. & 7. Ad patientiam Paulus exhortatur ſpe vlterioris boni. At patientiæ obiectum (vt ex ſe patet) malum quid eſt, nemo enim dicitur boni patiens: nam bonum non dolorem ingerit, ſed delectationem. Quo ergo pacto Paulus diſertiſſimus Theologus, & de totis ſapientiæ Theſauris eruditus obiectum patientiæ bonum opus conſtituit? *Iis quidem qui ſecundum patientiam bonis operis, &c.* Vt quid actibus obiecta commutat, & bono operi accommodat proprietatem doloris, qui patientiam exercet, & tolerantiam excitat? Fortè tali forma loquitur, vt innuat, ita difficilè nobis eſſe bonum operari, ac graue aliquod malum pari? Sic enim (neque importunè) penſitabit non nemo ſed egregiè, ac venuſtè Caiet. ſcopum attigit. *Patientia* (inquit) *non dicitur boni operis obiectiuè (quoniam patientiæ obiectum non eſt bonum, ſed malum) ſed cauſaliter, hoc eſt, ratione boni operis) ad differentiam patientiæ ratione mali operis: & deſcribit ſiquidem Apoſtolus patientes mala ratione boni operis, ita quod claudit in eis vtramque partem, ſcilicet facere bona opera, & pati mala propter bonum opus: ex his enim duabus partibus integratur perfectio vitæ Chriſtianæ, integratur vita electorum.*

Hæc Chriſtiani maxima perfectio eſt: hæc peſſima ingratitudo, quæ in mundo viget, vbi neceſsè eſt, qui bonum opus operatur in alium, arma apprehendere, vt ſe defendat, patientia armari, vt boni operis retributionem ſuſtineat: nam hæc inſelieitas beneſacientis eſt, quod in ipſum pia, & beneſica officia, ac in hoſtem inſurgunt. Oportet ergo, qui beneficium confert, patientia muniri, quia neceſsè eſt. *Pati mala propter bonum opus.* Beneficium pro reſponſione telum vibrat aduerſus largientem: & defeuſione indiget, atque patientia, qui propria manu inimicum contra ipſum belligerantem armat.

3. Dauid pijſſima indole prædìtus, & in Dei Schola eruditus ſæuiſſimo pepercit hoſti, dum in ſpeluncam montis, vbi ipſe abditus latebat, Saul ingreditur: abſciſſam clamidem oſtendit, vt Regis animum ſibi conciliet; cuius demiratus Saul benignitatem eum in filium adoptat, blandaqne filij compellatione demulcet. *Poſt hæc autem abijt Saul* (inquit tex.) *in domum ſuam: & Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca.* 1.Reg. 24. verſ.23. Quis non miretur Dauidis commutationem? Dum eum perſequebatur Saul, ne infenſiſſimi hoſtis iras experiretur, & eius manus euaderet, in montibus exulabat, vbi tutum ſe credebat: at confeſtim vt ab eo Saul diſceſſit, cui vitam donauerat (ſiquidem illam ab ipſo auferre ſine diſcrimine potuit) ad tutiora loca aſcendit: cum Saul beneuolentiæ ſigna prẹſtat, & illum beneficijs habet deuinctum, plus timet, & ad tutiora loca confugit. Cur ita? Feſtiuè Baſil.de Seleuc. orat. 16. *Dauid totus erat, vt oppugnantem conſeruaret; Saul vt conſeruatorem perderet.* Quaſi Saul Dauidis beneficentia nocentior reddatur hoſtis, & ille beneficiorum pretio ingentius periculum emerit. Minus ſe tutum credit, cum ſe plus benefactorem agnoſcit, minus fidebat debitori, quam hoſti implacabili: nam certo ſciebat tandem beneficium exhibitum ad ſe ipſum redditurum, ſed hoſtis ſuperinducta natura. Nullus ingratus beneficium retinet in ſe ipſo, quia illud iacit in largitorem; ſed more grandinis in æſtiuo eempore, quando aquam, quam nubes aeri fidunt, in glacioſos lapides conuertit, quibus terram percutit: more ipſarum nubium, quẹ beneficio Solis eleuatẹ ipſum obnubilant: & quemadmodum Moyſes qui fluuij beneficio ſaluatus vitam debebat aquis, quas virgẹ iterato verbere poſtea cruentauit, & beneficium in flagellum conuertit, vt eleganter dixit idem Baſil. orat. 9. *Fluuius parcebat infanti, cuius ipſe quoque virga percuſſus ſcaturigines in ſanguinem tranſmutauit.* Quotquot beneficia Dei largitas in homines erogauit, tot contra ſe arma tradidit, & inimicas manus multiplicauit. Sic enim iniquiſſimus Princeps Nabuchodonoſor beneficia, quẹ à manu Dei affluenter acceperat, contra ipſum vibrauit, & aperto Marte ad ipſum deuoluit templum diripiendo, vaſa ſacra prophanando, & ſacerdotes iniuria aſſiciendo. In quorum vltionem ipſius perditionem Vates prẹnunciat, & in ipſum ventura talia, qualia ipſi alijs intulit incommoda. *Quia iniquitas libani operiet te, & vaſtitas animalium deterrebit eos de ſanguinibus hominum, & iniquitate terræ, & ciuitatis, & omnium habitantium in ea.* Hic verſ.17.

DISCVRSVS XX. MORALIS.

Aliena probra facilè; glorioſa geſta difficilè credunt homines.

1. NIhil homo magnum ẹſtimat, niſi quod in ſe habet; alienis ſemper inſidiatur laudibus, ipſaſque ſuſpectas falſitatis habet, & non vera confitetur, quibus verè cruciatur. Dedecora grata aure ſuſcipit; ipſiſque incrutinatam fidem adhibet: ac prẹconia ẹgrè ſuſtinet, deuenuſtat, & laudantium, ora claudere ſatagit. Huiuſmodi, autem malignum hominum genium acriter carpebat Baſilius hom.de inuidia. *Fontem ſcaturientem* (ait) *nemo obturat, & Sole ſplendente nemo oculos obuelat, neque inuidet illis, ſed ſibi ipſi comprecatur, vt frui contingat: verum ſermon: ſpirituali in Eccleſia ſcaturiente, & corde pio ex donis ſpiritus inſtar fontis emanante, non ſuſtines audiri cum lætitia: cum grato animo ſuſpicis vtilitatem; ſed pungunt te plauſus audientium, & velles neque eſſe, qui vtilitatem capiat, neque qui laudet.* Aliena laus inuidiam excitat, & quia eam dolet audire, credere diſplicet. At vix ſuſpicata probra aliena fidem adipiſcuntur: quia (vt dixit Sidonius Apollinaris lib.4.epiſt.18. *Efficaciùs, & citiùs natura mortalium culpat aliqua, quam laudat.* Ea, quẹ decorem referunt, & nitorem emittunt, oculorum aciem obtundunt, ne videantur, ne fidem inueniant: illa autem, quẹ obſcura ſunt & ſordida, maligno noctuẹ intuitu perſpicua apparent, & facilè ad fidem accedunt. Ita vt quotieſcunque de alicuius excellentia dubitatur, compertum ſit, illam habere, & ipſa dubitatio pro fide ſupponat: quia ſic auara eſt alienẹ laudis humana natura, vt neque dubitare incipiat niſi de excellentia, quẹ euidentiſſima eſt. Ingrediente Chriſto Domino Ieroſolymam, ciues ipſius laudibus intendentes clamabant. *Hoſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.* Matth. 21. verſ.6. Hi autem poſtmodum, etſi non omnes, vociferantes dicebant: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Ioann.19. verſ.15. Adeò homines addicti ſunt malẹ locutioni fidei non probatæ de aliorum vita,

Digitized by Google

vita, vt minimè, decenter de Chriſto loquerentur, & ſentirent, niſi ab ipſa euidenter impellerentur veritate. Vt luce clarius innocentia Chriſti Domini colligatur, ſat eſt, quod non omnes concorditer de illius operibus diſſentiant. Cum mala opinio conſtans non eſt, ſed vulgaris vox modo affirmat, modo negat, pro mutabilitate cognata ſignum abſolutionis eſt. Non conueniunt omnes in vituperando Chriſto, ſed aliqui dignum laude exiſtimant, ergo euidenter dignus laude eſt: popularis dubitatio erga ipſius prærogatiuas rem firmat & extra dubitationem collocat. Tam parcus homo eſt ad alienas laudes, tam prodigus ad aliena dedecora credenda, vt dubitaſſe excellentiam ſufficiat ad ipſius euidentiam, & neceſsè ſit ad conuincendam vitam criminoſam, omnes concorditer de illa ſentire.

2. Latè, diffuſèque paſſionem Chriſti Domini narrat Iſaias: *Non eſt ſpecies ei neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus & deſiderauimus eum: deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem.* cap. 53. verſ. 2. Et alias quam plurimas agglomerat ignominias, quibus perfidus, ac ingratus populus ſeruatorem affecit: nullos tamen teſtes vocat, vt commiſereantur eius, aut fidem faciant de iniurijs ipſi illatis. Cum verò idem Propheta de magnifico Chriſti triumpho agit, ac de ipſius imperio glorioſè dilatato ſuper cœlum, & terram differit, teſtes aduocat fideles, qui illius gloriæ retineant memoriam, & eam vbique teſtentur. *Et adhibui mihi teſtes fideles, Vriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ, & acceſſi ad Propheti ſſam &c.* cap. 8. verſ. 2. Tanta erat authoritas in diuino Vate dum ignominioſam mortem Chriſti Domini prædicabat, quod nullos vocat teſtes, vt eam gentibus notam faciat: ad gloriam autem, reſurrectionem, & imperium teſtes ſine exceptione aduocat ad maiorem rei teſtatæ euidentiam, vt Lyra, Hugo, & communiter Interpretes ad præcitata verba tenent. Quid? Vnius Iſaiæ teſtimonium non ſufficiebat, vt inducerentur populi ad credendam gloriam, & ſublimitatem, quam deuicto tartaro acquiſiuit, quod fideliſſimos teſtes adducit? Credibilius ſanè eſt ex ſua natura Deum ſplendida Maieſtate, & gloria nitere, quam ad ignominias crucis indecoras perduci. Hoc ergo teſtes exigebat fideles, qui admirationem à gentibus relegarent, quę vſque nunc audito Chriſto crucifixo ſcandalizantur. Cur ergo ad credibilius teſtes adhibet, & ad minus credibile prætermittit? Rationem fuiſſe reor: Quia optimè agnouerat Propheta, quam cunctantet, & difficulter adducatur homo ad alienas glorias, & excellentias credendas, quam feſtinantet, & abſque heſitatione ad ignominias. Paſſionis dedecus indubiè ab omnibus crederetur, neque ad hoc neceſsè erat idoneos teſtes adhibere: at præclara reſurrectionis gloria, inferni debellatio, & imperij Chriſti auguſta Maieſtas teſtibus indigebant omni exceptione maioribus, ne quis de ipſis ambigeret, & in dubium verteret veritatem, quę ipſis oculis cernebatur. Teſtium authoritatem aduocat Propheta: *Et adhibui mihi teſtes fideles:* Quia eximia excellentia, qualis erat illa, quam prędicabat, ſine euidentia in atteſtante falſa iudicaretur. Quęcunque illuſtria ſunt quęcunque excelſa homines facilè diſcredunt, & quantum glorioſis geſtis fidei detrahunt, tantum fidei ignobilium adaugent. Vt incredulitas erga generoſa pignora exarmetur, euidentia opus eſt: vt armetur fides ad dedecora credenda, vel leuis ſufficit ſuſpicio.

3. Accedentibus ad Ioannem legatis Sacerdotum, & Leuitarum, & interrogantibus, an eſſet Meſſias, an Elias, an aliquis Prophetarum: reſpondit ille: *Non ſum.* Neque vlterius dubitant, an ipſe eſſet, quod negabat; ſciſcitantibus autem, quiſnam eſſet, dixit: *Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini, ſicut dicit Iſaias Propheta.* Ioann. 1. verſ. 13. Nemo non mirabitur, quod Ioannes in hac vltima interrogatione, & non in alijs quę pręceſſerant, teſtimonium adhibeat Iſaię, vt veritati fidem negotiaretur. Quęritur, an ſit Chriſtus: an ſit Elias: An ſit Propheta: his omnibus vno verbo negatiuè reſpondit: *Non ſum.* Cum verò de ſe teſtificatur, quod ſit vox, ſtatim à ſe dictum teſtimonio Iſaię corroborat. Cur ita? Nam Iudęi qui magnificè de Ioanne iudicabant, non facilè mentem deponerent, qua ipſum egregium eſſe virum conceperant, & vel ipſa Diuinitate dignum. Cur igitur primo reſponſo quieſcunt, & nihil excellentius, quam ipſe dixerat, Ioannem reputant; vt autem ipſum vocem eſſe credant, Prophetam ipſis fideliſſimum in teſtem adducere neceſsè fuit? Niſi quia homines vt excellentię diſcredant (ſi fortè aliquam de alio conceperunt) non egent irreſtagabili teſtimonio: ſat eſt priuati hominis ſimplex vox, vt ſe deceptos reputent. Idcirco cum Ioannem audiunt affirmantem, ſe neque Chriſtum, neque Eliam eſſe, neque Prophetam, non vlterius interrogant, quia non vlterius de ipſo aliquid magnum cogitant: ſufficiens fuit *non ſum* audire, vt crederent ipſum non eſſe, ac de illo non honorificè ſentirent. At vt crederent vocem eſſe, quę quidem ſonus eſt, & quid aereum, alterius teſtimonio opus fuit. Vt homines ſibi perſuadeant, quod nulla dignitas in alio eminet, quodlibet ſimplex verbum ſufficit: vt autem concipiant, quod aliqualis honoris radius in alio elucet, ac ſcintillat, Prophetarum Diuina Authoritas exigitur. Licet vox populi ſit, & vulgi applauſus, qui hominem decorat, ipſi homines diſcredunt, & teſtes in medium producere, neceſsè eſt, vt aliqualem fidem prębeant meraciſſimę veritati.

4. Diſcipulis congregatis, & Thomę de

reſurrectione Magiſtri hęſitanti apparuit illę, & cicatrices vulnerum oſtendit. *Et cum hæc dixiſſet, oſtendit eis manus, & latus.* Ioan. 20. verſ. 20. Quæritur ab Interpretibus, cur Chriſtus Dominus cicatrices geſtauerit in corpore glorificato, ac impaſſibili, quę vitium quoddam corporis ſunt, quaſque nemo noſtrum etiam ſi in hac habuerit vita, in altera glorificatus habiturus eſt, pręter martyres, qui in cœlo vulnerum cicatrices ſunt habituri non tanquam vitia, ſed tanquam veritatis teſtimonia, vt cum Auguſt. de ciuitate Dei cap. 20. tenent quam plurimi. Vt quid igitur Chriſtus, qui in cœlo ſuę Diuinitatis, ac paſſionis, quam pertulit, nullo indiget teſtimonio, vulnerum ſigna reportat, & ad cœlos illis ſigillatus aſcendit? Pulchrè Rupertus lib. 12. de victor. Verbi Dei c. 28. *Quinque plagæ eius, quaſi quinque linguæ ſunt: plagarum ſuarum cicatrices idcirco in corpore ſuo retinuit, & reſeruauit, vt victoriam ſuam ſemper loquatur illis quaſi linguis.* Vel Chriſtus Dominus, qui tot contulit, beneficia Angelis, & hominibus, cicatrices retinet, vt eis quaſi linguis victoriam, quam de inferno reportauit loquatur. Tam rara lingua eſt, quę aliorum laudes, & pręclara geſta fateatur, vt Chriſtus linguatus aſcendat, ne eiùs victoria ſilentio ſepeliatur, diffidens de creaturarum natura, quę difficilis eſt ad alienas laudes extollendas, & diuulgandas, prona autem, & nimis facilis ad dedecora credenda, & publicanda. Vndę pręſagiebat Vates, dedecore, ignominia, & incontumelia explendum eſſe Nabuchodonoſorem: quia non modo non detraherent homines aliquid à ſuis ſceleribus, ſed innata libidine detrahendi ea augerent, & ſupra modum augerent. *Repletus es ignominia pro gloria &c.* Hic verſ. 16.

DISCURSUS XXI. MORALIS.

Difficulter reddit, qui aliena rapuit.

1. PVlchrè extractionem diuitiarum, quas rapuerat Nabuchodonoſor, vomitum appellauit Vates noſter, vt difficultatem reſtitutionis illorum, quę iniuſtè poſſidentur, ſignificaret. *Et vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.* Hic verſ. 16. Nam vomitus, qui non ab infirmitate prouenit, ſed à ventris ingluuie, magnum faſtidium, dolorem & nauſeam cauſat, ita vt viſcera euelli videantur: & tandem (licet cum magno dolore contingat, & magna ſtomachi reuolutione) tandem aliquid cibi remanet, ſubtilioribus nempe ipſius partibus ſtomacho adhęrentibus: ita vt non integrè vomitus reddat, quę ſtomachus cęperat. In quo apprimè ingenium illorum, qui ex rapina viuunt, exprimitur: illi enim, quę furto compararunt, & inuiſcerata habent, atque quaſi in ſanguinem, & carnem conuerſa, difficulter reſtituunt, cum graui nauſea, & dolore: & tandem non integra, quę rapuerant, ſed mutilata, & diminuta. Quod eadem metaphora ſignificauit de impio loquens aliena rapiente Sophar. *Diuitias* (ait) *quas deuorauit, euomet.* Iob. 20. verſ. 15. Vbi opportunè Caiet. tranſlationem vomitus reſtitutioni accommodat. *Declarat* (inquit) *& amaritudinis effectum inſtar vomitus, ad ſignificandam inuitam reſtitutionem, ſeu extractionem.* Amariſſimè enim & mortalibus anxietatibus, ſicut ad vomitum nauſeans, qui rapuit, quod traduxerat ad ſtomachum, & incorporatum habet cęteris bonis, quę poſſidet, reſtituit, & proprio domino reddit. Sicut qui reuolutum habet ſtomachum, nec facilè euomere poteſt, digitos mittit in os, vt violenter, & maxima vi applicata, quę ſaluti ſunt nocitura, quia illi non congruunt, extrahat: ſic qui alios defraudauit bonis ſuis, neceſsè eſt, vt reſtituat, digitos commutationis Diuinę, & proprię conſcientię, quę ſtomachum animę iugiter inquietant, mittere, vt quæ poſſidet non ſua creditoribus reſtituat. Non abſimili metaphora idipſum ſignificauit Vates hoc ipſo capite verſ. 6. dum denſum lutum appellat, quę iniuſtè poſſidentur. *Væ ei, qui multiplicat non ſua: vſque quo & aggrauat contra ſe denſum lutum.* Cathechiſmus ad Parochos ex decreto Tridentini editus ſumpta ex his verbis occaſione, diuitias ex alieno paratas denſo luto aſſimilat: quia ex illis, quaſi ex luto condenſo, difficilè quis poteſt emergere, & non facilè à partibus luti, quę adhęſerunt veſtibus, ſe expedire. Audienda ſunt verba Cathechiſmi. *Reſtitutio, cum quis aſſueuerit ex alienis locupletari, quantam habeat difficultatem, præter id, quod vnuſquiſque & ex aliorum conſuetudine, & de ſuo ſenſu iudicare poteſt, ex teſtimonio Habacuc Prophetæ licet intelligere. Ait enim: Væ ei, qui multiplicat non ſua? Vſquequo & aggrauat contra ſe denſum lutum? Lutum appellat denſum rerum alienarum poſſeſſionem, vnde emergere, & expedire ſe homines difficilè poſſint.* Nec diſſentit 70. verſio nam vbi vulgatus habet *denſum lutum* illi reddiderunt. *Torquem ſuam grauiter.* Qua metaphora optimè explicat, quantum alienę opes ponderis atque impedimenti afferant iniuſto poſſeſſori: iniicit enim ſibi durum iugum, quod ceruicem onerat, & incuruat, & à quo difficilè liberari poteſt, qui aliena retinet iniuſtè, & quam putat eſſe torquem, experitur eſſe laqueum ad ſuſpendium à quo difficulter poterit explicari.

2. Depoſitis viduitatis ornamentis, velata facie, & induta theriſtro ſedebat in biuio Thamar, quam meretricem eſſe reputans cõcubuit

cum

cum ea Iudas, conuentione facta, quod hædum ei eſſet miſſurus: illa autem vt promiſſione certior fieret, pignora petijt accepitque annulum, armillam, & baculum. Poſtea autem famulum miſit Iudas, qui hædum pollicitum portauit ad locum, vbi Thamar remanſit, vbi pignora reciperet quam cum non inueniſſet, redijt ad Iudam aſſerens meretricem ibi non inueniſſe. Cui ille: *Habeat ſibi: certè mendacij arguere nos non poteſt*. Gen. 38. verſ. 23. Aſt quo pacto ex abſentia Thamar, quæ ſecum deportauerat annulum baculum, & armillam, Iudas infert, de mendacio non poſſe argui. cum exinde argutus de mendacio remaneat? Nam ipſe dixerat ſeruo, meretricem adinueniendam cum pignoribus: quam tamen non inuenit. Quare ergo non vltra eam quęrit, ne mendax haberetur: cum potius eam quęrere oporteret, vt allatis pignoribus, de veritate quam narrabat conſtaret? Cur ergo non vltra eam quęrere præcipit, ne mendax haberetur? Acutè Caiet pro ipſo Iuda reſpondit. *Non eſt vltra quærenda reſtitutio pignorum, ne vilipendamur*: Sciebat Iudas, quam difficulter alienorum fiat reſtitutio, & quod Thamar ne pignora ſemel accepta redderet, ea fortè accepiſſe denegaret: facta autem publica inquiſitione omnes audiſſent, Iudam illa pignora tradidiſſe affirmare tali conditione, vt miſſo hædo ea reſtitueret, conſtaretque Iudam id narraſſe, & minimè de reſtitutione pignorum: quo de Iudæ veritate omnes dubitarent, & mendacij eum arguerent. Igitur pignora reliquit non vltra inquiſita, ne ipſis non reſtitutis, & publicato euentu in contemptum, & mendacis opinionem deueniret. *Non eſt vltra quærenda reſtitutio pignorum: ne vilipendamur*. Inquiſitionem pignorum pręterminttit quia ſciebat fruſtra reſtitutionem ſemel ablati exquiri, & verebatur, ex publicata pignorum ablatione, & reſtitutione non facienda mendacem reputari.

3. Magnopere Deus commendabat pro damno illato pœnam inferendam: illam autem formam in reſtitutione alieni obſeruari præcepit. *Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, & occiderit, vel vendiderit: quinque boues pro vno boue reſtituet, & quatuor oues pro vno oue*. Exod. 22. verſ. 1. & 4. Et paulò infra. *Si inuentum fuerit apud eum, quod furatus eſt viuens, ſiuè bos, ſiuè aſinus, ſiuè ouis, duplum reſtituet*. Pugnare inter ſe videntur hæ leges, & contra rationem fuiſſe latæ. Nam cur qui apud ſe furtum diſſipauerat, aut alienauerat à ſe, illud reſtituere in quadruplum, aut in quintuplum tenebatur? Cur hic grauiori pœnæ ſubijcitur: cum tamen qui integrum furtum ſeruat, & non reddit, grauiori ſupplicio dignus videatur? Minus, culpæ imò aliquando nihil habet, qui non reddit, quia iam res conſumpta, & diſſipata eſt, & alias non habet, vndè illam compenſet; quam is qui apud ſe integrum habet, quod ſubripuit, & adhuc reſtituere non vult. Quid? Proderit culpa retinenti iniuſtè aliena, & non proderit impoſſibilitas, qua excuſatur à culpa ille, qui iam non habet vndè reddat? Subtiliter Lyra motiuum legis fuit auſpicatus. *Si apud furem* (inquit) *fuiſſet inuentum Animal, antequam occidiſſet, vel vendidiſſet, non reſtituebat niſi duplum, quia præſumebatur, quod erat inclinatus ad reddendum*. Adeò enim hominibus difficilè eſt, aliena reddere, & malè parta reſtituere, vt vel ſola inclinatio ad id faciendum Deo placeat; proindèque mitiori pœna illum mulctet, qui rem apud ſe habet (licèt non reſtituat) quam qui iam eam diſſipauit: quia præſumebatur, quod erat inclinatus ad reddendum, qui apud ſe ablata retinebat. Ille qui ſuffurata diſſipauit, & reſtitutionem, & deſiderium reddit impoſſibilia: & idcircò ob vtrumque punitur, & grauiori pœna plectitur. At verò qui rem conſeruabat alienam, inchoationem iuſtitiæ, & inclinationem ad reſtituendum habere videbatur: ideòque parcitur deſiderio. Quia adeò eſt difficilè, malè poſſeſſa reſtituere, vt in parte Deum habeat placatum, qui ad reſtitutionem inclinatur.

4. Mille clades propter arcam Dei, quam apud ſe habebant Philiſtijm populo Hebræo detractam, paſſi ſunt: pro illa enim ſegetes deſtructas, homines mortuos, lacerum, ac confractum Dagon deplorabant: nihilominus eam apud ſe diù retinuerunt. *Fuit ergò arca Domini in regione Philiſthinorum ſeptem menſibus*. 1. Reg. 6. verſ. 1. Cur Dei arcam, quam noxiam experti erant Philiſthini, apud ſe tam diù retinent? Si tot plagas erant perpeſſi, & de illis dolentes magnis clamoribus dicebant. *Non maneat apud nos arca Domini*: Vt quid illam tam nociua obſtinatione conſeruabant, & populo non reddebant Hebræo? Niſi quia homines ad vltro reſtituendum creditoribus, & aliena à ſe relegandum difficillimè adducuntur. Mille plagas patiuntur Philiſthijm, eo quod aliena rapuerant, & ſegetes eorum deſtruuntur, vxores moriuntur, & filij, pluraque illis paſſim contingunt mala, & tamen aliena quæ poſſident, non reſtituunt: quia etiam cum ingenti nocumento malè poſſeſſa retinent, & vltroneam reſtitutionem recuſant: quaſi reſtitutionis dolor cæteros ſuperaret, & plus malè poſſeſſa à ſe euellere ſentirent, quam charis pignoribus viduari. Hinc Iſaias metaphoricè diuitias carnes pingues vocauit. *Et erit in die illa: attenuabitur gloria Iacob, & pinguedo carnis eius marceſcet*. Iſaiæ cap. 17. v. 4. Vbi pro carnibus *diuitias* vertit Hieronym. vt dolor vehemens ſignificetur, qui ex diuitiarum ſeparatione cauſatur. Nam quis ſine graui ſenſus dolore ſibi carnes amputari, viſcerum extrahi medullas, ac vitalem pinguedinem exſugi feret? Quis, quæ vſurpauit, & in carnem conuertit, ac ſanguinem, ſine magno crucia-

men-

mento à ſe ſeparari patietur? Vndè quidam dicebat lepidè non eſſe conſulendum hominibus, quod ablata reſtituant, quia vanè id exigitur, ſed quod non furentur: nam ſemel alienis ſubreptis, nulla reſtitutionis faciendæ affulget ſpes.

DISCURSUS XXII. MORALIS.

Honoris priuatio ambitioſo mortis quoddam, imò & inferni genus eſt.

1. VT ſupplicium exaggeraret Vates Nabuchodonoſori infligendum propter ipſius peruicacem inſolentiam, illius gloriam in ignominiam, & dedecus fuiſſe commutandam præſagiebat, *Repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque, & conſopire: circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.* Hic verſ. 16. Quaſi dicat: Quod tibi putabas glorioſum futurum, magnam poſtea ignominiam afferret: nam tu quoque de calice iræ Domini amare bibes, itaut inebrieris, ac vehementer puniaris. Valdè namque ignominioſum ſupplicium attrahet tantò imperio, & tam diuiti, ac ſuperbo Principi, ſubitò potentia ſua ſpoliari: nam ambitioſo (qualis erat Nabucho) honoris priuatio mortis quoddam ignominioſæ genus erit. Prima victoria parta à filijs Iſrael de vrbe Regia, cui nomen Beſech, vbi cæſis decem hoſtium millibus, maxima res effecta eſt, ipſeque Rex captus, quem de multis tumentem victorijs ita crudelitas efferebat, vt ſeptuaginta Reges, ſeù Dynaſtas amputatis manuum pedumque ſummitatibus, ferali ludibrio, ſub menſa habuerit, qui obiectas ciborum reliquias, hiantium more canum, corriperent: talionem perſoluere fuit coactus. Amputatis igitur ei manuum, pedumque ſummitatibus, tùm ne arma, fugamuè poſſet capeſſere, tùm præcipuè, vt genus crudelitatis, quod in alios exercuerat, experiretur, ipſum deuictum addnxerunt. Rem ita narrat text. Sacer. *Inueneruntque Adonibezec in Vezec, & pugnauerunt contra eum, ac percuſſerunt Chananaum, & Pherezaum: fugit autem Adonibezec, quem perſecuti comprehenderunt, cæſis ſummitatibus manuum eius, ac pedum.* Iudic. 1. verſ. 5. & 6. Quærunt interpretes, cur Iſraelitæ captum Regem ſtatim non interfecerunt, cum Deus illis iuſſerit Chananæos ad vnum occidere, vt habetur Deuth. 20. Abulenſ. queſt. 9. in Iud. putat. *Seruatum, non vt viueret, ſed vt mora mortis grauius torqueretur: multò grauior expectata mors eſt, quam illata, vt ait Hierony.* Non occiditur Rex in ſententia Abulenſ. ne ſuppliciorum compendium faciat, ſed quotidiè patiatur mortem; ſe deſpectum, & à regno depoſitum aſpiciens. Mitius enim eum eo ageretur; ſi ſemel vitam indecoram finiret: ſed quia grauiùs morte eſt regno ſpoliari, & honore, ſuperſtes relinquitur, vt regiæ dignitatis priuatione acriùs, ac vehementius puniatur quam ipſa morte: quia plus torquetur ſuperbus honoris amiſſione quam cruentiſſima morte.

2. Miſeram Saulis occiſionem narrat text. Sacer. quæ ſecum attulit totius familiæ inuerſionem. *Interijt ergo Saul, & tres filij eius, & omnis domus illius pariter concidit.* 1. Paralip. 10. verſ. 6. At quorſum dum Saulis ruinam à Philiſthinis illatam narrat Sacer Hiſtoricus, omnem eius domum, & familiam pariter concidiſſe affirmat? Si conſtat ex eodem Sacro eloquio, quod Saul tantùm, & tres filij eius in prælio occubuerunt, remanſitque Isboſet, & reliqua eius familia: cur mortuis annumerantur ſuperſtites, & totam domum penitus interijſſe dicitur? *Domum eius pariter concidiſſe dicit non vt non eſſet, de quibus erat Mardochæus, ſed vt non regnaret.* Hierony. in tradit. Hebrai Tam itaque interijſſe dicuntur, qui regni honore, quam qui vita priuantur. Hinc poſteri Saulis, quorum aliqui ſuperuixerant, quia regnaturi non erant, perijſſe dicuntur. *Et omnis domus illius pariter concidit.* Expauenda ſanè, & acerbior morte, quæ vnò ictu ferit, pœna eſt à dignitate deponi: vitæ reputantur mortui, qui honoribus moriuntur. Hinc Moyſi exulanti in terra Madiam, & iras fugienti Ægyptij Regis, ac eorum qui in domo regia erant, dixit Dominus: *vadè & reuertere in Ægyptum: mortui ſunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.* Exod. 4. v. 19. Dubitat Aug. cur mortui dicantur omnes, qui quærebant animam Moyſis, & moliebantur eius interitum, cum de ſolo Rege Ægypti ſcriptura dicat, mortuum fuiſſe, & de ſolo ipſo antea habeatur, quod Moyſem quærebat occidere. Numquid quia ſemper aulici Regis deſiderio blandiuntur, & ad ipſius nutum placita diſpenſant? Fortè ità. Sed certè mortui dicuntur Regis miniſtri mortuo Rege: quia à munere, & poteſtate fuerunt depoſiti. Qui poteſtate functi erant, vita functi dicuntur: nam dominio aſſuetus, cum illud exſpirat, exſpirare creditur.

3. Hinc damnati, & tenebrarum Principes proprio ore fatentur: non tam barathri igne, quam honoris, principatuſque priuatione torqueri, & excruciari. Diuitem illum audiamus qui purpura indutus, & byſſo inter pretioſas epulas Lazarum faſtidioſus exhorrebat. In orco iam ſepultus eleuat oculos in pauperem felicem, eflagitatque illius digitum aqua tinctum, vt ardentem linguæ cuſpidem temperaret. Quòd cum obtinere nequiret,

ret, importunus inſiſtit, & Abraham ita deprecatur, Lucæ 19. v. 27. & 28. *Rogo ergò te pater, vt mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis ne, & ipſi veniant in hunc locum tormentorum*. Quid? In damno exſtat Charitas erga fratres? Bonus affectus ineſt ad ſalutem propinquorum? Abſit. Non proueniunt hæ preces ex charitate, neque ex bono affectu erga ſalutem fratrum, nam damnati habent firmatam voluntatem ad malum; vndè ergò illæ, quæ videnter piæ deprecationes oriuntur? *Ex affectu ſuperbiæ* (ait pulchrè Caiet.) *ſuperbus enim videns ſe detectū in miſeriam, quamuis omnes vellet eſſe miſeros ſimiles ſibi, aut miſeriores ſe, videns tamen aliquos cuaſuros miſeriam, appetit ſuos eſſe, qui euadat miſeria vt vel ſic, hoc eſt, in ſuis exaltetur. Videbat enim diues multos ſaluari: & propterea appetebat, ſuos fratres euadere miſeriam, vt vel in ſuis fratribus exaltaretur*. Non ſolùm flamma cruciabat diuitem, ſed gloriæ carentia illum acriter torquebat: quam vt euadat pœnam, ſuos cupit ſaluos fieri, vt ſi non in ſe ipſo, ſaltem in ſuis, illius honoris quem ſuſpirabat, non eſſet priuatio, vt vel ſic minus torqueretur. Quaſi acerbior diuitis ærumna non gehenna eſſet, ſed expulſio ab honore, quem in alio inuidet. Hinc eſt, quod Lazaro ſignatè dixerit: *Quia crucior in hac flamma*. Quaſi diceret: Hæc flamma, qua crucior, priuatio honoris eſt, quem habet pauper: non tam orci flammis, quam honoris carentia, quem Lazarus poſſidet, crucior. Sic ſubuoluit Auguſt. adductus à Gloſs. *Seruatur ergò diuiti ad pœnam, & cognitio pauperis, quem deſpexit, & memoria fratrum, quos reliquit: vt de viſa deſpecti gloria, & pœna inutiliter amatorum amplius torqueretur*. Viſa deſpecti Lazari gloria, qua diues epulo apud infernos carebat, horrendum, & prorsùs intolerabile ipſi erat ſupplicium. Fratres ambit ab illa pœna auertere, vt aliquo modo ſibi negotiaretur ſolatium, ſi ſuos ſaltem ſine honoris priuatione: quia pluſquam immortales flammæ, mortalis honoris priuatio illum vexabat.

3. Semei, ac iterum conqueruntur dœmones de Chriſto Domino, eo quod eos, ab hominibus exire compulerit. *Quid Nobis, & tibi Ieſu Nazarene: veniſti perdere nos?* Dicebant Marc. 1. verſ. 24. & Matth. 8. verſ. 29. *Quid Nobis, & tibi fili Dei: veniſti huc ante tempus torquere nos?* Quorſum hæ dœmonum querimoniæ? Quid nouiter torqueri pertimeſcunt, qui inextinguibilibus inferni flammis ſunt mancipati? Lyra ad locum Marci. *Veniſti perdere nos: ideſt, diminuere, & auferre poteſtatem noſtram nocendi hoſtibus*. Subſcribit Caiet. Ibid. *Appellant dæmones perditionem ſuam, vel perditionem regni ſui in hominibus, vel coactionem ſpiritualem, qua ſentiebant, ſe cogi à Chriſto ad exeundum ab hominibus*. Quod dœmones coactione ſpirituali torqueantur exire, non miror: nam iuxta Thomiſticam ſententiam dœmones torquentur per alligationem ad determinatum locum; vndè cum à Chriſto cogebantur ad exeundum ab vno, vt alligarentur alteri, de nouo cruciabantur. Sed quod torqueantur, & perditionem formident, ex eo quod minuatur, vel auferatur eorum poteſtas nocendi hominibus, & dominium, quod in ipſos habent, hoc ſatis miror; præcipuè quod hac poteſtate priuari, & regno deponi ſuam perditionem, & cruciamentum vocent. *Veniſti ante tempus torquere nos: hoc eſt, ante iudicium: nam tempus* (ait Caiet. ad locum Matthæi) *quo torquebimur, erit poſt iudicium; interim autem eſt tempus, quo torqueamus alios: & propterea ante tempus noſtræ torturæ dicunt ipſum veniſſe ad torquendum eos*. Nonne, verſipelles, nunc ante iudicium æternis cruciatibus torquemini? Cur ob priuationem poteſtatis in homines, ante tempus torqueri dicitis, quaſi non aliundè cruciaremini? Sed iam veſtræ querimoniæ cauſam auſpicor: eſt enim hic, ſuperbus ille, & ambitioſus ſpiritus qui æternam Deitatem anhelabat. *In cœlum conſcendam ſimilis ero altiſſimo*. Iſaiæ 14. verſ. 14. Priuatio ergò poteſtatis, quam habet in nocendis hominibus, magis acerbè illum vrit, quam æterna pœna, cui æternè addictus eſt. Non queritur de gehenna, quam vbique patitur, & de priuatione poteſtatis conqueritur: quia plus hæc quam illa, illum pœna cruciabat: etſi morti eſſet obnoxius, honoris carentia, regni, & poteſtatis, abſque vllo alio interimeretur telo. Sed vt dixit Cyril. *Permiſit Deus diabolo viuere, vt ille quidem magis confundatur, homines autem coronentur*. Quaſi hac ſola honoris priuatione perimendus eſſet, ſi eſſet mortalis, & à Deo permitteretur. Adeò illius ambitioni hæc poteſtatis ablatio exitiale mortis genus eſt. Quemadmodum de illo epulone ſapienter dixit Ambroſ. *Cur cruciatur ante iudicium? Quia luxurioſo carere delitijs pœna eſt*. Vt enim nullum luxurioſo grauius eſt ſupplicium, quam delitijs, & menſa ſpoliari: ſic ambitioſo, quam ab honore, & poteſtate deponi.

Verſ. 18.

Verſ. 18. Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam? Quia ſperauit in figmento fictor eius, vt faceret ſimulacra muta?

Verſ. 19. Væ qui dicit ligno: expergiſcere; ſurge lapidi tacenti: nunquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt auro, & argento: & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius.

Verſ. 20. Dominus autem in templo ſancto ſuo: ſileat à facie eius omnis terra.

ANNOTATIO X.

Expoſitio Litteræ.

1. VEhementer Chaldæi idolorum cultui dediti erant, & ſuperbè, ac magnificè illum tractabant. De quo latè Herodotus lib. 1. Inter alia autem hæc habet. *In Babylone eſt ſacellum inferius, quod Iouis magnam habet ſtatuam, eamque auream: quoque menſam, & ipſam auram: ſimul & ſuſtentaculum cum ſella: omniaque aurea. Adeout Chaldæi octingentorum talentorum auri opus æſtiment. Extra templum altare eſt, & ipſum aureum. Habes & aliud altare, in quo Chaldæi quot annis centum millia talentornm Libanoti adolent.* Ait igitur nunc Vates: Quid proderit vobis, ô Chaldæi, veſtrum ſculptile: ſiquidem illud fictor ſuus ſculpſit? Quid proderit conflatile veſtrum, & falſa imago, vt poſſitis in ea ſperate vos, qui eam finxiſtis? Ah miſerum, qui ligno dicit: ſurge, & libera me. Num lignum illud docere poterit, quid in tribulatione facto opus ſit? Opertum planè eſt auro, ſed nullum ſpiritum habet. Abſoluit autem execrationem pulchro epiphonemate. *Dominus in templo ſancto. ſileat à facie eius omnis terra.* Quia nihil habet, quod opponat Diuinæ Maieſtati: nam quod adorant Chriſtiani, non eſt ſignum, non finxit illud fictor, non caret ſpiritu: nam nos non dicimus ligno: vt exurgat, & opituletur nobis: ſed videntes lignum admonemur prothotypi, ideſt, Chriſti, qui pependit in ligno, quem rogamus, vt ſurgat, & adiuuet nos atq; in tribulatione nos protegat.

2. *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam? Quia ſperauit in figmento fictor eius, vt faceret ſimulacra muta.* Irridet Chaldæos, qui idolis ſuis confidebant, putantes ſe ab illis poſſe protegi. Quid vobis proficiunt ſimulacra vana ſi miſerrimè eſtis debellandi? Quid ſculptile, Quòd Deus non eſt, ſed opus hominis qui illud effecit ex lapide, aut ex metallo, & nihil aliud conflauit, niſi imaginem falſam, & decipientem? Et tamen ita inſanitis, vt ille ipſe, qui finxit idolum, & certo ſcit, ſe ex ære feciſſe, vt lapide, ſperet, confidentiam ſuam in illo conſtituat, & ideò idola hæc muta ædificauit, vt haberet Deos, quos adoraret, quibus collocaret fiduciam. Tota ſententia huius verſus ſatis inuoluta eſt, & difficilis, atque obſcura redditur repetitione illis coniunctionis, *quia*, quæ hic idem valet, *quamuis*. Et ſenſus eſt: Quamquis taliter fictor finxerit ſculptile, conflatile, & imaginem falſam, quamuis ipſe in figmento ſuo ſperauit: quod emolumentum, quam vtilitatem ex mendacibus ſnis laboribus fuit aucupatus? Idem mihi ſonant hæc Habacuc verba, ac illa quę dixit Moyſes Deut. 32. verſ. 37. & 38. *Vbi ſunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum. Surgant, & opitulerunt vobis, & in neceſſitate vos protegant,*

gant, & opitulerunt vobis, & in neceſſitate vos protegant. Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo, & non eſt, qui de manu mea poſſit eruere. Theophilact. putat, quòd cum Cyrus Babyloniam obſideret, & vrgeret vehementer, ad Deos ſuos per incantationes, & præſtigia, confugerunt Chaldæi, & quia nullum ab ipſis habuerunt auxilium, ideò Propheta illorum dementiam, ſuperſtitionem, & vanam ſpem deridet.

3. *Væ qui dicit ligno expergiſcere; & ſurge, lapidi tacenti*. Væ homini illi, qui ita demens eſt, vt mutum idolum, & ligneum ita alloquatur, ac ſi mentem haberet, & ab illo auxilium petat. *Expergiſcere* verbum eſt inuocantis, & quaſi incuſantis idolum, quod non auxilietur. Sic Deo dicebat Dauid Pſalm. 43. verſ. 23. *Exurge, quare obdormis Domine*. Et fortè alludit Propheta ad id, quod arbitrabantur Gentiles, nempè, Deos ſuos pro aliquo tempore ſopori fuiſſe deditos, ipſoſque excitare neceſſe fore orationis tempore, vt orationem preces, & ſacrificia, quæ tunc immolabantur, exciperent; vndè Elias (3. Reg. 18. verſ. 27.) dicebat Sacerdotibus Baal: *Clamate voce maiori, Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur*. Ipſum docuit Apuleius lib. 11. Milleſiæ fabulæ his verbis. *Incohoatæ lucis ſalutationibus religioſi primam nuntiantes horam perſtreperunt*. Quaſi religioſi Dijs ipſis nuntiarent, & admonerent tempus iam adeſſe euigilandi.

4. *Nunquid ipſe docere poterit*? Nunquid lignum, lapis aut metallum poteſt aliquid loqui, erudire, aut indicare cultori ſuo, vt quid facere, quid vitare debeat, agnoſcat? Quaſi dicat: minimè. Duo à lapide, & ligno poſtulabant Chaldæi: auxilium in neceſſitatibus, & in dubijs conſilium; neutrum autem illorum ab idolis poterant ſperare: quia neutrum illa præſtare poterant, quia nec audiendi, neque loquendi, neque ſubueniendi facultatem habebant. *Ecce iſte coopertus eſt auro, & argento*. Iſte, quem tu deluſus tanquam Deum adoras, nihil aliud eſt, quam lapis quidam coopertus auro, aut argento, qui vita, & ſpiritu caret. Quo ergò pacto loquetur?

5. *Et omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius*. Vita caret, & ſpiritu, inanimis materia eſt, nullo pacto ad veſtras voces exurgere, aut opitulari poteſt Viſcera vocat ea, quæ intra corpus ſunt. *Et omnis ſpiritus non eſt in Viſceribus eius*: Ideſt, nullus ſpiritus in eo eſt. Quia *omnis* adiuncta negatione idem valet, ac nullus. Vt Matth. 24. verſ. 22. *Et niſi breuitati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro*. Ideſt, nulla caro, nullus homo ſaluus fieret.

6. *Dominus autem in templo ſancto ſuo*. Non eſt ſimilis idolis veſtris Deus noſter: nam veſtra idola nihil ſunt, niſi ludicra monſtra, nihil ab illis, aut ſperari, aut timeri poteſt magis, quam à trunco: quia lapides ſunt ſine vita, ſine ſenſu; Deus autem noſter Deus verus eſt, & in cœlo habitat, quod eſt templum eius, *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius*. Pſalm. 10. verſ. 9. Veſtri Dij contrectantur, poliuntur, & eiſdem quibus homines, locantur ſedibus; at Deus noſter altius habitat, quam vt ab hominibus tangi poſſit, nam in cœlo habet ſedem ſuam; eſt enim hoc loco templum idem, quod cœlum, vt tenent cum Hieronymo plurimi latini Auctores, & ex Græcis Cyril. Theodoretus, & Theophil.

7. *Sileat à facie eius omnis terra*. Tres ſenſus hic littera offert: primus eſt. Sileat terra, quia nihil habet, quòd Deo noſtro obijciat: non enim eſt lignum, aut inanimatum ſculptile, non caret ſpiritu, non eſt infirmus ad opitulandum. Secundus: ſi Deus eſt in templo ſuo indè omnes reſpiciens, procumbat coram eo omnis terra, adoret eum in ſilentio, & ſpe, & taceat, & ſileat in eius fiducia ſperans. Tertius: ſi Deus eſt in templo ſuo, ceſſent omnia bella, quieſcat in pace vniuerſa terra. Cur enim coram Domino bella inardeſcant? Omnes ſileant, & ſilentio tanto Domino debitam exhibeant reuerentiam, & formidinem. Silentium enim indicium ſolet eſſe reuerentiæ, ac timoris, vt Iob 29. verſ. 8. & 9. *Videbant me iuuenes, & abſcondebantur, & ſenes aſſurgentes ſtabant, Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuper ponebant ori*

Rr *ſuo*.

ſuo. Et hinc Iacobus in ſua liturgia in ſilentio commendabat reuerentiam, quam fideles tenentur Auguſtiſſimo Euchariſtię Sacramento præſtare. *Sileat omnis humana, ac mortalis caro, ſtetque cum metu, ac tremore, ac nihil terreſtre apud ſe ipſum cogitet: Rex enim regnantium, & Dominus dominantium Chriſtus Deus noſter progreditur, vt immoletur, ac detur in cibum fidelibus: ipſum autem antecedunt Angelorum Chori cum omni imperio, & potentia.*

DISCURSUS I. MORALIS.

Qui de ſuis non curat, non homo, ſed ſpectrum eſt.

1. IN idolo, quod ingenti auri, & pretioſiorum vnionum copia exornabant Chaldæi, & à quo nullatenus neque auxilio, neque conſilio poterant adiuuari, myſticè reprehendit Vates Præpoſitorum ſocordiam, & inertiam, qui propria negligunt, & nullo pacto ſuis opitulantur, cum tamen ab ipſis diuitem famulatum aucupentur: eos, qui nullo pacto proſunt ijs, quibus præſunt. *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam? Nunquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt auro, & argento, & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius.* Hic verſ. 18. & 19. Vbi Gloſſa Moralis: *Homines parui, aut nullius valoris ſimulacra dicuntur.* Plures enim, qui quaſi Dij adorantur, & in magno pretio habentur, nihil aliud ſunt, quam ſpectra auro, & argento cooperta, vita & ſpiritu carentia, quia nihil minus curant, quam quod curare tenentur, nec exercere valent munus, ad quod iniuſtè euehuntur: vndè non homines, ſed hominum laruæ cenſendi ſunt. De Eunucho illo Principe exercitus Pharaonis, qui emit Ioſeph, ait text. Geneſ. 39. verſ. 6. *Nec quidquam aliud nouerat, niſi panem, quo veſcebatur.* Quod idem valet (Authore Oleaſtro) acſi text. diceret: quod Putiphar de rebus ſuis nihil agnoſcebat, niſi panem, quem comedebat: Joſepho enim cuncta curante, & prouidente, Dominus eius nihil curabat niſi comedere, & bibere; idcircò non Princeps abſolutè dicitur, ſed Eunuchus, qui non homo, ſed imperfectiſſimus homo eſt: quia qui alteri ſui muneris curam committit, & tantum de cibo curat, non integer homo, ſed imperfectiſſimæ, ac mutilatæ humanitatis reputatur. Verùm quomodo Putiphar Eunuchus dicitur, ſi conſtat vxorem habuiſſe, quæ poſtea adamauit Joſeph? Hieronym. ex Hebræo difficultati occurrit. *Tradunt Hebræi, emptum ab hoc Ioſeph ob nimiam pulchritudinem in turpe miniſterium, & à domino virilibus eius arefactis.* Lyra, & Caiet. putant æquiuocè accipi verbum Eunuchus: aliquando pro caſtrato, aliquando pro miniſtro, ſeù ſeruo alicuius Principis. *Et vocatur talis* (ait Lyra) *Eunuchus, eo quod debet eſſe caſtus, & honeſtus: & hoc modo accipitur hic*: Caietanus poſtquam Lyra aſſenſit, fatetur, ſe cauſam ignorare, cur ſic dicantur, & cur de illo text. aſſerat. *A quo præpoſitus* (Ioſeph nempè) *omnia gubernabat, creditam ſibi domum, & vniuerſa, quæ tradita ei fuerant: nec quidquam aliud nouerat, niſi panem, quo veſcebatur.* Et tandem Lyra opportunè ad noſtram Theſim difficultatem ſoluit. *Dominus Ioſeph de omnibus, quæ habebat, dimittens curam eorum ipſi Ioſeph, nihil aliud nouerat, niſi cibum ſuum, qui nomine panis intelligitur: ſerò enim petebat Ioſeph à domino ſuo, quid in craſtino vellet comedere, & de hoc ſolo dominus Ioſeph diſponebat.* Curam domus, quæ ipſi incumbebat, à ſe relegauerat Putiphar, & Ioſeph commiſerat: vndè merito dubitatur, an homo integer, & perfectus eſſet; quia qui de munere ſuo, & rebus ad ipſum attingentibus non curat, non homo perfectus reputandus eſt, ſed Eunuchus, ſeruile, & deſpectiſſimum ſpectrum.

2. Judic. 17. v. 6. dicitur. *In diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque, quòd ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Magnam hic textus ingerit difficultatem, & à qua non facilè expediuntur Interpretes: nam factum Michæ quod in hoc capite narratur, ex Hebræorum ſententia, exiſtimat Lyra, ſub Othoniel contigiſſe, qui ſucceſſit Ioſue: probat autem ex eo, quod dicitur Ibid. cap. 28. & 31. *Manſit apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo.* Quod tempus incœpit ante mortem Ioſue, vt habetur Ioſue 18. tempore autem Ioſue non declinauerunt ad idololatriam filij Iſrael, vt conſtat ex cap. 2. Judic. *Et ideò* (inquit Lyra) *dicunt, quod hoc accidit in principio temporis Othoniel, quod fuit propinquum poſitioni tabernaculi in Silo, poſt tempus Ioſue.* Si ergò Othoniel populum iudicabat, cum ille ad idolatriam diuertit: quo pacto dicitur, quod vnuſquiſque prout ſibi libebat, operabatur: quia Rex non erat in Iſrael? Caiet. ad difficultatem. *Non dicitur non erat Iudex: Iudices enim non dominabantur, queadmodum Reges dominantur; & propterea dicendo non erat Rex, ſignificatur, quod non erat aliquis Dominus, non erat aliquis habens poteſtatem coercendi inuitos, & puniendi. Et propterea vnuſquiſ-*

quiſque ſuo arbitrio regebatur. Sed adhuc intellectus non quieſcit: nam Iudices, qui populi regimini erant præpoſiti, ipſum dirigere tenebantur, & poteſtatem habebant ad coercendos ſceleratos. Si igitur tunc populus Iudices habebat, de quorum numero fuit Othoniel, quo pacto verum eſt, Regem populum tunc non habuiſſe, & pro ſuo quemque vixiſſe arbitrio? Venuſtè Rupertus lib.4.de Vict.cap. 10. rem ſoluit. *Ac ſi dicat: Qui in diebus iſtis iudicabat Iſrael, etſi ſecundùm nomen, perſonamque, aliquid erat; ſecundùm rem, meritumque nullus erat*. Qui muneri ſibi commiſſo non incumbit, quaſi nemo eſt, & nullus iudicatur: nomen tantum hominis habet, eſſentiæ homini his nihil. Iudices, qui populi habenas moderabantur, eas laxabant, & vnuſquiſque pro libito ſuo viueret, curam negligebant, quam habere tenebantur: & idcircò in hominum numero non computantur, & non fuiſſe perhibentur in illo tempore, & loco: quia quod non eſt, nullibi exiſtit. Huc reſpicit, quod ipſe penſitauit Rupertus 1. Reg.4. verſ. 18. Vbi dicitur de Sacerdote Heli. *Et ipſe iudicauit Iſrael quadraginta annis*. Etenim conſulto numero Iudicum Iſrael, in illo non ponitur Heli, Et cur qui quadraginta annis functus eſt Iudicis officio, in eorum catalogo non numeratur, ſed excluditur ab eorum numero? Auſculta Rupertum. *Nimirum propter contemptum verbi Domini, quia in diebus eius abijcere legem Domini nimia ferè omnibus licentia fuit*. Et paulò infra. *Dolendum quippe eſt: ille, qui tot annis iudicauit Iſrael, nihil vnquam memorabile, vel iudicis officio dignum geſſit*. Qui ſuo muneri non ſatisfecit, qui propria negligebat, quaſi nemo cenſetur, & propterea in Iudicum numero non computatur.

3. Terra, quam in mundi exordio Deus creauit, duobus primis diebus inutilis extitit nihil valens producere, eo quod operiretur aquis de illa autem ſic loquitur Moyſes: *Terra autem erat inanis, & vacua*. Gen. 1. verſ. 2. Seu (vt Aquila vertit.) *Terra enim vacuitas, & nihil*. Ar quomodo elementum adeo magnum, vt ferè ſeptem milia leucarum habeat in circuitu, tunc nihil eſſe potuit, imò nec paruum: vt pro nihilo reputetur? Si præmittitur actio Dei terram de nihilo creans, terra non potuit eſſe nihil: nam hoc non creationis, ſed annihilationis, eſt terminus. Vt quid igitur extra exiſtentiam, & nihil illo tempore terra dicitur? Eleganter Aquila. *Quidquid in mundi fabrica non prodeſt, nihil eſt*. Sit magnum, ſit ſolidum: ſi ſuo muneri non ſatisfacit, ſi nihil producit, ad quod elementum hoc fuit deſtinatum, nihil eſt, vacuum, & inane. Magnum in mundo locum occupabit, habebit faſtum, & apparentiam at ſi operationem omittit, ſi officio non reſpondet, ſuo, ſed otio, & inertia occupatur, ſi aliorum vtilitatem negligit, nihil omnino erit, & vacuum tantum nomen habebit. Idem ferè licet inſpicere in eo, quod habetur Ibid. verſ.6. eiuſdem cap. vbi de cœlorum fabrica ſermo habetur. *Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*. Non leue dubium eſt, quo pacto verè narret Moyſes firmamentum fuiſſe factum in ſecunda die, cum iam in prima ſit fabricatum in primo die, in ſecundo eius creatio repetitur? Audiendus Lyra ſapienter difficultatem verſans. *Fiat firmamentum: iſtud fieri non intelligitur ſecundum formam ſubſtantialem; ſed intelligitur ſecundum aliquam qualitatem ipſius firmamenti. Dicit Rabbi Salomon Hebræus, quòd eſt ſoliditas; alij autem dicunt, quod iſta qualitas eſt quædam virtus ad influendum ſuper elementa, ad ipſorum conſeruationem, & gubernationem*. Vt irrequieto motu elementis, ac cęteris rebus ſublunaribus imperitarent, & proficuas præberent influentias, creabantur cœli: quamdiù autem firmamentum ſine virtute erat ad gubernandum, & influendum, ſuoque, muneri non vacabat: etſi verè exiſteret, quaſi non eſſet reputabatur; proindeque tunc denuò fieri dicitur, cum denuo accipit poteſtatem ad gubernandum, & vim ad influendum: acſi ante huiuſmodi virtutem verè, & ſolidè non eſſet cœlum, ſed cœli vmbra, & firmamenti cadauer. Quod de nouo accipit facultas eſt ad explendum officium ipſi commendatum. *Iſta qualitas eſt quædam virtus ad influendum*: Et tunc creditur naſci, cum influere incipit: quia antea non cœli naturam præſerebat, ſed rei inſubſiſtentis, & inter creatas non computandæ.

4. Præambula ſigna iudicij, & ſubſequenda prænuncians Chriſtus Dominus Diſcipulis ſuis dicebat: *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo*. Matth. 24. verſ. 26. Si ſtellæ ſunt incorruptibiles, quomodo de cœlo cadent, & ad nihilum redigentur? Plurimum hæc difficultas Expoſitores vrget. Lyra ſic dictum putat, quia veræ ſtellæ quæ in ſtellato cœlo ſunt, nubium denſitate abſcondentur, & de nubibus verſus terram deſcendent exhalationes ignitæ quæ dicuntur ſtellæ cadentes. Sed hoc ferè ab omnibus meritò reijcitur. Aptiùs Caiet. de veris ſtellis locum accipit, caſumque earum intelligit eſſe caſum à lucendo: nam ſicut Sol tunc obſcurabitur, & Lunam non illuminabit: ita & ſtellæ nobis non lucebunt, earum lumina extinguentur, & hoc eſt cadere, & non eſſe in cœlo. Stellæ præpoſitæ ſunt, vt terram illuminent, ab huiuſmodi autem munere tunc ceſſabunt: & ideò cadere dicuntur, & locum non poſſidere ſupremum, neque in cœlo exiſtere: quia qui officio ſuo non ſatisfacit, non eſſe reputatur, & à munere cadit. Qui muneris officia prætermittit, neque homo reputatur, ſed hominis ſpectrum, & dignitatis larua. Et quotquot paſſim occurrunt, qui muneris cui præficiuntur,

tur, ſpecta ſunt quot, quibus accidit id, quod Sauli, qui cum Dauidem lancea configere voluerit à dœmone arreptus, ipſum poſtea quæſiuit, vt interficeret: ille autem conſilio vxoris ſuæ Michol per feneſtram deſcendens aufugit, relicto loco eius in lecto phantaſtico vultu. *Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam Caprarum poſuit ad caput eius, & operuit eam veſtimentis*. 1. Reg.19.verſ.13. Cum autem Saul nuntios mitteret,vt occiderent Dauid eique fuiſſet reſponſum, quod ægrotaret, iterum eos miſit. *Et inuentum eſt ſimulacrum ſuper lectum*. &c. Ibid. verſ. 16. Quoties decipimur putantes inuenire Dauidem, & ſimulacrum inuenimus quoties miniſtrum ingenuum, & prudentem Principem, & non niſi hominem apparentem, ſimulacrum veſtibus regalibus coopertum.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Vel ignorans Iudex veritatem inueniet, ſi recto animo illam ſcrutatur.

1. NOn benè audit in iudice bona intentio ſine literis: nihil enim prodeſt reo recta Iudicis intentio, ſi ob ſcientiæ, & legis inſcitiam eius ius læditur: Nam hoc eſt (vt dicebat Anaximenes Philoſophus) *Optimo vento naufragari*. Quod quidem maxima infelicitas eſt: nam infortunatiſſimus eſt euentus, ſecunda periclitari fortuna. Sed nihilominus certè adeò magna vis rectæ intentioni ineſt, vt perſæpe iudex, ſi cum illa accedat, quamuis indoctus ſit, & iuris ignarus, veritatem inueniat, iuſtumque decernat: vt enim ſapienter dicebat Senec.Epiſt. 109. *Multum ad rem pertinet, quo propoſito ad rem accedas*. Et D.Ambroſ.lib.1.de offic. *Affectus tuus pretium imponit operi tuo*. Illa enim ſuperna prouidentia, quæ omnia rectè gubernat, non permittit, voluntatem rectam defraudari, & vel per contraria media rem ducit ad intentum finem, & ignorantiæ defectum ſupplet bonam intentionem opitulans. Sagittarius vno oculo clauſo, & alio aperto in ſcopum directè collimat: non aliter iudex, etſi oculum ſcientiæ clauſum habeat, ſi rectæ intentionis oculum habeat apertum, ad veritatem, fine dubio pertinget. Quo Chriſtus Dominus reſpiciebat, cum dixit Matth. 6. verſ. 22. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*. Oculus dexter pro recta intentione communiter accipitur; ſiniſter autem ſcientia eſt, ſine qua multòties Iudex veritati intendens recto animo ab illa non aberrat: ſicut ſagittarius vno oculo tantum aperto ſcopum attingit. Iuſtitia namque apud Iuriſconſultos *eſt conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuens*, non quantum ad actum, ſed quantum ad affectum; vndè dummodo affectum habeat iudex veritatem aſſequendi, iuſtitiam (vt par eſt) adminiſtrabit, & veritatem vel ignorans inueniet: quia non obliqua intentio ſcientifica eſt, & plus ſolet docere, quam diuturnus ſtudiorum labor; vndè Chriſtus Dominus pollicitus Spiritum Sanctum dicebat: *Ille vos docebit omnia*. Luc.12. verſ. 12. At quo pacto Spiritus Sanctus, qui voluntas eſt, Magiſtri munus obibit, & quæ ſapientia filij non docuit, erudiet? Voluntas enim neque ſcire, nec docere ſcit, ſed amare. Quo ergò pacto Spiritus Sanctus qui amor eſt, quia à voluntate procedit, docere poterit? Rectè quidem. Nam bona intentio, quæ in voluntate exprimitur, quia ad illam pertinet, & eius actus eſt, plus docet, quid ſit agendum quam intellectus perſpicacia: nam hæc vitiari ſolet ab intentione praua at bona intentio recto tramite ad bonum finem tendit, & intellectum manu ducit quamuis ignatus ſit, ad rectè cogitandum, & per veritatis ſemitam incedendum.

2. Lis erat inter Iacobum, & Eſau de benedictione patris acquirenda: diuerſa parentum erat inclinatio: nam pater Eſau benedicere volebat; Rebecca diuinitus edocta Iacobo benedictionem, & primogenita vijs omnibus procurabat: proindèque ingenioſa arte ipſum induxit, vt oblato cibo, & ſe ſimulans Eſau ab inſcio & cæco parente benedictionem acciperet, ſicut de facto Iſaac eam ipſi præſtitit, præſagiens ab illo,& ab eius poſteris Chriſtum euenturum. *Det tibi Deus* (inquit) *de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini*. Geneſ.27.verſ.28. Mirum planè eſt, quod Iſaac inſiſtens vt benedictionem conferret Eſau, potuerit benedicere ea, quæ poſt longum tempus filijs, & poſteris eorum euentura erant, ac illa prænuntiare. Qui propter cæcitatem ea quæ ipſi præſentia erant, ſcire nequibat, quomodo augurabatur futura? Qui vnum ab alio filio diſcernere non valebat, quomodò euentura proſpicit, & ignorans (quia Eſau benedicere putabat) futuras felicitates Iacob augurabatur, & euentus veritatem attingebat? Iudicis perſonam agebat Iſaac, dum de maioratu conferendo tractabat; & licet oculis eſſet orbatus, ignoraretque an Eſau eſſet, quem benedicebat: quia tamen recta operabatur intentione, veritatem attigit, iuſtitiam exercuit, & Dei mandatum adimpleuit. Nam iudex, qui zelo iuſtitiæ ductus, & animo ſincero illius leges exequi conatur, etſi cæcus ſit, quod facit, ignoret, dubio abſque cuique ius ſuum tribuet, à veritatis ſcopo non errabit: ſicut non aberrauit Iſaac, qui etſi cæcutiret, Iacobo præſtitit, quod ipſi debeba-

bebatur, quoniam iuxta ſe rectam Iacobi habebat intentionem, quæ ipſum docuit veritatem, quam ignorabat, & ſub illis vmbris diuinum latere myſterium.

3. Magno Pilatus flagranit deſiderio veritatem aſſequendi erga cauſam Chriſti Domini, quam apud ipſum inuidia, & peruicacia Iudæorum ſuſcitauerat. Primò enim interrogat: *Tu es Rex Iudæorum*. Ioan. 18. verſ. 33. Cum autem Chriſtus reſpondiſſet, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo: inſtat ille: *Ergo Rex es tu*? Cui Chriſtus ſe veniſſe ait, vt teſtimonium de veritate perhiberet. Quærit iterum Pilatus Ibid. v. 28. & c. 19, v. 19. *Quid eſt veritas*? Poſtea verò (eodē cap. 19) titulū ſcripſit Cruci affigendum: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*. Quod cum acerbè ferrent Pontifices, & inſtarent Pilato *Noli ſcribere Rex Iudæorum*. Conſtanter ille reſpondit Ibid. v. 21. v. 22. *Quod ſcripſi ſcripſi*. At vnde tanta perſeuerantia inſcio iudici, quod à veritate quam ignorabat, non deflectit, & pertinaciter inſiſtit in iudicio, ad quod nullum firmum habebat motiuum, cum toties Chriſtus interrogatus non ſe palam Regem proderet? Vndè ratum habuit Chriſtum eſſe Regem, quandoquidem neque ipſe confitebatur, neque teſtibus id exploratum habeat: imò id incuſabant Iudæi, quod Regem ſe faceret, cum Rex non eſſet? Pulchrè & luculenter D. Auguſt. tract. 116. in Ioann. rationem rimatur. *O ineffabilem* (inquit) *vim diuinæ operationis etiam in cordibus ignorantium. Nonne occulta vox Pilato intus quodam (ſi dici poteſt) clamoroſo ſilentio perſonabat, quod tanto in Pſalmorum libris prophetarum eſt: ne corrumpeas tituli inſcriptionem*? Licèt Pilatus veritatem ignoraret, & nullo ex capite Chriſtum eſſe Regem notum haberet? quia tamen inueniendi veritatem erat cupidus, ipſam ignorans inuenit, & ab illa diuelli non potuit. Quod neſciebat, affirmabat, & inſcius veritatem, quam explorare ſatagebat, fuit amplexatus, & tenaciter Chriſtum verum eſſe Regem affirmauit: quia veritas quæ intellectum fugiebat, intentioni fuit obuia, atque aliàs iniquus iudex zelo veritatis ductus ipſam ignoranter inuenit.

4. Magdalenæ de Chriſti Domini abſentia mærenti apparuit ille, & ſub hortulani forma illius oculis obijcitur cui illa credens eum ſuffuratorem eſſe dixit: *Domine ſi tu ſuſtuliſti eum* &c. Ioan. 20. v. 15. Ipſe enim erat: qui eum ſuſtulerat: nam propria ſe ſuſcitauit virtute. At quo modo Maria veritatem tam facilè inuenit, & ignorans Chriſtum eſſe, cui loquebatur, verum tamen dicit ipſum ſcilicet, quem ſub hortulani ſpecie videbat, ſeipſum ſuſtuliſſe? Vnde pia mulier neſciens quid diceret, & nihil minus cogitans, quam Chriſtum eſſe, quem alloquebatur, veritatem cuius deſiderio angebatur, planè attingit? Acutè D. Maximus hom. 3. hæc ſubſcribit: *Sancta ergo & ſimplex fœmina Chriſtum requirebat à Chriſto, & deuotione mentis Prophetat, & neſcit. Rectè interrogat: ſi tu ſuſtuliſti eum? Ipſe enim tulit corpus ſuum, qui ſuſcitauit: ipſe tulit corpus, qui illud iacens, & dormiens ſua operatione collegit*. Amica rectæ intentionis veritas eſt, neque illam vnquam decepit: vel ignorans fœmina deuotione, qua Chriſtum proſequebatur, & recta intentione mentis, qua ipſum quærebat, prophetauit, inſcia veritatem, quam quærebat, inuenit: quia recta intentio nunquam à veritate deflectit. Eum, qui ſe ipſum ſuſtulerat, *ſi ſuſtuliſti eum* dicebat, & veritatem, quam pio animo, & inſcio intellectu explorabat, inuenit, & præ manibus habuit, quod affectu inquirebat deuoto: quia vera animi intentio veritatem aduocat; praua autem illam longè relegat. Hinc cæca Gentilium adoratio, quam ſuis idolis exhibebant illuſi, credentes in illis Diuinitatem latere, illam meudacem perſuadebat, quia obliqua intentione ad illorum cultum propendebant: recta autem Chriſtianorum intentio Deitatem, quam credit in prothotypis, quæ adorat, veraciſſimam arguit, & quam oculis ignorat, animo firmat. Vnde Chaldæorum vanam confidentiam, & iniquum animi affectum idolotum cultu deprauatum arguebat Vates. *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam*? Hic verſ. 18.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Quo veritas timidior, eo mendacium audacius.

1. SApienter dixit Baſil. Magnus in proœmio lib. de Spiritu Sancto. *Rerum omnium potentiſſima eſt veritas: & extrema malitiæ linea mendacium*. At vndè veritas ita præpotens, vt omnes in fortitudine res ſuperet? Ex eius nempe timiditate. Quia timida eſt, & parum audax, atque omnibus fucatis coloribus viduata, valentiſſima deprehenditur: nam cum ſemper vereatur dilabi in mendacium, cum magna ſolertia loquitur, & eliminatis omnibus mendacij figmentis potentior apparet, & dum magis timet, magis roboratur, dum magis ſimplex, & inermis apparet, fortior inſurgit. Vnde Seneca epiſt. 40. dicebat: *Quæ veritati operam dat oratio, incompoſita debet eſſe, & ſimplex*. Quaſi imbecillis ſit, quæ mendacij præſtigijs exornatur, & robuſtiſſima, quæ nuda videtur, & inermis atque formidans. E contra vero mendacium audaciſſimum eſt, quia nihil veretur, & idcirco extremam malitiæ lineam tangit. Sine metu loquitur, ſine delectu omnia tentat, &

ad

ad vltimam temeritatis metam peruenit. Mendacium & veritas contraria ſunt: eo tamen diſcrimine ſe oppugnant, quod veritas mendacium ſemper formidat; at vero mendacium nunquam veritatem timet, etſi nunquam eam lædat, vt dicebat Laurentius Iuſtinian. c.4. de vita ſolitaria. *Quantum in mendacibus eſt, immortalem, & æternam veritatem, quæ Deus eſt, deſtruere moliuntur: hoc vero dum agunt, eam in nullo lædunt*. Nihil non intendit mendacium, vt veritatem euertat: ipſam verſutè adoritur, & mille artibus confundere tentat: quare fuga melius, quam armis vincitur. Hinc *Perſæ* (ait Herodot. lib.1.) *Filios tam ſanctis moribus imbuerunt, vt illorum diſciplinæ nihil addi poſſe videretur: & per omnes ætatis gradus illud præcipuè ſuis inculcarunt, vt fugientes mendacium vera ſemper loquerentur*. Veritas cum nuda ſit & inermis, à mendacio mille fallacijs armato recedere debet, & illud formidare non erubeſcere.

2. Vocatis ad nuptias, quæ factæ ſunt in Cana Galilææ, Ieſu &; diſcipulis eius, cum vinum defeciſſet; pia matris ſuggeſtione Chriſtus ad miraculum inclinans hydrias iubet aqua impleri: quarum menſuram ſic refert Euangeliſta. *Capientes ſinguli metretas binas, vel ternas, &c*. Ioan.2. Fortè ambigebat Hiſtoricus Sacer, quiſnam eſſet metretarum numerus, quod ita ambiguè loquitur, & illum determinatè non exprimit? Cur non abſolutè & abſque hæſitatione eas quas vnuſquiſque metretas accepit, enumerat, ſed confuſè & indeterminatè de earum numero loquitur? Sic ſtatut ſine menſura, qui de menſuris agebat? Imo hoc loqui menſura & pondere fuit: non enim compertum habebat Euangeliſta numerum metretarum, qui vnicuique contigit: etſi certum haberet, neutrum pluſquam ternas accepiſſe; & ideo ſcrupuloſè & ambiguè loquitur; ne incertum pro certo apponat, & mentiendi exponatur periculo. Sapienter & iudicioſè Maldonat. rem verſat. *Eo ipſo quod non omnino iuſtam earum menſuram poſuit, ſed in dubio reliquit dicens metretas binas, vel ternas, fidem auxit hiſtoriæ. Nunquam enim mendaces dubitanter loquuntur: omnia quæ dicunt, intrepidè, & minimè hæſitantes affirmant. Probi eſt viri ita moderari verba, vt certa pro certis, dubia pro dubijs dicat*. Intrepidè mendax audet, & loquitur: quia nihil timet, nihil veretur: nec pudet ipſum mendacem videri. At verax mendacium incurrere formidans nimis ſcrupuloſè loquitur veritus ne à veritate deflectat, & vel in minimis excedat.

3. Tempus quo Chriſtus Dominus loquebatur cum Samaritide, cum ad fontem acceſſit Iacob, Euangeliſta non determinat, & dubitante calamo narrat. *Hora* (inquit) *erat quaſi ſexta*. Ioan.4. verſ.6. Et cur non horam ſignatè ſextam dicit, ſed eam iam in proximo eſſe? Quid quod hora non eſſet completa, vt eam ſine addito deſignaret, maximè cum parum, vt ſexta hora adimpleretur, deficeret, & parum pro nihilo reputetur, & exindè mendacij non poſſet argui? Aptè Cyrill. in Catena. *Non certè ſextam fuiſſe ſcribit: vt nos diſcamus, vel in minimis non ambiguè loqui*. Quaſi diceret: ſi ſextam diceret horam, cum nondum eſſet completa, ambigua remaneret veritas, & in aliquibus temporis inſtantibus nondum tranſactis deficeret. Ne igitur veritas vel in minimis temporis indiuiſibilibus adulteretur, horam non determinat, neque audet abſolutè ſextam appellare, quia adhuc aliquid illius reſtabat tranſeundum. Sic delicata & ſcrupuloſa veritas eſt, vt vel in minimis non audeat deficere. Congruit huic inſtituto, quod de Sancto Dominico Loricato in eius vita ſic Petrus Damianus ſcribit. *Erat propterea Dominicus valdè cautus in verbis, vt aptè ſibi congrueret illa ſententia, qua Iacob Apoſtolus ait: ſi quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir: nam ſi quando etiam quæreretur quota diei hora eſſet? Nunquam abſolutè dicebat: tota eſt, ſed cum additamento ſemper, prope tertia hora eſt, prope ſexta hora eſt. Inquiſitus à me cur ſemper ita diceret? In hoc* (inquit) *mendacium caueo*. Sic veritas mendacij affinitatem aufugit, ſic ad ipſum accedere formidat, vt à minutiſſimis mendacij notis abſtineat, ne vel in illis cum ipſo conueuire videatur.

4. E regione mendacium audaciſſimum eſt, ſine pudore, ſine verecundia, nihil non fingit, ad omnia ſe præcipitat, & audacter quæcunque ad os verba perueniunt, loquitur. Mirè eius audaciam depingit B. Thom. à Villanou. con.3. de aduentu. *Non eſt veritas in mundo: non eſt qui loquatur verum cum proximo ſuo: quidquid hodie vulgus loquitur, fraus, & adulatio eſt: docuerunt enim linguas ſuas loqui mendacium: in hac ſchola exercitati ſunt, in hac edocti, vt diſcerent fallere, mentiri, adulari, exaltare parua, exigua attollere, ex tumulis montes facere, ex culicibus elephantes, hæc affabilitas: & inurbanus eſt, quiſquis fallere, & mentiri non nouit*. Quid luculentius? Quid audacius mendacio? Quod omnium rerum facies transfigurat, & temerario auſu totum mundum inuertit. Hoc mendacij genium: his viget mendacium fraudibus: vſque tunc excreuit, vt inurbanus ſit, quiſquis fallere, quiſquis mentiri non nouit, & non audet intrepidè quamlibet fallere authoritatem.

5. Venit olim in occurſum Dauid Siba ſeruus Miphiboſet, blandèque Regi adulatur, & cibaria offert, quibus indigebat: gratum habuit obſequium Dauid, & poſt acceptum donum Sibam interrogat: vbi eius dominus remaneret, Cui Siba: *Remanſit* (inquit) *in Ieruſalem dicens: hodie reſtituet mihi domus Iſrael regnum patris mei*. 2. Reg. 16. verſ.3. Quod cum audiſſet Dauid, & vt regnum auferret, conſpiraſſe credidiſſet; ſicut affirmabat Siba, ita per-

percitus omnia eius bona auferre decreuit, & Sibæ tradere pollicetur. *Tua ſint omnia, quæ fuerunt Miphiboſet.* Ibi verſ. 4. Miriſſimum ſanè eſt, quod Princeps ſanctiſſimus, & in ciuili politia maximè verſatus & eruditus tam citò credat mendacium, innocentem condemnet, & falſum delatorem remuneret. Omne quod Siba Regi nuntiauerat, mendacium erat: quia neq; Miphiboſet Regis moliebatur mortem, neque de regno auferendo quidquam cogitabat. Cur igitur ſic facilè ac fatuè mendacem inſimulanter credit, & inculpatum plectit? Acutè Abulenſ. difficultatem attigit, & ſoluit, idque ita accidiſſe putat, quia *non credebat Dauid, quod mendacium ſibi dicere auderet.* Quaſi dicat, & ſi Dauid aſſentatorum genium agnouiſſet, & quam temerè ad mendacium propendunt: tamen non ſibi perſuaſit, quod ad eum audaciæ apicem mendacium deueniret, vt in facie Regis homo ignobilis, ſine pudore, ſine verecundia auderet mentiri. At facto comprobauit temerarium auſum mendacij, quod Regem facie ad faciem, & ore ad os fallere non eſt veritum. Quid non audebit mendacium, quando Regis vultum deceptum non formidat, maximè in re ſtatim comprobanda, & de mendacio conuincenda, qualis illa fuit? Tamen mendacium ſe videat conuictum (quod facili negotio efficitur, & ex ipſius tantum intuitu. Vt dixit Seneca epiſt. 75. *Quæ decipiunt, nihil habent ſolidi, tenue eſt mendacium, perlucet, ſi diligenter inſpexeris.*) Adhuc ſe prodere non timet, neque ſe ipſum formidat, nam nullo verecundiæ pretio mendacijs aſſueti ad illa propendunt, & pertinaciter illis adhæreſcunt. Quid mendaciùs? Quid vaniùs? Quid diffidentius? Quam idola, quæ miſeri Ethnici colunt. Paſſim mentiuntur, paſſim decipiunt; & nihilominus mendacia adorant, deceptionem amant. Quod maximè irridebat Vates. *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam? Quia ſperauit in figmento fictor eius, vt faceret ſimulacra muta.* Hic verſ. 18.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Quod quiſque cupit, id ſibi perſuadet.

1. NAturaliter homo in ſe ipſum fertur, & quod eſſe deſiderat eſſe credit. Veriſſimum ſanè & omnibus expertum eſt illud Demetrij apud Stobæum. *Facillimum eſt omnium ſe ipſum quoque decipere: quod enim quiſque cupit, id etiam animum inducit, & ſibi perſuadet.* Etſi intellectus veritatis ſit aſſertor, voluntate imperante, & cupiente ad non vera ſæpè ducitur, & vera eſſe credit, quæ voluntati placent: quia non rem attenditũt eſt in ſe, ſed vt à voluntate appetitur. Inter cauſas, quæ nos decipiunt, & rerum inuertunt iudicia, hanc præcipuè Seneca lib. 3. de benef. c. 3. agnouit. *Prima omnium ac potiſſima* (cauſa nempe) *quod nouis ſemper cupiditatibus occupati non quid habeamus, ſed quid petamus, inſpicimus, non id quod eſt, ſed quòd appetitur, intenti.*

2. Simulato allectus ab hamo ineſcatur piſcis, & decipitur: quia putat tantum ibi eſſe cibum, quem cupit. Sic paſſim nos decipit noſtrum deſiderium, quia id quod anxiè appetimus, ita eſſe, ac deſideramus, facilè credimus, non rebus ipſis, ſed noſtris cupiditatibus intenti. Quod voluntas cupit, approbat intellectus adulatoriè aſſentiens: & quod illa reſpuit, diſcredit ille. Paſſionis ſuæ venturas contumelias prædixit Chriſtus Diſcipulis ſuis ciuitatem Ieroſolimæ aſcendens, minutim referens tragicos illius euentus: illi autem eorum quæ dicebantur, nihil intellexerunt. *Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur; & conſpuetur; & poſtquam flagellauerint, occident eum, & tertia die reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Lucæ 18. verſ. 34. Magnopere Euangeliſta Diſcipulorum inſcitiam exaggerat: ter enim repetit illorum ignorantiam, & meritò, quia incredibilis videbatur. Qua ſocordia correpti Diſcipuli id ignorant, quod palam Chriſtus loquitur? Siquidem magis perſpicuè, & enodatè ſuam mortem non potuit prædicere. Augetur difficultas quia vix Iudæis dixerat: *Oportet exaltari filium hominis.* Cum ſtatim de ſua morte fuiſſe locutum perceperunt. Quod obſcurè dixerat Iudæis, clarè intelligunt; & quod Diſcipulis clarè narrabat, neque obſcurè percipiunt. Vnde ergo Iudæi Chriſtum clam loquentem intelligunt; Diſcipuli verò palam de ſua morte tractantem ignorant? *Et ipſi nihil horum intellexerunt.* Rationem fuiſſe reor, quia intellectus non intelligit, niſi quod voluntas deſiderat & affectat. Iudæi mortem Chriſti Domini toto animo exoptabant; Diſcipuli vero eius vitam flagranti deſiderio cupiebant: & idcirco Iudæi intelligunt, quod Diſcipuli ignorant: quia nullus intelligit niſi ſuo deſiderio ductus, & quod optat, facilè ſibi perſuadet; quod renuit, faciliimè diſcredit.

3. Huc reſpicit, quod cum Chriſtus Dominus Iudæis de reuerſione ad Patrem loqueretur, ipſiſq; diceret: *Quò ego vado, vos non poteſtis venire.* Ioann. 8. verſ. 22. Illi verba flectentes dicebant. *Numquid interficiet ſemetipſum, quia dixit: quò ego vado vos non poteſtis venire?* Magna ſtultitia, & liuore delirant Iudæi, Vndè inferunt Chriſtum ſe interficere voluiſſe:

luiſſe:

Digitized by Google

luiſſe : Etenim nulla ratio, aut veriſimilis coniectura poſtulabat, vt quod Chriſtus dixerat, de morte interpretarentur. Imo ſi non alio, quam in mortem iturus erat, & ipſi eo ire poterant, & ipſi ſe poterant occidere. Quis niſi demens, & inſanus ex alterius abſentia eius mortem auguratur? Cur ergo ſuſpicantur Iudæi Chriſtum ſe ipſum occidere voluiſſe, quia illuc abiturum, quo ipſi non poterant, audierunt? Scitè Maldonat. difficultatem dirimit. *Suſpicati ſunt, non quod rationi, ſed quod ſuo deſiderio conſentaneum erat.* Nihil minus inferebatur ex Chriſti verbis, quam ipſius mors: tamen quia illam vehementer deſiderabant Iudæi, ad eam verba inflectunt. Licet ratio non exigeret, quod Chriſtus de ſuo interitu loqueretur; ipſi tamen verba interpretantur iuxta ſuam voluntatem, quia quod appetitus anhelat, & ſi à ratione ſit alienum, rationi conſonum iudicatur, & ita ſe res habere creditur qualiter concupiſcitur.

4. Miſit Eliſæus vnum de filijs Prophetarum, vt Iehu vngeret in Regem, quem Deus ad id munus delegerat. Accedit ad eum Propheta, & in penetrali domo iniunctum ſibi præceptum adimplet. Cumque Iehu è cubili egrederetur, à Principibus, qui foris aderant, interrogatur, quid voluerit inſanus ille, nam falſum narrare abſque dubio venerat. *Quid venit inſanus iſte ad te? Qui ait eis: noſtis hominem, & quid locutus ſit? At illi responderunt: falſum eſt: ſed magis narra nobis.* 4. Reg.6. verſ. 11.& 12. Vt autem Iehu ſe ipſum in Principem vnxiſſe, & Regem Iſrael conſtituiſſe narrauit, ſtatim, (inquit text.) illi qui inſanum nuntium iudicabant, & falſa dixiſſe. *Feſtinauerunt itaque, & vnuſquiſque tollens pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus eius in ſimilitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnauit Iehu.* Ib. verſ. 13. Mira aulicorum commutatio, & quæ ſatis verſatile, & inconſtans eorum genium demonſtrat. Si hominem illum inſanum, & mendacem iudicabant: quorſum ipſius ducti verbis Iehu Regem conſtituunt? Qui ſtultus erat, & minimè fide dignus, antequam nota eſſet eius legatio cur poſtquam audiunt, quæ narrauerat, veridicus reputatur, & fidem exhibent ipſius nuntiaturæ, atque Regem acclamant, quem ipſe Regem à Deo conſtitutum dicebat? Tam parui momenti res eſt, Principem creare, vt homunculi inſanientis, & nulla auctoritate præditi, verbis ad id moueantur: quod conſultiſſimè, & cum magna ſolertia fieri expediebat? Vnde tam facilè aſſenſum præbent dictis quæ antea ſuſpecta falſitatis habebant? Lyra hic aſſentatorum genium eorum, qui erga Principem aſſiſtunt, & ſuo ſtudent commodo, agnouit: atque ideo facillimè verbis Prophetæ aſſenſiſſe putat: *Vt quærerent gratiam Regis noui.* Non diſſentio: ſed addo: ideo fidem adhibuiſſe Prophetæ verbis, quem antea inſanum iudicabant; quia quæ dixit iuxta eorum erant deſiderium. Optabant Iehu Principem conſtitui, & quia exoſum habebant Ioram, & quia Iehu amicitia ipſis erat coniunctiſſimus: & idcirco ſtatim crediderunt, quæ de ipſius principatu enunciabantur, & Prophetam iam autumant, quem paulò ante mendacem, & inſanum reputabant. Quia nullus verior Propheta hominibus eſt, quam qui deſiderio loquitur, & concupita vaticinatur. Quod vehementer appetitur, vehementer creditur, & à voluntate deſiderante ſpeciem veritatis aucupantur res: nam vnuſquiſque libenter fertur in id, quod ipſi placet, & verum reputat, quidquid deſiderat.

5. Diſcipulis retia in mare mittentibus, & inutiliter per totam noctem laborantibus apparuit Chriſtus Dominus, & nondum ab eis cognitus ad nauigij dexteram rete præcipit ſpargi. Obediunt ipſi, & tam ingentem multitudinem piſcium ceperunt, quod vix leuare rete valebant. *Dicit eis: mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis; miſerunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.* Ioann.21.verſ.6. Mirum eſt, quod ad verbum hominis ignoti ſagenam mittant Diſcipuli, cum per totam noctem nihil capere potuiſſent, & laſſati iam viribus eſſent. Vt quid concepta noua ſpe ex verbis hominis non cogniti, qui in piſcatoria arte erant verſati, rete iterum coniecerunt? Vnde veriſimile apparet ad dexteram nauigij, quam fortè rete plures verſauerant, multitudinem piſcium adeſſe, quod tam facilè ſagenam mittunt? Pulchrè Maldonat. *Quia ita compertum natura eſt, vt ea conſilia, quæ vera eſſe cupimus, facilè ſequamur.* Laborauerant Diſcipuli in vanum tota nocte, vehementer cupiebant capturam piſcium: & idcirco ad vocem hominis ignoti rete miſerunt, quamuis per totam noctem nihil cepiſſent: quia quæ homines cupiunt, ita vt deſiderantur, contingere facilè credunt: conſilia ſequuntur, quæ ipſorum arrident deſiderijs, & quidquid appetunt, id verum habent, id euenturum reputant: vel meraciſſimum mendacium notiſſima ipſis veritas eſt, ſi eorum deſiderio conformatur. Nihil frequentius euenit, quam hominem ſibi allectum ſeipſum decipere. Vnde præcipuè Gentilium cæcitas erga Idololatriam, & falſorum numinum adorationem ortum habuit: nam Diuinitatem quam in lignis, & lapidibus cupiebant habere proficuam, facili negotio adducebantur, vt ibi crederent adeſſe, & nunquam à ſua ignorantia cadebant: quia ad ſua deſideria iugiter, & ſine delectu ferebantur, & vel contra ipſam experientiam, quæ ipſos docebat, nullam opem, nullum auxilium ab huiuſmodi idolis prouenire, ipſa pertinaciter colebant, quia à propoſito nunquam deſiſtebant deſiderio. Quod maximè reprehendebat Vates noſter. *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit*

illud

illud fictor ſuus conſlatile, & imaginem falſam? Quia ſperauit in figmento fictor eius, vt faceret ſimulacra muta. Hic verſ.18.

DISCURSUS V. MORALIS.

Scelerum Magiſtri prius & grauius puniendi.

1. BOni generoſam indolem, & naturam vitium malignè imitatur, & ſe communicare, atque ad omnes transfundi gliſcit. Serpit malitia emulata bonitatem, & ſunt plerique qui non ſolum turpiter ſibi viuunt, ſed laborant alios eadem turpitudine inficere, vt maior filia Loth, quæ cum inuerecundè cum patre vino alienato accubuiſſet, minorem eadem turpitudine coinquinare ſatagebat, & illam docuit fædiſſimum inceſtum. *Ecce*(dicebat) *dormiui heri cum patre meo: demus ei bibere vinum etiam hac nocte; & dormies cum eo, vt ſaluemus ſemen de patre noſtro.* Gen.19. verſ.34. Hoc (inquam) maximum flagitium eſt, & prima ac grauiori pœna afficiendum. Enumeratis multis iiſque grauiſſimis ſceleribus Regis Manaſſes, additur vltimus peccatorum gradus, magiſterium, ſcilicet, ad alios peruertendos, & praua imbuendos doctrina. *Igitur Manaſſes ſeduxit Iudam, & habitatores Ieruſalem, vt facerent malum ſuper omnes gentes, quas ſubuerterat Dominus à facie filiorum Iſrael.* 2.Paralip.33.verſ.9. Quaſi dicat: eò deuenit nequitia Manaſſes, vt docendo, & ſeducendo tales habuerit clientes, & diſcipulos in peccatorum ſcientia, quam è Cathedra peſtilentiæ docebat, vt ipſorum peccata gentium ſcelera ſuperarent, quas eduxerat Dominus ab illa regione, vt filios Iſrael in eam introduceret. *Per hoc* (ait Gloſ.moralis) *ſignificatur illius malitia, cui non ſufficit quod ſit malus in ſe, ſed alios nititur ad ſuam malitiam trahere.* Sed quas pœnas Deus pro tanto ſcelere inflixit? Quod ſupplicium intulit, vt tam infandum facinus expiaret? Auſcolta text. *Idcirco ſuper induxit eis Principes exercitus Regis Aſſyriorum, ceperuntque Manaſſem, & vinctum catenis, atque compedibus duxerunt in Babylonem: qui poſtquam coanguſtiatus eſt, orauit Dominum Deum ſuum, & egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum ſuorum.* Ib.verſ.11. Erga quod ſupplicium audiendus eſt D.Chryſoſt. hom.1. in Matth. *Erat ligatus, & catenatus in domo carceris; & dabatur ei panis hordeaceus ad menſuram modicus, & aqua cum aceto modica, vt viueret tantum, & erat conſtrictus in doloribus valdè.* Et D.Hieronym. in comment. huius loci. *Dum in Babylonem ductus fuiſſet, & in vaſe aneo perforato miſſus, admoto igne inuocabat omnia nomina idolorum, quæ colebat.* Siccine odit Deus, & punit eos, qui Magiſtri ſcelerum fieri non abhorrent.

2. Serpens ille, quem Moyſes exaltauit in deſerto (Numer.21.) Non ſolum Chriſtum Dominum in cruce affixum figurabat, cuius fide à ſerpentibus cæſi aſpectu eius ſanandi ſumus ſed etiam typum gerebat aduerſariæ poteſtatis dæmonis ob illius delicta contorti (vt tenent Tertull.lib. de idol. c. 5. & Origen. lib.8. ſup. Ioſ. Si ergo ſerpens dæmonem ſignificat ob peccata contra Deum crucifixum commiſſa, & Chriſtum in cruce affixum propter ſceleta, quæ committit homo: cur dæmon & eius imago puniuntur; non verò Chriſtus, qui etiam genus humanum repræſentat tanquam eius fideiuſſor? Cur diaboli crimina plectuntur, & Chriſtus qui hominum peccata ſuper ſe portauit, impunitus euadit? Egregiè D.Ambroſ. (ſerm.55.) rationem diſcriminis reddit: *Serpens* (inquit) *crucifixus planè: vt quia primus apud Deum peccauit Diabolus; deindè poſt ſerpentem in Saluatore homo ipſe crucifigitur: vt poſt auctorem puniatur & facinus.* Si diabolus primò peccat, & culpæ auctor eſt, ipſe, & eius imago puniatur, vel quando ſerpens ſine culpa conſideratur, quia illum repræſentat: quoniam non æquè puniendum eſt delictum, & eius auctor. Auctor totum meretur ſupplicium, nullumque excedens videbitur, & idcircò eius vmbra puniatur; aſt qui perſuaſus peccat, non ita rigoroſè plectatur; ſiquidem auctor mali non fuit: puniatur prius & grauius auctor. *Vt poſt auctorem puniatur & facinus.* Quia inuentores criminum primò, & acerbiùs debent puniri.

3. Apocalyp.2. verſ.14. & 15. vehementer inuehitur Chriſtus Dominus in Pergami Epiſcopum non eo præciſè, quod in eius Epiſcopatu homines libidinoſos ferat ſed libidinem docentes, quales erant Nicolaitæ, qui libidinem licere prædicabant: propter quod diſcipuli Balaam appellantur, quia ille pſeudo propheta hoc ſcandalum docuit coram filijs Iſraël. *Sed habeo* (inquit text.) *aduerſus te pauca; quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filijs Iſrael edere, & fornicari. Ita habes & tu tenentes Doctrinam Nicolaitarum.* Non ſolum deformitatem criminis Deus abhorrebat, ſed multò magis licentiam illud prædicandi, & quod publicè ſcelerum artifices permitterentur. Sic plurimi interpretes hæc verba capiunt. Nec minus aggrauat hoc peccatum Lyra qui licet hanc reſpuat ſententiam, ſatis huius ſceleris deformitatem inſinuat, & ex textu ſatis ſuam firmat opinionem. *Dicunt etiam, quod cum hoc erant aliqui tenentes, & docentes errorem Nicolai ſupra poſitum: ſed hoc non videtur verum: quia ſic fuiſſet, non diceretur in textu: habeo aduerſus te pauca, ſed multa.* Rectè col-

colligit ex contextu ſermonem non eſſe de criminum Authoribus: nam ſi vnum tantum crimen docuiſſent, non pauca Chriſtus diceret contra Prælatum id permittentem: quia hoc vnum crimen multis æquiualet: & multa habet imputanda flagitia, qui licentiam præſtat, vt aliquod de nouo introducatur, & grauiori ſubiacet ſupplicio, qui Author eſt, aut Authorem permittit noui ſceleris.

4. Præcepit Deus Sauli, vt Amalecitas funditus perderet: obediuit ille, & ipſos expugnauit, & interfecit, præter Agag Regem Amalec, quem viuum reſeruauit. *Apprehendit Agag Regem Amalec viuum, omne autem vulgus interfecit in ore gladij*. 1.Reg.15.verſ.8. Cum autem facinoris approbationem exſpectaret, & remuneratorem Deum adeſſe, inobedientiæ ſeueriſſimam reprehenſionem audit, ſic enim Deus loquitur ad Samuelem. *Pœnitet me, quod conſtituerim Saul Regem; quia dereliquit me, & verba mea opere non compleuit*. Ib.verſ.11. Si omne vulgus interfecit Saul, in quo diſplicuit, quod implacabiles Dei iras promeruit? Nulla enim hic Diuinæ miſericordiæ irrogabatur iniuria, neque à iuſtitiæ propoſito deflectit Saul, ſiquidem vt illi ſatisfaciat, exoſum vulgus interimit: ne autem à miſericordia omninò deficiat, Regi ignoſcit. Verum hæc eius noxa fuit, hæc Dei prouocauit ſeueritatem: ait venuſtè Ioſephus lib. 6 antiquit. cap.6. *Deus* (inquit) *ita Amalecitas oderat, vt nec infantibus quidem parceret: Saul autem Regem ipſum hoſtium & malorum omnium Hebræorum Auctorem ſeruauit*. Error fuit Saulis, vt Deum prouocaret ad vindictam, atque illum à regno deponeret: quoniam eum, qui prius puniendus erat, nempe Agag, quia primò peccauerat, & Auctor omnium calamitatum Hebrææ gentis extiterat, reſeruauit. Vſq; adeo acerbè tulit Deus flagitiorum Auctori parcere, vt indulgenti non ignoſcat, ſed acerbiſſimam de ipſo vindictam ſumat, exindeque illum à regno deponere decernat: quia ſic in primos criminum Fabricatores inuehitur, vt nullum vnquam impunitum relinquat.

5. Magnam Iudæorum cladem, quam Antiochus ipſis intulerat, narrat Scriptura, & inter alia crimina, quæ Deum prouocarunt ad vindictam, illud ſignatè inſinuat, quod Magiſtri ſcelerum flagitiorum Doctores efficerentur. *Et deſtinauerunt aliquos de populo, & abierunt ad Regem, & dedit illis poteſtatem, vt facerent iuſtitiam gentium, & ædificauerunt gymnaſium in Ieroſolymis: ſecundum leges nationum*. 1.Mach.1.verſ.15. at dubitant Interpretes, quid gymnaſij nomine hoc loco veniat intelligendum? Lyra accuratiſſimus litteræ obſeruator, per gymnaſium intelligit. *Scholam, in qua docerentur, & addiſcerent leges, & ſtatuta Gentilium: & dicitur gymnaſium, quia in ſchola diſputat vnus contra alium, ſicut in gymnaſio exercentur homines ad luctam corporalem*. Plurima eaque immania flagitia Iudæi perpetrauerant, quæ tamen Deus patienter ſuſtinuit: verum cum eò impudentia, atque inuerecundia deuenit, vt publicè, & ad id erecto, gymnaſio dogmata Gentilium docerent, ita Deus exacerbatur, vt maximam illorum ſtragem, & vaſtitatem per Antiochum crudeliſſimum tyrannum ſtatuerit: quia ita iniquè Deus fert ſcelerum artifices, ac Magiſtros, vt contra eos ipſius furor iraſcatur, & penitus euertere conetur, ne tam perniciosa ſcabies in populum ſerpat, & à venenato Doctorum fonte totus inficiatur populus. Hinc quamuis Chaldæi omnes complices in crimine idololatriæ eſſent, & vnicuique debitum eſſet deſtinatum ſupplicium, de Authore illius criminis, qui idolum conflauit, & cæteros ipſius cultum edocuit, præcipuè dolet Propheta, quaſi ingentius ipſi immineret ſupplicium. *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam?* Hic verſ.18.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Acutiora, & fortiora ſunt auri tela, quam ferri.

1. NVlla vis non vincitur auro, nulla huic potentiſſimo tyranno non ſuccumbit: ſuperat ferri, & cuiuſcumque alterius metalli fortitudinem, ſuperbiſſima mœnia proſternit, & arcem munitiſſimam expugnat. Vnde Philippus Macedo dicere erat ſolitus, facilè euerti poſſe quamcunque ciuitatem, ſi modo ad illam auro onuſtus aſellus aditum inueniret. Nullum enim telum eſt fortius, & robuſtius auro, omnia arma vincit, & omnium robore pugnat. Iacob morti proximus filium ſuum Ioſeph, quem magnopere diligebat, & præ omnibus filijs melioratum relinquere ſatagebat, ſic fatur: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo*. Gen. 48. v.22. Liquet ex textu Sacro, illam partem agri, quam in hæreditatem Ioſeph deſignauit Iacob, comparatam fuiſſe pretio centum agnorum, vt habetur Geneſ. 33. Quo ergo pacto poſſeſſionem partam non armorum ſtrepitu, ſed agnorum commutatione, quibus tunc temporis pecuniæ loco vtebantur Hebræi, arcu & gladio expugnaſſe, affirmat Iacob? Quod emptionis iure poſſidetur, non bellica vi, non armis comparatur. Hieron. à Gloſ. relatus difficultatem acutè ſatis ſoluit. *Rectè quidem arcum, & gladium dicit pecunias, quibus agrum emerat*. Pecuniæ loco gladium, & arcum ſubrogauit Iacob, arma pro nummis

mis ſubſtituit: quia non minus pecunijs, quam armis omnia expugnantur. Pro fortitudine pretium emptionis poſuit, & quaſi forti, ac duro labore prædium à Iacob fuiſſet conquiſitum, filium proſperare intendit his, quæ pretio comparauerat, quaſi arcu & gladio eâ acquiſiuiſſet: quia non minus pugnant auri, & argenti ſigillati nummi, quam ferri acutiſſima, & validiſſima tela.

2. Procurabat Abrahaamus filio ſuo Iſaac nobiles nuptias, & Chananæas mulieres reijciens cognatam virginem perquirit. Pergit eius æconomus in Meſopotamiam votum è re ſuccedit: occurrit ei Rebecca, in quam omnia, quæ præmeditatus fuerat, inſpexit concurriſſe: ſtatimque pretioſis monilibus, quæ ſecum portauerat, eam onerauit. Cum autem Laban frater Rebeccæ inaures vidiſſet, & armillas, pretioſaſque vniones in manibus ſororis ſuæ venit ad Eliezer, qui propè fontem erat iuxta camelos, dixitque ad eum: *Ingredere benedicte Domini: cur foris ſtas? Præparaui domum, & locum Camelis. Et introduxit eum in hoſpitium, ac deſtrauit camelos, deditque paleas, & fœnum, & aquam ad lauandos pedes eius, & virorum, qui venerant cum eo*. Gen.24.verſ. 31.& 32. Quis non miretur, quod nobiliſſimus Laban filius ſcilicet Bathuelis conſobrini Abrahæ ſerui tam obnixè humilietur, & abiecta officia (ac ſi ſeruus eſſet vilis in eius exerceat obſequium. Vndè ingenuus homo ad indecorum deſcendit famulatum? Dextrat camelos, paleas, fœnum, & aquam adminiſtrat, & pedes illorum, qui æconomum comitabantur lauat? Vndè ſic mouetur vir nobilis, vt generoſa ſtemmata paruipendat, & præclaræ obliuiſcatur ſtirpis? Auſculta textum. *Cumque vidiſſet inaures, & armillas in manibus ſororis ſuæ, venit ad virum &c.* Ib.v.30. Pondere auri, & argenti ſorori donati curuatur ad obſequium, & blandimento pignorum, quæ ſuæ domui accreſcebant, non dedignatur humilia exercere officia: quia nihil non vincit, nihil non proſternit auri validiſſima vis. Planè munera, quæ in ſororis manibus aſpiciebat, memoriam nobilitatis obliterarunt, & ſeruo humili non veretur humillima præſtare ſeruitia. Quot ſemper fuerunt & nunquam deficient, qui glorioſa ſtemmata maiorum obſcurent auri inextinguibili ſiti, quæ omnia ſuperat, & non modo homines expugnare tentat, ſed & ipſum Deum.

3. Eius audaciam pulchrè ponderauit Iob 12.v.6. dum & ipſum Deum adoriri cognouit ſic enim de diuitijs loquebatur. *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deū cum ipſe dederit omnia in manus eorum*. Cap. 1. At quo pacto qui ingentem habent diuitiarum copiam, Deum non vereri, & in ipſum audacter inſurgere dicuntur? Putantes ipſum vincere diuitijs, & auri blanda, ac fortiſſima vi proſternere (ait Gregorius Magnus.) *Eo magis contra Deum eleuantur, quo magis ab eius largitate contra meritum ditantur*. Sic homo ex abundantia, inſoleſcit, vt non ſolùm audeat conculcare humana iura, ſed etiam Diuinam temerare immunitatem: nec ſolum aduerſus creaturas, ſed etiam aduerſus ipſum Creatorem armatur, putans cum munerum blandimento deuincere. Hinc cum Dominus Præcepiſſet Sauli, & Agag, & omnia eius bona demoliretur, ille prædæ intendens Deum non audiuit. *Et pepercit Saul, & populus, Agag, & optimis gregibus eorum*. 1.Reg.15. v.9. Cur obſecro ſic impauidus Saul præceptum Domini tranſgreditur, & Deum vindicem non exhorret? Cur minacem Dei Iuſtitiam proculcat, nec veretur, quem iuſtum credit? Rectè Rupertus lib.3.in Exod. *Iuſtitiæ vindictam imperante Deo ipſe ad prædam ſe conuertit*. Quaſi dicat: vndique diuina iuſtitia vltrix commonebat, & præceptis vrgebat Saulem, ne mandatum violaret: ſed eos ſpiritus ingenerat diuitiarum cumulus, vt ſibi perſuaſerit iuſtitiam Diuinam non exarſuram contra ſe præcepti tranſgreſſorem, quia præda onuſtus Deo obijciebatur. Hoc indicant verba, quæ Samueli arguenti reſpondit. *Tulit autem de præda populus, vt immolet Domino Deo ſuo in Galgalis*. Ibid.verſ.21. Præda oblata placandum eſſe Deum ſibi fuit pollicitus, vt inobedientiam obliuiſceretur, & iuſtitiam emolliret, quam contra Agag obarmauerat. Sic audacter & intrepidè contra Diuinam iuſtitiam, & æquitatem militant diuitiarum vires, vt eas vincere præſumant, & vltricem Dei manum exarmare.

4. Statuam auream varijs admixtam metallis vidit Nabuchodonoſor; quam lapis abſciſſus ſine manibus comminuit, iuſtitia Diuina arrogantem ſuperbiam in minuta fruſta redigente. Sed licet inſolentiſſimus Rex ſtatuam corruiſſe animaduerteret, & laceram, atque confractam inſpexiſſet, Deumque ſtatuam ſuperbiæ odio vindicem proſequi: nihilominus aliam erexit ſtatuam. *Nabuchodonoſor Rex fecit ſtatuam alteram*. Daniel.3. verſ.1. Cur tam impauidus in Deum inſtrum vindicem ſtatuam machinatur, & fatuè perſeuerare credit? Cur ſtatuam ſuperbam corruiſſe videns aliam ad ſui adorationem erigit? Nonne iſta ſicut & illa corruet? Venuſtè Theodoret. orat.3.in Daniel. *Ex vna auri materia imaginem conficiendam curat, ratus infelix falſam oſtenſurum ſe Dei prædictionem*. Prior ſtatua teſtaceos habebat pedes, & admixta erat eius ſtructura ferro pauperiori metallo; aſt hæc ſecunda tota erat aurea, tota diues: ergo licet vidiſſet iniquus Rex, priorem corruiſſe in pœnam ſuperbiæ, ſecundam opponit, quia aurea pleneque diues erat. Tam audax eſt diuitiarum ſuperbia, vt etiam dum Diuina exardet iuſtitia pœnis vltricibus, ſperet emollire Deum, & cogere, vt deſiſtat ab æquiſſima

vindicta, quam exercebat iuſtitiæ zelo feruens: pœnas à iuſtitia jam prædictas, inficiaſque Diuinæ menti ſperat diues eluſurum vni auri materiæ fallaciter innitens. *Ex vna auri materia imaginem conficiendam curat, ratus infelix falſam oſtenſurum ſe Dei prædictionem.* Vel Deum ipſum (cuius fortitudo inuincibilis eſt) ſuperare præſumit auri vis, quia robuſtiora quæque terræ vincit tela. Vnde Diu. Petrus Damian. ſerm. 66. dicebat: *Hoc antiquus hoſtis vſus eſt argumento cum Domino meo Ieſu Chriſto: oſtendit omnia regna mundi dicens: Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me: acutiora quippè ſunt auri tela, quam ferri, & validius mentem frangit honoris ambitio, quam tormentum.* Ipſam Deitatem adoritur, impudens auri potentia, quia credit ipſum vincere, & ad ſua flectere vota. Et idcirco idola, quæ Deos credebant Gentiles, auro & argento, atque pretioſis gazis onerabant, quia his muneribus non modo credebant ipſos habere propitios, ſed & deuinctos, atque ad vindictam ſuorum ſcelerum ſumendam impotentes, de qua ſtultitia eos arguit Vates. *Væ qui dicit ligno: expergiſcere, ſurge, lapidi tacenti: nunquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt auro, & argento, & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius.* Hic verſ. 19.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Sacerdotum flagitia ipſis, non Sacramentis, neque Sacramenta ſuſcipientibus, officiunt.

1. QVamuis ægrotet medicus, medicina quam adminiſtrat, præſtat alijs ſalutem. Accenſa fax, quæ ſeipſam vrit, & lædit, alijs nitet, & lucem præbet. Non aliter mali Sacramentorum Miniſtri ſe ipſos tantum lædunt; tamen neque Sacramentum inualidant, dum illud conficiendi intentionem habeant, neque ipſius effectum impediunt, ſed gratiam conferunt, qua ipſi priuantur. Parum refert, quod ipſi praua conſtitutione accedant ad Sacrum miniſterium ad hoc vt illud fructum afferat dignè recipientibus à Chriſto Domino intentum. Quod pulchra ſimilitudine dicebat Chryſoſt. hom. 27. ſup. Epiſt. ad Hebræos. *Sicut qui accipit chartam à Rege ſubſcriptam, non requirit quo calamo ſcripſerit: ſic non inconuenit ſiue per iſtum, ſiue per illum Sacerdotis officio fungatur, quin ſuum ſortiatur effectum.* Coruus ater ſalutiferum panem adminiſtrabat Eliæ, nec eius ingrata, & ſordida natura obſtabat, quominus cibus ille cælitus emiſſus impinguaret Prophetam. Sibi ipſi noetmnentum infert indignus Miniſter, alijs commodum: neque eius praua diſpoſitio aut Sacramentum irritat, aut gratiam, ad quam conferendam fuit inſtitutum, retardat? Vnde D. Petrus Damian. cap. 28. de Sacerdotibus qui alios ſaluant, & ſeipſos perdunt, dicebat: *Fonte; quem alijs ſalubriter inſtituunt, ipſi damnabiliter irrigantur, & viperarum more, dum filios pariunt, ipſi moriuntur.* Viperini homines ſunt flagitioſi Miniſtri, qui dum alijs vitam conferunt, ſeipſos interimunt, & veluti aqua, ſordes aliorum abluunt, quas apud ſe retinent.

2. Poſtquam Dei præcepto virgam in terram proiecit Moyſes, quæ conuerſa fuit in colubrum, & apprehenſa iterum ad virgam rediit: præcepit ei Deus: *Mitte manum tuam in ſinum tuum: quam cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis.* Exod. 4. verſ. 6. Et quid illa mirabilis virgæ conuerſio adumbrauit? Auſculta Rupert. lib. 1. in Exod. cap. 17. *Quid igitur virga hæc, niſi illam ſignificat humanitatem Chriſti Filij Dei, quæ de radice Ieſſe ſumpta eſt?* Cur ergo manus, quæ mirabilem Chriſti conuerſionem denotabat, lepra infecta eſt? Cur mirifica illa tranſmutatio, quæ puriſſimam Chriſti humanitatem præfigurabat, à manu ſordidâ conficitur? Rectè Theodoretus quæſt. 10. in Exod. *Legiſlatoris manum infecit lepra docens eos, qui plenius inſtructi ſunt, horum nihil eſſe immundum: nam dextera quæ admiranda perpetrauerat, cum prius fuerit leproſa, ſignis diuinis inſeruiuit, & elementa mutauit.* Lepra, quæ manum infecit Moyſis, non obfuit, vt manus admirandam conuerſionem patraret. Et ex tunc liquet, Miniſtrorum Dei ſordes, ſcelera, & flagitia non obeſſe, quominus admirandam Chriſti conuerſionem efficiant, & ratum ſit Sacramentum, ab ipſis confectum. Lepra, quæ ſerpebat in Moyſen, ipſi tantum officiebat, illa illius corpus exedebatur: ſed neque miraculo, neque illud aſpicientibus nocumentum attulit: quia Miniſtrorum ægrota conſcientia ipſis tantum officit, non rei Sacræ, quam verſant, neque illam digna participantibus.

3. Mirabilis fuit illa filiorum Aaronis miſera mors, quam ſic refert textus ſacer. *Arreptiſque Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis, poſuerunt ignem alienum quod eis præceptum non erat: egreſſuſque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui ſunt coram Domino.* Leuit. 10. verſ. 1. At quo pacto ignis vltor eos deuorauit? Auſculta Caiet. *Significanter dicit eos: quia vt ſubiuncta teſtantur, ignis iſte nec illorum tunicas lineas, nec eorum corpora conſumpſit; ſed eoſdem quaſi terrendo interfecit ſubitò: ſubiungit enim, quod ibi mortui ſunt coram Domino.* Idem habet Lyra, & vterque probat ex eo, quod ſtatim v. 4. mittente Moyſe leuitas ad ſepeliendos huiuſmodi Sacerdotes, inquit text. *Confeſtimque pergentes tulerunt eos; ſicut iacebant veſtitos*

lineis

Digitized by Google

lineis tunicis, & eiecerunt foras, vt ſibi fuerat imperatum. Ad quæ verba hæc ſubiungit Lyra: *Ex quo patet, quod ignis non combuſſit corpora eorum, nec etiam veſtes, quamuis eſſent lineæ, & ſtatim. Ex hoc autem, quod fuerunt ſepulti cum veſtibus Sacerdotalibus, inoleuit conſuetudo, quod Sacerdotes nouæ legis cum veſtibus Sacerdotalibus ſepeliuntur.* Iam ergo inſurgit difficultas, cur ignis è cœlo miſſus Sacerdotes combuſſerit eorum veſtibus intactis remanentibus? Quid? Reueretur ignis Sacerdotales veſtes, quod ipſas temerare non audet, & nec leuiter comburere? Qui ſe ius voracitatem cohibuit, ne veſtes abſumeret? Pulchrè moralis Gloſ. ad noſtram Theſim rem inflectit. *Per hoc autem quod veſtes Nadab, & Abiu remanſerunt intacta, ſignificatur, quod in noua lege res ſacræ ex abuſu malorum Sacerdotum non ſunt contaminatæ.* Pepercit ignis veſtibus Sacerdotalibus, quia ad ipſas Sacerdotum ſordes non deſcenderant. Prauus Miniſter indebitè Sacrum adminiſtans non ipſum contaminat, ſeipſum tantum lædit, ſuſcipientibus dignè Sacramentum ipſius confert effectum gratiam largitur: ſibi mortem, vitam alijs adminiſtrat, & ex eius abuſu non contaminatur Sacrum: Chriſtus verè, & realiter adeſt, etſi Sacerdos toxico ſit plenus.

4. Egregius exſtat locus ad hoc inſtitutum Cantic, 1. verſ. 10. Vbi magnum beneficium Sponſus Eccleſiæ pollicetur. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Diffident Patres in hujus ornamenti ſpecie. Nam Diu. Anſelm. & Diu. Bernard. (apud Giſlerium) per murenulas non colli, ſed aurium ornamentum intelligunt: tamen & ipſi, & alij ex Patribus huiuſmodi murenulas colli ornamentum exiſtimant (præcipuè Caſſiodor. Beda, & Rupert.) idcirco gazam hanc murenulas dictam putant, quod ſit facta ad ſimilitudinem murenæ marini piſcis: quia ſicut murena ſeſe in orbem plicat, ſic ornamentum illud in modum orbis erat elaboratum. Ait ergo Chriſtus ad Eccleſiam: vt magnum erga te amoris ſignum exhibeam, maximum donum elargiri polliceor, quo in auribus quibus me adeo oblectaris, maximè exorneris: dabo enim operam, vt pro auribus murenulæ tibi fiant aureę punctis argenteis affabrè intermixtæ, quæ in orbem ſe plicent venuſtiſſimè. Quis iam non videat arcanè hic ſermonem eſſe de almo Sacramento Altaris, vbi Chriſtus Dominus Diuinitate aureus, humanitate argenteus ſub argenteis etiam accidentibus inſtar murenę ſeſe in orbem plicat? Sed quid Chriſtus Dominus affine habet cum murena, vt in hoc fidei myſterio, auribuſque proinde congruenti, in illa adumbretur? Audiendus eſt Diu. Baſilius in Hexamer. miram huius piſcis naturam deſcribens. *Vipera* (inquit) *genus ſerpentum omnium exitioſiſſimum murenæ marinæ nuptias expetit, & ſibilo ſuam ſignificat præſentiam, eamque à gurgite vaſto inuitat ad nuptiales complexus: illa autem obtemperat, & coit cum venenato.* Quod procliue eſt, & apprimè ad Chriſtum Dominum induci poteſt: nam etſi vipera exitioſiſſima Sacerdos ſit etſi, venenatus ſcorpio, dummodo verborum ſibilo Chriſtum Dominum inuitet, ſtatim cum illo arctiſſimè complectitur, illi obtemperat, & ad illius manus verè, & realiter deſcendit: quia vt pulchrè dixit Auguſt. *Non in merito conſecrantis hoc Sacramentum efficitur, ſed in virtute perficitur Creatoris.* Quamuis Sacerdos toxico ſit plenus, quamuis in eius pectore lateat culpę venenum; Sacramentum tamen conficit, & verborum vi Chriſtus ad ipſum appropinquat, & à Deo impetrat, quod non ſibi, ſed alijs poſtulat: ſimilis in hoc captiuorum procuratori, cui eorum attentione, pro quibus exorat, largè eleemoſyna conceditur; cum tamen ipſi pro ſe petenti nihil ſanè deberetur; & Leonem referens Samſonis in cuius ore fauum mellis inuenit, quem non ipſe leo mortuus, ſed Samſon guſtauit, & dulcedinem prębuit non animali inſenſibili, & incapaci illius ſuauitatis, ſed idoneo palato illam recipienti, vt egregiè dixit Petrus Damianus opuſ. 6. cap. 21. *Samſon de ore mortui Leonis fauum mellis eduxit, & ex arenti mandibula aſini aquis ſe profluentibus ſatiauit: ſed neque aſelli (inquam) deſidiam, neque bellninam guſtauit in melle ferociam, vtrobique nimirum quod ſumptum eſt iuxta proprietatem ſuam more ſapuit:* Nemo ergo Miniſtri non ſanctam vitam aſpiciat, dum ab illius ore, ab illius manu Chriſti corpus, Chriſti verbum, & cætera Sacramenta ſuſcipit: mortuus ille eſt, ſibi tantum dannum infert; ſed tibi Sacramento, quod confert, vitam adminiſtrat: Sacramentum conficit, & quod verbis exprimit, opere complet, verèque idipſum efficit, quod loquitur. In quo toto cœlo diſtant Eccleſiæ Miniſtri, & idolorum cultores: nam illi verba habent efficaciſſima, iſti vero vana, inutilia, & quæ nihil eorum quæ ſignificant, operantur: nam ſe decipiunt putantes Diuinitatem ſuis manibus fabricare. Vndè eorum ignorantiam, & ſtultitiam irridet Vates. *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam?* Hic verſ. 18.

DISCURSUS VIII. MORALIS.

Qui ſilet ad iniurias Deum habet defenſorem.

1. CONcludit Vates noſter hoc ſecundum vaticinij caput potentiam, Dei, & maieſtatem prædicans, atque ſolatium

tium præbens Iudæis, eo quod iniuriarum ipſis à Nabuchodonoſot illatarum Deum habeant vindicatorem: quia cum ipſi patienter ſuſtinuiſſent diram tyrannidem, & incomportabile iugum, neque ſaltem voces emitterent, vt conquetetentur, Deum ad ipſorum vindictam ptouocarunt, quia illarum eſt vltot offenſionum, quæ cum ſilentio, & ſpe tollerantur. *Dominus autem in templo ſancto ſuo, ſileat à facie eius omnis terra*. Hic verſ.20. Quaſi dicat, ſi Deus in templo ſancto ſuo ad vindictam accingitur, ſilear terra, & vltionis curam in Deum reijciat, quia qui ad iniurias tacet (vt populus Iudæorum ad inſultationes Babyloniorum ſilebat) ſuæ vindictæ conſtituit Authorem, vndè Tertullianus lib. de patient.cap. 15. *Satis idoneus patientiæ ſequeſter Deus eſt: ſi iniuriam depoſueris penes eum, vltor eſt: ſi damnum, reſtitutor eſt: ſi dolorem, medicus eſt: ſi mortem, reſuſcitator eſt. Quantum patientiæ licet, vt Deum habeat debitorem?* Qui conuitia patienter ſuſtinet, Deum debitorem habet, & ad duellum paratum, ipſique incumbit vindictam ſumere de iniurijs propter ipſum condonatis. Si autem offendentem repercutit, obligationem quam Deus habet pro ipſo inſurgendi, reſcindit, atque Dei munus ſibi arrogat, & latrocinij quoddam ac ſacrilegij genus committit, id ſibi vſurpans, quod tantum Deo competit, quia ipſe iniuriarum vindictam ſibi reſeruauit. Vbicumque homo Deum ſuarum iniuriarum vindicem conſtituit, & ad illas tacer, Deum pro ipſo reſpondere eſt neceſsè. Vndè Moyſes filijs Iſrael in mortis anguſtia conſtitutis propter præſentiam Pharaonis eos hoſtiliter inſequentis dicebat: *Nolite timere: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*. Exod. 14.v.12.& 14. Quid refert, quod ipſi taceant, vt pro illis Deus pugnet? Quo pacto ex illorum ſilentio ſpem ad vindictam erigit, & Ægyptiorum ſtragem, & ruinam præſagit? Cur vt Deum habeant protectorem, ipſis prohibet iniurias rependere? Acutè Lyra. *Quaſi dicat: Nolite timere, quia auxilium Dei adeſt vobis: ita quod nec pugnare, nec etiam loqui, neceſsè erit vobis*. Nullo iniuſtè oppreſſo Deus non præbet auxilium, maximè cum ad iniurias ſilet: quaſi ſilentium Dei manum vindicatricem armat, vt inimicum expugnet. Ex ſilentio populi Diuinam defenſionem Moyſes auguratur, quia iniurias propter ipſum condonatas in ſe Deus recipit, & ad illarum vltionem properat.

2. Non leuem calumniam Aaron, & Maria Moyſi fratri intulerunr, ſed grauiſſimam (qualis ſolet eſſe frattum) ita vt exacerbatur Dominus, & ad ipſius vindictam irato animo inſurgeret. *Quod cum audiſſet Dominus iratus eſt: erat enim Moyſes vir mitiſſimus*. Num. 12. verſ.2. At vndè qui tam propenſus eſt ad miſerendum, tam velox ad iniuriam Moyſi illatam vindicandam accedit? Cur tam citò ad defenſionem Moyſis accingitur, & Mariam lepra mulctat, Aaronem confuſione, propterea quod de fratre ducente vxorem murmurauerant? Planè text. cauſam indicat? Quia laceſſitus Moyſes vir erat mitiſſimus, & ſingulari prçditus manſuetudine: quia omnem ſe defendendi curam in Deum reijciebat, ideo Deus adeſt vltor, & illius honoris defenſor. Audi Rupertum lib.1.in Num. cap.34. *Moyſes nullo modo ſeipſum defendebat, & hoc pacto quaſi legitima cauſa defenſorem ſui Deum tacendo conſtituebat*. Qui pro ſe loquitur, dum iniuriam patitur, Deum pro ſe loquentem non habet; qui tacet, & ſuſtinet, nec iniuriam rependit, Dei patrocinio ſuſcipitur defendendus, & non ſolum de hoſtibus vindictam ſumit, ſed maximis nobilitatur honoribus, atque laceſſitum animum nouis Deus commendat prçconijs.

3. Numer.16. verſ.34. Cum Moyſes, & Aaron à populo commoto, & tumultuante maximo impetu, & contumelioſis verbis impeterentur: cumque neque illum placare, neque eius furori poſſent reſiſtere, ad fæderis tabernaculum confugerunt: ibi illos Deus in ſua protectione recepit, nube operuit, & gloriæ ſuæ viſione recreauit. *Moyſes, & Aaron fugerunt ad tabernaculum fæderis: quod poſtquam ingreſſi ſunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini*. Et cum cur populus ſeruos Dei inſequitur, & ipſos offendere tentat, fauorabilibus ſignis ipſos Deus proſequitur, & ſplendidis honoribus illos exaltat? Audiendus Origen.hom.9.in Numer. *Non legimus antea, quod obtexerit nubes tabernaculum, & apparuerit maieſtas Domini, & receperit intra nubem Moyſem, & Aaronem: niſi tunc cum ſurrexit in eos populus, & lapidare eos voluit. Diſcamus ex hoc, quanta ſit vtilitas in perſecutionibus Chriſtianis, quam tum gratiæ conferatur, quomodo propugnator eius fiat Deus*: Quaſi dicat: Idcirco Deus nouo, & inuſitato beneficio nobilitauit Moyſem, & Aaronem, quoniam ad iniurias, & contumelias populi ſiluerunt: vt diſcamus perſecutionem patienter ſuſtinere, Deo relinquentes vindictam, qui à quocunque dedecore maximo cum honore nos eripiet: etenim cum iniurias vindicare volumus, magis inhonoramur, cum pro Deo illas remittimus, ipſum vindicem. & defenſorem conſtituimus.

4. Plurima conuitia tres amici Iob in ipſum iecerunt, fædiſſimas contumelias intenderunt in illum, vt patet ex cap.4. ipſius hiſtoriæ, & ſeqq. nec tamen Deus legitur ibi pro Iobo àliquid reſpondiſſe, ſed ipſum laceſſitum, & indefenſum reliquiſſe. Poſtea vero cum Eliu longiſſimam texeret diſputationem contra Iobum, in qua multas illi contumelias impegit, à cap.32.vſque ad 37.dicitur, ſtatim Deum ad illud iurgium dirimendum aduolaſſe, & pro Iobo acriter reſpondiſſe. *Reſpondens autem Dominus Iob de turbine dixit: Quis eſt iſte inuoluens ſententias ſermonibus imperitis?* Iob.38.

Digitized by Google

Iob.38.verſ.1. & 2. Quis non miretur, quod in priori contentione Deus taceat, & ſeruum ſuum tot conuitijs deuenuſtari permittat, quin pro illo verbum loquatur; & ad poſteriores Eliu contumelias acre certamen excitet, & iniuriantis audaciam reprehendat? Cur primo tutelam Iob prætermittit, & ab inſultantibus iniuriari, & mox vt ludibria ſecunda audit, velociſſimè accurrit, vt ipſum protegat paucis verbis magnam difficultatem Lyra reſoluit. *Reſpondens autem Dominus: ideſt, pro ipſo Iob; quia tacebat*. Cum primo conuitiabatur, ipſis improperantibus reſpondebat, & ſui ipſius defenſionem ſuſcepit, atque ſatiſfacere tentauit ijs, quæ ipſi obijciebantur, verum cum Eliu contumelioſa verba audiuit, ſiluit nihil reſpondit, nec ſicut antea ſe defendere procurauit, & idcirco Deum habuit pro ſe ipſo reſpondentem. Iniuriarum ſilentio Deum deuinxit, vt ad ipſum vindicandum properaret: quia quotieſcunque l. ceſſirus honor tacet, Deum habet ipſius defenſorem. Mira ſolertia ſuſcepit Chriſtus Dominus Magdalenæ cauſam eam à Phariſæi detractione, à Marthę querelis, à Diſcipulorum murmuratione defendit. Vnde illa mulier Dei patrocinium iugiter promeruit? Audi Bernard.ſer.2. de ſeptem panum miraculo. *Si Phariſæus murmurat, ſi Marta corqueritur, ſi ſcandalizantur Apoſtoli Maria tacet, Chriſtus excuſat, etiam & laudat tacentem*. Quia maria iniurias condonabat, ad ipſaſque tacebat, non neceſsè fuit, vt ipſa ſe defenderet, & pro proprio honore decertaret: quia manſuetudine, & ſilentio ſecurum Dei patrocinium ſibi ſtatuebat, & ipſa iniuriarum taciturnitate Deum ad loquendum pro ipſa prouocabat.

DISCVRSVS IX. MORALIS.

Vltima peccatoris miſeria, Deum perdere, & non ſentire; ſalutis ſignum, de illius amiſſione dolere.

1. SVmma hominis aduerſitas eſt, loco virtutis vitia ſufficere, & ex remedijs toxicum efformare, vt dicebat Seneca. *Confirmata infœlicitas, vbi turpia non ſolum delectant, ſed placent: & deſinunt eſſe remedia: vbi, quæ fuerant vitia, mores ſiuot*. Vt rectè dicebat Auguſt.in epiſt.ad comitem. *Nullum ſcelus apud Deum tam abominabile eſt, quam præterita peccata reminiſcendo gaudere, & exultare*. Qui de crimine commiſſo non modo non triſtatur, ſed gaudet ſuper iniquitatem ſuam, & Deum perdidiſſe non dolet infœliciſſimus eſt, vltimamque miſeriam incurrit. Mirè hanc Dei inſenſibilem derelictionem in Ephrain deſcripſit Oſeas cap.7.verſ.11. *Factus eſt* (inquit) *Ephrain, quaſi columba ſeducta, non habeos cor*. Vbi 70. explicarius legunt: *Factus eſt Ephrain, quaſi columba inſipiens, & amens non habens cor*. At cur columba dicitur excors, cum cor vitæ ſit principium, & abſque illo viuentia facultates viuendi, & functiones amirrant? Mortua potius abſque corde dicenda erit columba, quam decepta, ſeu amens: amentes enim, & ſtulti quanquam ſanæ mentis non ſint, cor tamen habent & vitales exercent operationes. Optimè D. Hieron. hinc anſam arripit; vt populi Proceres Dei, quem amiſerunt, obliuioſos arguat. *Sola columba* (inquit) *ablatos pullos non dolet, non requirit: eundem in modum iniquus, vt ſeducta columba, ablatam gratiam, ablatam æternam vitam, ablatum cœlum, animam, Deum, non dolet, non requirit, quia non ſentit*. Quemadmodum auulſos natos, dulcia pignora ablata, aut ferro cæſa non gemit ſtulta columba, nec illa requirit, ideoque inſipiens, & excors nominatur: ira Principes Iſrael in eam amentiam deuenerunt, vt Dei ſui amiſſionem non ſentirent, damniſque exindè prouenientibus non triſtarentur: veluti amentes, & inſani, qui nocumenta ipſis illata, minimè ſentiunt. Vltima hæc, & deploratiſſima miſeria eſt, & calamitatum compendium, nec lachrymam fundere, & abſque dolore, imo cum lætitia ferre Dei amiſſionem; nec amplius de illius adinuentione curare.

2. Inter acerbas plagas, quibus Deus flagellauit Ægyptum, caliginoſa tenebrarum confuſio maximè exaggeratur. Exod. 10. verſ. 22. *Factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Ægypti &c.* Cur ſola tenebrarum caligo horribilis in ranarum multitudine, primogenitorum morte, cæteriſque plagis nuncupatur, cum tamen hæ, vt apparet, horribiliores fuerint, & nocentiores? Etenim oculorum aciem obtundunt inſenſibiliter tenebrę, nec dolorem excitant: at miſera reliquarum calamitatum ſtrages acerrimè & corpora & mentem cruciabat, exindeque vehementiorem in Ægyptijs concitabat horrorem. Optimè Oleaſter huiuſmodi plagæ grauitatem agnouit. *Hoc eſt vltionis impiorum ſupplicium, cum obſeruatur inſipiens eorum cor*. Nihil horribilius peccatori accidit, quam ad mala, quæ patitur, cæcutire, & ad ipſius iacturam inſenſibilem permanere, & impotem ad remedia exiſtere, quia nocumenta non præſentit. Gratię lucem amittere, & ſuper ipſius priuatione lętari, hęc ſumma ſtoliditas eſt, & dementia, ac nulli comparabilis miſeria.

3. Iob 4. verſ. 19. peccati damna altè perpenſus, & peccatorum miſeram fortunam dice-

dicebat cap. 4. *Conſumentur velut à tinea.* At qui huius peccati reatus, & peccatoris ſupplicium, à tinea veluti pannum lentè corrodi? atrocior eſſet pœna, & formidabilior, ſi leonibus aut vrſis traderetur lacerandus. Auſculta Magn. Greg. ibi. *Tinea damnum facit, & ſonitum non facit: ità iniquorum conſcientiæ, quia damna ſua conſiderare negligunt, integritatem, & gratiam quaſi neſcientes perdunt; & quaſi è tinea conſumuntur: quia ſine ſonitu morſum culpæ tolerant, dum quanta detrimenta vitæ gratiæ amiſſione patiantur, ignorant.* Nullibi enim maius nocumentum latet, quam vbi nocumentum non ſentitur. Vlcerata caro vbi ferrum candens, aut ſecans non ſentit, cadaueraſcentis corporis argumentum eſt. Sic infelix peccatoris inſenſibilitas quandocunque corroſam à peccato gratiam non ſentit, nec illius ſeparatione ſenſum doloris excitat, omnem conualeſcendi adimit ſpem. Vbi Dei recedentis, & tinnitum peccati animam deuaſtantis non audit, mortalem patitur infirmitatem. Hinc Dœmon machinamenta adhibet callidiora, vt morboſam partem foueat, ne damna ſerpentia ſentiat, & incautè infirmitati conſentiat incurabili; vndè Dauid Pſalm. 51. *Sicut nouacula acuta feciſti dolum.* Quæ verba D. Greg. Nazian. orat. 40. de diabolo fraudulenter inſidiante accipit. At cur ipſum nouaculæ confert acutæ? Audi Gregor. *Nouacula ita comam abſcindit, vt qui raditur, nihil ſentiat ſic etiam diabolus ita dolos machinatur, ac animæ gratiam detondet, vt ea ſibi hoc ornamentum detrahi, non ſentiat.* Omnem prorsùs dœmon ſuæ ſolicitudinis, & fraudulentiæ operam adhibet, vt in Dei amiſſione, & gratiæ iactura dolorem peccatoris extinguat, ac læthalem morſum inſenſibiliter incurrat. Ne pars affecta morbo ſentiat, nouacula, fouet, & mulcet, vt manus mortem infereus profeciſſe credatur, & de damno illato lætetur infirmus quod vltima miſeria, & infœlicitas eſt.

4. E regione verò ſignum ſalutis eſt, cum commiſſa crimina triſtitiam afferunt, & dolorem excitant. Quo ſpectat illud Pſalm. 118. verſ. 176. *Erraui ſicut ouis quæ periit, quære ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.* Ad peccati errorem, quo homo infœliciter perit, hæc refert D. Ambroſ. Verùm cur peccati error oui extra gregem aberranti confertur, vt exindè Deum moueat ad illum in ouile reducendum? Dixerim: quia ouis dum à paſtore errat, & ab illius conſortio deuiat, dolore anxia triſtes balatus emittit, vt in caulam reducatur, & inique fert à paſtore ſeparari luporum incurſionibus expoſita; ideòque illius meretur auxilium. Sic peccator, qui non gaudet in crimine, ſed triſtes lacrymas in Deum fundit, in proximo eſt, vt ad ſalutis viam reducatur, & dignus, vt ipſi per ſalebroſam ſemitam aberranti paſtor accurrat: quia qui de ſcelere dolet, aliqualem illius habet excuſationem, vt annotauit Theodoret. quæſt. 47. in Geneſ. ad verba cap. 6. *Omnis caro corruperat viam ſuam*: quæ ita verſat. *Hoc tamen animaduertendum eſt, quod diuinus ſermo non ſimpliciter peccatorem damnat; ſed cura & ſtudio quæſitam iniquitatem reprehendit: qui enim ægre ferunt oblatam ſibi eſſe peccandi occaſionem, à nequitia tamen victi per mentis ignauiam, poſtea dolent, & lugent mediocrem aliquatenus habent excuſationem.* Etenim qui in peccatis diſplicent, nec gloriantur in malitia, non difficulter ad amiſſam gratiam reducuntur. Si fortè in peccatis aliquid boni inueniri poteſt; hoc vnum eſt, quod amaritudine ex culpa relicta guſtum exacerbent, & faſtidiosè crucient. Animaduerſione dignum eſt, quod Chriſtus Dominus pendens in patibulo, & ſiti, de qua conquerebatur, æſtuans felleum liquorem à milite oblatum bibere recuſarit. Auſculta textum Matth. 27. verſ. 34. *Cum guſtaſſet, noluit bibere.* Qui adeò tormentorum fuit auidus, vt illis, & opprobrijs voluerit ſaginari, cur poculum guſtum exacerbans, & crucians bibere recuſauit? Nunc oblatam ſibi, & opportunam patiendi materiam abnuit, qui omnes experiri ambibat? Optimè Simon de Caſſia. *Noluit bibere, ideſt, noluit haurire, vt indè poſteris bibenda relinqueret: mortem enim & reliquas paſſiones non abſtulit.* Poculum illum Chriſto propinatum (Authore D. Hierony. ad cap. 19. Moral.) Peccata noſtra exprimebat. *Non accepit* (inquit) *id, pro quo patitur.* Noluit ergò illud bibere, vt illius amaritudinem nobis relinqueret: quia hoc ſolum in peccato vtilè eſt; voluit ex toxico nos medelam conficere, ex vipera teriacam, qua ipſius morſus ſanaretur. Ne deinceps peccata tanquam dulcia arriderent, felle & amaritudine immerſa reliquit, nec audet illorum acerbitatem abſumere, ne opportuniora nobis ſubripiat remedia: nam nihil tam officit, quàm in peccatis lænocinari, & amarum in illis ſaporem non faſtidire.

5. 2. Reg. 12. verſ. 9. Sic Nathan ex præſcripto Dei Dauidem minatur illius facinora recenſens. *Vriam Hethæum percuſſiſti gladio, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi; quam obrem non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum.* Cur perpetratum, & deteſtabile adulterium, quod Dauid commiſit, ſiletur, & adulterij loco concubitus obijcitur cum iam vidua Berſabee, quod culpa vacabat? Flagitioſum facinus reticetur, & permiſſus concubitus ad vindictam culpatur? Fortè Propheta mandatum aberrauit: aut fœlix eſt culpa, quam ſupplicium prætermiſit, & infœlix innocentia, quæ pœnas ſine crimine luit? Fruere Procopio opportunè mediante Ibi. *Obſcurè ſignificatur, Deum plus hoc coniugio offenſum eſſe, quam adulterio: adulterium enim cupiditate victus commiſit; coniugium autem deliberationis aſſen-*

aſſenſum habet. Cum propter adulterium, & homicidium plangere deberet, ipſe matrimonio contracto cum ea vita conſuetudinem habuit. Pluſquam peccatum Deum offendit, & exacerbat de illo non modo non pœnitere; verum anſam arripere ad lætitiam, & quod ſtimulus ſit ad gaudium mæroris occaſio. Etenim Dauid de adulterio non doluiſſe oſtendit, dum apud ſe adulteram retinet, & matrimonij vinculo adiungit: & ideò de hoc potius, quam de crimine commiſſo minatur Propheta vltionem ſubiturum; nam culpam ducit in vxorem, qui de ipſa non diſplicet, & Deum prouocat ad vindictam; vndè vt peccandi cohiberet licentiam Deum ſuper noſtris ſceleribus, & eorum complacentia vigilare, & animaduertere aiebat Vates hic verſ. 30. *Dominus autem in Templo Sancto ſuo: Sileat à facie eius omnis terra.*

DISCURSUS X. MORALIS.

Paruum donum amicum, magnum inimicum reddit accipientem.

1. SEneca de beneficijs altè differens, & quam ſint oneroſa largitori perpendens aieoat. *Leue æs alienum debitorem facit; graue inimicum.* Beneficij magnitudo hoſtiliter in porrigentem relabitur,& non modo gratiam non negotiatur accipientis, ſed odium aduerſus authorem gignit. Infortunatum à magnitudine munus eſt; fœlix à paruitate: nam hominis ingenium veluti ignis eſt, qui exiguis incenditur vndique lignis, & robuſtioribus ſuffocatur, & extinguitur: parua aqua fouetur, & Scintillat, at magna vnda interit. Homines quem maxima dona grauant, parua ligant, aut quia nihil magnum ferre poſſunt; aut quia muneribus, quæ rependere non valent, offenduntur, quia quoties illorum recordantur propriam imbecillitatem agnoſcunt, & ægrè ferunt, alijs eſſe debitores.

2. Parentem primum omni donorum copia, & naturæ, & gratiæ diuitem condidit Deus, ad ipſiuſque ſimilitudinem formauit illum, & collocauit in Paradiſo omni voluptate exundante. *Creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, & conſtituit eum in Paradiſo voluptatis.* Geneſ. 1.verſ.37. Age, videamus, quas grates pro tam preclaris beneficijs rependit, qua gratitudine ſe deuinctum ſuo Authori monſtrauit. Auſculta Rupert.lib. 2. in Geneſ.cap.39. *Diuinæ beneficentiæ dilatatus muneribus tacet adhuc, & nihil, quod laudem Dei reſonet, eloquitur: nec vllum dilectionis vel gratiæ verbum in ore eius fuiſſe ſcripturæ teſtatur.* Auget beneficia Deus, facit ei adiutorium ſimile ipſi, vt creſcat, & dilatari poſſit, atque de ſe vno propagata fœlici, progenie terram viuentium repleret. Quid tunc Adamus? Gratias ne Deo agit; an adhuc tacet? Non ſolum tacet? ſed queritur de grauitate, doni atque onere, quòd in ſe habet, nec Deo refert tam ingens beneficium, ſed paruo oſſi, quod ad Euæ formationem miniſtrauit: hoc enim innuunt illa verba. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Cur ad tantum beneficium quod per ſe ſolum, vel cum relatione ad præcedentia dubio abſque magnum erat, non ſolùm non tacet Adamus (quod minus eſſet ingratum) ſed queritur illis verbis: *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ?* Hoc ſanè ingratiſſimum erat, collatò ingentiori beneficio non ſolum non reſpondere; ſed quaſi iniuria eſſet illata, de ipſo conqueri. At hæc hominum natura eſt, hæc magni muneris infœlicitas, non tam gratiam excitare, quàm odium, non tam gratum animum negotiari, quam querelum, & infeſtum hoſtem: enim verò donum quod accipientis capacitatem ſuperat, illum exacerbat, quaſi non ipſi conferatur, quòd non meretur.

3. Exod.16.verſ.16. Manna electus cibus, quem Deus populo miſit in deſerto, ſic parcè porrigitur, vt præcipiat Deus, ad diem tantum vnumquemque ſibi prouidere. *Colligat vnuſquiſque ex eo, quantum ſufficiat ad veſcendum.* Et quidem diſquiſitione dignum eſt, quòd Dominus, qui populi ſuſtentationi tam ſtudioſè intendebat, conditaſque dapes è cœlo miſit, panem non ad menſem, vel ſaltem ad hebdomadam largiatur, ſed ad diem tantum, tali temperamento conditum, vt ſi in craſtinum ſeruaretur, ſtatim vermibus ſcateret. Cur pani omni ſuauitate pleno hic vnus deficit ſapor, quòd de illius duratione ſaltem ad biduum non lenocinentur Hebræi? Qui tam magnificus populo fuit, hoc vnum deſiderabile denegat, & duntaxat ad breue diei ſpatium cibum parat? Oleaſter parum à noſtro inſtituto aberrauit. *Vult Dominus* (inquit) *nos ſemper ab eius prouidentia pendere, quoniam nouit, nos non adituros eum, niſi indigeamus.* Idcircò paruam Mannæ quantitatem Iudæis porrigebat, & inſequentem diem ſeruatum corrumpebatur: quia intendebat gratos reddere Hebræos, illiuſque prouidentiæ minimè obliuioſos. Si enim ad menſem, vel hebdomadam ſufficientem præberet annonam, ipſa beneficij magnitudo memoriam largitoris extingueret. Minutim contra innatam propenſionem beneficia Deus contulit vt & nos gratos efficiat, & ſuæ indemnitati conſulat.

4. Adueniente Chriſto Domino in Bethſaidam adducunt ei hominem cæcum, quem apprehenſa manu duxit extra vicum, & exſpuens in eius oculos, manibuſque impoſitis rogat eum, an aliquid videret. Cui cæcus: *Video*

homi-

homines velut arbores ambulantes. Marc.8.verſ. 24. Iterum autem manibus oculis ſuperimpoſitis, cœpit perſpicuè videre, viſuſque in integrum illi fuit reſtitutus, itaut clarè, & diſtinctè omnia intueretur. Mira hæc curationis methodus. Cur non ſtatim vt oculos Chriſtus liniuit ſputo, perfectè videt? Qui alios ægrotos integræ ſanitati à Principio reſtitnit, hunc cæcum primò imperfectè ſanat, itaut homines arbores ipſi videantur, & poſtea optata fruitur luce? Cur non ſtatim palpebras omninò extorſit, ne de ſua potentia incredulis relinquat dubitandi locum, aut de ſua liberalitate? Nam largitatis deperdit venuſtatem, qui diù beneficium retardat, vt dicebat Seneca. *Ingratum eſt beneficium, quod inter manus donantis hæſit*. Maldonatus diſſertè difficultati occurrit. *Fortaſsè* (inquit) *etiam voluit, vt cæcus beneficium, quod accipiebat ſanitatis, dum paulatim ſibi conferebatur, pluris faceret*. Derogat Chriſtus ſuæ liberalitati, vt noſtro commodo prouideat, & gratitudinem negotietur, conſcius hominis ingenij, qui quod paulatim accipit, ad gratiam retinet in memoria, & in beneuolentia donantem, quod ſimul præ magnitudine paruipendit, & in odium vertit largientis. Vt ergò cæcus ille ſanitatem reciperet ad gratiam, non totam ſimul, ſed per partes accipit, ne nociua Deo ſua beneficentia, ſit, & donum ſuperabundans in ipſius redundet contumeliam. Non ſibi prouidet, qui abſque menſura beneficia diſtribuit, nam ea, cum magna ſunt, ſibi inſidiari experietur, & magno pretio inimicum negotiabitur implacabilem.

4. Geneſ.40.verſ.18. piſtorum præpoſitus, & pincernarum adminiſter apud Pharaonem facti, aut ſuſpitionis criminis accuſantur: detruduntur in carcerem, ſomniorum, quæ habuerant, hærebant anxij: Ioſepho ibi detento, & ſomniorum interpretandorum peritiſſimo vterque ſomnium ſuum narrauit: ipſe autem pincernæ magiſtro ex relato ſomnio ominatur. *Tria caniſtra tres dies adhuc ſunt, poſt quos auferet Pharao caput tuum, & ſuſpendet in Cruce, & lacerabunt volucres cæli carnes tuas*. Mirum quod hic, qui gratiſſimus Regi erat miniſter, quique panes prima arte confectos miniſtrabat tam triſtem exitum habeat, & ab ipſomet obſequio, & officioſo famulatu inauguretur Ioſeph eius interitum. Is qui gratiora Regi beneficia impendebat, & totus erat in parandis eius delicijs, ſic miſerè infelicitatur? Is ſane: nam homini innatum vitium eſt, in eum hoſtiliter inſurgere, qui plura, & maiora ipſi intulit beneficia. Exhibita magna obſequia prophetia ſunt vberioris indignationis, præcipuè apud Reges, qui aliorum beneficijs deuinci dedignantur, & tot fulmina parant in obſequentes, quot dona recipiunt. Ideò Vates illudit confidentiam fictoris, qui idola magno ſtudio conflat, & magna reuerentia colit: nam quæ ad obſequium efficiebat, in ipſius perniciem redundabant. *Quid prodeſt ſculptili, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam?* &c. Hic verſ. 18.

DISCURSUS XI. MORALIS.

Dignitas abſque meritorum ornamento non honorem, ſed pudorem inducit.

1. PUlchrè, & eleganter irridet Propheta idola prima arte elaborata, & ornata xenijs, illorumque cultores: nam honor ille leuigato ligno, aut fuſo metallo delatus potius ignominia, & dedecus ipſi erat: quaſi puderet vaſtum truncum diuinos honores accipere ab ipſiſque ſummam abiectionem hauriret. *Quid prodeſt ſculptili, quod ſculpſit illud fictor ſuus* &c. Hic verſ.18. Nam ſublimior honor indignum deuenuſtat, & vel lignum pudore ſuffunditur, cum numinis ſubit perſonam. Bellè dixit Chryſolog. Serm. 5. prodigi filij, qui idololatram referebat, perſonam agens. *Peccaui in cælum dum in cælo Solem. Lunam, ſidera Deos eſſe blaſphemat, hæc eadem profanat adorando*. Ipſamet adoratione blaſphemantur idola: quia dignitas non merenti exhibita non ad gloriam, ſed ad ipſius dedecus, & ignominiam deſeruit: imò ipſamet indigna redditur, & contemptibilis, vt dicebat Hieronym. *Apud viros bonos indigna ipſa eſt dignitas, quam multi indigni poſſident: fruſtra enim quis ſe iactat habere dignitatem cuius non exercet operationem*. Audis indignam compellari dignitatem, quam non digni poſſident? Quare niſi, quia ipſa inhonoratur indignus; & abiectiſſimè deturpatur? Arcanè dixit Enodius lib.9.Epiſt.35. *Nec plus aliquid humiliat potentiſſimos, quam obtenta ſublimitas*. Nihil miſerabilius homini optatur, quam ſupra merita euehi: quia quò ſuperiorem occupat locum, eo abiectiori ſuffunditur verecundia.

2. Duplicem ſacræ paginæ viſionem meditare: primam Zachariæ cap. 1.verſ.8. *Vidi per noctem: & ecce vir aſcendens ſuper equum rufum*. D. Hieron. & Rupertus verbi incarnationem, & vnionem humanæ naturæ ad Diuinam Perſonam hic agnoſcunt Diuinitatem quippè in viro adumbratam, humanitatem autem in equo. Apocalypſis cap. 19.verſ.11. Vbi idem verbum apparuit: ſed erat equus eui inſidebat albus. *Et Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis, & verax*. Iam videas, quam ſit in colore diſſimilis vterque equus: nam qui rufus Zachariæ apparuit, albus oſtenditur Ioanni. Candor vt interpretatur Hieronym. innocentiam, & impeccabilita-

ſitatem Chriſti ſignificat: rufus autem color Zachariæ oſtenſus (vt aduertit Cellenſis lib. de panib. cap. 33. Abbas) confuſionem quam Chriſti humanitas habuit ex coniunctione ad Diuinam Perſonam, denotat. *Idcireò rufus, quia dignitatem ſeſſoris non ſine verecundia contuetur*. Et cur ex vnione ad Verbum verecundia, & confuſio humanitati ineſt? Vbi honorem, & gloriam fuit nacta, pudore ſuffundi tur? Pudor non niſi à dedecore, & ignominia cauſatur. Verum auſculta Theologorum communem ſententiam aſſerentem in Myſterio Incarnationis, & vnionis hypoſtaticæ communicatam fuiſſe Chriſto Domino ſupremam creaturarum dignitatem, fuiſſeque conſtitutum caput hominum, & Angelorum. *Quia Diuinitas* (verba ſunt Suarez. 3. diſp. 48. ſect. 2.) *Per vnionem humanitatis ſociata non ſolum erat ſanctitas, quæ humanitatem conſecrabat, ſanctamque reddebat, ſed dignitas*. Igitur, quia humanitas dignitatem illam, quæ ex vnione ad Verbum in ipſam redundauit, non promeruit, quandoquidem nullus mereri poteſt, antequam ſit, ideò rufum, & verecundantem vultum exhibet, quaſi erubeſcens de dignitate abſque meritis acquiſita. Humanitatis equus idcircò rufus, quia dignitatem ſeſſoris non ſine verecundia contuetur. De dignitate, quam non meruit, humanitas verecundatur. *Salele el color de la verguenza à la eara*. Quia honor abſque ſufficientia obtentus, pudor eſt, nec de illo gloriari quis dignè poterit.

3. Mirabili verborum ſtructura humanam Chriſti generationem Matthæus contexuit: etenim ad Dauid, & eius filium Salomonem accedens, ſic affatur: *Ieſſe autem genuit Dauid Regem: Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ*. Matth. cap. 1. 1ρ. 6. Vides Dauidem ſemel, & iterum Regis titulo inſigniri, eius verò filium Salomonem, nec ſemel Regio nomine compellari. Cur ſi Salomon ſicut, & Dauid regnauit ſuper Iſrael (imò & meliori fortuna) nõ Regis vocabulo honoratur, & delatus patri honor denegatur filio? Auſculta diſſertiſſimam ſolutionẽ Aug lib. 1. de mirab. S. Script. c. 3. *Dauid autem genuit Salomonem, cui non additur, Regem, cum Salomon patris regnum teneret, maiuſque imperium: ſed ex hoc intelligitur patris ſui Dauid regnum hæreditario iure poſſidere, & ad Dauidem honorem regni plus pertinere*. Tota regnandi maieſtas, & gloria in Dauid refunditur, quia regnum proprijs meritis, & virtutibus acquiſiuit, & promeruit, exindèque meritò de regni poſſeſſione laudatur, dignitateque Regia ſplendet, aſt Salomon qui faſtigium iure poſſidebat, nec proprijs meritis acquiſiuit, non abſque pudore Regem compellari pateretur. Ideòque cum de illo agitur, regalis titulus reticetur, ne à non merita dignitate indecorus euadat: quandoquidem potius ſilentio quam voce honoratur, qui alienis meritis ſuffultus dignitatem poſſidet. Quaſi de perſona priuata loquitur Euangeliſta, dum de Salomone agit, in quo illius honori conſulebat. Qui locum occupat abſque meritis à priuatæ vitæ conditione potius, quàm à dignitate nobilitatur: ipſa enim decreſcit, ac deuenuſtatur. Cui mirè quadrat, quòd ſimili dixit Saluianus l. 2. de Eccl. *Indè maior, & intenſior: nouoque & pene inaudito genere creſcens ſimul, & decreſcens*.

4. Matth. 18. v. 27. Aſſimilatur regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere, cum ſeruis ſuis: oblatus autem ei vnus, qui debebat decem milia talenta, cum non haberet, vndè redderet, iuſſit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem obnixè rogauerat ſeruus, vt ipſum exſpectaret donec debitum poſſet ſoluere. Tam grata autem exſtitit eius deprecatio, vt omne debitum Dominus condonaret. *Miſertus autem Dominus ſerui illius dimiſit eum, & omne debitum dimiſit ei*. Mira & inopinata mutatio. Cur ſi Dominus dimittendi erat cupidus, è principio non dimiſit, quo magis liberalitatem commendaret; ſed debitoris orationem exſpectat: Precaria vis adeò Deum flectit, vt quod primò Dominus non conceſſerat, quaſi violenter extorqueat? Audi præclara Chryſoſt. verba in Catena relata. *Volebat autem, & à principio dare; ſed nolebat ſolum ſuum eſſe donum, ſed & ſupplicationis illius*. Quaſi dicat: Illa tantum dona poſſidentem illuſtrant, & decorant, quæ meritorum titulo conferuntur: igitur pius Dominus honoris ſerui ſtudioſus cunctanter exſpectat illius orationem, vt quòd ipſi largiri iam decreuerat, ſupplex ſerui mereatur deprecatio, & de dono iam promerito poſſit gloriari: niſi enim merita præcederent, potius confuſionem, & ignominiam, quam honorem ab immerito dono acciperet. Dignitas namque, & quodcumque aliud munus, quòd non vt merces venit, & corona, ipſum infelicitat recipientem, quia illius indignitatem diuulgat, & inſufficientiam detegit. Culmine deprimitur incapax, obſcuratur ſplendore, non proſperatur ſecunda fortuna, ſed omninum deſpectioni exponitur.

DISCVRSVS XII. MORALIS.

Iudicis munus quomodo exercendum.

1. NOn benè audit in Iudice munerum reiectio, & animus auaritia non corruptus, ſi alia adminicula deſint: plura enim ſunt, quæ exiguntur, vt quiſpiam iuſtus reputetur Iudex præter manuum munditiam:

imò non hæc inter eius laudes enumeranda venit, vt ciuiliter dicebat D.Hieron. in Epiſt.ad tit.cap.2. *Si autem hoc prohibetur in ſeruo, quantò magis in libero? Ne aut Index rapiat, aut miles non contentus ſtipendijs ſuis aliena deuaſtet.* Non igitur ſerui fidelitate commendatur Iudicis integritas: nam etſi munera non accipiat, ſi à rectitudine deuiat, ſi ſcientia & libertate caret, ſi inſontes damnat, & abſoluit criminoſos, non mundus manibus reputabitur. Præterquamquod etſi munera Iudices excæcent (iuxta illud Eccleſiaſt. 20. *Xenia & dona excæcant oculos Iudicum*) tamen hoc cum venalem facit iuſtitiam, & quæſtus ex ea lucratur, intelligendum eſt: at parua & minuta dona non recipere, inhumanum ferè reputatur. Prudens illa Abigail cum paruis muneribus perrexit ad placandum Dauid ob iram iuſtè conceptam aduerſus eius coniugem inurbanum Nabal: quæ enim accederet, & comiter, ac prudenter alloqueretur Regem, ſubiungit textus 1.Reg.25.verſ.35. *Suſcepit ergò* (Dauid) *de manu eius omnia, quæ attulerat ei, dixitque ei: vade pacifice in domum tuam: ecce audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam.* Quid eſt *honoraui faciem tuam*? Lyra ibi perſonam Dauidis agens reſpondet. *Honoraui faciem tuam, accipiendo xenium de manu tua, & ſic non feci tibi verecundiam repellendo in aliquo petitionem tuam.* Quaſi parua munera de manu alterius non accipere, illum verecundari, ac inhonorari ſit.

2. Non ergò in Iudice auaritia ſola culpatur, ſed alia quam plurima, quæ niſi habeat, iniquus meritò reputatur. Enim verò illud in primis Iudicem oſtendit iniuſtum, quod contra inauditam partem ſententiam ferat, & reum damnet indefenſum de quo lepidè Pierius in poematibus varijs.

Quod non audita decernis parte, videndum eſt,
Æquus vtrum iudex maximè ſis; an equus.

Hoc enim omni lege omnique iure cautum, vt potè contra naturale ius, quod defenſiones reo concedit. Sed licet iniquus Iudex ſit, qui contra inauditam partem fert ſententiam, iniquior & ſceleſtior ſanè eſt, qui cauſas diſquirit, vt inſontes damnet; vndè D.Greg.5.Moral. *Sicut non nunquam grauius eſt peccatum diligere ita nequius eſt odiſſe iuſtitiam, quam non feciſſe.* Qui enim viſa innocentia innocentem damnat, non ſolum contra iuſtitiam facit, verùm iuſtitiam odio habet. Gen.18.verſ.21. Vbi noſter vulgatus de vindicta quàm Deus ſumere tentabat contra ſuperbiſſimam turrim fabricantium factum loquens habet. *Deſcendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Caiet. ex Hebræo 30. legit. *Deſcendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, fecerunt, deſtruam, etſi non ſciam?* Humano more loquitur Deus, vt humanos iudices erudiat. Quaſi diceret: ſi opus clamori reſpondet, vltima in ipſos ſuperueniet ruina: ſin autem, ſcientia tantum facti contentus ero nec vltra vltionem proſequar. *Hic enim* (verba ſunt Caiet.) *debet eſſe fructus inquiſitionis: hæc debet eſſe intentio inquiſitoris, vt ſi non inuenerit ita eſſe, ſufficiat ei ſcire, & non velit honoris gratia (ad monſtrandum, quod non fruſtra inquiſierit, ad quaſi tuendam authoritatem) vexare ſubditos.* Quaſi dicat: ille tantum æquus erit Iudex iuſtitiæque cultor, qui non inuento crimine, de quo arguitur reus, illum è prætenſo ſcelere abſoluit; ſceleſtus autem, & deteſtabilis, qui cognita inſimulati innocentia honoris gratia, & ne leuiter inquiſitionem adhibuiſſe videatur, vt auctoritatem, & opinionem ſibi conciliet, inculpatum damnat, & plectit innocentem,

3. Conſcius Herodes de libertate Petri, quem in carcere detinebat, diligenter ſcrutatur an cuſtodes pecunia, aliove fauore corrupti, ipſi auxilium præbuiſſent, an ſomno dediti opportunum fugiendi locum dediſſent. Cumque nihil contra ipſos comperiſſet, nihilòminùs capitali ſupplicio illos damnauit. Actor.12.verſ.9. *Inquiſitione facta de cuſtodibus, iuſſit eos duci.* Nempè ad ſupplicium. D. Chryſoſt.hom.8.in Epiſt. ad Epheſ. optimè expendit Herodis nequitiam, minuſque peccaturum ait, ſi ante inquiſitionem cuſtodes damnaret, quam poſtea: quia tunc cum ſuſpicione culpæ nunc autem damnat cum euidentia innocentiæ. *Niſi illos* (inquit) *examinaſſet, poterat excuſari; nunc verò exhiberi cuſtodes ſibi fecit, examinauit, & didicit fuiſſe Petrum, carceremque munitum ante illius Ianuas fuiſſe cuſtodes: nec tamen parietes effoſſos, nec quidquam adeſſe, quod alicuius iudicium daret.* Quid ſceleſtius, quam in hac contenſtatione litis, & innocentiæ probatione, adhuc nihilòminùs damnationis potuiſſe ſententiam? His enim Iudicibus minus eſſet nociuum ſine inquiſitione iudicare, quam poſt illam honoris ambitione, & vt demonſtrent non fruſtra diligentem adhibuiſſe curam, vexare inculpatos; & inſontes damnare impiè. 2.Reg.16.verſ. 4. fugienti Dauid à facie Abſalonis qui contra ipſum conſpirauerat, occurrit ei Siba Miphiboſet, ſeruus: cumque Rex eum interrogaſſet de domino, ipſeque calumniatus eum eſſet dicens: *Ecce manet in Hieruſalem: dixit enim: hodiè reſtituet mihi Dominus Deus Iſrael regnum patris mei Dixit Dauid: tua ſunt omnia, quæ poſſidet Miphiboſeth.* Vbi Caietanus Regis facilitatem demiratus ait: *Iniqua temerariaque ſententia, inaudita parte.* Act. cap.9. eiuſdem lib.oſtenſa Miphiboſeth innocentia, & Sibæ iniquitate, placatuſque Dauid dixit: *Quid vltra loqueris? Fixum eſt, quod locutus ſum tu & Siba diuidite agros.* Quaſi dicat: definiui hanc ſententiam, eam reuocare non poſſum, quod decreui ratum erit: inter vos poſſeſſiones, quas malè informatus conuiſcaui, diuidite. Non adeò iniuſta hæc ſententia apparet, ac illa quam

quam primò fulminauit Dauid, ſiquidem ſaltem dimidium bonorum Miphiboſeth reſtituit: audi tamen Caiet. *Prius Dauid fuerat praceps, dando totum Sibæ inaudita parte; modo audita parte, ſed indiſcuſſa veritate manifeſtè iniuſtus inuenitur, & ingratiſſimus Ionathæ patri Miphiboſeth. Et Hebræi dicunt, in pœnam huius peccati diuiſum fuiſſe regnum Danidis tempore nepotis eius Roboam.* Ecce Dauid iniuſtior nuncupatur, quando audita parte, & non inuento crimine innocentem damnat, & adhuc punit in facultatibus; quam cum primò furore ſæuiens, & non inueſtigato obiecto ſcelere præcipitauit iudicium; atque non citatum, inanditum, & non purgatum reum damnauit.

4. Hæc in Iudicibus damnandi cupido maximè damnanda eſt, quia illorum præcipuum eſt munus innocentes liberare, minus præcipuum damnare ſontes. Duo illius munia, duę velut manus ſunt, abſoluit vna; condemnet altera: illa prior, ac nobilior, iſta ignobilior, & poſterior: illa miſericordiæ, iſta iuſtitiæ: illa dextra, hæc ſiniſtra; vndè Iudex dictus, non quia damner ſuorum quempiam; ſed quia liberat: & ſeruat. Id enim non ſemel ſignificar verbum iudico, vt Iſaiæ cap. 1. verſ. 1. *Iudicate pupillo, defendite viduam*: & Pſalm. 71. verſ. 4. & 12. *Indicabit pauperes populi*: & explicatius; *Quia liberauit pauperem à potente*. Et ſæpè alibi; vndè Chriſtus Dominus de iudicio diſſerens vniuerſali, nullum præter Patrem illius habere notitiam teſtatur Matth. 24. verſ. 6. & Marc. 13. *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, nec Angeli in cælo, nec Filius, niſi Pater*. Quid? Filius in quo omnes ſunt theſauri ſcientiæ, quique ab inſtanti conceptionis fuit perfectè beatus, & omnes vidit futuros euentus, diem ignorat extremum? Opportunè Palacius ib. *Non nouit diem iræ ipſe clemens, neque diem furoris ipſe patiens. Nouit ſanè diem illum; ſed non nouiſſe dicitur, quia dolet, refugit exhorret. Planè cum Chriſtus venit, vt iudicet, ſed vt ſaluet: Saluator igitur neſcit iram, non nouit furorem*. Itaque etſi Iudex eſſet, Saluatorem Chriſtus egit; vel ſi Iudicem, Iudicem egit Saluatorem. Exindèque quando puniturus eſt, non bonus appellari vult, non patitur vt Deus agnoſci. Cum quidam adoleſcens ad ipſum accederet veritatis inueniendæ cupidus, ipſumque interrogaret: *Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo*. reſpondit: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus niſi Deus*. Matth. 19. verſ. 17. Cur ſe negat bonum, qui Deus eſt, & non ſolum naturæ neceſſitate, ſed decentiæ congruentia bonitatem poſſidet infinitam? hæc maximè inter eius perfectiones laudatur ipſumque commendat. Qui abnuit bonus reputari, in proximo eſt, vt malus haberi cupiat. Bonum ſe vocari Chriſtus recuſat, quia Iudex futurus eſt. Bonum Patrem pleno ore prædicat quaſi inuidens ei, qui à ſe condemnandi munus abdicauit. *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio*. Ioann. 5. verſ. 22. Quaſi dedignatur, quod pars iuſtitiæ puniens ipſi contingat, quandòquidem non de damnandi, ſed de abſoluendi gloriatur poteſtate. Hincque ſoluitur quæſt. quam excitat Toletus ad cap. 1. Joann. cur ſcilicet Chriſtus cum non ſolum Saluator ſir ſed Iudex hominum (vt dicitur Actor. 10. verſ. 41.) *Ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo Iudex viuorum, & mortuorum* non potius Iudex, quam Saluator nuncupetur, etenim iudiciaria poteſtas vtrumque claudit effectum, & ſaluandi, & condemnandi. Accedit quod non omnes homines Chriſtus effectiuè ſaluabit omnes autem effectu iudicabit: dicatur ergò Iudex ab ampliori poreſtatis exercitio. Audi Toleti ſolutionem. *Dicendum ergò eſt, nomen acceptum à ſaluando: quia quamuis venturus ſit iudicare; tamen non aſſumpſit carnem paſſibilem, nec factus eſt homo, niſi vt ſaluaret. Si enim non voluiſſet ſaluare, non erat cur ad iudicium faciendum indueret carnem, hoc enim carne non aſſumpta potuit fieri perfectiſſimè, ad ſaluandum autem, & redimendum eo modo, quo ſaluati ſumus, carnem induere oportuit, & ideò de hoc munere accepit nomen, quod Ioann. 3. dictum eſt. Non* (inquit) *miſit Deus filium ſuum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*. De hoc ergò munere Chriſtus præcipuè gloriatur, ab illoque cognomentum accipir. Huiuſmodi manſuetiſſimi Iudicis clementiam Iudices imitari tenentur, vt eorum præcipuum munus, inculpatos ſaluare, & humanitate homines iudicare, nam vt ait Seneca de clementia ad Neronem: *Clementia eſt, quæ alieno ſanguini tanquam ſuo parcit, & ſcit homine non eſſe prodige vtendum*. Exindèque Vates noſter conſolationem accipit, quia clementiſſimus Dominus, quem Iudæi offenderant, ipſos iudicare, illorumque cauſas diſcutere venerat, & miſericorditer cum eis acturum probè ſciebat. *Dominus autem in Templo Sancto ſuo, ſileat à facie eius omnis terra*. Hic verſ. 20.

DISCVRSVS XIII. MORALIS.

Ingenui animi fauoribus, ſeruiles ſupplicijs melùs reducuntur.

1. NOn omnes homines eadem diſciplina docer, non omnibus eadem prodeſt doctrina. Alij ferarum more non niſi rigore, & ſeueritate proficiunt, & ad debitam obedientiam trahuntur, & hi quidem rudioris ſunt ingenij indocilisque indolis. Alij generoſa mente præditi beneficijs melius cohibentur, & in ſalutarem ducuntur viam. Exindèque

quę Deus, vt amuſim res conciuetur,& vniuſcuiuſque genio ſe accommodet, degeneres animos ſupplicijs, & minis, probos verò & ingenuos fauoribus, & gratijs ad ſe reducere tentat. Deſciuit à gubernaculo rationis caro, viamque ſuam corrumpens per abrupta vitiorum globis orbem Deus, & ſtatim poſt ingentem alluuionem addit: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram*. Geneſ.9.verſ.13. Cur tam ſedulo ab vndarum diluuio ad clementiæ ſignum Deus recurrit? Cur qui nondum iram mitigauerat, & tam ardenter inuehebatur in vindictam, ſociale fœdus, & proficuam hominibus amicitiam ſtatim pollicetur? Audi Chryſoſt. *Quia cordatos beneficia magis, quam pœna alliciunt ad mandatorum obſeruantiam*. Amari potius, quam timeri deſiderat, & cum beneficia cordatos magis inducant, & melius illorum obedientiam negotientur, quam ſupplicia, virgam deponit, qua vecordes immenſo vndarum pelago abſorbuit. Clementia vtitur cum ingenuis viris, vt eos intra ſuæ obedientiæ cancellos cohibeat, qui improbis nihil ſupplicij detrahit, nam beneficijs deteriorantur, quia ſimiles ſunt leopardis, *quibus cum benefeceris peiores fiunt*. Enimuero ſeruilis conditionis homo fauoribus inſolebit, & peior euadit, ingenuus verò proficit, & ad obediendum diſponitur. Ea autem, quæ recipienti non proſunt, imò officiunt, non beneficia exiſtimanda ſunt, ſed iniuriæ. Deus autem qui noſtræ vtilitati ſemper conſulit, nocitura non largitur, ſuo cuique ingenio opportuna remedia adhibet, quod maximè conducit ad prætenſum finem.

2. Animaduerſione dignum eſt, quam diuerſimodè ſe geſſerit dœmon Iob, & Chriſtum Dominum tentans: Job enim omni perſecutionum genere adoritur, vlceribus lacerat, bonis omnibus mulctat. ſterquilinij incolam eſſe cogit, nihil non crudele intulit; at Chriſtum Dominum, & humeris ſupportat in deſertum, & omnia ei regna mundi pollicetur. *Hæc omnia tibi dabo*, &c. Matth. 4. verſ. 9. quæ tanti fuerit diſcriminis cauſa, non facilè eſt dirimere. D. Amb. in luc. ingenioſè dœmonis verſutiam, & calliditatem in huiuſmodi lenocinio agnouit. *Nec totus* (inquit) *ſine fraude diabolus qui exaſperare Dei filium veretur illum* (Iob nempè) *iniurijs tentat; hunc præmijs*. Iobum quem purum hominem agnoſcebat degeneris à primæua culpa conditionis, iniurijs impetit exagitat; Chriſtum quem ſuſpicabatur Deum, præmijs allicit, & fauoribus: quia intellectu pollet ad fraudem ſcitque ingenuas, & honoratas perſonas non conuitijs, & perſecutionibus vincendas eſſe, ſed præmijs, & honoribus contuſionibus, & flagris ſeruiles ſpiritus coercentur, cum vecordes impunitate peiores fiant, vt de Abſalone dixit Chryſoſt. hom. de Abſol. *Semper ſcelera dum non reſecantur, increſcunt, & inaugmentum facinoris proſilitur, quoties eum impunitate peccatur: dum in Abſalon fratris occiſi facinus non vindicatur in parricidium fratricidium iteratur*. Non benè delinquentis peruicacia frangitur indulgentia: nam animus malè propenſus non verecundiæ obtemperat, ſed timori: neque beneficia ipſi proficiunt, qui illa aliàs debita præſumit: & vndè emendationis anſam debebat arripere, inuincibilem contumaciæ efficit materiam: exindèque beneficia illi non conferre beneficium eſt; ſupplicium infligere gratia: ideòque Deus omnium ingenia altè perpendens ſordida mente deturpatis beneficia denegat, quæ ingenuis, & cordatis diſtribuit.

3. Inter alia, quæ ad gratiam ex ſuo Amaſio accepta refercoat Sponſa, id vnum non facilè datur intelligi, quod læuam capiti ſupponat, & dexteram ad amplexum accommodet. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Cantic.2.verſ.6.Theodor.ad hunc locum ſatis congruè per dexteram beneficia intelligit quibus Deus homines proſequitur per ſiniſtram verò ſupplicia, quibus frequenter corripit, vt homines ſaltem illorum acerbitate reſipiſcant. Iam ergò ſcire cupies, quid ſit læuam ſub capite Sponſæ apponi, & dexteram ad ipſius amplexum ruere. Audi Theodoret.ſub Perſona Sponſæ. *Læua eius ſub capite meo: hoc eſt: ſupplicijs altior ſum neque illis ſubijcior, quia cum Sponſo coniuncta ſum, atque illum ſtudioſè obſeruo. Dextera illius amplexabitur me id eſt, beneficijs me ſuis exornabit, ac veluti amplectens, & comprehendens, & deſiderium meum explens me illis cumulabit*. Sponſa enim, quia ingenua erat, & generoſa indole prædita ſupplicia ſuperabat, & ad altiorem Sponſi, ac nobiliorem participationem eleuata beneficia tantùm amplexantis dexteræ iugiter accipiebat, & illa gratis rependebat officijs, non vt ancilla timore terrebatur, ſed vt ſponſa iucundis fruebatur delicijs: quia quem Deus ingenuæ inclinationis cognoſcit poſſeſſorem, non vt mancipia ſupplicijs inducit, ſed beneficia liberalitate deuincit; ſeruiles verò & deprauatæ naturæ rigore potius, & ſeueritate à vijs ſuis peſſimis auertere ſatagit; vndè annotauit idem Theodoret. quod Deuteronom. 28. triginta maledictionibus minetur Deus populum, ne legem frangat; obſeruationem autem eiuſdem legis vndecim tantùm benedictionibus muneret: meritòque ambigit, cur qui tam pronus eſt ad benefaciendum, & remunerandum, vt vltra condignum ſæpiùs mercedem largiatur, & citra condignum puniat, hic tam parcè benedictionibus vtatur, quæ loco præmij donantur; & tam abundanter maledictionibus, quibus nulla maior pœna dari, excogitariuè poteſt: ſibique ſatisfacit quæſt.36. ad præcitat cap. *Improbi ſerui* (inquit) *non tam merentur promiſſionibus libertatem, quam plagarum comminatio-*

nibus.

nibus. Seruilem & ingratiſſimum animum ſemper populus Hebræorum exhibuit erga Deum profuſum ipſis benefactorem: igitur illius conditionem expertus tentat ſupplicijs, & minis illos reducere qui beneficijs præhabitis peiores euaſerunt: ideòque tot maledictionibus legis tranſgreſſores onerat, vt vel ſic à prauis operibus abſtineant. Exindèque non profuturos Chaldæos, nec ad veritatis viam reducendos prædicebat Propheta: quia cum falſa idola colerent, quæ ad ipſorum nutum oracula præſtabant, nec vnquam illos ſupplicijs emendare valebant, de ipſorum reductione deſperat. *Quid prodeſt ſculptili; quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam?* &c. Hic verſ. 18.

DISCVRSVS XIV. MORALIS.

Sic caro Spiritui ſubiecta, vt perfectos fœtus producat.

1. NOn ſatis eſt homini, vt proba ſequatur deſideria, atque à bonis operibus excuſetur, quod corpore ſit materiatus languido, & imbecilli, nam ſpiritus validus eſt & robuſtus ad perficiendas quaslibet operationes, quin obſtet carnis ſqualida, & ſordida conditio: quemadmodum ſpurca maris domus non obeſt, vt margarita concipiatur perfecta, & cœli influentia rutilans Per has verò humanum, & mortale genus ſignificari, antiquiſſimi tradiderunt, vt Author eſt Pierius lib. 28. cap. 52. Quia ſicut concha cœleſti rore nitidiſſimam gignit margaritam, tam etſi piſcis ille ſordidam habeat domum, in nubilaque degat aqua: ſic homo etſi fragilem, & ſpurcam carnem habeat, egregia opera patrare valet, ſi inferior portio ſuperiori cælitus irroratæ Diuinæ gratiæ auxilio, vt par eſt, obediat, & dominandi in corpus ſpiritus non amittat facultatem, ſi in fœtuum ſpiritualium conceptione merè paſſiuè ſe gerat caro, & ſuperiori parti ſubijciatur.

2. De Spirituali hominum regeneratione, & interiori iuſtificante gratia, quæ homines in Dei filios adoptat, locutus Joann. cap. 1. verſ. 12. dicebat: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*. Præſcribit modum, quo Diuinum Verbum homines gignit gratia per excluſionem generationis naturalis. Quaſi dicat: filij gratiæ non viri, aut fœminæ fœtus ſunt, ſed altioris ordinis partus Recepta eſt vulgo Auguſtini ſententia aſſerentis nomine carnis in hoc loco fœminam intelligi ſecundùm illud Geneſ. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*. Redditque probabiliorem hanc interpretationem id, quod ſtatim ſubſequitur; *Nec ex voluntate viri*. Quaſi ſenſus ſit hęc ſpiritualis generatio, nec ex fœminæ, nec ex viri voluntate ſit. Verùm ſi Ioannes carnem vocat vxorem, cur in eadem metaphora perſiſtens non eandem carnem virum vocat quandoquidem vir etiam caro eſt? Præterquamquod vxor non dicitur niſi cum relatione ad virum. Audi D. Auguſt. *Ponitur caro pro vxore, quomodò aliquando ſpiritus pro marito, quia iſte imperare debet, iſta ſeruire*. Non expedit viri titulo carnem nobilitari, etſi vir caro ſit, ne inſoleſcat, & dominandi ſibi arroget poteſtatem. Seruiat caro, & imperet ſpiritus, nam hoc regimine, etſi caro fragilis ſit, perfectos fœtus procreabit egregia opera efficiet; ſi autem peruertatur ordo, & ſpiritui præferatur caro, monſtroſos partus, & imperfectos abortus enitetur. Maritalis prærogatiua ſpiritui debita carni non concedatur, ne inuerſis muneribus totus periclitetur homo; vndè Dauid verborum proprietate locuples dicebat Pſalm. 127. *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tua*. Ubi D. Bernard. Serm de ſapientia per vxorem carnem intelligit, ſicut Ioannes per carnem intelligit vxorem. Verùm cur vt abundanti propagatione domum repleat, in ipſius lateribus conſtituenda eſt vxor, præſertim cum domus cura, & œconomia vxori competat; Deſcendet ne vir ad domeſtica officia decenter, cuius mulier in angulo conſtituitur? Fruere Bernardo: *Honorabitur caro, ſed iuxta menſuram: non in medio domus, ſed ſeorſum, neque à facie nobis, ſed in latere conſtituta*. A latere domus conſtituenda eſt caro, vt vir ex ea perfectos accipiat liberos, & elegantiores fœtus generet. Si autem caro domus accipiat gubernaculum, & imperitet ſpiritui, ſurſum, atque deorſum tota hominis domus confundetur, & ex tam illicito concubitu non niſi adulterini naſcentur filij.

3. Hanc carnis, & ſpiritus inordinationem, & peruerſam commutationem deplorabat Dauid Pſalm. 101. verſ. 6. *A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ*. Carnis rebellionem aduerſus ſpiritum, cuius imperium ſibi arrogauerat, metaphoricè hic deſcriptam agnoſcunt Interpretes. Sed valdè obſcurum eſt, quòd huiuſmodi inferioris partis aduerſus ſuperiorem inobedientia oſſis ad carnem adhæſione oſtendatur, nam nihil deforme, aut vitioſum in harum partium coniunctione cognoſcitur. Cur igitur de illa tam dolet, & mæret Propheta? Ingenioſè Caietan. Ibid. *Naturalis ordo eſt, vt caro adhæreat oſſi, vt oſſa ſuſtentent carnem: iſte autem conqueritur, quod oſſa adhæreant carni, quod oſſa ſuſtententur à carnibus: quod metaphoricè denotat ſolidiorem hominis partem, quæ eſt mens, & ratio, adhærere inferiori, & fluidæ parti, quæ eſt appetitus ſenſibilium, & temporalium bonorum, ità quod ſuſtententur ab illa*. Etenim quod homo opera patret peruerſa, non carnis fragili-

gilitas in cauſa eſt; ſed quòd caro ſpiritui non ſubijciatur: quod ſuperiori animæ parti non obediat, ſed hæc inferiori corporis, & appetitiui ſenſitiuo: quòd non oſſi caro, vt æquum erat, ſed os carni adhæreat. Quandòcunque enim ſuperior pars inferiorem moderatur hæc ſeruatur immaculata, & ex congruo, ac naturali rerum ordine opera oriuntur pulchra, & rationis filamentis perfecta. Non obſtat humani corporis infirmitas ad perfectè operandum, neque illa excuſabitur homo, quandòquidem in eius poteſtate eſt carnem habere mancipatam, & aduerſus ſpiritum reluctantem cohibere. Quòd quidem apertè docuit Chriſtus Dominus, nam cum morti iam proximus carnis infirmitatem, quæ mortem refugiebat ſentiret, ſed tamen dominium ſpiritus in ipſam agnoſceret, orabat ad Patrem Matth. 26. verſ. 41. *Spiritus promptus eſt; caro autem infirma.* Quæ verba tropologice. Tertullian. egregiè exponit ad noſtram Theſim. *Carnem legimus infirmam, & hinc nobis adulamur impenſius: legimus autem, & ſpiritum firmum. Caro terrena noſtra eſt, ſpiritus verò cœleſtis. Cur ergò ad excuſſionem proniorem, quæ in nobis infirma ſunt, opponimus; quæ verò fortia non tuemur? Cur cœleſtibus terrena non cedant? ſi ſpiritus carne fortior, quia & generoſior, noſtra culpa inferiora ſectamur.* Noſtra culpa labimur, inexcuſabiliter delinquimus, quia peruerſo ordine ſpiritui dominatur caro, & quę obedire nata eſt, præponitur; ſubijciturque, qui principatus inſulas induebat; vndè Dauid huiuſmodi ſpiritus ſubiectionem iterum flens, obnixè pro illius reſtitutione deprecabatur Pſalm. 50. verſ. 14. *Spiritu principali confirma me.* Quaſi regio, & principali ſpiritu eſſet priuatus, quia carnis conſenſerat illecebris, dominamque agnouerat, illius reſtitutionem expetit: quia non ſolùm à regia degenerauerat poteſtate, ſed ab hominis natura: nam qui rationis amiſit gubernaculum, bellua, non homo credendus eſt: ſicut barbarus Nabucho, qui eò deuenit ſuis inſolentiſſimis deſiderijs annuens, vt herbam quaſi bos comederit, & fœdiſſima idolorum cultura pollueretur, de quo lamentatur Vates. *Væ qui dicit ligno: expergiſcere.* Hic verſ. 19.

DISCVRSVS XV. MORALIS.

Ad dona ſupernaturalia acquirenda quies animæ, & imperturbatio neceſſaria eſt.

1. ANimus in varia deſideria diſtractus, & turbatus erga plurima difficilis eſt ad ſupernorum meditationem. Nemo cœleſtibus donis eſt aptus, ſi mentem irrequietam, & hic indeque iactatam habet. Neceſſè eſt totum hominem quieſcere, nullaque fluctuatione turbari, vt cœleſtis impreſſionis ſit capax. Sic refert Seneca lib. 1. natural. quæſt. cap. 2. in aere ſtabiliter circumſtante Solem aliquando accidiſſe effigiatum, quia ab ipſius Solis radijs percuſſus æther paulatim in multiplices circulos coloris varij, quorum vnus ex alio formari videretur, figurabatur: quos quidem circulos Græci *Halo* vocant, & Nos coronas dicere aptiſſimè poſſumus: verum hæ coronæ, ſeu circuli Solem referentes nonniſi in aere ſtabili, & tranquillo conſpiciuntur. Pari ergo ratione in anima vaga, & inſtabili nulla ſuperna figuratur impreſſio, quia aer perturbationis, & ſolicitudinem vnda fluens non ſinit illam imprimi, & vndiq; commota veluti aer fluens nullam à Patre luminum coronam accipit, & ad dona ſupernaturalia redditur impos? Sicut quieta mens nulla rerum temporalium perturbęta cura nullo impulſu commota, & ſupernis conſilijs facilè obediens figuratur deſuper, & à ſuperinductis donis egregiè decoratur.

2. 4. Reg. 3. v. 15. pergentibus ad bellum Regibus Iſrael, & Iuda contra Regem Moab, conſulitur Eliſęus circa belli euentum ſuper quem cum prophetare tentauerit, non valuit: agnita autem impotentia, qua tunc erat impeditus ad huiuſmodi munus exercendum, iuſſit Vates tibicinem ad ſe accerſiri, qui pulſando citharam caneret. Quo peracto ſtatim prophetauit, & fœlicem de inimico victoriam reportaturos Regibus conſulentibus prędicit. *Adducite mihi pſaltem, cumque caneret pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini.* Quorſum hęc Eliſęi pręparatio, vt prophetet? Prophetia non eſt munus humanum, ſed Diuinum. Quid citharędus conducere potuit, vt Propheta paulò antea impotens ad vaticinium, vocis concentu reddatur habilis? Ad quid pręuia illa cantilena? *Ad diſponendum* (verba ſunt Caietani) *ſeipſum in mentis eleuationem vſus eſt Eliſæus ſono muſico: nouerat enim huiuſmodi ſonum excitare in ſe collectionem animi internam, & conſequenter mentis eleuationem in Deum.* Zelus Dei contra Regem Iſrael Eliſęi mentem deturbauerat, atque indiſpoſitam reddiderat ad propheticam reuelationem recipiendam: idcirco iuſſit tibicinem adduci, qui dulciter canendo illum diſponeret in mentis eleuationem, ſedaretque animum perturbatum, qui ita iuſtiſſima concepta contra Regem idololatram ſic mentem turbauerat, vt non eſſet ita expeditus ad prophetandum, ſicut expediebat: Prophetię namque dono, ſicut & cuicunque alio pręternaturali animi perturbatio obſiſtit: nec deſcendunt hęc indebita munera in mentem irrequietam, etſi iuſta cauſa conturbetur: ſerenum namque & placidum cor exigit huiuſmodi illapſus, & animum à quacunque commotione alienum. 3. Quę-

Digitized by Google

3. Quærentibus Diſcipulis Chriſtum Dominum, quare non potuerint ſanare quemdam peſſimum dęmoniacum reſpondit: *Propter incredulitatem veſtram*. Matth. 17. verſ. 19. Difficile valde explicatum eſt, de qua infidelitate loquatur Chriſtus, an de ea, quę opponitur fidei virtuti, an de illa, quę gratia gratis data eſt. Et de prima ſermonem eſſe probabiliùs videtur: quia eo in loco Chriſtus Dominus reprehendit Apoſtolos de incredulitate, quam habere, aut ea carere, in eorum erat poteſtate, aliàs non reprehendiſſet illos, aut culparet: igitur de incredulitate loquitur oppoſita fidei virtuti, etenim de carentia fidei, quę donum eſt, non obiurgarentur, cum ſicut habere fidem, quę donum eſt, non eſt in noſtra poteſtate, ſic nec ea carere nobis vitio dabitur. Verum in oppoſitum eſt: quia incredulitas, quę opponitur virtuti fidei, fidem euacuat. At quis credat Apoſtolos oblato puero obſeſſo, quem non potuerant ſanare, fidem perdidiſſe? Non ergo de illa infidelitate locus venit interpretandus. Placet ſententia D. Hilarij Can. 17. ſuper Matth. hęc concordans. *Crediderunt* (inquit) *Apoſtoli, ſed nondum erant perfectæ fidei: nam Domino in monte demorante, & ipſis cum hominibus reſidentibus, quidam torpor eorum fidem relaxauerat*. Torporem fidei vocat Hilarius turbationem, quam habuerant Apoſtoli eo tempore, quo oblatus eſt illis dęmoniacus puer: quę quidem turbatio exindè prouenicbat, aut quia Chriſtus cum tribus tantum Diſcipulis Tabor aſcenderat gloriam oſtenſurus cęteris relictis, illaque gratia priuatis, vt vult Lyranus: aut ex ira aduerſus Iudęos concepta, eo quod illis exprobarent, quod dęmoniacum non ſtatim ſanarent. Verum quid offuit illa animi perturbatio, vt fides Diſcipulorum torpeſceret, ita vt incapaces redderentur ad recipiendam impreſſionem Diuinam, & fidem gratis datam ad patranda miracula? Plurimum ſanè: nam perturbatio quę animum inquietat, atque hinc indèque diſtrahit, impedimentum eſt ad dona ſupernaturalia. Vbi primum turbantur Diſcipuli, fidem ſolitam ad facienda miracula, quam multoties erant experti, perdidere: nec communicatur ipſis donum, quod animum expetit tranquillum. Ideòque pręſtantes ſanctitate viri, vt Deo omninò perfruantur, à ſęculi perturbationibus fugiunt, vt quietam vitam agant, & ipſius fauoribus dignam, conſilio vtentes. Qui nullo creaturarum commercio ſordidatur, nulloque ſęculari irretitur negotio, ſed totus quieti vacat, & contemplationi, ſine vlla fęce cum Deo agit, illiuſque omnimodam participationem lucratur: at qui pluribus conturbatur curis, cęleſtibus donis ineptus eſt. Vtrumque videas in ſororibus Martha, & Maria: hęc quieti vacans, & ad pedes Dominum ſedens meliorem partem, totum nempe Deum fuit nacta? Illa erga plurima turbata negotia ſororis fuit exors fęlicitatis. Vndè Vates noſter quantum ad Dei fruitionem conducat illibata animi quies altè perpendens, ſilentium omni creaturę indicit, vt omnes huius proſperitatis capaces reddantur. *Dominus autem in templo ſancto ſuo, ſileat à facie eius omnis terra*. Hic verſ. 20.

DISCVRSVS XVI. MORALIS.

Sapientes, qui Rempublicam tuentur, proindèque in vita exaltandi ſunt, nonniſi poſt mortem honorantur.

1. Reſpublica ſapientibus destituta conſilijs nauis eſt abſque gubernaculo, ciuitas ſine mœnibus, ſine anima corpus: nam flagrat, ruit, & exanimis languet. Vnde ad illa verba 1. ad Corinth. c. 8. verſ. 1. *Scientia inflat*: legit Latinus Interpres: *ſapientia filijs ſuis vitam inſpirat*. Et Clemens Alexand. *Magnanimos reddit*, Quali ſcientia vita ſit non modò illam poſſidentis, ſed totius Reipublicę, quia illius robore, & magnanimitate defenditur, & ſuſtentatur. Quod arcanè dixit Iſai. cap. 8. verſ. 4. *Priuſquam ſciat puer vocare patrem, aut matrem, accipiet virtutem Damaſci*. De puerulo Ieſu recenter nato, & ad ſtabulum, in quo iacebat, Magos adducente, hęc verba communiter accipiuntur. Sed cur huiuſmodi prima Gentilitatis ſpolia, quę Chriſtus reportauit, virtutem Damaſci vocat Propheta? Nihil minus hominibus luce gratię deſtitutis, & erroribus implexis videbatur competere, quam epitectum virtutis, quo à Propheta nobilitantur. Aptiſſimè rem verſat imperfectus hom. 2. in Matth. *Magi* (inquit) *ſunt orientales viri ſapientes, ideo autem dicti ſunt virtus Damaſci, quia virtus vniuſcuiuſque prouinciæ ſunt ſapientes ipſius*. Infelix ergo prouincia vel ciuitas illa erit, in qua non habitant, vel imperant ſapientes. Veluti diſruptis mœnibus, atque omni virtutis pręſidio deſtituta innumeris ciuitas exponitur iniurijs, & inimicorum telis: ſic abſque ſapientum propugnaculo Reſpublica periclitatur. Si autem hęreas in virtutis propria ſignificatione, non minus congruit ſapientibus, quippè qui virtutem ſedulò ſectantur. Vndè Dauid Pſal. 118. Scientię bonitatem adiunxit, *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me*. Ad quę verba D. Greg. Naz. orat. de reditu ex ſolitudine. *Ego diuinis articulis euoluendis mentis puritatem collegi*. Nec vacat myſterio, quod nomen *Bar* Hebręum in Pſalm. 2. appoſitum, & diſciplinam, & puritatem ſignificat. Vndè noſter In-

Interpres vertit: *Apprehendite diſciplinam, & oſculamini puritatem*. Etenim ſtudio litterarum defęcatur ſenſus, omnes carnis illecebrę elangueſcunt, ac penè moriuntur, ipſarum intelligentia, velut à contagione corporibus ſublimiùs euectis, ſubtiliori acie humana & diuina contemplamur. Quocunque ergo nomen virtutis vertatur ſiuè ad ciuilem politiam, ſiuè ad interiorem animę, ornamentum, ipſa virtus eſt, quę ſtatim firmat, & ſtabilit Rempublicam, aut quia ſuis conſilijs illam dirigit, aut quia negotioſa virtute, quam habet annexam, Dei opem, & auxilium meretur.

2. Hinc litterati homines, qui Reipublicę præſunt, qui alios inſuper edocent, ſplendidis adeò exornantur nominibus, & eximijs efferuntur honoribus. Sic Iudic. 5. verſ. 9. vbi noſter Vulgatus habet: *Cor meum diligit Principes Iſrael*, in Hebræo eſt. *Doctores Iſrael*. Quaſi Principes, & præcipuè; honore digni reputentur coram Deo ſapientiæ Profeſſores. Quid Principum? Dei titulis multoties potiuntur, & nobilitantur. Sic Ioan. 10. Chriſtus Dominus: *Si illos dixit Dominus ad quos ſermo Dei factus*. Vbi Caiet. *Quia ratione Diuini ſermonis diuinum homini nomen communicatur*. Et clariùs D. Aug. *Per ſermonem Dei fiunt homines Dij participando, calefacti igne ſalutari, & lumine illuminata Dij ſunt*. Huc etiam ſpectat illud Philonis, locum illum obſeruans Exod. 3. vbi Deus Moyſen miſſurus ad Pharaonem Diuino nomine illum inſigniuit. *Conſtitui te Deum Pharaonis*. Inquirit, quid fieri potuit, vt Moyſes Deus conſtitueretur Pharaonis, ſibique reſpondet: *Ex his colligimus, quod ſapiens dicitur quidem Deus inſipientis exiſtimatione, non veritate atque eſſentia*. Quaſi nullum aliud vocabulum ſapientis caperet dignitatem, non veretur Deus ſuomet nomine illum inſignire, vt vel hinc homines quanto in honore ſit habendus, diſcerent, quamque in pretio illius vita tenenda.

3. Verum eò deuenit inſipientia, vt nihil deſpicabiliùs ſapientibus reputet, illorum vita, dum degunt, ab omnibus paruipenditur, & nonniſi in morte honorantur, quia exules à vita videntur, ſicut Solis lux dum cadit, dulcior eſſe ſolet, ſic ſapientis pignora in mortem cadentis. Diſſita plerumque miramur, vicina deſpicimus. A morte ſapiens lucratur pretium, quod dum viuit amittit; quia inuidia viuentibus cibis, non cadaueribus alitur, veluti Antheus, qui in terram cadens viribus hauſtus, inde fortior erigebatur. Sapiens à funere, & ſepulchro, in quo iacet honorem, & ęſtimationem mutuat, quibus dum vixit, malitioſum inuidiæ genium illum defraudauit. Mirabile tamen eſt, quod dicitur 1. Reg. 3. v. 3. de Heli Sacerdote. *Heli iacebat in lecto ſuo: & oculi eius caligauerant, & non poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur*. Locus planè difficilis; nam qui lucernam videre non valebat in plenitudine lucis, & cum omnes aeris circumſtantis tenebras fugabat, quomodo eum intueri potuit iam morientem, cadaueteſcente luce, & immerſa caligine? Etenim qui lucem non videt, quando ſplendet, quam tamen cernit quando extinguitur, eos planè refert, qui præclatos, & ſtrenuos viros non vident, quando viuunt, & ſplendent, ſolumque agnoſcunt, & æſtimant iam morituros, quia ex vicina morte clariùs emicant, & vel in oculis liuore poſſeſſis illorum merita reuerberant à tumolo reuertentes reflexus oculorum acies extergunt, & accuratius illuminant. *Quia tunc clariùs, & vehementiùs ſcintillabat*. Mors laudis prodiga reſtituit ſplendorem, quem auara honoris vita vſurpauerat.

4. Apud Iobum Deus ſuas perfectiones commendans dicebat cap. 38. v. 7. *Vbi eras cum me laudarent aſtra matutina?* Cur aſtra matutina dicuntur ambitioſiùs laudes Diuinas modulari? An non nocturna micantius ſplendent? Quæ ergo fulgentiora ſunt, Diuinæ perfectionis encomiaſtes ſint, illuſtrior laus à clariori ſidere veniat. Etenim etſi eadem ſint aſtra matutina, & nocturna, in nocte tenebris exaduerſo ſuffragantibus magis nitent, & coruſcant. Quorſum ergo matutino tempore Diuinę laudes ipſis commendantur? Profectò, quia aſtra matutina nocturno nitore ſenſim amiſſo albicare incipiunt, & aurora adueniente languet eorum ſplendor. Exindèque non nocturna, ſed matutina aſtra modulantiùs Dei laudes decantare creduntur: quaſi morti ſuæ vicinus fulgor magis æſtimetur, & propter hanc maiorem æſtimationem, quam ipſis negotiatur proxima mors, perfectius illis munus commendatur. *Omnes ſtellas Cœli* (ait Eugenius) *præter Solem vocat aſtra matutina, quod matutino tempore à mortalibus cernantur*. Nocturno tempore quando micantius ſplendent ſidera, vix ab hominibus cernuntur: at cum tabeſcunt, & in occaſu ſuo funeſtè tumulantur, tunc attentius obſeruantur ab omnibus, & inſpiciuntur, eorum lux in omnium oculis verſatur frequentius, & attentius videtur. Sic ſæpè lux, quæ in vita deſpicitur, & à nemine cernitur, vt ęſtimetur, in morte aſpicitur ſplendidior, ſapientiſque laudes modularius decantat, & quem viuentem homines deſpexere, morientem proſequuntur honoribus. Ideoque Vates ſpernenda fore muta idolorum ſimulachra ait, quia omnia erant ſapientia deſtituta, *Nunquid ipſe poterit? &c.* Hic v. 19.

DISCVR-

DISCVRSVS XVII. MORALIS.

Etſi homini propria pulchra, aliena fœda videantur, tamen iuſtus ſibi ipſi diſplicet.

1. Fallitur homo, qui nonniſi quæ ipſe patrauit, egregia iudicat opera, alienaque culpat: nam non ſemper noſtra meliora ſunt, ſed inutilia. Ex proprijs aranea viſceribus fragiles telas contexit opus ad nihil deſeruiens, aſt ex alienis floribus dulces ſedula apis per virides ſyluas, & prata condit fauos. Si ſemper qui vtiliſſimum ſe reputat Reipublicę, & ſua optima credit, nonniſi aranearum telas orditur ad omnia ineptas: & aliorum, quę nullius pretij autumat, perutilia ſunt. Naſcitur hęc planè decepti o ex proprio amore, quo quiſque ſua proſequitur, & ex auerſione, qua aliena abominatur. Sua cuique placent, diſplicent aliena. Vndè quæ in nobis virtus creditur, ſi in alio videatur, iudicatur vitium, Moyſi ad Pharaonem ituro præcepit Deus virgam, quam habebat in manu, in terram proijcere: cumque ille obtemperaret, verſa eſt in colubrum, ita vt horreret Moyſes ad illam accedere. *Verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes.* Exod. 4. verſ. 1. En virga, quæ in manibus Moyſi recta videtur, ſi iaciat extra, tortuoſus apparet draco: ſic crimina noſtra virtutes in nobis reputantur, & rectiſſima virga, & hęc eadem ſerpentes videntur. Notius hoc vitium eſt, quam vt probatione indigeat.

2. Ab hac tamen generali deceptione excipiuntur iuſti, qui quamuis magnis ſint præditi virtutibus, impuros ſe reputant, & è conuerſo quam peccatores iudicant. Huius naturalis ratio eſt, quia qui ſedet in vmbra, nihil ſpurcum, aut ſquallidum cernit, omniaque putat eſſe munda; etſi ſordida ſint; at qui ad Solis radios conuertit oculos, innumeros atomos detegit perſpicuè. Sic peccator, qui in opaca culpę verſatur vmbra, nihil in ſe pollutum reſpicit; verum iuſtus qui gratiæ radijs illuſtratur, vel minimas maculas intuetur, & imperfectionis quemcumque næuum perſpicit. Vndè ingenioſè annotauit Ambroſius, quod Angeli qui Loth Sodomæ ſubuerſionem nuntiare venerunt, Sole iam cadente, & obrepente nocte ad ipſum acceſſere. Geneſ. 19. verſ. 1. *Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere, & ſedente Loth in foribus ciuitatis:* Abraham autem idem Angeli in meridie, & cum Sol magis incaleſcebat, priuſque illuminabat, apparuerunt. Gen. 18. *Apparuit Dominus in ipſo feruore diei.* Cur tam diuerſis temporibus cęleſtes nuntij legationem deferunt Abrahamo, niſi vt temporis differentia iuſtos ab improbis diſcriminaret? Audi Ambroſ. *Sodomam venerunt veſpere, meridie Abraham: quia iuſto refulgent Angelorum præſidia, impius tenebras afferunt.* Vir ſanctitate præditus, qualis erat Abraham, in candidiſſima luce ſemper ambulat, meridieſque ipſi ſemper eſt; idcirco vel leuem noxam, quæ in ipſum ſerpit, ac veniales defectus clarè intuetur; peccatores verò, quales habitatores erant Sodomæ in tenebris ſunt conſtituti, & quocunque illis tempore accedas, veſpere accedes: quapropter caligine cæcutientes nihil in ſe ſpurcum vident, nihil ſordidum.

3. Dauid quàm Dei indulgentia, & peccatorum venia hominibus ſit neceſſaria vt à culpæ reatibus liberentur, perpendens dicebat. Pſal. 31. verſ. 6. *Pro hac orabit ad te omnis Sanctis in tempore opportuno.* At hæc non congruè videntur dicta: derogat enim Sanctorum innocentiæ, qui credit venia indigere: ſibique aduerſatur ſententia: nam ſi ſancti ſunt, & Deo grati, nullo peccati vinculo alligantur, nullaque egent indulgentia, cum ab omni culpa ſupponantur liberi. Præſtaret hoc ad peccatores inflectere, qui vtpotè culpæ retibus irretiti, abſolutione opus habent, & venia, vt ab huiuſmodi nexibus expediantur. Qui nullius criminis eſt conſors, cuiuslibet indulgentiæ debet eſſe expers: vndè igitur ſic ſancti pertimeſcunt, vt prouenia exorent? Accipe D.Greg. ad pſal. 2. pœnitent. *Sancti viri licet tam magnis virtutibus polleant, habent tamen aliquid de culpa obſcuritate, quod feriant.* Quiſquis ſe ad Solis meridianam lucem attentè intuetur, minutiſſimas quaſque maculas agnoſcit, ſqualorem quemlibet detegit, & curat abſtergere: ſic viti ſanctitate præſtantes ad lucem Diuini Solis examinati plures, quæ irrepſerunt imperfectiones fragilitate naturæ, & occaſionis incitamento, cernunt, & pro ipſarum venia obnixa exorant. In luce verſantes immaculatam vitam agnoſcunt, & non ſolum imperfectiones detegunt iam contractas, ſed ipſaſmet perfectiones præ humilitate imperfectiones reputant. Vndè præclara Rupert. lib. 1. in Ioann. *Humilitatem magnum, ac præclarum ſpeculum* vocauit, vt enim ſpeculum è contra repræſentat res, ac ſunt, nam quod ad dextrum latus eſt, ad ſiniſtrum objicit intuendum: ſic humilitas, quæ armandi, & componendi perfectiſſimos viros ſpeculum eſt, perfectiones veluti imperfectiones repræſentat, veluti vitia virtutes: ipſiſmet bonis operibus demereri iuſti ſuſpicantur, & de illis diffidentes quaſi peccata eſſent, largiter veniam poſtulant. *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.*

4. Paulus Gentium Doctor, & in materia de iuſtificatione, & gratia peritiſſimus ſic ad Diſcipulum Timotheum ſcribit. *Venit IESVS Chriſtus peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.* Non parum ſuæ do-

ctrinæ, imò & veritati hac loquendi forma Paulus detrahere videtur, dum ſe peccatorem maximum compellat, & in malitia primum. Qui fieri potuit, vt Paulus verè primum ſe peccatorem, hoc eſt; ſceleſtiſſimum, & flagitioſiſſimum dicat? Præſertim cum conſtet in doctrina catholica, educatum, tunc temporis plurimum profeciſſe, & Gentium Magiſtrum fuiſſe conſtitutum: plurimum enim Doctoris fama, & bona eruditionis opinio conducit, vt qui docendi ſunt, cum affectione pia, & veneratione debita doctrinam accipiant. Cur ergo Paulus ſuo muneri obſtat, & veritati aduerſatur criminoſum ſe prodens? Bellè D.Bernard. epiſt. ad frat. in monte. *Non hoc dicebat Paulus mentiendi præcipitatione, ſed æſtimandi affectatione: qui enim perfectè examinando ſemetipſum intelligit, ſuo peccato nullius peccatum par eſſe exiſtimat, quod non ſicut ſuum intelligat.* Etenim aliorum peccata Paulus intelligere non curabat, ne temerè de alijs iudicaret, ſuam tantùm culpam agnoſcebat: cumque ipſum nunquam ad comparationem duxiſſet, humiliter, ac indignè de ſe ipſo ſentiens, ſe maximum peccatorem vocare non veretur: in quo veritati non detraxit, quia probè ſuo peccato nullum aliud maius agnoſcebat, & vel iam iuſtificatus ſe peccatorem fatetur, quia nihil iuſtus operatur, quod iudicet laude dignum, & vel ipſas perfectiones imperfectiones reputat, quia è contrario humilitas res repræſentat; ſicut à contrario peccator in nullo opere ſibi diſplicet, quia in tenebris ambulat, ſicut miſeri illi Gentilitatis cultores, quos arguit Vates noſter, qui in operibus manuum ſuarum nempè ſimulachris è lignis, aut lapidibus fabricatis maximè placebant. *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile &c.* Hic verſ.18.

DISCVRSVS XVIII. MORALIS.

Nonniſi cana Senectus Potentis virtutem edocet.

1. TEmporis beneficio homines in virtute proficiunt: in iuuentute veluti in florente ætate fruges in flore, & herba ſunt; at in cana ſenectute veluti in fœcundiſſimo autumno vberes fructus referunt. Vndè Seneca ętatis iam cadentis vetuſtate eruditus dicebat ep.19. *Satis multum temporis ſparſimus, incipiamus in ſenectute vaſa colligere, in freto viximus; moriamur in portu.* Et D.Cyprianus ætatem non tranſigere vetuſtam ſine prouentu ijs, qui iuuentutem abſque fructu præteriere, conſulebat. *Plus omnibus Religioni operam dare ſenibus conuenit, quos præſentis ſæculi florida ætas tranſacta deſeruit.* Vel vitium ipſum tempore ſicut vita ſeneſcit, vt aiebat Senec. *Gaudeo, quod ſenuerim, quod vitia in me ſenuerint.* Opportunior ſectandæ virtutis ætas ſenectus eſt, vbi corpore fracto, & ruens terrenum ædificium mortem in proximo oſtendit, & prædicat aduentantem. Vndè Chriſtus Dominus de conuerſione Samaritanorum loquens quos congruo præuenerat auxilio, dicebat Ioan.4. verſ.15. *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ iam ſunt ad meſſem.* D. Chryſoſt. hom. 33. in Ioan. in ea eſt ſententia, vt aſſerat hoc Chriſtum dixiſſe multitudinem Samaritanorum aſpicientem, quæ ad ipſum properabat, vt doctrinam eius ſectaretur. *Quia videbat multitudinem Samaritanorum venientem.* Sed cur cum de conuertendis ad fidem ſermonem inſtituit, regionis albæ meminit, & non potius viridantis ſegetis, quæ maximè intuentium oculos oblectat? Audi Chryſoſt. *Has autem præparationes hominum decenter regiones albas vocat: ſicut enim ſpicæ cum dealbatæ fuerint, ad meſſem ſunt paratæ, ita & hi ad ſalutem ſunt parati.* Sicut ſpicæ cum dealbantur, meſſeſque albicari incipiunt, ad fructus exhibendos proximè ſunt diſpoſitæ: ita cum homines in ſenectute capillis canis albificant, feraciùs, & opportuniùs fructificant: quia ad meſſem mortis parantur. In ſeneſcentibus ſatis congruentiorem ad virtutem ſectandam diſpoſitionem hominum metaphoricè agnouit (quia ſenilis ætas feracior, quam iuuenilis ad virtutem eſſe conſueuit.

2. At licet hoc ferè regulariter accidat frequentius in potentioribus euenit, quia difficiliores ſunt ad virtutem, & blandienti fortuna ſegnius retardantur: floridam ætatem, & quæ vitia portare valet vlterioris immemores infructuosè prætereunt, & ſi quis illorum naſcitur pro futurus, ad ſenectutem conuerſionem detrahit. Non incongruè bonarum literarum profeſſores hujuſmodi Principes, & Dynaſtas in palmis adumbratos agnoſcunt, & propter ipſarum proceritatem, qua omnes arbores ſuperant, & quia palma nullum in iuuentute fructum affert, iamque ſeneſcens efficitur fructuoſa. In primo Eccleſiæ naſcentis exordio Magi ab Oriente puerulum IESVM in præſepio iacentem adorare venerunt: quod admirabundus refert Matth.2. verſ. 1. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam quærentes vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Etenim aduerbium *Ecce* admirationem indigitat in atteſtante, quaſi quid nouum, & inuſitatum narret. Fateor inſolitum eſſe alteri mortalium Reges adorationem deferre, præſertim puero pauperibus

nato

Digitized by Google

nato parentibus, inter belluarum paſtum reclinato, & inopibus faſcijs inuoluto: at ſi perpendatur Deum eſſe qui iacebat, quique auxiliante gratia Magos vocauerat, & ducente præambula ſtella perduxerat, exarmabitur admiratio. Verum ſi cum communi PP. ſententia aduerſus Ianſen in concord. c.9. teneamus hos Magos Reges fuiſſe, quamuis Magi, & ſapientes vocantur, admirationis motiuum facilè perpendemus. Etenim non miratur Euangeliſta, quod Reges adorare Chriſtum accedant; ſed quod ab Oriente veniant: nam Regibus familiare eſt, non ab Oriente, ſed ab Occidente ad virtutem venire, non in iuuentute, ſed in ſeneſcente ætate: idcirco admirationis cauſa dicitur. *Ecce Magi ab Oriente venerunt*. Quandoquidem Deum quærere in iuuenili, & primæua ætate potentibus inſolitum eſt, ac rarum proindeq; admirationis materia ſufficiens.

3. Iſaias cap. 11. mirificè deſcribit regales Principis dotes illum exornantes, & indumentorum ſumpta metaphora eum inſtruit ad honeſtè operandum. Inter alia autem eius fidem, & iuſtitiam commendat his verbis. *Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius*. A veſtimentorum proprietate petenda eſt interpretatio. Cur fidelitatem, & iuſtitiam cinctorium vocat Propheta, & non potius illas confert cum alio ornamentorum genere? Crediderim arcanè Regum ignauiam, & pigritiam ad virtutem ſectandam Prophetam reprehendere, ne palam ipſis detrahat atque regalem decorem denuenuſtet. Etenim cinctorium inter corporis indumenta vltimum eſt, quod induimus, & primum, quod deponitur: haud aliter fidelitas, & iuſtitia, quæ omni virtute integratur, in Regibus tardè adueniť, & citò abijcitur: Reges vidiſti iuſtos, non abnuo; verum hoc frequenter accidit, cum ſeneſcunt: in Oriente, & iuuentute tanquam prodigium miraberis virtuoſum Principem: ſerò enim magna potentia iuſtitiæ cingulo accingitur, & ſolum experientia edocta, & à conſcientia diu puncta militiæ Chriſtianę cinculum aſſumit. In laſciuiente ætate, & in ſtimulante ſecunda fortuna ferè nemo eſt virtutis ſtudioſus; temporis ſuaſoria diuturnitas efficit, quod ratio in iuuentute non aſſequitur.

4. Pluries audierat Herodes Rex, quæ de Chriſto Domino narrabantur mirabilia, & non ſemel conſiderauerat in illo homine poſſe aliquid Diuinum latere, & tamen ſurda aure præteriuit eius virtutes; poſt multum verò temporis animaduertit, quæ de illo dicebantur. *Audiuit autem Herodes Tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo, & hæſitabat, quod diceretur à quibuſdam, quia Ioannes ſurrexit à mortuis*. Luc.9. verſ.7. Quare à principio non audiuit, & non meliori dictamine ductus, & audit, & dubitat an Chriſtus ſit Deus, quod initium erat indagandi veritatem? Cur tam ſerò arrigit aures, vt quod de Chriſto dicebatur, mente perciperet? Audi Chryſoſt. difficultati occurrentem. *Qui in potentatibus ſunt, tardè addiſcunt, & non multam curam faciunt addiſcendi*. Potentes, & Dynaſtæ ſi aliquando ad virtutem addiſcendam accedunt, ſerò eſt: quia nonniſi temporis mutа elegantia illorum ad virtutem inclinationem negotiatur: iuuentutem fœlicitate corrupti inſtructuosè prętereunt, & nonniſi in ſenectute, & matura ętate fructificant. Id ſanè in Nabuchodonoſore mortalium perditiſſimo Principe, de quo Vates noſter latè agit, videre licet, qui nulli vitio in iuuentute indulgens in belluamque propter immania ſcelera transmutatus, tandem in ſenectute in virtute proficit, vt multorum eſt opinio, & vitę anteactę crimina retractauit, tempuſque emendauit in illo, quod nec Dei minantis rigor, nec ſupplicia à Perſis illata ſunt aſſecuta.

DISCVRSVS XIX. MORALIS.

Quam amabilis, quamque pernicioſa ſit ſingularitas, oſtenditur.

1. Quaſi ſumma felicitas ſit cęteris eſſe diſſimilem, ſingularitatem, & diſſimilitudinem homines affectant, nihil ęſtimantes, quod in ipſis eſt, ſi commune eſt alijs, aut quod in aliorum conſortio ipſis confertur. Vndè Seneca lib.1. de Benef. c.14. beneficia largituro conſulebat, vt cum pluribus idem donum pręſtandum eſſet, aliquid cuique accepturo peculiare adderet, vt vel ſic ęſtimabile redderet. *Quemadmodum* (inquit) *meretrix ita inter multos ſe diuidit vt nemo non aliquod ſignum familiaris animi ferat: ita qui beneficia ſua amabilia vult eſſe, cogitet quomodo & multi obligentur, & tamen ſinguli habeant aliquid, quo ſe cæteris præferant*. Nemo enim vulgaria æſtimat, cęteros anteire, & neminem in prærogatiuis habere conſortem omnes ambiunt, in nulloque cum reliquis habere commercium. Nihil gratum hominibus eſt, quod ratum non ſit, & de ſingularitate famoſum. Ægrotauit Ezecchias vſque ad mortem, 4. Reg. 20. Ingreditur ad eum Iſaias, ipſique denuntiat, propter pœnitentiam, & lacrymas quas fuderat, vitam prorogatam, ſalutemque reſtituendam: ille autem prę magnitudine gaudij quaſi de promiſſis dubitaret, ſignum petit recuperandæ ſalutis. Cui Iſaias vmbrę aſcenſum, aut deorſum in horologio Achaz pollicetur. *Vis, vt*

vt aſcendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? Ibi verſ.9. Optioneque admiſſa neutiquam Rex vmbram creſcere petiuit, ſed per gradus decem reuerti. Rationemque reddit ſuę electionis. *Facilè eſt vmbram creſcere, nec hoc volo vt fiat, ſed vt reuertatur retrorſum decem gradibus.* Locus planè difficilis, & innumeris commentationibus vexatus: modo eas pręter eo, & tantum aduerto ferè omnium patrum eſſe ſententiam, Solem ad Orientem realiter fuiſſe reuerſum, & vt docet D. Dionyſ. Areop. in epiſt. ad B.Polycarpum contra Paulum Rabbinum diem illum penè triplicatum fuiſſe, & triginta duarum horarum ſpatio terram illuſtraſſe, quas Aſtronomiæ periti incurſibus, qui acciderunt currente, & decurrente Sole, facilè depræhendunt. Iam ergo inquires, cur Ezechias in ſignum optatę ſalutis Solem in ſuo curſu retrocedere poſtulauerit, & vmbram creſcere, non autem admiſerit ad Occaſum properare, cum non minus eſſet prodigioſum laxare Solem habenas, vmbramque in horologio præter conſuetum ſpatium decem lineis aſcendere, quam retrogradu curſu vmbram attenuari, & identidem iam ferè medio curſu peracto Solem reuocari ad Orientem. Cur non vrbanè, & confidenter Iſaiæ reſpondet Ezechias, vt quod ipſi placuerit ſignum pręſter, quandoquidem de illius ſanctitate non dubitabat, nec ambigere potuit, quodlibet ex oblatis mirabilibus ſatis Dei potentiam oſtendere? Credo ex ipſomet textu difficultatem dirimi. *Facilè eſt vmbram creſcere: neque hoc volo vt fiat, ſed vt reuertatur retrorſum decem gradibus.* Quaſi dicat: Solem ad Occaſum pergere, vmbramque ad ipſius declinationem protrahi, commune quid eſt & obuium, quotidiano experimento diſcitur, plus minuſue vmbram creſcere, & Solem ex medio curſu reuocari ad Orientem, vmbramque reuerti eo tempore, quo aſcendere ſolitat, ſingulare quid eſt & inuſitatum, hoc fieri exoro, hoc mihi æſtimabilius erit ſignum, & de ſalute promiſſa me ſecuriorem reddet. Si ſpecialibus fauoribus nulliuſque modo conceſſis me à Deo decoratum agnoſcam, haud dubius remanebo de futura ſalute, quam polliceris. Sic homo ſingularitatem affectat, vt & miracula deſpiciat, ſi non ipſi peculiariter conferantur.

2, Agnoſcens autem Deus, quam homines ſint ſingularitatis amatores, illorum ſe genio accommodat, vt eos ſuauiter attrahat. Exod.28. verſ.9. legimus duodecim lapides in pectore Sacerdoris appenſos, in humeris verò duos tantùm: & quidem in iſtis, qui humeris inſidebant, ſculpta erant nomina tribuum, ita vt ſex in vno lapide, & ſex in altero legerentur, at in illis, qui ad pectus appendebantur, ſingolariter nomina tribuum erant exarata. *Sumeſque* (inquit textus) *duos lapides Onychinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſrael, ſex nomina in lapide vno, & ſex reliqua in altero iuxta ordinem natiuitatis illarum*, & Paulo infra de lapide ad pectus portando locutus ait Deus v.25. *Poneſque in eo quatuor ordines lapidum, habebuntque nomina filiorum Iſrael, duodecim nominibus, cælabantur ſinguli lapides nominibus ſingulorum per ordines ſuos.* Verum ſi nomina tribuum ſuper humeros portabat Sacerdos, ad quid ea in pectore portare præcipitur? Nimis oneroſa, & ſuperflua videtur hęc lapidum exornatio, & nominum repoſitio. Verum Deus probè agnoſcens quam ſint ſingularitatis ambitioſi homines, illorum ſe voluit accommodare naturæ, etenim quamuis nomina tribuum in humeris Sacerdotis penderent, in duobus tantum lapidibus erant ſculpta, quod eorum nullus haberet ad gratiam, quandoquidem idem honor, qui ſingulis, conferebatur omnibus. Propterea vnamquamque tribum in diuerſo lapide poſtea exarari præcepit, & adhærere pectori Sacerdoris, vt ſigillatim nobilitarentur omnes, & honor illis non communis, ſed particularis vniuſcuiuſque videretur. *Cælabantur ſinguli lapides nominibus ſingulorum.* Idipſum obſeruauit Iſaias cap.27. verſ.22. de conuerſione reliquiarum Iſrael loquens. *Et erit in die illa, percutiet Dominus ab alueo fluminis vſque ad torrentem Ægypti, & vos congregabimini vnus, & vnus filij Iſrael.* At quod beneficium eſt vnum, & vnum congregari, id eſt ſigillatim, quod ex hoc Dei beneuolentiam erga populum Iſraeliticum commendat Propheta? Quid intereſt, quod ſeorſim congregentur? Imò felicitatis erit additamentum contribules felicitatis habere conſortes? Audi Oleaſt. ad prædicta verba. *Expende etiam, quod dicitur ſigillatim: nouit enim nos ſingularitatis amatores eſſe. ideo non omnes ſimul vt pecudes congregat, ſed ſeorſum.* Vt beneficium augeret ad gratiam, & æſtimationem, ſigillatim vnicuique, & non in aliorum conſortio illud conferre pollicetur: quia quod commune, & vulgare eſt, homines paruipendunt. Omnes ſingularitatem amant, ad illamque toto animo anhelant.

3. Quam autem Reipublicę noxia ſit hæc ſingularitatis ambitio, quamque exitialis, optimè deſcribit Dauid Pſalm.79. verſ.14. Vbi deuaſtationem Hieroſolymę ad literam deplorans, ſicut & Vates noſter, vt ingruentem Nabuchodonoſoris immanitatem ponderaret, dicebat: *Deuorauit eam Aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* Non conueniunt Interpretes in aſſignanda natura illius animalis, quod Dauid ſingulare vocat. Aliqui enim Doctores onagrum, ſeu ſylueſtrem aſinum ſubintelligi autumant, alij monocerontem magnam belluam anonimam: propter ipſius ſuperbiam ſolitariè paſcentem. D.Hieronymus ſingulariter tranſtulit pro ſingula-

gulari fero: *Omnes beſtiæ agri depaſtæ ſunt eam*. At qui fieri potuit, vt quam Dauid ſingularem feram appellauit, omnia carniuorarum, & immanium ferarum genera ſignificet? Enimuerò voces inter ſe aduerſantur, nam ſingularitas non ſolùm vniuerſalitatem, ſed & pluralitatem excludit. Quomodò ergo nocentium animalium multitudo in vno ſingulari deſcribitur? Prçterquamquod ſi animus erat Dauid ponderare, quam Nabuchodonoſor futurus erat nociuus, quamque hæretici vineæ Domini, quæ Eccleſia eſt, ſint noxij, melius id exprimeret in multitudine ferarum turmatim vineam inuadentium, quam in vna, & ſingulari? Verum Dauid in neruoſa verborum proprietate peritiſſimus idipſum exaggeratius ponderauit, & rhethorico ſermone ſignificat, nam nihil eſt nocentius Reipublicę, aut communitati, quam ſingularis homo, qui ferina crudelitate inſoleſcit, in omnibuſque ab omnibus vult diſſimilari. Hic nempè tam atrocem ruinam, & deuaſtationem Reipublicæ infert, vt omnium ferarum immanitatem, & noxiam incurſionem excedat. Proindèque melius ſignificatur extrema ferocitas in ſingulari fero, quam in omnium ferarum deuaſtationem. Quod Dauid per hiperbolem dixit (nempè *ſingularis ferus depaſtus eſt eam*) iuxta veritatem commendatur Hieronymus: *Omnes beſtiæ agri depaſtæ ſunt eam*: Quia non minus nociuus eſt arrogantis hominis ſingularis faſtus, quam ferarum omnium veneuata crudelitas.

4. Nec ſolùm Reipublicæ, ſed & ſibi ipſi nocet ſingularitatis candidatus, vt optimè obſeruauit Bernard. perpendens, quod abſente Thoma Chriſtus Diſcipulis ſe manifeſtauerit, illumque huius fœlicitatis expertem reliquerit. Cur non Thomæ recedenti apparuit, ſicut & cæteris, cum tamen ille plus hoc fauore indigeret, quandoquidem in fide vacillabat? Audi Bernard. *Quid dicis tu amator ſingularitatis, communia loca, communem vitam, communem regulam, communes obſeruantias quid faſtidis? Ideo Thomas non vidit Chriſtum cum cæteris, quia non erat cum eis, quando venit Ieſus*. Quaſi dicat: Quia ſingularis Thomas affectauit videri à conſortio Diſcipulorum abſens, & ſingulariter ipſi gratiam exhiberi ambibat, quam Chriſtus Diſcipulorum communitati exhibuit, illa meritò viduatur, ad ipſumque Chriſtus accedere recuſauit, quam ſit ſingularitatis deſiderium noxium oſtendens. Vndè idem Bernardus grauiter, & lepidè inuehitur, in quemdam ſingularitatis amatorem, qui à communis vitæ inſtituto in Religione recedebat. *Non melior eſſe ſtudet, ſed videri. Plus ſibi blanditur de vno ieiunio, quod cæteris prandentibus facit, quam ſi cum cæteris ſeptem dies ieiunauerit: commodior ſibi videtur vna oratiuncula peculiaris, quam tota pſalmodia vnius noctis. Vigilat in lecto, dormit in choro: cumque alijs pſallentibus ad vigilias tota nocte dormitet; poſt vigilias alijs quieſcentibus ſolus in oratorio remanet, excreat, & tuſſit, gemitibus, ac ſuſpirijs aures foris ſedentium de angulo implet*. Hæc Bern. religioſæ vitæ diligentiſſimus obſeruator, & animæ peritiſſimus Chirurgus. Probè nouerat dilecta Sponſa, quam ſit periculoſum per ſingularitatis, etiam virtutis ſalebroſas vias incedere, cum à dilecti conſortio cupiens non ſeparari, hoc ab ipſo vehementer efflagitabat. *Trahe me poſt te, in odorem curremus vnguentorum tuorum*. Cant. 1. Planè diſſipit in his verbis Sponſa: nam ſi tota erat in fruendis Sponſi delirijs, ipſumque deprecaretur, vt eam ad ſe ſingulariter trahat, cur poſtea in aliarum adoleſcentularum conſortio currere pollicetur? Si pariter cum ipſa non aliæ trahuntur, quomodo cum illis velociter curret? Sibi ipſi obſtare videtur Sponſa, dum aliud exoptat, aliud exequi promittit. Quæ ſola trahitur per virtutis ſemitas, ſola illas percurrat. Sed ò quam benè ſedulam acquirendi virtutem ſollicitudinem hic aduertit idem Bernardus ſerm. 21. in Cantic. Sponſæ nomine loquens. *Non curram ego ſola, etſi ſola me trahi petierim, current adoleſcentulæ mecum*. Quaſi diceret: quod peto ardentioris eſt charitatis, quæ omnem Dilecti attentionem, & honorem ambit, quod promitto, ſtudioſæ, & ſecurioris virtutis: nam qui ſingulari gratia, & beneuolentia Dilecti gaudere cupit, in proximò eſt, vt illum non inueniat, & vanitatis aura ruat: malo ergo firmis virtutem ſtabilire fundamentis in aliarum conſortio, quæ eadem potiuntur beneuolentia, quam de ſingulari erga ipſum fauore gloriari: quin potius ſecuriorem ipſum non amittendi viam aggredior, nam ſi illum mihi ſingulariter ambiſſem, fortè non obtinerem, quandoquidem Deus à ſingularitatis amatoribus exulat.

IN HABACVC PROPHETAM.

Perſcriptio Capitis Tertij.

TAMETSI omnia, quæ in Prophetis ſcripta ſunt, humani intellectus captum longè ſuperare videantur propter ſummam, & argumenti magnitudinem, & orationis ſublimitatem: tamen in his illa longè difficillima ſunt, quæ cantici, & orationis titulo ſunt inſignita. In his enim, & dicentis impetus feruentior, & magnum argumenti pondus anguſtis orationis ſpatijs continentur, & ipſe dictionis, atque orationis habitus, & color, vt eſt quidem elegantiſſimus, ita, explicatur difficillimus, Vt patet in titulo huius Diuini, & ſuauiſſimi Cantici, quod Habacuc compoſuit: vbi venuſtiſſima apparet varietas, & multiplices, & in perſcriptione, & in corpore prodit, & amplectitur affectus. Sic enim tractat de Euangelico tempore, de myſterijs Chriſti Domini, & victorijs, vt eorum omnium imaginem argutè in Chaldæorum interitu, & Iudæorum libertate proponat. Exorat in exordio Vates, vt libertatem, quam Deus populo ſuo erat pollicitus determinato tempore præſtet Caldæorum aduentum poſtea deſcribit, atque eorum conſilia, artes, & facta, & quomodo Deus illis ſe Ducem præbebit, ſicut olim populum duxit ab Ægypto exeuntem, & introduxit in terram promiſſam. Deindè quid contra Caldæos fecit, cum Perſicum contra eos induxit exercitum, vt populo ingenuam libertatem, & liberationem à miſera ſeruitute conferret, atque in patrium ſolum reſtitueret. Cum autem ex huiuſmodi euentu, quem optabat maximè Propheta, & confidenter expectabat, Dei promiſſionem fidelem, atque paternam curam, & prouidentiam clarè inſpiceret, maximè exultat, nullum laborem recuſat, nullum infortunium timet, nihil ſibi accidere infortunatum formidat, & omnia hilariter ſuſtinere præſumit, dummodò Dei promiſſum adimpleri videat, dummodò à ſuo latere IESVS Saluator, & Redemptor populi ſui non recedit.

CAPVT III.

1. VERS. 1. Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantijs.
2. Domine audiui auditionem tuam, & timui Domine opus
tuum, in medio annorum viuifica illud. In medio annorum
notum facies: cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.
3. Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de Monte Pharan: operuit cœlos gloria eius: & laudis eius plena eſt terra.
4. Splendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius.

5. Ibi

5. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius: ante faciem eius ibit mors. Et egreditur diabolus ante pedes eius.

6. Stetit, & menſus eſt terram aſpexit, & diſſoluit gentes: & contriti ſunt montes ſæculi. Incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.

7. Pro iniquitate vidi tentoria Æthyopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

8. Numquid in fluminibus iratus eſt Domine? Aut in fluminibus furor tuus? Vel in mari indignatio tua? Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio.

9. Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, iuramenta tribubus, quæ locutus es.

10. Fluuios ſcindes terræ: viderunt te; & doluerunt montes; gurges aquarum tranſijt. Dedit abyſſus vocem ſuam: altitudo manus ſuas leuauit.

11. Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum, ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.

12. In fremitu conculcabis terram: in furore obſtupefacies Gentes.

13. Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo: percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum eius vſque ad collum.

14. Maledixiſti ſceptris eius capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad diſpergendum me.

15. Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.

16. Audiui, & conturbatus eſt venter meus: à voce contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat. Vt requieſcam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum.

17 Ficus enim non florebit: non erit germen in vineis. Mentietur opus oliuæ, & arua non afferunt cibum. Abſcindetur de ouili pecus: & non erit armentum in præſepibus.

18. Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo IESV meo.

19. Deus Dominus fortitudo mea: & ponet pedes meos quaſi ceruorum. Et ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem.

Verſ. 1. Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantijs.

ANNOTATIO I.

Expoſitio Litteræ.

1. CAnticum hoc eſt valdè difficilè, ſi conſiderentur ſingulæ eius partes, & vnionis filum inſpiciatur, quod prætexere magni negotij eſt. Sed eſt longè difficillimum, quiſnam ſit eius litteralis ſenſus: nam Patres diuerſimodè illud interpretantur. Ferè omnes antiqui in ea fuerunt ſententia, vt totum hoc caput de Chriſto Domino interpretentur, licèt variè de tempore, & myſterijs, quibus illud aptant, loquantur. Itá Euſebius, Auguſt. Cyprianus, Athanaſ. Hieron. Theodor. Cyril. Rupert. Theophilat. Euthim. & ex recentioribus non pauci. Mouentur autem ad ita ſentiendum inter alia, quia ex hoc Cantico multa ſumpſit Eccleſia ad Chriſti myſteria explicanda, vt eſt illud de duobus animalibus in quarto reſponſorio Natalis Dominí, & reſponſorio ſexto in feſto Circumciſionis.

2. Alij, quæ hic vaticinantur, de republica Iudæorum intelligunt, & libertate è Babylonica ſeruitute, licèt aliquid, imò & plurimùm admiſceri putent eorum, quæ in deſerto, poſtquam populus egreſſus fuit ab Ægypto contigerunt. Ex his autem Auctoribus nonnulli ita hæc hiſtoricè de temporibus Babylonicis accipiunt, vt tamen myſticè de Chriſto, humanique generis ſalute interpretentur. Sic Lyra, Dionyſius, Batab Hugo, Iſidorus, Ianſen. Albert. Caſt. et Mariana cum Sanzio: quæ quidem ſententia magis arridet, propterea, quia quæ præcedunt in ſuperioribus cap. (vt probatum eſt) apprimè congruunt rebus geſtis in Babylonico imperio: et iuxta explicationem, quam tradidimus, hoc vltimum caput cum præcedentibus optimè contexitur. Nec ab hac ſententia diſſentit Hieronym. nam ab illis verbis *maledixiſti ſceptris eius* plurima de libertate populi Iudaici á Babylonico iugo interpretatur, et expreſsè affirmat ſceptrum Nabuchodonoſoris ibi fuiſſe à Domino maledictum. Deindè quidquid reſtat capitis, hiſtoricè de rebus Babylonicis exponit; imò et totum caput de iiſdem rebus inſtitutum indicat, ſic enim habet in fine: *Hucuſque ne hiſtoriam prætermittere omninò videremur, quodammodo vim fecimus intellectui.* Et expreſſiùs in quæſtionibus ſuper Habacuc ait: *Secundum litteram autem intelligimus impium Nabuchodonoſorem, vel omnes aduerſarios, qui venerunt vt turbo, vt diſpergerent me, ideſt, vt ſubuerterent Iſrael.*

3. Neque ratio adducta pro prima ſententia multum verget: quia euidentiſſimum eſt, quod Eccleſia multoties non ſolum in myſtico, ſed in ſenſu accommodato aliquid in ſuis ſolennitatibus adhibere ſolet, et illud applicat, quamuis alienæ ſit hiſtoriæ, quod aliquam ſimilitudinem habet cum myſterio, quod celebrat, vt illud Zachariæ cap. 4. de duabus oliuis, et lucernis duobus fratribus Ioanni, et Paulo accommodat. *Iſti ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum.* Et in Miſſa vigiliæ B. Ioann. Baptiſtæ ſumitur lectio ex cap. 1. Ieremiæ, quæ tamen tota de Ieremia eſt: atque in die eiuſdem Ioannis ex cap. 49. Iſaiæ, quæ verba ſine dubio de Chriſto ſunt. Item in feſtis B. Virginis multa dicuntur de lib. Sapientiæ, et in Aſſumptione ipſius hiſtoria proponitur Marthæ, et Magdalenæ, et alia quam plurima, quæ paſſim occurrunt.

4. Sentio itaque: in hoc Cantico ſermonem fieri de libertate populi á captiuitate Babylonica, cum alluſione tamen ad libertatem eiuſdem populi de Ægypto, totumque Canticum in tres partes diſtribui. In prima Propheta timorem oſtendit, quem ex Diuino ſermone conceperat: quia etſi grauia incommoda Deus minatus fuerit Iudaico populo, grauiora minatur Babylonicæ genti: orat autem, vt libertatem, quam promi-

Digitized by Google

promiſerat populo ſuo, præfinito tempore præſtet. In ſecunda parte aduentum Chaldæorum deſcribit, quibus Deus permiſit Iudeos deſtruere propter illorum fraudes, & iniuſtitias, quas in gubernatione populi exercebant: & vſque adverſum 12. victoriarum Chaldæarum curſus latè extendit. Exindè autem aduerſam illorum fortunam, et miſerum iugum, quod illis Perſæ (Deo permittente) poſuerunt, deſcribit. Et denique oſtendit non diuerſurum animum à Dei fideliſſima promiſſione, etiamſi euentus aduerſos, et qui omnem aditum obſtruerent ad proſpera quæque, videret.

5. *Oratio Habacuc pro ignorantijs*. Huius tituli cauſa alia ab alijs adducitur. Quidam nihil aliud ſignificare putant prædicta verba, quam hoc Canticum ad illos numeros eſſe cantandum, ad quos certum aliquod carmen eſſet cantari ſolitum, cuius eſſet initium *Sigionoth*: ſicut etiam de multorum Pſalmorum titulis mediantur. Alij *Sigionoth* quod in Hebræo pro *ignorantijs* eſt, inſtrumentum putant eſſe muſicum, cum quo benè conueniret huius Cant. Rithmus: atque ideò à Propheta fuiſſe præſcriptum, cui inſtrumento, quibuſque modulis aptari vellet hoc illuſtriſſimum Canticum. Sed hoc credo commentum eſſe Hebræorum. Quare ijs Auctoribus aſſentio, qui putant Hebræam vocem *Sigionoth* (pro qua vulgatus tranſtulit ignorantiam (errorem, et peccatum ſignificare ſecundùm illud Pſalm. 24. verſ. 7. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*. Et paſſim alibi ignorantia ſumitur pro peccato, et peccator ſtultus, ignarus, et inſipiens dicitur: et idcircò omnes antiqui Partes quos ſequitur Hieronym. *pro ignorantijs* tranſtulerunt.

6. Sed reſtat examinandum, quid ſimile ignorantia, ſeù peccata habuerant cum Cantico. D. Hieronym. credit, Prophetam ea hic retractare, quæ antea dixerat, et pœnitentiam agere, eo quód ignoranter prius de Deo, aut ſenſerit, aut locutus fuerit, atque ſe ipſum reprehendere, et veniam petere, *Eſt ſenſus* (inquit Hieronym.) *quia ſupra temerè dixerat: vſquequo Domine clamabo, & non exaudies? Vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Ac deindè in ſecunda querimonia; Quare non reſpicis ſuper iniquè agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe*? Riberæ, et alijs Interpretibus hæc mens Hieronymi, videtur à Prophetæ ſenſu aliena: ſed neſcio, propter quod hanc interpretationem reijciant. Videtur mihi aptiorem titulum non poſſe præſcribi huic Cantico, quam qui à Propheta fuit poſitus. Nam cum antea non benè de Deo cogitaſſet, aut locutus fuiſſet, ignorantiam peccaminoſam incurriſſe videtur, pro qua pœnitentia ductus retractat ſententiam, & inducta palinodia fatetur, & commendat in Deo, quòd antea ignorans deſiderabat, Cum enim prius conquereretur, quòd Deus permitteret, iuſtos á peccatoribus opprimi, à ſuperbis, & violentis diripi, quaſi Deus prouidentiæ eſſet oblitus: nunc ignorantiam, & errorem fatetur, & prædicat Dei prouidentiam, & iuſtitiam, dum ait venturum eſſe Chaldæorum Regem, qui vindictam ſumat de Iudæorum iniquitate, & poſtea Perſarum potentiam, quæ de Chaldæis meritas pœnas ſumat: quo pacto ſententiam reuocat, quam prius habuit, & Dei prouidentiam apertè profitetur.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Vel in ipſorum erratis virtutis ſigna ſancti præſeferunt.

1. QVòd Vates noſter antè minus conſideratè, & paulò liberius de Deo ſenſerat, ſtatim corrigit, & detractat, atque Dei vigilantem prouidentiam publicè fatetur, & ſuam oſtendit ignorantiam, atque palinodiam cantat. *Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantijs*. In quo ſanctorum genium innoteſcit, qui ſtatim ad virtutis ſemitam, à qua aberrarunt, dociliſſima indole reducuntur: quia nunquam ſic ab illa declinant, quod futuri reditus non relinquant ſigna: nam in ipſis erratis, ad quæ dilabuntur iuſti, reuerſionis leguntur notæ, & in ipſis delictis animus generoſus agnoſcitur (vt dicebat Seneca) *Sæpè tibi tuam indolem in malis tuis oſtendam*. Vndè Moyſes, vt erat expertus populi ſui animos, & vniuſcuiuſque inclinationes, poſtquam ad idololatriam omnes ſunt prolapſi, vindictam ſumere tentans ſic populo

 affa-

affatur. *Si quis eſt Domini, iungatur mihi: congregatique ſunt ad eum omnes filij Leui.* Exod. 32. verſ. 27. Duplex hinc exurgit difficultas. Prima: cur dixerit Moyſes, quòd ad eum accederent, qui Domini erant, cum nullus ibi Domini eſſet, ſiquidem omnes in idolatriam inciderant. Quomodò Moyſes dubitat, an aliquis Domino fidelis remaneat, cum apertè ipſi conſtet, omnes vitulum pro Deo coluiſſe? Secunda: cur ad vocem Moyſis ſolum Leuitæ illi aggregantur, & eius latera tenent idololatriam detrectantes; populi autem nullus reſipiſcit, ſed pertinaciter omnes in errore perſeuerant? Bellè Oleaſt. vtrique difficultati reſpondet. *Qui diù virtutem, aut ſanctitatem coluerunt, facilè ad eam reuertuntur, etiamſi aliquando in peccata labantur: quemadmodum qui in peccatis verſatus eſt, difficilè ad virtutem redit, etiamſi aliquandò eam colore videatur, ſtatim tamen ad ſua vitia reuertitur. Filij Leui qui præ cæteris Deo miniſtrabant, facilè ad eius partes tuendas reuertuntur.* Nouerat Moyſes multos, qui in populo antea ſectabantur virtutem, & licet omnes pollutos idololatria aſpiceret, adhuc Domini vocat illos, qui ad ſanctitatem propendebant: quia qui Deo inſeruiunt, cum errant quaſi non totum Deum relinquunt, & ſigna conuerſionis in ipſis erratis oſtendunt: & idcircò Leuitæ qui aſſueti erant Dei famulatui, & profitebantur virtutem, ad primam Moyſis vocem ipſi adhæreſcunt, & vitium nondum inueteratum facilè obliterant. Habent neſcio quid Sanctorum errores, quod in delinquendi forma, & in reuerſionis celeritate virtutis ſigna præbent; vndè optimè dixit Chryſoſt. hom. 5. de verbis Iſaiæ. *Vbi Dominum, &c. Quemadmodum enim præclara corpora etiam in aduerſa valetudine multa nobis formæ veſtigia oſtendunt: ſic & ſanctorum animæ in ipſis etiam erratis ſuæ virtutis ſigna præſeferunt.*

2. Nemo eſt, qui non criminetur Diſcipulorum contentionem, qua de maioritate, & primis ſedibus concertabant. Omnes Expoſitores ſacri in ipſos acriter inuehuntur, Chriſti Domini doctrinam imitantes, qui non ſolum repulit matrem ambientem filijs ſuis vtramque manum, ſed & ipſos ignorantiæ notis indigitauit. *Neſcitis quid petatis.* Et nihilòminus in illa communi Diſcipulorum contentione, quam refert Matth. cap. 18. verſ. 1. (vbi ad Magiſtrum ſciſcitates acceſſerunt: *Quis putas maior eſt in regno cælorum*) Virtutis ſigna, & ſanctitatis notas Chryſoſtomus hom. 4. in Matth. detegit, cuius hæc ſunt verba. *Illud quoque tecum verte, quod nulla eis de rebus huius ſæculi quæſtio eſt: nos autem neque ad hos defectus eorum deuenire poſſumus, nec quis futurus ſit maior in regno cælorum, ſed quis in terris maior ſit, quis ditior, quis potentior.* Tales defectus, & errata Sanctorum ſunt, vt ab eiſdem ediſcere poſſimus perfectionis iter: cum enim de illis notatur, quod inter ſe certarent, ſuper illud ſanè certamen fuit, quis illorum eſſet ſanctior, & in cœlorum regno digniorem eſſet obtenturus locum. Nos etenim nunquam ad illum errorem perueniemus: quia nunquam de illis rebus decertamus, ſed de digniori loco mundi, ac deterrenis honoribus. Expediret ad illorum errorem deuenire, ſi eodem motiuo pugnaremus: In diſcipulorum erratis eorum perfectio innoteſcit, & ex inductis materiæ contentionis notis agnoſcitur ſanctitas, virtus exaltatur. Sic enim loquens Euangeliſta de Petri arbitratu, quo in Thaboris vertice permanere ſatagebat, ipſius ignorantiam, & errorem accuſat. *Non enim ſciebat quid diceret.* Luc. 9. verſ. 23. At ſtatim excuſationem addit, & errorem quem incuſauerat, honeſtat. *Erant enim in timore exterriti.* Ad quæ verba D. Ambroſ. c. 9. ſup. Luc. hæc eleganter exſcribit. *In quo non inconſulta petulantia, ſed prematura deuotio fructum pietatis accumulat: uam quod ignorabat, conditionis fuit: quod promittebat, deuotionis.* Et lib. 10. in eundem Luc. *Error Petri doctrina noſtrorum eſt.* Illa enim ignorantia deuota, quam Petrus habuit, nos docuit, quam ardenti deſiderio, quam vehementi cupiditate cœli poſſeſſio expetenda eſt. In ipſa ignorantia animi feruentioris ſigna apparent, & erronea verba ſanctitatis ſunt indicia præclara.

3. Magno deſiderio Dei faciem intuendi flagrabat Moyſes, ipſumque obnixè deprecatur, vt gratiam, quam apud ipſum inueniſſe credebat, viſione ſui vultus compenſaret. *Oſtende mihi gloriam tuam.* Exod. 33. Fortè ignorabat Moyſes Deum, vt eſt in ſe, oculis corporeis videri impoſſibile prorſus eſſe? Non inquam. Si ergò non ignorat, cur petit, quod impoſſibilè agnoſcit? Cur amantem fatigat? Nam nullum cruciamentum diligenti eſt grauius, quam non poſſe deſideria exequi amantis. Audiendus D. Ambroſ. Serm. 8. in Pſalm. 118. *Norat vtique ſanctus Vates Domini, quòd inuiſiblem Deum facie ad faciem videre non poſſet: ſed deuotio ſancta menſuram ſupergreditur, & putauit de eo etiam hoc eſſe poſſibile, vt corporeis oculis faceret id, quòd eſt incorporeum comprehendi. Non reprehenſibilis hic amor, ſed etiam grata cupiditas, atque inexplebilis, quod Deum ſuum velut manu tenere, & obtutus oculorum videre cupiebat.* Non latebat Moyſem id, quod cupiebat, nullo modo eſſe impetrandum, & tamen irritus poſtulationis effectus nos docet magno, ac vehementi affectu Deum exoptare. Nugax poſtulatio, & cupiditas nobis profuit: quia bonum illud incommutabile nos erudiuit eſtuanti ſiti appetere. Nullum enim Sanctorum, aut erroneum, aut irritum deſiderium nobis non prodeſt, & ex eorum erratis medela nobis conficitur.

4. Arcanè ſalutares prouentus, quos homines aucupantur ex iuſtorum lapſibus, dicebat Dauid Pſalm. 1. verſ. 1. *Beatus vir, qui*

non

Digitized by Google

non abiꝭe in conſilio impiorum &c. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non defluet*. Non leue dubium eſt, quid hac metaphora Vates ſignificet, & quò fieri poſſit, quòd nullm iuſtorum folium defluat, nulla eorum actio non ſit meritoria. Lyra ſic locum capit, vt omnes iuſti actiones credat eſſe proficuas: nam quidquid agit, quidquid loquitur, quidquid intentat, vel ipſi, vel alijs prodeſt. Verùm cur per tranſlationem ad arborem id expreſſit, cum nulla reperiatur, à qua non defluat vnum vel alterum folium inutiliter, nec iuſtus inueniatur aliquis, qui in aliquo non deficiat, & in vna vel altera actione fragilis eſſe naturæ oſtendat? Chaldæus myſterium aperit, quia ità legit. *Omne germen eius proficit*. Non itaque vult dicere Propheta, quòd ſit arbor aliqua, à qua vel vnum ſaltem folium non defluat; ſed eſſe arbores adeò proficuas, vt earum folia, quæ defluunt, vtilia ſint ad ſanandas plures infirmitates: & pari ſimilitudine omnes iuſtorum actiones eſſe adeò commodas, vt etiam illæ, quæ cadere videntur, & quæ reuera reſpectu illorum ſunt lapſus, reſpectu tamen noſtri medicinales ſint, & proficuæ: *Omne eorum germen proficit*. Vel folia, quæ propter infirmitatem humanam à Sanctis defluunt, nobis ſunt medela: quia ex illorum infirmitatibus noſtra ſæpè firmatur ſalus. Vndè Chryſolog. Serm. 91. lapſum Thomæ ponderans dixit: *Sanctorum lapſus nos erigit, trepidatio firmat*. Et D. Ambroſ. de negatione Petri locutus dicebat: *Ecce nobis nihil nocuit, quod negauit; ſed plurimum profuit, quod fleuit*. Idemque Regius Pſaltes de ſeipſo poſt lapſum, & ad pœnitentiam reductus aiebat: *Tanquam prodigium factus ſum multis*. Pſalm. 70. verſ. 7. (interprete Genebrar.) *factus ſum inſigne exemplum iudiciorum tuorum, ideſt, tuæ vindictæ, & miſericordiæ, & mea pœnitentia*. Quod planè veriſſimum eſt: etenim multis poſtea profuit conſiderare Regem ſanctum cecidiſſe, ex eo quod viſum non compreſſerit, vt oculos ſuos poſtea cuſtodirent. Quot ad ſuas culpas deplorandas incitauit pœnitentiæ iſtius Regis exemplum? Quot à diffidentiæ pelago eruit illius peccatum à Dei miſericordia dimiſſum? Quot infirmitates ſanauit illius infirmitas? Optimè dixit Eucher. ad c. 3. lib. 1. Reg. *Poſteris eius caſus medicina fuit, & illius naufragium fuit alijs portus: quia quibus ille vulneratus eſt, & emendauit, alij in eadem incidentes poſſunt vti vt medicina, & eadem emendatione ſanari*. Facilis ad gratiam reditus, & nos docet artem medendi, & illius ſanctitatem denotat, cuius vel in ipſis erratis ſigna agnoſcuntur, quia facilimè reſipuit, & ad meliorem frugem fuit traductus.

5. Hoc ipſum repetebat pœnitens Idem Vates. *Errani ſicut ouis, quæ periit, quære ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus* Pſalm. 118. verſ. 176. Hæc vox omnium electorum eſt (ait Caſſiodor.) ſed cur errores electorum ouium erroribus comparantur? Suſpicor, quia facilè ad rectam viam reducuntur. Hæc namque differentia eſt inter errores ouium, & cœterorum animalium ferocium, quod ouis, dum errat, balatum emittit, ad quem Paſtor accedens eam à periculis eripit, & ſibilo, aut baculo ad caulas reducit; taurus verò, vrſus, & cœtera animalia ferocia, dum errant, neque balatum emittunt, nec ſe facilè ſinunt à Paſtore reuocari. Sic iuſtus, & electus licet aliquando errent, reducenti non reſiſtunt, ſed maxima docilitate ſtatim ad rectam viam traducuntur, non immorantur in peccatis, quia ſic ad ea dilabuntur, vt in ipſis quodammodo diſpliceant. Hinc lucem capit difficillimus locus Ieremiæ Thren. 3. verſ. 19. *Recordare* (inquit) *paupertatis, & tranſgreſſionis meæ abſynthij, & fellis*. Mirabilis ſanè obſecratio, & quæ mentem inuerſam Prophetæ primo aſpectu oſtendit, nam iugiter Sancti preces fundunt, vt Deus non recordetur ipſorum delictorum. Sic Tobias cap. 3. verſ. 3. exorabat: *Ne reminiſcaris delicta mea, vel parentum meorum*: Et Iſaiæ (cap. 43.) vt ſingulare beneficium promiſit Deus, non vltra peccatorum populi recordari. Ac denique peccatorum obliuiſci, in gratiam redire eſt, vt Ezech. 18. verſ. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum, quas operatus eſt, non recordabor*. Quo ergo pacto obſecrat in præſenti peccator, quòd Deus tranſgreſſionis illius recordetur? Siquidem dum peccatum à memoria non excidat, & penitùs obliteretur, nequit ad gratiam redire? Lyra, & plerique ſic nodum ſoluunt, vt eruditis non ſatisfaciant, aiunt enim, accipi hic tranſgreſſionem paſſiuè. Quaſi dicat Vates, recordare paſſionis meæ, quam Chaldæi intulerunt mihi vltra modum, itaque tranſgreſſionem non pro culpa, ſed pro pœna accipiunt. Sed repugnat Hieronymus, qui apertè tranſgreſſionem legit, & culpam interpretatur. Vatem Deum deprecari, vt tranſgreſſionis, & culpæ recordetur, quia abſynthium, & fel tranſgreſſoribus fuit, ipſorumque guſtum exacerbauit. Quaſi dicat: Recordare Domine tranſgreſſionis meæ, appoſitiuè abſynthij, & fellis, quia hæc tranſgreſſio abſynthium, & fel mihi fuit, amariſſimum palatum reliquit, non enim in peccato complacui, licèt fragilitate ſim lapſus, hoc cum dolore, & mærore præſtiti. Fateor peccauiſſe, ſed cum amaritudine, comparationeque ad illos, qui in peccatis complacent, mitius mecum agendum eſt, proindèque oro, vt amaritudinis, quam in peccatis guſtaui, recorderis. Licèt enim iuſti quandoque errent, non delectantur in peccatis, ſed labia contorquent, & illorum amaritudinem præſentiunt. Ipſa errata tali modo committuntur, vt propheria

ſint

Digitized by Google

ſint emendationis, quia non gloriantur in malitia, ſed illam faſtidiunt, & detreſtant.

DISCURSUS II. MORALIS.

Dolendum maximè de Sacerdotum caſibus: quia eo periculoſiores ſunt, quo dignitas eorum eſt præſtantior.

1. Amarè dolet Propheta de exceſſu, quem commiſerat, & in pœnitentia ductus deplorat, quod malè de Deo ſenſerit, & locutus ſit, eo quod Dei miniſter erat, ignorantiam ſuam fatetur, & exaggerat, pro illiuſque venia preces fundit. *Oratio Habacuc pro ignorantijs*. hic verſ. 1. In quo ſanè nos condoleri docet de miniſtrorum Dei caſibus, de Sacerdotum erratis, quæ eo grauiora ſunt, quo eorum dignitas maior eſt. Turpiùs enim labitur, qui felicius ſteterat: infelicior caſus, qui ex altiori ſpecula contingit: grauior culpa, quam gloria anteceſſit: ex dignitate enim perſonæ indignitas creſcit peccati De extremo iudicio, in quo omnia hominum ſcelera ſunt ponderanda, & trutinanda eorum malitia, locutus Dauid dicebat: *Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia*. Pſalm. 49. verſ. 5. D. Chyſoſtom. auſpicatur, his verbis Angelis imperari, vt ſiſtant ad Chriſti tribunal Sacerdotes in primis ſceleratos, vt ſententia capitalis ſupplicij à Deo feriantur. At ſi mali Dei miniſtri, & qui à debita obſeruantia defecerunt ſiſti iubentur: cur Sancti appellantur? Cur Sanctorum numero adſcribuntur, & tali titulo nobilitantur, qui Deum habent infenſum, & ad gehennales pœnas vocantur? *Accuſationem augens* (ait Chryſoſtom.) *honorem adijcit ad maiorem ſignificationem ſupplicij*. Quaſi dicat: vt accuſatio augeretur, honoris commendatio anteceſſit: vt grauitas culpæ maior appareret, ſanctitas ſtatus, ac muneris excellentia fuit præmiſſa, quæ digna planè eſt, vt vehementi dolore ſentiatur. Augetur culpæ reatus, dum dignitas delinquentis extollitur: & quò ſublimior eſt, eò exitialiùs delinquentis eſt præcipitium.

2. Samariæ inuerſionem deplorans Oſeas dicebat: *Proiectus eſt vitulus tuus Samaria: iratus eſt furor meus in eos, vſquequo non poterunt emundari? quia ex Iſrael, & ipſe eſt: artifex fecit illum, & non eſt Deus*. Oſee 8. Dolentis, & contriſtati animi vox illa eſt: *Vſquequo non poterit emundari?* Et parentis, qui in poterumm, ac contumacem filium cogitur ſeuioribus agere ſupplicijs. Sed quę cauſa huius doloris eſt? Equidem id, quod ſequitur. *Quia ex Iſrael, & ipſe eſt: artifex fecit illum, & non eſt Deus*. Quaſi admiretur, & vehementer Deus doleat, quod non ab externo, ſed ab Iſraelita artifice monſtrum illud, cui Diuinum datum eſt nomen, & Diuinus honor exhibitus formatum ſit. Præſcriptum quippe fuerat Iſraeli, ne idola cuderet, neque apud illum vllum inueniretur ſimulacrum, cui nimirum Diuinos impenderet honores, & cum ipſe Gentium deriderct inſaniam, cum ſaxo, ligno, atque æri aliquid exiſtimarent ineſſe Diuinum (cui illud Dauidicum multum erat in ore. *Simulacra gentium argentum, & aurum opera manuum hominum: os habent, & non loquentur*. &c. Pſalm. 113. verſ. 4. & 5.) Tamen ab Iſraelita artifice vitulus efformatus eſt, ab illo adoratus, & in Diuinum ordinem adductus; vndè ſic ſuperdolet Deus, quod peccatum non ſolum ab exteris, & ſæcularibus, ſed ab ipſiſmet domeſticis, & Sacerdotibus committatur: hæc enim circumſtantia vltra modum crimen aggrauauit. Hinc enim eſt, quòd increpans idem Oſeas 10. verſ. 5. populum Samariæ de peccatorum grauitate dixerit: *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ, quia luxit ſuper eum populus eius, & æditui eius ſuper eum exultauerunt in gloria eius, quia migrauit ab eo*. Et quidem expenſione dignum eſt, quòd cum vitulus etiam fuiſſet in tribu Dan, illumque adorauerit, ſicut Bethel, ſolius Bethel meminerit Propheta. Sic enim habetur 3. Reg. 12. verſ. 28. & 29. *Habuit Rex* (ſcilicet Ieroboam) *conſilium, & fecit duos vitulos aureos, poſuitque, vnum in Bethel, & alterum in Dan*. Si ergò in Dan conſtitutus fuit vitulus, non ſecus, ac in Bethel, cur per quam rarò audimus aliquid in Scriptura de Dan; de Bethel autē frequentiſſimè idololatria repetitur, vt Propheta hic, & Ierem. 40. verſ. 13. *Confuſa eſt domus Iſrael à Bethel*. Atque ſæpè alibi? Communiter Expoſitores arbitrantur, rationem eſſe, quia locus Bethel magno erat in pretio, & religione apud Hebræos, propterea quod ibi Iacob in ſcala Dominus apparuit. Quare cum prius Luza diceretur, vocatus eſt Bethel, ideſt, domus Dei. Tanti autem fecit Iſraelitici generis Pater Iacob locum illum, vt non permiſerit, cum eò ventum eſt è Meſopotamia, aliquod à domeſticis idolum inferri. *Abijcite* (inquit) *deos alienos, qui in medio veſtri ſunt &c. Surgite, & aſcendamus in Bethel*. Nefas enim putabat vir ille ſanctiſſimus, quòd in domo Dei locus eſſet idolis, quid ergò non ferrent grauiter viri pij, ſi in Bethel, ideſt in domo Dei, vidiſſent aureo vitulo datum eſſe locum? Graue eſt enim vbicunque perſonarum inſidere ſordes (maximè eas, quæ à peccatis ſunt: atſi eæ in perſona Deo ſacrata ſint, longè grauius eſt; Vndè ſi Sacerdos ſæcularibus ſe ſordibus immiſceat, aliorum

rum peccata non recordamur: ſicut vitulus aureus in Bethel fecit, vt ille alter qui erectus fuerat in Dan, abiret in obliuionem, aut minor in eo videretur eſſe deformitas maximè enim à dignitate, & munere ingrāteſcit peccatum: & idcircò ſuper Sacerdotum ſcelera plorandum maximè eſt.

3. Poſtquam Ionas Dei mandatum adimpleuit, Niniuemque ad pœnitentiam induxit, & Dei miſericordiam ſuper illam deſcendiſſe, conſpexit, vehementi dolore, & anguſtia fuit contriſtatus, itaut mortem ſibi expoſceret. *Et affictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt, & orauit ad Dominum, & dixit: obſecro Domine: nunquid non hoc eſt verbum meum, cum adhuc eſſem in terramea? Propter hoc praeoccupaui, vt fugerem in Tharſis. Scio enim, quia tu Deus clemens, & miſericors es, patiens, & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia. Et nunc Domine tolle, quæſo, animam meam à me: quia melior eſt mihi mors quam vita*. Cap. 4. verſ. 12. & 13. Affectus ſanè admiratione dignus, & indignus Dei miniſtro. Cur Ionas contriſtatur, & mæret, poſtquam Niniuitas pœnitentes, & ad Deum conuerſos aſpicit? Etenim magna lætitia tunc debuit exultare, & magno gaudio perfundi propter honorem, & gloriam, quæ ipſi reſultabat ex Niniue conuerſione: nam quidquid Dei miniſter in populo Concionatoris munere proficit, in ipſius redundat honorem. Nunquid de fertilitate ſegetis triſtatur agricola? Aut piſcator dolet, quod multos piſces in ſagenam traxerit? Cur ergò Propheta de vbere fructu ſui laboris contriſtatur? Pulchrè Hieron. difficultati occurrit. *Non contr ſtatur, quod Gentium multitudo ſaluatur; ſed quòd videt gentem ſuam perire, & ſe de tanto numero Prophetarum electum, qui per ſalutem aliorum ruinam populi ſui nuntiaret, iam quodammodò de ſalute deſperans Iſraelis*. Non triſtatur Propheta de ſalute Gentium; ſed quia ex Niniuitarum conuerſione illi repreſentabatur, quam plurimùm agrauabatur peccatum ſui populi, quem tot Domini, & tam crebra miracula ſubijcere, & emollire non poterant. Ad eu n ſanè modum, quo nobilis homo ita de bonis gaudet vicini, vt illum pœniteat, ſi filios vicini benè moratos videat: non quod de alieno bono doleat, ſed quoniam illud bonum quod in alijs agnoſcit, ſuorum auget penuriam. Sic nimirum Niniuitarum conuerſio Ionam lætabatur propter illorum ſalutem; lacrymas verò, & afflictionem auxit, eo quod populi ſui ſcelera aggrauabant, & præcipuè ipſius Vatis inobedientiam. Ad hunc enim modum de Sacerdotis peccato dolendum eſt, quòd ſæpeſæpiùs optimi ſæcularium mores aggrauant, & confuſionem afferunt alterius obligationis perſonæ illam adimplentes his, qui à ſacro profeſſionis inſtituto deficiunt.

4. Acceſſit Chriſtus Dominus ad domum Marthæ, & Mariæ, quarum frater Lazarus erat mortuus, eique fit obuia Martha dicens *Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus*. Ioann. 11. verſ. 21. Hæſitantis in fide hæc verba ſunt. *Imperfectè credebat* (ait Lyra) *quia videtur innuere, quod non poſſet Chriſtus tantùm abſens, quantum præſens*. Corrigit ipſius errorem Seruator, & ſic edocta domum petit; exit poſtea ſoror altera Maria, & eiſdem verbis Chriſtum excipit. Verſ. 33. & 35. *Domine ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus*. Quibus auditis *infremuit ſpiritu, & lacrymatus eſt*. Ac vt quid nunc tot doloris ſigna exhibet? Nonne eadem vtriuſque ſororis verba ſunt? Si ergò idem error Mariæ, & Marthæ fuit, quomodo Martham tantummodo arguit, & cum Maria ingemit, & plorat? Arbitror; quia Martha vitam repreſentat actiuam, quæ propria ſæcularium eſt, & in quibus non mirum eſt, errores eſſe corrigendos, quoniam minus de Deo ſapiunt, minus ad ipſum accedunt; at quod idem defectus in Maria inueniatur, cuius præcipua occupatio eſt, ad pedes Chriſti eſſe, paſſim eum audire, ab eo internas accipere conſolationes, hic (inquam) error grauiſſimus eſt, & quem ita egrè Deus fert, vt vehementer doleat, & pro illo ploret, ac turbetur. Quod in ſæculari homine rebus temporalibus implicato, ambitio, odium, ignorantia, aut aliquis alius error inueniatur, materia reprehenſionis eſt: ad hoc tamen ſilet Chriſtus, quoniam aliquam excuſationem habet; at cum Sacerdos Dei miniſter, qui ad ipſius pedes frequenter ſedet, eumque iugiter audit, eoſdem habet defectus, magnum dolorem Deo excitat, ſuper ipſius errores Chriſtus lacrymatur, vt nobis dolendi ſuper huiuſmodi euentus præberet anſam.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Humilitas oculatiſſima virtus, quæ ſuperbis abſconduntur rimatur myſteria.

1. INſana ſuperborum arrogantia peruerſo tumore cæcutit, & ad omnia torpet. Humilitas perſpicax dum deſcendit, oculos acuit, & abſtruſa quæque cognoſcit. Illa etenim deiectio, quæ propudioſa ſuperbis eſt, & è qua nimis erubeſcunt, Deo plurimum arridet, illamque ſtrictiſſimè amplexatur, & ad penetralia quæque, & recondita ſui pectoris ſacramenta agnoſcenda introducit. Humilitatis arbitrio omnia deteguntur myſteria, & nullum ita reconditur, quod non illud rimetur aquilina Humilitatis perſpicacia. De hoc (inquam) Humilium priuilegio gratias age-

agebat Chriſtus Dominus Matth. 11. verſ. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine Rex cœli, & terræ: quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis*. Ad quæ verba dubitat Magnus Gregorius lib. 27. Moral. cap. 7. cur Chriſtus dixerit: *Reuelaſti ea paruulis*, & non ſtultis? Hoc enim magis commendare videbatur reuelationis priuilegium: nam quo ſtulti magis diſtant à cognitione eorum, quæ reuelantur, eò maior eſſet gratia. Vt quid igitur huiuſmodi myſteria non ignorantibus reuelari dicuntur, ſed paruulis? Aut paruuli ignorantes nuncupantur? Pulchrè Gregor. acumen hic Humilitatis agnouit. *Quia non ſubiunxit* (inquit) *reuelaſti ſtultis, ſed paruulis, tumorem ſe damnaſſe innuit, non acumen*. Etenim ad Diuina agnoſcenda myſteria magnum Humilibus ineſt acumen. Non ſtultos, neque inſipientes Humiles nominauit, ne de ipſorum perſpicacia dubitaretur, & tantum maneret, eos oculatiſſimos eſſe ad præexcelſa quæque percipienda myſteria. Sicut enim in ſuperbis, & arrogantibus mentis cæcitas, & hebetudo aditum præcludit, etiam ad obuia intuenda: ſic Humilitas oculos acuit ad remotiſſima, & abſtruſa inſpicienda; vnde Gloſ. Moralis ad præcitata verba dixit. *Magnus honor ex hoc eſt Humilibus veris, qui ſunt de ſecreto conſilio ſummi Regis*. Vt enim Reges, & Principes iis, qui de illorum ſunt ſecreto, omnia reuelant, nihil abſcondunt: ſic Humilibus omnia Deus ſecreta ſua manifeſtat, quia nihil poteſt ipſos latere Humilitatis perſpicatia munitos.

2. De ſua Humilitate plurimum gloriatus Dauid dicebat: *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me: ſi non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam: ſicut ablactatus eſt ſuper matre ſua: ita retributio in anima mea*, Pſalm. 130. verſ. 1. Genebrard, & plerique alij Interpretes hanc vltimam comparationem ad primam partem præcedentium per hyperbaton referunt, & ita textum contexi, reputant. *Si non humiliter ſentiebam, ſicut ablactatus apud matrem ſuam, ſicut infans, qui vix de mammis depulſus eſt ſuper matris gremio; talis enim ſolet eſſe humilis, omnia à matre expectare, quod nondum corpus curare, neque ſine alterius adminiculo pedibus inſiſtere valeat*. Aliter tamen ſentio, & ſuſpicor: exprobrare ſibi Dauid ablactati infantis ſupplicium, ſi ſuperbus, & non humilis extitiſſet. Quaſi diceret: Domine ſi non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam, ſit mihi retributio, ſicut ablactato à matre infanti ſolet retribui. At quæ hæc exprobratio, & maledictio eſt? Quam energiam huiuſmodi includit imprecatio? Illam ſcilicet qua arrogantes puniuntur. Nam mater lac præbet filio, dum paruus eſt; at quandò magnus ei, hoc nutrimentum ſubtrahit. Sic Deus (cuius genium Vates optimè nouerat) myſteria, & dona ſua humilibus præbet: ſuperbis, & arrogantibus denegat. Exprobrat ergò Dauid maledictionem ablactati, ſi non eſſet humilis: hoc eſt, Dei ſecretis, ac myſterijs non lactari, quæ ſolis humilibus conceduntur; ſuperbis & elatis obnubilantur. Quo ſpectat illud D. Auguſt. Serm. 27. de verb. Domin. loquentis de Magdalena. *Sedebat* (inquit) *ad pedes capitis noſtri: quantò humiliùs ſedebat, tantò ampliùs capiebat: confluit enim aqua ad humilitatis conualles*. & Serm. 74. de temp. *quantò humilior, tantò capacior, tantò plenior: colles enim aquam repellunt, valles implentur*. Ampliſſimam humilitas habet capacitatem, & quantò in ſe præcingitur, & contrahitur, tantò ab alia percipienda fit amplior ad ipſamque replendam omnia diuinæ gratiæ dona concurrunt. Sicut ne vacuum detur in natura, contendunt omnes res replere illud ſpatium, quod vacuum ſine illarum concurſu eſſet: ſic quem gratia vidit mentè humilem, & propria æſtimatione vacuum, ſuis donis replet, quia ad ipſam ſpectat prouidere, ne in ordine ſupernaturali vacuum reperiatur. Quod optimè notauit Beatus Laurentius Iuſtinianus cap. 3. de humilitate. *Sicut non patitur natura vacuum, quin illud repleat: ſic nec gratia humilem, quin illi ſe infundat*.

3. Cum Moyſes oues paſceret ſoceri ſui, & vidiſſet rubum ardentem, & non combuſtum, velletque rei admiratione attonitus illùc accedere, eſſetque prohibitus à Domino. *Ne appropies huc*. Exod. 3. verſ. 5. Abſcondit faciem ſuam, oculoſque velauit, & ſtatim ait illi Deus: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto* &c. inib. verſ. 7. Cur Moyſi qui paulò antea accedere ad Deum prohibetur, nunc magnum, & arcanum rubi myſterium reuelatur, aliaque plurima, quæ in gratiam populi ſui operatus eſt Deus? Opertis oculis videt, quod apertis ignorabat, & obuelata facie intuetur, quod expeditis luminibus non callebat? Ità equidem (ait Lyra.) *Quandò Moyſes curioſè ſe non ingeſſit, ſed humiliter faciem ſuam abſcondit, tunc Dominus ei reuelauit: quia abſcondit talia è ſapientibus & prudentibus: & reuelat ea paruulis*. Humilitas, qua Moyſes ſe ipſum agnoſcens deſiſtit à myſteriorum, cognitione, ipſius oculos acuit, & tunc cum illos operit, de arcanis, & mirabilibus myſterijs eruditur: quia propriæ vilitatis cognitio mentis oculos aperit, & abſtruſa quæque perſpicaci intuitu penetrat; vndè B. Albertus Serm. in Dom. 5. Adn. animæ oculum, & lumen quo omnia reſpicit, humilitatem vocauit. *Humilitas* (inquit) *eſt oculus animæ, per quam homo conditionem ſuam, ac ſtatum ſuum veriſſimè recognoſcit*.

4. Vt cæcum à natiuitate Chriſtus ſanaret, in quem nulla culpa priuationem lucis induxerat, in terram exſpuens, & collyrio ex luto ſa-

to facto liniuit oculos lumine orbatos, & ad viſum reſtituit. *Hæc cum dixiſſet, exſpuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius, & dixit ei: vade, laua in natatoria Siloe (quod interpretatur miſſus) abijt ergò, & lauit, & venit videns.* Ioann. 9. verſ. 6. & 7. Quis non miretur, quod cæcus reddatur videns illo ipſo, quo obcæcari poterat? Vt quid ad reſtitutionem luminis luto vtitur Chriſtus, quod ad illud extinguendum, & ſordidandum videbatur aptius? Sic rerum naturas Deus inuertit, vt ad contraria munera eas aptet? Cur non aliquandò medicamento oculis familiari vtitur, ſed viſionis effectui, quem prætendit oppoſito? Egregiè hic Ambroſ. oculatiſſimam humilitatis naturam agnouit, ſic enim habet libr. de Viduis. *Alij oculos luto illinit, vt videre poſſet, Creatorque omnium docet nos, noſtræ memores debere eſſe naturæ, & corporis cernere vilitatem: nemo enim magis poteſt videre Diuina, niſi qui humilitatis ſuæ conſcius neſcit extolli.* Modica vis ad oculos acuendos in luto aderat, quia humilitatem exprimebat, quæ lumine ſuperno mentem perfundit, vt diuina, & abſcondita poſſit intueri. Etenim, qui propriæ vilitatis luto mentem illiniunt, & ſe ipſos humiliter deprimunt, oculos aperiunt, & argos æmulati naturam vndique illos habent, vt nihil ipſis lateat, nihil non perſpiciant. Vel quæ ſcire refugiunt, ipſis nota fiunt.

5. Ægrè ferens Moyſes populi peruicaciam ad ipſius gubernationem coadiutores poſtulat: annuenſque Deus ipſius deſiderio abſtulit de ſpiritu eius, & dedit ſeptuaginta viris qui ſtatim prophetarunt, vt Dei decreto muneri gubernationis oſtenderentur præordinati. Remanſerant autem, cum hæc accidebant, in caſtris duo viri Eldad, & Medad, ſuper quos etiam requieuit ſpiritus Domini. *Cumque prophetarent in caſtris, incurrit puer & nuntiauit Moyſi dicens: Eldad & Medad prophetant in caſtris.* Num. 11. verſ. 27. Quærunt interpretes: cur hi duo viri vaticinati ſint, cum non eſſent de numero ſeptuaginta virorum, neque ſe ingerere intendiſſent populi gubernationi? Cur diuina myſteria reuelantur, & propheticus ſpiritus illis infunditur, qui neque Moyſis electione, neque ipſorum negotiatione ad populi regimen vocabantur; quinimò illud reſpuebant, ſiquidem in caſtris manſerunt recluſi, ne illorum recordaretur Moyſes dum electioni intendebat? Tempeſtiuè Lyra difficultatem ſoluit. *Remanſerunt* (inquit) *non ex contemptu, ſed ex humilitate, reputantes ſe indignos tanta promotione; & ideò receperunt donum Dei, ſicut & alij.* Humilitatis aſſecla prophetica virtus eſt, quæ acutiſſima perſpicacia omnia intuetur. Qui ſe indignos reputantes ad caſtra confugerunt humiliter de ſe ſentientes ſpiritu prophetiæ donati repentè inueniuntur: quia dignitas, quam refugit humilitas, ipſam inſequitur; & humiliatus animus, vel cum oculos obtenebrare ſatagit, oculatiſſimus eſt, & ſupra luce perfuſus. Diuinarum rerum cognitio humilibus defertur, & illis denegatur, qui humilitatis expertes ſe efferunt, & extollunt; vndè cum Vates noſter minus de ſe ipſo humiliter ſentiebat, ad Diuina, obcæcatur, & aliter (ac par erat) de Deo fuit locutus; verùm cum ſe ipſum agnoſcit, & ſuam ignorantiam confitetur, Diuino lumine eleuatur, & myſteria Dei altè penetrans ea mirificè in ſuo Cantico exponit, cui humilitatis titulum præfixit: *Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantijs.*

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Ad fortius reſurgendum prodeſt aliquandò corruiſſe.

1. SIcut ad valetudinem conſeruandam quandoque iuuat ægrotaſſe, & victum eſſe ad vincendum, ſic multoties peccaſſe prodeſt ad peccata deinceps amputanda, corruiſſe ad fortiùs per pœnitentiam reſurgendum, in Diuino obſequio obdormijſſe ad cautiores de cætero vigilias obeundas. Quod mirè in noſtro Vate inſpicitur, nam ſemel lapſus, caſum poſtea detrectans, validus & in ſe ipſum, & in Dei hoſtes inſurgit, & ſurgit fortior ab ignorantia, quam antè incurrerat, & ipſam confitetur. *Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantijs.* Erigitur per pœnitentiam, & & reſipiſcens ſe ipſum ſuperat innocentem. Licèt enim communiter melior ſit innocentia, quam pœnitentia, ſicut melior eſt veſtis integra, quam diſſuta, & ſciſſa, tamen tam ardens, & efficax poteſt eſſe pœnitentia, vt innocentia ſit præſtantior, ſicut veſtis ſciſſuræ (ſi aureis funiculis, & pretioſis gemmis copulentur) pulchriorem reddunt veſtem ipſam, quam ſi tota ſana, & integra fuiſſet. Vndè rectè dixit Ambroſ. in pſ. 37. *Etſi peccaui, tu peccatum dimittis, etſi ego cecidi, tu reſuſcitas, ne habeant, vnde exultare poſſint, qui peccatis lætantur alienis, plus enim acquiſiuimus, qui plus peccauimus, quia beatiores facit tua gratia, quam noſtra innocentia.* Sic ſolet contrita deuotio culpæ maculas abſtergere, vt non ſolum integra reſtituatur puritas, ſed & candorem integrum innocentiæ imitetur. Vndè Iſaiæ 59. verſ. 20. de Chriſto Domino dicitur: *Et veniet Sion Redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob.* Vbi Lyra interpretatur: *Venit etiam ad accipiendum pœnitens in ſua miſericordia.* At cur æquè Redemptor mittitur ad Sion, quæ innocentem ſignificat, & ad redeuntem ab iniquitate in Iacob, qui peccatorem denotat pœ-

Digitized by Google

nitentem? Cur innocens, qui nunquam deliquit, peccatori conuerſo non præfertur? Optimè Oleaſter in comment. huius loci. *Et vide* (inquit) *quod illemet Redemptor, qui mittitur ad Sion, mittitur etiam ad eos, qui ab iniquitatibus reſipiſcunt, vt cognoſcas reſipiſcentiam à veſtigio innocentiam ſequi*. Perfecta pœnitentia nitorem innocentiæ æmulata ipſius valorem aſſequitur, & aliquando ſuperat.

2. Bis præcepit Deus Ionæ, vt prædicaret Niniuitis, primò ipſius obedientiam fugit, & iactatus in mare, in ventreque Ceti receptus, ad littus tandem peruenit. Secundò, cogente Deo, obediuit, & ad Niniuen peruenit ciuitatem ampliſſimam, de cuius magnitudine ſic loquitur text. Sacer. *Et Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum*. Ionæ 3. verſ. 3. & 4. Hanc autem ciuitatem penetrauit Ionas, & vnius diei itinere illam peragrauit. *Et cœpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius*. Non cohærere videntur, quæ textus affirmat, nam ſi ciuitas itinere trium dierum erat, quomodò vno die tam longum iter conficere potuit Propheta? Nullo enim pacto valet homo pedibus incedens, tam longum iter in tam breui tempore ſuperare. Accedit, quod Vates ad prædicationis munus obeundum opus habuit, aliquam moram facere, vt excidium ciuitatis diuulgaret. Quo ergo pacto viginti quatuor horarum ſpatio quindecim leucas, quas menſura ciuitatis includebat, peregit, & totam ciuitatem prædicans ambulauit? Hieronym. venuſtiſſimè ad myſticum ſenſum Prophetæ iter inflectit. *Præcepti memor* (inquit) *& ſuperioris naufragij non oblitus, viam trium dierum vnius diei feſtinatione compleuit*. Ocyſſimo volatu pœnitentiæ pennis ad gratiam properauit Propheta, & breuiſſimo tempore longum iter perfecit, & quod greſſibus communibus trium dierum ſpatio ambulatur, pœnitentiæ pernicitate in vno peragitur, quia ſæpè pœnitens (qualis erat Vates) peccati anteacti memor feruentiùs reſipiſcit, & ad maiorem ſtatum gratiæ reſurgit. Quod innocentia paulatim acquirit, pœnitentia ſubitò aſſequitur, memoria enim præteritę offenſæ ſtimulus eſt in diligente ad vehementiùs amandum.

3. Semel, iterum, & tertiò Petrum Chriſtus interrogat, an ipſum amet. *Dixit Simoni Petro IESVS: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei; etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Etiam Domine tu ſcis, quia amo te. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis, diligis me?* Ioan. 21. verſ. 15. 16. & 17. At quid Chriſtus interrogat, quod ipſe iam ſciebat, & Petrus pia audacia, qua cæteris præcurrebat, ſatis manifeſtauerat? Præterquam quod ſi ipſum ſui amoris profeſſorem audire voluit, ſat eſſet, ſemel interrogare. Ad quid igitur trina interrogatione ipſum examinat? Venuſtè Aug. Tractat. in Ioan. 123: ſciſcitationem triplicem cum triplici negatione confert. *Tertiò vtrum Petrus eum diligat, Dominus interrogat, redditur enim negationi trinæ, trina confeſſio*. Orat Petrum Chriſtus: *Diligis me plus his?* Amare autem Deum vltra Apoſtolorum Proceres ardentior charitatis feruor eſt, conſultiſſimè ergo Chriſtus, cum excelſiorem expetit charitatis affectum in Petro, ipſi refricat trinę negationis memoriam, vt aſpectu ad delicta, quorum amarè pœnitet, ſic accendatur amor, vt audacter poſſit coram reſpondere, ſe plus omnibus Chriſtum diligere. Quod ex vocula *etiam* rectè colligit Maldonatus. Calcar enim amoris eſt olim immaniter offendiſſe, quem nunc peramanter diligis. Ideo Chriſtus ter Petrum interrogat, an ipſum amet, vt trinæ negationis recordetur. (*Redditur enim negationis trinæ, trina confeſſio*.) Vt pœnitentiæ lacrymis ignem amoris foueat, & vehementiùs excitet, quia à pœnitentiæ feruore ſæpè ad culmen perfectionis deuenitur, & cecidiſſe iuuat ad fortiùs reſurgendum. Hinc ipſi Petro alibi dixit Chriſtus: *Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribaret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*. Luc. 22. verſ. 31. At quomodò Chriſtus pro Petri fide rogare pollicetur, ſi vix hæc verba protulit, cum Petri fides titubauit? Nullius enim energiæ oratio Chriſti videtur, ſiquidem paulò poſt columna illa, quam immobilem eſſe promiſerat, contremuit. Egregiè D. Hilarius lib. 10. de Trinit. nodum extricat. *Sed orat, vt Pater in nomine ſuo ſaluet ipſum, & adeo ſaluat, vt Petri fides, pœnitentia ſubſequente, non deficiat*. Etſi Petrus nutauerit in fide, non vana Chriſti oratio fuit, ſed efficax, quoniam ipſa pœnitentiam Petri promeruit, quæ illum ad antiquum gratiæ ſtatum reſtituit, & adeo pura, & expurgata eius fides, pœnitentiæ lacrymis remanſit, veluti ſi ſemper ſtabilis foret, ſi nunquam vacillaſſet. Nam pœnitentia artificium eſt redintegrandi gratiæ ſtatum, & illum firmiùs ſtabiliendi: quia quaſcunque degeneres notas delet, & innocentiæ puritatem inſtaurat.

4. Regredienti Prodigo ad paternam domum occurrit miſericors Pater, & antequam ipſius nuditas ſeruis innoteſceret, illum indui pretioſis veſtibus procurat. *Citò* (inquit) *proferte ſtolam primam, & induite illum*. Luc. 15. verſ. 22. Cur filium vitijs implicatum, & perditiſſimæ vitæ deditum ſtola prima indui ſatagit? Nonnè alia quęcunque opportuna erat ad eum induendum, qui ſciſſa, ac diſſuta veſte ad domum redibat? Qui patris gratiam tot flagitijs demeruerat, tam citò in paterno fauore excipitur, & ad primam gratiam aſſumitur? Ita enim (ait Enodius) nam ſemel ad pœnitentiam traductus amorem aſſequitur, quem perdiderat, & ad totam paternæ domus poſſeſſionem reſtituitur, quaſi nunquam deliquiſſet.

Digitized by Google

quiſſet. *Ad ſtolam candidam, ad annulum pretioſum, ad diuitias illas paternæ poſſeſſionis, quaſi ſemper ſeruaſſet iuſſa, reuocauit.* Non quacunque veſte pœnitens induitur filius, ſed prima, quæ nitorem innocentiæ reuerberabat. Vndè videns filius maior, quanto honore pius pater reuertentem prodigum ſuſceperat: *Indignatus eſt, & nolebat introire.* Ib.v.28. Quæritur ab Interpretibus, an inuidia afficeretur ſenior frater dolens de proſpetis iunioris, & communiter fatentur omnes, non inuidentis illa verba eſſe: quia nullus Sanctorum mœret de aliorum fœlicitate, quinimò aliorum bona ſua exiſtimat. Ille autem maior filius iuſtus erat, ac ſanctus, vt rectè colligit Caiet. ex ipſius verbis: *Nunquam mandatum tuum præterivi.* Cur ergo de gratia quam apud patrem inuenit prodigus, indignari dicitur? Audiendus eſt Chryſoſt. in Catena adductus. *Introducit alios turbatos in eorum bonis, vt indicet eos non liuore tabeſcentes, ſed tantò decore honoratos redeuntes, vt etiam inuidioſi poſſint alijs fieri.* Eſt & in iuſtis æmulatio, ſed ſancta, & proficua, qua excellentiori virtuti inuident, adeòque prodigum venuſtauerat pœnitentia, vt ſeniori fratri inuidioſus extitiſſet, quia ſic honorantur pœnitentes, & ad talem pulchritudinis gradum reſurgunt, vt innocentes in gratia ſuperent, ipſiſque inuidendi anſam præbeant, quia non modò dedecus abolueré præteritum, ſed nullam eius notam reliquere.

5. Apocalypſ. 14. verſ. 4. de numeroſa illa turba, quæ Chriſtum ſequebatur, dicitur: *Et nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra: hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt.* Meritò hic ambigitur, an illi tantùm, qui virginitatem corporis ſeruare ſtuduerunt, laudes Deo decantent, & qui vxores duxerunt ab illis arceantur, ſiquidem tantùm de virginibus laudes decantaſſe dicitur? Et vno ore omnes fatentur, etiam vxoratos laudibus incumbere Diuinis, ipſiſque nunquam ſatiari, ſicut & Dei viſione ſaturari nunquam, & quantò proximiores Deo ſunt ſecundum meritorum qualitatem, tantò feruentiùs ad ipſius laudes prouocari. Quis D. Petrum, & alios Sanctorum Proceriores, qui virginitatem non obſeruarunt à pueris, & alijs longè in ſanctitate inferioribus in Dei laudibus ſuperari dicet? Imò nec Deum laudare, quia virgines non ſunt? At ſi dicantur omnes in beatitudine illud nouum canticum Deo dicere, vt verè dicendum eſt, quomodò ſi in illa ſuperna patria diuerſi ordines ſunt, vt Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, & Virgines, omnes Sanctorum animæ virgines eſſe dicuntur, & taliter virgines, vt cum mulieribus coinquinatæ non ſint? Optimè Ambroſ. ad hunc locum difficultatem exarmat. *Fuerunt etiam multi, qui poſt baptiſmum multa ſcelera commiſerunt: ſed cum per pœnitentiam, & lachrymas malum, quod geſſerunt, delere ſtuduerunt, & in bono propoſito perſeuerauerunt, Domino veniente, eorum animæ virgines repertæ ſunt; quidquid in eis fuit reprobum, charitatis remedijs eſt purgatum: iſtorum igitur animæ rectè virgines vocantur: quia ſi quas ſordes ex coniunctione fœminarum traxerunt, bonis operibus deletum eſt.* Pœnitentia enim virtutes de nouo cudit, vitia obliterat anteacta, virginitatem redintegrat: & ideo quæque animæ pœnitentiæ lacrymis purgatæ virgines dicuntur, & ſi antea fuiſſent carnis illecebris pollutæ; quia ad priſtinum innocentiæ ſtatum pœnitentia reuocat, ita vt à memoria excidat, quidquid gratiæ ſtatum peruertit.

6. De Regibus Iuda loquens Eccleſiaſticus omnes fuiſſe flagitijs implicatos affirmat. *Præter Dauid* (inquit) *& Ezechiam, & Ioſiam* cap. 47. & 48. Non parua hic oritur difficultas: nam non apparet via, qua prædicta verba poſſint verificari, ſiquidem Dauidis peccata notiſſima ſunt, & Ezechiam in iactantiæ peccatum fuiſſe prolapſum propter victoriam partam ab Aſſyrijs, ob quod grauiter ægrotauit, vt habetur Iſaiæ 38. & omnes fatentur Interpretes. Quo ergo pacto omnes Iſrael Principes peccaſſe dicuntur præter Dauid, Ezechiam, & Ioſiam? Rectè Rabanus difficultati occurrit. *Iſti tres dicuntur non peccaſſe, non ſimpliciter, ſed aliorum comparatione: quia quod peccauerunt, condigna pœnitentia deleuerunt, & deuotionis, ac pietatis officio Domino placuerunt.* Non vltra Deus recordatur peccatorum, quæ pœnitentia obliterantur: quia tantum illius oculos occupat, & allicit officioſi, ac pœnitentis animi pulchritudo, vt illius intuitu nequeat peccati deformitatem reſpicere, nec pœnitentiam venuſtiſſimis gratiæ dotibus non exornare. Inter recentem ſceleris turpitudinem futuram proſpicit pœnitentiam, & illius aſpectu ad munera exhibenda fertur.

7. Poſtquam Iſraelitæ horrendum illud idololatriæ genus commiſerunt, vocauit Dominus Moyſem, ipſique præcepit feſtinanter populum educere in terram, quam erat pollicitus. *Vade, aſcende de loco iſto tu, & populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti in terram, quam iuraui Abraham, Iſaac, & Iacob.* Exod. 33. verſ. 1. Quis non expectaret, populo grauiſſimum euenturum ſupplicium poſt immane idolatriæ flagitium? Et tamen terræ promiſſæ poſſeſſionem feſtinat Deus ipſis porrigere, poſtquam in ipſum ingratiſſimi extiterunt. Felix culpa quæ tanto remuneratur beneficio: Apagè, vbi eſt Dei iuſtitia, quod nondum expiato delicto delinquentem honorat, & coronat crimen? Quid plus ipſis contuliſſet, ſi vt par erat, ipſius mandata obſeruaſſent? Criminoſum populum introducit in terram affluentem delitijs, & cæleſtem pa-

triam referentem? Egregiè Oleaſt. pro Dei iuſtitia decertat. *Nunquam* (inquit) *hucuſque legimus, Deum feſtinaſſe, & vrſiſſe ſic Iudæos ad terram promiſſam, quemadmodum nunc poſt peccatum: vt intelligamus peccatores ſæpius ad maiora dona, quam antè peccatum habuerant, reſurgere.* Præuidebat Deus populi reſipiſcentiam, & crimen commiſſum pœnitentiæ piaculo expurgandum: huiuſmodi autem intuitu oculos ab idolatria auertit, & populum remunerari feſtinat præſagijs ipſius profectus, qui ſæpè maior eſt ex incedentia, & ad meliorem frugem reducit errantem. Sic vbi Paſtor ille, qui deperditam ouem quærere aduenerat, illam inuenit, *impoſuit ſuper humeros ſuos gaudens &c.* Lucæ 15. verſ. 5. Forſitan ſi ouis non erraſſet, pedetentim ad paſtorem veniret: ſed quoniam perdita errorem agnouit, & de ipſo vehementer doluit, non tulit Deus illam aliter, quam ſuper eius humeros ambulare. Quod eleganter notauit D. Gregorius hom. 34. in Euang. ad illa verba, *Gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Quia dux* (ait) *in prælio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reuerſus hoſtem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga præbuit, & nuſquam aliqua fortiter geſſit: ſic agricola illam amplius terram amat, quæ poſt ſpinas vberes fruges profert, quam eam, quæ nunquam ſpinas habuit, & nunquam fertilem meſſem producit.*

DISCURSUS V. MORALIS.

Chriſtiani vel à vitijs abſtinere debent, ne Ethnicos ad nefandas blaſphemias inducant.

1. MInus deploranda eſſent Chriſtianorum flagitia, ſi vel intra Eccleſiam manerent: neque illi, qui ſunt à Chriſti fide alieni, agnoſcerent morum noſtrorum turpitudinem, quo & nomen, quod eſt ſuper omne nomen, polluitur in Gentibus, & ipſi ab eiuſdem fidei ſuſceptione vehementer alienantur: nec enim adducuntur, vt credant probabilem, ac ſuſcipiendam religionem eſſe, quæ tam deprauatos habeat cultores. Maximè ſibi gratulantur Hæretici, & Gentiles, cum eoſdem mores in Eccleſia vident, ac in ſeipſis, & Euangelicam rationem contemnunt, dum ipſam ſceleribus pollui, conſpiciunt. Vndè Saluianus lib. 4. in eos inuehitur Chriſtianos, qui ſuis flagitijs occaſionem præbent Ethnicis nefarias blaſphemias euomendi: nam inſultantes illos exprobrant, quos publicè vitioſos vident. *Vbi eſt Catholica lex, quam credunt? Vbi ſunt pietatis, & caſtitatis præcepta, quæ diſcunt? Euangelia legunt, & impudici ſunt. Apoſtolos audiunt, & inebriantur. Chriſtum ſequuntur, & rapiunt. Vitam improbam agunt, & probam legem habere dicunt. Talis profectò ſecta eſt, quales & ſectatores. Hoc ſunt abſque dubio, quod docentur. Apparet Prophetas, quos habent, impuritatem docere: & Apoſtolos, quos legunt, nefaria ſenſiſſe: & Euangelia quibus imbuuntur, hæc quæ ipſi faciunt, prædicare. Sancta à Chriſtianis fierent, ſi Chriſtus ſancta docuiſſet.* Sic Ethnici apud Saluianum. Quorum tam atroces blaſphemias, quæ religioſæ aures non reſpuant, non horreant, non deteſtentur? Sed multò magis deteſtanda ſunt illorum opera, quæ illis blaſphemijs, & conflandis, & eiaculandis occaſionem præbuerunt. Quæritur ab Interpretibus, propter quid Dauid ſublato filio ex Berſabea, quem vita ipſa habebat chariorem, grauiſſimè à Deo puniatur? An propter adulterium? An propter homicidium? An quia vtroque ſimul iniuſtitiæ, atque intemperantiæ flagitio ſeipſum ſordidaret? Et videtur propter nullum horum fuiſſe punitum: nam confeſſione ea deleuerat: vndè audiuit, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* 2. Reg. 12. Vndè igitur tam acriter punitur, niſi propter vnicam huius ſceleris circumſtantiam, nempè, peſſimum exemplum in Diuini nominis opprobrium redundans, vt Nathan ipſi nunciauit. *Quoniam blaſphemare feciſti inimicos, Domini propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur.* Ibid. verſ. 14. quod Saluianus citatus rectè expendit. *Qui æternam* (inquit) *pro offenſionibus ſuis pœnam per vnam tantum confeſſionem, meruit euadere: huius tamen criminis veniam, nec per pœnitentiam patrocinantem potuit impetrare.* Ex quo intelligitur, nullum eſſe execrabiliùs flagitium, quam blaſphemandi cauſam infidelibus præbere: tum ex aliorum damno (vt probat Saluianus. *Quia multos ſecum præcipitat in mortem, & neceſſè erit, vt ſit pro tantis reus, quantos ſecum traxerit in reatum*) cum etiam ex Diuini nominis contumelia: nam qui peccat ſine offenſione aliorum; *Sacroſanctum Dei nomen* (pergit Saluianus) *ſacrilega blaſphemantium maledictione non lædit: qui verò blaſphemare alios fecerit, per conuitia plurimorum inæſtimabilem Deo facit iniuriam.* Occaſionem enim præbent, vt de Deo malè ſentiant Chriſtianæ profeſſionis hoſtes, & ſeipſos excuſent aſſerentes neſcire Deum amicos eligere, ſed potiùs eius dona perperam dediſſe: nec plurimum eſſe eos peruerſos, ſiquidem Dauid, qui Deo charus, & tot habebat motiua, vt bonus, & gratus eſſet, adeò magnus peccator extitit. Ac denique quod Deus terribilis eſt, ſiquidem cum amicis adeò eſt infelix, vt etiam ſtrictiſſimus ab eo diſcendat.

2. Tem-

Digitized by Google

2. Tempore Roboami duodecim tribus diuiſę ſunt; illi duę tantùm remanſerunt, & decem Ieroboamo, quę ſemper idololatrię ſeruierunt, tametſi Deus ſemper illis veniam promiſerit, ſi à peccatis vellent reſipiſcere, vt indicant verba illa Ieremię 3. verſ. 22. *Conuertimini filÿ reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras*. Non tantùm autem Roboam, verùm & ipſe Deus cum duabus tribubus remanſit, quibus innumera pręſtabat beneficia: vt vel ſic decem tribus inuidia allectę à ſceleribus innumera præſtabat beneficia: Quantùm ergo Deus maiora illis conferebat beneficia, tantò extitere ingrati: & tandem cęteris tribubus ſimiles fuerunt idolis ſeruientes: de quo maximè conqueritur Deus, Prophetęque dixit. *Iuſtificauit animam ſuam auerſatrix Iſrael comparatione præuaricatricis Iudæ*. Ib. verſ. 11. Quaſi diceret: quod vehementer doleo, id eſt, quod ad vmbram idololatrię Iudę omne ſcelus ſuum iuſtificabit Iſrael: etenim dicent nunc Iſraelitę, non mirum eſſe, eos in idololatriam fuiſſe prolapſos, cum Iuda (cuius ego adeo ſpecialem curam habebam) etiam fuerit eodem crimine polluta; & quod ſim Deus rationis expers, quem nullus ſuſtinere poteſt, ſiquidem à me omnes diſcedunt, & adhuc Iudę tribus, cui tot pręſtabam beneficia, idolis inſeruiuit. Non ſecus, qui Chriſtianam religionem profitentur, & moribus ipſi contradicunt, infidelium peccata iuſtificant: nam cum ipſi viderint, quam diſſimiliter operantur Catholici ab eo, quod credunt, & ſperant, ſuorum criminum excuſationem habent, nec pudet ea patrare, quæ arctioris religionis profeſſores perpetrant. Hinc loquens idem Vates de flagitijs Iudę, & Iſrael dixit cap. 32. v. 30. *Erant filÿ Iſrael, & filÿ Iuda iugiter facientes malum in oculis Dei*. Vertunt 70. *Soli facientes malum*. Num & aliæ gentes eo tempore quo Iſrael, & Iuda peccauerunt, malum non fecerunt, quod ipſi ſoli peccaſſe dicuntur? Vtique & omnes gentes eo tempore plurima flagitia corruerunt. Quo ergo pacto Iudæ, & Iſrael tribus tantum peccauerunt? Audi Hieronym. *Qui non habet notitiam Dei, & recedit ab eo, ſolus peccat in oculis Dei: qui verò increduli permanſerunt, quaſi illo non vidente, & negligente relinquunt*. Soli peccare dicuntur, qui Dei vbique pręſentes oculos non reuerentur, quaſi cæteri præ illis minimè peccent. Chriſtianorum enim peccata oculos Dei lædunt; ifidelium autem non ita: quoniam fidelium flagitijs ad delinquendum inducuntur Ethnici, & excuſationem habent de peccatis ſuis.

3. Hinc citiùs, & acerbiùs meritò puniuntur fideles, quam qui ipſorum nomine, & profeſſione non gaudent: quia ex Religionis, quam contemnunt, excellentia ipſorum ingraueſcit peccatum. Magna apud interpretes concertatio eſt, quam ob cauſam Ozam Deus percuſſerit, & ſtatim ac extendit manum ad arcam, interfecerit? Sic enim ipſius mors deſcribitur. 2. Reg. 6. verſ. 6. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam, iratuſque eſt, indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate, qui mortuus eſt ibi iuxta arcam Dei*. Difficilè eſt in huiuſmodi euentu exceſſum Sacerdotis percuſſi detegere: nam arcæ caſum anteuertere officioſũ obſequium, & laude dignũ videbatur. Theodor. q. 20. in 2. Reg. congruentem rationem excogitauit. *Alterius* (inquit) *delicti luit pœnas: nam cum Deus iuſſiſſet, vt Sacerdotes arcam ſuis ferrent humeris, præter legem eam tulit in plauſtro: hoc autem eos fefellit, quod ea ſic emiſſa ab alienigenis nemini nocuit*. Succinit Lyra. *Præterea peccauit in hoc, quod voluit aſſimilari Philiſteis infidelibus in arca deportatione*. Portauerant Philiſtæi medijs bouibus arcam, quin eis nocuerit; at Ozæ ſimili modo arcam portanti mortem Deus intulit: quoniam Philiſthæi infideles erant; proindèque ipſorum reuerentia non fuit illis exitialis; Oza autem quia populi Dei erat, ſtatim vltimo afficitur ſupplicio: nam paria crimina diſparibus pœnis plectuntur in fidelibus, & infidelibus; quia fidelium peccata præter deformitatem, quam habent, infideles inducunt, vt de Deo indignè ſentiant, & ipſius nomen blaſphement.

4. Inuitauit ille Paterfamilias relatus apud Lucam, & Matthæum homines plurimos ad cœnam magnam, quam præparauerat: ingrati aliqui, & impudentes Diuinum ſpreuere conuiuium. Succenditur Deus ira, & pœnam comminatus inquit: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam*. Lucæ 14. His autem repulſis, & alijs introductis, iamque veſcentibus introiuit Dominus videre conuiuas, & inuenit ibi hominem veſte ſordida recumbentem: argúit, increpat, & condemnat. Audi ſententiæ tenorem. *Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium*. Matt. 22. Quid? Mitiùs agitur cum effrontibus illis, qui contempſerunt conuiuium, qui vocati domum noluerunt adire quam cum illo, qui obtemperauit, qui cœnam guſtauit? Ob vnum peccatum tam acriter caſtigatur? Quid? Si quæ parata erant in conuiuio, non comediſſet, neque ad domum inuitantis acceſſiſſet. Mitiùs ſanè eo tempore torqueretur; nam qui cœnam comedit, qui beneficium accepit, & peccauit, circumſtantiam habet ingratitudinis. Qui Chriſtiano gaudet nomine, & delinquit, ſeueriùs debet plecti, & quia non reſpondet profeſſioni ſuæ, & quia infidelibus occaſionem præbet de Deo malè ſentiendi. Qui ad domeſticos iam pertinebat, turpiùs cecidit, & acerbiùs punitur.

DISCVR-

Digitized by Google

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Peccati confeſſio vnicum ſalutis medicamentum.

1. IGnorantiam, quam Vates noſter ſuperbiendo incurrerat, humiliter confitendo retractat, & morboſum affectum, qui menti inſederat, propriæ inſipientiæ confeſſione amputat, *Oratio Habacuc pro ignorantijs*. Expromptum enim remedium eſt ægritudinem agnoſcere, & fateri, vt morbus animi depellatur. Vndè Seneca epiſt. 28. *Initium eſt ſalutis notitia peccati. Egregiè mihi hoc dixiſſe videtur Epicurus: nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te, oportet, antequam emendes.* Quiſquis malitiam infirmitatis prænoſcit, & quam lethalis ſit eius morſus, ipſum facillimè deteſtatur, & ſerpentem, ac peſtilentem mortem auertit. Pœnam grauiſſimam olim Deus fuit comminatus ei, qui Cainum occidiſſet. *Qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur.* Gen. 4. verſ. 24. Ecce poſt multum temporis Cain occiditur à Lamech, vt tradit Hieronym. epiſt. 125. ad Damaſum, cui recentiores Interpretes aſſentiunt. At quæ pœna occiſorem ſecuta eſt? Nulla planè in ſacra pagina inuenitur. Quid ergo? Lamech ab homicidij pœna immunis fuit? Lex generaliter fuit lata, neque vllus ab illius obſeruatione fuit exceptus. Vndè ergo homicidij pœnas effugit Lamech? Ex ipſa ſanè homicidij confeſſione: ipſe namque pœnitens ſuam fatetur culpam. *Occidi* (inquit) *virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum.* Ib. verſ. 23. Hæc autem culpæ confeſſio, hæc peccati deteſtatio medicina fuit, qua venenum culpæ depulit, & pœnam anteuertit: ſic penſitauit Theodoret. quæſt. 34. in Gen. *Pœnam euaſit propter peccati confeſſionem, & contra ſe ferens ſententiam mutauit ſententiam Diuinam.* Viuaci confeſſione malitiam expendit ſui flagitij, & illud abolere præſumit ipſa ægritudinis cognitione: nam peccatori nullum aliud remanet euadendi remedium præter illud: quod miniſtrat propriæ culpæ humilis confeſſio, & propriæ infirmitatis reuelatio: medico enim ægritudinem detegere primum ſalutis ſignum eſt. Vndè Dauid culpæ morbum expertus dicebat Pſal. 36. verſ. 5. *Reuela Domino viam tuam, & ipſe faciet.* Vt enim ſemina obtenebrata, & abſque Solis intuitu moriuntur, Soli obiecta pingueſcunt, & vmbra arbores internecat, Sol viuificat, & germinare facit: ita peccata tegere lethalem morbum ingerit; reuelare vitam præſtat, & ſalutem.

2. Pſalm. 68. verſ. 16. perſonam Chriſti agens dicebat Dauid. *Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Hic iuxtà Caſſiodori ſententiam membra Chriſti loquuntur, & pœnitentiæ locum expoſtulant. *Neque abſorbeat me profundum; ideſt, vtique peccatorum, quod voracitate quadam deglutit animas impiorum, vt ad pœnitentiam redire nequeant.* Proprietas autem translationis in eo eſt, quod ſicut qui in mare incidit, non ſubmergitur aquis, quamdiù ipſæ ad os non perveniunt, quoniam reſpirandi munere, in quo vita conſiſtit, vtitur: ſic qui in peccati gurgitem cadit, ſi os liberum, vt ſua peccata confiteatur, vt doleat, & Diuinam imploret miſericordiam, habeat, ſaluus eſſe poterit; ſi autem tanto peccatorum affectu tenetur, vt neque infirmitatem detegere, neque eam agnoſcere poſſit, abſque dubio demergetur, & in profundum deſcendet. Sic Gloſ. ad prædicta verba. *Quamuis aliquis in puteum iſtum ceciderit, non tamen claudit puteus ſuper eum os ſuum, niſi ipſe prius clauſerit os ſuum: claudit autem, qui illud in profundo contemnit, à quo velut à mortuo perit confeſſio.* Hinc cum homo ille, qui conuiuium parauerat ad nuptias, inter conuiuas hominem non veſtitum veſte nuptiali videret, ipſumque interrogaret, cur ſic ingrederetur, illeque obmuteſceret: *Dixit Rex miniſtris: ligatis manibus, & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.* Matth. 22. verſ. 13. Cur ita ſeuerè miſer ille puniatur, quærit Gualfridus in allegorijs Titelman. ad c. 22. Matth. at ſatis perſpicuè ſupplicij cauſam textus innuit: nempè, quia veſte ſordida illuc intrauerat. Verùm ſuæ damnationis rationem aliam fuiſſe, arbitratur Gualfridus, ſiquidem poſtquam accubuerat, ipſum amicum vocat inuitator. *Amice, quomodo huc intraſti?* Et damnatum iri ſuſpicatur, quia obmutuit. *Tunc videlicet: non vbi ille ſine nuptiali veſte introiuit; ſed poſtquam admonitus ſiluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri.* Ad æternos cruciatus damnatur, quia poſt commiſſum flagitium tacuit; ſi enim culpam fateretur, Regis ſocietate gauderet, & gloriæ delitias poſſediſſet. Morbus animæ ſilentio inualuit, & aditum præcluſit ad ſalutem, peccato alta taciturnitate retento: quia nullo alio medicamine viuax animi peſtis ſanatur, niſi confeſſione, & vomitu ipſius veneni. Cum humor qui intrinſecus latet, ſerpit ad os, ſalutis præſagium creditur. Vndè redeunti prodigo occurrit pater: *Cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.* Lucæ 15. Curioſè quærit Chryſoſt. hom. de filio prodigo, in qua parte filium pater fuerit oſculatus, in facie, an in ore? Et reſpondet: *Oſculatur os, per quod emiſſa de corde confeſſio pœnitentis exierat, quam pater lætus excepit.* Oris confeſſione prodigus redijt ad gratiam, nam hæc facilè parabilis, & valdè proficua medicina eſt.

3. Petro aliquando pollicenti ſe Magi-

ſtrum

ſtrum ſecuturum reſpondit ille: *Non potes me modò ſequi: ſequeris autem poſtea*. Ioan. 13. verſ. 36. Latroni autem quondam ſui recordationem duntaxat poſtulanti reſpondit: *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Lucæ 23. verſ. 43. Cur Petri deſiderium diſtulit, huius autem multo cumulatiùs, quam poſtulauerat, expleuit? Cur Diſcipulum retardat, & latronem feſtinanter excipit? Niſi quia hic ſua iam peccata palam fuerat confeſſus ib. v. 41. *Nam digna factis recipimus*. Annuit D. Aug. ſer. 130. de temp. *Vides quanta res ſit confeſſio: confeſſus eſt latro, & paradiſum aperuit confeſſus eſt, & tanta fiducia robur accepit, vt de latrocini regnum depoſceret*. Etenim qui humiliter confitetur, & os ſuum aperit ad referanda peccata, dignus eſt, vt beneuolè audiatur: Confidenter regnum poſtulabat, poſtquam confeſſionem præmiſit: neque antea fuit auſus de regno loqui, quam auxiliarem haberet humillimam confeſſionem. Quod etiam eodem ſermone notauit Auguſt. *Non eſt auſus ante dicere: memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum, quam per confeſſionem iniquitatis præteritæ ſarcinam peccatorum deponeret*. Confeſſio animauit ad gloriam, impulit ad patriam, & de illius poſſeſſione illum certum fecit.

4. Sponſi deſiderium, qui noſtram ſemper expectat conuerſionem, Sponſa agnoſcens dicebat: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos*. Cant. 5. verſ. 9. At quid hac metaphora Sponſa docere voluit? Audiendus eſt Bernard. ſer. 56. in Cantica. *Hoc tibi tota vigilantia prouidendum, vt apertas ſemper inuenias feneſtras, & cancellos quoſdam confeſſionum tuarum, per quos te intùs benignè reſpiciat: quoniam reſpectus eius profectus tui*. Quaſi dicat: murum extruxiſti peccatorum, quo in tuum animum Diuinus prohibeatur ingreſſus. Feneſtras confeſſionis aperi, per quas intrò in cor tuum, Diuinus immittatur aſpectus: quoniam eius reſpectus tua ſalus, tua profectio eſt, ſicut & Sponſæ fuit. Hæc cum clauſo oſtio firmiterque oppeſulato dormiret, perſeuerantia tandem Sponſi pulſantis victa: *Aperi mihi ſoror mea*. Cant. 5. verſ. 2. E' lecto decreuit ſurgere, & aperire dilecto. Cumque ſe præpararet, & fores reſerare vellet? Quid primum egit, vt ei ornata (ſicut oportebat) occurreret? Myrrha probatiſſima ſe totam perunxit. *Surrexi* (inquit) *vt aperirem dilecto meo: manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima*. Tanta fuit abundantia myrrhæ, qua me perfudi, vt & manus, & digiti illam ſtillarent. Cur cum Sponſa intra domum, & cordis penetralia Sponſum recipere vult, & illi aperire, non veſtes elaboratas, non torques aureos induit, neque alio genere vnguenti odoriferi, ſed myrrha tantum vſa eſt? Optimè ad inſtitutum D. Ambroſ. lib. 3. de Virgin. *Hunc odorem flagrat anima, quæ Chriſto aperire incipit, vt accipiat primum odorem Dominicæ ſepulturæ*. Myrrha (vt Patres communiter docent) ſymbolum eſt pœnitentiæ. Anima ergo, quæ à lecto delictorum ſurgere ſtatuit, & Chriſto Domino fores cordis reſerare decreuit antè omnia pœnitentia ſe ornare debet, & myrrha amara contritionis, & confeſſionis ſe vngere: quia peccatorum ſalus à confeſſione incipit, & neceſſè eſt, morbum fateri vt medelam accipiat: nam infirmitas, quam non confitetur homo, ſed ſalutem putat, inſanabilis eſt.

Verſ. 2. Domine audiui auditionem tuam, & timui. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud. In medio annorum notum facies. Cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis.

ANNOTATIO II.

Expoſitio Litteræ.

1. Accuſare priùs videbatur Vates, vt ipſe putarat, nimis ſecurum, & pacatum animum in iuſtorum iniurijs vindicandis. Nunc horret, & expaueſcit, dum audit, quam durus exitus, & horribilis caſus maneat tam Iudæorum Principibus, qui inferiorem turbam lacerabant, quam Chaldæorum Regi, qui pro ſua potentia in populum captiuum graſſabatur. Hoc eſt ergo, quod audiuit à Domino, hoc quod horret, quia iam reipſa completum propheticis oculis intuetur. *Auditionem* hic pro re audita accipitur, aut pro verbo, quod nec Latinis inuſitatum eſt.

Sic

Sic lib.8.epiſt.Ciceron.ep.1.ſcribit Celius Ciceroni. *Romam eum veniſſem, nec renuiſſem quidem, auditionem de ea re accipi.* Dicit autem *timui*, ideſt, obſtupui rei magnitudine, & præſtantia, atque miſericordiæ maximæ admiratione attonitus, & quaſi raptus in mentis exceſſum. Vndè 70.reddiderunt. *Conſideraui opera tua, & expaui.* Quod licet in Hebræo non ſit, adhibitum eſt ab illis claritatis gratia.

2. *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Quid ſit illud opus, quod viuificari orat Propheta, obſcurum eſt: nec nunc agimus de myſtico, aut allegorico ſenſu, de quo ſtatim; ſed de hiſtorico, de re nimirum Babylonica, & libertate populi captiui: opus igitur eſt populi libertas. Cum autem exules mortui dicantur, & exilium ſepulchrum (vt conſtat ex cap.17. Ezechiel) optimè ſubdit Propheta. *Viuifica illud.* Illud autem propriè eſt, quod mortuum eſt, & ad vitam reuocari iubetur. Sed quia non aliter reuocandus erat populus ad libertatem, niſi extincto Chaldæorum imperio, & Nabuchodouoſoris progenie (vt Ieremias docuit cap.27. vbi idem tempus imperij Babylonici termino, & Iudæorum libertati conſignatum eſt) ideò etiam orat Deum Propheta, vt opus ſuum compleat, & potentiam euertat Babylonicam, quando aliter viuificari non poteſt Iudæorum populus, ideſt, ſolutus ac liber eſſe: hoc autem eſt viuificare opus ſuum. Opus verò Dei vocatur populus ille, quem Deus elegit ſibi ex omnibus, inſtituit legibus, ornauit ſingularibus, & penè perpetuis beneficijs, & certo charactere à reliqua hominum turba diſtinxit. Sic vocat Iſaias cap.45.verſ.11. *Hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael Plaſtes eius: ventura interrogate me ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mearum mandate mihi.* Quare opus ſuum viuificat Deus, cum opus ſuum eximit à ſeruitute, ideſt, à ciuili morte.

3. *In medio annorum.* Id eſt eum in præcipiti erunt mala, & cum ingruent vehementiùs pericula, cum circumfluentibus vndique calamitatum fluctibus, nulla emergendi affulgebit ſpes. In medio enim alicuius rei eſſe dicitur aliquando, quod ab ipſa premitur, & vrgetur, maximè, vt circumfuſo malorum æſtu nullum euadendi pateat effugium. Tale eſt illud Pſalm.22. verſ.4. *Nam etſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Sic igitur in medio annorum opus ſuum Deum viuificare, petit Propheta: ideſt, libertatem populi nempè, cum anni illi captiuitatis, & exilij, qui ad ſeptuageſimum erant protrahendi, nullum finem, aut remedium habituri vidabantur. Alij in his annis tempus à Deo definitum intelligunt. *In medio annorum.* Ideſt, intra annos à te conſtitutos, aut quos tu huic operi præſignaſti. In medio namque alicuius rei eſſe dicitur, quod intra illam eſt vt ſæpè in ſcriptura. Pſalm.100.verſ.7. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam.* Ideſt, intra domum meam, & Ieremiæ 50. verſ.8. *Recedite de medio Babylonis.*

4. *Viuifica illud.* Viuificare Hebræis ſeruare, & liberare ſignificat, vt 1.Reg.27. verſ.11. *Virum, & mulierem non viuificabat Dauid.* Et in Pſalmis paſſim ferè in hac ſignificatione reperitur. *Dominus conſeruet eum, & viuificet eum.* Pſalm. 40. verſ.3. Qui enim in afflictione, anguſtia, & miſeria conſtitutus eſt, mortuo ferè ſimilis eſt: quin & mortuus à ſcriptura vocatur, & ſepulchra inhabitare perhibetur. Sic Euripidis Hecula aiebat: *Mortua ſum ego, antequam moriar.* Igitur à calamitate liberari, idem eſt, ac reuiuere, & iterum generari. Mortuum autem dicitur id, quod in eo ſtatu eſt, vt parum habeat viriditatis, & ſplendoris: quomodò mortuæ vocantur arbores in autumno, aut hieme: quia illam venuſtatem amiſere, quam habuerunt à foliorum luxuria, & florum vbertate. Sic à Iuda quædam arbores autumnales dicuntur bis mortuæ: & moriens à poetâ dicitur herba, quæ ſitiaret: mortua imago, cuius diluti ſunt colores, & forma nondum ad viuum expreſſa; ſicut viuere dicuntur imagines, quæ omnibus numeris ſunt abſolutæ, Vt Virgil.lib.6.Æneid.

Excudent alij ſpirantia molliùs æra.
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus.

Sic igitur in Iudæis Babylone captiuis, & præcipuè in Iechonia nulla apparebat antiquæ gloriæ, ac dignitatis effigies, cum ita eſſet mutatus color optimus, ſic deflorauiſſet dignitas oris, vt nec in plateis ab illis, quos habuere prius familiares, agnoſceren-

rentur. Qui hos ad priſtinam gloriam, & formam reuocaret, viuificaſſe diceretur, aut aridum lignum, aut imaginem decolorem, & perditam, aut certè informe animaſſe cadauer.

5. *In medio annorum notum facies: cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis.* Ideſt, opus tuum, quod promiſiſti, manifeſtabis: quia populus captiuus ſic ſplendidus apparebit, cum libertatem adipiſcatur; ac ſi è ſepulchro, vbi tanquam inanimatum cadauer extabuiſſe videbatur, emergat ſpirans, & viuus florenti ſpecie, depoſita illuuie, eo habitu, & decore, quem habet ſponſa, cum ad ſponſi thalamum accedit. De quo Baruch.cap.5.verſ.1. *Exuere Ieruſalem ſtola luctus, & vexationis tuæ, & indue te decore, & honore eius, quæ à Deo tibi eſt ſempiterna gloria.* Recordati Deum miſericordiæ opus ſignificat ab ipſa miſericordia ortum: quia recordari hîc operari eſt; ſicut obliuiſci dicitur, quantumuis aſſiduè aliquid memoria verſet, qui alicuius merita non compenſat, aut miſerias, & infortunia non leuat. Quare dicitur Deus recordari miſericordię, quando miſeriam leuat: pro quo nunc Propheta tam ſedulò, ac ſtudioſè laborat. Coniungit autem miſericordiam cum indignatione: quia nunquam vna ab altera in Deo ſeparatur. Vndè Pſalm. 76. verſ. 10. *Aut obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas.* Deus ita corripit, vt ſalutis curam habeat, & id facit, quod in afflicto corpore Chirurgus, qui ita vrit, & ſecat, vt tamen dolenti condoleat, & id ſolum procuret, vt ægrotum à morte liberet.

6. Pro his, quæ hactenus ex translatione noſtra explicauimus, apud 70. ita legitur: *Domine audiui auditum tuum, & timui. Domine conſideraui opera tua, & expaui, ſiue obſtupui. In medio duorum animalium cognoſceris. Cum appropinquauerint anni cognoſceris, cum aduenerit tempus, demonſtraberis: cum turbata fuerit anima mea in ira, miſericordiæ recordaberis.* Quæ à Sanctis Patribus, & ab Eccleſia etiam in officijs Eccleſiaſticis vſurpantur. Quibus verbis palàm docent, opus hoc eſſe ſalutarem Verbi æterni incarnationem. Fuerunt enim 70. Interpretes in multis Chriſti myſterijs à Spiritu Sancto valdè illuſtrati, & meritò Apoſtoli eorum ſæpè translatione vſi ſunt, cum de his myſterijs agebatur: quoniam illa eadem, que interdum Hebraicè obſcurè dicta ſunt, ab his pleniùs, & luculentiùs explicantur: quod vt faciant, interdum mutatis quibuſdam, interdum additis multa tranſtulerunt, ſenſu tamen ſeruato, & retento. Sic Pſalm.95.verſ.10. *Dicite in nationibus: quia Dominus regnauit à ligno.* Cum in Hebræo tantùm ſit. *Dicite in nationibus: quia Dominus regnauit.* Sed viderunt, regnum illud per Crucem eſſe partum, & à Cruce cœpiſſe. Quam additionem probat Eccleſia, & canit in officio Sanctæ Crucis. Accinit 70. verſioni lectio Arabica traducta à Gabriele Sionita Edenienſe, quę habetur in editione Romæ facta anno 1514. ex Typographia Sauariana. *O Domine audiui vocem tuam, & timui: meditatus ſum opera tua, & obſtupui. Cognoſceris inter duo animalia. Ad occaſum annorum cognoſceris. Cum adfuerit tempus apparebis: cum apparuerit anima mea in furore, recordaberis miſericordiæ.* Quapropter omnia hæc facilè ad Euangelij tempus, & ſpiritualem œconomiam accommodari poſſunt, quod Patrum, & Interpretum multi faciunt.

7. Libertas enim, quam Deus populo ſuo erat largiturus illud extrahens à Chaldaica ſeruitute, typus fuit illius libertatis, quam mundo diabolicæ captiuitati obnoxio Deus venit impertire, quæ in rediuiua Ieroſolyma rectè fuit adumbrata. In illa igitur dira ſeruitute Iudaici populi ſtatum agnouit Propheta generis humani ſub diaboli imperio, & remedium, quod meditabatur Diuina clementia: & ideò cum audiſſet vtrumque verbum, & quod libertatem Hebręo populo pollicebatur, & generi humano redemptionem, timuit, & expauit, atque admiratus eſt. *Opus* autem Domini hìc aut incarnatio eſt, aut humani generis redemptio. Si autem *opus* ad genus humanum referas, cum illud cenſeri potuerit mortuum, optimè dicitur à Deo futurum eſſe rediuiuum, ſeu viuificandum: nam hoc pacto dicitur mors Chriſti morte destructa: quia ſcilicet ſpiritualem mortem peccati morte corporali deleuit. Si autem *opus* ad Chriſtum referatur, optimè dicitur viuificandus à Patre: quia antequam ad noſtrum genus incarnatus deſcenderet, quodammodò erat mortuus, ad illum modum, quo paulò antè imaginem illam vocabamus mortuam, in qua color non

Digitized by Google

eſſet viuidus, ſed dilutus, & in qua vix apparent obſcura quædam prototypi veſtigia: ſicut in omnibus illis, quæ Chriſtum figurarunt in veteri lege, contigit. Viuificauit igitur Chriſtus illas imagines taliter, vt obſcuras illas lineas illuſtraret coloribus floridis: vt qui eas contemplaretur, expreſſam videret naſcentis, laborantis, morientis, & reſurgentis effigiem.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Adeò Deus ſuum in carne aduentum diſtulit, vt magis ab hominibus haberetur in pretio.

1. COmmunis Patrum cœtus ſiuè in litterali, ſiuè in ſpirituali ſenſu prædicta Vatis verba, *Domine audiui auditionem tuam, & timui. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud*, de Chriſto Domino accipit, ſiuè in ordine ad incarnationem, ſiuè in ordine ad redemptionem humani generis, vtrumque enim petit Propheta, quia niſi illud prius intercederet, non videbat futurum eſſe poſterius, nullus namque purus homo, aut Angelus, quantumuis gratia inſignitus, etiam infinita, poterat pro humano genere ad æqualitatem ſatisfacere (vt tenent communiter Theologi cum S.Thom.3.par. quæſt. 2.) Cum ergo humanum genus eo eſſet loco, vt cenſeri potuerit pro mortuo, optimè à Deo dicitur futurum eſſe rediuiuum, neque alio ſenſu dicitur mors à Chriſto moriente profligata, niſi quia ſpiritualem peccati mortem morte corporali deleuit, hoc enim Diuinam exigebat perſonam, quia nulla alia illud efficere valebat. Hoc paſſim antiqui Patres clamabant. *Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra ſine aqua tibi, veloc ter exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus.* Pſal. 142. verſ. 6. Incarnationem exoptat regius Vates in multorum opinione, & diuerſimodè comparatio, qua vtitur, exponitur. Hugo Card. *Ideo impleat me ſpiritus tuus, quia defecit meus.* Quia exanime erat humanum genus, & nullo alio poterat ſpiritu viuificari, Diuinum poſtulat. At cur Verbum Diuinum aquam reſpectu animæ vocat, non aërem, aut ignem, ſiquidem vt terra germinet, elementorum omnium virtute indiget? Audiendus Caſſiodor. *Pulchra ergo comparatio, cum dicit, animam ſuam, ſic deſiderare Deum, quemadmodum ſolet ſicca terra copioſas pluuias ſuſtinere. Dixit autem ſibi, non alteri, ni iſtud deſiderium malis voluptatibus applicares.* Explicatiùs Gloſa. *Et quia nec ego, nec aliquis alius præter te rigare poteſt, tu comple eam, vt fructus faciat.* Ideo enim incarnationem, quemadmodum terra aquam, expoſtulat, quia vt terra viuificetur, germinet, & floreſcat, ſolum accidentia cœterorum elementorum exigit, calore namque ignis, non ipſius ſubſtantia fructificat, ſicut & humiditate aeris, non eius ſubſtantia: at non ſatis eſt ipſi aquæ qualitas, vt fructum ferat, ſed indiget, vt ſubſtantia aquæ ipſius ſubſtantiæ vniatur, & corporetur. Sic enim lapſa humana natura vnione ſubſtantiali Perſonæ Diuinæ indigebat, vt reuiuiſceret, germinaret, & à morte exurgeret peccati. *Nec aliquis alius præter te rigare poteſt, vt fructus faciat.* Hoc ipſum optimè agnouit Auguſt. ſer. 206. de tempor in eo, quod accidit 4. Reg. 4. vbi Eliſæus ſeruum Giezi miſit cum ſuo baculo, vt puerum viduæ filium ad vitam reuocaret, quod non fuit præſtitum, vſque dum ipſe Eliſæus perſonaliter acceſſit. *Baculus* (inquit Auguſt.) *ſine Chriſto flagellare Ægyptios potuit, de peccato vero liberare, vel reſuſcitare non potuit. Opus erat, vt qui baculum miſerat, ipſe deſcenderet. Baculus ſine Eliſæo nihil valebat, quia Crux ſine Chriſto nihil poterat.* Noſtræ ſalutis opus præter Deum alius non poterat præſtare, idcircò hoc vnicum remedium flagranti deſiderio omnes expectabant naturæ.

2. Ipſum ardenter exoptabat ſacra Sponſa, dum Cant.1.verſ.6. aiebat: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Dei in carne aduentum efflagitat (ait Theodoret.) At cur in meridiè? Cur non in mane, aut in veſpere? Quia reliquis diei horis vmbras corpora effigiant, ſolum in meridie nullas vmbratiles figuras efformant, quia cum Sol directè ſuos radios effundat, totaque eius lux transfundatur in corpora, nullas vmbras patitur. Orat ergo Sponſa, vt faciem ſuam ſplendidam, & abſque vmbris oſtendat. Vmbra Sponſi aduentus fuit Iſaac, Iacob, Ioſeph, & alij; poſtulat ergo, vt in meridie ſeipſum indicet: ideſt, omnibus eliminatis vmbris, quia hæ non proficiebant ad viuificandam Sponſam. Nec ſolum ipſa Dei aduentum cupiebat naturæ humanæ neceſſitatem agnoſcens, ſed & Angelica natura ſummis votis idipſum deſiderabat, & idcircò in ipſo amoris cantico ad participationem lætitiæ, quam Sponſa capiebat ex incarnationis veritate, Angelos inuitat. *Comedite amici, & inebriamini chariſſimi.* Cant.c.5.v.1. Quæ verba oppor-

opportunè Honorius hic ad Angelos inflectit. *Nunc Angelos ad communes lætitiæ epulas inuitat, dum ait: Comedite amici, & inebriamini chariſſimi: amici, quia multum amant. Hi nimirum de humani generis, quod in Adam perierat, reſtauratione piè, & ſolicitè ſatagentes conditorem ſui aſſiſtebant iugiter interpellantes, quodam ſancto familiaritatis auſu ſic compellabant: exurge, quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis? Obliuiſceris inopiæ noſtræ? Diminutionis noſtræ? En inter nos tot loca vacua, ſed da gloriam nomini tuo, & ſecundum æternum propoſitum tuum, quod mutari nequit, imple tot locis indecenter dehiſcentem numerum noſtrum.* Nec ſolum humana, & Angelica natura vehementer Chriſti aduentum exoptabant; ſed & ipſum Diuinum Verbum, quod mittendum erat, ardentiſſimè venire cupiebat ab ipſa æternitate, ita vt in quoſcunque annos, menſes, dies, horas, imò & momenta eius aduentum differre ipſum quodammodò affligere, & torquere videretur, vt indicant illa verba Pſalm. 88. verſ. 39. Quibus æternum Patrem alloquitur Dauid. *Diſtuliſti Chriſtum tuum.* Ideſt, non ſtatim, ſed poſt multa ſæcula Filium tuum è cœlo in terram dimiſiſti. Vbi 70. tranſtulerunt. *Iratus es contra Chriſtum tuum.* Quaſi quoties æternus Pater Filium ſuum detinebat in cœlo, toties illum cruciaſſet deſiderium.

3. Cur autem opus adeò ab omnibus concupitum, adeò vtile per tot ſæcula Deus diſtulerit, non conueniunt Patres, plures eaſque optimas rationes congerunt, ſed opportunam eſſe cerno, quam tradit Paulus 1. Corinth. 9. verſ. 2. *Empti enim eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Vt ſcilicet, magno pretio redempti, & vehementiſſimis deſiderijs expetitum pluris æſtiment homines redemptionis magnum beneficium, expectent tot ſæcula ſalutare ſuum, per longum tempus clamoribus, & ſuſpirijs cœlum rumpant, ſint iam in calamitatibus velut mortui, cum æternum Verbum carnem ſumat, vt incarnationis mirificum Sacramentum debita æxiſtimatione accipiant, pro quo tot laboribus, ac deſiderijs ab eis decertatum eſt, quia ſolum id, quod difficulter conſequuntur homines, in pretio habent. De huiuſmodi autem Dei in carne paſſibili aduentu, qui Hebræo populo, & Gentili per quam vtilis erat futurus, locutus Iſaias c. 55. verſ. 1. dicebat: *Omnes ſitientes venite ad aquas, & quibus non eſt argentum, venite, emite, & comedite.* Si gratia, quam Deus incarnatione contulit, gratis erat largienda, nulliſque erat emenda operibus, quia incarnationis myſterium non cadit ſub merito, cur emendam fore affirmat Propheta? Quod emitur, non gratis accipitur, neque pro illo grates ſunt referendæ, vt quid igitur donum omninodè gratuitum emptum vocatur? Egregiè Oleaſter in comment. huius loci. *Sunt quædam, quæ licet pretioſa ſint, non æſtimantur, quoniam gratis nobis offeruntur. Solent homines res æſtimare ex labore, vel pretio, quo illas acquirunt, & non ex earum dignitate. Et vide prudentiam Dei, cum enim omnia bona ſua gratis offerat. quia tamen probè nouit, nos res ex pretio æſtimare, adiunxit emite.* Inæſtimabile incarnationis beneficium deſideriorum pretio voluit Deus comparari, vt eius apud homines commendaret valorem, quia res non ex ſe, ſed ex pretio, induſtria, ac labore quibus acquiruntur, æſtimat, & nullum reputant bonum nullo labore partum.

4. Apparuit Deus Moyſi de rubo flagrans, & liberationem à dira Ægyptiorum ſeruitute vltro pollicetur, vnaque terram promiſſionis Hebreæ genti munificentiſſimè promittit: *Deſcendi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & ſpatioſam, in terram, quæ fluit lacte, & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi &c.* Exod. 3. verſ. 8. Quærunt Interpretes, cur inter hos populos, in quorum poſſeſſionem Iſrael erat introducendus, non numeret Deus Gergeſæos, cum indubium ſit ex pluribus Sacræ Scripturæ locis, horum etiam regionem, vrbes, oppida data fuiſſe in poſſeſſionem filijs Iſrael. Cur alias prouincias recenſens hanc ſolam Deus omittit? Optimè Lyra difficultati occurrit. *Tacentur autem hic Gergeſæi, & in pluribus locis, vbi cæteri nominantur, quia (vt dicunt Hebræi) non reſtiterunt filijs Iſrael per bellum, ſicut alij, ſed de terra receſſerunt ante ingreſſum filiorum Iſrael.* Non recenſet Deus regionem iſtam, quia ab Iſraelitis facilè, ſine prælio, & labore poſſidenda erat, reliquæ prouinciæ, quæ numerantur validè reſtiterunt Hebræis, qui effuſo ſanguine, labore, & induſtria illas occuparunt. Regna difficilè expugnata, & ingenti ſudore parta glorioſè promittuntur, & in magno pretio habentur: at Gergeſæorum oppida ſine labore occupata non iuuat referre, quaſi illa tædeat poſſidere, quia rerum exiſtimatio labore, quo conſequuntur metitur. Hinc Iacob iam morti proximus ad Ioſeph filium ſuum, quem præ omnibus dilexerat, & à quo præ alijs maioribus fuerat obſequijs honoratus, eique propterea ſe præſertim gratum exhibere volens, ſic aiebat: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Gen. 48. verſ. 22. Ideſt, iure bellico (interprete Batab) cum ergo vellet Ioſephum, vltra cæteros filios, maiori hæreditate donare, non partem quamcumque ſed eam, quam labore, ac ſudore, imò & periculo ſuo de manu fortiſſimorum hoſtium tulerat (erant enim Amorrhæi omnium Iſraelis inimicorum robuſtiſſimi, ac fortiſſimi) dedit, quaſi rem magno pretio comparatam, atque omnium pretioſiſſimam, nihil enim ea re, quam labore proprio acquirimus, pretioſius

ſint emendationis, quia non gloriantur in malitia, ſed illam faſtidiunt, & deteſtant.

DISCURSUS II. MORALIS.

Dolendum maximè de Sacerdotum caſibus: quia eo perículoſiores ſunt, quo dignitas eorum eſt præſtantior.

1. AMarè dolet Propheta de exceſſu, quem commiſerat, & in pœnitentia ductus deplorat, quod malè de Deo ſenſerit, & locutus ſit, eo quod Dei miniſter erat, ignorantiam ſuam fatetur, & exaggerat, pro illiuſque venia preces fundit. *Oratio Habacuc pro ignorantijs*. hic verſ. 1. In quo ſanè nos condoleri docet de miniſtrorum Dei caſibus, de Sacerdotum erratis, quæ eo grauiora ſunt, quo eorum dignitas maior eſt. Turpiùs enim labitur, qui felicius ſteterat: infelicior caſus, qui ex altiori ſpecula contingit: grauior culpa, quam gloria anteceſſit: ex dignitate enim perſonæ indignitas creſcit peccati De extremo iudicio, in quo omnia hominum ſcelera ſunt ponderanda, & trutinanda eorum malitia, locutus Dauid dicebat: *Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia*. Pſalm. 49. verſ. 5. D. Chyſoſtom. auſpicatur, his verbis Angelis imperari, vt ſiſtant ad Chriſti tribunal Sacerdotes in primis ſceleratos, vt ſententia capitalis ſupplicij à Deo feriantur. At ſi mali Dei miniſtri, & qui à debita obſeruantia defecerunt ſiſti iubentur: cur Sancti appellantur? Cur Sanctorum numero adſcribuntur, & tali titulo nobiliantur, qui Deum habent infenſum, & ad gehennales pœnas vocantur; *Accuſationem augens* (ait Chryſoſtom.) *honorem adijcit ad maiorem ſignificationem ſupplicij*. Quaſi dicat: vt accuſatio augeretur, honoris commendatio anteceſſit: vt grauitas culpæ maior appareret, ſanctitas ſtatus, ac muneris excellentia fuit præmiſſa, quæ digna planè eſt, vt vehementi dolore ſentiatur. Augetur culpæ reatus, dum dignitas delinquentis extollitur: & quò ſublimior eſt, eò exitialiùs delinquentis eſt præcipitium.

2. Samariæ interſionem deplorans Oſeas dicebat: *Proiectus eſt vitulus tuus Samaria: iratus eſt furor meus in eos, vſquequo non poterunt emundari? quia ex Iſrael, & ipſe eſt: artifex fecit illum, & non eſt Deus*. Oſee 8. Dolentis, & contriſtati animi vox illa eſt: *Vſquequo non poterit emundari*? Et parentis, qui in peruerſum, ac contumacem filium cogitur ſeuioribus agere ſupplicijs. Sed quę cauſa huius doloris eſt? Equidem id, quod ſequitur. *Quia ex Iſrael, & ipſe eſt: artifex fecit illum, & non eſt Deus*. Quaſi admiretur, & vehementer Deus doleat, quod non ab externo, ſed ab Iſraelita artifice monſtrum illud, cui Diuinum datum eſt nomen, & Diuinus honor exhibitus formatum ſit. Præſcriptum quippe fuerat Iſraeli, ne idola cuderet, neque apud illum vllum inueniretur ſimulacrum, cui nimirum Diuinos impenderet honores, & cum ipſe Gentium deriderct inſaniam, cum ſaxo, ligno, atque æri aliquid exiſtimarent ineſſe Diuinum (cui illud Dauidicum multum erat in ore. *Simulacra gentium argentum, & aurum opera manuum hominum: os habent, & non loquentur*. &c. Pſalm. 113. verſ. 4. & 5.) Tamen ab Iſraelita artifice vitulus efformatus eſt, ab illo adoratus, & in Diuinum ordinem adductus; vndè ſic ſuperdolet Deus, quod peccatum non ſolum ab exteris, & ſæcularibus, ſed ab ipſiſmet domeſticis, & Sacerdotibus committatur: hæc enim circumſtantia vltra modum crimen aggrauauit. Hinc enim eſt, quòd increpans idem Oſeas 10. verſ. 5. populum Samariæ de peccatorum grauitate dixerit: *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ, quia luxit ſuper eum populus eius, & æditui eius ſuper eum exultauerunt in gloria eius, quia migrauit ab eo*. Et quidem expenſione dignum eſt, quòd cum vitulus etiam fuiſſet in tribu Dan, illumque adorauerit, ſicut Bethel, ſolius Bethel meminerit Propheta. Sic enim habetur 3. Reg. 12. verſ. 28. & 2. 9. *Habuit Rex* (ſcilicet Ierobuam) *conſilium, & fecit duos vitulos aureos, poſuitque, vnum in Bethel, & alterum in Dan*. Si ergò in Dan conſtitutus fuit vitulus, non ſecus, ac in Bethel, cur per quam rarò audimus aliquid in Scriptura de Dan; de Bethel autē frequentiſſimè idololatria repetitur, vt Propheta hic, & Ierem. 40. verſ. 13. *Confuſa eſt domus Iſrael à Bethel*. Atque ſæpè alibi? Communiter Expoſitores arbitrantur, rationem eſſe, quia locus Bethel magno erat in pretio, & religione apud Hebræos, propterea quod ibi Iacob in ſcala Dominus apparuit. Quare cum prius Luza diceretur, vocatus eſt Bethel, ideſt, domus Dei. Tanti autem fecit Iſraelitici generis Pater Iacob locum illum, vt non permiſerit, cum eò ventum eſt è Meſopotamia, aliquod à domeſticis idolum inferri. *Abijcite* (inquit) *deos alienos, qui in medio veſtri ſunt* &c. *Surgite, & aſcendamus in Bethel*. Nefas enim putabat vir ille ſanctiſſimus, quòd in domo Dei locus eſſet idolis, quid ergò non ferrent grauiter viri pij, ſi in Bethel, ideſt in domo Dei, vidiſſent aureo vitulo datum eſſe locum? Graue eſt enim vbicunque perſonarum inſidere ſordes (maximè eas, quæ à peccatis ſunt: atſi ex in perſona Deo ſacrata ſint, longè grauius eſt; Vndè ſi Sacerdos ſæcularibus ſe ſordibus immiſceat, aliorum

rum peccata non recordamur: ſicut vitulus aureus in Bethel fecit, vt ille alter qui erectus fuerat in Dan, abiret in obliuionem, aut minor in eo videretur eſſe deformitas maximè enim à dignitate, & munere ingraueſcit peccatum: & idcircò ſuper Sacerdotum ſcelera plorandum maximè eſt.

3. Poſtquam Ionas Dei mandatum adimpleuit, Niniuemque ad pœnitentiam induxit, & Dei miſericordiam ſuper illam deſcendiſſe, conſpexit, vehementi dolore, & anguſtia fuit contriſtatus, itaut mortem ſibi expoſceret. *Et afflictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt, & orauit ad Dominum, & dixit: obſecro Domine: nunquid non hoc eſt verbum meum, cum adhuc eſſem in terra mea? Propter hoc præoccupaui, vt fugerem in Tharſis. Scio enim, quia tu Deus clemens, & miſericors es, patiens, & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia. Et nunc Domine tolle, quæſo, animam meam à me: quia melior eſt mihi mors quam vita.* Cap. 4. verſ. 12. & 13. Affectus ſanè admiratione dignus, & indignus Dei miniſtro. Cur Ionas contriſtatur, & mæret, poſtquam Niniuitas pœnitentes, & ad Deum conuerſos aſpicit? Etenim magna lætitia tunc debuit exultare, & magno gaudio perfundi propter honorem, & gloriam, quæ ipſi reſultabat ex Niniue conuerſione: nam quidquid Dei miniſter in populo Concionatoris munere proficit, in ipſius redundat honorem. Nunquid de fertilitate ſegetis triſtatur agricola? Aut piſcator dolet, quod multos piſces in ſagenam traxerit? Cur ergò Propheta de vbere fructu ſui laboris contriſtatur? Pulchrè Hieron. difficultati occurrit. *Non contriſtatur, quod Gentium multitudo ſaluatur; ſed quòd videt gentem ſuam perire, & ſe de tanto numero Prophetarum electum, qui per ſalutem aliorum ruinam populi ſui nuntiaret, iam quodammodò de ſalute deſperans Iſraelis.* Non triſtatur Propheta de ſalute Gentium; ſed quia ex Niniuitarum conuerſione illi repreſentabatur, quam plurimùm agrauabatur peccatum ſui populi, quem tot Domini, & tam crebra miracula ſubijcere, & emollire non poterant. Ad eu n ſanè modum, quo nobilis homo ita de bonis gaudet vicini, vt illum pœniteat, ſi filios vicini benè moratos videat: non quod de alieno bono doleat, ſed quoniam illud bonum quod in aliis agnoſcit, ſuorum auget penuriam. Sic nimirum Niniuitarum conuerſio Ionam lætabatur propter illorum ſalutem; lacrymas verò, & afflictionem auxit, eo quod populi ſui ſcelera aggrauabant, & præcipuè ipſius Vatis inobedientiam. Ad huuc enim modum de Sacerdotis peccato dolendum eſt, quòd ſæpeſæpiùs optimi ſæcularium mores aggrauant, & confuſionem afferunt alterius obligationis perſonæ illam adimplentes his, qui à ſacro profeſſionis inſtituto deficiunt.

4. Acceſſit Chriſtus Dominus ad domum Marthæ, & Mariæ, quarum frater Lazarus erat mortuus, eique ſic obuia Martha dicens *Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Ioann. 11. verſ. 21. Hæſitantis in fide hæc verba ſunt. *Imperfectè credebat* (ait Lyra) *quia videtur innuere, quod non poſſet Chriſtus tantùm abſens, quantum præſens.* Corrigit ipſius errorem Seruator, & ſic edocta domum petit; exit poſtea ſoror altera Maria, & eiſdem verbis Chriſtum excipit. Verſ. 33. & 35. *Domine ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus.* Quibus auditis *infremuit ſpiritu, & lacrymatus eſt.* Ac vt quid nunc tot doloris ſigna exhibet? Nonne eadem vtriuſque ſororis verba ſunt? Si ergò idem error Mariæ, & Marthæ fuit, quomodo Martham tantummodo arguit, & cum Maria ingemit, & plorat? Arbitror: quia Martha vitam repreſentat actiuam, quæ propria ſæcularium eſt, & in quibus non mirum eſt, errores eſſe corrigendos, quoniam minus de Deo ſapiunt, minus ad ipſum accedunt; at quod idem defectus in Maria inueniatur, cuius præcipua occupatio eſt, ad pedes Chriſti eſſe, paſſim eum audire, ab eo internas accipere conſolationes, hic (inquam) error grauiſſimus eſt, & quem ita egrè Deus fert, vt vehementer doleat, & pro illo ploret, ac turbetur. Quod in ſæculari homine rebus temporalibus implicato, ambitio, odium, ignorantia, aut aliquis alius error inueniatur, materia reprehenſionis eſt: ad hoc tamen ſilet Chriſtus, quoniam aliquam excuſationem habet; at cum Sacerdos Dei miniſter, qui ad ipſius pedes frequenter ſedet, eumque iugiter audit, eoſdem habet defectus, magnum dolorem Deo excitat, ſuper ipſius errores Chriſtus lacrymatur, vt nobis dolendi ſuper huiuſmodi euentus præberet anſam.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Humilitas oculatiſſima virtus, quæ ſuperbis abſconduntur rimatur myſteria.

1. INſana ſuperborum arrogantia peruerſo tumore cæcutit, & ad omnia torpet. Humilitas perſpicax dum deſcendit, oculos acuit, & abſtruſa quæque cognoſcit. Illa etenim deiectio, quæ propudioſa ſuperbis eſt, & è qua nimis erubeſcunt, Deo plurimum arridet, illamque ſtrictiſſimè amplexatur, & ad penetralia quæque, & recondita ſui pectoris ſacramenta agnoſcenda introducit. Humilitatis arbitrio omnia deteguntur myſteria, & nullum ita reconditur, quod non illud rimetur aquilina Humilitatis perſpicacia. De hoc (inquam) Humilium priuilegio gratias age-

agebat Chriſtus Dominus Matth. 11. verſ. 25: *Confiteor tibi Pater, Domine Rex cœli, & terræ: quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Ad quæ verba dubitat Magnus Gregorius lib. 27. Moral. cap. 7. cur Chriſtus dixerit: *Reuelaſti ea paruulis*, & non ſtultis? Hoc enim magis commendare videbatur reuelationis priuilegium: nam quo ſtulti magis diſtant à cognitione eorum, quæ reuelantur, eò maior eſſet gratia. Vt quid igitur huiuſmodi myſteria non ignorantibus reuelari dicuntur, ſed paruulis? Aut paruuli ignorantes nuncupantur? Pulchrè Gregor. acumen hic Humilitatis agnouit: *Quia non ſubiunxit* (inquit) *reuelaſti ea ſtultis, ſed paruulis, tumorem ſe damnaſſe innuit, non acumen.* Etenim ad Diuina agnoſcenda myſteria magnum Humilibus ineſt acumen. Non ſtultos, neque inſipientes Humiles nominauit, ne de ipſorum perſpicacia dubitaretur, & ratum maneret, eos oculatiſſimos eſſe ad præexcelſa quæque percipienda myſteria. Sicut enim in ſuperbis, & arrogantibus mentis cæcitas, & hebetudo aditum præcludit, etiam ad obuia intuenda: ſic Humilitas oculos acuit ad remotiſſima, & abſtruſa inſpicienda; vndè Gloſ. Moralis ad præcitata verba dixit. *Magnus honor ex hoc eſt Humilibus veris, qui ſunt de ſecreto conſilio ſummi Regis.* Vt enim Reges, & Principes ijs, qui de illorum ſunt ſecreto, omnia reuelant, nihil abſcondunt: ſic Humilibus omnia Deus ſecreta ſua manifeſtat, quia nihil poteſt ipſos latere Humilitatis perſpicatia munitos.

2. De ſua Humilitate plurimum gloriatus Dauid dicebat: *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me: ſi non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam: ſicut ablactatus eſt ſuper matre ſua: ita retributio in anima mea*, Pſalm. 130. verſ. 1. Genebrard, & plerique alij Interpretes hanc vltimam comparationem ad primam partem præcedentium per hyperbaton referunt, & ita textum contexi, reputant. *Si non humiliter ſentiebam, ſicut ablactatus apud matrem ſuam, ſicut infans, qui vix de mammis depulſus eſt ſuper matris gremio; talis enim ſolet eſſe humilis, omnia à matre expectare, quod nondum corpus curare, neque ſine alterius adminiculo pedibus inſiſtere valeat.* Aliter tamen ſentio, & ſuſpicor: exprobrare ſibi Dauid ablactati infantis ſupplicium, ſi ſuperbus, & non humilis extitiſſet. Quaſi diceret: Domine ſi non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam, ſit mihi retributio, ſicut ablactato à matre infanti ſolet retribui. At quæ hæc exprobratio, & maledictio eſt? Quam energiam huiuſmodi includit imprecatio? Illam ſcilicet qua arrogantes puniuntur. Nam mater lac præbet filio, dum paruus eſt; at quandò magnus ei, hoc nutrimentum ſubtrahit. Sic Deus (cuius genium Vates optimè nouerat) myſteria, & dona ſua humilibus præbet: ſuperbis, & arrogantibus denegat. Exprobrat ergò Dauid maledictionem ablactati, ſi non eſſet humilis: hoc eſt, Dei ſecretis, ac myſterijs non lactari, quæ ſolis humilibus conceduntur; ſupebis & elatis obnubilantur. Quo ſpectat illud D. Auguſt. Serm. 27. de verb. Domin. loquentis de Magdalena. *Sedebat* (inquit) *ad pedes capitis noſtri: quantò humiliùs ſedebat, tantò ampliùs capiebat: confluit enim aqua ad humilitatis conualles.* & Serm. 74. de temp. *quantò humilior, tantò capacior, tantò plenior: colles enim aquam repellunt, valles implentur.* Ampliſſimam humilitas habet capacitatem, & quantò in ſe præcingitur, & coarctatur, tantò ab alia percipienda fit amplior ad ipſamque replendam omnia diuinæ gratiæ doua concurrunt. Sicut ne vacuum detur in natura, contendunt omnes res replere illud ſpatium, quod vacuum ſine illarum concurſu eſſet: ſic quem gratia vidit mente humilem, & propria æſtimatione vacuum, ſuis donis replet, quia ad ipſam ſpectat prouidere, ne in ordine ſupernaturali vacuum reperiatur. Quod optimè notauit Beatus Laurentius Iuſtinianus cap. 3. de humilitate. *Sicut non patitur natura vacuum, quin illud repleat: ſic nec gratia humilem, quin illi ſe infundat.*

3. Cum Moyſes oues paſceret ſoceri ſui, & vidiſſet rubum ardentem, & non combuſtum, velletque rei admiratione attonitus illùc accedere, eſſetque prohibitus à Domino. *Ne appropies huc.* Exod. 3. verſ. 5. Abſcondit faciem ſuam, oculoſque velauit, & ſtatim ait illi Deus: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto* &c. ibid. verſ. 7. Cur Moyſi qui paulò antea accedere ad Deum prohibetur, nunc magnum, & arcanum rubi myſterium reuelatur, aliaque plurima, quæ in gratiam populi ſui operatus eſt Deus? Opertis oculis videt, quod apertis ignorabat, & obuelata facie intuetur, quod expeditis luminibus non callebat? Ità equidem (ait Lyra.) *Quandò Moyſes curioſè ſe non ingeſſit, ſed humiliter faciem ſuam abſcondit, tunc Dominus ei reuelauit: quia abſcondit talia è ſapientibus & prudentibus: & reuelat ea paruulis.* Humilitas, qua Moyſes ſe ipſum agnoſcens deſiſtit à myſteriorum, cognitione, ipſius oculos acuit, & tunc cum illos operit, de arcanis, & mirabilibus myſterijs eruditur: quia propriæ vilitatis cognitio mentis oculos aperit, & abſtruſa quæque perſpicaci intuitu penetrat; vndè B. Albertus Serm. in Dom. 5. Adu. animæ oculum, & lumen quo omnia reſpicit, humilitatem vocauit. *Humilitas* (inquit) *eſt oculus animæ, per quam homo conditionem ſuam, ac ſtatum ſuum veriſſimè recognoſcit.*

4. Vt cæcum à natiuitate Chriſtus ſanaret, in quem nulla culpa priuationem lucis induxerat, in terram exſpuens, & collyrio ex luto fa-

Digitized by Google

to facto liniuit oculos lumine orbatos, & ad viſum reſtituit. *Hæc cum dixiſſet, exſpuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius, & dixit ei: vade, laua in natatoria Siloe (quod interpretatur miſſus) abijt ergò, & lauit, & venit videns.* Ioann. 9. verſ. 6. & 7. Quis non miretur, quod cæcus reddatur videns illo ipſo, quo obcæcari poterat? Vt quid ad reſtitutionem luminis luto vtitur Chriſtus, quod ad illud extinguendum, & ſordidandum videbatur aptius? Sic rerum naturas Deus inuertit, vt ad contraria munera eas aptet? Cur non aliquandò medicamento oculis familiari vtitur, ſed viſionis effectui, quem prętendit oppoſito? Egregiè hic Ambroſ. oculatiſſimam humilitatis naturam agnouit, ſic enim habet libr. de Viduis. *Alij oculos luto illinit, vt videre poſſet, Creatorque omnium docet nos, noſtræ memores debere eſſe naturæ, & corporis cernere vilitatem: nemo enim magis poteſt videre Diuina, niſi qui humilitatis ſuæ conſcius neſcit extolli.* Modica vis ad oculos acuendos in luto aderat, quia humilitatem exprimebat, quæ lumine ſuperno mentem perfundit, vt diuina, & abſcondita poſſit intueri. Etenim, qui propriæ vilitatis luto mentem illiniunt, & ſe ipſos humiliter deprimunt, oculos aperiunt, & argos æmulati naturam vndique illos habent, vt nihil ipſis lateat, nihil non perſpiciant. Vel quæ ſcire refugiunt, ipſis nota fiunt.

5. Ægrè ferens Moyſes populi peruicaciam ad ipſius gubernationem coadiutores poſtulat: annuenſque Deus ipſius deſiderio abſtulit de ſpiritu eius, & dedit ſeptuaginta viris qui ſtatim prophetarunt, vt Dei decreto muneri gubernationis oſtenderentur præordinati. Remanſerant autem, cum hæc accidebant, in caſtris duo viri Eldad, & Medad, ſuper quos etiam requieuit ſpiritus Domini. *Cumque prophetarent in caſtris, incurrit puer & nuntiauit Moyſi dicens: Eldad & Medad prophetant in caſtris.* Num. 11. verſ. 27. Quærunt interpretes: cur hi duo viri vaticinati ſint, cum non eſſent de numero ſeptuaginta virorum, neque ſe ingerere intendiſſent populi gubernationi? Cur diuina myſteria reuelantur, & propheticus ſpiritus illis infunditur, qui neque Moyſis electione, neque ipſorum negotiatione ad populi regimen vocabantur; quinimò illud reſpuebant, ſiquidem in caſtris manſerunt recluſi, ne illorum recordaretur Moyſes dum electioni intendebat? Tempeſtiuè Lyra difficultatem ſoluit. *Remanſerunt* (inquit) *non ex contemptu, ſed ex humilitate, reputantes ſe indignos tanta promotione; & ideò receperunt donum Dei, ſicut & alij.* Humilitatis aſſecla prophetica virtus eſt, quæ acutiſſima perſpicacia omnia intuetur. Qui ſe indignos reputantes ad caſtra confugerunt humiliter de ſe ſentientes ſpiritu prophetiæ donati repentè inueniuntur: quia dignitas, quam refugit humilitas, ipſam inſequitur; & humiliatus animus, vel cum oculos obtenebrare ſatagit, oculatiſſimus eſt, & ſupra luce perfuſus. Diuinarum rerum cognitio humilibus defertur, & illis denegatur, qui humilitatis expertes ſe efferunt, & extollunt; vndè cum Vates noſter minus de ſe ipſo humiliter ſentiebat, ad Diuina, obcæcatur, & aliter (ac par erat) de Deo fuit locutus; verùm cum ſe ipſum agnoſcit, & ſuam ignorantiam confitetur, Diuino lumine eleuatur, & myſteria Dei altè penetrans ea mirificè in ſuo Cantico exponit, cui humilitatis titulum præfixit: *Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantijs.*

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Ad fortius reſurgendum prodeſt aliquandò corruiſſe.

1. Sicut ad valetudinem conſeruandam quandoque iuuat ægrotaſſe, & victum eſſe ad vincendum, ſic multoties peccaſſe prodeſt ad peccata deinceps amputanda, corruiſſe ad fortiùs per pœnitentiam reſurgendum, in Diuino obſequio obdormijſſe ad cautiores de cætero vigilias obeundas. Quod mirè in noſtro Vate inſpicitur, nam ſemel lapſus, caſum poſtea detrectans, validus & in ſe ipſum, & in Dei hoſtes inſurgit, & ſurgit fortior ab ignorantia, quam antè incurrerat, & ipſam confitetur. *Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantijs.* Erigitur per pœnitentiam, & & reſipiſcens ſe ipſum ſuperat innocentem. Licèt enim communiter melior ſit innocentia, quam pœnitentia, ſicut melior eſt veſtis integra, quam diſſuta, & ſciſſa, tamen tam ardens, & efficax poteſt eſſe pœnitentia, vt innocentia ſit præſtantior, ſicut veſtis ſciſſuræ (ſi aureis funiculis, & pretioſis gemmis copulentur) pulchriorem reddunt veſtem ipſam, quam ſi tota ſana, & integra fuiſſet. Vndè rectè dixit Ambroſ. in pſ. 37. *Etſi peccaui, tu peccatum dimittis, etſi ego cecidi, tu reſuſcitas, ne habeant, vnde exultare poſſint, qui peccatis lætantur alienis, plus enim acquiſiuimus, qui plus peccauimus, quia beatiores facit tua gratia, quam noſtra innocentia.* Sic ſolet contrita deuotio culpæ maculas abſtergere, vt non ſolum integra reſtituatur puritas, ſed & candorem integrum innocentiæ imitetur. Vndè Iſaiæ 59. verſ. 20. de Chriſto Domino dicitur: *Et veniet Sion Redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob.* Vbi Lyra interpretatur: *Venit etiam ad accipiendum pœnitens in ſua miſericordia.* At cur æquè Redemptor mittitur ad Sion, quæ innocentem ſignificat, & ad redeuntem ab iniquitate in Iacob, qui peccatorem denotat pę-

nitentem? Cur innocens, qui nunquam deliquit, peccatori conuerſo non præfertur? Optimè Oleaſter in comment. huius loci. *Et vide* (inquit) *quod illemet Redemptor, qui mittitur ad Sion, mittitur etiam ad eos, qui ab iniquitatibus reſipiſcunt, vt coguoſcas reſipiſcentiam à veſtigio innocentiam ſequi*. Perfecta pœnitentia nitorem innocentiæ æmulata ipſius valorem aſſequitur, & aliquando ſuperat.

2. Bis præcepit Deus Ionæ, vt prædicaret Niniuitis, primò ipſius obedientiam fugit, & iactatus in mare, in ventreque Ceti receptus, ad littus tandem peruenit. Secundò, cogente Deo, obediuit, & ad Niniuen peruenit ciuitatem ampliſſimam, de cuius magnitudine ſic loquitur text. Sacer. *Et Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum*. Ionæ 3. verſ. 3. & 4. Hanc autem ciuitatem penetrauit Ionas, & vnius diei itinere illam peragrauit. *Et cœpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius.* Non cohærere videntur, quæ textus affirmat, nam ſi ciuitas itinere trium dierum erar, quomodò vno die tam longum iter conficere potuit Propheta? Nullo enim pacto valet homo pedibus incedens, tam longum iter in tam breui tempore ſuperare. Accedit, quod Vates ad prædicationis munus obeundum opus habuit, aliquam moram facere, vt excidium ciuitatis diuulgaret. Quo ergo pacto viginti quatuor horarum ſpatio quindecim leucas, quas menſura ciuitatis includebat, peregit, & totam ciuitatem prædicans ambulauit? Hieronym. venuſtiſſimè ad myſticum ſenſum Prophetæ iter inflectit. *Præcepti memor* (inquit) *& ſuperioris naufragij non oblitus, viam trium dierum vnius diei feſtinatione compleuit*. Ocyſſimo volatu pœnitentiæ pennis ad gratiam properauit Propheta, & breuiſſimo tempore longum iter perfecit, & quod greſſibus communibus trium dierum ſpatio ambulatur, pœnitentiæ pernicitate in vno peragitur, quia ſæpè pœnitens (qualis erat Vates) peccati anteacti memor feruentiùs reſipiſcit, & ad maiorem ſtatum gratiæ reſurgit. Quod innocentia paulatim acquirit, pœnitentia ſubitò aſſequitur, memoria enim præteritę offenſæ ſtimulus eſt in diligente ad vehementiùs amandum.

3. Semel, iterum, & tertiò Petrum Chriſtus interrogat, an ipſum amet. *Dixit Simoni Petro IESVS: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei; etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Etiam Domine tu ſcis, quia amo te. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis, diligis me?* Ioan. 21. verſ. 15. 16. & 17. At quid Chriſtus interrogat, quod ipſe iam ſciebar, & Petrus pia audacia, qua cæteris præcurrebat, ſatis manifeſtauerat? Præterquam quod ſi ipſum ſui amoris profeſſorem audire voluit, ſat eſſet, ſemel interrogare. Ad quid igitur trina interrogatione ipſum examinat? Venuſtè Aug. Tractat. in Ioan. 123: ſciſcitationem triplicem cum triplici negatione confert. *Tertiò vtrum Petrus eum diligat, Dominus interrogat, redditur enim negationi trinæ, trina confeſſio*. Orat Petrum Chriſtus: *Diligis me plus his?* Amare autem Deum vltra Apoſtolorum Proceres ardentior charitatis feruor eſt, conſultiſſimè ergo Chriſtus, cum excelſiorem expetit charitatis affectum in Petro, ipſi refricat trinę negationis memoriam, vt aſpectu ad delicta, quorum amarè pœnitet, ſic accendatur amor, vt audacter poſſit coram reſpondere, ſe plus omnibus Chriſtum diligere. Quod ex vocula *etiam* rectè colligit Maldonatus. Calcar enim amoris eſt olim immaniter offendiſſe, quem nunc peramanter diligis. Ideo Chriſtus ter Petrum interrogat, an ipſum amet, vt trinæ negationis recordetur. (*Redditur enim negationis trinæ, trina confeſſio.*) Vt pœnitentiæ lacrymis ignem amoris foueat, & vehementiùs excitet, quia à pœnitentiæ feruore ſæpè ad culmen perfectionis deuenitur, & cecidiſſe iuuat ad fortiùs reſurgendum. Hinc ipſi Petro alibi dixit Chriſtus: *Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cibaret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Luc. 22. verſ. 31. At quomodò Chriſtus pro Petri fide rogare pollicetur, ſi vix hæc verba protulit, cum Petri fides titubauit? Nullius enim energiæ oratio Chriſti videtur, ſiquidem paulò poſt columna illa, quam immobilem eſſe promiſerat, contremuit. Egregiè D. Hilarius lib. 10. de Trinit. nodum extricat. *Sed orat, vt Pater in nomine ſuo ſaluet ipſum, & adeo ſaluat, vt Petri fides, pœnitentia ſubſequente, non deficiat*. Etſi Petrus nutauerit in fide, non vana Chriſti oratio fuit, ſed efficax, quoniam ipſa pœnitentiam Petri promeruit, quæ illum ad antiquum gratiæ ſtatum reſtituit, & adeo pura, & expurgata eius fides, pœnitentiæ lacrymis remanſit, veluti ſi ſemper ſtabilis foret, ſi nunquam vacillaſſet. Nam pœnitentia artificium eſt redintegrandi gratiæ ſtatum, & illum firmiùs ſtabiliendi: quia quaſcunque degeneres notas delet, & innocentiæ puritatem inſtaurat.

4. Regredienti Prodigo ad paternam domum occurrit miſericors Pater, & antequam ipſius nuditas ſeruis innoteſceret, illum indui pretioſis veſtibus procurat. *Citò* (inquit) *proferte ſtolam primam, & induite illum*. Luc. 15: verſ. 22. Cur filium vitijs implicatum, & perditiſſimæ vitæ deditum ſtola prima indui ſatagit? Nonnè alia quęcunque opportuna erat ad eum induendum, qui ſciſſa, ac diſſuta veſte ad domum redibat? Qui patris gratiam tot flagitijs demeruerat, tam citò in paterno fauore excipitur, & ad primam gratiam aſſumitur? Ira enim (ait Enodius) nam ſemel ad pœnitentiam traductus amorem aſſequitur, quem perdiderat, & ad totam paternæ domus poſſeſſionem reſtituitur, quaſi nunquam deliquiſſet.

Digitized by Google

quiſſet. *Ad ſtolam candidam, ad annulum pretioſum, ad diuitias illas paternæ poſſeſſionis, quaſi ſemper ſeruaſſet iuſſa, reuocauit.* Non quacunque veſte pœnitens induitur filius, ſed prima, quæ nitorem innocentiæ reuerberabat. Vndè videns filius maior, quanto honore pius pater reuertentem prodigum ſuſceperat: *Indignatus eſt, & nolebat introire.* Ib.v.28. Quæritur ab Interpretibus, an inuidia afficeretur ſenior frater dolens de proſperis iunioris, & communiter fatentur omnes, non inuidentis illa verba eſſe: quia nullus Sanctorum mœret de aliorum fœlicitate, quinimò aliorum bona ſua exiſtimat. Ille autem maior filius iuſtus erat, ac ſanctus, vt rectè colligit Caiet. ex ipſius verbis: *Nunquam mandatum tuum præterui.* Cur ergo de gratia quam apud patrem inuenit prodigus, indignari dicitur? Audiendus eſt Chryſoſt.in Catena adductus. *Introducit alios turbatos in eorum bonis, vt indicet eos non liuore tabeſcentes, ſed tantò decore bonoratos redeuntes, vt etiam inuidioſi poſſint alijs fieri.* Eſt & in iuſtis æmulatio, ſed ſanta, & proficua, qua excellentiori virtuti inuident, adeòque prodigum venuſtauerat pœnitentia, vt ſeniori fratri inuidioſus extitiſſet, quia ſic honorantur pœnitentes, & ad talem pulchritudinis gradum reſurgunt, vt innocentes in gratia ſuperent, ipſiſque inuidendi anſam præbeant, quia non modò dedecus abolere præteritum, ſed nullam eius notam relinquere.

5. Apocalypſ.14. verſ. 4. de numeroſa illa turba, quæ Chriſtum ſequebatur, dicitur: *Et nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra: hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt.* Meritò hic ambigitur, an illi tantùm, qui virginitatem corporis ſeruare ſtuduerunt, laudes Deo decantent, & qui vxores duxerunt ab illis arceantur, ſiquidem tantùm de virginibus laudes decantaſſe dicitur? Et vno ore omnes fatentur, etiam vxoratos laudibus incumbere Diuinis, ipſiſque nunquam ſatiari, ſicut & Dei viſione ſaturari nunquam, & quantò proximiores Deo ſunt ſecundum meritorum qualitatem, tantò feruentiùs ad ipſius laudes prouocari. Quis D.Petrum, & alios Sanctorum Proceriores, qui virginitatem non obſeruarunt à pueris, & alijs longè in ſanctitate inferioribus in Dei laudibus ſuperati dicet? Imò nec Deum laudare, quia virgines non ſunt? At ſi dicantur omnes in beatitudine illud nouum canticum Deo dicere, vt verè dicendum eſt, quomodò ſi in illa ſuperna patria diuerſi ordines ſunt, vt Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, & Virgines, omnes Sanctorum animæ virgines eſſe dicuntur, & taliter virgines, vt cum mulieribus coinquinatæ non ſint? Optimè Ambroſ. ad hunc locum difficultatem examinat. *Fuerunt etiam multi, qui poſt baptiſmum multa ſcelera commiſerunt: ſed cum per pœnitentiam, & lachrymas malum, quod geſſerunt, delere ſtuduerunt, & in bono propoſito perſeuerauerunt, Domino veniente, eorum animæ virgines repertæ ſunt; quidquid in eis fuit reprobum, charitatis remedijs eſt purgatum: iſtorum igitur animæ rectè virgines vocantur: quia ſi quas ſordes ex coniunctione fœminarum traxerunt, bonis operibus deletum eſt.* Pœnitentia enim virtutes de nouo cudit, vitia obliterat anteacta, virginitatem redintegrat: & ideo quæque animæ pœnitentiæ lacrymis purgatæ virgines dicuntur, & ſi antea fuiſſent carnis illecebris pollutæ: quia ad priſtinum innocentiæ ſtatum pœnitentia reuocat, ita vt à memoria excidat, quidquid gratiæ ſtatum peruertit.

6. De Regibus Iuda loquens Eccleſiaſticus omnes fuiſſe flagitijs implicatos affirmat. *Præter Dauid* (inquit) *& Ezechiam, & Ioſiam* cap. 47. & 48. Non parua hic oritur difficultas: nam non apparet via, qua prædicta verba poſſint verificari, ſiquidem Dauidis peccata notiſſima ſunt, & Ezechiam in iactantiæ peccatum fuiſſe prolapſum propter victoriam partam ab Aſſyrijs, ob quod grauiter ægrotauit, vt habetur Iſaiæ 38. & omnes fatentur Interpretes. Quo ergo pacto omnes Iſrael Principes peccaſſe dicuntur præter Dauid, Ezechiam, & Ioſiam? Rectè Rabanus difficultati occurrit. *Iſti tres dicuntur non peccaſſe, non ſimpliciter, ſed aliorum comparatione: quia quod peccauerunt, condigna pœnitentia deleuerunt, & deuotionis, ac pietatis officio Domino placuerunt.* Non vltra Deus recordatur peccatorum, quæ pœnitentia obliterantur: quia tantum illius oculos occupat, & allicit officioſi, ac pœnitentis animi pulchritudo, vt illius intuitu nequeat peccati deformitatem reſpicere, nec pœnitentiam venuſtiſſimis gratiæ dotibus non exornare. Inter recentem ſceleris turpitudinem futuram proſpicit pœnitentiam, & illius aſpectu ad munera exhibenda fertur.

7. Poſtquam Iſraelitæ horrendum illud idololatriæ genus commiſerunt, vocauit Dominus Moyſem, ipſique præcepit feſtinanter populum educere in terram, quam erat pollicitus. *Vade, aſcende de loco iſto tu, & populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti in terram, quam iuraui Abraham, Iſaac, & Iacob.* Exod. 33.verſ. 1. Quis non expectaret, populo grauiſſimum euenturum ſupplicium poſt immane idolatriæ flagitium? Et tamen terræ promiſſæ poſſeſſionem feſtinat Deus Ipſis porrigere, poſtquam in ipſum ingratiſſimi extiterunt. Felix culpa quæ tanto remuneratur beneficio: Apagè, vbi eſt Dei iuſtitia, quod nondum expiato delicto delinquentem honorat, & coronat crimen? Quid plus ipſis contuliſſet, ſi vt par erat, ipſius mandata obſeruaſſent? Criminoſum populum introducit in terram affluentem delitijs, & cæleſtem pa-

triam referentem? Egregiè Oleaſt. pro Dei iuſtitia decertat. *Nunquam* (inquit) *hucuſque legimus, Deum feſtinaſſe, & vrſiſſe ſic Iudæos ad terram promiſſam, quemadmodum nunc poſt peccatum: vt intelligamus peccatores ſæpius ad maiora dona, quam antè peccatum habuerant, reſurgere*. Præuidebat Deus populi reſipiſcentiam, & crimen commiſſum pœnitentiæ piaculo expurgandum: huiuſmodi autem intuitu oculos ab idolatria auertit, & populum remunerari feſtinat præſagijs ipſius profectus, qui ſæpè maior eſt ex incedentia, & ad meliorem frugem reducit errantem. Sic vbi Paſtor ille, qui deperditam ouem quærere aduenerat, illam inuenit, *impoſuit ſuper humeros ſuos gaudens &c.* Lucæ 15. verſ. 5. Forſitan ſi ouis non erraſſet, pedetentim ad paſtorem veniret: ſed quoniam perdita errorem agnouit, & de ipſo vehementer doluit, non tulit Deus illam aliter, quam ſuper eius humeros ambulare. Quod eleganter notauit D. Gregorius hom. 34. in Euang. ad illa verba, *Gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Quia dux* (ait) *in prælio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reuerſus hoſtem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga præbuit, & nuſquam aliqua fortiter geſſit: ſic agricola illam amplius terram amat, quæ poſt ſpinas vberes fruges profert, quam eam, quæ nunquam ſpinas habuit, & nunquam fertilem meſſem producit.*

DISCURSUS V. MORALIS.

Chriſtiani vel à vitijs abſtinere debent, ne Ethnicos ad nefandas blaſphemias inducant.

1. MInus deploranda eſſent Chriſtianorum flagitia, ſi vel intra Eccleſiam manerent: neque illi, qui ſunt à Chriſti fide alieni, agnoſcerent motum noſtrorum turpitudinem, quo & nomen, quod eſt ſuper omne nomen, polluitur in Gentibus, & ipſi ab eiuſdem fidei ſuſceptione vehementer alienantur: nec enim adducuntur, vt credant probabilem, ac ſuſcipiendam religionem eſſe, quæ tam deprauatos habeat cultores. Maximè ſibi gratulantur Hæretici, & Gentiles, cum eoſdem mores in Eccleſia vident, ac in ſeipſis, & Euangelicam rationem contemnunt, dum ipſam ſceleribus pollui, conſpiciunt. Vndè Saluianus lib. 4. in eos inuehitur Chriſtianos, qui ſuis flagitijs occaſionem præbent Ethnicis nefarias blaſphemias euomendi: nam inſultantes illos exprobrant, quos publicè vitioſos vident. *Vbi eſt Catholica lex, quam credunt? Vbi ſunt pietatis, & caſtitatis præcepta, quæ diſcunt? Euangelia legunt, & impudici ſunt. Apoſtolos audiunt, & inebriantur. Chriſtum ſequuntur, & rapiunt. Vitam improbam agunt, & probam legem habere dicunt. Talis profectò ſecta eſt, quales & ſectatores. Hoc ſunt abſque dubio, quod docentur. Apparet Prophetas, quos habent, impuritatem docere: & Apoſtolos, quos legunt, nefaria ſenſiſſe: & Euangelia quibus imbuuntur, hæc quæ ipſi faciunt, prædicare. Sancta à Chriſtianis fierent, ſi Chriſtus ſancta docuiſſet.* Sic Ethnici apud Saluianum. Quorum tam atroces blaſphemias, quæ religioſę aures non reſpuant, non horreant, non deteſtentur? Sed multò magis deteſtanda ſunt illorum opera, quæ illis blaſphemijs, & conflandis, & eiaculandis occaſionem præbuerunt. Queritur ab Interpretibus, propter quid Dauid ſublato filio ex Berſabea, quem vita ipſa habebat chariorem, grauiſſimè à Deo puniatur? An propter adulterium? An propter homicidium? An quia vtroque ſimul iniuſtitiæ, atque intemperantię flagitio ſeipſum ſordidaret? Et videtur propter nullum horum fuiſſe punitum: nam confeſſione ea deleuerat: vndè audiuit, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*. 2. Reg. 12. Vndè igitur tam acriter punitur, niſi propter vnicam huius ſceleris circumſtantiam, nempè, peſſimum exemplum in Diuini nominis opprobrium redundans, vt Nathan ipſi nuntiauit. *Quoniam blaſphemare feciſti inimicos, Domini propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur*. Ibid. verſ. 14. quod Saluianus citatus rectè expendit. *Qui æternam* (inquit) *pro offenſionibus ſuis pœnam per vnam tantum confeſſionem, meruit euadere: huius tamen criminis veniam, nec per pœnitentiam patrocinantem potuit impetrare.* Ex quo intelligitur, nullum eſſe execrabiliùs flagitium, quam blaſphemandi cauſam infidelibus præbere: tum ex aliorum damno (vt probat Saluianus. *Quia multos ſecum præcipitat in mortem, & neceſſè erit, vt ſit pro tantis reus, quantos ſecum traxerit in reatum*) tum etiam ex Diuini nominis contumelia: nam qui peccat ſine offenſione aliorum; *Sacroſanctum Dei nomen* (pergit Saluianus) *ſacrilega blaſphemantium maledictione non lædit: qui verò blaſphemare alios fecerit, per conuitia plurimorum inæſtimabilem Deo facit iniuriam.* Occaſionem enim præbent, vt de Deo malè ſentiant Chriſtianæ profeſſionis hoſtes, & ſeipſos excuſent aſſerentes neſcire Deum amicos eligere, ſed potiùs eius dona perperam dediſſe: nec plurimum eſſe eos peruerſos, ſiquidem Dauid, qui Deo charus, & tot habebat motiua, vt bonus, & gratus eſſet, adeò magnus peccator extitit. Ac denique quod Deus terribilis eſt, ſiquidem cum amicis adeò eſt infelix, vt etiam ſtrictiſſimus ab eo diſcendat.

2. Tem-

2. Tempore Roboami duodecim tribus diuiſę ſunt; illi duę tantùm remanſerunt, & decem Ieroboamo, quę ſemper idololatrię ſeruierunt, tametſi Deus ſemper illis veniam promiſerit, ſi à peccatis vellent reſipiſcere, vt indicant verba illa Ieremię 3. verſ. 22. *Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras.* Non tantum autem Roboam, verùm & ipſe Deus cum duabus tribubus remanſit, quibus innumera pręſtabat beneficia: vt vel ſic decem tribus inuidia allectę à ſceleribus innumera præſtabat beneficia: Quantùm ergo Deus maiora illis conferebat beneficia, tantò extitere ingrati: & tandem cęteris tribubus ſimiles fuerunt idolis ſeruientes: de quo maximè conqueritur Deus, Prophetęque dixit. *Iuſtificauit animam ſuam auerſatrix Iſrael comparatione præuaricatricis Iudæ.* Ib. verſ. 11. Quaſi diceret: quod vehementer doleo, id eſt, quod ad vmbram idololatrię Iudę omne ſcelus ſuum iuſtificabit Iſrael: etenim dicent nunc Iſraelitę, non mirum eſſe, eos in idololatriam fuiſſe prolapſos, cum Iudam (cuius ego adeo ſpecialem curam habebam) etiam fuerit eodem crimine polluta; & quod ſim Deus rationis expers, quem nullus ſuſtinere poteſt, ſiquidem à me omnes diſcedunt, & adhuc Iudę tribus, cui tot pręſtabam beneficia, idolis inſeruiuit. Non ſecus, qui Chriſtianam religionem profitentur, & moribus ipſi contradicunt; infidelium peccata iuſtificant: nam cum ipſi viderint, quam diſſimiliter operantur Catholici ab eo, quod credunt, & ſperant, ſuorum criminum excuſationem habent, nec pudet ea patrare, quæ arctioris religionis profeſſores perpetrant. Hinc loquens idem Vates de flagitijs Iudę, & Iſrael dixit cap. 32. v. 30. *Erant filij Iſrael, & filij Iuda iugiter facientes malum in oculis Dei.* Vertunt 70. *Soli facientes malum.* Num & aliæ gentes eo tempore quo Iſrael, & Iuda peccauerunt, malum non fecerunt, quod ipſi ſoli peccaſſe dicuntur? Vtique & omnes gentes eo tempore plurima flagitia corruerunt. Quo ergo pacto Iudæ, & Iſrael tribus tantum peccauerunt? Audi Hieronym. *Qui non habet notitiam Dei, & recedit ab eo, ſolus peccat in oculis Dei: qui verò increduli permanſerunt, quaſi illo non vidente, & negligente relinquunt.* Soli peccare dicuntur, qui Dei vbique pręſentes oculos non reuerentur, quaſi cæteri præ illis minimè peccent. Chriſtianorum enim peccata oculos Dei lædunt; ifidelium autem non ita: quoniam fidelium flagitijs ad delinquendum inducuntur Ethnici, & excuſationem habent de peccatis ſuis.

3. Hinc citiùs, & acerbiùs meritò puniuntur fideles, quam qui ipſorum nomine, & profeſſione non gaudent: quia ex Religionis, quam contemnunt, excellentia ipſorum ingraueſcit peccatum. Magna apud interpretes concertatio eſt, quam ob cauſam Ozam Deus percuſſerit, & ſtatim ac extendit manum ad arcam, interfecerit? Sic enim ipſius mors deſcribitur. 2. Reg. 6. verſ. 6. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam, iratuſque eſt, indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate, qui mortuus eſt ibi iuxta arcam Dei.* Difficilè eſt in huiuſmodi euentu exceſſum Sacerdotis percuſſi detegere: nam arcæ caſum anteuertere officioſū obſequium, & laude dignū videbatur. Theodor. q. 20. in 2. Reg. congruentem rationem excogitauit. *Alterius* (inquit) *delicti luit pœnas: nam cum Deus iuſſiſſet, vt Sacerdotes arcam ſuis ferrent humeris, præter legem eam tulit in plauſtro: hoc autem eos fefellit, quod ea ſic emiſſa ab alienigenis nemini nocuit.* Succinit Lyra. *Præterea peccauit in hoc, quod voluit aſſimilari Philiſteis infidelibus in arcæ deportatione.* Portauerant Philiſtæi medijs bouibus arcam, quin eis nocuerit; at Ozæ ſimili modo arcam portanti mortem Deus intulit: quoniam Philiſthæi infideles erant; proindèque ipſorum reuerentia non fuit illis exitialis; Oza autem quia populi Dei erat, ſtatim vltimo afficitur ſupplicio: nam paria crimina diſparibus pœnis plectuntur in fidelibus, & infidelibus; quia fidelium peccata præter deformitatem, quam habent, infideles inducunt, vt de Deo indignè ſentiant, & ipſius nomen blaſphement.

4. Inuitauit ille Paterfamilias relatus apud Lucam, & Matthæum homines plurimos ad cœnam magnam, quam præparauerat: ingrati aliqui, & impudentes Diuinum ſpreuere conuiuium. Succenditur Deus ira, & pœnam comminatus inquit: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Lucæ 14. His autem repulſis, & alijs introductis, iamque veſcentibus introiuit Dominus videre conuiuas, & inuenit ibi hominem veſte ſordida recumbentem: arguit, increpat, & condemnat. Audi ſententiæ tenorem. *Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Matt. 22. Quid? Mitiùs agitur cum effrontibus illis, qui contempſerunt conuiuium, qui vocati domum noluerunt adire quam cum illo, qui obtemperauit, qui cœnam guſtauit? Ob vnum peccatum tam acriter caſtigatur? Quid? Si quæ parata erant in conuiuio, non comediſſet, neque ad domum inuitantis acceſſiſſet. Mitiùs ſanè eo tempore torqueretur; nam qui cœnam comedit, qui beneficium accepit, & peccauit, circumſtantiam habet ingratitudinis. Qui Chriſtiano gaudet nomine, & delinquit, ſeueriùs debet plecti, & quia non reſpondet profeſſioni ſuæ, & quia infidelibus occaſionem præbet de Deo malè ſentiendi. Qui ad domeſticos iam pertinebat, turpiùs cecidit, & acerbiùs punitur.

DISCVR-

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Peccati confeſſio vnicum ſalutis medicamentum.

1. IGnorantiam, quam Vates noſter ſuperbiendo incurrerat, humiliter confitendo retractat, & morboſum affectum, qui menti inſederat, propriæ inſipientiæ confeſſione amputat, *Oratio Habacuc pro ignorantijs*. Exprompt um enim remedium eſt ægritudinem agnoſcere, & fateri, vt morbus animi depellatur. Vndè Seneca epiſt. 28. *Initium eſt ſalutis notitia peccati. Egregiè mihi hoc dixiſſe videtur Epicurus: nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te, oportet, antequam emendes*. Quiſquis malitiam infirmitatis prænoſcit, & quam lethalis ſit eius morſus, ipſum facillimè deteſtatur, & ſerpentem, ac peſtilentem mortem auertit. Pœnam grauiſſimam olim Deus fuit comminatus ei, qui Cainum occidiſſet. *Qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur*. Gen. 4. verſ. 24. Ecce poſt multum temporis Cain occiditur à Lamech, vt tradit Hieronym. epiſt. 125. ad Damaſum, cui recentiores Interpretes aſſentiunt. At quæ pœna occiſorem ſecuta eſt? Nulla planè in ſacra pagina inuenitur. Quid ergo? Lamech ab homicidij pœna immunis fuit? Lex generaliter fuit lata, neque vllus ab illius obſeruatione fuit exceptus. Vndè ergo homicidij pœnas effugit Lamech? Ex ipſa ſanè homicidij confeſſione: ipſe namque pœnitens ſuam fatetur culpam. *Occidi* (inquit) *virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum*. Ib. verſ. 23. Hæc autem culpæ confeſſio, hæc peccati deteſtatio medicina fuit, qua venenum culpæ depulit, & pœnam anteuertit: ſic penſitauit Theodoret. quæſt. 34. in Gen. *Pœnam euaſit propter peccati confeſſionem, & contra ſe ferens ſententiam mutauit ſententiam Diuinam*. Viuaci confeſſione malitiam expendit ſui flagitij, & illud abolere præſumic ipſa ægritudinis cognitione: nam peccatori nullum aliud remanet euadendi remedium præter illud: quod miniſtrat propriè culpæ humilis confeſſio, & propriæ infirmitatis reuelatio: medico enim ægritudinem detegere primum ſalutis ſignum eſt. Vndè Dauid culpæ morbum expertus dicebat Pſal. 36. verſ. 5. *Reuela Domino viam tuam, & ipſe faciet*. Vt enim ſemina obtenebrata, & abſque Solis ineuitu moriuntur, Soli obiecta pingueſcunt, & vmbra arbores internecat, Sol viuificat, & germinare facit: ita peccata tegere lethalem morbum ingerit; reuelare vitam præſtat, & ſalutem.

2. Pſalm. 68. verſ. 16. perſonam Chriſti agens dicebat Dauid. *Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum*. Hic iuxtà Caſſiodori ſententiam membra Chriſti loquuntur, & pœnitentiæ locum expoſtulant. *Neque abſorbeat me profundum; id eſt, vtique peccatorum, quod voracitate quadam deglutit animas impiorum, vt ad pœnitentiam redire nequeant*. Proprietas autem translationis in eo eſt, quod ſicut qui in mare incidit, non ſubmergitur aquis, quamdiù ipſæ ad os non perueniunt, quoniam reſpirandi munere, in quo vita conſiſtit, vtitur: ſic qui in peccati gurgitem eadit, ſi os liberum, vt ſua peccata confiteatur, vt doleat, & Diuinam imploret miſericordiam, habeat, ſaluus eſſe poterit; ſi autem tanto peccatorum affectu tenetur, vt neque infirmitatem detegere, neque eam agnoſcere poſſit, abſque dubio demergetur, & in profundum deſcendet. Sic Gloſſ. ad prædicta verba. *Quamuis aliquis in puteum iſtum ceciderit, non tamen claudit puteus ſuper eum os ſuum, niſi ipſe prius clauſerit os ſuum: claudit autem, qui illud in profundo contemnit, à quo velut à mortuo perit confeſſio*. Hinc cum homo ille, qui conuiuium parauerat ad nuptias, inter conuiuas hominem non veſtitum veſte nuptiali videret, ipſumque interrogaret, cur ſic ingrederetur, illeque obmuteſceret: *Dixit Rex miniſtris: ligatis manibus, & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores*. Matth. 22. verſ. 13. Cur ita ſeuerè miſer ille puniatur, quærit Gualfridus in allegorijs Titelman. ad c. 22. Matth. at ſatis perſpicuè ſupplicij cauſam textus innuit: nempè, quia veſte ſordida illuc intrauerat. Verùm ſuæ damnationis rationem aliam fuiſſe, arbitratur Gualfridus, ſiquidem poſtquam accubuerat, ipſum amicum vocat inuitator. *Amice, quomodo huc intraſti?* Et damnatum iri ſuſpicatur, quia obmutuit. *Tunc videlicet: non vbi ille ſine nuptiali veſte introiuit; ſed poſtquam admonitus ſiluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri*. Ad æternos cruciatus damnatur, quia poſt commiſſum flagitium tacuit; ſi enim culpam fateretur, Regis ſocietate gauderet, & gloriæ delitias poſſediſſet. Morbus animæ ſilentio inualuit, & adieum præcluſit ad ſalutem, peccato altà taciturnitate retento: quia nullo alio medicamine viuax animi peſtis ſanatur, niſi confeſſione, & vomitu ipſius veneni. Cum humor qui intrinſecus latet, ſerpit ad os, ſalutis præſagium creditur. Vndè redeunti prodigo occurrit pater: *Cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum*. Luc. 15. Curioſè quærit Chryſoſt. hom. de filio prodigo, in qua parte filium pater fuerit oſculatus, in facie, an in ore? Et reſpondet: *Oſculatur os, per quod emiſſa de corde confeſſio pœnitentis exierat, quam pater latus excepit*. Oris confeſſione prodigus redijt ad gratiam, nam hæc facilè parabilis, & valdè proficua medicina eſt.

3. Petro aliquando pollicenti ſe Magiſtrum

ſtrum ſecuturum reſpondit ille: *Non potes me modò ſequi: ſequeris autem poſtea*. Ioan.13. verſ.36. Latroni autem quondam ſui recordationem duntaxat poſtulanti reſpondit: *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Lucæ 23.verſ.43. Cur Petri deſiderium diſtulit, huius autem multo cumulatiùs, quam poſtulauerat, expleuit? Cur Diſcipulum retardat, & latronem feſtinanter excipit? Niſi quia hic ſua iam peccata palam fuerat confeſſus ib.v.41. *Nam digna factis recipimus*. Annuit D. Aug. ſer.130. de temp. *Vides quanta res ſit confeſſio: confeſſus eſt latro, & paradiſum aperuit confeſſus eſt, & tantæ fiduciæ robur accepit, vt de latrocini regnum depoſceret*. Etenim qui humiliter confitetur, & os ſuum aperit ad reſeranda peccata, dignus eſt, vt beneuolè audiatur: Confidenter regnum poſtulabat, poſtquam confeſſionem præmiſit: neque antea fuit auſus de regno loqui, quam auxiliarem haberet humillimam confeſſionem. Quod etiam eodem ſermone notauit Auguſt. *Non eſt auſus ante dicere: memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum, quam per confeſſionem iniquitatis præteritæ ſarcinam peccatorum deponeret*. Confeſſio animauit ad gloriam, impulit ad patriam, & de illius poſſeſſione illum certum fecit.

4. Sponſi deſiderium, qui noſtram ſemper expectat conuerſionem, Sponſa agnoſcens dicebat: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos*. Cant.5.verſ.9. At quid hac metaphora Sponſa docere voluit? Audiendus eſt Bernard. ſer. 56.in Cantica. *Hoc tibi tota vigilantia prouidendum, vt apertas ſemper inueniat feneſtras, & cancellos quoſdam confeſſionum tuarum, per quos te ſutiùs benignè reſpiciat: quoniam reſpectus eius profectus tui*. Quaſi dicat; murum extruxiſti peccatorum, quo in tuum animum Diuinus prohibeatur ingreſſus. Feneſtras confeſſionis aperi, per quas intrò in cor tuum, Diuinus immittatur aſpectus: quoniam eius reſpectus tua ſalus, tua profectio eſt, ſicut & Sponſæ fuit. Hæc cum clauſo oſtio firmiterque oppeſulato dormiret, perſeuerantia tandem Sponſi pulſantis victa: *Aperi mihi ſoror mea*. Cant.5. verſ.2. E' lecto decreuit ſurgere, & aperire dilecto. Cumque ſe præpararet, & fores reſerare vellet? Quid primum egit, vt ei ornata (ſicut oportebat) occurreret? Myrrha probatiſſima ſe totam perunxit. *Surrexi* (inquit) *vt aperirem dilecto meo: manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima*. Tanta fuit abundantia myrrhæ, qua me perfudi, vt & manus, & digiti illam ſtillarent. Cur cum Sponſa intra domum, & cordis penetralia Sponſum recipere vult, & illi aperire, non veſtes elaboratas, non torques aureos induit, neque alio genere vnguenti odoriferi, ſed myrrha tantum vſa eſt? Optimè ad inſtitutum D.Ambroſ. lib. 3. de Virgin. *Hunc odorem flagrat anima, quæ Chriſto aperire incipit, vt accipiat primum odorem Dominicæ ſepulturæ*. Myrrha (vt Patres communiter docent) ſymbolum eſt pœnitentiæ. Anima ergo, quæ à lecto delictorum ſurgere ſtatuit, & Chriſto Domino fores cordis reſerare decreuit antè omnia pœnitentia ſe ornare debet, & myrrha amara contritionis, & confeſſionis ſe vngere: quia peccatorum ſalus à confeſſione incipit, & neceſsè eſt, morbum fateri vt medelam accipiat: nam infirmitas, quam non confitetur homo, ſed ſalutem putat, inſanabilis eſt.

Verſ. 2. Domine audiui auditionem tuam, & timui. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud. In medio annorum notum facies. Cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis.

ANNOTATIO II.

Expoſitio Litteræ.

1. Accuſate priùs videbatur Vates, vt ipſe putarat, nimis ſecurum, & pacatum animum in iuſtorum iniurijs vindicandis. Nunc horret, & expaueſcit, dum audit, quam durus exitus, & horribilis caſus maneat tam Iudæorum Principibus, qui inferiorem turbam lacerabant, quam Chaldæorum Regi, qui pro ſua potentia in populum captiuum graſſabatur. Hoc eſt ergo, quod audiuit à Domino, hoc quod horret, quia iam reipſa completum propheticis oculis intuetur. *Auditionem* hic pro re audita accipitur, aut pro verbo, quod nec Latinis inuſitatum eſt.

Sic

Sic lib.8.epiſt.Ciceron.ep.1.ſcribit Celius Ciceroni. *Romam eum veniſſem, nec renuiſſem quidem, auditionem de ea re accipi.* Dicit autem *timui*, ideſt, obſtupui rei magnitudine, & præſtantia, atque miſericordiæ maximæ admiratione attonitus, & quaſi raptus in mentis exceſſum. Vndè 70.reddiderunt. *Conſideraui opera tua, & expaui.* Quod licet in Hebræo non ſit, adhibitum eſt ab illis claritatis gratia.

2. *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Quid ſit illud opus, quod viuificari orat Propheta, obſcurum eſt: nec nunc agimus de myſtico, aut allegorico ſenſu, de quo ſtatim; ſed de hiſtorico, de re nimirum Babylonica, & libertate populi captiui: opus igitur eſt populi libertas. Cum autem exules mortui dicantur, & exilium ſepulchrum (vt conſtat ex cap.17. Ezechiel) optimè ſubdit Propheta. *Viuifica illud.* Illud autem propriè eſt, quod mortuum eſt, & ad vitam reuocari iubetur. Sed quia non aliter reuocandus erat populus ad libertatem, niſi extincto Chaldæorum imperio, & Nabuchodonoſoris progenie (vt Ieremias docuit cap.27. vbi idem tempus imperij Babylonici termino, & Iudæorum libertati conſignatum eſt) ideò etiam orat Deum Propheta, vt opus ſuum compleat, & potentiam euertat Babylonicam, quando aliter viuificari non poteſt Iudæorum populus, ideſt, ſolutus ac liber eſſe: hoc autem eſt viuificare opus ſuum. Opus verò Dei vocatur populus ille, quem Deus elegit ſibi ex omnibus, inſtituit legibus, ornauit ſingularibus, & penè perpetuis beneficijs, & certo charactere à reliqua hominum turba diſtinxit. Sic vocat Iſaias cap.45.verſ.11. *Hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael Plaſtes eius: ventura interrogate me ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mearum mandate mihi.* Quare opus ſuum viuificat Deus, eum opus ſuum eximit à ſeruitute, ideſt, à ciuili morte.

3. *In medio annorum.* Id eſt eum in præcipiti erunt mala, & cum ingruent vehementiùs pericula, cum circumfluentibus vndique calamitatum fluctibus, nulla emergendi affulgebit ſpes. In medio enim alicuius rei eſſe dicitur aliquando, quod ab ipſa præmitur, & vrgetur, maximè, vt circumfuſo malorum æſtu nullum euadendi pateat effugium. Tale eſt illud Pſalm.22. verſ.4. *Nam etſi ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Sic igitur in medio annorum opus ſuum Deum viuificare, petit Propheta: ideſt, libertatem populi nempè, cum anni illi captiuitatis, & exilij, qui ad ſeptuageſimum erant protrahendi, nullum finem, aut remedium habituri vidabantur. Alij in his annis tempus à Deo definitum intelligunt. *In medio annorum.* Ideſt, intra annos à te conſtitutos, aut quos tu huic operi præſignaſti. In medio namque alicuius rei eſſe dicitur, quod intra illam eſt vt ſæpè in ſcriptura. Pſalm.100.verſ.7. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam.* Ideſt, intra domum meam, & Ieremiæ 50. verſ. 8. *Recedite de medio Babylonis.*

4. *Viuifica illud.* Viuificare Hebræis ſeruare, & liberare ſignificat, vt 1.Reg.27. verſ.11. *Virum, & mulierem non viuificabat Dauid.* Et in Pſalmis paſſim ferè in hac ſignificatione reperitur. *Dominus conſeruet eum, & viuificet eum.* Pſalm. 40. verſ.3. Qui enim in afflictione, anguſtia, & miſeria conſtitutus eſt, mortuo ferè ſimilis eſt; quin & mortuus à ſcriptura vocatur, & ſepulchra inhabitare perhibetur. Sic Euripidis Hecula aiebat: *Mortua ſum ego, antequam moriar.* Igitur à calamitate liberari, idem eſt, ac reuiuere, & iterum generari. Mortuum autem dicitur id, quod in eo ſtatu eſt, vt parum habeat viriditatis, & ſplendoris: quomodò mortuæ vocantur arbores in autumno, aut hieme: quia illam venuſtatem amiſere, quam habuerunt à foliorum luxuria, & florum vbertate. Sic à Iuda quædam arbores autumnales dicuntur bis mortuæ: & moriens à poetà dicitur herba, quæ ſitiaret: mortua imago, cuius diluti ſunt colores, & forma nondum ad viuum expreſſa; ſicut viuere dicuntur imagines, quæ omnibus numeris ſunt abſolutæ, Vt Virgil.lib.6.Æneid.

Excudent alij ſpirantia mollius æra.

Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus.

Sic igitur in Iudæis Babylone captiuis, & præcipuè in Iechonia nulla apparebat antiquæ gloriæ, ac dignitatis effigies, cum ita eſſet mutatus color optimus, ſic defloruiſſet dignitas oris, vt nec in plateis ab illis, quos habuere prius familiares, agnoſceren-

rentur. Qui hos ad priſtinam gloriam, & formam reuocaret, viuificaſſe diceretur, aut aridum lignum, aut imaginem decolorem, & perditam, aut certè informe animaſſe cadauer.

5. *In medio annorum notum facies: cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis.* Ideſt, opus tuum, quod promiſiſti, manifeſtabis: quia populus captiuus ſic ſplendidus apparebit, cum libertatem adipiſcatur; ac ſi è ſepulchro, vbi tanquam inanimatum cadauer extabuiſſe videbatur, emergat ſpirans, & viuus florenti ſpecie, depoſita illuuie, eo habitu, & decore, quem habet ſponſa, cum ad ſponſi thalamum accedit. De quo Baruch.cap.5.verſ.1. *Ex vere Ieruſalem ſtola luctus, & vexationis tuæ, & indue te decore, & honore eius, quæ à Deo tibi eſt ſempiterna gloria.* Recordari Deum miſericordiæ opus ſignificat ab ipſa miſericordia ortum: quia recordari hic operari eſt; ſicut obliuiſci dicitur, quantumuis aſſiduè aliquid memoria verſet, qui alicuius merita non compenſat, aut miſerias, & infortunia non leuat. Quare dicitur Deus recordari miſericordię, quando miſeriam leuat: pro quo nunc Propheta tam ſedulò, ac ſtudioſè laborat. Coniungit autem miſericordiam cum indignatione: quia nunquam vna ab altera in Deo ſeparatur. Vnde Pſalm. 76. verſ. 10. *Aut obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas.* Deus ita corripit, vt ſalutis curam habeat, & id facit, quod in afflicto corpore Chirurgus, qui ita vrit, & ſecat, vt tamen dolenti condoleat, & id ſolum procuret, vt ægrotum à morte liberet.

6. Pro his, quæ hactenus ex translatione noſtra explicauimus, apud 70. ita legitur: *Domine audiui auditum tuum, & timui. Domine conſideraui opera tua, & expaui, ſiue obſtupui. In medio duorum animalium cognoſceris. Cum appropinquauerint anni cognoſceris, cum aduenerit tempus, demonſtraberis: cum turbata fuerit anima mea in ira, miſericordiæ recordaberis.* Quæ à Sanctis Patribus, & ab Eccleſia etiam in officijs Eccleſiaſticis vſurpantur. Quibus verbis palàm docent, opus hoc eſſe ſalutarem Verbi æterni incarnationem. Fuerunt enim 70. Interpretes in multis Chriſti myſterijs à Spiritu Sancto valdè illuſtrati, & meritò Apoſtoli eorum ſæpè translatione vſi ſunt, cum de his myſterijs agebatur: quoniam illa eadem, quę interdum Hebraicè obſcurè dicta ſunt, ab his plenius, & luculentiùs explicantur: quod vt faciant, interdum mutatis quibuſdam, interdum additis multa tranſtulerunt, ſenſu tamen ſeruato, & retento. Sic Pſalm.95.verſ.10. *Dicite in nationibus: quia Dominus regnauit à ligno.* Cum in Hebræo tantùm ſit. *Dicite in nationibus: quia Dominus regnauit.* Sed viderunt, regnum illud per Crucem eſſe partum, & à Cruce cœpiſſe. Quam additionem probat Eccleſia, & canit in officio Sanctæ Crucis. Accinit 70. verſioni lectio Arabica traducta à Gabriele Sionita Edenienſe, quę habetur in editione Romæ facta anno 1514. ex Typographia Sauariana. *O Domine audiui vocem tuam, & timui: meditatus ſum opera tua, & obſtupui. Cognoſceris inter duo animalia. Ad occaſum annorum cognoſceris. Cum adfuerit tempus apparebis: cum apparuerit anima mea in furore, recordaberis miſericordiæ.* Quapropter omnia hæc facilè ad Euangelij tempus, & ſpiritualem æconomiam accommodari poſſunt, quod Patrum, & Interpretum multi faciunt.

7. Libertas enim, quam Deus populo ſuo erat largiturus illud extrahens à Chaldaica ſeruitute, typus fuit illius libertatis, quam mundo diabolicæ captiuitati obnoxio Deus venit impertire, quæ in rediuiua Ieroſolyma rectè fuit adumbrata. In illa igitur dira ſeruitute Iudaici populi ſtatum agnouit Propheta generis humani ſub diaboli imperio, & remedium, quod meditabatur Diuina clementia: & ideò cum audiſſet vtrumque verbum, & quod libertatem Hebręo populo pollicebatur, & generi humano redemptionem, timuit, & expauit, atque admiratus eſt. *Opus* autem Domini hic aut incarnatio eſt, aut humani generis redemptio: Si autem *opus* ad genus humanum referas, cum illud cenſeri potuerit mortuum, optimè dicitur à Deo futurum eſſe rediuiuum, ſeu viuificandum: nam hoc pacto dicitur mors Chriſti morte deſtructa: quia ſcilicet ſpiritualem mortem peccati morte corporali deleuit. Si autem *opus* ad Chriſtum referatur, optimè dicitur viuificandus à Patre: quia antequam ad noſtrum genus incarnatus deſcenderet, quodammodò erat mortuus, ad illum modum, quo paulò antè imaginem illam vocabamus mortuam, in qua color non

Z z eſſet

eſſet viuidus, ſed dilutus, & in qua vix apparent obſcura quædam prototypi veſtigia: ſicut in omnibus illis, quæ Chriſtum figurarunt in veteri lege, contigit. Viuificauit igitur Chriſtus illas imagines taliter, vt obſcuras illas lineas illuſtraret coloribus floridis: vt qui eas contemplaretur, expreſſam videret naſcentis, laborantis, morientis, & reſurgentis effigiem.

DISCVRSVS I. MORALIS:

Adeò Deus ſuum in carne aduentum diſtulit, vt magis ab hominibus haberetur in pretio.

1. COmmunis Patrum cœtus ſiuè in litterali, ſiuè in ſpirituali ſenſu prædicta Vatis verba, *Domine audiui auditionem tuam, & timui. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud*, de Chriſto Domino accipit, ſiuè in ordine ad incarnationem, ſiuè in ordine ad redemptionem humani generis, vtrumque enim petit Propheta, quia niſi illud prius intercederet, non videbat futurum eſſe poſterius, nullus namque purus homo, aut Angelus, quantumuis gratia inſignitus, etiam infinita, poterat pro humano genere ad æqualitatem ſatisfacere (vt tenent communiter Theologi cum S.Thom.3.par. quæſt. 2.) Cum ergo humanum genus eo eſſet loco, vt cenſeri potuerit pro mortuo, optimè à Deo dicitur futurum eſſe rediuiuum, neque alio ſenſu dicitur mors à Chriſto moriente profligata, niſi quia ſpiritualem peccati mortem morte corporali deleuit, hoc enim Diuinam exigebat perſonam, quia nulla alia illud efficere valebat. Hoc paſſim antiqui Patres clamabant. *Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra ſine aqua tibi, veloc ter exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus.* Pſal. 142. verſ. 6. Incarnationem exoptat regius Vates in multorum opinione, & diuerſimodè comparatio, qua vtitur, exponitur. Hugo Card. *Ideo impleat me ſpiritus tuus, quia defecit meus.* Quia exanime erat humanum genus, & nullo alio poterat ſpiritu viuificari, Diuinum poſtulat. At cur Verbum Diuinum aquam reſpectu animæ vocat, non aërem, aut ignem, ſiquidem vt terra germinet, elementorum omnium virtute indiget? Audiendus Caſſiodor. *Pulchra ergo comparatio, cum dicit, animam ſuam, ſic deſiderare Deum, quemadmodum ſolet ſicca terra copioſas pluuias ſuſtinere. Dixit autem ſibi, non alteri, ni iſtud deſiderium malis voluptatibus applicares.* Explicatiùs Gloſa. *Et quia nec ego, nec aliquis alius præter te rigare poteſt, tu comple eam, vt fructus faciat.* Ideo enim incarnationem, quemadmodum terra aquam, expoſtulat, quia vt terra viuificetur, germinet, & floreſcat, ſolum accidentia cæterorum elementorum exigit, calore namque ignis, non ipſius ſubſtantia fructificat, ſicut & humiditate aeris, non eius ſubſtantia: at non ſatis eſt ipſi aquæ qualitas, vt fructum ferat, ſed indiget, vt ſubſtantia aquæ ipſius ſubſtantiæ vniatur, & corporetur. Sic enim lapſa humana natura vnione ſubſtantiali Perſonæ Diuinæ indigebat, vt reuiuiſceret, germinaret, & à morte exurgeret peccati. *Nec aliquis alius præter te rigare poteſt, vt fructus faciat.* Hoc ipſum optimè agnouit Auguſt. ſer. 206. de tempor. in eo, quod accidit 4. Reg. 4. vbi Eliſæus ſeruum Giezi miſit cum ſuo baculo, vt puerum viduæ filium ad vitam reuocaret, quod non fuit præſtitum, vſque dum ipſe Eliſæus perſonaliter acceſſit. *Baculus* (inquit Auguſt.) *ſine Chriſto flagellare Ægyptios potuit, de peccato vero liberare, vel reſuſcitare non potuit. Opus erat, vt qui baculum miſerat, ipſe deſcenderet. Baculus ſine Eliſæo nihil valebat, quia Crux ſine Chriſto nihil poterat.* Noſtræ ſalutis opus præter Deum alius non poterat præſtare, idcircò hoc vnicum remedium flagranti deſiderio omnes expectabant naturæ.

2. Ipſum ardenter exoptabat ſacra Sponſa, dum Cant.1.verſ.6. aiebat: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Dei in carne aduentum efflagitat (ait Theodoret.) At cur in meridiè? Cur non in mane, aut in veſpere? Quia reliquis diei horis vmbras corpora effigiant, ſolum in meridie nullas vmbratiles figuras efformant, quia cum Sol directè ſuos radios effundat, totaque eius lux transfundatur in corpora, nullas vmbras patitur. Orat ergo Sponſa, vt faciem ſuam ſplendidam, & abſque vmbris oſtendat. Vmbra Sponſi aduentus fuit Iſaac, Iacob, Ioſeph, & alij; poſtulat ergo, vt in meridie ſeipſum indicet: ideſt, omnibus eliminatis vmbris, quia hæ non proficiebant ad viuificandam Sponſam. Nec ſolum ipſa Dei aduentum cupiebat naturæ humanæ neceſſitatem agnoſcens, ſed & Angelica natura ſummis votis idipſum deſiderabat, & idcircò in ipſo amoris cantico ad participationem lætitiæ, quam Sponſa capiebat ex incarnationis veritate, Angelos inuitat. *Comedite amici, & inebriamini chariſſimi.* Cant.c.5.v.1. Quæ verba

oppor-

opportunè Honorius hic ad Angelos inflectit. *Nunc Angelos ad communes lætitiæ epulas inuitat, dum ait: Comedite amici, & inebriamini chariſſimi: amici, quia multum amant. Hi nimirum de humani generis, quod in Adam perierat, reſtauratione piè, & ſolicitè ſatagentes conditorem ſui aſſiſtebant iugiter interpellantes, quodam ſancto familiaritatis auſu ſic compellabant: exurge, quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis? Obliuiſceris inopiæ noſtræ? Diminutionis noſtræ? En inter nos tot loca vacua, ſed da gloriam nomini tuo, & ſecundum æternum propoſitum tuum, quod mutari nequit, imple tot locis indecenter dehiſcentem numerum noſtrum.* Nec ſolum humana, & Angelica natura vehementer Chriſti aduentum exoptabant, ſed & ipſum Diuinum Verbum, quod mittendum erat, ardentiſſimè venire cupiebat ab ipſa æternitate, ita vt in quoſcunque annos, menſes, dies, horas, imò & momenta eius aduentum differre ipſum quodammodò affligere, & torquere videretur, vt indicant illa verba Pſalm. 88: verſ.39. Quibus æternum Patrem alloquitur Dauid. *Diſtuliſti Chriſtum tuum.* Ideſt, non ſtatim, ſed poſt multa ſæcula Filium tuum è cœlo in terram dimiſiſti. Vbi 70. tranſtulerunt. *Iratus es contra Chriſtum tuum.* Quaſi quoties æternus Pater Filium ſuum detinebat in cœlo, toties illum cruciaſſet deſiderium.

3. Cur autem opus adeò ab omnibus concupitum, adeò vtile per tot ſæcula Deus diſtulerit, non conueniunt Patres, plures eaſque optimas rationes congerunt, ſed opportuna n eſſe cerno, quam tradit Paulus 1. Corinth. 9. verſ.2. *Empti enim eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Vt ſcilicet, magno pretio redempti, & vehementiſſimis deſiderijs expetitum pluris æſtiment homines redemptionis magnum beneficium, expectent tot ſæcula ſalutare ſuum, per longum tempus clamoribus, & ſuſpirijs cœlum rumpant, ſint iam in calamitatibus velut mortui, cum æternum Verbum carnem ſumat, vt incarnationis mirificum Sacramentum debita exiſtimatione accipiant, pro quo tot laboribus, ac deſiderijs ab eis decertatum eſt, quia ſolum id, quod difficulter conſequuntur homines, in pretio habent. De huiuſmodi autem Dei in carne paſſibili aduentu, qui Hebræo populo, & Gentili perquam vtilis erat futurus, locutus Iſaias c.55. verſ.1. dicebat: *Omnes ſitientes venite ad aquas, & quibus non eſt argentum, venite, emite, & comedite.* Si gratia, quam Deus incarnatione contulit, gratis erat largienda, nulliſque erat emenda operibus, quia incarnationis myſterium non cadit ſub merito, cur emendam fore affirmat Propheta? Quod emitur, non gratis accipitur, neque pro illo grates ſunt referendæ, vt quid igitur donum omnimodè gratuitum emptum vocatur? Egregiè Oleaſter in comment. huius loci. *Sunt quædam, quæ licet pretioſa ſint, non æſtimantur, quoniam gratis nobis offeruntur. Solent homines res æſtimare ex labore, vel pretio, quo illas acquirunt, & non ex earum dignitate. Et vide prudentiam Dei, cum enim omnia bona ſua gratis offerat, quia tamen probè nouit, nos res ex pretio æſtimare, adiunxit emite.* Inæſtimubile incarnationis beneficium deſideriorum pretio voluit Deus comparari, vt eius apud homines commendaret valorem, quia res non ex ſe, ſed ex pretio, induſtria, ac labore quibus acquiruntur, æſtimat, & nullum reputant bonum nullo labore partum.

4. Apparuit Deus Moyſi de rubo flagrans, & liberationem à dira Ægyptiorum ſeruitute vltro pollicetur, vnaque terram promiſſionis Hebreæ genti munificentiſſimè promittit: *Deſcendi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & ſpatioſam, in terram, quæ fluit lacte, & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi &c.* Exod.3.verſ.8. Quærunt Interpretes, cur inter hos populos, in quorum poſſeſſionem Iſrael erat introducendus, non numeret Deus Gergeſæos, cum indubium ſit ex pluribus Sacræ Scripturæ locis, horum etiam regionem, vrbes, oppida data fuiſſe in poſſeſſionem filijs Iſrael. Cur alias prouincias recenſens hanc ſolam Deus omittit? Optimè Lyra difficultati occurrit. *Tacentur autem hic Gergeſæi, & in pluribus locis, vbi cæteri nominantur, quia (vt dicunt Hebræi) non reſtiterunt filijs Iſrael per bellum, ſicut alij, ſed de terra receſſerunt ante ingreſſum filiorum Iſrael.* Non recenſet Daus regionem iſtam, quia ab Iſraelitis facilè, ſine prælio, & labore poſſidenda erat, reliquo prouinciæ, quæ numerantur validè reſtiterunt Hebræis, qui effuſo ſanguine, labore, & induſtria illas occuparunt. Regna difficilè expugnata, & ingenti ſudore parta glorioſè promittuntur, & in magno pretio habentur: at Gergeſæorum oppida ſine labore occupata non iuuat referre, quaſi illa tędeat poſſidere, quia rerum exiſtimatio labore, quo conſequuntur metitur. Hinc Iacob iam morti proximus ad Ioſeph filium ſuum, quem præ omnibus dilexerat, & à quo præ alijs maioribus fuerat obſequijs honoratus, eique propterea ſe præſertim gratum exhibere volens, ſic alebat: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Gen.48. verſ.22. Ideſt, iure bellico (interprete Batab) cum ergo vellet Ioſephum, vltra cæteros filios, maiori hæreditate donare, non partem quamcumque ſed eam, quam labore, ac ſudore; imò & periculo ſuo de manu fortiſſimorum hoſtium tulerat (erant enim Amorrhæi omnium Iſraelis inimicorum robuſtiſſimi, ac fortiſſimi) dedit, quaſi rem magno pretio comparatam, atque omnium pretioſiſſimam, nihil enim ea res, quam labore proprio acquirimus; pretioſius

Digitized by Google

exiſtimamus. Vt egregiè dixit Baſil. hom. 1. in Examer. *Rem labore partam ingenti cum gaudio, ac veluti paſſis vlnis plerique omnes excipiunt, exceptum tuentur, ac ſeruant diligenter.* Et ad idem inſtitutum intorquet Baſilius in proœmio ad Iſaiam, quod voluerit Deus Sacram Scripturam tot difficultatibus obſcurare, vt maiori labore eius intelligentia acquiſita in maiori pretio haberetur.

5. Mirum planè eſt, qualiter ſe geſſerit Iacob in aduentu fratris ſui Eſau, & quem ordinem ſeruauerit in collocandis vtriuſque vxoris filijs. *Diuiſitque filios Liæ, & Rachel, ambarumque famularum, & poſuit vtramque ancillam, & liberos earum in principio: Liam verò, & filios eius in ſecundò loco: Rachel autem & Ioſeph nouiſſimos.* Gen. 33. verſ. 2. Cur pluris ęſtimat Rachel, quam Liam, ſiquidem prius hanc periculo expoſuit? Nonnè Lia ſenior erat, & quę fœcundiores partus ediderat, qui nobiliſſimas tribus conſtituerant? Cur minor & infæcundior Rachel cum ſua prole magis à periculo elongatur, ipſiuſque filios Iacob magis curat, *tamquam prælectos*, vt dixit Lyra? Suſpicor, quia plus diligebat Rachel, pluſque illam æſtimabat, vtpotè pro qua annis inſeruierat quatuordecim. Non mirum, quod Rachel præponat, quam tot difficultatibus comparauerat, quia ex labore in rerum acquiſitione inſumpto ipſę æſtimantur. Quod adeò verũ eſt, vt apud nonnullos hęreticos, contra quos argumentatur Tertull. lib. de Bap. c. 2. ob nimiã facilitatem, qua hoc Sacramentum parat gratiam, illi fidem denegabant peruersè exiſtimantes, cum tanta facilitate non poſſe compati beneficium illud magnum, quod ſecum affert ſacramentalis baptiſmi aqua. Vt igitur incarnationis mirificum beneficium plus homines æſtimarent, ipſum Deus voluit deſiderijs, ac lacrymis compararent, quia apud ipſos pretium operis ipſius labore menſuratur. Nec Deus ab hoc genio multum diſtat, qui etiam incarnationis opus pluris habuit, quia ingenti labore illud conſummauit.

6. Lucæ 15. v. 5. & ſeq. Inducitur Deus carnem aſſumens, & Angelorum, ac hominum ſolertiſſimus Paſtor. Errauit vna ouis, nempè Adam, in quo omnis humana natura fuit prolapſa: & diligens Paſtor cœteras nonaginta nouem quaſi negligens, hanc vnam erroneam ſedulò carne aſſumpta venit inueſtigare: feliciter inuenit, & gaudens humeris impoſuit. *Et cum inuenerit, eam imponit in humeros ſuos gaudens, & veniens domum conuocat amicos, & vicinos dicens illis: congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.* Quid cauſæ eſt, vt Chriſtus bonus animarum Paſtor ęrrantem ouem, ideſt, hominem proprio errore pereuntem imponat in humeros ſuos gaudens? Cur in cœlis maior lętitia eſt de inuentione vnius ouiculæ, quam de nonaginta nouem, quæ non errauerunt, ideſt, de cæleſtium ſpirituum poſſeſſione? Plus gaudet Paſtor de vnius inuentione, quæ paululum ipſum poterat locupletare, quam de ingenti numero, qui ipſius cenſum diuitem efficiebat? Luculenter S. Gregor. Nazianz. orat. 27. *Videlicet, à natura compertum eſt, vt ea ſegniùs concupiſcamus, quibus facilè, liberèque frui licet.* Quæ errauerat ouis ſolicitè, ac laborioſè quæritur, aut torrente Sole, aut glaciali frigore à Chriſto Domino hominum Paſtore, & ipſorum naturæ conſorte, qui ſolicitæ indagationis labore fatigatur, & feſſus iacet. Hinc gaudium magnum in cœlo lætitia inenarrabilis: quaſi ſegnior eſſet exultatio de nonaginta nouem ouibus, quæ nunquam errauerunt, quam de illa, quam homo factus tot laboribus comparauit, profuſiori gaudio celebratur id, quod tanta difficultate conſequitur; difficultas enim rei, & adipiſcendi eam deſiderium auget, & feliciter blanditur voluptatis poſſidendi.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Vt legem finiret, circumciſionis legem Chriſtus adimpleuit.

1. REdemptionis fructus, ad quem Diuina perſona humanæ fuit inoculata naturæ (quem exoptat, & admiratur Propheta. *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud*) in octauo naſcentis in carne Dei die germinare cœpit: quia vt vberem fructum ſalutis ferret, diro circumciſionis gladio percuſſus ſanguinem fudit, quo & præclarum opus, ad quod venerat, inchoauit, & ſeueram circumciſionis legem aboleuit. Illud etenim pactum, quod cum Abraham pepigerat, hic reſcidit, cruentum ritum abrogauit, & ſtagnauit ſanguinem, qui per tot ſæcula fluxerat. Vndè Ireneus lib. 4. c. 43. antiquarum legum conſummationem Chriſtum vocauit. *Theſaurus abſconſus in ſcripturis, quoniam per typos, & parabolas ſignificabatur: vndè poterat hoc, quod ſecundum hominem eſt, intelligi priuſquam conſummatio eorum, quæ conſummata ſunt, veniret, quæ eſt aduentus Chriſti?* Illa igitur obſcura veteris legis rudimenta Chriſtus penitus obliterauit, & ſanguine in circumciſione effuſo circumciſionis legem deleuit. Hoc arcanè innuunt illa verba Matth. 5. verſ. 17. *Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere.* Quorſum hæc? *Quis enim* (ait Chryſoſt. hom. 6 in Matth.) *iſta erat ſuſpicaturus? Quiſue omninò iſtud obiecerat, vt contra neceſſariò videatur occurrere? Nec enim ex dictis eius iſtiuſmodi ſuſpi-*

ſpitio naſcebatur. Cur igitur hoc dixit? Ad dubitationem Chryſoſtom. communiter reſpondetur, idcircò Chriſtum dixiſſe, ſe veniſſe legem adimplere, vt ipſius exemplo aliorum firmaret obſeruantiam, nec vllus cenſeretur à lege ſolutus quandoquidem ipſe legislator ſubijciebatur legi, nec exceptionem prætendebat. Sed credo aliquid ſubtilius in his verbis latere: nec enim Chriſtus propter obſeruantiam ſermonem inſtituerat: nam (vt dixit Chryſoſt.) nullus ſuſpicabatur ipſum legis immunitatem intendere, Quare de omnimoda legis adimpletione, qua videlicet terminatur, & abrogatur, locum capio. Non dixit Chriſtus: non veni frangere legem, ſed ſoluere, ipſius nempè adimpletione: ſemel enim adimpleta, nihil ſoluendum in ea remanet. Duplici modo finitur lex: aut ipſam violando; aut tempore adimpleto, quo obligabat: ſicut accenſa fax extingui poteſt aut afflatu, aut quia pabulum, quo alebatur ignis, inſumitur. Non veni (inquit Chriſtus) legem ſoluere, non afflatibus extinguere, ſed adimplere, finire, vt deinceps minimè obliget: ad hoc enim circumciditur, nam ſicut in centro omnes terminantur, & finiuntur lineæ, ſic in Chriſto omnes leges antiquæ erant terminandæ.

2. Eiecerat Deus à Paradiſo voluptatis humani generis Protoparentes: vt autem ipſius aditum præcluderet, Cherubim præfecit flammeo minantem gladio, de quo ſic textus: *Et collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem.* Geneſ. 3. verſ. 24. Lipomanus in Catena multum demiratur, quòd gladius, quem in manu geſtabat Cherubim, verſatilis eſſet, vt iam hinc, iam indè moueretur, nullaque in parte fixus permaneret. Vt quid interrogat immota Angelorum natura gladium aſſumit varium, & inconſtantem, nulloque aſſigendum loco, ſed à quocumque dimouendum? Et ingenioſè reſpondet, cuſtodem Cherubim præpoſitum paradiſi Chriſtum adumbrare Euangelicæ legis portas aperientem, ſancientem nouas leges, & antiquas penitùs abrogantem: gladiumque quem Cherubim geſtabat, gladium circumciſionis cruentum, ac dirum præſigiare; ideòque varium, verſatilem, & inconſtantem eſſe, quia in manu Chriſti non ſolum non permanebit obtuſus, ſed carnem ipſius ſecans frangendus, ac finiendus eſt. *Hic flammeus gladius* (ait Lipomanus) *figura fuit circumciſionis gladij, per quem ſaluabantur: ſed verſatilis fuit, eo quod per Chriſtum remouendus, & penitus tollendus.* Cuſtodis Cherubini gladius volubilis fuit, quia circumciſionis in permanentem gladium offerebat, quem vno ictu Chriſtus fregit, & à tenera infantium carne relegauit.

3. Reuertebatur Moyſes è Madianitide in Ægyptum cum Sephora vxore ſua, & filijs Eliezer, & Gerſan; cumque eſſet in itinere, occurrit ei Dominus, ipſumque voluit occidere eò, quòd incircumciſo filio, ad ſe miſcendum cum Ægyptijs pergebat. Diuina comminatione perterrita tulit illicò Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui, tetigitque pedes eius, & ait: *Sponſus ſanguinum tu mihi.* Exod. 4. v. 25. Locus planè arduus, & quem Interpretes varia tranſlatione fatigant. 70. quos ſequitur Auguſt. q. 11. in Exod. ita vertunt: *Stetit ſanguis filij mei.* Quia ita accidiſſe putant: nam cum Sephora filium circumcidiſſet, ſanguis è vulnere effuſus non effluit, ſed ſtagnauit, ac ſtetit. Mira res: ſi ſanguis humor liquidus, ac fluidus eſt, quo pacto retinetur? Vt quid naturali motu ſicut cæteri liquores, non fluit? Quodnam eſt hoc Sacramentum in eo quod ſanguis ſtetit? Niſi Sacramentum circumciſionis Chriſti, in qua antiquatæ circumciſionis ſanguis erat ſtagnandus, neque vltra erat fluxurus. Ibi ſtetit, quia ibi cruenta lex fuit terminata. Sephora enim Matrem Virginem figurabat, quæ in aliquorum Patrum, & præcipuè Bernardi, opinione miniſter fuit circumciſionis Chriſti: quia hominum amor ipſam docuit filij ſanguine tingere manus, vt alioſum dixit Virgilius.

Sæuus amor docuit natorum ſanguine matrem.
Commaculare manus.

Illa enim lex in Chriſto erat terminanda, ſanguiſque circumciſionis detinendus: nam aliter non adimpleret promiſſa.

4. Circumciſionis pactum, quod Deus iuramento confirmauit, inter ipſum, & Abraham verſabatur. *Statuam pactum meum inter me & te.* Geneſ. 17. verſ. 7. Pactum autem fuit, quod Deus promiſſam terram ſucceſſoribus Abrahæ pollicebatur ea conditione, vt circumciſionis notam omnes haberent. At ponderanda ſunt pactionis verba. *Statuam pactum meum inter me, & te.* Nunquid ſolus Abraham circumciſioni fuit obnoxius, quòd tantum inter Deum, & ipſum conuentio dicitur ſtatui? Omnes eius poſteri eidem legi ſubijciebantur, & pactum cum Abraham ſtabilitum transfundebatur ad illos, ipſique eodem tenebantur vinculo, eodem afficiebantur pacto. Quo igitur pacto non inter Deum, & ipſos, ſed inter Deum, & Abraham pactum verſari dicitur? Arbitror, hic legis terminos, & confines conſtitui. Inter Deum enim, & Abraham verſabatur pactum, quia in Abraham incipiebat, & in Deo homine facto erat terminandum: & verum non eſſet, quod pactum erat adimpletum, ſi circumciſio progrederetur vltra Chriſtum. Ideò opportunè Gloſa ad prædictá verba, (*Statuam pactum meum inter me, & te*) hæc ſubiungit: *Vt innueret per baptiſmum eſſe ſpoliandum veterem hominem.* Deſignauit Deus legis terminos, & durationem, in Abraham initium,

Google

in ſe ipſo finem ; vt innueret, in baptiſmo, in quem circumciſio erat commutanda, finiendas fore veteres leges, & incipiendas amabiles, ac ſuaues gratiæ, quibus antiquarum aſperitas emollienda erat.

5. Præuidens Deus obſtinatam Pharaonis pertinaciam, meditanſque Ægypti ſtrages, miſit Moyſem plenipotenti virtute, vt Pharaonem plagis vrgeret. Virgam in ſerpentem conuertit, & iterum ſerpentem in virgam commutauit, & antiquæ formæ reſtituit. Nili fluenta ſimiliter in ſanguinem vertit; cæterum non dicitur, ea ad priſtinam aquæ formam reduxiſſe: quin potius affirmat textus ſeptem dies tranſiiſſe, quibus ſanguinis torrentes perdurarunt. *Impletique ſunt ſeptem dies, poſtquam percuſſit Dominus fluuium*. Exod. 7. verſ. 25. Exindéque colligitur, octauo die aquas Nili apparuiſſe mundas, & à ſanguinis horrore expurgatas. En caſus veteris legis expreſſa imago, ac introitus Euangelicæ, & felicis. Potuit Moyſes ex aqua ſanguinem conficere, vt Ægyptum terreret, quod in illa mirifica transformatione fuit prætenſum: hoc enim (etſi mirabile ſit) hominibus conferetur, vndè Ioannes epiſt. Canonic. 11. verſ. 6. *Iſti ſunt, qui habent poteſtatem conuertendi aquam in ſanguinem, & percutere terram omni plaga*. At ſanguinem in aquam conuertere nulli conceditur: nam hoc ſtupendum opus Chriſto Domino reſeruebatur, qui circumciſionem exterminans baptiſmum introduxit, ſanguinem illius veteris Sacramenti ſcriptæ legis in pura baptiſmi fluenta tranſmutauit: in cuius præfiguratione octauo die Nili torrentes, quos virga Moyſis purpurauerat, & in ſanguinem conuerterat, ad aquæ formam ſunt reſtituti: quia octauo die poſt natiuitatem Chriſti temporalem, in quo fuit circumciſus, fluxus ſanguinis illius diræ, ac inclementis legis in baptiſmi ſalutaria fluenta erat permutandus. Vnde dixit Tertullianus: *Legis difficultatis in Euangelij facilitates conuertet*. Quia dura illa præcepta (præcipuè circumciſionis propter ipſius acerbitatem) in ſuaue baptiſmi erant conuertenda myſterium.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Amor Dei erga creaturas occaſum neſcit, & finem ignorat.

1. DEI amorem & in ſeipſo, & ad ſeipſum & intenſione, & duratione infinitum eſſe, extra dubium eſt, cum Diuinæ naturæ perfectione gaudeat, & hauriat ab obiecto, & potentia interminabilem durationem, & magnitudinem immenſurabilem. Verum quod, prout fertur ad creaturas, eiuſdem qualitatis deprehendatur, non ita videtur perſpicuum; cum ſit certum, quod iuxta earum bonitatem eas proſequatur amore. Tamen hæc etiam eſt Dei noſtri natura, & propenſio, vt totis viribus nos diligat, & ardentiſſimè amet; atque ſupra id, quod iudicio humano æquum videbatur, ſe erigat. Vndè dixit Chryſol. ſerm. 157. *Quid debeat, quid poſſit, non reſpicit vis amoris: amor ignorat iudicium, ratione caret, modum neſcit; & ideo vadit, quo ducitur, non quo debeat*. Parum eſſet, quod Deus amorem ſuum noſtra metiretur bonitate, quod debitum videbatur; niſi debitum ita tranſcenderet, quod ſine fine ſuperaret, ſine termino excederet, vt ſuam erga nos charitatem infinitam oſtenderet, & omni termino ſiuè intenſionis, ſiuè durationis carentem; atque occaſum, & mortem ignorantem. Hinc Sponſa huius amoris intenſionem experta dicebat: *Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*. Cant. 8. verſ. 6. Dubitant Patres, quę ſimilitudo intercedat inter amoris, & Inferni flammam, vt ad hanc illa referatur? Nam ſi amantes conſulimus, non infernum, ſed paradiſum omni voluptate repletum amorem fatentur. Cur igitur infernus Sponſę videtur amor? Propter eius (inquam) diuturnitatem, & interminabilem durationem. Ignis enim inferni ardet, ſed non conſumitur: vrit, ſed non moritur: viuaciſſima illa, & immortalis flamma in æternum perennat, & nunquam extinguitur. Sic Dei amor ſemper ardet, & nunquam moritur, quia occaſum, & finem ignorat. Quod pulchrè meditabatur Propheta, dum de carnis aſſumptione locutus, quæ opus amoris fuit, ipſum in medio annorum expectabat, *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud*. Cur non expoſtulat, vt in principio, aut fine temporum veniat Chriſtus in lege promiſſus: ſed in medio efflagitat eius aduentum? Abſque dubio naturam amoris, qui Deum impulit, vt carnem aſſumeret, agnouerat Vates, & quam ſemper Dei amor finem refugiat. Non in temporum conſummatione illum expectat, quia amor nunquam ad finem accedit, ſed in medio permanet, in ipſoque feruet, & intenditur, nullaque temporis iniuria minuitur.

2. Raptus Ezechiel ab Angelo, vt templi mirificam ſtructuram intueretur, minutim omnes eius partes eſt dimenſus: quod ipſe Propheta per tria capita ad longum refert. *Et ecce vir, cuius erat ſpecies quaſi ſpecies æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus menſuræ in manu eius &c.* Ezechiel. 40. verſ. 3. Sed cum omnia, ſiuè quæ in penetrali templo, ſiuè quę foris exiſtebant, Angelus fuerit dimenſus, quin minimam regulam prętermitteret, cum tamen ad ignem, quem perenniter ardere Deus pręceperat. (*Ignis autem ſuper altare ſemper ar-*

ardebit) perueniſſet, non ipſum metiri dicitur, ſed tantùm indeficienter ardere, perhibetur. Et quis Angelum omnia metientem ignis menſuram prętermiſiſſe crederet, cum templi eſſet principalior pars, pręſtantiori loco collocata, & in ipſo hoſtię, & thura concremarentur, ac ſacrificia, & holocauſta in eo fierent, ad quę omnia, quę in templo erant, ordinabantur? Dicet fortaſſe aliquis, ignem Angelum non metiri: quia immenſurabilis eſt propter fugacem flammarum naturam, quę modo aſcendunt, modò decreſcunt, nec ſitti poſſunt ad menſuram: quis enim ens ita varium, & inconſtans ad pondus, & menſuram, reducet? Sed hoc licet difficilè ſit, & hominibus impoſſibile, intelligentię, & agilitati Angeli per quam facilè eſt, quæ ſine temporis mora operatur, & breuiſſimè multa perficit, & concludit, quę hominibus impoſſibilia videntur. Cur igitur cũ dimenſiones tẽpli omni ex parte deſcribit, ignem tantùm immenſum relinquit? Theodoret. ad hunc locum cũ rationem phyſicam non inueniſſet, ad myſticam, & ſatis accõmodatam recurrit: arbitratur enim, ignem, quem Deus perpetuò ardere, pręcipiebat, ipſius amorem, & ardentiſſimam, qua homines proſequitur, charitatem exprimere. Igitur immenſus maneat, quia immenſus eſt: non tenet Angelus eum metiri, etſi agiliſſimus ſit, & magna virtute pręditus, quia & menſuram, & potentiam illi deficere, opus eſt: nam quod fine caret, menſurę non ſubeſt. Ignem pręternittat, dum cętera metitur, vt eius immenſitutem oſtendat, & compertum ſit, Dei erga homines amorem finem ignorare, & occaſum neſcire.

3. Communis quęſtio eſt inter Theologos, cur ſecunda Triditatis Perſona carnem aſſumpſerit, vt hominem à captiuitate redimeret, non autem tertia, cui congruentius videbatur hoc munus competere: nam cum incarnationis opus amoris ſit, & charitatis (vt dixit Io: 3. verſ. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*, & paſſim teſtatur) aptius videbatur, quod Spiritus Sanctus noſtram naturam aſſumeret, cum Perſona ſit, quę Characteriſtice proprietate amor infinitus eſt, & ad quam per attributionẽ ſpectat amor. Amoris ergo opus amoris videatur, non ſapientię, quam Filius per attributionem habet. Varias rationes excogitarunt Patres in re ſcholaſtica, & morali, vt huic obiectioni ſatisfaciant. Mitto illa, & eam fuiſſe arbitror, quia Perſonam, quę carnem aſſumebat, mortem ſubire vt opus Redemptionis conſummaret, & Patris obedientiam adimpleret, erat neceſſẽ: vndè ſi Spiritus Sanctus carnem aſſumeret, ad crucis occaſum deueniſſet, & per communicationem idiomatum de eo diceretur, quod mortuus eſſet, (ſicut modo dẽ Filio dicitur) & conſequenter quod amor Dei, qui in Perſona Spiritus Sancti ſignificatur, mortem ſubibat, & finem quodammodò habebat. Ne igitur amor videretur occiſus, & ad finem perueniens, carnem Spiritus Sanctus non aſſumpſit. Filius moriatur, qui ſapientia eſt, nam dum amor remanet immunis ab huiuſmodi mortis nota, cętera attributa ea inuri non veretur Deus, & plerumque illis defuiſſe, oſtendit, ne amori finem imponere videatur.

4. Allocutus Chriſtus Dominus Diſcipulos ſuos de extremo iudicij die, cum pręambula ipſius ſigna, & naturę turbationem præmiſiſſet, randem vt metum incuteret, quo cautiores fierent, concludit, ſe horam ignorare vniuerſali iudicio deſtinatam. *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, nec Angeli in cælo, neque Filius, niſi Pater*, Marc. 13. verſ. 32. Miriſſimum eſt, quod qui omnia ventura præſciuerat, & eiuſdem naturæ erat cum Patre, tempus ignoret, quo illa, quæ prædicit euenient, & quòd hac loquendi forma anſam Chriſtus præberet quibuſdam, vt ipſum non Deum arguant, contra quos diſſerit: Aug. 9. de Trin. *Ignoratio autem diei, atq; horæ obijcitur Vnigenito Deo, vt Deus ex Deo natus non ſit in ea naturæ perfectione, qua Deus eſt.* Cur igitur Chriſtus diẽ neſcire affirmat, cum ſit certum, quod eadem Patris præſcientia diem agnoſcebat, & eodem decreto eum deſtinauerat? Expediret enim Diſcipulis rationem inuenire, ob quam diem detegere extremum incongruum erat potius, quam abſolutè illum ignoraſſe affirmare, ne de eius ſapientia dubitarenr, & eum Patri imparem ſuſpicarentur. Theodoretus in Catena relatus acutè difficultatem ſoluit, credit enim Chriſtum ſic fuiſſe locutum, & ſuæ ſapientiæ detraxiſſe, ne amori deficere videretur. *Si enim dixiſſet, quia ſcio, tamen nolo vobis reuelare ipſos non modicum contriſtaſſet.* Si Chriſtus diem extremum ſibi eſſe notum dixiſſet, & eum nolle reuelare, ſuæ ſapienriæ conſuleret, ſed amori deficeret, & parum Diſcipulos dilexiſſe videretur, ne ergo amori detrahat, ſapientiæ detrahit, & ſe ignoraſſe affirmat, quod propter alios fines facere, expediebat, ſic ſuo amori prouidet, vt cum diſpendio aliarum perfectionum ipſum tueatur, & ſatagat demonſtrare, nunquam defeciſſe. Quod Diſcipuli de ſua ſapientia dubitent, non dubitat, dummodò ab amore deflectere non videatur.

5. Lucæ 5. & Marc. 1. verſ. 40. narratur curatio cuiuſdam leproſi, qui Chriſtum pro ſua ſalute depræcatus mira celeritate eam acquiſiuit, nam cum ad Chriſti pedes acceſſiſſet, & genu flexus pauciſſimis verbis oraſſet, ſtatim à lepra mundatur. *Domine* (ait) *ſi vis potes me mundare*. Cui ſtatim Chriſtus: *Volo: mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra*. Quiſquis Chriſti miracula attentè inſpexerit, præcipuè quæ ad ſanitatem corporum dirigebantur, cunctanter, & longa temporis mora facta comperiet, quia quos Chriſtus

Chriſtus corpore ſanabat, prius mente, & animo curare ſatagebat, quod inquam plurimis liquet. Cur igitur modo tam celeriter ſanat leproſum, vt vix petat, cum optata poſſideat? Cur non priùs animum mundat, quam corpus, & ſaluti ſpirituali infirmi, ac miraculi æſtimationi conſulit? Venerabilis Beda ſubtiliter pariter, ac luculenter feſtinationis rationem rimatur. Attende artem, & ingenium, quo leproſus Chriſtum deprecatur, *Domine, ſi vis, potes me mundare*. De amore, & voluntate dubitat: *ſi vis*, & poteſtatem indubiè confitetur: *Potes me mundare*. Vt artem Chriſtus audit, amorem ſuum ſub dubio verti, & potentiam extra dubium eſſe, quaſi coactus, & dolore punctus, ſtatim *volo mundare* ait, vt amoris opinionem, quam periclitari videbat, repararet. Ac ſi diceret, vt ſcias de mea voluntate non eſſe dubitandum, ſtatim volo mundare, & te ad ſanitatem reſtituere. Tua dubitatione præceps feror ad miraculum, vt deinceps de meo amore ambigere non tibi contingat. Liceret potiùs de potentia hæſitare, quam de amore. De mea voluntate dubitas? Ipſæ meæ voluntatis arbitrum te conſtituis, & ad miraculum me compellis. *Ideo etiam* (ait Beda in Catena) *tetigit, vt probaret, quod contaminari non poterat, qui alios liberabat, ſimulque illud mirabile, quod eo ſanauit genere, quo fuerat obiectatus. Si vis* (*inquit leproſus*) *potes me mundare. Volo inquit, ecce habes voluntatem. Mundare. Etiam habes pietatis effectum*. Ægrè tulit Chriſtus leproſum dubitanter amorem expetere, ideòque ſtatim ipſum ſanat, & mox ac ambigit, ſalutem largitur, atque quaſi dolens eodem verbo, quo leproſus dubitauit *ſi vis*, ipſi medetur? *Volo mundare*. Ne vlterius ſuam voluntatem difficultet, eam ipſi offert. *Ecce habes voluntatem*, quia cum Deus amorem ſuum nunquam deficere auidiſſimè oſtendere ſategat, de eo dubitari non patitur, & quaſi laceſſitus miracula fertur.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Ita acrè inſurgit certamen inter Dei miſericordiam, & hominum malitiam, vt dum magis in Deum inſurgit homo, magis ad miſerendum Deus videatur exurgere.

1. NOn ſolum virtus Deum prouocat ad miſerendum, ſed etiam incentiuum ſolet eſſe ad clementiam. Militat cum hominum impietate Dei noſtri pietas, & quaſi meritum eſſet culpa, occaſio ſolet eſſe profuſioris clementiæ. Sæpè ab indignitate offenſæ Dei largitas excitatur, & acri certamine pugnat gratia, vt malitiam ſuperet. Non aufert Deus beneficia malè illis vtentibus, quia hoc proprium Diuinitatis genium eſt (imò & cuiuſcumque generoſi animi debet eſſe) ingratitudine ad benefaciendum non retardari, ſed incendi, vt generosè dicebat. Diuina pietas metas proprias tranſilit, & occaſionem ſumit maioris clementiæ, vndè ſeuerioris ſupplicij motiuum ſumere debuit. Stimulatur offenſis, & ex ira ad miſerendum accenditur. Quod exploratum habuit Propheta noſter, nam etſi Deum infenſum videret populo Iudaico propter ipſius ſcelera, tamen exindè eius miſericordiam præſagiebat, & profuſioris clementiæ erigebat ſpem: *Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*. Motiuum miſericordiæ iram conſtituit, quia plerumque Deus ex hac ad illam exurgit. Non ſolum mouetur ad miſerendum ex propriæ miſericordię, ſed etiam ex inſtitiæ motiuo, & quaſi meritum eſſet culpa, & hominum malitia occaſionem ſumit ad miſerendum.

2. Poſt mirabilem hominis ſtructuram, ipſum Deus conſtituit in paradiſo omni voluptate repleto, ex quo aquę fluenta redundabant, quę proximas irrigabant regiones. *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui indè diuiditur in quatuor capita*. Geneſ. 2. verſ. 10. Dubitant Interpretes, quas primò terras irrigarent aquę à paradiſo exeuntes. Et conueniunt omnes, terram Aſur, & alias promiſſionis terrę proximas primò fœcundare, quod ſanè mirum eſt, nam illarum regionum incolę Deo erant inuiſi propter bella, & incommoda, quæ populo intulerunt, & impietatem erga ipſum Deum. Quorsùm igitur tam abundè, & proficuè ante alias prouincias inundantur aquis à paradiſo remeantibus? Qui malitiam tam profusè operantur, alijs pręficiuntur, & primo proſperantur? Sat eſſet tantę nequitię meritas non luere pœnas, vt quid ante omnes Diuinę largitatis beneficia accipiunt? Venuſtè Oleaſter difficultatem exarmat. *Conſidera* (inquit) *quòd præcipuos hoſtes ſuos prius irrigat. Nouimus quid populo eius fecerit Aſur, & alij vicini terræ promiſſionis, ad quos paradiſi flumen tam copiosè mittit*. Hęc Dei natura eſt, vt dum magis offenditur, magis ad miſerendum prouocetur. Non ſolum ex merito virtutis mouetur ad benefaciendum, ſed ex occaſione humanæ malitiæ, etenim cum nulla beneficentia Deum in certamen poſſit vocare, iniquitatem hominum, quę quodammodò infinita eſt, ſibi pręfixit ęmulatricem, vt munifica contentione, bonitate ſuperando malitiam, dignum infinita liberalitate reportet triumphum. Vndè illud Tertulliani ſatis vulgatum aduerſus Marcionem: *O Deum non natura, ſed æmulatione munificum*. Quaſi ęmulatione bene-

beneſaciat hominibus, qui pro æmulatione malum facere conſueuere, vt dum magis in Deum criminosè inſurgit homo, magis munificè Deus ad miſerendum exurgat, & humanæ malitię peruicaciam ſuperet.

3. Præcipiebat olim Deus Iſraelitis, vt agnum ederent, qui Euchariſticum referebat, die quartadecima Lunæ Martij in plenilunio, cum Lunæ ad Solem eſt oppoſitio, ſic enim habetur. Exod. 12. verſ.3. *Loquimini ad vniuerſum cœtum Iſrael, & dicite eis, decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas. Et ſeruabitis eum vſque ad quartamdecimam diem menſis huius, immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam.* Cur immolaturus agnum populus ipſum reſeruare pręcipitur vſque ad quartamdecimam diem, cum ſcilicet ex diametro Luna Soli opponitur, quia plena eſt, & ex integro ipſius lucem participat? Audiendus eſt Raulinus. *Cum Luna* (inquit) *plena eſt, tunc eſt Soli oppoſita, ideò cum oppoſita fuit Luna Synagogæ vero Soli iuſtitiæ contradicendo ei, repellendo eum, tunc neceſsè fuit occidi verum agnum.* Ideò in oppoſitione Lunæ ad Solem agnum Deus immolari iuſſit, vt innueret, tunc magnum beneficium Euchariſtici myſterij, & paſſionis Iudęis largiturum, cum verò iuſtitię Soli magis opponerentur, quaſi profuſioris clementię ſit occaſio criminoſioris culpę impietas. Maiorem miſericordiam impendit, vbi magis viget malitia, vbi maior vrget oppoſitio, ibi magis dilatatur benignitatis Dei virtus, quia non ſolum natura, ſed ęmulatione benefacit. Huc ſpectat, quod pulchrè annotauit Rupertus lib.5.de offic. cap.28. cęremoniam expendens, qua vtitur Eccleſia in Sabbatho Sancto, cum ſcilicet nouum lumen ex ſilice producit. *Lapis, quem percutientes ignem elicimus, Chriſtum ſignificat, qui percuſſus verbere Crucis Spiritum Sanctum nobis effudit.* Magnus amor, qui ad beneficia conferenda iniurijs accenditur: qui offenſus feruet ad clementiam, percuſſus exurgit ad gratiam.

4. Poſtquam Deus, qui in Patris familias perſona introducitur, operarios in vineam ex denario conduxit, & ad ſoluendum acceſſit, pręcepit ęconomo, vt nonniſi à nouiſſimis mercedem ſoluere inciperet. *Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouiſſimis vſque ad primos.* Matth. 20. verſ.8. Dubitat Chryſoſt. cur non à primis vſque ad nouiſſimos, ſed à nouiſſimis vſque ad primos reddatur merces, aliud enim iuſtitia exigebat, & operariorum murmur non ſine cauſa excitatur, qui enim magis laborauerant, priùs, & abundantiùs erant remunerandi. Vt quid Deus vltra modum pręmiat, & ęquali mercede diſpares labores compenſat, atque ab illis incipit retributionem, qui poſtremò aduenerant, & minus laboris impenderant? Audi Chryſoſt. homil. 34. *Secundum rem quidem erat, vt primi priores acciperent ſuam mercedem. Sed vt oſtendat Deus ineffabilem miſericordiam ſuam, primum nouiſſimis, & indignioribus reddit mercedem, poſtea primis. Nimia miſericordia ordinem non aſpexit.* Quaſi indignitas meritum eſſet, ea mouetur, vt in benignitate excedat, quia miſericordia non ſeruat iuſtitię ordinem, & ſe manifeſtare ſatagit malitiam ſuperando, motiuum largioris munificentię in ipſa eſt, & occaſionem ab indignitate ſumit, indignioribus reddit mercedem, poſtea primis. *Nimia miſericordia ordinem non aſpexit.* Nulla exaggeratior laus miſericordię eſt, quam quę reſultat ex profuſa, & ſupra meritum largitione, exceſſu decoratur, quia malitiam humanam gloriosè vincit, & illius oppoſitione fortior inſurgit.

5. Diues ille Pater familias, Deus inquam, plantauit vineam, ſæpè obuallauit, ornauit torculari, & locauit agriculis, tempore autem opportuno miſit ſeruos ſuos, vt annuos redditus exigerent. Quid tunc? *Agricolæ apprehenſis ſeruis eius alium cęciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. Iterum miſit alios ſeruos plures prioribus, & fecerunt illis ſimiliter. Nouiſſimè autem miſit ad eos filium ſuum dicens, verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra ſe, hic eſt heres, venite, occidamus eum.* Matth. 21. verſ.35. 36. 37. & 38. Cur poſt primos ſeruos malè habitos ſecundos mittit, & poſt hos barbarico auſu lapidatos, quaſi iniurię oblitus dilectum filium periculo exponit? Quarè ſic iterata miſericordia duplicat beneficia, & repetitam agricolarum malitiam repetita clementia compenſat? Sanè vt certamen iniret cum hominum maleuolentia, & dum magis contra eum inſurgunt homines, & impudenti temeritate audent, magis per bonitatem, & miſericordiam ad eos deſcendat, ea enim Dei conditio eſt, vt quo magis offenſus, eo ſoleat eſſe beneficentior. Audienda ſunt elegantiſſima Imperfecti verba hom.40. in Matth. *Conſidera quomodò per ſingulos gradus miſericordiæ Diuinæ malitia Iudæorum creſcebat, & quomodò per ſingulos gradus Iudaicæ malitiæ Dei miſericordia addebatur, & contra clementiam Dei malignitas humana certabat. Ecce, qualis vis, amicus alicuius fuerit homo, ſi ſemel ab illo fuerit paſſus iniuriam, quantumcumque frangitur eius affectus, ſi iterum paſſus fuerit, iterum magis minuitur, ſi iterum, amplius minuetur amicitia eius, tamen non additur, Dei autem miſericordia quanto magis à Iudæis offendebatur, tantò amplius addebatur in eis.* Quid pulchriùs? Audet malitia humana cum Dei miſericordia manus conſerere, impotenter ipſam ſuperare intendit, & exindè lęſus amor accenditur non ad vindictam, ſed ad profuſiorem gratiam, quia æmulatione concertat, & vt magis emineat, illam beneficijs opprimit.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Et ſi quandòque naufraget, plerùmq; Dei timor ſalutis portum feliciter attingit.

1. MVltoties animus timore correptus impotens redditur ad virtutem, inualidus ad ſanctitatem, naufragat timore ſpes, & metus, quo queritur Deus, quandoq; obſtat, vt Deus inueniatur. Volens Chriſtus ſemel Petrum fauore proſequi, eius cymbam ingreditur, & refugiens Petrus ipſius ſocietatem, ac ſi ipſi eſſet nocitura, timens clamabat. *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Lucæ 5. verſ. 8. Querit Chryſ. ſerm. 147. huius formidinis cauſam. Si Chriſtus accedit vt faueat, cur Petrus ipſum formidat? Si ipſius beneficentiam erat expertus, cur ipſum à ſe relegare ſatagit? Heccinè Petri iactantia? Qui dixerat: ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo, & inimica tela non formidabat; nunc Magiſtri præſentiam exhorret? Quis Petri animum oppreſſit? Timore, ac pauore Petrus turbabatur, & adeò quandòque timor obſtat, vt homo aſſequatur Deum, quod vel quando ipſe per ianuas ingreditur, neſciat Petrus ipſum inuenire, & diſcedere à ſe obnixè petat, quem ad ſe accedere rogare debuit; Ipſum à naui exulare procurat, *quia quod erat amoris, & fidei pondus pauoris extinxerat* (ait Chryſol.) Sic animum peruertit timor, vt neque vtile, neque commodum appetere permittat. Hinc cum Elias Angelis ducentibus, & quadriga ignea impoſitus, quaſi in quodam triumpho victor raperetur in cœlum, intrepidè Eliſæus ipſum deprecatur, vt pallium mittat, quo ipſum poſteà ſequatur. *Ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque, & aſcendit Elias per turbinem in cælum: Eliſæus autem videbat, & clamabat, &c.* 3. Reg. 2. v. 11. Timet Eliſæus in alio euentu, eo quod Rex Syriæ eum voluit ſuæ ſubdere ditioni, multiſque eum armatorum cinxit agminibus. *Et ecce* (inquit text. 4. Reg. 6. v. 27.) *mons plenus equorum, & currnum igneorum in circuitu Eliſei.* Quo viſu timorem non ſolùm à ſe expulit, ſed à puero, qui cum ipſo erat. *Noli timere* (dicebat) *plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis.* Cur ſi Angeli Eliſæo fauere intendunt, defenſione tutantur, quæ beneficio Eliæ eſt ſimillima? Cur eo protegitur igne, quo Elias aſſumitur in cœlum, & ſpem erigit ad illum comitandum? Egregiè D. Ambroſ. ſerm. 87. *Ergo Eliam ad cælum perferunt. Eliſæum Angeli, qui Magiſtrum portauerant diſcipulum ſeruant, & notitia quadam obſequia, quæ patri exhibuerant, etiam filio deferebant.* Præme hæc poſtrema verba. *Et notitia quadam obſequia, quæ patri exhibuerant, etiam filio deferebant.* Quaſi idem ſit cœlum alicui aſſecurari, ac ab eo formidinem tollere, qua meticuloſus erat. Sic enim animum deijcit, & ſpem proſteruit timor, vt ipſe quandòque impotens reddatur ad virtutem.

2. Sed eſtò aliquando timor obſtet ad Dei ſequelam, plerumque tamen vt optimus nauclerus gubernaculo aſſidens nauigium animæ ad ſalutis portum feliciter appulit. Hinc Dauid œconomiæ ſpiritualis ſcientificus dicebat; *Venite filij, audite me timorem Domini, docebo vos.* Pſalm. 33. verſ. 12. Sed cur non potius amorem docere intendit, quam timorem? Magis enim deceret Dei ſeruos filialis amor, quam ſeruilis timor. Auſculta Caiet. *Meminit autem potiùs timoris, quam dilectionis, quia timor Dei & communior, & prior, vtpotè introductorius amoris, & congruus magis pueris, atque adoleſcentibus eſt, timendo enim Deum diſcunt amare illum.* Amor certè timori præferendus eſt, ſed quia timor rudimenta amoris docet (vt dixit Origenes in cap. 8. epiſt. ad Romanos. *Paruulis quidem pedagogus eſt timor*) ideo à timore, qui mores inſtruit, & diſciplinam docet, ingreditur Pſalmiſta Regius. Et licet in timore illo omnis actus intelligatur ſpectans ad internum cultum Dei (puta ipſum diligere in eo confidere, & eiuſmodi) meminit potiùs timoris, quam dilectionis. *Quia timor & communior, & prior eſt, vtpotè introductorius amoris*, & reliquarum virtutum, nam quas timor non firmat, imbecillę nutant, & ruituræ vacillant, nullaque Deo placet, quæ ipſius timore non informatur.

3. Oderat olim Deus primas menſium, & hebdomadatum celebritates, vt habetur Iſaiæ 1. verſ. 13. *Neomeniam & Sabbatum, & feſtiuitates alias non feram, iniqui ſunt cætus veſtri, kalendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odinit anima mea.* At cur Deus feſtiuitates, quas imperabat, oderat? Auſculta Tertullianum lib. 2. contra Marcion. cap. 22. qui ex litera rationem elicit. *Veſtra* (inquit) *dicendo, quia ſecundùm libidinem ſuam, non ſecundum religionem Dei celebrando, ſua iam, non Dei fecerant, rationalem demonſtrauit recuſationem eorum, quæ adminiſtranda præſumpſerat.* Sed vlteriùs libet inquirere, quidnam illas celebritates prophanaret, & ex Diuinis humanas conſtitueret? Audi ipſum Tertullianum. *Si Deus alium Sabbathorum profeſſus eſt, veſtra Sabbatha dicendo: hominem ea reputat, non ſua, quæ ſine Dei timore celebrat populus plenus delictis.* Reuerentia Deo exhibita abſque timore non ipſi placet, Sabbatha, & ſacrificia abhorret, quia quæ non roborat Dei timor, qui neruus eſt pietatis, nullo modo placent, ſumma enim perfectionis à timore incipit, & illo finitur. Qui abſque timore Deo famulatur, in omniqus ipſum demeretur, quia ipſum inhonorat, vt enim ait Tertullianus lib. de pœnit. cap. 7.

Timor hominis Dei honor eſt. Et lib. de cultu fœminatum. *Qui præſumit, minus, minus veretur, minus præcauet, plus periclitatur. Timor fundamentum ſalutis eſt, præſumptio impedimentum timoris*. A timore namque incipit homo Deum reuereri, illum honorat, dum illum timet. Emittente Chriſto Domino in Cruce ſpiritum, *terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt*, Matth.27.verſ.1. Vt quid terra mouetur, & trepidat, dum Chriſtus obit? Fortè culpæ Iudæorum eſt conſors, quod ſupplicium timet? Si peccati eſt expers, ad quid conturbatur? Audi Hilarium lib.3.de Trin. *Terra quid facit? Ad onus Domini pendentis in ligno intremuit, eum, qui mortuus eſt, intra ſe conteſtata non capere*. Reueretur terra dum corpus excipit Creatoris, rudi obſequio illum honorat, timore quo concutitur, Dei maieſtatem demonſtrat, & eam talem eſſe oſtendit, vt illius receptionis ſe incapacem fateatur. Pio famulantis officio ipſum reueretur, quem timet, & indignam ſe prębet ad talem hoſpitem ſuſcipiendum. Sic videns Centutio Chriſtum Dominum ad ipſius domum pergere, obuius fit ei, & timore plenus inquit; *Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum*, Matth.8. Verum cur homo timet, Deum hoſpitem habere, cum potius magna lætitia illum excipere debuiſſet, ſicut Zacchæus excepit? *Ipſum* (ait Chryſol.ſer.15.) *eſſe Dominum ſingulari pauore ſignificauit, deducere dum veretur ad animæ ſuæ domum*. Talis eſt filialis timoris ſublimitas, vt eum exaltet, & honorificè manifeſtet. Vndè ad Dei promiſſum maximè expauit Propheta noſter. *Domine audiui auditionem tuam, & timui*. Quia mirabile opus, quod ipſi Deus pollicebatur, nullo alio elegantiori potuit exaltare præconio, quam timore, quo illud reuerebatur.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Qui à prætenſo repulſam patitur, bona excludentis verba audiat.

1. LEnitas, & manſuetudo innata virtus ſuperioribus debet eſſe, vt ea arte ſubditis imperent, quod videantur vitia inſectari, non hominem. Arte medica eos regere, expedit, vt ab infirmitatibus conualeſcant; verum tali induſtria applicata, vt dum in ſubditos animaduertunt, morbus à remedijs propter aſperitatem non ſeuiat: ſæpè enim mitis curatio ad ſanitatem faciendã eſt aptior, & in ea artis peritia magis oſtenditur. Iuſtitiam attemperare manſuetudine taliter, quod vnicuique quod ſuum eſt tribuatur, ac nullus pluſquam meretur accipiat; & tamen nemo laceſſitus recedat, ars eſt regiminis. Nam ij, qui à gradibus, & prælaturis propter meritorum inopiam arcentur, æquum eſt, vt ad minus vultum placatum excludentis videant, & verba dulcia audiant. Munera diſtribuens non debet crudeliter ſæuire in candidatos, & ad brauium currentes, ne ipſi in deſperationem trahantur, & indecora repulſa tabeſcant. Quod opere lędit ſuperior repellendo, verbis mulceat, qui concupita non obtinet, verba ad minus beneuola excludentis deferat: Remunerato ſat eſt, deſiderata poſſidere; excluſo ſaltem verba honorifica relinquat: nam ſicut ille ius habet ad rem, ſic iſte ad verba. Parti dolore affectæ adulandum eſt, ne dolor intendatur, & ſæuit.

2. Excruciatur in inferno diues Epulo totis gehennæ tormentis, inhumana cruciamenta patitur: auidiſſimè eſurit, ardentiſſimè ſitit. Inter flammæ caligines Lazarum ſuſpicit, & Abraham eum in ſinu fouentem exorat. *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Lucæ 16. verſ. 24. Quod cum audiſſet Abraham, vt ſe damnatum irremediabiliter agnoſceret, & fore neceſſarium repulſam pati, ait: *Fili recordare, quod recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala*. Quaſi cauſam ſuę damnationis reddens bona recepiſſe, & eis fuiſſe abuſum repręſentat. At non ſatis cum Patriarchę iuſtitia, & ſanctitate conſonat, quod hominem Deo inuiſum, ſceleratum, & ęternis cruciatibus mancipatum filium vocet, & paternitatis hominis immiſericordis pijſſimus Patriarcha non dedignetur: maximè cum Lazarum, de quo in eodem periodo loquitur, non filium nominet. Gratiorne eſt diues damnatus paupere glorioſo? Abſit. Cur igitur ſic Abraham, quaſi cæcutit fumantibus flammis, vt Lazaro epitectum filij adimat, & homini deſperatione tabeſcenti, inimico Dei, cœlo odibili illud conferat, atque dum diuitem mulcet, Lazaro iniuriam irroget? Minus beneuolus in Lazarum, quam in diuitem oſtenditur? Chryſoſtom. dum hęc ſibi obieciſſet, Abrahę mitiſſimam naturam exaltat, & politicam tanto viro dignam, qua & merenti pręmium, & reprobo verba manſueta contulit. Nam cum vidiſſet Lazarum gloria dignum, & diuitem inferno, hunc blandè, & paterna voce alloquitur, vt qui à pręcenſo repulſam patiebatur, ſaltem excludentis ſuauem loquelam, & verba beneuola audiret. *Aſpice* (ait Chryſoſt.in Catena) *Patriarchæ bonitatem: vocat illum filium, quod manſuetudinem eius poteſt exprimere, cum tamen nullum præbeat auxilium*. Quaſi dicat; ideò diuitem filium vocat, quia eum à pręcenſo excludit. Sat eſt Lazaro filium eſſe, relinquat nomen diuiti, dum hereditatem paternam poſſidet. Si diues eſt dam-

nandus, & à prętenſione repellendus, bona ad minus verba audiat: ſi nullum ei præbet auxilium, eloquij non deneget ſuauitatem: quo & manſuetudo Abrahæ oſtendatur, & nihil detrahatur iuſtitiæ. *Vocat illum filium, quod manſuetudinem eius poteſt exprimere, cum tamen nullum præbeat auxilium*. Sic ſuperiores, ſic Iudices verba & res debent modulari, vt qui damnetur, non verbis, pœnas luat ſententia, non Iudicis indignatione, cauſæ merito, non condemnantis furore. Sic res & verba diſpenſanda ſunt, vt quem iuſtitia à concupito arcet, verba ſuauiter mulceant. Sic Deus ad Cain poſtquam fratrem inrerfecerat: dixit: *Vbi eſt Abel frater tuus*? Geneſ.4.verſ.9. Non verbis contumelioſis eum inhonorauit: quia hæc Iudicem punientem non decent.

3. Perfidi Iudæ diſcipuli vacante ſede Apoſtolici ſenatus, vt Petrus, cæterique collegæ de ſucceſſore prouiderent, ex viris eos comitantibus duos elegerunt exemplo, & moribus, vitaque probatos, quorum ſortes in vrnam miſerunt, vt cœlum, quem ex eis eligeret, demonſtraret: factoque ſcrutinio ex duobus, quorum vnus Ioſeph, & alter Matthias vocabatur, Matthias apparuit electus, & annumeratus eſt vndecim Apoſtolis. *Et ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt iuſtus, & Matthiam, & dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam*. Actor.1.verſ.23. Quæ ſors non Diuini ſpiritus mouentis, ſed humani fauoris ſatagentis videtur, cum in ea à dignitate iuſtus, ac benemeritus arceatur, & is de cuius meritis non ſic perſpicuè conſtabat, præficiatur; ac Ioſeph, qui iuſtus ob egregiam ſanctitatem vocabatur, ſit repulſus, & Matthias, qui neophitus erat, & mille lucris paulò antea implicatus, ad Epiſcopatum aſcendat: maximè cum populo ſpectante id acciderit, qui de Ioſeph talem opinionem habebat, vt iuſtum eum compellaret, & de Matthia recenter conuerſo aliter ſentire, erat neceſsè. Rectiùs enim videbatur, cum Matthias eſſet eligendus, ipſum Iuſtum, ac Sanctum nominare, quam Ioſephum, vt eligentis auctoritas, & iuſtitiæ integritas commendarentur. Expediret etiam merita Ioſeph, qui excludendus erat, tacere, ne propter merita videbatur repulſus. Aut Ioſeph iuſtitia taceatur, aut cum manifeſta ſit, præficiatur: ne dum electi merita tacentur, & excluſi publicantur, electio euadat ſuſpecta, & propter humanos reſpectus obtenta credatur. Sed cum hoc non caſu acciderit, ſed ſuperno inſpirante conſilio, politia Diuina in eo euentu & cogitanda venit, & imitanda; ſic enim Spiritus Sanctus ſortes fuit moderatus, vt qui à dignitate arcebatur, verba honorifica audiret. Sortem Apoſtolatus Matthias deferebat: deferat igitur Ioſeph laudes, ne deſperatione tabeſcat, ſit Matthiæ dignitas, Ioſepho encomia contingant, ſat eſt Matthiæ Apoſtolum eſſe, videatur Ioſeph Apoſtolatus dignus, & cum vnus dignitatem, alter elogia ſaltem deferat. Sic Hugo Carenſis ad hunc locum acutè penſitauit. *In laudibus Barnabæ immoratur, ne velut indignus repelli videretur*. Diuinus ſermo quaſi blanditur excluſo, ne inhonoratus, & laceſſitus euadat. Sic enim Deus voces & res diſtribuit, vt cum ab excluſo dignitatem ſubtrahit, ipſum verbis ſuauiſſimis mulceat, ſic ſortes modulatur, vt vterque felix euadat, atque verba donet honorifica, cui dignitatem denegat, ea harmonia munera largitur, vt qui munus non defert, pro munere panegyricum audiat. Sic qui dignitates diſtribuunt, munera, & ſupplicia, ſe debent gerere, vt quod iuſtitia lædit, diſſerta verba ſanent, adeò humani debent eſſe Iudices, vt eos pro quibus ſententiam ferre nequeunt, ſaltem verbis placidis conſolentur, non aſperis, & virulentis impetant.

4. Murmurauerat olim populus aduerſus Moyſem, & Aaronem exterritus ab exploratoribus, ducem voluit conſtituere ad reuertendum in Ægyptum. Impatientes Diuinæ blaſphemiæ Ioſue, & Caleb ſe populo opponunt, & ita impatientes ſęuit populus, vt eos lapidaret, niſi in tabernaculo Deus illos protegeret. Excandeſcens Deus populum vult delere, à quo deſiſtit deprecatione Moyſis, contentus quod nullus ingrediatur terram promiſſam, vno duntaxat Caleb excepto, quem magnis laudibus extollit. *Seruum meum Caleb, qui plenus illo ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc, quam circuiuit, & ſemen eius poſſidebit eam*. Num.14.verſ.24. Mirabile eſt, quod cum vterque ſtrenuus miles pari animoſitate ſe populo pro Deo oppoſuerint in laudibus tantum Caleb ſe Deus diffundat. Non minus Ioſue, quam Caleb pro Dei honore certauerat, vterque acerrimè populum reprehendit, ab illoque fuit inſecutus. Vt quid igitur à Dei laudibus excluditur Ioſue, & nec minimum de illo honorificum verbum protulit, Caleb autem mirificis æncomijs extollitur? Subtiliter Oleaſter rationem huius inæqualitatis indigitat. *Non meminit Ioſue, ſed ſolius Caleb, qui eum Ducem populi facturus decreuerat*. Præfecturam, & principatum Ioſue conferre Deus decreuerat, & idcircò eum non laudat? Verum ob id ipſum laudandus videbatur, vt illius merita in populo commendaret, & auctoritatem illi acquireret. Caleb, qui non eſt præficiendus, laudibus extollitur, & præclara merita habere Deus teſtatur, cum tamen Ioſue merita ſilentio prætermittit? Ita equidem, politicè, quidem, & diſſertiſſimè. Si Caleb officium non erat adepturus, laudibus Dei probetur dignus, ne propter incapacitatem reputetur excluſus. Sat eſt Ioſue principatum deferre, ſat dignitatis collatione laudatur, verba honorifica benemerito excluſo relinquat, vt Superiores, ac Iudices inſtruantur verbis

eos

eos ſolari, quibus prodeſſe nequeunt, pro quibus ſententiam iuſtitia ſerri prohibet. Qui contrariæ feritur ſententia, qui à prætenſo repulſam patitur, verba ad minùs placida deferat,

5. Iacob vt fratris benedictionem, & primogenita ſubriperet, pelliculis hædorum manus, & nuda colli protexit, cumque ad patrem accederet, & ille filij manus contrectaſſet, & ad verba attendiſſet, ait: *Vox quidem vox Iacob eſt: ſed manus manus ſunt Eſau*. Gen. 27. verſ. 22. Et vndè diſcrimen inter Iacob, & Eſau verba percepit? Quia Eſau (ait Gregorius Magn.) vt erat vir moribus agreſtis, & ſtolidus, ſic & voce: nam eam habebat aſperrimam, raucam, & inſuauem; Iacob vero & moribus, & voce erat lenis, ac blandus, taliter vt vel ipſa vocis dulcedine audientium aures recrearet. Et cur cum caput ſuæ domus efficitur, voci ſic leni aſperitatem manuum adiungit, & ſenticoſo attactu lædit, quem voce delicata mulcet? Quia in hoc facto ſuperiorem delineabat (cum & ipſe ſe ſuperiorem conſtitueret primogenita auferens) qui eo temperamento debet componi vt cum manus aſperas habee, vocem emittat modulatam, & dulcem. *Vox quidem lenis, manus autem ſeuera*, ait Gregorius. Quem manu aſpera caſtigat, voce ſuaui, ac placata debet fouere: quem à gratia, & fauore prætenſo manu relegat, & excludit, voce miti conſoletur, ne inhonoratus recedat, & in deſperationem trahatur. Sic Dominus candidatos ad ſe ipſum venire inuitat. *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum, & lac*. Iſaiæ 55. verſ. 1. Et quas delitias eis præbet, vt eam auidè properent ad ipſum? *Vinum, & lac*, ait: hac mixtura Deus recreat, & diſponit ad munera currentes: lac enim liquor eſt nimis lenis, & ſuanis; vinum admodum aſperus, & acriter pungens. Igitur hac infuſione Deus vtitur, vt vini aſperitas lenitate lactis corrigatur, ne nimis mordeat, atque in pœnis, & muneribus diſtribuendis eam propinat, acerbitatem operis cum vocis lenitate miſcens, ne repulſæ aſperitate ſæuiat excluſus, voce mulcet, quem manu lædit: quia verba amara ſenticoſæ manui neſcit Deus adiungere.

6. Nouerat optimè Sponſa conſortis genium, cum eius pulchritudinem deſcribens aiebat: *Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles aureæ plenæ Hyacinthis*. Cant. 5. verſ. 13. & 14. De oris pulchritudine locuta ad manus immediatè tranſit propter connexionem, quam inter ſe debent habere os, & manus, verba, & operationes: nec enim lato vngue verbum ab opere debet diſtare. Sed magno diſcrimine vtramque partem deſcribit: nam os plenum myrrha, ita vt in diſtillationes dilabatur, demonſtrat, cum manus lætitia plenas, & pulchritudine, auro, & gemmis exornatas, ac elaboratas ſculptura prima depingat. Et quæ conuentio oris amarè loquentis cum manibus tam hilariter exultantibus? Verborum myrrham redolentium cum operationibus tam gratè delectantibus? Congrueret enim, quod manus verbis correſponderent, & vtraque aut amara, aut dulcia apparerent; nam ea non Dei, ſed hominum conditio eſt, in quibus verba rebus non conſonant, & aliter ac loquuntur, operantur. Cum autem Dei dicere agere ſit, manus, & vocem eiſdem Sponſa coloribus, ac penicillis debuit depingere. At non ita, quæ eius genium nouerat, deſcribit: ſed os myrrham redundans, & manus dulcedinem: nam Deus operibus amaris, & inſipidis verba aſpera, & amara non miſcet, ſed dulcia, & manſueta: quem à fauore excludit, non impetit verbis: cui denegat concupitum mellea verba confert, cum aliquando fauoribus cumulatos labijs myrrham diſtillantibus alloquatur: is, quem manu ſeuera tangit, eloquij ſuauitate fouetur: ſic enim & ſuæ bonitati conſulit, & ſuæ iuſtitiæ non deeſt. Sic Vatem, cui libertatem populi pollicebatur, & quem proſequebatur fauoribus, voce terret. *Domine audiui auditionem tuam, & timui*. Hic verſ. 2. Nam ſi denegaret optata, non verbis timorem incutientibus, ſed redolentibus ſuauitatem alliceret.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Fides humana ex auditu incerta, ex munerum acceptione mendax.

1. RAra fides eſt, niſi cælitus veniat, cui fides debeatur: nemo enim niſi inconſideratus hominum teſtimonio, quod ex auditu venit, multum fidit: magno enim cum incremento rei incertæ fama, quæ per aurium traduces ſerpit, diffunditur: ſæpiſſimè enim aut æmulationis malitia, aut ſuſpitionis arbitrio, aut inclinatione mentiendi, qua feruntur homines veritas inuertitur, & ex leui rumuſculo veritas demutatur, detrahitur, aut adijcitur. Nihil niſi quod oculus attentè perluſtrat, credendum eſt: quia ſæpiſſimè aurium informatione ſallimur, & ex leuibus principijs tranſmigrante per aurium mendaces ſinus fama, increſcit mendacium. Cautè diſcernendum eſt in eo, quod auditur, ne facilè in falſam, & deluſam fidem dilabamur. Exſtat in exemplum Deus, qui audito clamore Sodomorum dixit: *Deſcendam, & videbo vtrum*

cla-

clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: an non eſt ita, vt ſciam. Gen. 18. 21. Vt quid Deus deſcendere decernit, vt flagitia hominum, quæ ad aures ſuas peruenere, oculis inſpiciat, & viſa trutinet, vt ſciat? Fortè Deus neſcire poterat, quæ Sodomorum populi perpetrarant? Nihil enim ipſius perſpicaciam poteſt latere, nihil ipſius præſcientia ignorare. Ad quid igitur deſcendit? Optimè Philo de Confuſ. Lingu. de audacia extructorum turris Babylonicæ diſſerens prædicta verba exponit. *Deſcendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Propius introſpecto negotio diligenter cuncta perluſtrat: viſus enim certus, potius quam fallax auditus teſtis adhibendus eſt.* Humano more ſe Deus geſſit, vt documentum hominibus præberet: poſtquam Deus clamorem auribus excepit, videre, quod auribus erat inſertum, deſcendit: cuncta quæ audierat, diligenter ſcrutatur, quia ſuſpectum falſitatis habuit teſtimonium per aures ad animum tranſmiſſum. Non adhibet fidem clamori, qui ad aures peruenit, oculorum attenta notitia, quorum infallibile eſt iudicium omnia trutinat: Vel Deus ipſe auris teſtimonij non condemnat: quia falſitatis habet ſuſpectam fidem, quæ ex auditu venit, & clara viſione intuetur, vt negotium abſoluat.

2. Dilectam Sponſus inuitabat Sponſam, vt ad delitias verni temporis perfruendas exiret. Ne autem dubia remaneret de amęnitate florum, & referta fructuum abundantia, quam offerebat, & vt hiemis abijſſe rigorem, atque pulchritudinem veris aduentaſſe teſtaretur, aiębat: *Iam enim hiems tranſijt, imber abijt, & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Cantic. 2. verſ. 11. & 12. Vt credas, tempus aduenisse delitioſum, amęnitatem agri intuere, nam iam venuſtiſſimis floribus exornatur, & turtur triſtes, ac dulces gemitus emittit. Verum vt Sponſus vernum tempus adeſſe, perſuaderet, ad quid fuit neceſſè, ſigna repetere? Sufficere enim videbatur Sponſam turturis eiulatus audire, vt certò crederet, vernum tempus aduenisse: ſiquidem in ipſo tantùm turturis gemitus audiuntur; reliquo anni tempore tacet. Ad quid florum pulchritudinem, & fragrantiam adiecit, & indicia repetiuit? Eſtò teſtimonium Sponſi non ſufficeret, turturis cantus ſufficiebat, vt ſine hæſitatione Sponſa fidem adhiberet dictis. Ad quid teſtes multiplicat, vbi ex vno tantum veritas innoteſcit, & turturis cantico flores adiecit? Subtiliter Bernard. difficultati occurrit. *Vox auditur, flos cernitur: flos qui voci accedit, fructum parturit fidei: nam etſi fides ex auditu; ex viſu tamen fidei confirmatio prouenit.* Signa repetit Sponſus, vt auctoritatem dictis adaugeat, & turturis voci euidentiam florum adiecit: nam turturis teſtimonium ad aures pertinebat; quæ deceptionibus ſubijciuntur; at florum teſtificatio ad oculos ſpectabat, qui falli non poterant: & vt teſtimonium ab omni falſitatis ſuſpitione redderet immune, aurium informationi oculorum euidentiam adiunxit; quia quæ per aures denunciantur, falſa multoties deprehenduntur. Oculorum perſpicua notitia incorruptum reddit iudicium: aurium mille mendacijs temerata fallacem arguit fidem. Sed proh dolor, quam pluries ſuperiorum auditus dum delatorum inſidias excipit, lubrica, & decepta credulitate lenocinatur erroribus, & blanditur mendacijs, nullus enim teſtis ex auditu fidus eſt, neque credulitatè dignus.

3. Nec minùs quam naturali mentiendi voluptate, munerum acceptione corrumpuntur teſtes: hoc enim telo maximè infeſtatur veritas etiam apud homines virtute, & ſapientia magnos. Nullus ferè eſt, qui veritatem non inuertat, vt ei complaceat, qui eum beneficijs deuinxit. Hanc etiam ſuſpitionem à ſe Chriſtus Dominus relegauit mundi corruptionem agnoſcens: cum enim Diſcipulis ſuis iniungeret, vt fidem, qua ipſos imbuerat, teſtificarentur mundo, & teſtimonia eorum, quæ viderant, Gentibus prædicarent ſic fatur: *Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Actor. 1. Ad receptionem Spiritus Sancti ſubſequitur teſtimonium: priuſquam teſtes fiant, virtutem ſupernam accipiunt. *Accipietis, & eritis mihi teſtes.* Hoc ipſum in mundo viget, accipere ad teſtificandum, quamquam aliter, & aliter: nam mundus munera offert, vt veritatem inuertat; Chriſtus, vt eam fulciat. Vt Apoſtolorum teſtimonium irrefragabile redderet, quid illis conferebat, expreſſit, virtutem nempè Spiritus Sancti: nam audita acceptione periclitaretur fides, niſi donum acceptum exprimeretur: quia à receptione munerum hominum teſtimonium corrumpitur, & falſificatur fides. Quod ſubindicauit Caiet. *Accipietis virtutem Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes. Euentus ſubſecutus teſtatur veritatem horum: acceperunt enim illapſi Spiritus Sancti in eis robur, ac potentiam.* In ipſa veritate, quam poſteà teſtificati ſunt Apoſtoli, doni accepti qualitas apparebat, nempè Spiritus Sancti infuſa virtus: ſicut & in falſitate, quæ in hominum teſtimonio deprehenditur, accepti muneris etiam qualitas innoteſcit: nulla enim veritas non vitiatur, vbi donorum corruptela intercedit. & vel actus puriſſimus religionis, qualis eſt ſub iureiurando teſtificatio, vbi interuenit munerum acceptio, violatur, Actus iuramenti per antonomaſiam actvs religionis dicitur: quia in illo tota Dei auctoritas interponitur. Hinc (ſuſpicor) dixit Iacobus in ſua epiſt. canonic. cap. 1. verſ. 17. *Religio munda, & immaculata apud Deum,*

& Pa-

& Patrem hæc eſt, &c. Non parum mentem fatigat, quod religionis actus, de quibus ibi loquitur Apoſtolus, ad Patrem referat, non ad Filium, vel Spiritum Sanctum. Mitto alios religionis actus, de quibus idem dubium excitari poteſt, & ſingulariter inquiro, cur actus iuramenti, qui religionis eſt, ad Patrem ſit referendus, & faciendus illius intuitu, non ad Filium, nec ad Spiritum Sanctum, cum eiuſdem ſint naturæ, & ſubſtantiæ, atque eadem reuerentia ipſis debeatur? Dicam, quod ſuſpicor: Filius generatione æterna à Patre accipit eſſentiam, & Perſonam: Spiritus Sanctus à Patre, & Filio eandem accipit naturam, & propriam Perſonam: Solus Pater à nemine recipit, quia ipſe principium eſt Diuinarum productionum. Igitur licet Filius, & Spiritus Sanctus eiuſdem ſint naturæ cum Patre, actus iuramenti Patrem reſpiciat, qui à nemine accipit, non Filium, aut Spiritum Sanctum, quia hi ab alijs accipiunt: vt innuatur, quam independenter à munerum acceptione, vbi Diuina intercedit auctoritas veritas ſit teſtificanda: quidquid redolet acceptionem, relegandum eſt, vbi ſacratiſſima Dei auctoritas in reſtem veritatis adducitur. Vt autem fidem occuparet Vates, quæ hominum malitia, munerum corruptione, & aurium facilitate ſæpè vitiatur, quam accepit, & ex auditu hominibus tradebat, à Deo infuſam oſtendit. *Domine audiui auditionem tuam.* Hic verſ. 2. Ne homines ipſi diſcrederent, dum aurium informatione eam poſſidebant.

DISCVRSVS VIII. MORALIS.

In æqua meritorum lance, cana ſapientia iuniori eſt præferenda.

1. Dignitas non ætate, ſed merito eſt dimetienda. Non tempore increſcunt merita, ſed virtute non qui diu vixit, ſed qui plus proficit, ius habet ad præfecturam. Non eligitur ætas, ſed meritum: nam aliter capax eſſet caduca ſenectus, quæ meritò tanquam inhabilis omni æuo à dignitate fuit repulſa. Sic Plato lib. 6. de legib. ſeptuagenarios à Republica arcebat. Romani ſexagenarios de ponte præcipitabant. vel ſaltem à ſuffragijs remouebant, iuxta illud Senecæ cap. vltimo lib. 4. de breuit. vitæ. *Lex à quinquageſimo anno militem non cogit, à ſexageſimo Senatorem non citat.* Idest, non vocat ad Senatum. Barbari Maſagetæ Tibetini, & Hircani ſenes tanquam homines non ſolùm ad regimen, ſed etiam ad quamcunque aliam rem inutiles iugulatos deuorabant, aut in patibulis ſuſpendebant, aut volucribus, & canibus ſemiuiuos proijciebant, vt refert D. Hieron. lib. 1. aduerſ. Iou. Qui nihil aliud præclarum habet, niſi quod longo tempore vixit, meritò à dignitate reijcitur. Sed certè dum intellectus, & merita vigent, æquum eſt, vt experta benemerita ſenectus primis honoribus remuneretur. Sic enim & meritis adipiſcendis conſulitur, quia ſpe vlterioris brauij iuuentus erigitur ad laborem, & bono Reipublicæ prouidetur, quod ſæpè languet, & periclitatur ſub iuuenili gubernaculo. Exſtat in exemplum Phaëton imperitus auriga, qui habenas cæleſtis currus immoderatè moderatus, præcipitatus ad terram ruit, decor enim maioris ætatis, & verſatæ prudentiæ expetit, vt inexpertè præponatur. Sic Chriſtus Dominus Apoſtolorum merita, & latronis, qui compatiebatur ipſi, remuneraturus, huic cæleſtem Paradiſum tantum pollicetur: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Lucæ 21. verſ. 43. Illis autem primas iudicantium ſedes, primos dignitatis honores: *Sedebitis, & vos iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Matth. 19. v. 22. Cur ita? Cur non latronem, ſicut Apoſtolos ad dignitatis apicem euehit? Egregiè D. Ambr. obſeruat. 2. in Michæam. *E latrocinio conuerſus requiem habet, at in Apoſtolatu probatus accipit poteſtatem.* Apoſtoli, qui erant experti, & diù in ſchola Magiſtri vixerant, præferuntur latroni, & hunc conſultiſſimè Deus non eligit ad præfecturam, quia inexpertus, & recenter erat vocatus. Viros ſapientia, & antiquitate meritorum præſtantes ei, qui nuper ad gratiam peruenerat, æquum erat præponere.

2. Moyſes in populi gubernatione defeſſus coadiutores expoſtulat, qui regiminis pondus ſubleuent, annuit Deus ipſius deſiderio, & præcipit, vt ſepteaginta ſenes eligat, quibus de ſpiritu Moyſis conferre pollicetur. *Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris.* Num. 11. verſ. 19. locus ſanè difficillimus, & quem Interpretes varia commentatione fatigant. Lyra, Chryſoſtom. Theodor. Oleaſt. & alij quamplurimi ſic Deum de ſpiritu Moyſi abſtuliſſe credunt, quemadmodum lumen ex vna candela ſeparatur in multas, quæ in illa accenduntur ſine vlla luminis diminutione, non enim Deus ſpiritum Moyſis imminuit, ſed ex illo coadiutorum ſpiritum accendit. *Non dixit* (inquit optimè D. Chryſoſt. hom. de Spiritu Sancto) *accipiam tuum, ſed de ſpiritu, qui eſt in te, de meo accipiam.* Vt quid igitur Deus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, de ſpiritu Moyſis ablaturus dicitur, vt gubernatores imbuat, quos populi regimini præponit? Si Dei erat conferendus ſpiritus, cur ipſum quaſi refricat ſpiritu Moyſis, vt ex illo accendatur? Etenim vt innueret, quantum interſit ad populi gubernationem cana, & experta prudentia. Meus eſt (inquit Deus) ſpiritus, & ſcien-

Digitized by Google

& ſcientia; quam habes, attamen auferam à te, quia in te experientia prædita eſt, qua in me caret. Ecce quanti Deus faciat antiquitatem meritorum, & quam ſit congrua virtutis antiquitas, quod quamuis ſeptuaginta iudicibus ſcientiam infuſam, & ſuper naturalem tribuat, eam tamen expertam quærit, & ex Moyſis verſata prudentia accipit. Hæc enim ſemper iuuenili ætati præponenda eſt, ne antiquum meritum langueat, & deſpectum vileſcat.

3. Poſtquam Abſalon aduerſus Patrem ſuum Dauid rebellauerat, quid in bello agendum eſſet, ſtrenuis, ac expertis militibns proponit, dux autem, & conſiliarius eius Achitophel in ea fuit ſententia, vt ſtatim exercitus impeteret Dauid. Conſuluit Abſalon Chuſay, & Achitophel conſilium reprobauit. *Dixitque Abſalon, & omnes viri Iſrael, melius eſt conſilium Chuſai Arachitæ conſilio Achitophel: Domini autem nutu diſſipatum eſt conſilium Achitophel vtile.* 2. Reg. 17. v. 14. Euentus probauit conſilium Achitophel fuiſſe prudenter excogitatum, & quam errauerit Abſalon illius ſuffragium deſpiciens, & Chuſai adhærens. At vndè ſic deceptus fuit, vt cum ingenti damno occaſionem prætermitteret ad bellum opportunā, quam Achitophel conſulebat? Antiquior erat Achitophel in domo Abſalonis, quam Chuſai, hic denuò aduenerat nulla experientia eruditus, ille in negotiorum expeditione maximè erat verſatus conſentaneum ergo erat rationi, vt huius conſilium amplexaretur Abſalon, & ipſum honoraret præponendo iuniori. Vt pro votis res ſuccedant, cæteris paribus, cana prudentia præponenda eſt. Maluit Abſalon conſilium exequi Chuſai, & in ſeipſum damnum vertit, quod ex indigna electione neceſſariò reſultabat, redundauit in exitium regni, non inſtructum miniſtrum experto anteponere.

4. In extremo iudicij die ſedebit Chriſtus Dominus in ſolio maieſtatis cauſas diſcuſſurus, quarum deciſionem ſic perſcribit Euangeliſta. *Tunc dicet Rex ijs, qui à dextris eius erunt, venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare.* Matth. 25. verſ. 34. Mirum eſt, quod Chriſtus Dominus coronaturus bonos in iudicio non alia eorum merita proponat, quam quæ ex miſericordia reportarunt, cum tamen ibi adſtent viri aliarum virtutum meritis illuſtres. Cur primum à clementia incipit, & non etiam aliarum virtutum merita recenſet? Cur non iuſtitiam, temperantiam, & ſimiles commemorat? Si præmio, quod largiturus eſt, aliæ virtutes ſunt dignæ, cur ſolo clementiæ titulo beatitudo promittitur, vt exindè langueant, & nullus de earum acquiſitione curet? Venuſtè Chyſol. ſerm. 14. in Pſalm. 40. *Quod Abel paſſus ſit; quod ſeruauit mundum Noe, quod Abraham fidem ſuſcepit, quod Moyſes legem tulit, quod Petrus crucem reſupinus aſcendit, Dominus tacet, & hoc clamat ſolum, quod comedit pauper. Erogatio pauperis prima Diuinis ſcribitur in ſcriniјs.* In libris, vbi merita ſcribuntur, vbi recenſentur virtutes, clementia primum habet locum, anteit cæteras, igitur primò præmia reportet, nam meritorum antiquitas ſemper præferenda eſt. In virtutis cathalogo alia aliam præcedit, quia etiam virtutes ſuas habent ætates, & quæ primò venit, primò remuneranda eſt, nam temporis ius, quod virtuti accedit, prima exigit brauia, ſtadium virtutis præcurrit clementia, & ideò cæteris pręfertur. Sic Chriſtus Dominus creaturus Eccleſiæ Principem dilectum in primis adoleſcentem maturo ſeni poſt habuit, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16. verſ. 18. Et cur non Ioannes virgo, & maximè dilectus eligitur? Optimè Hieronymus lib. 5. contra Iouin. *Ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat, ne adhuc adoleſcens, & penè puer progreſſæ ætatis hominibus præferretur.* Petrum euehit ad primam Eccleſiæ Cathedram, vt qui religione, & ętate erat antiquior, dignitate præiret. Sic Daniel in throno, quem viderat, ſeniorem adſtantium ſedere aſpexit, & cęteris prępoſitum. *Aſpiciebam, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit,* Dan. 7. verſ. 9. Et cur hic Deus ſenex apparet, & in fornace tribus pueris in iuuenili ętate? Quia vbi de regendi munere, ac de iudicio ſermo eſt, non modo virilis, & matura ętas, ſed ſumma ſenij longęuitas deſcribitur: vt enim annotauit Brixianus: *Senes multa experti melius diiudicant.* Idcircò Chriſtus conſultò cum adiudicandum ſedet, antiquus dierum introducitur: quia in aliorum concurrentia indecens foret, vt non cana, & experta ſapientia pręferretur. Propterea etiam cum Dominus Noe patrem futuri ſęculi voluit conſtituere, non tantum ipſius merita, ſed ętatem retulit: *Noe iuſtus, & perfectus in generationibus ſuis.* Geneſ. 6. verſ. 9. Vt quid ętas, tempora, decurſuſque vitę Noe in hoc loco inſinuantur? Euulgat Deus ętatem Noe, dum ipſum eligit in patrem cunctarum gentium, vt electionis prudentiam, & dexteritatem commendet. Similiter vt mirabile opus, quod Deus noſtro Vati pollicebatur, non intempeſtiuum, ſed conſultiſſimè patratum crederetur, illud non à principio, ſed poſt longum temporis decurſum effecturum, promitti. *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Hic verſ. 2.

DISCVRSVS IX. MORALIS.

Pudeat ſenectutem à vitijs non abſtinere.

1. Nihil tam natura abhorret, & ratio exprobrat, quam ſenem vitioſum. Vitia etiam ſuas habent ætates, & monſtruoſa ſunt, quæ ad ſenectutem protrahuntur. Adoleſcentiæ mores ad canitiem vſque differre, naturæ eſt inuerſio, & turpitudinis apex. Ætatem anteactam reaſſumere in ſenectute, vt vitijs inſeruiat, naturæ inuerſio, & rationis portentum eſt. Inſanit quiſquis ſemper viuere incipere ſatagit, & præterita tempora reuocare procurat. At hæc ſenilis ætatis dementia eſt, hæc ſtultitia, quæ ſemper vitam inchoare intendit. *Circumſpice tecum ſingulos* (aiebat Seneca epiſt. 13) *occurrunt tibi ſenes; qui ſe quam maximè ad ambitionem, ad peregrinationem, ad negotiandum parent. Quid eſt autem turpius, quam ſenex viuere incipiens?* Detrectat natura ipſius leges non obſeruantem, & eos, qui ætatibus tribuunt, quod ipſarum non eſt: dedecet enim ſenectutem iuuenilis lætitia, vt dicebat tragicus Seneca in hyp.act.2.

Lætitia iuuenes, frons decet triſtis ſenem.

Et Cicero ex Catone maximè improbat ſenum cupiditatem, qui ad breue iter magnum viaticum parant. *Auaritia ſenilis vituperanda eſt maximè: poteſt enim quidquam eſſe abſurdiùs, quam quo minus vitæ reſtat, eo plus viatici quærere?* Nec ſolum Gentiles, ſed vel hebetiſſima animalia hominum ſtultitiam in ſenectute vitia inſequentium arguunt. De formica enim ait Magnus Albertus lib.27. *Formicæ quando ſeneſcunt, creſcunt earum alæ, & in aere volitant ſicut aues.* Quo homines inſtruunt, vt licet in iuuentute animalia ſint terreſtria, ac voluptuoſa, carnis illecebris immerſa; tamen quando ſeneſcunt in virtutis via volare ocyſſimè debeant, Quò ſpectat illud Prouerb.6. verſ.6. *Vade ad formicas ò piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam.* Et illud Senecæ lib.1.de clem. cap.19. *Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores.* Pulchrè dixit: *pudeat*: nam pudor eſt, homines rationis compotes è tam exiguo animali moribus, & ſapientia vinci. Nullus ſanè ſtolidior animalculus mure eſt (vt inquit Plinius lib.10.cap.45.) Quia nihil diſcit propter hebetiſſimam naturam: & tamen cum domus, quam inhabitat, futuram ruinam ſentit, matura fuga à damno ſubducit, & ad aliam domum ſe transfert, vt refert Ælianus lib.1.cap.4. *Cum domus aliqua conſenuit, & ruinam minatur, mures primi ſentiunt, & relictis ſuis cauernis, & priſtinis habitationibus, quantum contendere pedibus valent, fugiunt, aliudque domicilium quærunt.* Pudeat homines, vel in ſenectute, cum iam corporis ruina propè eſt, à priſtinis vitiorum habitationibus non recedere, & à ſtolidiſſimo animali reprehendi.

2. Eccleſiaſtes 12.verſ.5.inſtruens Sapiens ſenectutis mores, & felicitatis humanæ lubricam, & inconſiſtentem naturam dicebat. *Excelſa quoque timebunt, & formidabunt in via: florebit Amygdalus, impinguabitur locuſta, & diſſipabitur Capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* Locus explicatu difficilis, & ad quem varia à varijs dicuntur. Lyra ſic cum accipit, vt arbitretur, Spiritum Sanctum in prauos ſenectutis mores inuehi, & arcanè vitia ad canitiem protracta carpere. *Timebunt* (inquit) *exire viam præſentis vitæ, quandò caput ſeneſcit, & venter intumeſcit humoribus indigeſtis, & concupiſcentia carnis, quæ idcircò capparis nominatur: quia capparis eſt herba, qua luxuria excitatur.* Succinit Gloſa, quæ prædicta verba ſic commentatur. *Capparis manè aperit flores ad Solis ortum: veſperè autem recondit eos cum Solis occaſu.* Quaſi dicat: timere debent homines, ſaltem quando vitæ exitus inſtat, quando ſicut manè capparis albeſcit caput, cum mille infirmitatibus laborant: libido quæ in iuuentute ad Solis ortum viguit, ſaltem in ſenectute ad Solis occaſum diſſipanda eſt. *Diſſipabitur Capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* Qui ad tumulum properat, laſciuientis ætatis flores debet recondere, carnis ſcintillulas extinguere, & iuuentutis delicta minimè reſculpere. Marceſcat caro, langueat vigor ſenſualis affectus, diſſipentur carnis illecebræ, vbi iamiam ad domum mortis, & æternitatis accedit ſenile corpus: nam vbi languidæ ætatis, & pulſantis mortis refricatur memoria, quidquid carnis luxuriam redolet, ab illa debet excidere. Hinc apparet, quam ſedulo Hiſtoricus ſacer ingreſſum, & egreſſum Noë ab arca narret. Sic enim de introitu loquitur: *Et ingreſſus eſt Noe, & filij eius, & vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluuij.* Geneſ. 7. verſ.7. At eius egreſſus ſic deſcribitur: *Locutus eſt autem Deus ad Noe dicens: egredere de arca tu, & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum.* Cap.8.verſ.16. Quærit D.Ambroſ.cur ſeorſim ingrederentur in arcam Noë; & filij eius ab vxore, & vxoribus filiorum eius; cum verò exeunt, ordo commutatur, & vnuſquiſque vir cum ſua vxore egredi præcipitur. *Egredere tu, & vxor tua, filij, & vxores filiorum tuorum.* Cur tantam curam Deus impendit, vt in introitu mariti ſepararentur ab vxoribus, & in ingreſſu vnumquemque ſuam vxorem ſociari iubetur? Præclarè Ambroſ. lib.de Noe, & arca cap.25. difficultatem dirimit. *Et littera quidem ſignificat in ingreſſu abſtinentiam generationis, in egreſſu generationis vſum. Apertè igitur ordine ipſo ingreſſionis velut vocem quandam iuſtus emittit, tempus illud*

non eſſe concubitus, neque delitiarum, quo omnibus immineret interitus. Ingredientes in arcam præ oculis habebant mortem, pulſabant ad oſtium emortua corpora, quæ ſupernatabant aquis, & vbi mors imminet, omnis carnis voluptates ſunt eliminandæ, ideò ſeorſum à mulieribus viri ingrediuntur. Eſtò ſemper homines virtuti debeant ſtudere, aſt quando imminet interitus, quando ſenectus adeſt, & titubat humani corporis ædificium, quando homines iamiam mortis pheretrum ingrediuntur, non delitiarum tempus eſt, ſed virtutis amplectendæ, & à voluptatibus vel licitis abſtinendi.

3. Increpaturus Samuel filios Iſrael, eo quod Regem petierunt, verba præmiſit, quæ vtpotè implexa, expenſione ſunt digna. *Ecce* (inquit) *audiui vocem veſtram iuxta omnia, quæ locuti eſtis ad me, & conſtitui ſuper vos Regem, & nunc Rex graditur ante vos, ego autem ſenui, & incanui porrò filij mei vobiſcum ſunt*. 1. Reg. 12. verſ. 1. Ad quid cum de electione Regis agitur, ſenectutem ſuam memorat Samuel, & illa à regimine excuſatur, cum hoc ipſum populum deberet inducere, vt ipſum ad regimen compellerent, nam cana, & experta prudentia (vt Samuelis erat) arduis verſata negotijs, opportunior erat ad regni habenas moderandas, & conſentaneum videbatur, vt populus nullo pacto Samuelis ſenectute præpediti excuſationem admitteret? Egregiè noſter Rangolius in comment. huius loci illum verſat. *Ego autem ſenui, ideſt, non ſum deinceps ſubeundis laboribus idoneus, nec eſt, cur vltra ſpei quidquam, aut præſidij in ſene, tot curis, & ærumnis confecto ponere debeatis, hactenus vobis vixi, & veſtris commodis totus inſeruiui, nunc mihi denique quod ſupereſt ætatis, viuendum eſt*. Quaſi ſenibus nihil aliud incumbat, niſi quod ad eorum ſalutem artinet, & de nullo alio, niſi de illa agere debeant. Cana ac ſenili ætate ſe excuſat Samuel, & ſibi in ſenectute viuere oportere, qui tamdiù alijs vixerat, repræſentat. Quod ſi nec regimini populi, in quo famulatus Deo exhibetur, in ſenectute viuere libet, quomodò vitijs viuere licebit? Hoc (inquam) tantum à ratione diſtat, vt ſuperfluum videatur, ſenibus virtutem conſulere, quia ad illam quaſi naturaliter debent propendere. Hinc Chriſtus Dominus, qui per inſpirationes honeſta conſulit, in ſecunda, aut tertia vigilia venire deſcribitur. Sic ipſe Lucæ 12. verſ. 38. *Etſi venerit in ſecunda vigilia, etſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi*. Loquitur in perſonam cuiuſdam Domini, quam vigilantes ſerui ſperant venturum. D. Gregor. per vigilias ætates hominum intelligit. Prima vigilia primum tempus eſt vitæ noſtræ (ideſt) pueritia. Adoleſcentia, vel iuuentus, quæ vſque ad annùm vigeſimum quintum currit, ſecunda vigilia eſt. Tertia virilitas, quæ annum quinquageſimum attingit. Quarta ſenectus, quæ à quinquageſimo anno decurrit. Iam ergo non leuis inſurgit difficultas, cur ſcilicet Chriſtus non dicatur venire in prima, & quarta vigilia, quæ pueritiam, & ſenectutem deſignant, ſed in ſecunda tantum, & tertia. Si homines admonentur, vt in omni ſtatu, & euentu inuigilent, cur neque pueri, neque ſenes inſtrui dicuntur? Si huiuſmodi ætates procliues ſunt ad lapſum, ſicut & reliquæ, cur non admonentur? Venuſtè Drogus Oſtiēſis ſerm. de Sacramento Dominicæ paſſionis difficultati occurrit. *Iam primæ, & quartæ vigiliæ nulla mentio fit, quia nec primæua ætas ſenſum recipit vigilandi, nec vltima ſpem prolixius dormiendi*. Quaſi dicat: Deus omnes vocat, omnes admonet, ſed vt ſignificet, quam difficilè ſit iuuenes reſpondere, quam ſit iniquum, & impudens ſenes dormire, non dicitur in tertia, & quarta vigilia venire, quia pueris vox ferè nulla ſufficit, ſenibus quęuis vox ſuperflua eſt. Quid vigilare monendi ſunt, qui ipſa canitie præmoniti excitatione non indigent, ſuperſunt enim excitantes voces, vbi tempus pro voce clamat.

4. Ioann. 8. v. 7. & 8. adducunt ad IESVM mulierem in adulterio deprehenſam, & cum delatoribus dixiſſet, *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*, addit text. *Audientes autem vnus poſt vnum exibant incipientes à ſenioribus*. Ambigit Ambroſius epiſt. 58. cur ex accuſatoribus primi ſeniores exierint, cum ipſi viderentur, qui maius auctoritatis pondus delationi præſtabant, & pertinaciùs ſoleant ſua vota defendere, qui ætate in populo maiorem æſtimationem ſunt conſecuti, duplicemque rationem exhibet, quarum vltima noſtro inſtituto congruit. *Vel quia ipſi plura haberent crimina: qui diù vixerant. Vel quia priores vim intellexerunt ſententiæ, quaſi prudentiores, & cæperunt ſua peccata deflere, qui alieni criminis venerant accuſatores*. Emendatio à ſenioribus incipit, quia magis ad ipſā tenebantur, Diuinamque damnationis ſententiam priùs pertimeſcere debebant, & peccata anteacta agnoſcere, & flere, atque à vitijs abſtinere. Quia (vt rectè dixit Saluianus.) *Nouum hoc monſtri genus eſt, eſſe aliquos etiam in morte vitioſos*. Vel Deus ipſe, cum exiguum tempus ad operandum reſtat, velociter operatur, vt homines inſtruat, quam ſtudioſè, & vtiliter abbreuiatum tempus debent inſumere, poſtquam enim vniuerſum creauit dicitur. *Requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat*. Gen. 2. verſ. 2. Si requiem exigebat operario, cur vſque ad Sabbathum eam differt? Nonnè meliùs eſſet, quietem cum labore miſcere, & propriæ quieti aliquam partem diei deſtinare, dum maiorem lucro alieno applicabat? Vel ſi ardens Creatoris deſiderium non permittit non operari quotidiè, non eſſet congruentiùs, ad dimidium illius temporis

requieſcere ? Cur in diem ſeptimum, quies reſeruatur ? Crediderim, quia vſque ad diem ſeptimum numerantur dies. *Factum eſt veſperè, & manè dies vnus. Factum eſt veſperè, & manè dies ſecundus, &c.* Poſt Sabbathum iam non numerantur dies, non tempus metitur, non ergo Deus ab opere ceſſauit, dum vita numeratur: *Quia dierum, quos fecerat ſummam in eo terminauit, Sabbathum dici, & eſſe voluit,* ait Iunilius in Catena Lipomani. Dum limitatur tempus, nec Deus otioſè viuit. Sic Chriſtus Dominus iuſtante iam mortis tempore dixit Diſcipulis: *Surgite eamus hinc.* Ioann. 14.verſ.31. Quæ verba ſic exponit Gregorius Nazianzenus: *Vt non tantum hortetur Dominus Diſcipulos, ſed nos omnes, vt à terrenis abſtrahamur, & ad cæleſtia conuertamur.* At cur tam feſtiuanter ad locum properat, quo Iudas cum cohorte erat venturus? Sanè, vt nos inſtrueret, cum ad mortis valuas properamus, velociùs & celeriùs à terrenis abſtrahi debere, & ad cæleſtia currere. Sic cum populum in Babylonica captiuitate quaſi mortuum videret Vates, ita vt Dei ope fuerit neceſſè ad illum viuificandum, à præteritis erroribus reſipiſcit, & ſenectute iam cadente, virtutis ſtadium celeriter currebat: *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Hic verſ.2.

DISCVRSVS X. MORALIS.

Sic lingua impudenter audet ad malitiam, vt Dei moderamine indigeat.

1. Vitiorum gymnaſium, & iniquitatis ſcholam ſcitè Iacobus linguam nominauit. *Lingua ignis eſt vniuerſitas iniquitatis.* Cap.3.verſ.6. Ac ſi in lingua omnes doceantur vitiorum artes, quibus virtus impetitur, illa enim denigrantur honores, excitantur rixæ, fouetur luxuria, alitur ira, & quidquid prauam peccati naturam redolet, à lingua eſt, ipſam enim cohibere expedit, ne totus homo pereat. Ad tutelam animæ oportet ipſam obmuteſcere, ſicut ad vitæ tuitionem ora obſtruunt grues, de illis enim ait Vliſſes Aldrouandus lib. 1. quod cum Ciliciæ montem Taurum, vbi plurimæ habitant aquilæ tranſuolare intendunt, ora lapidibus obſtruunt, ne earum clangor audiatur, & ad prædam excitentur aquilæ, ſicque ad vocem impotentes vitam tutantur. *Cum grues è Cilicia migrantes montem Taurum aquilis plenum parant tranſmittere, quibuſdam lapillis, quo vocem cohibent, in os ſumptis, noctu tacitè tranſuolant, atque ita deceptis aquilis tutò traijciuntur.* Huiuſmodi autem Palamedis auem imitari expediret, vt quæ ex garrulitate ſequuntur damna, euitentur: nihil enim tam nocet, quam ſuperflua loquacitas, nihil tam prodeſt, quam ſedula taciturnitas, nam illa ſemper mentis vacuitatem denotat, vt de oratione Anaximenis dicebat feſtiuè Theocritus. *Verborum quidem flumen, ſed mentis guttam.* Semper pernicioſa fuit abundans, & inconſiderata loquela. Et Simonides apud Plutarchum de tuenda hominum valetudine. *Nunquam me pœnituit tacuiſſe, quod locutus ſim, ſæpè.* Præceps eſt linguæ in delinquendo audacia, facillimè dilabitur in flagitium, effrænis, & temeraria eſt, quaſcunque vires ipſam cohibere tentantes ſuperat, tota Dei fortitudine opus eſt ad illam refrænandam, & vel Deus ipſe illius damna timet.

2. Decreuit Deus Moyſen mittere ad Pharaonem, vt educeret populum ſuum de Ægypto, linguæ balbutie, & in eloquentia excuſatur, inſtat Deus, & vt audacter rem aggrediatur, duo ipſi promittit: primum ipſius ori adeſſe. *Et ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris.* Exod.4.verſ.12. Alterum ipſi Diuinam auctoritatem impertiri, vt munus decentiùs obiret. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Exod.7.verſ.1. Cur Moyſis linguam Deus gubernare pollicetur, & huiuſmodi munus non Angelo committit, qui ad alias arduas expeditiones erat deſtinatus? Angelus, qui fœcunda ſapientia pollet, non ſufficeret verba Moyſi adminiſtrare opportuna? Ad quid Deus ipſe miniſteria inferiora, quæ nec dum ſuperioribus Angelis committuntur, ſibi aſſumit? Rectè Procopius in cap.11. Gen. *Non Angeli, non creaturæ, ſed Creatoris eſt nouas formare linguas: Spiritus Sancti opus eſt, linguas mutare, vt diſcimus Apoſtolorum exemplo, quibus linguarum donum obtulit ſub ſpecie ignis.* Sicut Dei proprium eſt, primo formare linguas, ſic illas reformare. Linguæ gubernaculum neque Angelo fidit Deus, ſed ſibi reſeruat, quia ita audacter lingua inſoleſcit, & offertur, vt Angelus non ſufficiat illam cohibere, & neceſſaria ſit manus Dei omnipotens ad illam refrenandam. Vlterius inquires, cur cum Moyſen ad loquendum Pharaoni Deus mittit, ipſum in Deum Pharaonis conſtituat? Sanè vt ipſum inſtruat, quam parcè, & moderatè ſit locuturus, dum ipſius perſonam agit; nam Deus ſemel tantum locutus eſt, & vnum verbum tantum. Sic eſt pernicioſa linguæ licentia, vt Deus ipſe, qui nunquam lapſui eſt obnoxius, illam cohibeat, & neque eum principe tenebrarum lingua decertet: ſemel enim Deus eſt locutus, vnum tantum verbum emiſit, & illud neceſſariò protulit. Quid non cauebit humanæ linguæ, à qua omnia vitia ſerpunt, qui propriam, & inculpabilem intra oris cancellos recludit? Sanè linguæ audaciæ conſcius

ipſam non alteri remittit cohibendam.

3. Pergebat Iacob in patriam cum vxoribus, & filijs: ægrè ferens Labanus diſceſſum clandeſtinum conſobrini, illum iratus inſequitur, ſtatuitque, vbi eum comprehendiſſet, duriùs cum eo agere: at ipſum dormientem ſic Deus alloquitur: *Ne quidquam aſperè loquaris contra Iacob*. Geneſ. 31. verſ. 24. Cur non Angelum Deus mittit, vt ſilentium Labano iniungat, linguamque coerceat irati hominis, ſed ipſemet apparet, vt illi frænum inijciat? Fortiſſimum robur Angeli, qui numeroſam hominum multitudinem vno ictu profligat, non eſſet ſufficiens ad exiguam hominis membrum cohibendum? Cur functionem per ſeipſum Deus exequitur, & non eam alteri commendat? Quia de lingua ad rixas, & contumelias prouocata agebatur, Deus per ſeipſum illam frænare accedit. *Adeò magnū eſt arduumque opus, effrenem maledici, præſertim irati, hominis cohibere linguam*, ait Benedictus Fernandez ad c. 31. Gen. ſect. 7. Sic lingua ira incaleſcens temerario auſu præcipitatur, vt ad illam reprimendam nulla alia, niſi Dei virtus ſufficiat: nec illa tantum, quam ordinariam Theologi vocant, ſed & extraordinaria requiratur. Vndè Dominus interrogabat Iobum: *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius?* Cap. 40. Quaſi dicat; hoc quod interrogo, ſic humanas vires excedit, vt ſolâ Dei virtus omnipotens, tam mirabile opus valeat efficere. At mirum eſt, quod balena, ſeu diabolus compeſcatur hamo, hoc eſt, linea piſcatoria, cui annectitur hamus; fune autem tantummodò illius lingua ligetur. Totum balenæ corpus: totamque diaboli potentiam linea vincit, tenetque conſtrictam, & tantulam illius linguam vix grandis, & validus alligat funis; quo magna nauis detinetur? Tenui quodam filo, ſicut à pueris vincitur paſſerculus, contineri poteſt diabolus: linguam ſolum cohibebit quod in mari nauem continet? Cur ita? Egregiè idem Fernandez vbi ſupra: *Nimirum longè difficiliùs intemperantia linguæ compeſcitur, quam omnia vitia peruincuntur*. Niſi lingua Deum ſeſſorem ſentiat, ipſique præpotens, & Diuina virtus inſideat, nequit refrænari: quia quicunque alius eam coercere tentat, excutitur, & deridetur. Hinc Dauid, vt decenter, & quę intererant loqueretur, pollicebatur Deus linguæ gubernaculum. *Ego ſum Dominus Deus tuus: dilata os tuum, & implebo illud*. Pſalm. 80. verſ. 11. Quod & ipſe Dauid anxiè petebat. *Domine labia mea aperies*. Pſal. 50. Non audet linguam proprio regere nutu, ſed Dei gubernatione moderari expoſtulat, vt ſine periculo lapſus loquatur, & auſus, libertas, & audacia reprimatur. Sic eſt difficilè verba parturire ſine errore, ſic periculoſus oris hiatus, vt niſi Deus illum gubernet, à delicto non credatur tutus. Hinc tanquam magnum beneficium recenſet Vates, quod Deus quid loquatur, ipſi adminiſtret, & ipſius exemplo illum inſtruat, quam parcè, & moderatè ſit locuturus: ſiquidem ſemel tantum ipſum audiuit loquentem, quia ſemel tantùm fuit locutus. *Domine audiui auditionem tuam, & timui*. Hic verſ. 2.

DISCVRSVS XI. MORALIS.

Durum Dei verbum lenitatis eſt omen: miſericordia vices cum iuſtitia reciprocat.

1. Parum eſſet Deum ad pietatem ipſo pietatis motiuo excitari, parum ex ſua bonitate, & noſtra miſeria ad miſericordiam propendere, niſi etiam rigores iuſtitię pietati inſeruire diſponeret. Verba ſeueritate plena, & quæ minacem iuſtitiam præſagiunt, præambula ſunt clementiæ ſigna: quę vindicis irę inſtrumenta putantur, profuſioris clementiæ propheta ſunt, vt de ſuo Traiano dicebat Plinius, in quo nihil magis quam acerbum verbum deſiderabatur, quia maioris beneficentię erat omen: ſeuientium verborum ira futuræ pietatis erat prognoſticum. Sic Dei verba minas ſpirantia, & quę ſeueritatem eructant, propheta ſunt ipſius pietatis, & quo plus ira inardeſcunt, eo magis redundant clementia. *Peruerſitas, quam putas* (ait Tertull. in ſcorp. cap. 4.) *ratio eſt: quod ſæuitiam exiſtimas, gratia eſt*. Quem Deus verbis amarulentis ferit, pietate & clementia mulcet. Fugienti Agar à facie Sarai, quę illam à propria domo relegauerat, apparet Angelus, eique vndè veniat, & quò vadat, ſciſcitatur: quę cum reſpondiſſet ſe Saram fugere, dixit illi: *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius*. Gen. 16. verſ. 9. Rurſuſque vt illam ſolaretur, addit: *Multiplicans multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine*. Obtemperauit Agar, ad domumque reuertitur, quia Deum fuiſſe, qui præcipiebat, agnouit. At vndè fuit augurata monitum illud Dei eſſe? Nam præſumere potuit, inimicum fuiſſe, qui redditum ſuggerebat ad rixas, & iurgia, quę fugiebat? Auſculta Caiet. *Hoc enim Dei officium eſt, & in perſona Dei Angelus dixit: adiunxit ſiquidem triſtibus læta: dixerat contraria voluntati Agar, reuertere, & humiliare; & adiunxit concupita, multiplicabo ſemen tuum*. Ad magnum numeroſę prolis beneficium verba præceſſerant acerba, quibus iniungebatur Agar ad obedientiam exoſę dominę redire; & exindè Deum fuiſſe, qui pollicebatur, fuit auſpicata. Nam cum ipſius verba amara ſunt, &, ſeueritatem eructant, munifi-

cen-

centiam profuſiorem pręſtat, & ſe parat ad clementiam, cum acerbiora verba pręmittit: nunquam enim triſtia non lętis compenſat, & amara non dulcibus lenit.

2. Iratus Dominus contra Ieruſalem propter idolorum vanitatem acriter in ipſam inuehitur, & illius flagitia increpat. *Audite me duro corde, qui longè eſtis à iuſtitia, propè feci iuſtitiam meam, non elongabitur, & ſalus mea non morabitur; dabo in Sion ſalutem, & in Iſrael gloriam meam.* Iſaię 46. verſ. 14. Loquitur de vaſtatione Babylonica, & Iudęos arguit incredulos, qui apud Babylonem erant detenti, vindictamque illis per Cyrum minatur. Verum implexa ſatis verba ſunt: nam ſi de ſupplicio agebatur, & excandeſcens Deus contra Iudæos oſtenditur verbis iram, & indignationem ſpirantibus, quomodò tandem ſalutem, & miſericordiam pollicetur? *Dabo in Sion ſalutem, & in Iſrael gloriam meam.* Ideſt, non morabitur ſalus, qua vos à Babylonica dira ſeruitute ſaluare decreui? Ciues Sion ad propriam patriam remittam, & manifeſtabo gloriam meam vos à tyrannico iugo liberando. Eccè quali Deus vindicta populum ſuum ferire minetur. Vbi eſt ille verborum ſeuerus apparatus, quo de populo vindictam ſumere minitabatur? Vbi auxiliaris iuſtitiæ rigor, quem ad vltionem excitabat? Tam citò à verborum iracundia in miſericordiam? Deflectit? Audi Oleaſtrum. *Expende etiam hic conſuetudinem Domini, quam durè obiurgat, quos intendit conſolari: vt ſcias, increpationem Domini ſignum eſſe appropinquantis gratiæ. Antequam nunciaret ſuam propinquam iuſtitiam, & ſalutem, duritie cordis, & elongationis à iuſtitia redarguit.* Quaſi Deus ex miſericordia iraſcatur, ſeuerum ſe oſtendit, cum maximè miſericorditer vult benefacere, & rigoris verba miſericordiæ ſigna ſunt. Hinc cum Ionæ Deus præcepiſſet Niniuem petere, ipſiuſque prædicare ruinam. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Ionæ 3. verſ. 4. Renuit ille, fugereque conatur. Eius facti rationes plurimas tradidere Doctores: ſed præ omnibus arridet, quam Theodoretus in Ioſue explicatione cogitauit. *Non item neſcius quod ſi reſipiſcerent Niniuitæ, omninò Diuinam miſericordiam aſſequerentur: itàque prædictionem eius falſam ſibi videri, ſibi turpe exiſtimauit ſeque Prophetam vocari mendacem.* At vndè tam certò præſagiebat, Deum populo indulturum, quod aufugere tentat, ne mendax haberetur, eo quod ruina, quam prædicabat, non ſubſequeretur? Habuit euidens miſerationis indicium ipſam, quam Deus mortis minabatur, ſententiam, quia cum ignem ſpirare videtur, ad miſericordiam præparatur; cum furore inardeſcit, munificentiùs agit: ex terribilibus verbis irarum plenis, quibus Niniuitis minatur, auſpicabatur Propheta ipſius indulgentiam. Rectè quidem: nam iuſtitiæ arma miſericordiæ Deus facit inſeruire, & arcum ſuum curuat in nubibus, vt eodem telo, quo ſceleratos ſagittaturum, minatur, ipſos in ſpem pietatis erigat.

3. Inſtanter ſalutem filiæ à dæmone vexatæ poſtulabat mulier illa Chananæa, quam Chriſtus acerbè excepit, & virulentis verbis repellebat. *Non eſt bonum, ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Matth. 15. verſ. 26. Canem eam vocat: verum opprobrio gaudens, & conuitio læta reſpondit. *Etiam Domine.* Canem ſe eſſe, fatetur. Quid ergo expectat, quæ ſic aſperè tractatur? Cur ab incepta deprecatione, vel rubore ſuffuſa non deſiſtit? Mira fiducia Gentilis feminæ: animoſa ſpes, cum repulſam patitur, erigitur. Verum vndè ipſius fides animatur, quod tam importunè inſiſtit? Pauca Baſilij de Seleucia orat. 20. verba accipe, ſed magnum acumen: ſic enim pro Chananæa reſpondit. *Contumeliam teneo curationis pignus.* Piæ præſumens de magnificentia diuina ex verbis contumelioſis, quibus conſentit, credit ſe impetraturam, quod petit. *Etiam Domine*, in ſpem ſaluris vertit verborum acerbitatem, pignus curationis putauit indignatæ elocutionis ſtylum. Succinit Chryſolog. ſerm. 53. *Ideò certè eam repellebat, vt ad hanc, vocem conſequentia rerum conueniret, ſed fulgente corona mulierem ornaret.* Annuit Deus poſtulatis, dum verba acerba præmittit, & quaſi reuelaſſet, concupita daturum, ex ſeuera negatione fiducia Chananææ erigitur. Non aliter deficiente vino in Cana nuptijs, vbi Chriſtus cum Matre aderat, pia virgo ad ipſum accurrit, & neceſſitatem repræſentat. *Fili vinum non habent.* Ioann. 2. verſ. 3. Cui Chriſtus: *Quid mihi, & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea.* Tunc autem quaſi beneficium impetraſſet. *Dicit miniſtris. Quodcunque dixerit vobis, facite.* Grande hic latet myſterium: nam ex verbis filij non potuit mater eius ſubueniendi voluntatem augurari. Si Chriſtus negat, qua fiducia miniſtris præcipit, aquam parare ad miraculum? Nam illa præparatio futuram conuerſionem reſpiciebat. Quo ergo pacto obnititur Maria contra voluntatem expreſſam filij: & adhuc conatur fieri, quod omnipotentia videbatur recuſare? Optimè Gloſ. Interlineal. rationem indigitat. *Etſi videtur negare filius, ſcit mater pietatem eius: ideò fiducialiter imperat miniſtris.* Audierat pia mater, quæ filij genium optimè nouerat, verbum illud aſperum *mulier*, quo illam repulerat, & exindè magna fiducia auſpicabatur miraculum. Dei inſuauia verba miſerentis portat myſterium; hoc enim ſacramentum latet in ipſius verbis rigorem eructantibus, quæ nihil minùs ſignificant, quam quod ſignificare videntur. Præſens verborum acerbitas propheta eſt ſubſequendæ pietatis: nam ſupplicia ſemper clementia compenſat, & reciprocat cum iuſtitia miſericordiam.

4. Iſaiæ

Digitized by Google

4. Iſaiæ cap. 10. latè loquitur Propheta de Aſſur Aſſyriorum Rege, quem Dominus in vindicem aſſumpſit ad punitionem populi, & in virgam, qua illum erat percuſſurus. *Væ Aſſur virga furoris mei.* Vixque de hac virga erat locutus, cum ad aliam in eodem cap. 11. v. 1. trauſit. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Per huiuſmodi virgam communiter Expoſitores Beatiſſimam Virginem intelligunt, ex qua pulcherrimus Verbi Diuini flos erat aſcenſurus. At cur virga Aſſur furoris, & indignationis plena cum pijſſima Mariæ virga coniungitur? Cur tam diſtantes, & aduerſæ naturæ virgas quaſi in vno periodo inſeruit Vates? Quaſi dicat: poſtquam ſupplicium ab Aſſyriorum Rege infligendum Propheta demonſtrauit, æquum erat, & Dei ingenio affine, vt magnum indicaret beneficium, quale Verbi Diuini erat incarnatio: nam ſemper cum Deus ira inardeſcit, ad miſericordiam deflectit, & impetus iuſtitiæ pacatum miſericordiæ portum denunciat. Hinc cum impij Herodis iras Chriſtus declinare voluiſſet: *Apparuit Angelus Domini in ſomnis Ioſeph dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi: futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum.* Matth. 2. verſ. 13. O quam videtur hæc Angeli monitio parum tuta, ſiquidem ad infenſiſſimos Ægypti hoſtes puerulum mittit. Ad terram, quæ ſemper Dei populo inimica extitit, ipſum Deum confugere conſulit? Fortè maius imminebat periculum in præſidio, quam in ipſo diſcrimine. Cur non in aliam regionem ducit infantem, ſed in illam, quæ ipſius præſentiam tot flagitijs demeruerat? Percuſſerat olim Deus Ægyptum magna plagarum tempeſtate, & ne præter morem à ſua miſericordia eſſet extorris, cum fugere decernit, ad ipſam pergit, vt ipſius præſentiæ fauore honoraret quam anteà ſupplicijs afflixerat. Huc etiam reſpicit, quod loquens Euangeliſta Matthæus cap. 4 verſ. 15. de initio prędicationis Chriſti, primò adducit teſtimonium Iſaię terrę Zabulon, & Nephtali, quę primò beneficium prædicationis Euangelicæ excepit. *Vt adimpleretur, quod dictum eſt per Iſaiā Prophetam: terra Zabulon, & Nephtalim via maris trans Iordanem Galilææ Gentium.* Dubitat hìc Hieronym. cur tam præclarum beneficium his primò populis Dominus contulerit? Et reſpondet: *Hi primi audiuere Dominum prædicantem, vt ibi Iſraelis fuerat ab Aſſyrijs prima captiuitas, ibi Redemptoris præconijs naſceretur.* Sic accidit, quod hę tribus antè omnes tranſmigratæ fuerunt in Babyloniam, conueniens ergo fuit, vt quos Dei ira ante percuſſit, primò Dei miſericordia viſitet. Vbi primò præiuit iuſtitia, primò accurrit clementia, quia hęc cum illa vices reciprocat, & ſeuerioris vindictę rigor occaſio ſolet eſſe profuſiores clementię.

5. Punierat Deus magnum Sacerdotem Zachariam vocis ablatione, eo quod Dei verbis non crediderit, qui in ſenectute magnum illi filium pollicebatur. *Et ecce eris tacens* (inquit text.) *& non poteris loqui vſque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo.* Lucę 1. verſ. 20. Poſteà loquela ipſi reſtituitur, & cum ingenti lucro, nam quo anteà caruerat, prophetię dono imbuitur. *Et Zacharias pater eius repletus eſt Spiritu Sancto, & prophetauit dicens, benedictus Dominus, Deus Iſrael &c.* Vndè Zacharias ventura vaticinatur? Pro Sacerdote quidem habetur, ſed Prophetam eſſe nemo nouerat. Ex quo igitur ad tam facundam eloquentiam ex priuatione vocis peruenit, vt non ſolùm pręſentia, ſed & futura pręnoſcat? Supplicium pro incredulitate illatum non modò abſtulit, verum etiam magno prophetię compenſauit beneficio, ſilentium fœcundiori commutauit loquela, & quod iuſtitia exigente puniuit, miſericordia auxiliante cum maiori commodo abſtulit, quia vberioris clementię pręambula ſupplicia ſunt ſigna. Vndè ad captiuitatem, quam populus in Babylonia patiebatur, potiorem quam antea libertatem conſecuturum, Dominus pollicetur, & ex verbis, quę terrorem Prophetę incuſſerant, mirificum ſuę miſericordię opus ſubſequi pręſagiebat. *Domine audiui auditionem tuam, & timui. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Hic verſ. 2.

DISCVRSVS XII. MORALIS.

Règiminis inuerſio gubernatorum garrulitas.

1. RArò verba rebus non obſunt. Languet operandi vigor, qui in verba inutiliter euaporatur. Ille tantùm opus ſoluit feliciter, qui manibus addit, quod linguę detrahit. Intemperata lingua ardorem animi infructuosè euacuat, & nulla res executioni (vt par eſt) mandatur, vbi non pręcauentur prępuia ipſius verba. Prudentioris ſapientię miniſtros Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos conſtituens monebat, illos: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Matth. 10. v. 20. Anguis curſus dubius eſt, nam dum obliquis ambagibus ſe intorquet modò in hanc partem declinans, modò in aliam, nemo, quo vadat, intelligere poteſt motum enim in vnam partem ſignat, & ad aliam pergit. Sic oportet conſilia regiminis abſcondere, vt nemo, quò dirigantur, agnoſcat. Executio verba anteuertat, & greſſus conſilij ſemper in occulto ſint,

omnes

Digitized by Google

omnes lateant, ſicut Dei pedes (quos Seraphini pennis occultabant, *& duabus velabant pedes eius*) nulli erant manifeſti, ne illorum reuelatio decretorum energiam euerteret, præſtat enim, vt miniſtrorum conſilia populus non intelligat, ſed veneretur. Lingua, & calamus ſemper cordis periculoſa ſunt inſtrumenta, nihil ſic retardat, & eneruat difficilium negotiorum executionem, ac lenis eorum reuelatio, hoc enim excidium regni, & totius prudentis œconomię ſolet eſſe peruerſio. Vnius miniſtri garrulitas ſat eſt faſcinare multorum vtiliora conſilia. Hinc enim dicebat Dauid: *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in Cathedra peſtilentiæ non ſedit*. Pſalmo 1. verſ. 1. At quę illa peſtilentię cathedra erit, à qua peſtilentię contagium in populum ſerpit? Quę illa conſilia ſic infatuata, vt in regni perniciem euadant? Ex Hebręo vertit Lorinus. *Cathedra peſtilentię ſignificat reuelatores ſecretorum*. Nihil aliud eſt ſilentium reuelare (maximè, quod inter conſiliarios verſatur) quam Rempublicam funditus euertere. Non otiosè natura cor in ſcrinio pectoris recondidit, ne inueſtigaretur, & ipſius cogitationes omnes laterent, quotieſcunque enim, quę in ipſo latent, reuelantur, nutat ad ruinam Reſpublica, & tota regni ſtructura infeliciter ruit.

2. Pręcepit Deus Moyſi, vt Pharaonem vrgeret terribilibus plagis, & populum educeret de terra Ægypti. Adeſt coram ipſo, Diuina portenta patrat, cruentat aquas, parturit puluis innumeram cyniphum multitudinem, virgam in ſerpentem conuertit, & ad omnia hæc impauidus ſtetit Pharao. Educit ingentem ranarum vim, & vix eam agnouit impius Princeps, cum Moyſem, & Aaronem ad ſe accerſiri iubet, & obnixè deprecatur, vt ab ipſo importunam ranarum multitudinem auferant, ipſiſque libertatem populi polliceatur, *Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum, vt ſacrificet Domino*. Exod. 8. verſ. 8. O quam oneroſa Dei veſtri manus eſt, ipſum exorate, vt ranas exterminet, quibus moleſtiſſimè regnum cruciatur, & concupitam vobis libertatem concedam, ne regni excidium hac plaga graſſante experiamur. At vndè Pharao ex ranarum infeſtatione regni ruinam præſagit, præcipuè cum reliquas plagas deſpexiſſet? Horret ranarum irrequietam multitudinem, qui draconem ignem ſpirantem non abhorruit? Qui ex Nili fluentis vnica illius regionis aquarum ſcaturigine in ſanguinem conuerſis ipſius ruinam non timuit, ranarum inermium, & nihil præter faſtidium damni afferentium multitudinem formidat? Quid præter incommodum, & moleſtiam ſentiebat Pharao, quòd tam feſtinanter illius plagæ importunitatem à ſe expellere conatur? Auſculta Lyram, qui ex Hebræo accepit, ranas non tantùm terras Pharaonis inundaſſe, ſed etiam interiora corporum, nam vix Ægyptij ora aperiebant, cum ad penetralia corporis ranæ tranſmigrabant. *Dicunt Hebræi, quod non ſolùm intrabant ranæ loca Ægyptiorum, ſed etiam corpora eorum*. Hæc autem exitialis plaga regni fuit, & ſemper eſt, nam quandocumque regnum intra ſeipſum, intra ipſius Gubernatores, & Conſiliarios, qui interiores partes Reipublicæ ſunt, habeat aliquos canentes, & nociua garrulitate intima gubernationis ſecreta reuelantes, ad ruinam properat. Ranæ inconcinna loquacitate intra Ægyptiorum corpora continuò coaxabant, & vbi interiores voces audiuit Pharao, & intra corda contineri, quæ illius ſecreta pandebant, de regni excidio anxius plagam, quæ illud minitabatur, ab illo remouere ſatagit, ſemper abſurdè ſonant cordis verba, & eorum, quæ ab ore exeunt, ſemper pœnitendum eſt. Diſtemperata lingua non ſolùm moleſtat aures, ſed & regni harmoniam violat, regnum confunditur, vbi tumultuaria, & inconſiderata verba illius regimini intendentes effundunt.

3. Decreuit Deus extructores turris Babylonicæ deſtruere, & ad id non fulgura mittit, non inimicos armat, ſed ipſis ædificatoribus ſupplicium committit. *Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum*. Geo. 11. v. 7. Et cur non Tigrides, aut Leones mittit, qui inſolentis audaciæ meritas pœnas ſumant? Cur ipſorum linguas confundere grauius ſupplicium Deus exiſtimauit? Crediderim, quia quæ ab alijs ſupplicijs poterant ſuſtinere, ab exteriori hoſte veniebant, atque à confuſione linguarum, ab interiori patiebantur inimico, & nullum aliud bellum domeſtico eſt cruentius. Linguis inter ſe pugnent, digladientur ſecreta pandentes, cordis intima, & abſtruſa decreta manifeſtentur per linguarum malignos traduces, & ſuperque ſatis remanebunt deſtructi, ac puniti. Sic Philipp. Abbas de ſilent. cleric. cap. 10. *Illis hæc confuſio Diuino eſt ordine diſtributa, vt ſingulis gentibus ſingularis lingua ſit attributa*. Superborum pœna grauiſſima linguarum varietas fuit, & vltima illorum ruina ipſorum loquacitati commendatur, quia in quacunque republica garrulitas viget, vltimum exterminium imminet, neque ad illud indiget exteriori gladio. Vbicunque Deus vult regnum confundere, Gubernatorum incautam loquelam permittit, & vbicunque illud ſtabilire ſtudet, ſilentium conſulit.

4. Præparabat Deus Moyſen in populi Principem, cum autem in Nili fluenta eſſet iactatus, & in tutela filiæ Pharaonis receptus, quæ illius pulchritudine allecta ipſum ſeruare ſtuduit, & à cruenta executione eripere, tribus menſibus puerum cælitus ſibi datum recondidit, *Videns eum elegantem abſcondit tribus men-*

Google

menſibus. Exod. 2. verſ. 2. Cur futurus populi ſaluator abſconditur, & alto ſilentio reticetur? Cur Deus non ſtatim illum detegit, vt & Iſraelitæ in nouam ſpem erigantur, & maior terror incutiatur Ægyptijs? Præſtaret, quod Hebræi ſaluatorem ſuum agnoſcerent, vt fortiori animo aduerſa tolerarent. Verum Deus, qui alta politia regiminis populi fundamenta iaciebat, Moyſem reuelari renuit, ſuppreſſit ſilentio, obuoluit taciturnitate, vt quæ in populi beneficium cogitabat, ad optatum peruenirent finem, nam aliter Moyſis vita periclitabatur, & tota Hebræorum ſpes. Extat Principibus in exemplum Pharaonis filia, quæ auribus non commiſit ſecretum, vt quod mente verſabat in fauorem Moyſis, opere compleret: mira ſagacitate ſibi ſoli fidit, quod alijs commiſſum credebat fruſtrandum. Qui abſque delectu ea reuelat, quæ rationis velamine ſunt occultanda (maximè quæ ad publicam vtilitatem ſpectant) communis calamitatis fit reus, & indignus, vt ea accipiat, quæ ſeruare neſciuit. Nihil tam expedit Reipublicæ Gubernatoribus, quam ſilentium. Nihil tam extollebat Sponſus in dilecta Sponſa, cui ſecretiora negotia committebat. *Sicut vitta coccinea labia tua*. Cant. 4. verſ. 3. Communiter Patres hic fidelitatem in ſeruando ſecreto commendatam agnoſcunt, nam in funiculo coccineo, cui labia aſſimilantur, alluſionem fieri ad vittam coccineam, quam in feneſtra appoſuit Rahab, quæ in ſecreto habuit exploratores à Ioſue miſſos, vt ciuitatem Iericho conſiderarent, arbitrantur: proindeque metaphoricè hęc verba accipiunt. Verum comparatio diminuta videtur, nam cum duo ſint labia, non vnico, ſed duplici coccineo funiculo debuit conferre. Si ruboris encomium voluit exprimere, & corallina, aut roſea labia habere, in duabus vittis pulchriori metaphora id laudabatur. Vt quid igitur huiuſmodi oris venuſtatem vna tantùm ſignificauit vitta? Suſpicor, quia labia cum ad loquendum aperiuntur, duabus vittis aſſimilantur, at cum ſigillantur ſilentio, & taciturnitate contrahuntur, vnam tantùm vittam referunt, hoc autem maximè delectabat Sponſum, Sponſæ labia ſilentio obſignata videre. Hùc fortè reſpexit Chislerius, qui putat comparationem fieri ad vittam. *Eo quod labia pulcherrima ſint cum concluſa conſpiciuntur in ſilentio*. Gratiſſima oris pulchritudo non arridet Sponſo, cum labia ad loquendum ſeparantur, ſed cum ſilentio clauduntur. Et idcircò recondita myſteria ipſi reuelare non recuſat, quia illa (vt par erat) ſeruare præſagiebat, nulloque pacto nocituram ipſius decretis Sponſæ conſideratam loquelam. Hinc enim cum Propheta Deum agere de arcano incarnationis myſterio, videret, ipſumque illius notitiæ commendare, non audet loqui, ſed timore correptus obſtupuit. *Domine audiui auditionem tuam, & timui. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud*. Hic verſ. 2.

DISCVRSVS XIII. MORALIS.

Homines non ex rei patratæ merito, ſed ex patratoris fama rem exiſtimant.

1. QVantùm fama interſit, nouerit quiſque hominum ingenium ſuerit expertus, qui opera non ex illorum valore, ſed ex opinione auctoris habita taxant. Vitrum in manu diuitis adamas reputatur, & adamas in manu pauperis vitrum creditur. Clariſſima geſta, vbi nulla auctoris habetur opinio, vileſcunt. Excelſum putatur, quod perſona decorata facit, at hoc ipſum, ſi humilis efficiat, abiectum videtur. Niſi probatus ſis apud ſpectatores, nullius valoris opera exhibebis. De opinione antea habita vruit operis opinio. Sublimitas patratoris fidem captat, nam fide menſurantur geſta, non diſcurſu. Quem traditio communis commendat, nihil ingloriè facit, etſi peruersè operetur, cui non lenocinatur applauſus, nihil non facit incompetibile, etſi egregia opera faciat, quia ex perſonæ opinione ipſius geſta cenſentur. Semel, & iterum venit Chriſtus Dominus in terram Geneſar. Primò non benè excipitur ab habitatoribus, qui ipſum à ſuis confinibus eijcere ſatagebant. *Et ecce tota Ciuitas exijt obuiam IESV, & viſo eo rogabant, vt tranſiret à finibus eorum*. Matth. 8. verſ. 34. At cum ſecundò ad eos acceſſit, miſerunt ad illum omnes malè habentes, quibus ſauere obnixè deprecabantur, ipſumque magnopere honorabant, & beatos ſe credebant, ſi ſaltem illius fimbriam attingerent. *Et rogabant eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent, & quicunque tetigerunt, ſalui facti ſunt*. Matth. 14. verſ. 36. Mira hæc fuit illa rerum commutatio. Cur Geneſareni tanta auiditate nunc Chriſtum excipiunt, quem paulò antea à ſe relegarunt, & modo mirifica ipſius opera extollunt, quæ tanquam nullius pretij paruipenderant? Quæ tam ſubitæ, & inſperatæ mutationis cauſa extitit? Optimè Maldonat. ex Chryſoſt. *Creuerat miraculorum eius fama. Creuerat (vt ait Chryſoſt.) eorum fides*. Non perſonam ex opere, ſed opus ex perſona exiſtimabant, non à factis Chriſtum extollebant, ſiquidem dum primò ad illos venerat, maxima miracula patrauerat, ſæua dęmonia ab hominibus eijciendo; ſed à fama, quæ tem-

tempore iam accreuerat: idcircò primò Chriſtum à ſe eijciunt; nunc autem cum maxima veneratione recipiunt. Eadem opera, quæ exigua, & nullius valoris reputabantur, magna, & ſublimia poſteà videntur. *Quia creuerat miraculorum eius fama*. Et ipſe factorum valor creſcebat. Quamdiù opinione caruit, obſcura videbantur eius opera.

2. Similiter accidit, cum Chriſtus Dominus templum Ieroſolymæ ingreſſus ementes, & vendentes eiecit: nam cum primò eos expulit, ſignum poteſtatis, cuius virtute id faciebat, petebant mercatores. *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis*. Ioan. 2. verſ. 18. At cum ſecundò eos eiecit, licet acriùs tractauerit illos fures, & latrones compellans, nullum poteſtatis ſignum exegerunt. *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum*. Matth. 21. v. 13. Cur cum acerbiùs feriuntur, obmuteſcunt, neque cauſam poteſtatis exigunt; cum verò honeſtiori vocabulo reprehenduntur, auſi ſunt rationem poteſtatis petere? Fortè tacent, cum latrocinij inſimulantur? O quam obiectum vitium vires animi eneruat, & quam imbecillis fuit ſemper culpa. Cum fures vocantur, & eorum delicta deteguntur, non audent loqui; & cum mitiori loquela arguuntur, inſurgunt, & de Chriſti poteſtate audacter interrogant. Signa Iudæi exigunt poteſtatis, quas Chriſtus eos primò à templo eiceret, etſi remiſſiùs eos tractauerit: quia illud initio ſuorum operum fecit; at iam paſſionis tempore appropinquante, etſi duriùs illos reprehendat; etſi vehementiori caſtigatione appetantur, non audent rationem poteſtatis petere: quia iam miraculorum Chriſti maximè fama creuerat, ipſiuſque opera in magna veneratione erant, nulluſque maximè auctoritatis eſſe dubitabat. Illam eandem eiectionem, quam initio Chriſtus fecerat, & Iudæi improbabant, quia fama, & opinione carebat, poſteà reuerenter excipiunt, quia iam fama ipſi pondus auctoritatis accreuerat.

3. Promiſerat Saul filiam ſuam Merob in vxorem viro, qui interfeciſſet Goliat: quem cum occidiſſet Dauid, fecit eum Saul tribunum ſuper mille viros, dicique ei præcepit, centum Philiſthinorum præputia neceſſariò allaturum, vt optatis potiretur nuptijs. Poſteà ſuccedentibus rebus, & ſtrage Philiſthinorum facta poſtulauit Dauid vxorem ſuam Michol, eo quòd quæ promiſerat adimpleuit. *Miſit autem Dauid nuntios ad Isboſeth filium Saul dicens: redde vxorem meam Michol, quam deſpondi mihi centum præputijs Philiſthiim*. 2. Reg. 3. verſ. 14. Egregiè ſe geſſerat Dauid in Philiſthinorum clade; at multò præclariùs in certamine cum Goliath inito: vtriuſque glorioſi facinoris filia Regis in vxorem promiſſa præmium erat. Cur igitur cum expoſtulat, non illam promeruiſſe ait ingentis molis Goliat occiſione, ſed Philiſthinorum ſtrage? Pro vtroque facto Regis ſtabat promiſſum: Gigantis profligatio omnem ſuperabat fortitudinem, & in honorem totius populi redundabat ſiquidem ea opprobriũ abſtulit ab Iſrael. Si potiundæ nobilis puellæ ſpe ad vtrumque ſe erexit facinus, cur mortis Goliath non meminit, & Philiſthinorum mortem tantùm allegat? Arbitror: quia quando Dauid ingentem illam deiecit membrorum proceritatem, & giganteam fortitudinem ſuperauit, paruus, & contemptibilis erat, nullumque ſuæ animoſitatis factum exſtabat: ignotus erat omnibus, ita vt interrogaret Saul: *De qua progenie eſt iſte adoleſcens?* 1. Reg. 17. verſ. 58. Agnouerat optimè, hominum facinora non ex ipſorum meritis, ſed ex opinione operantis taxari, nulloque in pretio haberi, & ingloriè prætermitti, quæ à perſona ſunt nulla opinione celebri: ideòque filiam Saul non expetit propter trophæum de Goliath reportatum: quia quamuis glorioſiſſimum eſſet in ſe, obſcura patratoris opinione deuenuſtabatur. & nullius reputabatur pretij; at cum eius fama accreuerat, partiſque victorijs vigebat, non veretur filiam Regis poſtulare, quia illam apud omnem populum Iſrael promeruiſſe credebat. Factum à fama condecoratum retulit, etſi non tam illuſtre eſſet, quia ipſius præconio totius exiſtimationis dignum videbatur.

4. De Chriſti ſequela, & bonorum amiſſione maximè gloriantibus Apoſtolis omnium nomine dicebat Petrus ad IESVM. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quid ergo erit nobis?* Matth. 19. v. 27. & 28. Cui Chriſtus: *Amen dico vobis: vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos*. Videtur Chriſtus non plenè ſatisfeciſſe interrogationi Petri, cum in recenſione eorum, quæ ipſe ad meritum allegauerat, rerum omnium deſertionem omittat. Ille & ſequelam, & bonorum derelictionem repræſentat. Cur igitur Chriſtus non computat omnium rerum pro virtute deſertionem? An præclarum huiuſmodi abrenunciationis opus contemnit? Nonnè id quaſi præexcelſum, & in paucis arduum conſuluit adoleſcenti totam legem obſeruare aſſueto? *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me*. Matth. 19. verſ. 21. Vt quid igitur tam illuſtre opus Chriſtus prætermittit, nec illud ad præmium imputat? Præclarè D. Hieronym. *Non dixit: Qui reliquiſtis omnia: hoc enim & Crates fecit Philoſophus, & multi alij diuitias contempſerunt; ſed qui ſecuti eſtis me, quod propriè Apoſtolorum eſt*. Scilicet: perilluſtris eſt voluntaria paupertas, & quæ inter alias principes in beatis reputatur, & remuneratur ante omnes: at quia in Crate, & alijs huius fæcis hominibus reperta eſt, ideò cenſet Hieron. à Chriſto Domino ingloriè præteriri.

Digitized by Google

Eam duntaxat recenſet virtutem, quæ in Apoſtolis reperitur. Ecce tibi virtutem alioqui excelſam planè deuenuſtaram, quia in Crate homine infideli, & ambitioſo inuenta eſt: quaſi opus non tam ex opere, quam ex operante cenſeatur: quaſi homines non ex facti valore, ſed ex opinione ſacientis illud reputent, nec magnum aliquid exiſtiment, niſi quod ab homine factum eſt, qui apud illos pluris æſtimetur. Hùc reſpicit, quod demirati Iudæi de altitudine doctrinæ Chriſti Domini, & volentes illum calumniari dicebant: *Vndè huic ſapientia hæc, & virtutes? Nonnè hic eſt fabri filius?* Matth. 13. Quid referr non adieciſſe, ſi doctus eſt? Quid ex abiectis eſſe parentibus, vt ſcientia plenus ſit? Vt quid ex arte patris filij diſcredunt doctrinæ? Subtiliter Chryſol. ſerm. 48. *Dicebant fabri filium, vt arte vili ars lateret auctoris*. A qualitate ſubiecti ſapientiam deuenuſtare contendebant, quia perſonæ obſcuram habebant opinionem, ſublimia ſacta obſcurare ſatagebant, quia nihil magnum ille creditur efficere, a quo nihil magnum ſperatur. Semper ſuſpitio ad deteriorem partem inclinat. Iudicium perueuersè vitiatur, & incredibilis habetur excellentia, cuius exigua exiſtimatio habetur. Hoc autem malignum hominum genium optimè agnouerat Propheta, & vt admirabile opus, quod futurum ſperabat, commendaret, & illius ſublimaret excellentiam, non ab homine, à quo ſæpè opera vileſcunt, ſed à Deo, cuius opera perfectiſſima ſunt, factum expreſſit. *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud*. Hic verſ. 2.

DISCVRSVS XIV. MORALIS.

Sic charitas vrget ad proximis ſubueniendum, vt cum facultates deſunt, ad miraculum recurrere compellat.

1\. CHaritas (vt dixit Paulus) omnia vincit, & adeò ſe ſupra naturæ vires erigit, vt ipſius terminos tranſcendat, & non modò neceſſaria, quibus ſubuenit, prouideat, ſed quodammodò ſuperflua. Animoſa fiducia, & negotioſa ſolicitudine ſupra vires audet, & omnipotentiam æmulari videtur, ipſamque tanquam inquilinum habet, & audacter præſumit omnia poſſe, nam quandocunque Deus ad neceſſitatem inuocatur, diuitem, & affluentiſſimum ſe exhibet. *Diues in omnes, qui inuocant illum*, ad Roman. 10. verſ. 12. At Deus diues non eſt in eos, qui illum non inuocant? Abſit? Sed eius miſericordiam, & omnipotentiæ profuſam largiratem notat Paulus, cum ſemper inueniatur diues indigentibus, & potens ad munificentiam. Nunquam fallitur ſpes charitatis, quæ pia audacia, cum facultates deficiunt, ad omnipotentiam recurrit. Adeò omnia ſuppetunt ad inopiam ſubleuandam, vt nemo ab huiuſmodi opere excuſetur, quia cum humana poſſeſſio deficit, poſſeſſio Diuinæ potentiæ adeſt. Ieroſolymæ templum ingredientes Petrus, & Ioannes ad eius ſpecioſam portam hominem à natiuitate claudum inuenerunt, qui in ipſos intendens, vt eleemoſynam ei erogarent, inſtantiſſimè deprecabatur, cui Petrus. *Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, in nomine IESV Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Et apprehenſa manu eius dextera alleuiauit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ, & exiliens ſtetit, & ambulauit*. Actor. 3. verſ. 6. & 7. In hoc facto non miſericors, ſed prodigus, non munificus, ſed ſuperfluus Petrus videtur, nam cum claudus non pedes, ſed eleemoſynam petierit, & ille neque aurum, nec argentum ad eum ſubueniendum haberet, ſufficienter à charitatis præcepto excuſabatur, cum ratione ſuæ miſeriæ alienam ſubleuare non teneretur. Cur igitur vt poſtularis annuat, miraculum patrat, cum etſi neceſſitas inopem, ipſum tamen præceptum non vrgeret? Fortè debitorem ſe agnouit, & adhuc præcepto charitatis obnoxium? Agnouit quidem (ait Hugo Carenſis,) licet enim facultates deficerent, vndè pauperi vociferanti ſuccurreret, adhuc inſtabat charitas, & ad miraculum recurrere cogebat, vt pauperis miſeriam ſubleuaret, ipſiuſque præceptum adimpleuit, dum pedes contulit. *Non medicinali tarditate duo præcepta adimpleuit* (ait Hugo.) At quomodò adhuc obligabat charitatis præceptum, ſi facultates deficiebant? Ad non poſſibile viribus naturalibus nemo tenetur, præceptum impoſſibilitate abrogatur, verum licet in alijs præceptis ita accidat, in charitatis mandato aliter theologizandum eſt, nam nemo ab illius obligatione cenſetur immunis, etſi vires deficiant, quia cum poſſibilitas deeſt, quaſi cogitur omnipotentia miracula patrare. Religioſè audet charitas, & piè præſumit ſibi non deficere quidquid Deus poteſt facere, ideòque Petrus pauperi dixit: *Quod autem habeo, hoc tibi do*. At vndè Petrus habuit pedes conferre indigenti, quod ſic confidenter illos poſſe largiri præſumat, cum huiuſmodi opus (vtporè miraculoſum) naturæ vires excedat, & nullo pacto in hominum ſit poteſtate? A charitate (inquam) quæ omnia vincit, omnia poteſt, omnia audet, ſic enim Deus ad proximos ſubueniendos vult nos eſſe propenſos, vt omnipotentiam nobis, neceſſaria etiam miraculosè adminiſtrare decernat, ne aliquis de-

non

non ſubuentu pauperis excuſationem prætendat.

2. Scripſit Diuus Paulus ſecundam ad Corinthios epiſtolam, & cum ſermonem ſtatuiſſet de eleemoſynis elargiendis, ſic eos animosè adhortatur. *Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Et tandem vt ipſorum charitatem foueat, & ad maiora quam poſſunt, erigat, concludit: *Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in in vobis, vt in omnibus omnem ſufficientiā habentes, abundetis in omne opus bonū* c.9.v.7.& 8. Er cur Paulus diſſertiſſimus Theologus, vt Corinthios ad eleemoſynam erogandam inſtruat, & prouocet, Dei omnipotentiam in medium adducit, & oculis obijcit? *Potens eſt autem Deus.* Præſtaret miſericordiam obijcere, vt illius mouerentur exemplo, & Magiſtri vteretur doctrina, qui alio in loco ait: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericor eſt.* Luc.6.v.36. Cur igitur dum totis viribus, & energia miſericordiam, & charitatē erga proximos Paulus commendat, & fouere conatur, miſericordiæ Dei non recordatur, ſed omnipotentiam in medium prodit? Cur non eandem virtutem ipſa inſtruit? Præcipuè cum omnipotentia nihil affine habeat cum miſericordia, quam docere intendit, quia Dei virtus omnipotens fortitudinem, & inflexibilitatem præſefert: at miſericordia teneritudinem, quæ ad imbecillitatem inclinat. Paulus dum Corinthios inducit ad eleemoſynam elargiendam, omnipotentiam Dei in exemplum adducit, vt certò habeant, ipſa ſuas facultates multiplicare, quatenùs ad huiuſmodi opus nunquam deficiēr, atque ſi opus fuerit, miracula patranda. Ne igitur angamini penuria, & deficientia bonorum, neque ea excuſationem quæratis: nam quod poſſibilitas facere non valet, omnipotentia Diuina ſupplebir. Exigua fides eſt, quæ animum poſſeſſione metitur, charitati non ſat eſt, quæ poteſt facere, ſed ad omnia quę poſſibilia ſunt, ſe debet erigere, etſi miraculum exigant, quia ipſius cenſus in omnipotentia eſt, quę quodammodò ipſi famulatur.

3. Dum Eliſæus cum filijs Prophetarum ad Iordanis littora degiſſet, vt ligna ſecaret, fortè cuiuſdam mercenarij ſecuris in Iordanis fluenta cecidit, quo neceſsè fuit à labore, cuius ope alebatur, ceſſare, & idcircò ad Eliſeum cœpit clamare. *Heu, heu, Domine mi, & hoc ipſum mutuò acceperam.* 4.Reg.6.verſ.5. Verba ſunt animi tribulati, & in neceſſitate conſtituti, quaſi diceret. Non ſolùm mercede laboris carebo, ſed ſecurim, quam mutuo acceperam, ſoluere cogor: Me miſerum, accurre pater neceſſitati, quam patior. Quibus auditis miſericordia motus Propheta ferrum ſuper aquas natare, & ad manus mercenarij, miraculosè fecit peruenire. Quod admiratione videtur dignum, ſcimus enim, huiuſmodi raros euentus, qui naturę vires tranſcendunt, & miracula nuncupantur, ſine neceſſitate non effici. Quę igitur neceſſitas vrgebat Prophetam, vt opus ſic mirabile à Deo imperret, & miracula quaſi parui pendat? Non operis interruptio, nam ibi alij quam plurimi mercenarij aderant, non inſtrumenti pretium, nam ſecuris parum ęſtimationis habere poterat. Quare igitur auxiliarem Dei omnipotentiam prouocat, vt opus mirificum ſine ſufficienti motiuo patret? Verum non inſufficiens cauſa miraculi adfuit, audiuit enim Propheta pauperis clamores de ſua miſeria, & inopia conquerentis, eo quod mercede, qua victitabat, ac ſecuri, quam ſoluere neceſsè erat, careret, & ita miſericordia ſuper huiuſmodi miſeria fuit commotus, vt materia ipſi ſufficiens ad patrandum miraculum videretur. Fortè non habebat Propheta, vndè neceſſitati ſuccurreret, & cum aliundè ſubleuare miſeriam non poſſet, ad miraculum recurrit, ſciebat enim ijs, quibus neceſſaria deſunt, vt pauperi clamanti ſuccurrant, omnipotentiam Dei eſſe mancipatam, pauperumque ærarium in illa eſſe, ita vt nunquam diffidere liceat. Nam cum pauperis inopia inſtat, ſupra poſſibilitatem charitas debet audere, & cogitare, quod *non habeo* pro excuſatione non habetur, cum facultatibus deficientibus, facilis ſit ad omnipotentiam aditus.

4. Pergebat Chriſtus Dominus in Ieruſalem, & cum fame torqueretur, nec haberet vndè ſe reficeret, videns frondoſam ficum non longè ab itinere, acceſſit ad illam ſuſpicatus fructum percipere. Verùm cum illius ramos ſcrutaretur, non inuenit niſi folia tantùm, itaque; inardeſcens contra illam cœpit anathemata, & maledictiones ſupra ipſam inducere. *Nunquam ex te fructus naſcatur.* Matth.2.verſ. 19. Hoc autem, vt ex meliori temporum ſupputatione conſtat, menſe Martij accidit, & niſi Euangeliſta teſtaretur, incredibile videbatur, nam tunc temporis ficus non affert fructum, nec natura producit, quod & ipſe Euangeliſta expreſſit. *Non erat tempus ficuum.* Marc. 11. verſ. 13. Quare igitur quod ficus non valet largiri, & naturæ vires excedit, illi ad culpam imputatur, & quaſi fructum haberet, & eum denegaret, & execratur, & maledictionibus impetitur? Sed id ita contigiſſe, vt in ficu nos moneamur, non eſt dubium acceſſit enim ad ipſam Chriſtus, fame afflictus, & poſtulans ſuæ neceſſitati ſubſidium, & dum ficus impoſſibilitate naturali excuſatur non ſatisfacit, & maledictionibus oneratur, vt nos inſtruat, quod cum pauper poſtulat, etſi vires deficiant, nemo impoſſibilitate excuſabitur, nam tunc expediet ad miraculum recurrere, & illegem Dei potentiam adire, vt neceſſaria ad inopem ſubueniendum adminiſtret. Nam eo pacto, quo nos tene-

 mur

mur vltra vires audere ad ſubueniendum, & ipſa ad elargiendum cogitur, vndè id fiat: voces enim pauperis, & nos compellunt, & ipſam vrgent. Hoc autem per exaggerationem dictum accipe.

5. Adfuit Chriſtus Dominus cum MARIA Matre ſua in Cana nuptijs, & cum inter epulas vinum deficere incœpiſſet, & pia Mater præſenſiſſet Filio neceſſitatem proponit, eique ſuccurrere deprecatur, quod, etſi cunctanter, fecit aquam in vinum conuertens. Quærunt Interpretes, quæ cauſa vrgeret, vt Chriſtus miraculum efficeret, & MARIA poſtularet, maximè cum hoc fuerit miraculorum initium. Vndè Mater didicit, Filium miracula poſſe patrare, cum non eſſet experta. Vndè Chriſtus impulſus, vt tam mirificum opus efficeret? Scio, aliquot ex Patribus id reuelatione compertum habuiſſe affirmare, ſcio alios arbitrari, Chriſtum alia ſigna effeciſſe MARIÆ tantùm cognita, vndè illa ad exorandum fuit erecta, quod veroſimiliùs videtur, ſed ad inſtitutum reor, MARIAM miraculum expectaſſe à neceſſitate, qua Filium vrgebat, & ipſum ab ipſa neceſſitate cogi, vt miraculum patraret: defecerat enim vinum, apparebat neceſſitas, vt igitur MARIA neceſſitatem vidit, Filio intimauit (*Fili vinum non habent*, Ioan.2. v.2.) ſecura, quod cum deficeret vndè ſuppleretur defectus, miraculosè id fieri debebat, & charitatem vires adminiſtrare excitando omnipotentiam ad miraculum, Licet concedamus Chriſti miraculoſam virtutem Virginem latere, eam à charitate haurire non dubitabat, & propterea miraculum confidenter expoſtulat, nec Chriſtus tam à Matre poſtulante, quam à neceſſitate vrgente vrgebatur, illa enim verba: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Animi compulſi, & coacti ſunt. Ac ſi diceret, quid te ad exorandum, & me ad efficiendum hæc neceſſitas compellit? Sic enim piè audet charitas, & tam animoſa fide, quod neceſſitas exigit, expoſtulat, vt coacta omnipotentia ad ſubueniendum accurrat. Quid magis retardare potuit Dei munificam liberalitatem, quam erga homines oſtendit homo factus, quam ipſorum flagitia? Et nihilominùs, quia neceſſitas inſtabat, & non aliundè homini remedium poterat prouideri, amabile opus Incarnationis exurgit, vt extremæ hominum indigentiæ præberet ſubſidium. *Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Hic verſ. 2.

DISCVRSVS XV. MORALIS.

Auditoris conſcientia optima ſermonis interpretatrix eſt.

1. FAcis *rem optimam* (aiebat Seneca ad Lucill. epiſt. 41.) *& tibi ſalutarem, ſi vt ſcribis, perſeueras ire ad bonam mentem. Quam ſtultum eſt optare, cum poſſis à te impetrare.* Nulla eſt verborum genuina interpretatio præter illam, quam ipſius auditoris conſcientia dictat, quoniam quæ exteriùs legitur in faciei notis, æſtuat interiùs fœdæ culpæ conſcientia, & ſemina peccati nullus tam clauſa habet, quod non appareant in vultu. Qui ad culpæ reprehenſionem rubent, tacitum in præcordijs crimen tali nota oculis obijciunt. Sicut mula, quæ interiùs læditur vlceribus, recalcitrat, ſuaque vulnera prodit, dum refricari ſuſpicatur. Qui podagra laborat, ad tactum ſindonis ingemit, & non mala paſſus dolet timidus. Vndè D. Hieron. Apolog. aduerſus Rufinum interioris habitum ex vultu legendum conſulebat. *Quandò ſine nomine contra vitia ſcribitur, qui iraſcatur, accuſator ſui eſt.* Qui verbis generaliter dictis pungitur, verax facinoris teſtis eſt, nam conſcientia, quæ ſceleris dirè accuſat impium, dum premitur, & torquetur obiurgatione, non poteſt illum non manifeſtare. Criminis conceptus, qui in pectore latet, ſui ipſius accuſator eſt, quam continet iniquitatem, palam effundit ipſius conſcientia præmente, & agitante. Sic cum Chriſtus Dominus Scribarum, & Phariſæorum peruicaciam in communi reprehenderet vocans illos hypocritas doloſos, quidam ex legis peritis dixit: *Magiſter hæc dicens etiam nobis contumeliam facis.* Luc. 11. Cur præſumptuoſus ille pro contumelia propria accepit id, quod alijs, non ſibi dictum fuit? Cur iniuria affectum ſuum honorem reputauit generali doctrina, quæ omnes comprehendebat? Optimè Beda in comment. *Quam miſera conſcientia, quæ audito Dei verbo ſibi contumeliam fieri putat, & commemoratæ pœna perfidorum, ſe ſemper intelligit eſſe damnandum.* Crimen, quod in abditis conſcientiæ precordijs erat occultum, indigitauit, & illius fuit teſtis fidelis, dum ad verba generaliter dicta vehementer dolet, conſcientiam, quę illum accuſabat, prodit, & medicinæ acerbitatem plagę applicatam præſenſit, animique vulnera pręmente dolore fatetur, & veraciter, quę dicebantur ad omnes, interpretatus eſt ea ad ſeipſum inflectens,

2. Graſſante fame in terra Chanaam, cum Beniamin fratre ſuo, quem optabat videre Ioſeph, & duplicata pecunia reuertuntur filij

Iacob

Iacob in Ægyptum. Quos cum vidiſſet Ioſeph, pręcepit Æconomo domus ſuę, vt in ipſam eos introduceret, quibus lautum conuiuium parabat. At illi in domum fratris, quem vendiderant, introducti, exterriti dixerunt mutuò: *Propter pecuniam, quam retulimus prius in ſaccis noſtris, introducti ſumus, vt deuoluat in nos calumniam, & violenter ſubijciat ſeruituti & nos, & aſinos noſtros.* Geneſ. 43. verſ. 48. Vndè tam peruerſa cogitatio in eorum aſcendit corda, vt de fratre beneuolo, & qui amoris ſigna prębere ſtudebat, tam immane ſcelus præſumerent? Ille Beniamin, quem poſtulauerat Ioſeph, & munera, quæ ipſius animum placarent, attulerant, ad epulas inuitabantur. Vndè ergo arbitrati ſunt, fuiſſe deceptos, & Ioſeph illorum ruinam, & captiuitatem moliri? Nullo enim externo motiuo ad id ſuſpicandum poterant adduci. Pręclarè Lipoman. (in Catena) illius cogitationis rationem detexit. *Tales impiorum conſcientiæ ſunt, vt etiam in proſperis expaueſcant, malorum enim cum ſibi conſcij ſint, bona etiam mala ſuſpicantur, & quæ alijs ſecuritatem facerent, & gaudium.* Liberaliſſimum erga fratres ſe exhibere intendebat Ioſeph, ad idque ipſos in domum ſuam adduci pręcepit: verum quia ipſi immani improbitate Ioſeph vendiderant, ſuſpicabantur illum idem ſcelus machinari. Criminis conſcientia, quę interiùs ipſos cruciabat, docuit in illam cogitationem incidere, & credere in captiuitatem redigi, cum ad delitias inuitantur. Quę in ipſorum fauorem dicebantur, in perniciem accipiebant, & iuxta conſtitutionem animi interpretabantur verba.

5. Mulierem in adulterio deprehenſam eo, quo ſolitant, inuidię zelo Scribę, & Phariſęi adducunt ad IESVM, & quaſi animo addiſcendi dolum tegentes propudioſi reatus illum arbitrum conſtituunt. Ille autem, qua vigebat, ſapientia doloſum animum in eorum mente deſcriptum legens, inclinans ſe deorſum in terra deſcripſit, & cum accuſatores adhuc extitiſſent, erexit ſe, dixitque eis: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat: audientes autem vnus poſt vnum exibant incipientes à ſenioribus.* Ioan. 8. verſ. 8. in Gręco eſt: *Vt à conſcientia arguerentur.* Verùm ſi ad omnes, qui delationi intendebant, Chriſti ſermo dirigebatur, & generaliter præcipit lapidem mittere à peccato innoxium, cur primò exeunt ſeniores? Si omnes accuſatores erant rei, cur maioris ętatis viri magis punguntur, & primò exeunt? Auſculta Maldonat. in comment. huius loci. *Quod dicit Euangeliſta ſumptum à ſenioribus initium, indicat, eos primum ac maximè omnium ſenſiſſe reprehenſionis aculeos, vt qui in peccatis maximè erant inueterati.* Deprauata conſcientia plurimum pungebat ſeniores, quia maioribus flagitijs erant immerſi: inueterata peccatorum diuturnitate ſtimulabantur vehementiùs: & idcircò primi abierunt, quia primi verba, quibus eorum crimina obiurgabantur, de ſeipſis ſunt interpretati. Germana enim ſermonis intelligentia ipſa ſolet eſſe, quam auditoris conſcientia cogitat: ex vultu ſępè cognoſcitur animus, & qui reprehenſus pudore ſuffunditur, ſigna prębet, in quibus ipſius criminis leguntur notæ. Quę audiens meditatur, elocutionis ſolet eſſe energia. Sic quæ altè concepit ex verbis, quæ Propheta audiuit, ipſorum myſteria penetrauit, & mirabile opus ipſi reuelatum ea, qua decebat, reuerentia excepit. *Domine audiui auditionem tuam, & timui. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Hic verſ. 2.

Verſ. 3. Deus ab Aſtro veniet, & Sanctus de Monte Pharan.
Operuit Cœlos gloria eius: & laudis eius
plena eſt terra.

ANNOTATIO III.

Expoſitio Litteræ.

1. PRogreſſum deſcribit Propheta, quem ducente Deo tenuere Chaldæi, ſicut tenuerunt quondam Iſraelitæ, quando Chananæorum regiones poſſederunt: nam ſicut quia Dominus pro illis pugnabat, illorum confirmabat animos, & frangebat inimicorum militares vires: ſic etiam, quia Deus exercitum Chaldæorum moderabatur, maximas reportauit victorias de Hebræa gente. Cum autem dicitur: *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de Monte Pharan*, ſubaudienda eſt ſimilitudinis

tudinis

Digitized by Google

tudinis nota : ideſt, ſicut olim Deus ab Auſtro venit, ſic etiam modò veniet. Ireneus lib. 4. cap.17. Baſilius lib. 2. contra Eunom. Concil. Smyrnenſ. canon. 14. & 15.docent, Dei Filium in figura humana apparuiſſe Abrahæ, Moyſi, & Aaron, Iudæiſque, cum lex data illis fuit in monte Sinai. In noſtro autem Vate ſine dubio fit alluſio ad illud Deutero.33.verſ.2. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis, apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia : in dextera eius ignea lex*. Et Iudic.5.verſ.4.& 5. canebat Debora. *Domine cum exires de Seir, & tranſires per regiones Edon, terra mota eſt, cælique, ac nubes diſtillauerunt aquis. Montes fluxerunt, à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Iſrael*. Ex quibus locis docemur, Deum veniſſe in terram promiſſionis ex monte Sinai, & ex monte Seir, qui ex Hebræis vocatur Theman, & ex monte Pharan : in his enim montibus oſtendebat Deus gloriam ſuam apparens Iudæis cum millibus ſanctorum Angelorum, cum luce immenſa, & maieſtate, quam hoc loco etiam cecinit noſter Vates. Quia verò mons Theman ſiue Seir erat ad Auſtrum Iudææ : ideò veniens Deus è montibus Theman dicitur ab Auſtro veniſſe, quia Auſter ventus eſt, qui ſtat à regione meridionali : proindèque Africus etiam dicitur, licet in aliquibus exemplaribus pro Libonoto accipiatur. Eſt autem Libonotus ventus inter Auſtrum, & Liben, vt ſcribit Damaſcenus lib. 2. de fide cap.8.& nomen ipſum indicat ex Noto, ideſt, Auſtro, & Libe compoſitum : qui ventus occiduus eſt inter ventos meridici, vt eſt apud Gellium lib. 2. noctium atticarum cap.22. *Pharan*, vt diximus, locus eſt vicinus monti Sinai (vt habet Heronym. in cap.13.Oſeæ) in quo ſe Deus horribilem præbuit, vt dicitur Exod.19. verſ.16.nam ibi. *Cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementiùs perſtrepebat*. Vndè fortè mons nomen Pharan acquiſiuit, quem Septuaginta vertunt denſum, & vmbroſum : quia tunc temporis illum obtexit fumus, & obumbrauit obſcura nubes. Deus igitur Iudæis, quos per Chaldæorum gentes debellaturus aduenit, tam horribilis apparebit, quam olim cum tonabat, fulminabat, & totum in circuitu montem nube, ac fumo confundebat.

2. Communiter in ſenſu allegorico hæc ád Chriſti aduentum inflectuntur : & per Auſtrum Bethlehem intelligunt. Vndè Chriſtus iam homo factus primùm humanis oculis apparuit. Hieronym. quidem refert, Hebræum quemdam ita ſe audiente interpretatum : ab Auſtro, ideſt, à Bethlehem, quæ ſita eſt ad Auſtrum : nam & Iudæa reſpectu cæterarum partium terræ promiſſionis ad Auſtrum eſt, & ipſa Bethlehem etiam reſpectu Ieruſalem eſt Auſtralis. Huiuſmodi ſenſum ſecuti ſunt Theodoret. Theophilat.Euthimius, & alij quam plurimi, & Hieronym.in illud Pſalm. 106. *A Solis ortu, & occaſu, ab aquilone, & mari. Legimus* (inquit) *in Habacuc: Deus ab Auſtro veniet; de Saluatore dicitur; quoniam Deus natus eſt in Auſtro, à ſitu enim Ieruſalem Bethlehem in Auſtro poſita eſt: propterea dicitur: Deus ab Auſtro veniet*. Et antè eos Tertullianus in lib.de Trinitate ita interpretatus eſt. Id autem quod aliqui nec ignobiles Auctores legunt : Deus à Libano veniet, manifeſta deceptió eſt : nam pro Libonoto Libanum acceperunt. Per montem autem *Pharan* qui (vt diximus) vmbroſus, & condenſus à 70.Interpretibus legitur, Ieruſalem interpretantur Theophil.& Theodoret.quæ omnibus gratijs abundabat, & ſub vmbra Dei erat. Alij Beatiſſimam MARIAM Virginem hunc montem eſſe volunt, quia & ſublimior eſt omni creatura, & Diuina virtute obumbrata, ita Euthymius, & pauló poſt Theophila.Cyril.Pharan à Bethlehem non diſiungit, ſed aliquid ibi agnoſcit, quod ad Chriſti ſacra natalitia pertineat : vt enim in Auſtro Bethlehem intuetur, vbi natus eſt Chriſtus : ſic etiam in Pharan populum & gentem, vndè mortale genus traxit. Audi illum. *Quia Diuina Scriptura interdum inſignioribus montibus Iudæorum Synagogam, ſiue populum comparare conſueuit quod plurimis, longèque celeberrimis viris quaſi arboribus denſa videatur : idcircò nunc cum monte Pharan illam componit dicens è monte vmbroſo, & condenſo venturum; vmbroſum autem, & condenſum montem nominat propter patres, ex quibus Chriſtus ſecundùm carnem prognatus dicitur*. In hoc igitur allegorico ſenſu natus dicitur Deus in Bethlehem, vbi eſt Pharan : ideſt, locus vmbroſus, & caliginoſus. Hic autem ille eſt, in quo fuit olim turris gregis ad quam vigilabant paſtores illi,

quibus

quibus ab Angelo primum annunciatus eſt Saluatoris ortus: illam enim eſſe turrim nebuloſam, de qua loquitur Michæas, docet Hieronymus in traditionibus Hebraicis ad illud Gen.35. *Profectus eſt Iſrael, & extendit tabernaculum ſuum trans turrim Ader*. Ideſt, gregis. Quod etiam tenent apertè Remigius, & Haymo ſup. Micheam, & Bed. in c.2. Lucæ. Poſt Pharan *Sela* continuò ſequitur in Hebræo, cuius ſignificatio, atque vſus diù fatigauit Interpretum ingenia: nam quid ſignificet, incertum eſt. Vide Hieronymum in epiſt. ad Marcell. vbi de hoc latè diſſerit, & inter alia hæc ſcribit. *Scire autem debemus, apud Hebræos in fine librorum vnum è tribus ſolere ſubnecti, vt aut amen ſcribant, aut Sela, aut Salom, quod exprimit pacem: vndè & Salomon pacificus dicitur*. Vide etiam D. Auguſt. Toletum hîc. Quidam nihil putant addere ad orationis ſenſum huiuſmodi dictionem, ſed tantùm ſignum eſſe propoſitum cantoribus, vt eo mutent numeros muſicos, vt contendant, remittant, aut intermittant vocem. Alij illam apponi arbitrantur, vbi aliquid inſigne, valdè optabile, & meditatione dignum dicitur. In re autem dubiâ, cuius nec certa coniectura eſt, nihil aliud inuenio, quod magni referre putem.

3. *Operuit Cœlos gloria eius*. Sine dubio fit alluſio ad illud tempus, in quo Deus ſuam maieſtatem oſtendit: quia vt dixit Moyſes, quando ſuper illis montibus Dominus apparuit, millibus Sanctorum cingebatur, qua nulla maior gloria eſſe poterat; illi enim myriades Sanctorum cœlos operiebant præ multitudine: nam & cum locuſtæ veniunt, Cœlos operire dicuntur: tantus enim fuit ille ſplendor, vt dicat text. Exod.24. verſ.15. *Cumque aſcendiſſet Moyſes, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini ſuper Sinai tegens illum nube ſex diebus. Erat autem ſpecies gloriæ Domini, quaſi ignis ardens ſuper verticem montis in conſpectu filiorum Iſrael*.

4. *Et laudis eius plena eſt terra*. Videntes Chananæi quanta Deus in fauorem populi, & contra Ægyptios feciſſet prodigia, mare ſiccans, riuum à petra extrahens, innumeram multitudinem ſplendidè cęleſti papulo alens, & alia, quæ in ipſorum confinibus edidit miracula, agnouerunt magnum eſſe Deum, & prædicarunt ipſius gloriam. Laus autem hîc pro rebus laudabilibus ſumitur: nam actio ſæpè pro ſuo obiecto, vel materia accipitur: quo pacto timor ſumitur pro re timenda, & nuper in noſtro Vate auditio pro verbis aſſumebatur, *Domine audiui auditionem tuam, & timui.* Sic laudes celebrare nihil eſt aliud, quam celebrare glorioſa geſta, quæ alicui contigerunt. Quod etiam apud Profanos vſitatum eſt. Sic Virgil. lib.1. Æneid. de Priamo cuius præclara merita videbat, dixit.

En Priamus, ſunt hic etiam ſua præmia laudi.

Ideſt, meritis & virtutibus. Pro prodigijs ergo & factis hoc loco accipienda eſt laus: quia nulla fuit pars regionum, vbi Hebræi fuerunt, in qua non extet aliquod diuinę virtutis inſigne.

5. Si autem prędicta verba ad Chriſti geſta inflectantur, ſic debet intelligi, vt ſuis miraculis cuncta gloria impleuerit, ita vt ibique laudis eius materia ſeſe offerat, & eius fama, atque glorioſum nomen ad Cœlos vſque peruenit. Sic Dauid Pſalm.8. verſ.1. *Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra? Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper Cœlos*. Cui ſimile eſt illud Maronis,

Fama ſuper æthera notus.

Tam præclara enim opera Chriſtus erat editurus, vt in Cœlum eius gloria perueniret; vndè Hieronym. *Manifeſtum eſt, quod in aduentu Chriſti omnia repleta ſint gloria iuxta id, quod in Euangelio dicitur, gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus*.

DISCVR-

DISCVRSVS I. MORALIS.

Chriſtus Dominus nulla ex parte non ſanctus, & impeccabilis prorſus fuit.

1. DEus ille, qui olim ab Auſtro, ſiuè à Seir apparuit nobis, & Sanctus ille, qui de monte Pharan ortus eſt (*Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan*) veniet nobis, inquit Propheta: quem ſanctitatis epitecto inſigniuit, quoniam & ipſe Sanctus eſt, & per ipſum homines ſanctificandi, vt ait D. Paulus ad Roman. 3. verſ. 24. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto IESV*. Vt autem de hac veritate fide ſancita dilucidè conſtet, duplicem cum Vate libet in Chriſto generationem diſtinguere: alia, qua à Patre ſine matre procedit in illis verbis indicata, *Deus ab Auſtro veniet*: venit namque de Cœlo de ſinu Patris, quo aſpirare non poterat labor, & dolor, neque aliquid eorum, quibus propter peccatum obnoxia eſt humana mortalitas: eſt enim paterni ſinus, & cœleſtis beatitudinis, quò nulla nox, nullum peccatum aſcendit, Auſter perquam optimum ſignum: quia benignus eſt ventus, quo hiemis aſperitas frangitur, qui vernum inducit tempus, qui terram fœcundat, atque exhilarat, & ideò ad myſticas nuptias, genialeſque dies aduocatur Auſter; & Aquilo, in quo peccatum exprimitur, procul ſecedere iubetur: quia quidquid aſpirat, frigidum, & ingratum eſt. *Surge Aquilo, & veni Auſter, & perfla hortum meum, & fluant aromata illius*. Cant. 4. verſ. 16. Auſter enim reficit, & fouet, quæ glacies, & pruinà decoxerant, laxat plantas, quas contraxerat Aquilo, ſtillareque facit odoriferos ſuccos: quę omnia apprimè æternæ Filij generationi conueniunt. Alia eſt, qua in tempore à matre ſine patre fuit ortus, quam indigitant illa verba, *Et Sanctus de monte Pharan*: Nam in illo Theod. Theophilat. & alij Patres Beatiſſimam Virginem intelligunt. Et ex quauis hatum Chriſtus Dominus omninò purus, omninò ſanctus, & prorsùs impeccabilis proceſſit. De prima nullus eſt, qui dubitet, de ſecunda vniuerſa confitetur Theologia, Chriſtum Dominum, qua homo eſt, de quacunque potentia eſſe omninò impeccabilem, tum quia non traxit originem ex infecta radice conceptus de Spiritu Sancto: tum quia gratia vnionis talis, ac tanta eſt, vt repugnantiam habeat, cum ipſa formali deformitate peccati, & ex vi talis vnionis ex debito omnimoda ei communicata eſt immunitas à peccato; tum quia Diuinum ſuppoſitum, cuius omnes actiones erant, tenebatur eas gubernare, & ſanctam reddere humanitatem propter diuinam naturam humanæ mediatè vnitam. Quod vt innueret Propheta, forſitan dixit: *Sanctus de monte Pharan*. Ideſt, quod Chriſtus remanet Sanctus etiam vt à Beata Virgine ortus eſt. Vt autem hæreticorum ora obtundamus, alijs, ſed paucis Sacræ Scripturæ locis eadem veritas ſtabilienda eſt.

2. Loquens de ſe ipſo Chriſtus Dominus Nicodemo dixit: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis*. Ioan 3. verſ. 14. Cur in ſerpente æneo adumbrari voluit, & non verum ſerpentem referebat, vt eadem forma, qua antiquus, & doloſus ſerpens primos parentes deceperat, illius caput contereret, & exarmaret malitiam? Audi Card. Hugo in comment. huius loci. *Serpens æneus non eſt verè ſerpens, nec venenum habet: & ideò ſignificat Chriſtum, qui habuit ſimilitudinem carnis peccatricis, non carnem peccatricem: habuit quidem veram carnem, ſed non verè peccatrici ſimilem, vt dicitur* ad Roman. 8, *Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum: ideſt, per theriacam venenum expulit*. Serpentis veneni euacuati imaginem aſſumpſit, quia culpæ veneno non fuit obnoxius, neque æneum præ fortitudine haberet pectus, ſi in illo toxicum lateret peccati. Peccati tantùm ſimilitudinem in ſe habuit, vt veritatem excluderet, quia ſimilitudo, & veritas non poſſunt concurrere: ſiquidem eiuſdem ad ſe ipſum non eſt ſimilitudo. Hùc etiam ipſe Dominus reſpiciebat, cum dixit: *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? Longè à ſalute mea verba delictorum meorum*. Pſalm. 21. v. 1. Totum hunc Pſalmum ad Chriſtum pertinere non ſolùm Expoſitores Catholici, ſed etiam antiquiſſima Hebræorum Gloſa ante 2000. annos ferè ſcripta docent. Quæritur de magnitudine doloris, non diffidentiam, ſed Crucis acerbitatem, & vehementiam exprimens, vt naturæ humanæ ſtatum, & conditionem explanet, vtque non ſe, ac res ſuas à Deò negligi, ſed auxilium paternum differri ſignificet. Vndè Hieronym. inquit: *Hic humanitas loquitur: nam in paſſione Chriſtus derelictus eſt pro parte carnis*. Sed vt deliramenta, & blaſphemias, quæ hic Caluiniſtæ impudenter ſpargunt, irrideas, agnoſce Chriſti impeccabilitatem, vbi cęci illam denegant. *Longè à ſalute mea* (inquit Chriſtus) *verba delictorum meorum*: Quid eſt delictorum meorum? Remigius. *Delictorum, quæ ſunt meorum, hominum ſcilicet, quos mihi dediſti*. Vel delictorum meorum, quę mihi humani generis cauſa imputantur, noſtra enim peccata ſibi propria, ſuaque fecit, hominum vt pœnas ſolueret. *Meorum, quia ego expianda ſuſcepi*: (ait Genebrard.) Vbi nota, non dici abſolutè delicta mea, *ſed verba delictorum meorum*: fuit enim Chriſtus velut mons, vbi verba delictorum noſtrorum ſonue-

ſonuere. Verba, & voces dat homo è monte eminùs, & in Echo reſonat? Sic peccata hominum in Chriſto velut in Echo ſonuere, ibi audiuntur: at longè à Chriſto efformata ſunt. Longè à ſalute mea, & innocentia mea verba delictorum, quæ ego mea feci, vt expiarem, quin indè maculam contraxerim: non erubui aliorum delicta ſuper me portare, quia ex illis nullæ in me remanent ſordes, vt dicebat pulchrè Bernard. cap. 10. ad milites templi. *Quid enim erubeſceret Chriſtus? Qui ita lauit nos à peccatis, non quidem vt aqua diluens, & retinens ſordes, ſed veluti ſolis radius diſſipans, & retinens puritatem.*

3. De vtraque Chriſti generatione æterna, & temporali locutus vtriuſque Pater dicebat: *In ſplendoribus Sanctorum ex vtero ante luciferum genui te.* Pſal. 109. verſ. 3. Verba non parum fatigata Interpretum commentatione: nam non facilè percipitur, quid per Sanctorum ſplendores veniat intelligendum. Mitto multa, quæ longum, & faſtidioſum eſſet recenſere, & Belarmini in gloſſa huius Pſalmi menti adhæreo. *Dici poſſunt ſancti homines ſplendores Sanctorum.* Ergo Deus Pater ſe, ſuaque contemplans, & etiam tot homines Verbum generat & in æternitate, & in tempore. Verùm cur dicitur ſanctos homines tantùm reſpicere, cum de Filij generatione agitur? Nullus enim hominum, etſi improbus ſit, ſubterfugit cognitionem Patris, qua Filium producit, nam cum ſit infinita, omnes reſpicere opus eſt. Cur igitur tantùm in ſplendoribus Sanctorum Filium gigni perhibetur? Crediderim, vt eius à peccato immunitas, & à quacunque culpæ ſuſpicitione innuatur. Quaſi vertens Pater cogitationem ſuam à ſceleratis hominibus, & tantùm intendens animum ad pia Sanctorum exempla Filium generat, ne videlicet à malo improborum exemplo aliquod vitium incurrat. Agit Vates noſtro concipiendi modo, & Patrem generantem introducit quaſi cauentem de contagioſa peccati natura, & de Filij puritate ſolicitum, omnes enim & Sanctos, & iniquos agnoſcit cum Filium generat, tamen ad homines Sanctos ſpectare, & quaſi oculos deflectere ab improbis dicitur, vt nihil, quod peccatum redoleat, in Filij generatione concipiatur. Filium producit in ſplendoribus Sanctorum, ideſt, ſanctorum hominum, quaſi præcauens, ne obiectum vitium ingenitum Verbum ſerpat. Huiuſmodi autem immunitatis ipſe Filius teſtimonium præbuit, dum tanquam ſceleratus ſupplicio affectus clamabat ad Patrem. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam, infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* Pſ. 68. v. 2. & 3. Subſtantia (vt Dialectici inquiunt) eſt primum ſubiectum, & fundamentum, in quo accidentia inſunt, pœnæ ſubiectum culpa eſt, nam ex illa reatus ad pœnam reſultat, vt autem Chriſtus nullum ad ſupplicia, quæ patiebatur, præbuiſſe ſubiectum, nullam habuiſſe ſuſpitionem culpæ manifeſtaret, abſque ſubſtantia pati clamabat, & idcircò addidit: *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* Ideſt, pro peccatis, quæ non commiſi morte turpiſſima ſum condemnatus. Hinc illud Iob perſonam Chriſti agentis: *Violenta ſagitta mea abſque vllo peccato.* Cap. 34. Cum impijs moritur, & ſagittis furoris Dei configitur, ſagitta violenta non eſt, ſed naturalis, eo quod ad debitum ſibi tendit locum: proprium enim ſagittæ ſignum, ad quod dirigitur, peccatum eſt: aſt cum moritur Iuſtus, cum pro peccatis alienis, quæ non commiſit, occiditur, ſagitta ſupplicij ad illum pertingens violenta eſt, quia abſque propria culpa moritur. *Violenta ſagitta mea abſque vllo peccato* (ait Chriſtus) vt pœnæ, quam ſubibat, meritò ſe innoxium oſtenderet, atque alterius ſortis, ac cęteri homines, etſi eiuſdem naturæ. Quod pulchrè dicebat Sponſa *Similis eſt dilectus meus capræ, hinuloque ceruorum.* Cant. 2. At cur non ceruo, ſed ipſius hinulo Chriſtum aſſimilat? Quid Filius diſſimile habet Patri, cum ab ipſo quidquid habet acceperit? Auſculta Gloſ. hic. *Veram carnem Chriſtus de Patriarchis aſſumpſit, & velocior illis eſt, quia illi pondere peccatorum preſſi, iſte immunis.* Hinulus ceruorum è ceruis naſcitur, ſed longè illis eſt velocior, ſupra modum illos in agilitate ſuperat, ſic Chriſtus ex hominum genere natus illis omnibus fuit velocior, quoniam illi peccatorum pede claudicabant, Chriſtus autem innocentiæ alis ocyſſimè volabat. Hinc etiam non ſine ſuperno conſilio Chriſtum Herodes veſte alba indui præcepit mortem ſubiturum, cum cæteri moribundi rubra, aut nigra veſte induerentur, vt diſſimilem à cæteris conditionem manifeſtat, nullaque ſorde peccati pollutum fuiſſe. *Non otioſum* (inquit Ambroſius lib. 10. in Luc.) *quod veſte alba induitur ab Herode immaculatæ tribuens ſigna paſſionis, quod agnus Dei ſine macula cum gloria mundi peccata ſuſciperet.*

DISCURSUS II. MORALIS.

Subtiliori, & obſcuriori doctrina ſæpiùs ad Dei agnitionem capimur.

1. VBi in noſtro Vate vulgatus legit: *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan*, 70. transferunt: *De monte vmbroſo, & condenſo.* Quod Hieron. ad obſcuram, & ſubtilem verborum, ac ſenſuum ſcripturæ contexturam, qua ſæpiùs intellectus

allicitur, inflectit, *Agnitio ſancti, ideſt, Filij Dei de monte vmbroſo, & condenſo, ideſt, de ſublimitate eloquij vmbroſi, & condenſi multis teſtimonijs contexti, vel Pharan os videntis dicitur, & de ſermone eruditio veri venit notitia Filij*. Non ſolùm ſubtiles conceptus mente inueniſſe ſat eſt, niſi ſubtiliter exprimantur, vtrumque enim eſt neceſſarium, vt audientium animi rapiantur, & doctrinam ebibant, ſit in ſenſu ſublimitas, vt diù trutinet intellectus, & plus verba ſignificent, quam ſonant, vt in cuiuſdam laudem dicebat Seneca epiſt. 60. *Loqueris quantumuis, & plus ſignificas, quam loqueris*. Quæ peruia ſunt, intellectus faſtidit, ad illaque facilè nauſeat, vt dicebat Ariſtot. *Intellectus in peruio ſaturatur, in inuio fameſcit*. Quæ aliquo labore acquiruntur gratiora ſunt, & eo guſtui iucundiora, quò ſubtiliora, vt dicebat Bernard. ſerm. 5. in Cant. *Nolo proindè veſtram illis, quam benè noui, fraudari ingluuiem, præſertim cum ſint de ferculo charitatis eo dulcia, quò ſubtilia, eo ſapida, quò minuta*. Gaudet intellectus, cum myſteria abſcondita percipit, quia credit ea inuenite, & non illi, qui cogitauit, ſed ſibi deberi, Chriſtiana enim doctrina non renunciauit ingenio, elaborato ſtylo, & profundo acumine præditi multi floruerunt Patres ſanctitate conſpicui, qui vtilitati aliorum ſtudentes altè eorum animis impreſſerunt doctrinam ſubtiliter conceptam, & acutè explicatam; Chriſtus enim, qui de monte vmbroſo, & obſcuro venire dicitur, per obſcura verborum ænigmata, & abſtruſam intelligentiam vult inquiri.

2. Metaphoricè de ſeipſo locutus Chriſtus Dominus dicebat: *Quæ mulier habens dracmas decem, ſi perdiderit drachmam, nonnè accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter, donec inueniat?* Luc 15. verſ. 8. Chryſol. ſerm. 169. Hanc drachmam Chriſtum eſſe interpretatur. *Chriſtus eſt drachma noſtræ redemptionis plenum Diuinitatis numiſma*. Et appoſitè ait: *Simpliciter contigit, quod eam nocturno requirit in tempore*. Res profectò expenſione digna. Cur hæc fœmina in nocturnis tenebris peregrinam drachmam requirit, & ad exiguam lucernæ lucem paruum præſumit inuenire numiſma? Cur non expectat, vt illuceſcat dies, & ſolares radij drachmam indicent. Parum noctis tempus non expectat, vt ſine ſtudioſa ſolicitudine, quod deſiderat, adipiſcatur? Non vtique, ſolerter noctu quærit, quoniam impensè Deum quærit, qui per obſcuritatem ſimplicis fidei cęleſtem redemptionis drachmam Chriſtum requirit, nox enim obſcuritatem myſteriorum fidei ſignificat, vt tenet Magn. Greg. ſup. Reg. 3. Vndè ſimplex hæc fœmina ſolertiſſima indagatrix, & felix inuentrix cœleſtis drachmæ non expectat diei fulgores, ſed nocturno tempore, ideſt, per obſcuram, & ſubtilem fidei lucem, atque intelligentiam drachmam diligenter quærit, & feliciter inuenit. Minùs namque de illius inuentione gauderet, ſi nullo labore, nullo mentis acumine ad diei lucem drachmam inueniret: Dei enim myſteria per obſcura, & ſubtilia meliùs, & vtiliùs ſæpè ſæpiùs nobis innoteſcunt.

3. Ioanni in ſua Apocalyp. 1. verſ. 16. cœlitu attonito apparuit Chriſtus Dominus, & inter alia Prędicatoris, & Doctoris ſigna, gladium habebat in ore ex vtraque parte acutum. *De ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat* cap. 1. Hic autem gladius (vt habetur Ezechiel. 21.) Verbum Dei eſt, quo audientium corda vulnerantur: ex vtraque autem parte acutus dicitur, quia vtrumque teſtamentum nouum, & vetus, ex quibus prædicatio componitur, ſignificat, vt docet Tertullian. lib. 3. contra Marcion. *Quem intelligi oportet ſermonem Diuinum bis acutum duobus teſtamentis legis, & Euangelij*. At cur in gladio acuto Dei ſermo exprimitur? Ad quid Diuinum Verbum acuitur? Suſpicor, vt nobiliùs ſit in dicendo ac penetrabiliùs. Acuitur vt cædat, limatur, vt ſplendeat. Acuta, & ſubtili ratione debet imbui, qui Dei Verbum profert, acumen enim electi ſenſus, & lima elocutionis maximè decent Miniſtros Euangelicos, & maximè auditoribus proſunt, admiranda enim energia ſubtili elocutioni ineſt ad penetranda corda, & deuinciendum intellectum. Sic de ipſis Sacris Miniſtris dicebat Dauid Pſal. 149. verſ. 6. *Gladij ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus* Vbi optimè Hieronym. *vt occidantur, & pereant, non hoc dicit, ſed ſubdit increpationes in populis, increpant, vt ſaluentur populi*. Gladijs acutis Verbi Dei pręcones armantur, quia acutis Verbis increpati populi meliùs ſaluantur, ſublimis enim ſenſus animo audientis inhęrens mentem illius rapit, & tranſuerſam ducit, quo doctrina intendit, ipſique accidit, quod de Photionis oratione dicere ſolebat Demoſthenes (vt refert Manutius) ſecurim nempè eſſe, & quoties ille in concione dicturus aſſurgebat, *rationum Photionis ſecurim* ſurgere dictitabat, nam Phocion erat in dicendo breuis, ſed acutus, ideò eius rationes velut ſecuris omnes ſecabat pertinaces, & ad veritatem reducebat.

4. Pręcepit Deus Moyſi duas tubas argenteas fabricare, ad cuius ſonitum populus aut congregandus, aut mouendus erat. Cum autem de vno ad alterum locum tranſmigrare oportebat, ſubtilis, ac conciſus tubarum clangor pręcedebat: *Si autem prolixior, atque conciſus clangor increpuerit, mouebunt caſtra primi, qui ſunt ad orientalem plagam*. Num. 10. verſ. 5. D. Ambroſ. (de 42. manſionibus) addubitat, cur ad conciſum, & minutum tubarum clangorem caſtra moueantur, cum ad illius multitudinem excitandam aptiùs videretur buccinas robuſto clangore perſtrepere, quo inertes prouocarentur ad iter. Cur ad delicatam, &

tenuem

tenuem vocem tot hominum myriades meliùs monerentur? *Quia nimirum* (ait Ambroſ.) *cum ſubtilior, ac minutior prædicationis ſermo tractatur, auditorum mentes contra tentationum certamina excitantur*. Non enim ſubtile, & ingenioſum eloquium à Deo relegat, ſed potiùs homines à vitiorum ſtatione remouet, & ad Dei notitiam trahit. Venuſta, & ſubtilis locutio exarmat inuicta quæque vitia, & captiuos ducit homines ad virtutis obſequium. Hùc etiam reſpicit, quod de manna dicitur Exod. 16. verſ. 14. *Apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram*. 70. vertunt *ſubtile*. Quod ad Dei verbum ſubtiliter inflectit Origenes, & Iudæorum ſocordiam, qui nihil acuminis in eo percipiunt, nihil ſubtilitatis, carpit, *Iudæi* (inquit) *nihil in verbo Dei minutum, nihil ſubtile, nihil ſentiunt ſpirituale, ſed totum craſſum: incraſſatum eſt enim cor populi illius*. Super incraſſatum eſt cor Hæreticorum verba Dei de Sacramentis, & de alijs ſimilibus rebus dicta craſſo modò intelligentiũ: at fideles ſubtiliter capiũt ſubtiliter capiuntur, quia aliter olent catuli, aliter ſues. Hinc Propheta noſter in hoc 3. c. de Eccleſię Proceribus, & primis doctrinę Magiſtris locutus dicebat: *in luce ſagittarum tuarum ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ*. Verùm verba immutata videntur: potiùs enim de Apoſtolis erat prædicandum, quod irent in ſagittis lucis, quam in luce ſagittarum, in haſta fulgurante ſplendorem, quam in ſplendore fulgurantis haſtę: videtur enim in lucis ſplendorem pro armis aſſumere, & iaculorum virtutem, & haſtę robur derelinquere. Namquid Apoſtoli lucem ambiunt? Splendorem vſurpant, & virtutibus, quę iaculo, & haſta inueniuntur, pręferunt? Audi Cyrillum Alexandrinum in comment. illus loci. *Quia arma fulgebunt, ipſi illuminabunt docentes ignorantes*. Non aliter ſecantur vitia, & illuminantur populi, quam armis lucidiſſimis, & acutis: quia limato, & acuto Dei Verbo Apoſtoli docebant, ignorantes populos illuminabant: arma deſcrebant acuta, & limata nulla rubigine obtuſa: acumen in electis ſenſibus pro haſta vibrabant, & ſplendidam elocutionem pro ſagittis, quę ad pręcordia vſque penetrabant, quia ſubtili, & acuto ore feriebant, de illarum numero ſagitta fuit Ionathę, de qua dicitur 2. Reg. 1. v. 22. *Sagitta Ionathæ nunquam abijt retrorſum*. Cur ita? Acutè Hugo: *Acuta enim ſagitta non abijt retrorſum: obtuſa autem retrorſum abijt, quia non infigitur*. Verba acuta, & ſubtili ſenſu armata in cordis penetrali infiguntur: obtuſa verò, ruſtica, & inelegantia, quę nihil pręter ſonum continent, inutiliter iaciuntur, quia retrorſum abeunt, neque in animis imprimuntur. Ideò populos vulneratos cadere ad Chriſti pręedicationem pręſagiebat Dauid, quia ſubtiliter aculeatis ſagittis eos percuti videbat. *Sagitta tua acuta, populi ſub te cadent*. Pſalm. 44. verſ. 6. *Ideſt* (inquit Hieronym.) *Quia ſagittæ prædicationis tuæ acutæ ſunt, idcircò populi ſub te cadent*. Hinc etiam inflectit idem Hieronymus id, quod Deus præcepit Ioſue 5. verſ. 2. *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſrael*, ideſt, *fac tibi cultellos petrinos nimis acutos*. Ait Hieronym. Vbi Moralis Gloſ. colligit ſermonem eſſe de circumciſione ſpirituali ex illis verbis *circumcide ſecundò*, quia iam legalem circumciſionem adimpleuerant. At cur ad circumciſionem ſpiritualem iubet Deus Ioſue, vt cultellos nimis acuat. Audi Hieronym. *Quid eſt, quod tantopere cauet, ne habeantur obtuſi? Nimis ait acutos, vt videlicet non qui particulas corporis ſui ſenſu doloris abſcindant: ſed multa lima, atq; vſu cotis aſſiduo tenui acie mortiferos mentis ſenſus ſubtiliter diſcriminent*. Valdè namque acutum. & ſubtile verbum aptiſſimum eſt ad ſecandos mortiferos mentis ſenſus. Sermo inelaboratus, & obtuſus adeò eſt imbecillis, & inermis, vt ſæpiùs non vincat hoſtem; ſed manus ipſi det, at ſi limatus ſplendeat, & acutus penetret, facilè hominem vincit, & ad ſeruitutem Dei captiuet.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Difficultas ad condonandum hominem ignobilem, facilitas Dei naturam prædicat nobiliſſimam.

1. PRobroſæ infamiæ notam incurrit, qui iniurias ſibi illatas perſequitur; præclaræ laudis nobiliora æncomia acquirit, qui abundantiori pietatis vſura condonat offenſas, vtrumque à natura Deus & homo habent: nam illius nobiliſſimam conditionem eius miſericordia in remittendis iniurijs prædicat; iſtius autem infamiæ natales à retenta iniuria, & prætenſa vindicta innoteſcunt: ſic enim ipſi inuiſcerantur odia, quæ iniuria excitat, vt nullam ea deponendi ſpem relinquat. Cum Moyſes in deſerto Madian oues paſceret, vt myſteria, quæ ſcire oportebat, ediſceret, *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*. Exod. 3. verſ. 2. Meritò hic ambigunt Interpretes, cur in rubo, & non in alia proceriori planta Dominus Moyſi apparuerit: non enim decebat ſupremam Dei maieſtatem in tenui arbuſculo videri, maximè cum ad roborandum Moyſem, vt populum educeret, toto maieſtatis faſtu debuerit accedere. Lyra ideò putat Deum in rubo apparuiſſe, quia incapax erat fabricandi idolum,

ne populus exindè occaſionẽ ad idololatriam arriperet. *Erat enim populus Iſrael* (inquit) *ad idololatriam pronus, & ideò apparuit in flamma, qua non poteſt imagine figurari, & rubo, ſinè vepre quia in talibus non poteſt imago fieri, ne populus Iſrael. qui venturus erat ad locum illum, ratione dictæ apparitionis aliquid faceret ad idololatriam pertinens.* Placet, quod de flamma inquit Lyranus, ſed quod de rubo ſentit, non amplector: exiſtimo enim, in vepre, ac rubo, magno, & peruetuſto (qualis ille eſſet) decurſu temporis idolum poſſe confingi, & figurari. Cur ergo Deus, qui idololatriæ Iſraelitis occaſionem pręcidere volebat, in planta apparet, ex qua Iudęi ad idololatriam proni non difficilè Deum poſſent confingere? Arbitror, ideò in ſenticoſo rubo Deum apparuiſſe Iſraelitis, dum omnem idololatrię materiam ab eis relegare tentabat, quoniam optimè ſciebat, homines adeò eſſe infenſos ijs, à quibus læduntur, vt nequaquam in ſpinoſa planta, quę accedentes ad ſe lacerat, pungit, & aduncat, Deum efficerent. Adeò hominum natura eſt ignobilis, adeò inteſtina odia retinet, vt nec pictum, qui eos pupugit, intueri valeat. Venerationem, & cultum, quem rebus Dei apparitione acquirebat, propria amittere conditione erat neceſsè. Nam quis hominum amore proſequitur eum, qui ipſum offendit? Pręcaueat ergo Deus idololatriæ periculum, hominum ad vindictam, & odium propenſa natura: nam nullus eorum venerabitur plantam, quę ipſum lacerauit. Eadem mente pręcepit Deus Moyſi, vt ad ſanandos Iſraëlitas ex ſerpentum morſibus, æneum ſerpentem faceret, vt qui percuſſi illum aſpicerent, ſanarentur. *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, viuet.* Numer. 21. verſ. 8. Non vacat myſterio, quod Deus ipſe, qui Moyſi iniunxerat nullum ſculptile fabricare (vt habetur Exod. 20.) *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, ac eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra.*) Modò ipſi Moyſi præcipiat, vt ſerpentem æneum exaltet. Si ad præcindendam idololatriã omne prohibet ſculptile, quomodò hic ſerpentem fieri, & exaltari iubens idololatrię proximam occaſionem offert, & ad ipſam quaſi inuitat? Cur non veretur modò, quod tantopere anteà pręcauebat? Crediderim quia ſerpens iſte, quem modo exaltari iubet, eorum referebat imaginem, qui venenoſis morſibus percuſſerunt aſpicientes; exindèque nullum idololatrię imminebat periculum: eſt enim res difficillima, & penè impoſſibilis, quod homo eum diligat, & adoret, à quo priùs læſionem accepit. Quantumuis Hebręi ſanitatem accipiant ab æneo ſerpente, nullo pacto ad ipſius cultum propendebunt, quoniam eum, à quo læſi ſunt, nequeunt homines vel pictum aſpicere.

2. Iſaię 40. verſ. 1. poſtquam Deus populum propter peccata flagellauerat, iuſſit Prophetas illum conſolari, & attemperare ipſius mœrorem. *Conſolamini, conſolamini populum meum.* (Sic legit Oleaſter.) Cur obſecro ſi Deus populum plagis vulnerauit, non ipſe eum ſolatur, ſed Prophetas iubet illius triſtitiam moderari? Nullum enim ſolatium populo eſſet ingentius, quam ſigna dilectionis accipere ab illo, à quo ſupplicia, quæ patiebatur, acceperat? Cur Deus, qui miſeris condolet, & ſubleuare ipſorum miſeriam ſtudet, non ipſos conſolatur, ſed munus pijſſimę ſuę naturæ proprium Prophetis commendat? Conſultò Deus non per ſe ipſum, ſed per Prophetas populum, quem afflixerat, conſolatur: quia ſciebat, hominem adeò iniuriarum eſſe tenacem, adeò ad condonandum difficilem, vt nullo modò beneuolè reſpicere queat eum, à quo aliquid eſt perpeſſus, neq; ipſum Deum pacato animo aſpiciat, à quo iuſtiſſimè flagellatur, proindèque ab ipſo ſolatus conſolationem in odium vertet. Idcircò Deus pręcauens, & populi nouam offenſionem, & ſolatij, quod conferre decreuerat, irritum effectum, non per ſe, ſed per Prophetas, qui populo erant benefici, & amabiles, cum conſolari voluit: quia dum homo propriam retinet naturam, iniurias etiam retinere neceſsè eſt: alterius enim conditionis videtur, cum inimicitias deponit. Inde Regius Pſaltes ad Deum clamabat: *Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.* Pſalm. 5. verſ. 1. Quæ ergo Dauid tam inſtanter poſtulat, vt à Deo exaudiantur, quaſi Deus poſſet eius vocem non agnoſcere? Tam obtuſas Deus haber aures, vt voces, quas Dauid erat prolaturus, illius eſſe non percipiat? Audi Chryſoſt. *Quando oratur pro inimico, ea non ſunt verba hominis ſi ergo dicas: verba mea auribus percipe: dic ea verba, quæ ſunt hominis.* Quaſi plusquam homo ſit, qui pro inimicis orat, illis parcit, & iniurias condonat. Adeò pertinaciter homo vindictæ ardore ſuccenditur, adeò ingloriè, & ignobiliter belluinis iris ardet, vt non putetur homo, qui preces pro inuiſo ſibi inimico fundit. Humanitatem depoſuiſſe videtur, qui cum humanitate, & abſque ſæuitia vltionem non exequitur.

3. Vt ſaltem remuneratione ad iniuriarum veniam Chriſtus alliceret, dicebat Diſcipulis Matth. 18. verſ. 19. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cælis eſt.* Non parùm negotij faceſſit Interpretibus explicatio huius ſententiæ: etenim difficillimum intellectu eſt, quomodò conſentientes impetrabunt quamcumque rem petierint, poterunt namque rem inutilem, temporalem, imò noxiam, ac voluptuoſam poſtulare, & neceſsè videtur, vt illam impetrent: promiſſio enim Chriſti abſoluta eſt, neque vlla res eſt, quæ in promiſſione non contineatur. *De omni re,*

quam-

Digitized by Google

quamcumque petierint. Omnis namq; res nullam excipit. Quo ergo pacto ſi nociuum, & indebitum poſtuletur, illud etiam exequi Chriſtus pollicetur? Scio ſenſum litteralem: ſed moralem accipe Anaſthaſij Niſeni (quæſt.74.) ad noſtram theſim appoſitiſſimum: aduertit enim Anaſthaſ. recurrendum eſſe ad verba, quæ præceſſerunt. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum*. Ex quibus rectè explicantur hæc, quæ ſubſequuntur. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo*. Nempè: ſi duo ex vobis, is qui corripit, & qui corripitur, conſentiant, de omni re quamcumque petierint, illam impetrabunt: quia tam longè abſunt, vt ſibi deinceps conſentiant ob odium ab increpatione conceptum, vt ſecurus poſſit Chriſtùs Dominus illis quamcumque rem polliceri quantumuis arduam, imò & noxiam: nam vbi conditio ad impetrandum eſt conſenſus, & pax reprehendentis, & reprehenſi, quaſi certum eſt nunquam adimplendam conditionem ad impetrandum requiſitam: & ita ſecurè quiduis illis potuit promitti. Cum is, qui increpando alium arguit, nunquam conſenſurus ſit cum eo, qui increpatur, & arguitur: indè fit, vt ſecurè poſſit Chriſtus promittere, quod omne id impetrabunt, in quod conſentientes petierint. Adeò difficiles ſunt homines ad conſentiendum interſe, vt cum alius alium contumelioſè, increpat, nulla deinceps conſentiendi maneat ſpes: quaſi homo laceſſitus humanitati renunciauerit, & monſtri ignobilis naturam induerit:

4. Quam longè ab hac hominum pertinacia, & ignobili parcendi difficultate Dei natura inuenitur! Si enim *glorioſum eſt iniurias obliuiſci*, vt dixit Auguſtin. ſerm. 16. de verbis Domini, quibus condignis æncomijs Dei noſtri nobiliſſima natura commendabitur? Non ſolùm ipſius miſericordiam non retardant iniuriæ, quæ ipſi irrogantur, ſed ad parcendum ſtimulant: hoc enim magnanimæ naturæ, diuinioris gratiæ, auguſtioris nobilitatis argumentum eſt. Quæſtio eſt maximè exagitata inter Theologos, an ſi Adamus non peccaret, Deus aſſumeret carnem? Opus enim incarnationis amoris fuiſſe nemo dubitat: ſed ſciendum ſupereſt, an præcipuè fuerit amicorum amor, vel inimicorum potiùs. D. Paulus propter inimicorum amorem Deum ad terram deſcendiſſe affirmat. *Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius &c.* ad Rom. 5. v. 10. Sic de facto accidit: attamen quæſtio exagitatur caſu, quod neq; Adamus, nec aliquis eius filius peccaret, ſed omnes Sancti, & amici Dei eſſent, nullumq; Deus haberet inimicum: vtrū ſcilicet, in illa hypotheſi, pro ſolis amicis veniret? Non omnes in eadem ſententia conueniunt. S. Tho. 3. par. q. 1. a. 3. in eo caſu non venturum affirmat, cuius ratio ea eſt, quia in rebus, quæ pendent ex volontate, iudicare debemus per ea, quæ nobis ſunt reuelata, & cum ſcriptura paſſim clamet, Deum non veniſſe iuſtos quærere, ſed peccatores, probabile videtur, quòd ſi non eſſent infirmitates culparum, Deus ad ipſarum medelam carnem non aſſumeret. Nam ſi non eſſet peccati captiuitas, ad quid Redemptoris munus Deus aſſumeret? Contrarium non leui fundamento alij opinantur, arbitranturque, etiam ſi Deus non haberet inimicos, propter amicos vt illos nobilitaret, & cumularet fauoribus, carnem aſſumpturum. Si Præceptoris angelici ſententiam teneamus, euidenter ex illa, colligitur nos illum Deum habere, qui pro inimicis fecit id, quod pro amicis non feciſſet. Si oppoſitæ aſſentiamus, etiam ex illa infertur, Deum pro maximis inimicis id feciſſe, quod pro maximis amicis poſſet facere, adeò enim Deus ad benefaciendum inimicis propendet, adeò de iniuriarum venia gloriatur, vt ingenitæ ſuæ nobilitatis ſtemmata inimicorum dilectione cognoſcantur. Hùc ſpectat illud Petri Celleuſ. lib. de panibus cap. 1. ſententiæ D. Thomæ adhærentis. *Non inclinaret cœlum partus Virginis, ſi pomum prohibitum non contingeret Euæ tactus temerarius*. Hùc etiam reſpicit id, quod dubitat D. Greg. Nazianzen. orat. de Natiuit. cur ſcilicet tamdiù expectauit Verbum Diuinum, vt carnem aſſumeret, & in mundum veniret? *Quia* (videlicet) *malitiam, vt tolleret, humanam vitam erat ingreſſurus, expectauit neceſſariò, vt omne ab inimico ſatum, propagatumque peccatum germinaret, ac tunc demum, vt legitur Euangelio, radici ſecurim admonit*, Adeò longè ab eius amore fuit, vt iniurijs, & inimicitijs frigeſceret, quod potiùs expectauit, vt creſcerent, quia earum occaſione ipſius erat nobilitanda clementia. Adeò Dei pietatem noſtra crimina ex occaſione extulerunt, vt non ſatis ipſi videretur amore inimicos proſequi, niſi etiam eorum iniurias, quas concupiſceret expectaret.

5. Sic nobiliſſima Dei natura procliuis eſt ad iniurias condonandas, & parcendum inimicis, vt pro illis Vnigenitum ſuum ſub ignobili hominis forma daret cum periculo illum amittendi, ſi eius Diuinitas non obſtaret, vt egregiè dixit D. Ambr. lib. de Iacob, & vita beata cap. 6. cuius verbis, vtpotè pulcherrimis nihil parcendum duxi. *Sed vereris* (inquit) *dubios vitæ anfractos, & aduerſarij inſidias, cum habeas auxilium Dei, habeas tantam eius dignitatem, vt Filio proprio pro te non pepercerit. Pulchro verbo vſa eſt Scriptura, vt Dei Patris erga te pium propoſitum declararet, qui morti pro te totum obtulit, quod in Patre fuit, nihil ſibi ipſe reliquit, totum pro te obtulit, quod enim plenitudine Diuinitatis non amiſit, & ipſe redemit. Conſidera affectum Patris, quod pietatis eſt, quaſi morituri filij ſuſcepit periculum quaſi*

orbi-

Digitized by Google

orbitatis ſumpſit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tam fuit Domino ſtudium tuæ ſalutis, vt propè modum de ſuo perielitaretur, dum te lucraretur, ille pro te diſpendium ſuſcepit, vt te Diuinis inſereret, cœleſtibus conſecraret. Quid exaggeratiùs ad, redundantiam benignitatis Diuinæ ponderandam? Non videbatur humanum captum capere poſſe, quæ Ambroſius pia audacia excogitauit, vt Dei erga homines effuſam miſericordiam exaltaret. Vetus quæſtiuncula eſt, an dæmon agnouiſſet Chriſtum Dominum Dei Filium eſſe, dum fuit in carne poſſibili, & ferè omnes Theologi cũ S.Tho.3.p.q.19.art.1.ad 3.aſſeruntillum nõ cognouiſſe neque in præſepio, neque in vitæ diſcurſu, neque miraculorum magnitudine: quia (vt ait Ambroſ.in Luc.c.4.) *Venturum quidem ſciebat, ſed per carnis infirmitatem non putabat.* Cum miracula patrare videbat, dubius extitit, an Dei Filius eſſet, inquit S. Thom. *Viſis miraculis ex quadam ſuſpitione coniecturauit eum eſſe Filium Dei* .3.p. qu.44.art.1. ad 2. At in eius paſſione ſacratiſſima, cum eum vidit ineffabili amore opprobria, & calumnias ſuſtinere, & pro inimicisdeprecari, *Tunc nouit* (inquit D.Thom.) *eius Diuinitatem*. Illum ipſum, quem diabolus non agnouit mira operantem, dura ab inimicis patientem, & pro illis obnixè deprecantem cognouit: hoc enim egregium benignitatis opus nobiliſſimam Dei prędicabat naturam, & quem mirifica portenta ignotum reliquere, effuſa in iniuriantes pietas manifeſtauit. Quod opportunè notauit Chryſoſtomus ad illud Actor. *Multa etiam turba Sacerdotum obediebat, fidei. In quo* (ait) *eluceſcit infinita miſericordia Chriſti, quòd illos conuertere dignatus eſt, à quibus tam importunè, atque crudeliter fuit expetitus ad mortem.* Idcircò ſacer Hiſtoricus notanter aduertit, non ſolùm laicos obedire fidei, ſed etiam Sacerdotes vt Chriſti clementia, & ipſius naturæ nobilitas eluceſcerent, dum eos ipſos conuertebat, à quibus ad mortem expetitus fuerat. Tam illuſtris perfectio eſt iniuriarum indulgentia, vt ipſa Deus ſuam nobilitatem, & generoſam indolem commendare conetur.

6. Præcepit Deus Moyſi, & Aaroni, vt petram alloquerentur. à qua aquarum ſcaturigines erant effluxuræ, vt populus reficeretur: percuſſit autem Moyſes virga ſilicem, & egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus, & iumenta biberent. Sed tunc Deus: *Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filijs Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis: hæc eſt aqua contradictionis, vbi iurgati ſunt filij Iſrael contra Dominum, & ſanctificatus eſt in eis.* Numer. 20. verſ. 12. Locus planè difficillimus nam non conſtat, cur Dominus in Moyſem, & Aaronem ita excanduerit, vt illos à promiſſa, & tot delitijs referta terra relegauerit. Difficilè namque eſt inuenire, in quo Sancti fratres peccauerint, vt tam ſeuerè à iuſtiſſimo Iudice puniantur: non enim appatet, quomodò verbis Domini non crediderunt, aut in quo ipſum non ſanctificauerunt coram filijs Iſrael, vt propterea priuatione in promiſſam terram ingreſſus plecterentur. Mitto multa, quæ hic dicuntur, & Diu. Auguſt.quæſt.19.in Numer. ſententiam teneo, qui ideò tam ſeuerè punitos fuiſſe autumat: *Non quod dubitarent de Dei potentia, ſed quod populum iam rebellem iudicarent indignum hoc miraculo, & an pro incredulis Deus miraculum faceret, vel ob grauitatem delictorum bonitatem ſuam ſuſpenderet.* Quaſi dicat: Dubitauit Moyſes, an Deus cum infenſiſſimis hoſtibus vellet vti beneficijs, & miraculis, quæ amicis largiri ſolebat: in quo maximè Deum offendit indignè de eo ſentiens, exiſtimans ob multitudinem, & grauitatem delictorum populis illis negaturum beneficium aquæ, quod poſtulauerat, & forſan ſuſpenſurum ſuæ bonitatis concurſum populo tam incredulo, ac rebelli, qui dum actu beneficia à Deo expoſtulabat, blaſphemabat de illo. Indignè enim, & cum offenſione de Deo ſentit, qui ad miſericordiam putat iniurijs retardari, cum potiùs ipſis ſtimuletur ad veniam, quia vltima ipſius laudis, & nobilitatis exaggeratio eſt, in aduerſarium, & maleuolum beneficijs inſurgere. Quod optimè indicant verba, quæ ſubſequuntur. *Hæc eſt aqua contradictionis, vbi iurgati ſunt filij Iſrael, contra Dominum, & ſanctificatus eſt in eis.* In quo Deus ſanctificatus fuit, vbi à populo blaſphematur? Fortè populi murmuratio Dei laus, & ſanctificatio fuit? Si Moyſes, & Aaron diffidentes non crediderunt, & ingratus populus incredulitatis ipſi arrogauit iniuriam, quomodò ſanctificatus dicitur? Eleganter Bathab. ad dubitationem. *Sanctificauit ſeſe Deus in illis, & apparuit glorioſus filijs Iſrael ſuperando incredulitatem eorum.* Glorioſum ſe populo Deus oſtendit magnitudine ſuæ clementiæ ingratitudinem populi, & peccatorum malitiam vincens, ex occaſione populi, & peccatorum malitiam vincens, ex occaſione populi iniuria, & Moyſis diffidentia Dei miſericordiam nobilitarunt, quoniam cum vidiſſent neque eorum ingratitudine, neque Moyſis dubitatione indignatum Deum beneficiorum concurſum ſuſpendiſſe ſuorum, tantæ clementiæ ſuccumbentes clamauerunt: Domine te hodie ſolum oſtendis clementiſſimum, ſiquidem tua clementia peccata noſtra ſuperat, & nunquam glorioſior quam hodie apparuiſti, quia non ſolù n inimicis pepercisti, ſed ex ſilice aquarum fontes eduxiſti. Adeò bonus es, vt exiſtimes ſanctificari, cum noſtra delicta condonas, & glorioſum reportare triumphum, cum noſtra crimina vincis, in quo planè oſtendis tuam nobiliſſimam naturam. *Sanctificauit ſeſe in illis, & apparuit glorioſus filijs Iſrael ſuperando incredulitatem eorum.* Quaſi Dei laus,

ſan-

ſanctificatio; & gloria in eo ſit, quod calumniantem foueat, & beneficus erga hoſtes oſtendatur. Vndè dixit Tertullianus lib. 1. aduerſus Marcion. c. 27. de Deo locutus. *Quid adulantiùs, quam iniurias non exequi?* Adulatio immodica ſolet eſſe laus, & quæ merita excedit perſonæ, exindèque exaggeratio laudis adulatio dicitur, quo africanum acumen exaggerat, quanti Deus faciat iniuriarum indulgentiam, nam ipſius gloriæ, & nobilitatis adulatio dicitur, quia nullo alio tam honoratur ſtemmate. Hac autem eadem laude ipſum exaltat Vates noſter, dum eum ab Auſtro venturum prædicit, quia Auſter benignus eſt ventus, qui omnia fouet, omnia fœcundat, atque exhilarat, in quo Dei noſtri bonitas, & effuſa erga inimicos clementia optimè deſcribitur. *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan.* Hic verſ. 3.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Placida manſuetudo fortior perſuaſionis energia eſt.

1. Deus ille, qui ad ſubiugandum mundum in humana forma erat venturus, ab Auſtro venire perhibetur, non ab Aquilone. *Deus ab Auſtro veniet.* Quia Auſter benignus, & placidus ventus eſt, cuius lenitas, & manſuetudo hyemis aſperitatem frangit, terram vtiliter fœcundat, atque germinare facit. Aquilo vero, quia aſper, & ingratus aſpirat, fructus, & herbam glacie & pruina decoquit. In vtroque autem optimè, quid interſit inter Superioris manſuetam, aut aſperam conditionem, deſcribitur, nam qui ſapientiam, & doctrinam acriter, & inſuauiter adminiſtrat inidoneus eſt, quia potiùs audientium corda, & animos indurat, ac frigefacit, qui autem lenitate afflat, vberes doctrinæ fructus reportat: nam ſemina virtutum non vento ingrato, non acre procellis agitato, non turbinis aqua nutriuntur, ſed ſudo cœlo, ſereno aere, & imbre guttatim, ac leniter ſtillato. Hinc locutus Michæas de Apoſtolorum prædicatione dicebat: *Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum, quaſi ros à Domino, & quaſi ſtillæ ſuper herbam.* Cap. 5. v. 7. 70. vertunt. *Quaſi agni ſuper gramen.* Vtrumque autem ad Apoſtolorum prædicationem appoſitiſſimè inflectit Hugo Card. *Stillæ fuerunt gramen irrigantes, & agni ſibi, vel Chriſto cum manſuetudine incorporantes.* Manſuetudine agni his, quos ad Chriſtum trahere conabantur, lenocinantes, pacato ſtylo, & placido vultu eos reducebant, ipſiſque, ſicut ſtillæ herbæ, erant proficui. Etenim vt imber magno effuſus impetu ſata perdit, & non irrigare ſolet, ſed eradicare, modicis autem guttulis ſtillatus in terra viſcera blandè, & vtiliter illabitur ſegetes alit, lætificat, ac fœcundat: ſic planè Prælati, qui nimis ſeuerè corrigunt, conterunt quidem, & perdunt: qui verò leniter obiurgant, manſuetudine ſubditos emendant, & ad meliorem frugem traducunt. Idcircò Moyſes priores legis tabulas, quas inter tonitrua, fulgura, & terrores accepit, confregit: poſteriores verò, quæ ſereno Sole, & placido vento accepit, integras ſeruauit, quia ex primis, quæ minitantibus ſignis datæ ſunt, nullum obſeruantiæ fructum ſperabat, illas verò, quæ abſque ſeueritatis timore ſunt traditæ, obſeruandas forè præſagiebat. Hinc etiam Iſaias vberes Euangelij fructus feſtinè præuidens dicebat. *Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces.* Cap. 2. v. 4. At cur arma in vomeres, & lanceas conflanda eſſe prædicit, vt felicitatem Euangelicæ legis prædicet? Cur Apoſtolorum verba, quæ arma fuerunt, quibus totus mundus deuictus eſt, vomeres, & falces Propheta nuncupat? Niſi quia vomer, ſi terra non humefacta ſit lenis, nihil efficit: falx non educitur, niſi cum meſſis colligenda eſt. Sunt ergo verba lenia, & manſueta vomeres, & falces, quoniam mitibus nunquam deficit terra irrigua, & fructibus plena, qui enim pacificis verbis allicit, & reducit, vel ſaxum obſtinatum emollliet. Si pectora indurata inuenerint placidæ doctrinæ voces, terram irriguam, & diſpoſitam efficient, & maturos fructus reportabunt.

2. Poſtquam Chriſtus Dominus Philippum ad Apoſtolatum vocauit, inuenit iſte Nathanaelem, dixitque ei, ſe inueniſſe IESVM filium Ioſeph à Nazareth, quem Moyſes, & Prophetæ in lege ſcripſerunt, quod cum irrideret Nathanael dicens: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Ait Philippus: Veni, & vide.* Videns ergo IESVS Nathanaelem venientem ad ſe dixit de eo: *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Cui Nathanael: *Vndè me noſti? Reſpondens autem IESVS dixit: Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu vidi te:* Tunc autem Nathanael inclamans reſpondit: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael.* Ioan. 1. verſ. 46. 47. 48. 49. Facilis videtur hic Nathanaelis aſſenſus, nondum enim Chriſtum viderat miracula patrantem, paulò antea de ipſo non benè ſentiebat, & habebat firmum, à Nazareth nihil bonum poſſe exire. Quid ergo hominem alioqui ſapientem incitauit, vt tam repentè crederet? Conuiriatus fuerat Chriſto Nathanael, & tamen cum Chriſtus non torno ſupercilio, non virulentis verbis impetit, ſed blandis, & honorificis laudat, hæc autem Chriſti manſuetudo tam grata fuit Nathanaeli, vt ſtatim ipſius aſſecla adſcriberetur,

retur, & eum verum Iſrael Regem exclamaret, vera enim doctrina non amarulentis ſermonibus ſuadetur, quia aſperiora verba ſpinoſitate pungunt, non emolliunt, auertunt, non alliciunt, irritant vulnera non ſanant, verum pacata doctrina, & quæ placida mulcet, feliciter perſuadet, & induratos animos reducit. En Chriſtus cum Samaritana ſedet ad puteum, & aquam petit, non vt bibat, ſed vt anſam accipiat eam inſtruendi, ſitiebat enim eius ſalutem, ipſius conuerſionis deſiderio æſtuabat. Petit ergo, at illa inuerecundè reſpondit: *Quomodò tu Iudæus cum ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* Ioann. 4. verſ. 9. Verùm vicit Chriſti manſuetudo illam ſuauiter mulcens, quæ tandem iam proſtrata dixit: *Domine neque in quo haurias habes.* Cur iam Dominum vocat, & reueretur, quem paulò antè tanquam Iudæum execrauerat? Vndè mulier, quæ ſaxeum vitiorum opitulante multitudine habebat cor, tam citò ad Chriſti verba liqueſit? Audi Caietan. *Audita manſuetudine, ac placida reſponſione IESV incipit honorare IESVM, prius enim dixerat: Quomodò tu? Modò dicit: Domine.* Placata ſuadentis manſuetudo affectum emollinit ad conſenſum, & ferreum, atque obduratum cor allexit, mira enim vis docentis lenitati ineſt ad corda inuertenda, quietum ſuadentis eloquium, quidquid prætendit, conſequitur.

3. Orabat amaro animo paulò poſt futura mater Samuelis Anna, cui cum dixiſſet Sacerdos Heli: *Vſquequo ebria eris digere paulisper vinum, quo mades.* 1. Reg. 1. verſ. 14. ſic illa reſpondit: *Nequaquam Domine mi, nam mulier infelix nimis ego ſum, vinumque, & omne, quod inebriare poteſt, non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini.* v. 15. Quid tunc Heli? *Vade in pace* (inquit) *& Deus Iſrael det tibi petitionem tuam, quam rogaſti eum.* v. 17. Mira hæc fuit Sacerdotis mutatio, nunc temulentam, & ebriam vocat, & iam Deum exorat, vt eius votis annuat? Vndè tam ſubita cordis inuerſio? Cuius orationem modò deſpiciebat, tanquam mulieris vino ingurgitatæ: modò deuotionem extollit, & commendat? Conuitijs Heli iactatis Annam impetierat: Anna ipſum conuitiantem Dominum vocat eiuſque ſe ancillam profitetur, hæc autem manſuetudo fecit, vt ex accuſatore Sacerdos redderetur aduocatus. Hæc lenitatis energia eſt, vt vel duros animos emolliat, diuerſiſque habitibus induat. Mitiſſimè Anna contumelioſa verba audiuit, & dura placidis compenſauit, huic aduerſum animum ſibi conciliauit, quod neutiquam efficeret, ſi Sacerdotem amarulentis verbis repercuteret, nam pro miraculo habetur, quandocùnque aſperioribus verbis animus obſtinatus reducitur. Cæteros Diſcipulos verbis placidis, ac beneuolis Dominus ad ſe vocauit, vnum tamen Paulum proſtrauit in terram, & cæcitate percuſſit. *Et ſubitò* (inquit. text.) *circumfulſit eum lux de cælo, & cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris, &c.* Actor. 9. D. Auguſt. epiſt. 50. ad Bonifac. poſtquam diſcrimen ponderauit inter Pauli, & cæterorum Diſcipulorum conuerſionem, tandem admirabundus concludit. *Mirum eſt, quomodò ille, qui pœna corporis ad Euangelium coactus intrauit, plus illis omnibus, qui ſolo verbo vocati ſunt, in Euangelio laboraret.* Adeò innatum hominibus eſt rigore, & ſeueritate non proficere, vt miraculum ſit plus Paulum in Euangelio laboraſſe cæteris Apoſtolis, cum ad illud rigore, minis, & acerbitate vocatus fuerit. Mirum planè eſt, & miraculi ad inſtar Diſcipulum proficere à Magiſtro tam aſperè laceſſitum, & mirum eſſet, cæteros Apoſtolos lenitate vocatos non reſpondere.

4. Loquens Euangelicus Propheta Iſaias de Chriſti mitiſſima natura dicebat: *Calamum quaſſatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet, in veritate educet iudicium, non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium, & legem eius inſulæ expectabunt.* Cap. 42. verſ. 3. Non facilè intelligitur, quo pacto hæc, quæ de Chriſto dicuntur, inter ſe cohæreant, nam quæ connexio erit inter Chriſti manſuetudinem, quæ tanta eſt, vt quaſſatum iam calamum, & qui vſui nequit inſeruire, non confringat, neque extinguat lignum fumigans, cuius grauis, & noxius odor eſt, cum eo quod propter hoc eius legem cum magna auiditate expectent Inſulæ. Rectè Oleaſt. huiuſmodi verba commentatur. *Vides* (inquit) *quanta ſit manſuetudinis vis, ſolent Inſulares eſſe indomabiles Cretenſes.* Vel ferini mores, quales Inſulanis inſunt, manſuetudine ſubiugantur, & legem alacriter perferunt de ſuaui regimine venientem.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Comitas ingenuitatis, ac dignitatis illuſtrius ſtemma eſt.

1. FErè ſemper ignobiles ſanguine, & natura inciuiles eſſe ſolitant, & inurbanitatis nota fœdantur. Generoſus, & nobilis valdè de vrbanitate curat, & ſuæ ingenuitatis illuſtre præbet inſigne in vrbanitate, & politicis obſequijs, quibus erga omnes ſe gerit, hæc enim naturaliter prima nobilitatis eſt nota. Nulla inter volucres metuit principatum, niſi Aquila, de qua Pierius lib. 19. cap. 3. comitatem, & modeſtiam commendauit, quibus & Ioui ſacrari, & regina auium con-

conſtitui promeruit. Ales, quæ modeſtia, & vrbanitate cæteras antecellit, meritò nobilitatem primam, & præfecturam obtinet, quia hæc præcipua ſuperioris eſt virtus, vt dixit Chryſoſt. hom. 84. ſuper acta Apoſtolor. *Comitas, & manſuetudo præcipuè eos ornat, qui in poteſtatibus ſunt*. Ciuilior hæc vrbanitas, qua Theodoſius erat præditus, ipſum ad imperium euexit non ſolùm non requirentem, ſed requiſitum, vt cecinit Claudianus. *Solus meruit regnare rogatus*. Idem de Auguſto, & Conſtantino ſolet ſcribi, quia hæc ſola politiæ comitas compendium ſolet eſſe meritorum. Nimis vrbanè, & politicè ſe geſſit Abraham cum illis viris, quos in domo ſua perhumanè excepit hoſpitio, poſtquam enim pia humanitatis obſequia illis exhibuit, Sodomam verſus ituros ipſos Patriarcha comitabatur. *Et Abrahã* (inquit text.) *ſimul gradiebatur deducens eos*, Gen. v8. v. 16. in Hebræo eſt *ad mittendum eos*, quia officiosè, & comitèr ad ſimilitudinem mittentis cum ipſis gradiebatur, non vt ſe ab hoſpitibus, qui faſtidioſi eſſe ſolent, exoneraret, ſed vt liberali vrbanitate honoraret ipſos. Poſtquam autem tam eximiè eos tractauit, vox Dei auditur dicentis: *Num celare potero Abrabam, quæ geſturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam, ac robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ?* Et cur poſt vrbanum Abrahæ comitatum ipſius egregiam dignitatem, & primatum ſuper numeroſas gentes Deus commemorat? Cur nunc quaſi coactus nobilitatis inſignia, & dignitatis honores reuelat? Auſculta Oleaſter, *Sancti viri non ſolùm Sancti ſunt, ſed etiam vrbanitatem norunt: abhorret Deus à Sanctis inciuilibus*. Porrò liberalis Abrahæ comitas Deum allexit, vt illius dignitatis tunc meminerit, quia illius intuitu ad tantæ maieſtatis faſtigium eum euexit. Nobilitatem muneris quamdiù profunda taciturnitate celauerat, tunc detexit, cum diſſertæ politiæ honeſtamento adornatum vidit Patriarcham, quaſi hæc vna virtus cęterarum ad dignitatem exigendarum eſſet compendium.

2. Mirum eſt, quam ſedulò, quam ſtudioſè educationem Moyſis Deus curauerit: illum enim ad Nili fluenta iactatum ad domum regiam perduxit, vbi (vt ait Flauius Ioſeph lib. 2. cap. 25. ad illa verba epiſtolæ ad Hebręos 11. *Moyſes grandis factus eſt*) Magna politia fuit eruditus; *educabatur quam accuratiſſimè*. Si autem inquiras cur Deus decreuerit Moyſem in domo regia Pharaonis educari, ſiquidem non minori, quam mortis, periculo illic erat expoſitus, maximè ſi Pharao ſcribæ Regis crederet prænuncianti Moyſem exitioſum forè Ægyptijs? Reſpondet Thena. in c. 1. ad Heb. diffic. 15 *Vt in regali curia in virum vrbaniſſimum euaderet*. Regia vrbanitate Moyſi opus erat, vt dignus populi Princeps conſtitueretur: igitur in aula regia, vel cum mortis periculo, accuratiſſimè educetur, ne comitate, regia virtute careat Dux futurus, præſtat enim Princeps, & qui cæleſti politia ſunt imbuendi, prius vrbanitate humana erudiri: nam virtus comitati non renunciauit, quin potiùs in virtutis ſchola prompta comitas docetur. Nullus Paulo in cæleſti doctrina politior: ille autem ad Philipp. ſcribens ſic exorditur epiſtolam. *Paulus, & Timotheus ſerui IESV Chriſti*. Cap. 1. verſ. 1. Similiter ad Philemonem. *Paulus vinctus Chriſti IESV, & Timotheus prator, &c.* Cur in his epiſtolis nomen Apoſtolatus omiſit Paulus, quo in alijs frequenter vtebatur? Fortè veretur Apoſtolum nominari, & dedignatur munus Apoſtolicæ ſortis, & dignitatis fateri? Non inquam comitate, & politia plenus erat Paulus; vtpotè, qui ad tantam Apoſtolatus dignitatem fuerat euectus; quin ergo Timotheus, qui etiam perſcribebat epiſtolas Apoſtolus non erat, vrbanitatis cauſa illud glorioſum Apoſtolatus nomen comiter omiſit: nihil enim tam auxiè in ſuperioribus requirendum eſt, ac ciuile politiæ ſtudium, egregia vrbanitas, & conſpicua comitas: hoc enim de ſuprema Magiſtri doctrina venit imitandum.

3. Ægrotante Lazaro ſorores eius Martha, & Maria Chriſtum Dominum certiorem fecerunt de infirmitate fratris, vt qua ſolebat pietate ipſi accurreret. *Miſerunt ergo ſorores eius ad eum dicentes: Domine ecce quem amas infirmatur*. Ioann. 11. verſ. 3. Quod miſerint, epiſtolam, an nuntium, textus non exprimit Maldonatus non epiſtolam, ſed nuntium miſiſſe arbitratur: quia ex Hebræorum, & Græcorum more, *mittere* ſignificat nuntios, ſicut apud latinos *legare*: & ex contextu liquet non epiſtolam, ſed nuntium ad Chriſtum ſorores miſiſſe: dicit enim Ioannes: *Audiens autem IESVS dixit*. & iterum: *vt ergo audiuit, quia infirmabatur*. Etenim ſi epiſtolam legeret, non diceret Euangeliſta: *Vt ergo audiuit*: ſed *vt ergo legit*. Maldonato aſſentiunt graues Auctores, qui cenſent, Chriſtum Dominum non per epiſtolas, ſed per verba docere conſueuiſſe, vt tenet D. Thom. 3. p. quæſt. 42. art. 4. & eſt communis Sanctorum Patrum ſententia. Sed cur non per epiſtolas docuit, vt eos inſtrueret, ad quos verba non pertingebant? Crediderim epiſtolas non recepiſſe, quia eis non erat reſponſurus: inciuilitas quippè eſt epiſtolas accipere, eiſque non reſpondere (vt inquit D. Hieronym. epiſt. 37.) & in Chriſto eſſe non potuit, quippè qui & Deus, & Princeps erat. Hinc à Baronio Agauari epiſtola, quæ communiter circumfertur, & Chriſti eſſe creditur, inter apocryphas ſcripturas numeratur. Tam ſtudioſus fuit Chriſtus Dominus huius virtutis, vt epiſtolas non admiſerit, neque ſcripſiſſe conſtet: quia cum ipſis non reſpondere præſtaret, eas recuſauit, ne inurbanus videretur, qui tam attentam, & ciuilem

Digitized by Google

politiam ſemper obſeruauit etiam cum inciuilibus, & inurbanis. Poſtquam enim quinque millia hominum pauit in deſerto, Diſcipuloſque coegit, vt in nauem aſcenderent. *Ipſe* (inquit text.) *dimiſit populum*. Marci 6. v.45. Græca lectio non ſignificat ſimplicem dimiſſionem, ſed dimiſſionem benignam, & vrbanam, qua amicis recedentibus valè dicimus: ita quod IESVS more celebrantium conuiuia beneuolè, & comiter populum emiſerit. Et cur ignobilem turbam, & agreſtes homines tam humaniter Chriſtus dimittit? Cur promiſcuum, & illiberale vulgus tanta vrbanitate proſequitur, vt dicat Caietanus, quod in hoc diſceſſu. *Maxima IESV comitas etiam ad ruſticos commendatur*. Niſi quia Iſrael, & totius orbis digniſſimus erat Rex: ideò nobilitatis ſtemmata in comitate etiam circa agreſtes, & ruſticos demonſtrabat: cum abiectis homunculis vrbanus erat, ne inciuilitatis næuo fœdaretur. Sic cum ſupremus eſſet Princeps, ad humaniſſima ſuorum obſequia deſcendit. *Sciens IESVS, quia omnia dedit ei Pater in manus &c. ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua*. Ioann.13. verſ.3. Quid refert ſe Dominum, & abſolutum Principem agnoſcere, vt ad grata humilitatis ſe paret officia? Quid omnia poſſidere, vt obſequioſo famulatu ſuos alliciat? Audi D. Greg. hom. 40. in Euang. *Sciebat quia omnia dedit ei Pater in manus: inter quæ omnia & ipſum traditorem, & eos, quibus tradendus erat, vt de his omnibus, quæ vellet faceret, malumque eorum ſua potentia converteret in bonum*, Iudam agnouit obſtinatum, duroſque Iudæos, & vt eos reduceret, comitatem, & manſuetudinem ſuæ potentiæ adiunxit, & quia ſuperior erat, & quia compertum habebat incorrigibilem prorſus eſſe, qui vrbanitate obligatus adhuc maneret inconuerſus: comitatis meritò obſtinatos voluit allicere, & ſe omnium Dominum oſtendere. Quod & noſter Vates intendit, nam vt ipſius Diuinam. ac nobiliſſimam prædicet naturam, ab Auſtro, qui ventus eſt lenis, & manſuetus, venire perhibet. *Deus ab Auſtro veniet*. Hinc verſ.3.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Principis crudelitas, & odium gignit, & Regnum euertit.

1. R*Egia crudelitas* (aiebat Seneca lib. 1. de clementia c.9.) *auget numerum inimicorum: Regibus certior eſt ex manſuetudine ſecuritas*. Timor qui ex crudelitate reſultat, amorem extinguit, nemo enim amat, quem formidat. Vndè dixit Sidon. Apollin. lib.1. epiſt.2. in laudem ſui Regis. *Theodoricus timet timeri*. Vbi ſubditorum amor deficit, præceps regnum nutat ad ruinam, nullus enim fidelior cuſtos Principis eſt, quam ſubditorum amor, vt dicebat Claudianus.

Non ſic excubiæ, non circumſtantia tela.
Quàm tutatur amor.

Et idem Seneca eodem lib. c.19. *Saluum Principem in aperto clementia præſtabit: vnum erit inexpugnabile monumentum amor ciuium*. Noluit enim natura, vt ſupremi Principes offendere poſſent, ne in odium incidant reipublicę, & propterea Rex ab apibus electus aculeo caret, quia non indiget armis, qui amari indiget. Sic refert Ariſtot. Hiſtor. lib. 8. Animal. omnium placidiſſimum, ac mitiſſimum eſſe elephantem: tanta enim eſt illius manſuetudo erga debiliora animalia, vt gregatim occurrentia pecora paulatim permoueat, atque ſegreget, ne imprudens illa conculcet, atque proterat: quæ quidem clementia à proceritate qua pollet prouenit, ipſaque omnia animantia allicit. Suauis dominatio non ſolùm imperium firmat, ſed quod violenta, & exaſperans non aſſequitur, feliciter concludit, & imperioſa manſuetudine omnium animos ſibi conciliat. Hæc enim ſcientia ſuperiorum eſt, non omnia vulnera medicamentis hiſpidis curare, non cauterijs eorum malitiam abſumere, non ferro reſecare, lenitate enim plerumque meliùs medentur. Semel tantùm Deus mundum illo vniuerſali, & vindicatiuo naufragio puniuit, & ex illo aſperrimo ſupplicio quaſi pœnitens non vltra huiuſmodi pœnis vti iurauit: niſi enim ſuperior multa pepercerit, ſubditis carere, neceſsè eſt: nam & formidini Silæ ita cruentæ, ac tyrannicæ fuit, qui aduerteret, aliquos impunitos relinquere, vt haberet ſuper quos imperaret. Diuina virtus clementia dignoſcitur, nam ex conſortio Moyſis cum Deo non tantùm lucem acquiſiuiuit, ſed ſuauitatem regiminis. Nunquam in Deo incarnato niſi ſemel eius inimici ſeuerum vultum viderant, ſed ſuauitate, & dulcedine perfuſum: vndè anſam illis præbuit, vt eum calumniarent ſe Regem fieri voluiſſe non irrationabiliter, nam nulla proprietas debet eſſe Regi connaturalior, quam manſuetudo, & dulcedo.

2. Iunilius Africanus (lib. 2. de partibus Diuinæ legis) quæſtionem excitat, an nobis conſtet ignem in prima rerum conditione creatum fuiſſe, & quomodò id non inueniatur in ſacra pagina? Multorum opinio eſt, Deum, cum lucem condidit, ignem creaſſe, & in Solis, Lunæ, ac ſiderum creatione eſſe incluſum. Cur igitur ſi ita accidit, id non exprimitur, & ſicut cæterorum luminum, ignis mentio ſpecialis non habetur? Præſertim cum pars vniuerſi ſit principalior, & quæ quaſi vniuerſalis cauſa, & elementaris portio influit? Cur lucis,

non

Digitized by Google

non ignis nomine innoteſcit? Duo enim munera ignis habet, & illuminare, & comburere: non igitur in ſua creatione ignis, quo nomine vrens deprehenditur, vocetur, ſed lumen, quo illuminans agnoſcitur: ab illuminatione tantùm cognoſcatur, non ab vſtione: quia cum ipſe cauſa quaſi vniuerſalis ſit, & non ſimplicibus ſuperior, qualitatem, quam lædit, & odium parit, debet abſcondere: beneficam, & amabilem, qua animos ſibi conciliat, manifeſtare: Deus enim qui (vt in Deuth. 4. habetur) ignis conſumens appellatur, plus dignatur manſuetudine, & lenitate illuminare, quam rigore, & aſperitate comburere. Palma, quia ſuperior eſt cęteris plantis, dulciorem, & ſuauiorem fructum præ omnibus affert: ſic qui ſupremum locum obtinet, & alijs imperat, plus ad ſuauitatem debet apparere propenſus, quam ad rigorem: plus ad miſericordiam, quam ad iuſtitiam: & cum hac vti ſit neceſsè, quia pars regiminis eſt, eam attemperare, & clementia perfundere oportebit. Inter Thaboris glorias hinc & illinc Chriſtus Moyſem, & Eliam conſtituit. Hic adminiſter fuit zelo inardeſcens, & qui terram comburere tot annis ſiccitatis tentauit: ille Princeps ita ſuauis, & manſuetus, vt amicitiam Dei Audacter perdere non dubitauerit, quatenus ſuis ſubditis indulgentiam conſequeretur. Inter quos Dominus vt eos attemperaret, medius voluit adeſſe, ea tamen induſtria, vt Moyſis ſuauitas ad dexteram extitiſſet; Eliæ verò ſeueritas ad ſiniſtram, vt eos erudiret, præſtantiorem locum ſuauitati, & manſuetudini deferendum. Quod optimè notauit Petrus Cluniacenſis. *Duo ergo illi Patres, alter mitiſſimus, alter immitiſſimus apparent cum Domino: quare? Quia miſericors & miſereator Dominus, quia iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit: miſericors ergo miſericordiam, iuſtus iuſtitiam deſignat, vndè & congruè ſcriptura non prius Eliam, & poſteà Moyſem, ſed antè Moyſem, & poſtmodum Eliam ponit.* Suauitatem prætulit, vt quotquot regimini intendunt, ad illam potiùs propendeant, vt ſubditi ſuo obſequio mancipentur. Quod in laudem ſui Imperatoris dicebat Tacitus. *Mirumque amorem aſſecutus erat effuſa clementia, modica ſeueritate.*

3. Dum Isboſeth filius Saul bellum gereret contra Dauid, cumque ipſoque de poſſeſſione regni contenderet, accidit, vt Abner ſtrenuus miles, qui partes Isboſeth tenebat, ingrederetur, ad concubinam Saulis, quod ægrè ferens Isboſeth ipſum reprehendit; ille autem iratus valdè de perditione regni cogitauit, idſumque in manus tradidit Dauid. *Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, niſi quomodò iurauit Dominus Dauid, ſic faciam cum eo, vt transferatur regnum de domo Saul, & eleuetur thronus Dauid ſuper Iſrael, & ſuper Iudam à Dan vſque Berſabe.* 2. Reg. 3. verſ. 9. Quam offenſionem Abner accepit, vt regni ruinam moliretur, & regnum Isboſeth ad Dauid transferret? Nullam aliam recenſet textus, niſi levem reprehenſionem pro facto turpiſſimo: at hæc remiſſa Isboſeth ira ſufficiens fuit regnum penitùs euertere. *Diſce* (inquit Caietanus) *qui accuſas negligentiam Principum, quanti mali Isboſeth occaſio fuerit reprehenſio Abner.* Vel ſeuera elocutione thronum paternum amiſit Isboſeth: vt exindè abſtineant Principes à verbis virulentis, & ſæuitiam ſpirantibus: atque clementia, lenitate, & diſſimulatione regna diuturna facient. Ioſeph cum puer eſſet, fratres ſuos accuſauit: cum autem factus eſt vir, & aulicis negotijs expertus, neque fratres reprehendit, neque de ciſterna, in quam eum miſerunt, neque de accuſatione doloſa, quam patiebatur, quidquam loquitur, quia Deus eum ad regnum præparabat, & cum iam Princeps erat, neque de venditione inuidioſa verba protulit, quia (vt dixit Veron. Zeno.) agnouit, quod ſi prophetia Princeps ſuorum fratrum debuit eſſe, & eorum accuſatio principatum in ſomnium vertit, diſſimulatione criminis, & manſuetudine verè regnum erat fundaturus. Præſtat Reges ad miſericordiam propendere, ea enim & excelluit Dauid, & perpetuauit principatum. Inter alia autem pietatis inſignia illud fuit præclarum, quo cum Mobabitarum Rege, quem fecit tributarium vſus fuit. *Et percuſſit* (inquit text. 2. Reg. v. 2.) *Moab, & menſus eſt eos funiculo coæquans terræ, menſus eſt autem duos funiculos ad moriendum, & plenitudinem funiculi ad viuificandum.* Quibus inſinuatur, quod non promiſcuè, & ferino furore multos fecerit occidi, ſed cum menſura proculdubio iuſtitiæ. At cur funiculus ad mortem tendens non plenus dicitur, ſicut funiculus, quo metiebatur vitam? De diuturnitate regni cogitabat Dauid, & ipſum clementia perennare, auſpicabatur, idcircò quidquid ſeueritati detrahebat, accreſcebat pietati, quia ſciebat, dominationes non tam inimicorum robore, quam crudelitate dominantis extingui.

4. Immoto Sole vnius diei ſpatio ſuperauit Ioſue quinque Reges præcepto Dei, ipſoſque ſuſpendi præcepit: Dominus enim pro ipſo pugnabat, & de cœlo ingenti grandinis multitudine hoſtes lapidauit: *Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo vſque ad Azeca, & mortui ſunt multos plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant filij Iſrael.* Ioſue 10. verſ. 11. Ad quid miracula multiplicantur, & Solis, ac Lunæ inaudito prodigio tumultus lapidum de cœlo additur? Glorioſior enim eſſet victoria, ſi non tam cęleſti auxilio adiuuarentur Iſraelitæ. Decebat verum Principem in homines etiam hoſtes infenſiſſimos deſæuire, vt quia Ioſue infinitam mortalium ſtragem ediderit iuſto quidem bello, & Dei adactus imperio prodigioſis de cœlo. Soleque

miraculis neceſſariò fuerit honorandus, ne crudelitatis nota inter homines laboraret, & ſubditi ad inobedientiam, & ipſius odium prouocarentur, quia nemo facilè crudelem, & ſeueram poteſtatem amat. Hinc cum Dominus Moyſi reuelaturus myſteria deſcendiſſet, in rubo apparuit flammis non voracibus inardeſcente. *Apparuitque Dominus in flamma ignis de medio rubi*. Exod. 3. verſ. 3. Cur autem Deus in rubo apparuerit humili arbuſcula, non autem in alia arbore procera, & eleuata, non parum negotij faceſſit Commentatoribus, Theodor. in rubo apparuiſſe credit, ne poſteà Hebræi ipſam tanquam Deum adorarent, & idololatriæ crimen incurrerent. Sed hæc ratio parum vrget, nam ſi Hebræi rubum erant adoraturi, quia Deus apparuerat, materialis differentia erat, eum rubum, aut aliam arborem extitiſſe. Sed acumen percipe. Cultum, quem rubus Dei aſſiſtentia promerebat, propria conditione deperdere erat neceſsè, quod in alijs arboribus non contingeret; rubus enim arbor eſt ſentibus, & pugionibus armata, vndèquaque ſpinis circumſepta, quis ergo arborem ſic agreſtem, ſeueræ, ac intractabilis conditionis adorabit? Caueat igitur Deus idololatriæ periculum naturali rubi rigore, nam cultum, quem Dei aſſiſtentia promeruiſſe videtur, propria conditione deperdet, ſuperioris enim intemperata ſeueritas ſubditos deterret, ipſorumque odium, & inobedientiam negotiatur, qui ſuauitate, & dulcedine mancipantur, & vſque ad adorationem trahuntur. Sic Deus humana carne indutus ab Auſtro, qui eius mitiſſimam naturam ſignificat, venire perhibetur, vt hominum corda deuinciat. *Deus ab Auſtro veniet, &c.* Hic verſ. 3.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Dignitas, quæ confertur digno, ab omnibus habetur.

1. TAm in commune bonum electi merita redundant, & eius prælatura vergit, vt omnes æquè credantur honorati, & publicum omnium credatur beneficium, cum benemeritus præfertur. Ea, quæ digno exhibentur, quaſi nobis donarentur. Computamus. Vndè optimè dicebat Publius: *Beneficium dignis vbi decus omnes obligat*. Cum pluuiæ in montes altos cadunt, poſteà in valles ſtillantur, & fructuosè ſata fęcundant, ſi autem in valles primò cadant, montes illis orbantur, haud aliter cum præmia dignis conferuntur, omnes ſuſpiciunt, & læta plebs proficuas ſtillationes accipit, ſi verò indigni dignitatem accipiant, omnes triſtantur, & nulli proficit. Nitente Sole, & Luna, & ſidera fulgent, quia lux, quam ille capit, ad aſtra transfunditur. Cum benemeritus honorem accipit, & inferiores ſimul accipiunt. In ſecunda creationis die locutus Moyſes dixit: *Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignumque faciens fructum*. Geneſ. 1. verſ. 12. Per huiuſmodi autem lignum fructum faciens omnes Interpretes arbores frugiferas intelligunt: quærunt tamen, an tunc terra infrugiferas arbores produxerit, omneſque vnanimiter fatentur, non frugiferas arbores etiam ſubintelligi, & ſub nomine frugiferarum comprehendi. At cur plantæ ſteriles, & infęcundæ frugiferarum nomine honorantur? Cur eodem epitecto, ac proficuæ laudantur? Crediderim, ex conſortio, & fęcunditate frugiferarum arborum ſteriles fęcundas nuncupari, infructuoſum lignum alieno elogio adornatur, quaſi quod frugiferis datur arboribus, infructuoſis etiam impendatur. Conceſſum creditur ſterilibus plantis, quod fęcundis, & proficuis donatur. Quæ dignum referebant fructum, alijs fęcunditatis gratiam communicabant, vt impenſum ipſis crederetur, quod proficuis, & benemeritis donabatur. Sic (inquam) dignitas, quæ frugiferis, ac benemeritis viris confertur, etiam infrugiferos, ac indignos honorat, munerantur que omnes; cum benemeritus ad præfecturam euehitur.

2. Quærens ſedulò Saul aſinas patris ſui regnum inuenit, ſic enim Samuel ipſum ſciſcitantem alloquitur: *Et cuius erunt optimaque Iſrael? Nonnè tibi, & omni domui patris tui*. 1. Reg. 9. verſ. 10. Non ſolùm felicitatem ipſi venturam annunciat, ſed & proſperum paternæ domus progreſſum, quæ ad regni apicem erat eleuanda. Verùm cur Propheta non ſolùm Sauli prædixit futurum Regem Iſræl, ſed omnem domum patris eius, omnes laterales, & adiunctos in eodem regno eſſe præficiendos? Si ſolus Saul erat regnaturus, & non ad poſteros regia dignitas protrahenda. Cur omnes eius cognatos regnaturos prænunciat? Igitur vt Propheta innueret, de meritorum copia Saulis dignitatem venire, ipſam totius familiæ eſſe perhibuit, quia quotieſcunque benemeritus ad dignitatem eligitur, omnes de familia, omnes de populo illam poſſident, omnes enim ſibi impenſum reputant, quod merenti donatur. Non modò inuidiam non excitat beneficium digno collatum, ſed gratitudinem ſolicitat, quia alieno condignè poſſeſſo honore omnes remunerantur, & incrementurum magnum mutuant.

3. Diuiſit in ſeruos ſuos Pater ille familias bona ſua, vt lucrum exindè reciperet, cum autem rationis dies accederet, qui quinque talenta acceperat, alia quinque, quæ fuerat lucratus, retulit, qui duo, alia duo, at qui vnum,

vnum, ob negligentem negotiationem, nihil lucri reddidit, ſed otioſum talentum attulit. Tunc Dominus præcepit, vt à pigro ſeruo talentum auferretur, & ei, qui decem iam habebat talenta exhiberetur. *Tollite ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta, omni enim habenti dabitur, & abundabit*. Matth.25. verſ.20. & 27. Non paruam difficultatem faciunt hæc poſteriora verba, quæ ſatis implexa videntur, etenim ſi omni habenti talentum dandum eſt id, quod auffertur à negligenti ſeruo, cur illud præcipit habenti decem talenta tantùm dari? Si qui habebat quatuor, duo, aut tria talenta habens erat, & decretum fuit omni habenti id, in quo otioſus fuit multatus, eſſe largiendum, cur tantùm illi, qui decem habebat talenta, confertur? Nam ex eo, quod omni habenti eſſet dandum, ſequebatur, quod etiam habenti quatuor, duo, aut tria daretur. Quo ergo pacto, quod vnus defert, omnibus conferendum dicitur? Profundè Caietan. *Et verè ſic eſt, quia ita datur vni, quod dabitur omnibus, communio enim gaudij de vno, & eodem non minuit gaudium à ſingulis*. Dignior ſanè erat, qui decem habebat talenta: idcircò quando ei talentum datur, omni habenti datum perhibetur, proindèque etiam habenti quatuor, duo, aut tria talenta, quia vbi dignior remuneratur, quidquid ipſi in præmium meritorum confertur, omnes poſſident, & omnibus exhiberi creditur. Cum dignitas ei, qui præſtantiori pollet talento, datur, omnes eam accipiunt, & extraneo honore numerantur. Menſura gaudij omnibus æqualis eſt, & alienus honor emeritus honoris aliquid omnibus affricat.

4. Aperto in cœlo oſtio agnum vidit in throno ſedentem Euangeliſta Ioannes, & in circuitu throni viginti quatuor ſeniores habentes in capitibus coronas aureas, quas quotieſcunque animalia glorificabant agnum, antè ipſius pedes proſternebant. *Procidebant vigintiquatuor ſeniores antè ſedentem in throno, & adorabant viuentum in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas antè thronum*. Apocalypſ.4. verſ.10. Vbi animalia intonabant laudes, ſeniores redimiti coronis eas mittebant. Si autem inquiras, quando animalia clamabant, inuenies: *Si Animalia non habebant requiem die, ac nocte dicentia Sanctus, Sanctus, &c.* Si ergo Reges procidunt, & coronas mittunt, quoties animalia clamant, ſemper Reges procidunt, ſemperque pedibus agni coronas dicant, ſiquidem abſque vlla requie diù noctuque animalia clamant. Planè ita eſt. Sed hinc magna exurgit difficultas, ſi ſemper Reges procidunt, ac coronas mittunt, quia ſemper animalia clamant: quando ſedentes potuerunt apparere, & in eorum capitibus coronæ? Si ad pedes iacent dominantis Agni, & ſub ipſis coronas proſternunt ſemper: quomodò in ſedibus collocati, & eorum capita coronis exornata perhibentur? Opinor idcircò ſeniores illos coronas ſemper poſſediſſe, quia dignior in throno ſedebat, vt ipſi profitentur: *Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem*. verſ.11. Cum enim, qui meritorum ſplendore fulget, dignitatem obtinet, & coronam aſſequitur, omnes illam poſſidere reputant. Seniores coronati dicuntur, quoniam ſibi impenſum credebant regnum benemerito exhibitum; ipſis dignitas imputatur, quæ meritorum iure erat poſſeſſa. Idcircò laude, & honore, quem Chriſtus ſuis operibus promeruit, omnem terram expleri, cecinit noſter Vates, quia à digno poſſeſſore omnes illum participabant. *Et laudis eius plena eſt terra*. Hic verſ.3.

DISCVRSVS VIII. MORALIS.

Iudex, niſi æquus ſit, iniquus erit.

1. Languet iuſtitiæ vigor, vbi Iudex officio fungitur aduocati, nullius ſpeciatim eſſe oportet, qui omnium communiter debet eſſe, nec quicquam pro ſua voluntate decernere, qui non ſibi præponitur, ſed cæteris. Iuſtitia alijs naſcitur, non ſibi, æqua bilance iuſtitiæ debet librari, quin in aliquam partem inclinet, neque ſubornetur, aut corrumpatur munerum, amicitiæ, aut cognationis lenocinio, & non æquus reputetur Iudex, ſi his affectibus inclinatus inſontes impunitos relinquat, & damnet innocentes, alienos puniat, parcatque proprijs, ſicut diluuij aquæ, in quibus piſces, qui illius cognationis erant: plaudebant, & lætabantur, cæteris animantibus ſuffocatis. Ob tria facinora egregia Moyſes æquiſſimus Iudex fuit reputatus: Ægyptium Hebræi percuſſorem interfecit, vt habetur Exod. 2. Madianitas paſtores in Sacerdotes filias iniquos refrænauit, ib. verſ. 17. Ac denique duos Hebræos rixantes conſpiciens, ei qui faciebat iniuriam, dixit: *Quare percutis proximum tuum*. Exod. 2. verſ.13. Nec ſolo verbo, ſed etiam facto ipſo repreſſiſſet, iam enim aderat occiſurus, niſi proditionem formidaſſet, ipſo Hebræo teſtante, ac dicente: *Num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium*, ibid. verſ.14. In quo horum euentu magis integer Iudex Moyſes apparuit? Credo equidem, in tertio, nam in duobus prioribus alienos, ac barbaros puniuit, verum in poſteriori domeſticum, & propriæ gentis hominem cohibuit, & affectum vicit, quo ferè ſemper iuſtitia flectitur. Profectò nullibi tam dignus laude Moyſes repetitur, quam

vbi

vbi cognationis amore iuſtitiam non adulterauit.

2. Ipſo Moyſe moram faciente cum Deo in monte populus conflauit vitulum, quem pro Deo coluit, deſcendit ille ira accenſus, & vt vindictam tam nefandi flagitij ſumeret, dixit Leuitis: *Ponat vir gladium ſuper femur ſuum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum.* Exod. 32. verſ. 27. Si idololatras occidi decreuerat, cur non ſolùm præcipit, vt gladios manibus Leuitæ arripiant, ſed etiam, vt ſuper femora imponant, vbi magis inepti ſunt ad feriendum? Quid gladius in femore impoſitus nocumenti populo potuit afferre? Egregiè Diu. Ambr. ad Romulum epiſt. 56. id factum putat: *Vt contemplatione, atque amore venerationis Diuinæ perimeretur omnis affectus neceſſitudinis.* Eſt femur ſedes generationis, & cognationis: conſultiſſimè ergo præcepit Moyſes, vt enſes, quibus idololatræ erant perimendi, in femore ponerentur, vt indicaret, non tantùm externos, & alienos eſſe occidendos, verùm etiam conſanguineos, & propinquos; imò ad hos tantùm gladio videbatur inflecti, ſiquidem vnicuique Leuitarum præcipitur, fratrem, amicum, & proximum occidere, vt omnis inæqualitatis præcideretur ſuſpicio: ne amicis indulgerent, & in exteros ſæuirent: amor enim, & voluntas iudicio officit, adulterat iuſtitiam, & leges inuertit. Hinc vbicunque in ſacris litteris de iudicio, in quo hominum cauſæ diſcutientur, agitur, nuſquam Spiritum Sanctum ſedere ad iudicandum dicitur, ſed id munus Patri, aut Filio appropriatur. Quod optimè notauit Maldonatus ad cap. 16. Marc. *Animaduertere autem, in litteris ſacris nuſquam Spiritum Sanctum, ſed ſolùm Patrem, & Filium diſcedere, quòd ſedere, vt dixi, gubernare ſit, & non Spiritus Sanctus; ſed Pater, & Filius dicantur gubernare, gubernare* (inquam) *extrinſecus, nam intrinſecus quidem animos hominum regere Spiritus Sancti proprium eſt.* Res planè admiratione digna: nam licet certum teneamus, aliquas extrinſecas operationes alicui ex Perſonis Trinitatis attribui, quæ non appropriantur alteri, quamuis indiuiſibiliter ab omnibus ſint, non apparet ratio, cur Perſona Spiritus Sancti non dicatur ad iudicandum ſedere, ſicut Perſonæ Patris, & Filij dicuntur. Mitto alia, quæ in re tam profunda poterant excogitari, & arbitror, iudiciariam poteſtatem Spiritui Sancto nunquam in ſacro Canone adſcribi, quia proprietate Perſonali amor eſt, & licet amor in Diuinis periculo careat corruptionis, & inæqualitatis, quia in hominum iudicijs periculo plenus eſt, & qui iuſtitiam violat, quaſi recuſatur amor Diuinus in iudicio, vt erudiamur, quantum à Iudice amor, & affectio erga litigantes ſit exulandus.

3. Leuitic. 24. verſ. 22. vt iuſtitiam Deus in populo ſanciret, dixit: *Æquum iudicium ſit inter vos, ſiue peregrinus, ſiue ciuis peccauerit.* Pagninus vertit: *Vnum, ſeu iudicium ſit inter vos.* At quomodò ſi vnum iudicium ſit, æquum eſſe poterit? Nonnè æquum eſt iudicium, æquus Iudex, qui ſontes, & inſontes æquè plectit? Si pro diuerſitate cauſarum, & meritorum modulandæ ſunt ſententiæ: quomodò identitas iudicij in omnibus poteſt ſeruari? Supplicia enim adaptanda ſunt delictis, & Iudex, qui æquè, & ſine delectu omnes punit, iniquus eſt. Quo ergo pacto præceptum de vnitate iudicij ſine delectu omnes punit, Iniquus eſt. Quo ergo pacto præceptum de vnitate iudicij ſine iuſtitiæ offenſione poterit adimpleri? Rectè Marius ad hunc locum. *Significat, ſine perſonarum delectu iudicium fieri debere, nec Iſraelitis plus indulgendum, quam alijs.* Vnitas iudicij non ad pœnas refertur, ſed ad perſonas, quia ſine earum diſcrimine ferendæ ſunt ſententiæ. Iudex, qui iura tuetur, vnam tantùm perſonam reſpiciat, iuſtitiam nempè: & neque amor abſoluat, qui puniri debet, neque odium damnet, qui plecti non meretur. Non ſit à reatu immunis, qui ad ipſum quomodò accedit, neque pœnæ obnoxius, qui priuilegio amicitiæ, aut cognationis non gaudet: hoc enim in magnum reipublicæ redundat beneficium; pro illoque grates Deo referebat Dauid: *Qui exaltas me de portis mortis.* Pſalm. 9. verſ. 15. Iudicum portas mortis appellat, quoniam Iudices in portis ciuitatis iudicia ferre ſolebant. At cur portæ mortis Iudices dicuntur? An quia ſicut in morte omnia relinquuntur, ſic Iudices ad iudicandum accedentes omnia, quæ illos poſſunt inflectere, relinquere debent? Sic olim meditabar? Nunc idcircò exiſtimo Iudices portas mortis appellari, quoniam ſicut in morte omnes ſunt æquales Principes, & plebei, nobiles, & ignobiles, ruſtici, & vrbani: ita æqui Iudices æqualiter iuſtitiæ zelo omnes plectere debent, diuites, & pauperes, exteros, & conſanguineos, ſi æquali ſcelere ſint comprehenſi, ne propter amorem potentes euadant innocui, & propter Iudicis odium innocentes puniti: nihil enim ſic dedecet Iudices, ac poteſtate abuti ad proprias iniurias vindicandas, & ſe conſolandum de dolore inde recepto.

4. Increpans Chriſtus Dominus nequitiam Phariſæorum; qui & Prophetas perſequebantur, & ipſum erant occiſuri, dixit: *Itaque teſtimonio eſtis vobis metipſis, quia filij eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt, & vos implete menſuram patrum veſtrorum.* Matth. 23. verſ. 31. Quaſi dicat: illi interfecerunt ſeruos; vos Dominum crucifigite: menſuram adimplete patrum veſtrorum: id eſt, eorum menſuram æquate? At cur dixit, implete, & non ſuper implete, vt appoſitè potuiſſet dicere, cum incomparabilis eſſet exceſſus mortis Domini ad mortem cuiuſcunque ſerui? Si malitia, qua ipſum crucifixerunt, longè ſuperauit illam, qua eorũ

patres

Digitized by Google

patres in Prophetas inſurrexerunt: cur æqua lance, & pari menſura vtramque librat? Non ſolùm alios, ſed & ſeipſum non debet reſpicere, qui iuſtus in ferendis ſententijs vult reputari: arma enim iuſtitię in vltionem proprij doloris conuertere, etſi iuſtè fiat, degenerem intentionem in Iudice arguit, qui in æquilibrio ſemper debet verſari; & velut funambulus lanceam iuſtitiæ æquè librare: nam ſi ad aliquam partem inclinet, totus ruet, & næuo amoris, qui indecorus in Iudice eſt, fœdabitur.

DISCVRSVS IX. MORALIS.

Plus Chriſtum cruciauit electorum paucitas, quam tormentorum multitudo.

1. NIhil ſic torquet amantem, quam amato non proficere, & inutiliter amoris opera diſperdere. Hoc argumento & ſacra, & prophana ſcriptura redundat, & de hoc maximè conquerebatur Chriſtus Dominus apud Michæam verſ. 1. *Væ mihi, quia factus ſum, ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*. De paucitate hominum, qui eius ſanguine ſalui fiunt, dolet: quaſi dæmoni maximo vindemiatori multi botri cedant; ipſi verò tanquam racematori nonniſi reliquiæ, pauci ſcilicet, & pauperculi. Quaſi dicat: mihi non ſupereſt botrus; ſed vix pauculi accini, & granula pauca: botri enim magni, & pingues vulpium pabulum facti ſunt. Maxima pars hominum dæmonis ingluuiei inſeruit, plenos botrorum cophinos colligit; mihi accini relinquuntur. Quid grauiùs? Quid acerbiùs? Mille tormentorum generibus Chriſtus Dominus torquetur: à Patre ſequeſtrata dulcedine eius humanitas derelinquitur: & acerbitatem omnium dolorum ſuperat, quod pauci eius ſanguine ad ſalutem potiantur, & quod maxima hominum pars dæmonis ſit aſſecla. Hùc reſpicit, quod Patri referens cruciamenta, quæ in paſſione pertulit, concludit: *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*. Pſalm. 21. verſ. 19. Cur tantopere conqueritur de ſorte ſuper veſtem miſſa, vt pro coronide omnium tormentorum hoc vnum recenſeat? Quid ſors eum cruciauit, at tam vehementer doleat? Egregiè D. Auguſt. tract. 18. in Ioan. *In ſorte quid niſi Dei gratia commendata eſt*? De hoc ergo queritur, de hoc dolet, & angitur, quod gratia, quam paſſione promeruit, non omnibus proficiat, ſed paucis adeò, vt quodammodò numerum non conſtituant, ſiquidem vnus tantùm fert: quod enim ſorte mittitur, non omnibus, ſed paucis contingit. *Et ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*. Sanguis, quem in omnium lauacrum effudit, paucis piaculum extitit, quod maximum cruciamentum ipſi fuit.

2. Mirum inter alia, quę Ioannes in ſua Apocalyp. cap. 13. verſ. 8. vidit, illud eſt, quod agnus, qui in tempore pro hominum ſalute erat immolandus, ab origine mundi occiſus apparuerit. *Et adorauerunt eum omnes, qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi*. Quo pacto ab æternitate cruenta immaculati agni apparet imago, ſi in tempore determinato mortem erat ſubiturus? Quis temerario auſu regales cœli ſedes ſanguine potuit violare? Quis vulnera intulit, vt cadaueraſcentis mortis effigiem ibi introduceret? Opinor, ſic ab æternitate Chriſtum occiſum ſe exhibuiſſe, quia ab illa cognouit plures ſuo ſanguine non profecturos: tantò enim dolore afficiebatur præuidens ſuam paſſionem multis propter eorum nequitiam non proficuam, vt in Patris ſinu mortuus appareat, quia lætitiam, quam percipiebat ex redemptionis opere, ad quod erat venturus, perditorum hominum mæror extinguebat, & mortem quodammodò inferebat ipſi. Sic iam carne aſſumpta, cum Lazarum ſuſcitare acceſſit, infremuit ſpiritu, profusò imbre fuit lacrymatus, tandem voce magna clamauit: *Lazare veni foras*. Ioann. 11. verſ. 42. Ad quid obſecro tot doloris ſigna? Pœnitet vitam conferre, quod Lazaro ad eam reuocato ingemit, & dolet? Audi Chryſologum ſerm. 64. *Fremit ſpiritu, & tota ſe viſcerum commotione conturbat: quia adhuc ſolùm Lazarum, & non omnes mortuos ſuſcitabat*. Peccatoris typum, qui ex peccati morte ad vitæ gratiam reuocatur, Lazarus gerebat: dum ergo Chriſtus ipſum ſuſcitat, tota ſe commotione conturbat, liquat per oculorum ſtillationes cor dolore acerbiſſimo punctus, eo quod ſolùm Lazarum, & non omnes mortuos ſuſcitabat, quia vnum tantùm peccatorem reducebat: quia nihil tam acerbè ſentit, quam eius ſanguine non omnium arida corda emolliri: tanto enim noſtræ ſalutis deſiderio flagrat, vt hominem quemlibet perdere tanti reputet, quaſi omnes perdidiſſet.

3. Sub perſona hominis ad lautum conuiuium inuitantis Chriſtus introducitur Lucæ 14. v. 16. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos*. De illo omnes capiunt huiuſmodi parabolam. Verùm non ipſius videtur, quia profuſa ipſius clementia non ad omnes extenditur: ſi enim vt dixit Paulus omnes homines vult ſaluos fieri, quomodò hic non omnes, ſed multos vocat? Multi enim non omnes comprehendunt. Qui ergo illi erunt, qui ab illius miſericordia excluduntur? Fortè

redem-

Digitized by Google

redemptionis pretium omnibus non fuit ſufficiens, quod non omnes vocari dicuntur? Abſit: quo ergo pacto hìc non omnes, ſed multi vocantur; & alibi dixit: ſanguinem fudiſſe non pro omnibus, ſed pro multis? *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*. Matth. 26. v. 28. Verùm omnes proculdubio vocauit, cum multos vocare perhibetur: quia niſi omnes eſſent, non multi illi viderentur. Sic hominum ſalutem ſuſpirat, vt ſi vnus tantùm eam non aſſequatur, omnes perdidiſſe credat, & niſi omnes ſaluentur, nullum ſaluari reputet. Vbi multos vocare dicitur, omnes vocari ſatis innuitur: quia non multos, ſed paucos, imò nullos reputaret, ſi non omnibus vocationis gratiam impertiret; ſicut à contrario ſenſu vnius perditio eundem dolorem, ac omnium excitat. Hùc ſpectat illud Ambroſ. in cap. 9. Hebr. *Quantùm in te eſt eius momenti eſt vnius perditio, cuius momenti eſt omnium perditio.* Æſtuanti ſiti omnium peccata abſorbere anhelat, & de amiſſione cuinſcunque amariſſimè dolet. Huc enim dirigebatur vox illa magna, & clamoroſa, qua inclamauit ad Patrem iamiam ſpiritum exhalans. *Clamauit voce magna, &c.* Lucæ 23. verſ. 46. Ad quæ D. Hilarius canon. 32. in Marcel. *Poſtquam potauerat dixit: Conſummatum eſt. Quaſi omne vitium humanæ corruptionis hauſiſſet: & quia nihil agendum erat extrinſecus, ſpiritum cum clamore magnæ vocis miſit dolens non omnium ſe peccata portare.* Hoc ipſum ponderauit Chryſolog. ſerm. 169. ſolicitudinem aduertens, qua mulier illa, quæ drachmam perdiderat vnam ex decem, quas poſſidebat, eam ſollicitè requirit, & de eius amiſſione tam intensè dolet, ac ſi omnes perdidiſſet; & cenſibus, ac facultatibus omnibus maneret deſtructa. *Ad deſtruendum* (ait Chryſolog.) *ſufficit vnum, & non ſolùm dachmam perditam deflebat vnam, ſed ipſas nouem reſiduas non videbat: quantum enim in ipſo eſt, eius momenti eſt vnius, cuius momenti eſt omnium perditio.*

4. Myſterioſa illa ſitis, quæ Chriſtum Dominum cruciauit in patibulo, poſtquam omnia ad paſſionem decreta pertinentia conſummauit, aduenit. *Vt conſummaretur ſcriptura, dixit: ſitio.* Ioan. 19. verſ. 28. Cur qui ad tot cruciamentorum genera obmutuit, æſtuantis ſitis dolore quaſi impatiens conqueritur? Quæ ſitis illa fuit, quæ pluſquam cætera tormenta ipſum cruciauit, & in triſtiſſimas voces prorumpere compulit: Sanguinem, quem pro omnibus fudebat, paucis profeciſſe, & ex certamine inito cum potentiſſimo hoſte tam exigua ſpolia reportare crudeliùs ipſi cruciamentum fuit: quia maximè dolebat aliquem perdere, & ex ingenti pretio pro omnibns exhibito paruum lucrum referre, & infructuosè ſua opera feciſſe, quæ omnes gratia, & gloria replere valebant. *Et laudis eius plena eſt terra.* Hic verſ. 3.

DISCVRSVS X. MORALIS.

Deus vnus eſt, vt faciliùs ſeruiatur: Trinus, vt abundantiùs benefaciat.

1. QVotieſcunque antiqui Vates de ineffabili Trinitatis myſterio loquuntur, acanè illiud indicant, quod familiare apud omnes eſt; mirificè autem Propheta noſter hoc canticum eo ſtudio organizauit, vt in illo Trinitatem Perſonarum deſcribeberet. Quod pulcherrimè detexit Rupertus, cuſus verba etſi prolixa integra referam, ne eorum ſenſum deuenuſtem, obſeruat enim tripliciter mentionem fieri huius dictionis *Sela*, & ex triplici comparte totum hoc vaticinium abſolui vt Sanctiſſimæ Trinitatis reuelatio ex illis conſtaret. *Quoniam diſtinctione trina diſtinctum eſt, hoc eauticum, cuius videlicet diſtinctionis ſignum eſt*, ſemper, *ſiue* diapſalma, *tertiò iam poſitus, & in antè dictis clarè diſcernuntur duæ Perſonæ Filij, & Spiritus Sancti, delectat hanc tertiam partem cantici referre ad propriam Perſonam Patris, vt ſit canticum, ſiue laus totius Trinitatis.* Et ſpecialiter hic vbi Propheta Deum ab Auſtro, & à monte Pharan venire prænunciat, Trinitatem Perſonarum eiuſdem naturę cōſortem appoſitiſſimè agnoſcit. *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan.* Obſeruauit Marius ad c. 3. Ioſue, animaduertens, quod toto tēpore, quo populus per deſertum iter fecit duce Moyſe, arca Dei cortinis cooperta poſt exercitum tranſportabatur præeunte columna nubis die, & ignis nocte, aſt vbi Ioſue populi dux fuit ſuffectus, res mutatæ ſunt, & ex Iordane nubes, & columna diſparuit, & arca ibat antè omnes diſcooperta, ita vt ab omnibus videretur, vt habetur ibi. 3. verſ. 3. *Cum videritis arcam Domini Dei veſtri &c.* Quæ tanti diſcriminis potuit eſſe ratio, vt ſub vtroque duce in totum res mutarentur? Niſi quia in arca virga Aaronis erat, duæ legis tabulæ, & vrna Manna, in quibus Trinitatis myſterium erat obuolutum. In virga, quæ potentiam ſignificat, Pater, in tabulis Filius ob duplicem naturam, & Spiritus Sanctus in Manna, quoniam animæ guſtus, & ſuauitas eſt. Dum tegit Moyſes, qui legem naturalem, & ſcriptam referebat, totum hoc myſterium inuolutum, & abſtruſum pergit, ac duce Ioſue, qui IESVM ſignificabat, diſparet nubes, & obſcuritas, & licet myſterium abſconditum in arca ſit per fidem, iam ex aquis baptiſmi in Iordane figuratum, abſque nube progreditur. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

2. Verùm hic quidem Deus, qui Trinus

in

in Perſonis, obſcurè olim apparuit, perſpicuè Vnus ſemper fuit cognitus, niſi enim cum Trinitate Perſonarum vnitatem ſeruaret eſſentiæ, non verus eſſet. Vndè eleganter Tertullianus lib.1.contra Marcion. *Deus ſi non vnus eſt, non eſt*. Et Chryſoſt. ſup.Pſal. 13. *Multorum Deorum admiſſio vnius negatio eſt*. Eſt ergo Deus vnus, & Triuus neceſſitate naturæ, & conuenientia noſtra: vnus, vt faciliùs ſeruiatur: multiplex in Perſonis, vt vberiùs nobis benefaciat: Obſequia vni Deo exhibita tres Perſonæ compenſant, & vt ſuauiùs ipſius imperium homines ſuſtineant, vnus eſt, quia multis Dominis inſeruire durum eſt, & incomportabile iugum. Vbi Rex nouus ſurrexit in Ægypto, & incrementum vidit filiorum Iſrael, timens illorum multitudine opprimi dicebat ad populum ſuum: *Ecce populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis eſt, venite ſapienter, opprimamus eum, præpoſuit itaque eis Magiſtros operum, &c.* Exod.1.verſ. 10. At quæ hoc oppreſſio populo Iſraelitico fuit? Cur cum de illorum ruina, ex oppreſſione cogitat, non illos mittit in carcerem, aut in exilium, ſed multiplicat gubernatores, qui illorum regimini intendant? Acutè Lyra. *Præpoſuit eis Magiſtros operum. Hic deſcribitur ipſa afflictio populi*. Nullum acerbiùs ſupplicium poterat populo inferri, quam præpoſitos multiplicari, hæc enim grauior populi fuit afflictio, hæc intolerabilior oppreſſio, quia plures Dominos ſuſtinere, plurimis obedire præpoſitis vltima calamitatis exaggeratio eſt. Vt igitur ſuauiùs Deo ſeruiatur, vnus per naturam eſt, quod ipſe populo intimauit, vt faciliùs ad ipſius ſequelam allicerentur: *Audi Iſrael: Dominum Deus noſter Dominus vnus eſt: diliges Dominus Deum tuum, &c.* Deutherou.6.verſ.4. Cur cum Deus legem ſanciuit Trinitatis Perſonarum non meminit, ſed vnitatis eſſentiæ? Præſtaret auctoritatem, Patris, Filij, & Spiritus Sancti in medium producere, vt maius auctoritatis pondus legi, quam tradebat, accreſceret. Cur cum præcepta proponit, vnum eſſe præmittit? Præclarè Oleaſter. *Si Deus tuus non eſſet vnus, ſed plures, poſſes te excuſare, ne diligeres eum ex toto corde, quoniam non poſſe tam diuiſum habere cor, nunc verò quia vnus eſt, facilè tibi erit eum ex toto corde diligere*. Acerbè nimis homines fuerunt geminata dominia, & qui multis Dominis ſeruire cogitur, nulli ſeruit. Vt igitur Dei dominium, qui legem imponebat, facilè homines portarent, vnum eſſe exprimere oportuit. Cum de obedientia agitur, vnus perhibetur, at cum de profuſa largitate, trinus, & ideò in Euangelio, quia lex erat gratiæ Trinitas Perſonarum detegitur, & ad noſtram vtilitatem, qui vnus in natura eſt, multiplex in Perſonis oſtenditur, vt dixit Greg.Naz. *Diuina, & ſimplex Dei eſſentia indiuiſibilis, vniuſque formæ eſt, cæteram ad ſalutis animarum vtilitatem portionem quoque præter appellationem ſubire videtur, diuiſioniſque neceſſitati ſubijci*.

3. Sopore ad ſenſuum ſtuporem immiſſo in Adam, ex vna è coſtis eius ædificatur Eua, vt ei, qui ſolus erat, aſſociaretur. *Non eſt bonum* (aiunt ad inuicem Perſonæ Diuinæ) *hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*. Gen.2. verſ.18. Sic inter ſe conſulebant. Verùm cum ad ædificationem fœminæ deuentum eſt, non omnes Perſonæ Diuinæ ipſi intendunt, ſed vna tantùm exprimitur. *Tulit vnam de coſtis eius, & replenit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem*, verſ.21. & 22. Si idem eſt, qui coſtam abſtulit, & ſponſam efformare decreuit, quomodò cum coſtam accipit, vnus videtur eſſe ſolus. *Tulit*, & ad decernendum beneficium multiplex? *Faciamus*, Pluresnè ad promittendum fuerunt, quam ad exequendum? Minimè, nam eædem Perſonæ, quę conſortium Adami decreuerunt, ipſum ſunt operatæ. Cur igitur mutatur ſtylus, & cum de beneficio Adami agitur, plures concurrunt, cum verò de accipienda materia, quam Adamus operi exhibuit, vnus? Quoniam aliud eſt benefacere, aliud accipere. Dum Deus benefacere intendit, ſe multipliceın in Perſonis explicat, at dum aliquid ab homine accipit, vnum tantùm. Ad proſequendum Adamum fauoribus omnes Perſonæ Trinitatis ſe manifeſtant, verùm vel ad id recipiendum, quod in ipſius commodum vertebatur, eſſentiæ vnitas tantùm apparet. Ne homo exaſperetur pluribus dominijs, vnus Deus dum ipſius ſeruitium exigit, apparet, & vt ipſum magis habeat deuinctum, triplex in largiendo oſtenditur.

4. Virgines illæ fatuæ, quæ oleum in lampadibus habere neglexerunt, dum cunctanter ad nuptias veniunt, & clauſam inuenerunt ianuam, validiſſimis vocibus inclamare cęperunt: *Domine, Domine aperi nobis*, Matth.25. verſ.11. Stultè nimis, quibus neque vexatio intellectum dedit. Si vnus eſt ſponſus, vt illis fuit intimatum, cum vocantur ad nuptias: *Ecce Sponſus venit, exite obuiam ei*. Cur ei nomina multiplicant, & ingeminant dominia? *Domine, Domine*. Si cum ipſis tam magnum beneficium venerat conferre, quale erat intra beatitudinis ianuas eas recipere, ſingulariter vnus erat, quomodò quando eum inuocant, ipſius perſonam duplicant? Opinor, quoniam etſi fatuæ, etſi imprudentes, id planè nouerant, Deum ad accipiendum vnum eſſe: (*Ecce Sponſus venit* dicitur, cum ſponſas recipere aduenerat) multiplicem verò ad beneficia conferenda, & idcircò cum eius auxilium implorant, perſonam ingeminant. Sed adhuc fatuæ videntur, quia non tertiam perſonam inuocant, vt acutè notauit Hugo Card. *Tertius Dominc deeſt*. Quia vt dixit Apoſtolus, *nemo poteſt dicere: Dominus IESVS, niſi in Spiritu San-*

Sancto. In hoc imprudentes ſe oſtendunt virgines, quod dum beneficia ambiunt, ſecundam tantùm Trinitatis profitentur perſonam, eum ipſam in nomine tertiæ implorare deberent. Quæ benè incæperat oratio, truncata non proficit, quia *Tertius Domine deeſt*. Verùm cum tam in nos beneficam Diabolus agnoſcat beatiſſimam Trinitatem, eam ſemper abſcondere ſatagit.

5. Acceſſit callidus tentator ad Chriſtum Dominum in deſerto deliteſcentem, & inter alia verſutè conſulit, vt ſe è pinaculo daret præcipitem, vt Angelorum famulatum experiatur, quia ſcriptum erat: *In manibus tollent te in omnibus vijs tuis*. Matth. 4. verſ. 6. Dubitat D. Gregor. cur dæmon ſubticuerit conculcationem Leonis, & Draconis, atque deambulationem ſuper Aſpidem, & Baſiliſcum, de quibus Dauid Pſalm. 90. vndè hoc hemyſtichium ſumptum eſt, immediatè agit. Cur iniquus hoſtis non integrum textum retulit? ſed truncauit. Communiter Patres illa verba: *Super Aſpidem, & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem*, omiſiſſe arbitrantur, quia contra ſe pugnabat, & in ipſis victoriam, quam Chriſtus de ipſo erat reportaturus, decantari agnoſcebat. Verùm Nazianzen. idcircò illa reticuiſſe credit, quia in ipſis protectio Trinitatis beatificæ exprimebatur. Ecce vaferrimè ſubticuit dæmon verba, quæ Sanctiſſimæ Trinitatis protectionem innuebant, liberalitatem Diuinam, quæ ad numerum increſcit Perſonarum, occultare intendens, vt Dei curam inuerteret, qua ſe multiplicem in Perſonis ad benefaciendum oſtendere gliſcit. Vndè Iob. 36. verſ. 27. dicebat Eliud; *Ecce Deus magnus*: Quod propriè idem eſt, ac multiplex, ſeu nimis exaggeratus. Vbi 70. habent *multus*. Idcircò in lege veteri vbi multa Deus hominibus præcipiebat, & minora quam nobis beneficia donabat, ſemper vnus appellatur, Trinitas verò Perſonarum erat recondita, nunc verò quia pauca nobis iubet, & ingentiora in lege gratiæ dona elargitur, Trinitas detecta eſt, vnus apparens Deus, vt ſuauiùs ſeruiatur, & Trinus Perſonis, vt vberioribus beneficijs homines proſequatur.

DISCVRSVS XI. MORALIS.

Sit homo in re virtutis piè audax, & impoſſibilia tentet.

1. PArum eſt quemque id adimplere, ad quod ex voto, & obedientia tenetur, niſi vltra obligationem audeat, & id ſe erigat, quod exequi non præcipitur, non enim plenum meretur encomium, qui plenè muneri ſuo incumbit, niſi aliquid glorioſè inteudat vltra debitum. Non ſat eſt obſeruantiam virtutis tenere, & intra mandatorum limites claudi, niſi aliquid ſuper erogetur, & ipſius limites pia audacia tranſcendantur. De hoc maximè gloriabatur Iſaias, dum Dei doctrinam obſeruare, & excedere pollicebatur. *Docebit nos vias ſuas, & ambulauimus in ſemitis eius*. Cap. 2. Aduerſæ, & minimè formales hæ voces videntur, etenim ſi Deus viam docet iuſti, qui hic loquuntur, in huiuſmodi vijs debent ambulare, quo ergo pacto in ſemitis ambulare audent? Si regalis via ipſis ſternitur, & per eam incedere præcipitur, à præſcripto legis deficient per inuſitatas, & non tritas ſemitas ambulantes. Qui non recto tramite pergit, errandi periculo facilè exponitur. Si via ipſis deſignatur, ad quid nouam ſemitam calcare tentant? Optimè Oleaſt. *Expende verba ipſa. Dominus vias docet, ſed ipſi in ſemitis ambulant, quoniam multa præter legem homines inſpirati fecerunt, quæ conſilia dicuntur, & arctiora legibus ſunt*. Summa virtutis perfectio non eſt exequi, quod quiſque debet, ſed animoſa temeritate arctioris vitæ inſtitutum arripere, & ardua quæque aſcendere conſilia. Summa perfectio per regalem, & aſſuetam viam non obtinetur, neceſſè eſt per non tritas ſemitas ambulare, vt eximius virtutis apex compareturr.

2. Vt egregiam Iob perfecti viri perfectionem altè meditaretur, dixit ei Deus: *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus*. Cap. 39. verſ. 30. D. Greg. lib. 3. Moral. virum iuſtum, & eximiæ virtutis ſtudioſum hic delineatum agnoſcit, qui præcepto Dei adſtrictus non eo contentus eſt, ſed audacter eleuatur, vt in arduis, & excelſis conſiliorum rupibus ponat nidum ſuum, vbi præclaras virtutes gignat. Iuxta Hebræum habetur: *Rupem habitabit, & dormiet ſuper dentem petræ*. Sic enim habitatio aquilæ deſcribitur in excelſa, & prærupta petra tanquam dente, hoc eſt, ab alijs ſciſſa. Sed cur aquila ſupra excelſos, & præruptos petræ dentes habitat? Nonnè ſufficeret arborum cacumina aſcendere, & ibi ſcrutari? Auſculta Caietan. *Ratio* (inquit) *quare huiuſmodi excelſa eligat, creditur, quia indè poteſt aſpicere longè, & explorare cibum, ſi enim ſuper arborem ſe collocaret, impediretur proſpectus à frondibus ipſius arboris, in ſublimitatibus autem præruptarum rupium liberum habet intuendi ſpatium*. Non ſecus iuſti ad præcepta Dei eleuantur, illa piè tranſgrediuntur, & in conſiliorum præruptis, & acutis ſemitis ſe collocant, ne naturæ virentibus ſemper frondibus impediantur, quominùs virtutis cibum liberè explorare poſſint, ad arduas ſemitarum

ſilices

ſilices ſe eleuant, ne à pręceptorum via impedimento ſeſe deuient, & pium deuotionis propoſitum præceptum eſſe, arbitrantur, vt auidiùs ad ipſius conſecutionem anhelent. Sic *vbi* callidus ille ſerpens Prothoparentem Euam ad peccatum lethalis pomi eſu voluit inducere, à malè poſteà ſuaſa fœmina, tunc rectè repellitur. *De fructu* (ait)-*lignorum, quæ ſunt in Paradiſo veſcimur, de fructu verò ligni, quod eſt in medio paradiſi præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur*, Gen.3. verſ.3. Fœminea garrulitate mulier exceſſit Deum tactum ligni prohibuiſſe affirmans, nam Deus non tactum, ſed eſum inhibuit. An autem Eua fuerit mentita, necnè, non conueniunt Patres. Communiter illam à mendacio excuſant, quia per exaggerationem fuiſſe locutam arbitrantur: ſic Oleaſter, qui non modò in ipſius apologiam diffunditur, ſed in eius laudem: ſic enim ait: *Aut potiùs pius pater præcepit non tangere, licet ſcriptum non ſit, ne contingeret edere. Solet Dominus vias ad peccandum, ſeu initia præcludere, ne contingat peccare. Sic* Exod. 21. *mandat ſepem ad montis radicem ponere, ne contingeret aſcendere*. Vel certè quamuis Deus lignum tangere non prohibuerit, illud Eua prohibuiſſe credidit, vt præceptum tranſiliret, & vltra debitum ſe erigeret. Non ſolùm munus ſuum implere decreuit, ſed; ad plus teneri, quam ipſi præcipiebatur, fuit arbitrata, vt debiti metas tranſcenderet, & in virtutis agone de exceſſu triumphum reportaret. Sic præſtat arduam virtutis difficultatem exarmare, vt etiam quodammodò impoſſibile aggredi conſulamur, & vltra vires audere pia virtutis animoſitate.

3. Ad ſublime perfectionis faſtigium Chriſtus Dominus Diſcipulos ſuos aduocans dicebat. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Matth.5. v.48. Similitudinem nobis cum Patre ſuadet, vt tenet concors Patrum cohors. Sed cur non dixit eſtote Patri ſimiles, ſed eſtote ſicut Pater perfecti? Quibus verbis innuere videtur, non tantùm ſimilitudinem, ſed æqualitatem cum Diuina perfectione debere nos intendere. Nunquid in nobis facultas viget ad ſimilem cum Patre perueniendi æqualitatem? Cur igitur Chriſtus, quod noſtras, imò & Diuinas vires excedit, nam neque à Deo poteſt fieri, vt nos ipſi in perfectione coæquemur; Altiùs aude, quam potes, perficies amplius, quam ſperabatur: perficies quæ debes, ſi intendis, quæ non potes. Proponit Chriſtus ſignum ad collimandum, quo ſcit nos peruenire non poſſe, vt quo poſſumus, cum ingenti lucro perueniamus. Non præcipit nobis eo vſque progredi; ſed vt non deficiamus; ad non poſſibile vult nos eſſe intentos. Vt peritus ſagittarius, qui arcum laſſum agnoſcit, & vltra ſcopum collimat, vt ſic pertingat ſcopum: ſic conatus dirigendus eſt ad ardua virtutis, vel impoſſibilia, vt quæ poſſumus, & debemus, vtiliter pertingamus, & adimpleamus feliciter. Ad virtutis culmen conandum eſt, imò vltra culmen, vt totam illius virtutem aſſequamur: audaci magnanimitate impoſſibilia ſunt ambienda, contemnenda poſſibilia, vt præeminentem virtutis ſcopum pertingamus.

4. Poſtquam Chriſtus Dominus Diſcipulorum primas ſedes ambientium ambitionem repulit, vt viam ad ea, quæ deſiderabant, aſſequendi doceret, interrogauit illos: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Matth. 20. verſ.22. Quorſum Chriſtus à Diſcipulis expetit, quod ſciebat impoſſibile: etenim non dixit: poteſtis ſubire mortem meæ ſimilem, ſed quam ego ſubiturus ſum? Impoſſibile prorsùs erat puro homini tot perpeti cruciatus, & in tam ſæuiſſimis perdurare tormentis, quamdiù durauit Chriſtus. Cur ergo humanam fragilitatem excitat ad ea, quæ ipſius pręteruolant vires? Ad quid interrogat, an poſſent facere, quod nequibat fieri? Si fortiores vires tormenta ſuſtinenda exigebant, ad quid Diſcipulorum impotentiam palam proferre intendit, impoſſibilia ipſis ſuggerendo? Impoſſibile prouocat, vt poſſibile feliciter exequantur; & vt pia, ac virili temeritate conentur impoſſibile aſſequi, interrogat ipſos, an mortem ſuis viribus diſparem poſſint ſubire? Impoſſibilia in via virtutis ſunt intentanda, vt impoſſibilibus, quantum poſſumus, proficiamus. Neque impoſſibilitas operis nos à pio propoſito debet trahere, ſed conandum adhuc, vt dicebat Philo lib. de mundi opificio. *Non tamen ideò ceſſandum eſt, ſed ſtudio pietatis: vel vltra vires audendum*. Qui perfectionis ſummam glorioſè aſſequi intentat, religioſè audax non ſolùm arduum, ſed & impoſſibile ſuperare tentet exemplo Chriſti præmio, qui montem virtutum condenſum, arduum, & vmbroſum aſcendit, vndè pro merita gloria laude Cœlum, ac mundus ſunt repleta. *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan. Operuit Cœlos gloria eius, & laudis eius plena eſt terra*. Hic verſ.3.

DISCVRSVS XII. MORALIS.

Spes gloriæ mœrorem fugat, animumque tranquillat.

1. CVm audiſſet Vates, & à Dei oraculo accepiſſet futuram, quam Deus pollicebatur, libertatem de Babylonica ſeruitute, meliori eſt animo, & exindè oſtendit iam non eſſe, cur ſe ingruentibus malis

Digitized by Google

inpoſterum affligat. Quoniam cùm magno aliquo gaudio recreatur afflictio, ſuſtentatur, & erigitur animus ſpe melioris fortunæ, & omnis à pectore mæſtenti ægritudo detergitur. Hinc labores præſentis vitæ expectatione futuræ beatitudinis facilè tolerantur, quia pręmium eſt virtutis ſolatium, & laboris leuamentum, vt dixit Hieronym. ad Demetriadem. *Omne opus leue fieri ſolet, cum eius pretium cogitatur, & ſpes præmij ſolatium eſt laboris.* Aduerſus terriculamenta humani timoris armatur animus, & animosè ad ſubeundos labores excitatur ſpe vlterioris brauij, & illius dulcedo pręguſtata acerbitatem ærumnarum exarmat. Mærore plenus Meſopotamiam migrabat Iacob Eſau fratris iram fugiens. (Heu formidabilia fratrum odia.) Tutum ſe putabat apud exteros, inter ſuos periclitari timebat. Laſſus ex itinere Iacob ſiſtitur, & vt fatigatis membris aliqualem requiem pręberet, humi recubuit: cumque in ſomnis ſcalam cerneret, promiſſionemque Dei audiret, addit textus: *Profectus ergo Iacob venit in terram orientalem.* Gen. 29. verſ. 4. Caiet. ex Hebræo. *Eleuauit Iacob pedes ſuos.* Ideſt alacriter, & exultans viam arripuit. At vndè, qui tam deiectus animo exul erat à patria, & iras fugiebat Eſau, dilatato corde iam pergit? Ex Diuina nempe viſione, qua aliquando fruiturum præſagiebat. Adeò cœleſti beatitudine extitit animoſior, vt qui anteà tardo pede faciebat iter, poſteà potiùs aduolare, quam iter facere videretur: ad intuitum enim pręmij tardiores pedes plumeſcunt, & minima futurę glorię guttula perfuſus Iacob alacriter pennas induit, & ad labores quoſcunque tolerandos accingitur. nec enim minùs præmium, quam pedibus timor addidit alas. Feſtinat igitur Iacob, ad Labanum confugit, & cum ſeptem annos ipſi famulatetur, vt pulchrè Rachelis potiretur nuptijs, callidus Laban mentitus fidem, alios ſeptem ſeruire coegit, vt venuſtę puellę cupitis amplexibus frueretur. Si amor impatiens eſt; quis ferat alterius ſeptennij longam diuturnitatem? Quis amore flagrans ad tam longum curriculum ſpem protrahat? Audi textum. *Seruiuit ergo Iacob pro Rachel ſeptem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Ibi verſ. 20. ſi Iacob ęſtuat amore Rachelis, quomodò alij ſeptem anni videbantut illi dies pauci, cum potiùs pauci dies longiſſimi anni ipſi videri debuiſſent? Si bellę puellę nuptias, & libatos amplexus cupiebat, & vehementer deſiderabat, quomodò ſeptenni ſeruitij ærumnoſa, & dira calamitas parui temporis ſeruitus reputatur? Labor merendi ebibit dulcedinem pręmij, & dum ęrumnosè Iacob mętebat, delitiosè pręprópera fruitione quaſi potiebatur beata pręmij ſuauitate: dum laboriosè ſeruiebat, cupita felicitate non fraudabatur: quoniam ſpes pręmij ſolatium laboris eſt, & poſſeſſionem inchoat. Futura ideali gloria ab animo merente ſubleuabatur ęgritudo, & infelicitas non poſſeſſi ſpe felicitabatur: quia vehemens futuræ beatitudinis deſiderium animum dilatat, & triſtitiam fugat.

2. Sic Deus, vt Iſraeliticum populum ad mandatorum obſeruantiam alliceret, dicebat ad Moyſem: *Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos, vt faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini.* Numer. 15. verſ. 38. Non ſatis liquet, quæ in his verbis ſit conſequentia, & cur Dominus, vt mandatorum ſint memores, & ad illorum obſeruantiam accingantur, præcipiat, fimbrias veſtimentorum, quæ ex vittis hyacinthinis erant elaboratæ, reſpicere. Quid ille color poterat excitare, vt videat Deus ex illius intuitu legis obſeruantiam? Opportunè Theodoretus quæſt. 32. in Numer. *Color hyacinthinus cœli colorem imitatur: illos ergo meminiſſe volebat legis latoris, nempè qui omnia quidem repleat, propriè tamen cœlum incolere videtur.* Color, qui cœlum referebat, oculis ſemper obijcitur, vt cœleſte præmium cogitantes mandata omnia faciliùs exequerentur: ita vt nihil ſit aliud vittas hyacinthinas intueri, quam ad viam mandatorum Dei faciliùs, & iucundius percurrendam ſpe cœleſtis beatitudinis accingi, nam ardens adipiſcendi percupitum bonum affectus omnia tametſi difficilia aggreditur. Hùc etiam reſpicit, quod de illis animalibus currum gloriæ Dei vehentibus dicitur Ezechiel. 1. verſ. 22. *Et ſimilitudo ſuper capita animalium firmamenti, quaſi aſpectus chryſtalli horribilis.* Ad quid firmamentum animalibus ſuperponitur, cum ad laborem excitantur? Aptè ibi Rupertus. *Similitudo firmamenti ſuper capita animalium regnum immortalitatis eſt pro mercede paratum euangelizantibus, & ſuſcipientibus Chriſti Euangelium.* Quid ergo habent animalia ex eo, quod ſuper eorum capita beatitudo cęleſtis, & immortalitatis regnum ſit? Auſculta text. Pertinaciſſimo curſu velut fulgura diſcurrebant, quocunque ſpiritus dirigebat: ſiuè per terram, ſiuè per maria; omnia expeditiſſimè, ac velociſſimè conculcabant, & ſuper ea libero vagabantur pede: quicunque enim capite cœlum gerit, quicunque bona futura auidè ſuſpirat, cogitatione verſat, & confidenter ſperat, amara quæque conculcat, omnia humanę vitæ commoda deſpicit, & acerba hilariter ſuſtinet: quidquid delitioſum eſt in præſenti ſęculo, faſtidit, & ardenti ſiti ſuperna anhelat, & illis lenocinatus omnia alacriter ſuſtinet.

3. Hinc Præco ille magnus Dauid milites hortaturus, vt ſtadium virtutis viriliter percurrant, præmium beatitudinis prius obijcit. *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum.* Pſalm. 1. verſ. 1. Vbi D. Ambroſius energiam ſolicitatæ ſpei agnoſcit: *A præmio cæpit, vt pon-*

pondus futuri certaminis eleuaret. In certamine namque nec pericula terrent, nec vulnera ſentiuntur, ſi corona, ſi præmium expectetur. Vt enim aiebat Tertullianus aduerſus Gnoſticos: *Corona præmij vulnera, palma ſanguinem obſcurat*. Idcircò Chriſtus Dominus mandata omnia ſuaue onus, ac iugum leue appellauit: *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue*. Matth. 11. verſ. 30. Verùm quis neget oneroſa, ac difficilia eſſe aliqua præcepta? Inimicum diligere, à voluptatibus abſtinere, carnem ſemper aduerſus ſpiritum pugnantem cohibere, & alia plurima quis laborioſa eſſe abnuet. Quo ergo pacto leuia, & ſuauia dicuntur? Rectè Theophilat. *Dicuntur omnia mandata Chriſti iugum leue: quoniam propter futuram retributionem leuia*. Licet in ſe ardua videantur multa, quæ præcipiuntur; aſpectu tamen ad gloriam, & felicitatem, quibus eorum obſeruantia muneranda eſt, leuiſſima ſunt: quia ſpes retributionis eorum difficultatem exarmat, & dum gloriæ futuræ ſaporem in ipſis guſtatur, omnis eorum acerbitas ab inſuſa ſpei ſuauitate dulceſcit. Hinc duo illi Angeli, qui in die Aſcenſionis apparuerunt in veſtibus albis, vt Diſcipulos ſtantes, & aſpicientes in cœlum ſolarentur (quia valdè erant anxij præ triſtitia de Magiſtri abſentia) hanc de reditu ipſius ſpem repoſuerunt. *Hic IESVS, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodùm vidiſtis eum euntem in cœlum*. Actor. 1. verſ. 11. Quaſi dicerent: Ne nimis de huiuſmodi abſentia doleatis: quia qui modo recedit, poſteà redibit: ipſum expectate, & in huiuſmodi ſpe veſtri mæroris ſolatium inuenietis. Hac enim unica expectatione iuſti ſuauiter ineſcati omnes pręſentis vitę moleſtias facilè deuorant, & in ipſa ſpe gloriæ, non minùs quam in ipſa gloria, exultant. Vndè Paulus ad Rom. 5. verſ. 2. *Per quem* (ſcilicet Chriſtum) *gloriamur in ſpe gloriæ*. At quo pacto ſpes gloriæ gloria dicitur? Nam ſpes negotium eſt deſiderij, non poſſeſſionis, non obtenta anhelat, & ad non poſſeſſa ſuſpirat; gloriæ felicitas res eſt gaudij, & poſſeſſionis: poſſeſſio autem, & ſpes non compatiuntur, quia vna alteram foras mittit. Tamen licet verùm ſit, ſpe gloriæ gloriam excludi, ita animum exhilarat, vt quodammodò beare, & glorioſum reddere videatur. Futuræ gloriæ denunciatio ſic homini lenocinatur, vt in ipſa quaſi in beatitudine quadam glorietur.

DISCVRSVS XIII. MORALIS.

Tunc ad Deum per ſimilitudinem aſcendimus, cum bona noſtra opera non in fœcunda ſunt, ſed ſe mutuò gignunt.

1. ACutè ſanè obſeruauit Philo circa creationis opera diſcrimen, quod inter illa, & hominum opera verſatur; opera namque hominum ſemper imperfecta remanent, eo quod ad finem, quem intendunt, non perueniunt, vel ſi perueniunt, ita, ibi quieſcunt, vt illis alia opera non gignantur. Domum conſtruxit homo, & adeo fatigatus remanet, vt nec animus ſuperſit vlterius ædificandi. Idem in ſpirituali opere contingit. Eleemoſynam largitur optimo perſcripto fine, irrepit gloria vana, & quod à principio ſanctum fuit opus, deficit, & deinceps non Dei, ſed gloriæ vanæ opus eſt. Non ſic Dei opera: quia cum ex perenni illius infinitæ ſapientiæ fonte ortum ducant, neque fatigantur, neque quieſcunt; verùm alia ita concinnè poſt alia ſequuntur, quòd quorundam fines aliorum fiunt initia. Diei finis noctis eſt initium, finis noctis principium diei: menſes, & anni finiuntur, in ſuiſque finibus aliorum annorum, qui ſequuntur, ſunt principia, aliorumque menſium, qui continuantur. Quædam corrumpuntur; ſed non ob id finiuntur: quoniam alterna viciſſitudine in quorundam corruptione aliorum extat generatio. Hanc legem vel in ipſis plantis collocauit Deus, vt ex ipſis homines accipiant: earum enim finis eſt fructum ferre, & in hoc ad alium gignendum ſemen ineſt. Talia opera noſtra eſſe debent, vt vnum alterius ſit principium, & in vnius fine fœtus gignatur alterius, vt ad Deum per ſimilitudinem repetita virtutum generatione aſcendamus. Etenim paradiſus à Deo plantatus, in quo primò hominem collocauerat (*Plantauerat autem Deus paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem*. Geneſ. 2. verſ. 8.) ipſius hominis virtutum fœcunditatem referebat, & in illo legere voluit, quo pacto in via virtutis debebat proficere. Locum autem illum delitiarum, qui *Edem* vocabatur, ad Orientem fuiſſe nemo dubitat: ſic enim præcitata verba 70. tranſtulerunt: *Plantauerat Deus hortum in Edem ad Orientem*. At cur virtutum ſchola, quas homo colere tenebatur, ad Orientem erigitur? Niſi quia ſic excolendæ ſunt virtutes, vt perpetuò regenerentur, & perenni natiuitate germinent. In Oriente ſemper debent apparere, quia ſemper debent oriri, & vel ab occaſu vitam mutuare, & vnius finis aliam parturire, & repetitis

par-

Digitized by Google

partubus ſe mutua fœcunditate adaugere.

2. Vndè pauidi ſemper, & diffidentes de noſtris bonis operibus debemus eſſe, vt de illis pœnitentiam agamus, quaſi culpæ forent, quo nunquam ab eis ceſſemus. Pſalm. 146. verſ. 3. aiebat Regius Pſaltes: *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*. Deus eſt, qui contritis, & mæſtis corde, deque peccatis dolentibus peccata remittens eos ſanat, & qui eorum confractionem circumligat metaphora ſumpta à Chirurgis, qui vt ſanent vulnera, & rupturas, membra circumligant. Sed cur illas priùs dicitur ſanare, & circumligare poſteà, cum è conuerſo deberet dicere? Si enim rupturæ ſolidatæ ſunt, ad quid eas faſciat, & ligat? Si infirmus conualuit, ad quid ægritudinis remedia applicantur? Verùm hoc myſterium eſt ſano: faſciam Deus ponit, vt ſe homo exiſtimet ægrotum, vt cum ſe circumligatum videat, curam ſalutis habeat, quaſi non ſanatus fuerit, Prodeſt Hugo Cardin. *Inſtar Medici, qui frangit, quod tortum eſt; & indè alligat, vt fiat rectum*. Præſtat ad temperatè viuendum, & ſalutem conſeruandam ipſam credere defeciſſe, & non ſanum ſe reputare, & ad virtutem augendam illa demeruiſſe. Eandem ſententiam repetit Dauid Pſalm. 125. verſ. 6. vbi de iuſtis proficientibus ait: *Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua*. In euntibus prouectus vitæ ſanctiſſimæ deſignatur, in qua benè ambulãdo ſemper proficitur, vt rectè aduertit Caſſiodorus, qui verbum *ibant* de virtute in virtutem continuo profectu accipit. Si ergo in virtute medijs operibus proficiebant, cur ſemina ſua mittentes deplorant? Si ſemina ſunt bonorum operum, cur flendum eſt, cum ea ſpargunt? Fleat oportet, qui peccata ſeminat, quoniam ipſis Deum offendit; aſt qui in bonis operibus proficuè exercetur, ad quid deplorat? Fletus enim pœnitentiam olet ob commiſſa peccata. Præſtatnè de bonis operibus pœnitere? Pulchrè D. Fulgentius ad difficultatem. *Quam benè ſanctus Propheta ſemina bonorum operum riganda docet flumine lacrymarum: omnia enim ſemina non germinant; niſi fuerint irrigata*. Vt virtutes pullulent, & bona opera mutuò germinent, neceſsè eſt de illis diffidere, & quaſi Deo diſplicuerint, ſuper illa largiter lacrymas effundere. Ingenium, & artificium augendæ virtutis eſt ipſam culpam reputare, vt ex illa quaſi ex peccatis excitentur lacrymæ, & iugiter bona opera exerceat, qui nullum exercuiſſe credit.

3. Exod. 28. inter duodecim illos lapides, quos ſummus Pontifex ſupra pectus afferebat, & qui duodecim Tribus Iſrael adumbrabant, Tribui Iſſachar ſapphirus reſpondebat, cuius color pallidus, & praſſinus eſt. Arcanè autem illorum lapidum naturæ proprietates Tribuum referebant. Ideò ambigere licet, cur Tribus Iſſachar, quæ ſtudioſior erat, & virtuti magis dedita, in ſapphito inſculpebatur? Pallido colori diffidentia tribuitur: & idcircò in ſapphiro grauatur virtuoſa, & proficiens Tribus Iſſachat: quia prudens, & qui Deo placere intendit, non debet in bonis operibus ſibi multum placere, ſed de illis cautè diffidere, ita vt ex opere bono non tali reputato, de nouo ad operandum ſe excitet, & noua, ac meritoria proles ex alia reſurgat. Vndè egregiè D. Auguſt. ſerm. 14. de verbis Apoſtol. *Semper tibi diſpliceas, quod et, ſi vis peruenire ad id, quod nondum es: nam vbi tibi placuiſti, ibi remanſiſti. Si autem dixeris: ſufficit, & peryſti. Semper adde, ſemper ambula, ſemper profice, noli in via remanere*. Et Tertullianus lib. de caſt. cap. 3. *Promereri nolle delinquere eſt*. Vndè annotauit Hieronymus, quòd cum ea omnia, quę in templo illo auguſtiſſimo Ezechieli obiecto certo pondere, numero, ac menſura clauderentur (vt intueri licet in cap. 43.) gradus tamen, quibus ad propitiatorium aſcendebarut, nullo certo numero continebautur, neq; eorum aliqua ratio habetur. Quod conſultò prætermiſſum putat Hieronymus, vt innuatur, nunquam nos de gradibus acquiſitæ virtutis rationem habere oportere, vt ſemper neque vnum gradum aſcendiſſe credamus. Propterea graduum numerus incertus relinquitur, vt quantocunque ſtudio ad altiora ſcandere potuerimus, in inferioribus nos putemus collocatos; & cogitemus illud Pſalmiſtæ. *Ibunt de virtute in virtutem*. Semper in virtutis rudimentis verſari proficuum eſt cogitare, & in inferioribus gradibus eſſe conſtitutos, vt noua, & fæcundiora germina ſemper pullulent.

4. In ſe reuerſus Prodigus ille filius ſtatuit ad domum Patris reuertere, & ſua peccata coram ipſo confiteri: *Pater peccaui in cœlum, & coram te*. Lucæ 15. verſ. 18. Surgens ergo ad patrem acceſſit, qui præpropera beneuolentia illum benignè excepit: & poſt libatos amplexus, & alia amoris ſigna dixit Prodigus: *Pater peccaui in cœlum, & coram te, non ſum dignus vocari filius tuus*, Sic ſe iam remiſſum videt, & tot fauoribus cumulatum, cur adhuc ſe reum reputat, & verbis vtitur, quæ contritionem peccatorum ſignificant, & eorum indulgentiam expoſtulant? Si ad patris gratiam recipitur, & eius potitur fauoribus, cur adhuc ſe peccatorem reputat? Opportunè Caietan. *Suſcepta gratia non excludit, ſed exequitur ſanctum propoſitum*. Adhuc poſt libata oſcula, poſtquam peramanter ruit in amplexus, & toto patris gratioſo beneficio fruitur, nihil profeciſſe credit, quia multum proficere deſiderat, & vt à ſancto propoſito non diuellatur, poſt ſuſceptam gratiam adhuc ſe peccatorem fatetur, & memoriam refricat præteritorum ſcelerum, vt acutè excitetur ad virtutis, quam iam profitebatur, ſequelam. Nunquam enim, qui perfectionis deſiderio

ſta-

flagrant, quieſcunt, ſed continuò nouarum virtutum geneſi cogitant. In accipitre ſancti Patres virum perfectum agnouere, præcipuè D. Gregorius lib. 31. cap. 18. D. Antonius Pataninus Dec. 1. quadrag. ſer. 2. & Gloſa ad locum illum Iob c. 39. *Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter expandens alas ſuas ad Auſtrum?* Verùm cur rapaci, & cruento accipitri mitis, & innoxius iuſtus comparatur? Audi Antonium: *Accipiter hoc in loco virum iuſtum ſignificat, & nota, quod accipiter duo facit, pede capit, & non capit auem niſi volantem: ſic vir iuſtus pede affectus capit, & non capit niſi volans, de terrenis non curat.* Optimè iuſtorum genium depictum. Sed ad rem noſtram illud facit, quod refert Magnus Albertus in hiſtoria animal. de quadam falconum ſpecie ex accipitris genere, qui non contenti ex eo quod ad auem vnam feriant, columbam ſcilicet aut perdicem, alteram & alteram inſequuntur, & ex vna occiſa ad aliam occidendam incaleſcunt, & maxima auiditate eas aucupari conantur, vbi primo capere cœperunt. Quod ad virtutum opera maximè inflectendum eſt, in quorum progreſſu ſemper, & per ſingula tempora proficere oportet, & acquiſitis non otiari, ſed auidiſſimè ad non poſſeſſa anhelo deſiderio intendere. Sic enim Deus, cuius ſanctitas nequit accreſcere, cum infinita ſit, homo factus illam quaſi de nouo generauit, & nouo ſanctitatis titulo inſignitur, quem ex operibus naturæ aſſumptæ ſibi acquiſiuit, vt hic fatetur Habacuc. *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan.* Hic verſ. 3.

Verſ. 4. Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius: Ibi abſcondita eſt fortitudo eius.

Verſ. 5. Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus antè pedes eius.

ANNOTATIO IV.

Expoſitio Litteræ.

1. CRedo hic omnia verba futuri temporis poſita pro præteritis, vt reſpondeant hiſtoriæ antiquæ, ad quam hæc pars prophetię refertur: docet enim Vates ſplendorem illum, qui (Domino ſuper illis montibus, de quibus ſupra, apparente) videbatur, fuiſſe lucis fontem, & ad modum Solis, qui montes implet. Protendebant porrò duo cornua illa, quibus Deus ventulaturus erat Amorrhæos Iebuſæos, & reliquos Palæſtinæ habitatores, quamuis eſſent fortiſſimi Gigantes. Et ſicut ante debellaturus Chananæos horribilem ſe præbuit in ſcintillante nube, & frefremente monte Sinai: ſic etiam cum eodem Spiritu atque furore expugnaturus veniet Iudęorum gentes per Chaldęos, & ſplendorem adducet, ſplendor enim gloriam ſignificat & claritatem, qualem afferre ſolet, qui margaritis, & pretioſis lapidibus fulget, aut armis terſis atque nitentibus induitur. Splendor apud nos eſt lumen procedens à Sole: lux verò eſt ipſe fons, vndè manat ſplendor. De Deo igitur bellatore, & ad dimicandum parato hic ſermo eſt. Sed tamen ſi de veſtibus ſplendidis, quæ pretioſis ornantur lapidibus, ſit intelligendum, credo ſimilitudinem ducere à Sole, vel ab igne, ad quorum ſplendorem referimus huiuſmodi ſculptas veſtes.

2. *Cornua in manibus eius.* Variè à varijs hic verſus explicatur, & inprimis cornua potentiam ſignificare ſolemne fuit apud Iudæos: nam Sedecias ille pſeudopropheta duo ſibi ęrea cornua fecit, & Regi Achab dixit: *His ventilabis Syriam, donec deleas eam.* 3. Reg. 22. verſ. 11. Et Zaccharias: *Erexit cornu ſalutis nobis.* Lucæ 1. ſimiliter David. *Nolite extollere in altum cornu veſtrum.* Deducitur autem metaphora à feris cornipetis, in qua ventilare cornu dicuntur, vel cornu petere, qui aliquos debellant, proſternunt, proculcant, & proterunt. Aptè igitur per cornua mors, & diabo-

diabolus intelliguntur. quorum mentio mox ſubinfertur, quaſi ſe explicet Propheta, & quid cornuum nomine ſignificare voluerit exprimat, quod vſitatiſſimum eſt in ſcriptura; id enim, quod prius ſubobſcurè, ac metaphoricè dixerat, perſpicuè atque enodatè ſtatim declarans ſubiungit: *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.*

3. Deum porrò mortis atque diaboli miniſterio, quaſi oppoſitis cornibus, in hoſtes ſuos euehi non ſemel ſcriptura teſtatur, illudque Dauidicum Pſalm. 77. verſ. 49. ſatis manifeſtat. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos, viam fecit ſemitæ iræ ſuæ, non pepercit à morte animabus eorum, & iumenta eorum in morte concluſit.* Ecce diabolo, & morte, velut cornibus, in Ægypto Dominus, & viam ſibi debellandis hoſtibus aperuiſſe, & ab homine vſque ad pecus vaſtaſſe, ac perdidiſſe dicitur. Horum ſimilia nunc infert Habacuc, Deum nempè, pro Iudæorum iniquitate, idest, pro pœna ſceleribus illorum debita, diabolo, ac morte, velut cornibus oppoſitis in ipſos irruiſſe, & ipſorum vrbes ventilaſſe. In his autem cornibus abſcondita dicitur fortitudo Dei, eo quòd diabolus, & mors tanquam vas interfectionis Deo ſunt. Manus autem Dei in Sacra Scriptura inter alias ſignificationes Dei potentiam atque fortitudinem denotat, vt Num. 11. verſ. 23. *Nunquid manus Domini inualida.* Ergo cornua in manibus eius metaphoricè dicit Propheta, ac ſi diceret: Aſſumpſit Deus ad miniſtros, & ſatellites fortitudinis ſuæ mortem, atque diabolum, quaſi arma quædam, & inſtrumenta, quibus potentiam, & fortitudinem ſuam in vltionem, ac vaſtationem Iudæorum exerceret per Chaldæos, hiſque terram Deus Iudæorum ingrederetur, vt expulſis indigenis Iſraelitis, Chaldæos inibi collocaret. Mortem, & diabolum cornua eſſe, in manu Dei præcedentia, & quod Vates è veſtigio ſubiungit, Dei fortitudinem latere, vel aſſeruari in his cornibus, idem eſt: moris enim eſt Diuinis Autoribus, & ante alios precipuè Habacuc, obſcuris lucidiora ſubtegere, & quod prius ſub ęnigmate dixerat, apertis ſine mora proferre. Vel denique per cornua Chaldęorum exercitus venit accipiendus, quo Deus, tanquam in cornibus, Iudęorum gentem ventilauit, & in quo Dei fortitudo abſcondebatur, non enim Chaldęi ſuis viribus illa grandia facinora ediderunt, quæ in debellanda Iudæa legimus, ſed Dei manu, quæ & roborabat Chaldæos animum, & vires præſtando, & Iudęorum turbabat conſilia, atque frangebat ſpiritus. Pugnabat igitur Deus in Chaldæis, quod & alij, & ipſi ignorabant: quare in eis pugnantibus, quaſi in cornibus abſcondita erat Domini fortitudo, ſicut & in manu Aſſur Dei ſęuientis fortitudo, & virga furoris Domini eſſe dicitur Iſaiæ 10. verſ. 5. *Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe: in manu eorum indignatio mea,* Quod Aſſur non intellexit, ſiquidem ſuis dextra, & armis arrogabat victorias. *In fortitudine manus meæ feci, & in ſapientia mea intellexi, & abſtuli terminos populorum, & Principes eorum deprædatus ſum.* Ibi. v. 13. Dicitur igitur in Nabuchodonoſor Dei fortitudo abſconſa, quia in eo Deus pugnabat cum Iudęorum frangebat vires, & ex fortiſſima ciuitate opimas reportabat excubias: licet enim vulgares oculos lateret, ibi tamen Dei fortitudo pugnabat.

4. Allegoricè autem variè hi verſus accipiuntur, precipuas tamen Patrum intelligentias breuiter attingemus. *Splendor eius vt lux erit.* Plerique de factis, & miraculis Chriſti hec verba capiunt: quod maximè quadrat, ſi cornua ſplendores ſignificent, vt habent Hebręi codices. *Splendores de manu eius.* Significatur enim, magnum forè ſplendorem, qui ex eius operibus ſplendidiſſimis Chriſto reſultabat, quod enim de manu exit, opus eſt. Opera autem Chriſti talia fuerunt, vt nomen illi conciliarent admirabile, propterea enim gloria, & honore fuit coronatus, ſplendor enim illorum, vt lux Solaris fuit, quia ſicut Sol radijs ſuis omnia complet, & luſtrat: ſic etiam omnia Chriſtus Euangelico ſplendore luſtrauit. Quaſi diceret Propheta, opera, & facta Chriſti non erant, vt ſplendores aliorum hominum, qui non à ſe, ſed ab attauis, & alijs ſplendent: erant enim vt lux, quæ ipſiſmet operibus nitebat.

5. *Cornua in manibus eius.* Plerique Patres cornua hæc Dominicam Crucem eſſe, reputant, cui tribuunt mundi, infernique victoriam. Hieron. in epiſt. ad Paulinum

vbi

Digitized by Google

vbi ſic fatur: *Habacuc luctator fortis, & rigidus ſtat ſuper cuſtodiam ſuam, & figit gradum ſuper munitionem, vt Chriſtum in Cruce contempletur, & dicat: Operuit cœlos gloria eius, & cornua in manibus eius.* Itaque cum cornu inſigne potentis bellatoris, ac inſtrumentum victoriæ ſit, Cruce Chriſtus quam pro cornu accepit, aduerſarias poteſtates, & ventilauit, & profligauit, & per eam ſibi omnia ſubiecit, vt habetur Ioan. 12.verſ.32. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Quæ autem nos brachia in Cruce vocamus, aptè cornua vocari poſſunt. Verba autem, quæ in Vulgato habet Propheta, per hypallagem ſumenda ſunt,ita vt commutatæ voces hunc ſenſum reddant: *Manus eius in cornibus Crucis.* Ita lib. 4. Reg. 9.verſ.30. vbi Vulgatus ait de Iezabel: *Depinxit oculos ſuos ſtibio*, in Hebræo eſt, *poſuit oculos ſuos in ſtibio, pro poſuit ſtibium in oculis ſuis.*

5. *Ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Cum confixus Chriſtus pendebat in Cruce, cornua habebat in manibus, & pugnabat, ſed occultè, nam in illa humilitate paſſionis latebat fortitudo eius, & virtus Diuinitatis, humanitatis autem infirmitas manifeſtabatur.

6. *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.* Communiter Patres hæc de Chriſti victoria accipiunt, qua ſubiugauit orbem infernas euertit poteſtates, fauces obſtruit inferni: cœlorum clauſtra reſerauit, ſecundum illud Oſeę cap.13.verſ.14. *Ero mors tua, ò mors, morſus tuus ero inferne.* Et illud Ioann. 12. verſ.31. *Princeps huius mundi eÿcietur foras.* Licet enim tam egregium opus manus exigeret ſolutas, pedes veloces, & expeditos ad curſum, robuſtum corpus, & contraria omnia iis, quę ſpectámus in Crucifixo, tamen in illa ſpecie infirma, in illis cornibus Crucis Chriſtus habuit giganteam fortitudinem abſconditam, qua diaboli poteſtatem profligauit.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Crux Chriſti regni, ac Diuinitatis eius veritatem propalauit.

1. A Ligno, quod infamiæ, ac dedecoris erat nota, regalem decorem, & regiam dignitatem rimatus Iſaias dicebat: *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum eius* cap.9. verſ.6. Ingenitum in ligno regnum, quod ſuper humeros Chriſtus portauit,ab vtero trahere, tenello corpore ſuſtinere auſpicatus, iam exindè maieſtatem regni publicabat, vbi ſcandalum fuit Gentibus, quia criminis obrepebat ſuſpicio veritatis regni rutilabat honos: quia non modò homines Cruce Chriſtus redemit, ſed & ipſam Crucem ab infamia, quam vſque tunc patiebatur, reddidit immunem, & regali ſtemmate condecoratam. Quod pulchrè annotauit Bernardus, *Crucem, quam imperij nomine ſignificauit, natiuitati ſtatim adiungit, quia profectò à natiuitatis exordio paſſio Crucis exorta eſt. O quanta charitas. Vix natus eſt IESVS, & ecce recenti ortui Crucis ignominia, Crucis dolor copulatur: ſed redemit Crucem imperij nomen verum.* Ponderanda ſunt hæc vltima verba. *Redemit Crucem imperij nomen verum.* Abſtergit enim à ligno maculam dedecoris, & in illo imperij, ac regni eius veritas reſplenduit. Hinc Ambroſ. (de obitu Theodoſij) piam Helenæ ſolicitudinem, & deuotionem, qua & Crucem inquiſiuit, & extulit, ponderans, ex Cruce coronas fabricari, quibus deinceps Imperatorum tempora cingebantur, dicebat. Quia ex quo verus Rex in Cruce extitit, quod anteà ignominioſum ſceleſtis erat ſupplicium, iam corona, & regale ſceptrum euaſit, vt dicebat S. Ephren. in ſerm.de Cruce. *Hæc rurſus in ſecundo aduentu Domini prima in cœlo apparebit, tanquam pretioſum, & venerabile, & ſanctum Regis Chriſti ſceptrum ſecundum verbum Domini dicentis: & apparebit ſignum filij hominis in cœlo.* In ligno igitur, quod infame patibulum extiterat, regni Chriſti veritas fuit aſſerta, & nobilitatis inſigne ex tunc habetur.

2. Purpura, & imperiali faſtu induitur Chriſtus Dominus, vt illudatur, militariſque cohors murice veſtitum ipſum deridet, & in maieſtatis ludibrium genuflexo dicebant: *Aue Rex Iudæorum*: vt ſic de tyrannide ipſum accuſarent, & inſultarent publicè de vſurpatione regni hoc enim prætendebant, vbi regia veſte ipſum induerunt. Verùm cum ad Crucis patibulum defertur, chlamyde exuitur purpurea, & proprijs veſtimentis induitur. *Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum clamyde, & induerunt eum veſtimentis eius, & duxerunt, vt crucifigerent.* Matth.27. verſ.31. Demira-

mirare huiuſmodi diſcrimen: cum ad Crucem adducitur, regali purpura exuitur, & propria veſtimenta reaſſumit. Planè cæcutit Iudæus: ſi ipſum in ſignum vſurpati regni croco induit; cur non ipſum ad patibulum ita adducit, vt criminis, quod inſimulabat, inſignia deferret? Adducatur purpura ad Crucem, vt publicè arguatur de culpa, quam ipſi imputabant. Verùm ſuperno conſilio id ita accidiſſe non ambiges. Dum iocosè, & illuſoriè de vſurpato regno deridetur, purpuram induit, quæ iocoſum regnum perſuadeat. Verùm cum Cruci ſuffigitur, ludi purpura exuatur: quia regni ludus ceſſauit in Cruce, & veritas innotescere cœpit. Ibi Regis, qui regnauit à ligno, maieſtatem omnis creatura agnouit. Quatitur terra euulſis ſcopulis: lux cœleſtium aſtrorum occubuit: latro ipſius regnum prædicauit; omnis natura imperium confitetur. Illuſoria chlamys, quæ iocosè regnum deſignabat, non accedit ad Crucem: quia ibi regni veritas ſtriò omnibus oſtenditur. Succinit Hieronym. ad prędicta Matth. verba. *Quando flagellatur IESVS, non habet propria veſtimenta; cum autem crucifigitur, & illuſionis pompa præterierit, tunc priſtinas veſtes recipit, & proprium aſſumit ornatum, ſtatimq; elementa turbantur, & Creatori dat teſtimonium creatura.* Vis quam verè Iudæi eius regnum in Cruce agnouere, cognoſcere? Audi ipſos ſuggerentes: *Si Filius Dei es, deſcende de Cruce*. Matth.27. verſ.40. Nobilitate verborum, Diuinæque filiationis æncomio occultat Iudæus lethale vulnus, ſuadetque vt deſcendat ſub vocabulo Filij Dei. Cur ita? Si paulò ante ipſum illudebat, & maieſtatis croco tingit ad deridendum: quomodò iam ipſum Filij Dei epitecto honorat? Cuius ante maieſtatem irridebant, mox vt in Cruce affigitur, potentiam agnoſcunt, quia eius à Cruce regnum innotuit, & imperij veritas enituit. Præſentit tibi diabolus virtutem, qua eius caput erat conterendum,& tremore correptus ipſum à Cruce auellere ſatagebat? Vbicunque enim de Cruce agebatur, baculum, quo erat interficiendus, horrebat.

3. Acutè ſanè ponderauit Chryſoſt.(hom. 11.in Matth.) quod Chriſtus Dominus Satanam Apoſtolorum Principem compellauerit ſtatim, ac ipſum Eccleſiæ caput conſtituit. *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi*. Matth. 16.verſ.23. quę huius nouitatis cauſa? O bone Deus, vix eximium honorem Petro exhibes, & clauicularium regni cœlorum conſtituis, cum ſtatim magno dedecore afficis ipsū, quem Vicarium conſtituis, Satanam appellas? Cur ita? Audi Chryſoſtom. *Si Apoſtolorum Princeps, antequam Crucis myſterium diſceret, Satanas vocatus eſt, quia dixit: Abſit: quam veniam impetrabunt, qui vbique iam prædicatam Crucem Chriſti negare audent?* Dixerat Chriſtus, ſe in Cruce moriturum. *Quia oportet eum ire Ieroſolymam, & multa pati à ſenioribus, & Scribis, & occidi*. Ibi v.21. Vt autem Petrus Crucem audiuit, ait: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc*. verſ.22. Et quia Satanas Crucem aufugit, ab illaque diſcedit, qua victus, velut canis à baculo, quo fuit percuſſus, Apoſtolum à Cruce fugientem Satanam vocat: quia eodem ipſum, ac dæmonem timore correptum aſpicit. Vbi Petrus Crucem formidat, Satanas vocatur, quia ipſius terrorem manifeſtat, quippè qui Crucem aufugiebat, à qua ſe contritum, & eneruatum auſpicabatur.

4. Verùm licet in Cruce deuictus dæmon, ſpoliatus infernus,& agnoſcentes eius regnum Iudæ apparuerint: adhuc non ceſſabant ipſum blaſphemare,& conuitijs appetere. *Prætereuntes*(ait tex.)*blaſphemabant eum mouentes capita ſua,& dicentes:Vah qui deſtruis templum Dei &c.* Matth. 27. v.39. Vbi pulchrè annotauit Ambroſ.in Cōment.pſ.61. irriſoriè loqui. *Tranſeuntes* (inquit) *mouebant capita ſua: tranſeuntes,non ſtantes: ſtantes, non tranſeuntes ſunt pedes benedicentium.* Magnum myſterium in verbis Euangeliſtæ latet, dum prętereuntes blaſphemaſſe, affirmat: nam ſi attentè conſideraſſent maieſtatem pulchritudinem, & bonitatem pendentis in Cruce, & non per tranſennam, ipſius regnum, & virtutem rimari, ſicut latro, qui attentè inſpexit, erat neceſſe. Sic regalis poteſtas à Cruce nitebat, vt quicumque eam permanenter aſpiceret, probè noſceret, & in aperto, & clauis exarato illo libro, imperium, & Diuinitatem legeret. Nam vt grauiter dixit Damaſcenus omnia Dei attributa eluceſcebant in Cruce. Vnum, vel alterum in cæteris operibus oſtendebatur: in inferno iuſtitia: in gloria bonitas, in mundi gubernatione ſcientia: potentia in illius fabrica: at in morte omnia reſplendebant attributa. Ibi enim, vbi eius virtus videbatur confracta, integrior apparuit, & quæ latebat Diuinitas per contriti corporis rimulas ſcintillauit. Dum corpore lacerus, & confractus in Cruce apparuit, eius virtus magis renituit, & artificio Crucis contritus Diuinitatis ſpirauit odorem, & eruore ſanguinis venuſtior refloruit, beneficio Crucis illuxit Diuinitas, & vbi deſtrui videbatur, mirum in modum, & inuerſo rerum ordine fuit ædificata.

5. Loquitur Ieremias (Thren.2.verſ.8.) de euerſione Ieroſolimæ, & aduerſis vocibus quaſi turbatus præ mærore animi illius ruinam præſagit. *Cogitauit Dominus diſſipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum ſuum, & non auertit manum ſuam à perditione, luxitque antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt*. Quid eſt, ô Domine, quod ad deſtruendum murum funiculum tendis? Hic enim non ſolet diſtendi, niſi in conſtructione ædificij? Qui murum vult deſtruere, inſtrumenta capit, quibus impetitur, & euelluntur lapides à proprijs locis: aſt funiculus, & plumbum non mittuntur, niſi quan-

quando quis ædificare intendit, vt ædificij parietes rectè extruantur. Diſcant hic Principes, & Dynaſtæ non præcipitanter illos deſtruere, quos anteà extruxerunt, & magnis fauoribus cumularunt, ſed moderatè, & rationabiliter. Inter linealis locum accipit de Chriſto Domino in patibulo Crucis ſuffixo: *Cogitandi facultatem reliquit, diſſipare murum filiæ Sion, ideſt, Chriſtum: tetendit funiculum ſuum, vt nihil faciat ſine menſura.* Illis igitur inſtrumentis, quæ ad ædificandum deſeruiunt, vt ſunt Iudæi ad deſtruendum murum filiæ Sion, qui eſt Chriſtus: quia quo magis ipſum diſſipare tentabant, magis extruebant: quo magis eius humanitas fuit attrita, eo ſplendidiùs emicuit Diuinitas. Crucis artificium, quod in deſtructionem vergebat, in ædificationis funiculum vertebatur: quia ignominiæ Crucis, quibus flagitioſi ſordebant, ipſius commendabant honorem: lacerata caro Diuinitatis emittebat radios, & pulchrior à læſione apparebat. Hinc illud amatorium carmen: *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua.* Cant. 4. verſ. 3. Plures ad Chriſtum referunt, maximè qui Hebræo legunt: *Sicut flos mali punici.* Quia vt tradit Columela, flos mali punici id peculiare habet inter alios, quod Euri flatibus neque decidit, neque marceſcit, ſed magis ſuæ arbori adhæret, & eodem vento, quo cæteri decidunt flores, ille magis vernat, & luxuriatur. Chriſtum Dominum ad hunc florem in monte referas: nam in ligno, quod noxijs erat infame patibulum, flagitioſis ignominioſum ſupplicium, vbi cœterorum honores marceſcebant, magis vernauit, floruit, & vigorem Diuinitatis oſtendit. Nec minùs aptè Vulgata lectio: *Sicut fragmen mali punici* arridet: nam, vt notauit Beda, Eccleſiæ pulchritudo non integro malo punico, ſed fracto æquiparatur: *Quia quò ampliùs illam frangi contigerit, eo clariùs: quot virtutum grana vnius fidei tegmine complectitur, referuntur.* Non aliter Chriſtus toto corpore in Cruce confractus Diuinitatem ſuam palam oſtendit, & vbi Iudæus ipſius moliebatur ignominiam, ſigna Fidelis Diuinitatis inuenit illuſtria: nec ſolùm Crucis beneficio natura fuit exaltata Diuina, ſed humana, & Angelica ad vltimum honoris faſtigium aſcenderunt.

6. In excelſo maieſtatis ſolio Iſaiæ Dominus apparuit c. 6. verſ. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum.* Quod Vates de auguſtiſſimo Crucis Throno loquatur, non leues coniecturæ ſuadent: Ioannes enim dixit: *Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius.* Hoc igitur prælibato, ſolium illud, vbi Chriſtus regis maieſtate nitebat, vtramq; naturam deſignare Angelicam, & humanam arbitratur Bernardus, magna quidem proprietate: nam ly *excelſum* naturę competit Angelicæ, quę ſemper excelſa fuit, ſiquidem nunquam cecidit: ly *eleuatum* humanę naturę congruit, quia tota ruit, & eleuatione indiguit. *Angelorum* (ait Bernardus) *ſtabilis celſitudo, & hominum miſericors eleuatio deſignatur.* Vtraque autem natura apprimè in figura Crucis materiali delineatur: nam Crux ex duobus lignis coaleſcit: altero erecto, quod in ſuperiori parte vacuum habet ſpatium; altero ad medium librato, & quod vacuum illud adimplet. Erectum lignum naturam reuerberat Angelicam, quæ nunquam cecidit, quia Angelorum peccatum non naturę ſed perſonarum fuit, natura enim ſemper in gratia ſtetit, ac permanſit: cœterum vacuum quoddam in ſuperiori parte habuit, quia ex illa plurimi cum ſuo Principe cecidere, & vacuas reliquere in cœleſti manſione ſedes. Lignum autem, quod in Cruce libratur ad medium, humanam denotat naturam, quæ tota miſerè cecidit, quia peccatum hominis originis fuit & naturæ, & neceſsè fuit illam eleuare, vt vacuum repleret, quod in natura Angelica remanſerat. En Crux ex vtraque natura compoſita, altera excelſa, quæ Angelica fuit, ſed in ſuperiori parte, vacua, altera eleuata humana nempè, vt Angelicæ vacuum repleret? Vtraque enim in Cruce fuit exaltata, ex vtraque regalis thronus effectus, quia aliam parauit, aliam ad vlteriùs gloriam euexit, proindèque communis eſt vtrique cauſa lætitiæ, ſicut & deſperationis diabolo. Ex Cruce homines ciues in Cœlo conſcribuntur Angelicæ naturæ conſortes, & à Cruce cæli reſerantur portæ, & auelluntur, vt exindè aditus occludatur.

7. Cœleſti plauſu, & regia deſuper Patris voce ſonante baptizatur Chriſtus in Iordane, cœlique portæ aperiuntur. *Aperti ſunt cæli, & vox Patris intonuit, &c.* Matth. 3. verſ. 16. Poſtquam verò tyrannum Principem per Crucem debellauit, & reſurgens ab Angelis portabatur in cœlum, ianitores aiunt: *Attollite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Pſalm. 23. v. 7. Cur cum victor Chriſtus redit in cœlum, eleuantur portæ, & tunc ſolùm aperiuntur, cum Iordanis fluenta ſuper ſe recepit? Vtrobique enim eundem Principem cœli honorabant, & vtrobique hominum ſalus agebatur. Cur igitur ad ſacramentum Iordanis tantùm aperiuntur cæleſtes portæ; & cum ad ipſas triumphali gloria accedit, penitùs tolluntur? Audi Imperfectum hom. 4. in c. 3. Matth. *Ecce baptizato quidem Chriſto cæli aperti ſunt ei tantum: poſtquam verè tyrannum vicit per Crucem, & reſurgens ab Angelis portabatur in cælum, videntes Angeli portitores, quia Cæli iam nunquam erant claudendi, ſed omnes iuſti, & peccatores pariter aſcenſuri erant in Cælum, quia non erant neceſſaria portæ Cæli Cælo, poſteà nunquam claudendo: ideò non dicunt: Aperite portas, & introibit Rex gloriæ, iam enim erant aperti: ſed tollite portas Principes veſtras.* Suam potentiam

Chriſtus oſtendit in Cruce, non ſolùm per ipſam tartareas poteſtates deuincens; & inferorum regna expugnans, ſed & cœlum arietans, vt ipſius valuas reſeraret, portas ſuſtolleret, & nullum deinceps obſtaculum ad ingrediendum cœlos adeſſet.

DISCURSUS II. MORALIS.

Chriſti ſanguis in Cruce fæcundior.

1. VBi imicorum Chriſti peruicacia eius ſanguinem in Cruce inutiliter effundere tentauit, vberiori facundia mundum irrigauit. Quemadmodùm compreſſa in fonte aqua plus diſtenditur, & maiorem terræ partem irrigat, vbi libertatem eſt aucupata, ſi violenter Chriſtus in Cruce affixus maiori impetu, & vberiori ſanguinis alluuione mundum inundauit, & à tormentorum vexatione fœcundior extitit, Quod ſub eadem metaphora pulchrè dixit Iſaias c. 59. verſ. 19. 20. & 21. *Cum venerit quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Domini cogit, & venerit Sion Redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus: Hoc fædus meum cum eis.* De Chriſtò Domino hæc verba capit Gloſa Interlinealis, cui plurimi Auctores conſonant, & Redemptoris epitectum ad Crucem referunt, vbi redemptionis opus conſummauit: Verùm cur cum tam ſpontè offerebatur in hominem ſalutem, violentus nuncupatur fluuius? Hebræus: *Quaſi fluuius arctatus* vertit: Et Theodocion. *Quaſi fluuius oppugnans.* Quæ omnia in eundem ſenſum coincidunt, ſignificantque Chriſti, & eius Eccleſiæ progreſſum inſtar fluminis eſſe: nam flumen vbi nullæ obſiſtunt, molles, leniter fluit, & aquis minor: ſi verò quis ipſum offendat, & obſtruat alueum, altior intumeſcit, & exuberantibus vndis vndique latior euagatur, campoſque fœcundat, quos non compreſſus non irrigaret. Sic Nilus, qui per ſeptem oſtia in mare fluit, obſtruſis arena oris, retrò recurrir, & auctior aſcendens omnes Ægypti campos exuberat, maiori aquæ copia rumens arua irrigat, & totam Ægypti terram beneficio compreſſi oris fœcundat. Non aliter Chriſtus Dominus in eius paſſione, vbi Iudæi morte ipſum oppugnare voluerunt, miracula, & præclara opera comprimere, vt eius progreſſus, generatio, & ſplendor penitùs extinguerentut, tunc altior, & fœcundior intumuit, & exuberantibus populis, & Gentibus latior euagatus eſt, vbi ſanguinis effuſione doctrinæ fructus perdere nitebantur, vberiores ipſos reddidere. Hùc ſpectat illud Gregorij in lib. 1. Reg. c. 2. *Et infirmi accincti ſunt robore.* Vbi quærit, cur perfidi Iudæi Chriſtum crucifigere tantopere conarentur, ipſorumque deſiderio illuſo reſpondit: *Vos occidiſtis, ne poſt eum totus mundus iret, ſed idcircò poſt eum totus mundus vadit.* Mors, quam moliebantur ne fructus faceret, ad meliorem frugem mundum traduxit, & ex illa vberiores fructus accepit.

2. Beneficia recenſens Moyſes, quæ Dominus in deſerto Hebræo populo contulit, illius meminir botri à feraciſſima promiſſionis terra in ligno adducti. *Vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo, butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ biberet, meraciſſimum.* Deuther. 32. verſ. 13. & 14. Per botrum autem, qui In ligno portabatur, & promiſſæ terræ teſtabatur fœcunditatem, Chriſtum in ligno Crucis pendentem Macharius intelligit in oratione exaltationis Crucis. Verùm cur à promiſſa terra racemus educitur in ligno, vt Chriſtum in patibulo referat, & illius regionis feracitatem? Cur non alibi fructus è pinguiſſima terra decerptus Chriſtum adumbrat, ſed in Cruce paſſum? Audi Macharium vberiorem ex ſanguine Chriſti in Cruce effuſo fructum meditantem, & ipſius exaltationem, vbi Iudæi machinabantur ruinam. Non aliundè niſi ex vberrima, & referta terra fructus erat adducendus, qui Chriſtum in ligno affixum figurabat, vt quam proficuè huius botri ſanguis effundebatur, quandoque eius fœcunditas creſcebat in Cruce, denotaretur: à ligni enim attactu ſanguinis vbertas increuit, & totum mundum frugifero prouenru irrigauit, inque numeroſam prolem, largitèr effundebatur.

3. Arcanè ſanè huius propagationis vmbra in Paſchali agno celeberrimo Chriſti typo fuit delineata, ille enim ſic immolari, & comedi præcipiebatur, vr nequaquam ipſius oſſa frangerentur, *Os non confringetis ex eo.* Exod. 12. verſ. 36. In cuius adimpletione Chriſtus Dominus nec ſibi quidem mortuo vel minimum os violari permiſit. *Ad IESVM autem cum veniſſent, vt viderent eum iam mortum, non fregerunt eius crura.* Ioann. 19. Et cur Dominus, qui tam duros in ſuam carnem voluit habere tortores, & corpus ſuum ita atrociter lacerari pertulit (iuxta illud Pſalm. 128. verſ. 3. *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores:* Seu vr Aquila, & Theodocion ex Hebræo legunt: *Arauerunt peccatores.* Quaſi Chriſti Domini dorſum non funibus flagellari, ſed impreſſo vomere ſulcari videretur) in oſſa ſua tam humanos voluit eſſe miniſtros, vt nec minimum quidẽ os ab eis frãgi permiſerit? Cauſam fuiſſe ctedo, qnoniam olim (teſte Pierio lib. 34.) in oſſibus fęcundam ſucceſſionem, & propagationem antiqui cullocabant. Nec longè ab hac doctrina diſtat ſacra Scriptura, cum in ea reperiamus, primam primi hominis ad mulie-

rem

Digitized by Google

rem extenſionem ſumpta coſta conſtitiſſe. Ideò ergo Dominus noluit, ſibi crura frangi, oſſaque, quæ prolem filioſque ſignificabant, vt indicaret maximam propagationem, & numeroſam progeniem ex effuſione ſui ſanguinis ei eſſe profecturam, & ex ligno Crucis opimos fructus referendos, ibi enim & vberrimè ſatum gratum germinauit, & Redemptionis fructum perfecit.

4. Idipſum myſterioſè continetur in pulcherrima illa metaphora, qua ſponſa ſponſi manus commendabat. *Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.* Cantic. 5. Vel vt Hebræus vertit: *Manus eius orbes aureæ plenæ Tharſis.* Per manus opera accipiunt Ambroſ. lib. 3. de Virgin. Auguſt. epiſt. 119. Pulchrè autem Chriſti manus tornatiles dicuntur, & aureæ, quibus perfectiſſimum, ac pretioſiſſimum opus noſtræ Redemptionis in Cruce abſoluit, vndè veluti de completo, & orbiculato opere dixit: *Conſummatum eſt.* Ioan. 19. At cur plenæ Tharſis dicuntur, vbi in Cruce fuerant affixæ? Egregiè Philo Cyprus. *Tunc enim Chriſti manus tornatiles aureæ factæ ſunt, cum eas pro ſalute noſtra crudeliſſimis clauis confixas in vitæ ligno extendit, quæ quidem ob Diuiniſſimam puritatem, & innocentiam, admirandaque opera iure aureæ prædicantur. Plenæ verò Tharſis dicuntur propter Gentium ad ſe conuertendarum plenitudinem. Tharſis enim conuerſio gaudij interpretatur. Cum enim IESVS in Cruce manus ſuas extendit, tunc ad ipſum ſumma cum lætitia ſe conuertit Eccleſia dicens: In velamento alarum tuarum ſperabo.* Pſalm. 60. *Manus enim ſuas ſponſus extendit, velut auis ad protegendum pullos ſuos à rapacitate beſtiarum, & ne diutiùs ab ingluuie dæmonum immaniſſimorum deuorarentur.* In Cruce ſpoliorum inferni plenas Chriſtus habuit manus, & ad ſe innumeram gentium multitudinem attraxit, quia ſanguinis effuſi odore allectus totus poſt ipſũ currebat mundus, quia virtus, quæ latebat, de fracto corpore exiuit, & omnium corda ſuauitate repleuit. Hoc ipſum ſubindicauit ſponſa, vbi ipſum Cypri botrum compellauit. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Cant. 1. verſ. 10. Quò magis Chriſtus in Cruce fuit confractus, eò fragrantiorem ſpirabat odorem, & afflictus, ac vulnerato corpore vberiùs ab ipſo effuſum vnguentum vegetabat mundum, & in cuiuslibet guttę ſanguinis orbita celeri currebat pede.

5. Huc ſpectat illud Iſaiæ cap. 11. verſ. 12. *Et eleuabit ſignum in nationes procul, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.* Vbi D. Baſilius per ſignum Crucem Domini accipit, exindèque inquirit, cur mundus per Crucem inſtauretur, & hoc potiùs, quam alio ad Redemptionem Chriſtus vſus ſit inſtrumento, in ipſaque Crucis materiali imagine totum Orbem figuratum agnoſcit: quia ſicut ille quatuor partes eſt diſtincta: *Vt hac ſignificatione* (inquit) *omnes mundi partitiones per eas ſanctæ Crucis partes ad ſalutem diſpenſentur.* Quo ſpectat id, quod notauit Chryſoſt. orat. de Cruce, nempè Caluariæ locum, in quo Chriſtus fuit eleuatus in Cruce, medium Orbis terrarum tenere, ibi effuſus ſanguis ad omnes mundi partes æquè decurreret. *Hoc ſignum Gentes ab ortu Solis, & Occaſu, & Septentrione, & meridie collegit, & in vnam Eccleſiam, in vnam fidem, in vnum baptiſma in charitate coniunxit.* Et paulò infrà. *Hæc eſt* (Crux nempè) *quæ in medio Orbis terrarum defixa in loco Caluariæ, mox optimum vitæ noſtræ racemum germinauit. In ea Chriſtus voraciſſimum inferni diſrupit ventrem, inſidioſumque & multis verſutijs inſtructum diaboli os obſtruxit. Qua conſpecta contremuit, & exhorruit mors, omneſque quos à primo homine ad illud vſque tempus ſub ſua ditione vinctos tenuerat, liberos dimiſit.* Hinc Caluariæ mons quoque prædæ appellatur iuxta id Pſalm. 75. verſ. 5. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Vbi Hebræus vertit: *A montibus Thereph.* Ideſt, prędæ. Quia in illius montis cacumine vexillo Crucis eleuato, tartarea regna debellauit, conculcauit inimici potentiam cunctaſque gentes ad ſuam adorationem adduxit. Quod & ille Crucis titulus tribus pręcipuis linguis ſcriptus deſignauit.

6. Poſtquam Chriſtus Dominus Centurionis ſeruo ſalutem contulit, ipſius virtutem populi demirati omnes ægrotos illi veſperè deferebant, quos nimia clementia curauit. *Veſpere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eijciebat ſpiritus verbo, & omnes malè habentes curauit.* Matth. 8. v. 16. Non otioſè Euangeliſta huiuſmodi generalem curationem veſpere contigiſſe deſcribit. Cur non mane, non meridie ad Chriſtum concurrentes infirmi curantur, ſed ad veſperam ipſorum ſalus differtur? Quid tempus expectant, qui malè habentur, & ab illo ſanitatem accipiunt, qui non à tempore virtutem expectat? Subtiliter Hieronym. vberrimam Crucis virtutem hic rimatur. *Attendendum, quod omnes non mane, non meridie, ſed ad veſperam curantur, quando Sol occubiturus eſt, & quando granum tritici moritur, vt multos afferat fructus.* Opportunè in veſpere adducuntur, & curantur omnes infirmi, vt fructuum abundantia ex ligno, vbi Chriſtus in veſpere vitæ occubuit, pro ventura innuatur. Ex grano tritici ad veſperam in Cruce ſato pinguiores ſalutis fructus erant colligendi, & in illo omne gloriæ ſemen erat abſconditum. Hinc vbi Nicodemus iter ad cœlum quærebat, Crux oſtenditur. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ioann. 3. verſ. 14. Cur ad cœlos ire cupiens, & de illius via ſolicitus in ſerpente æneo inſtruitur, vt aberrare non poſſit? Quęrenti cœlum

ſeipſum

Digitized by Google

ſeipſum proponit crucifixum, quia nulla alia via eſt ad ſalutem niſi Crux: in illa quaſi in cathedra omnis ſaluraris via docetur: quia ex illa omne vitę medicamentum emanauit.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Non maiorum ſtemmata, ſed propriæ virtutes veram nobilitatem cudunt.

1. PEr lucem, & ſplendorem, quibus Chriſtus coruſcauit, eius ſplendida opera, & mirifica portenta plures accipiunt, & ex Hebręo facilè deducitur, nam vbi noſter Vulgatus habet: *Splendor eius vt lux erit*; vertit ille: *Splendores de manu eius*. Quo ſignificatur, ſplendidiſſima fore Chriſti opera, quia quod de manu exit opus eſt, ipſis enim & admirabile nomen, & gloriam totum Orbem operientem ſibi conciliauit. Nec enim ſplendor, quem Chriſtus operibus acquiſiuit, hominum referebat ſplendorem, qui non à ſe, ſed ab atauis, & maioribus ſplendent. Erat ſanè vt lux, quę ab ipſiſmet operibus elucescebat, non ab alio mendicabat gloriam, ſed ſeipſo promeruiſſe gloriabatur: vanè enim ſe iactat de progenitorum operibus, qui ea non imitatur, nam vt dixit Ouidius 13. metam.

Quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra voco.

Et Senec. epiſt. 9. *Nemo in noſtram gloriam vixit, nec quod antè nos fuit, noſtrum eſt.* Aliorum opinio alios laudat, & qui de alienis factis ſibi blanditur, aliorum æncomia, non propria extollit. Ab argento prouenit ſtannum, nec argentum eſt, ſic neque omnis nobilis, qui à nobilibus oritur, ſed qui in ſeipſo nobilitatis habet characterem. Quia vt dicebat Caſſiod. 5. variet. c. 12. *Hæc eſt indubitata nobilitas, quæ moribus probatur ornata.* Genera diſtinguit virtus, & qui moribus nobilitati contradicunt, ignobiles ſunt. Vndè dixit Euripides: *Nulla nobilitas inter malos eſt, ſed inter bonos tantùm viros*, & Ariſtot. 1. polit. *Virtus, & malitia determinant nobiles, & ignobiles ſeruos, & liberos*, Atque D. Hier. ad Celant. *Solu apud Deum nobilitas eſt clarum eſſe virtutibus*. Cui conſonat Epicharmus apud Stobæum ſerm. 86. *Quiſque ſuaptè natura proclinis ad bona fuerit, nobilis eſt, quamuis matre fuerit Ethiope.* Vndè Plutarch. pulchram reddit rationem, cur præceptum fuerit, quod hoſtium ſpolia, & trophæa victoriarum à Romanis comparata in templiſque Deorum appoſita, & appenſa minimè reficerentur, ſi aliqua ex parte temporum iniuriis eſſent conſumpta. Non reparentur vetuſta parentum ſtemmata, maiorum gloria, & nobilitas temporis iniuria abſumatur: geſtorum illuſtrium memoria decidat: obliterentur prædeceſſorum ſplendida trophæa, vt poſteri non de atauorum gloria confidentes proprijs factis, & virtutibus gloriam, & ſplendorem comparare non ceſſent, & ab vnoquoque genus ſui incipiat, deque propria virtute, quæ veram nobilitatem ſculpit, glorientur.

2. Moyſes de generoſæ Noemi proſapiæ publicatione ſolicitus, ſic ipſam contexere inchoauit. *Hæ ſunt generationes Noe: Noe vir iuſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit, &c.* Geneſ. 6. verſ. 9. Si Hiſtoricus ſacer nobilitatem ſanguinis narrare incipit, cur à virtute, quæ non hæreditate acquiritur genealogiam exorditur? Præclarè D. Ambroſ. ibi. *Non generationis nobilitate, ſed iuſtitiæ, & perfectionis meritò laudatus. Probati enim viri genus virtutis proſapia eſt: quia ſicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes ſunt*: Parùm refert, quod equus ex nobili ſatus ſit equo, ſi ad currendum tardus eſt & iners: reſpuit enim virtus ab alio nobilitari. Non à maiorum gloria commendatur homo, ſed à conſpicua imitatione: qui enim moribus degenerat, & nobilitate. Hinc deſcribens Moyſes generationem Seth ait: *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, vocauitque nomen eius Seth.* Geneſ. 5. verſ. 3. Hoc autem non dixerat de Cain, quia moribus diſſimilis patri euaſit. Seth, qui patris obſeruauit virtutem, eius nobilitatis hæres fuit, & idcircò ſimilis patri dicitur: at verò Cain, qui illuſtre genus ſordidis moribus obſcurauit, atque deleuit, non dicitur patris imago; quia animum habuit ignobilem, vt dixit Philo de vera nobilitate. *Quid huic profuit nobilitas generis ignobilem præſeferenti animum?* Nam vt dixit Cæſarius Arelatenſ. hom. 4. *Sine cauſa à foris vel genere, vel honore conſpicuus, qui non eſt intùs ingenuus.*

3. Zacchæi in arborem aſcendentis, vt Chriſtum videret, exiguitatem ſtaturæ Lucas 19. verſ. 3. expreſſit. *Quia ſtatura puſillus erat.* D. Ambroſius lib. 8. in Luc. propè finem putat, non otioſè hic Euangeliſtam Zacchæi corporis exiguitatem notare, eo quod ſcriptura de ſtaturis curare non ſoleat. Cur igitur quem Principẽ publicanorum, ac diuitem eſſe oſtendit (*& hic erat Princeps publicanorum, & ipſe diues.*) Ibi. v. 2. ſtatura puſillum eſſe teſtatur? Venuſtè Ambr. ibid. *Nondum enim promiſerat, cum aſcenderat, nondum viderat Chriſtum meritò adhuc puſillus.* Adhuc Zacchæus improbis moribus ſordebat, nondùm lucra reliquerat, nec aliena reſtituerat, non propria pauperibus erogauerat: licet ergo Princeps, ac diues eſſet, adhuc puſillus erat, quoniam quantumuis homo ſit magnus, quantumuis potens, dummodò bonis moribus non eſt prędıtus, puſillus

extat,

extat, & vt res vili, & attentionis paruæ exiſtimandus eſt. Exiſtimatio enim nobilitatis, & dominationis à virtutis cenſu prouenit. Vndè illa fœmina, quæ pellicere Ioſeph in fraudem volebat (vt notat Ambroſ.) domina non appellatur iuxtà 70. verſionem, qui vbi noſtra Vulgata habet: *Dixit ad eam &c.* vertunt: *Dixit vxori Domini ſui*. Geneſ.36. verſ.8. Et cur non ipſam, ſub cuius erat dominio, dominam appellauit; ſed ambage interpoſito vxor Domini dicitur? Acutè Ambroſius: *Rectè vxor Domini, non ipſa domina dicitur: nam quomodò domina, quæ dominandi habebat officium, quæ diſciplinam Domini non tenebat? Ille Dominus, qui amantis non excepit faciem?* Obediendo libidini dominij nobilitatem perdidit, illamque Ioſeph acquiſiuit pudicitiæ obtemperans, vt dixit Origen. hom. 3. lib. 5. *Ioſeph, cui nulla corporis libido dominata eſt, totius Ægypti Princeps, & Dominus fuit.* A vitio enim infamiæ natales, & ſeruitutis notæ oriuntur, à virtute autem illuſtres, & ingenuæ ſoboles. Quare cum Iudæi filios Abrahæ ſe iactarent, degeneres ab illo eſſe Chriſtus obiecit: *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Ioann.8. verſ.39. opera deſpiciens, quæ à præſcripta patris virtute deficiebant, & ea commendans, quibus maiorum gloria non fœdatur. De hac enim Deus plurimum gloriatur, & quam mundus æſtimat, pedibus calcat.

4. Mulier illa, quæ Ioanni cœlitus attonito (Apoc.12.) apparuit, omnia habebat nobilitatis ſtemmata, Sole enim erat amicta, qui virum virtute clarum deſignat, ſecundum illud Maronis Æneid.11. qui ſtrenuos duces ſolis radijs cōparauit: *Lumina tot cecidiſſe Diuum.* Stellæ, quibus coronabatur, perſpicuum ſunt nobilitatis inſigne, Luna autem nobilitatis ſemper fuit hierogliphicum, præcipuè apud Arcades, fibula enim, qua calceamenta connectebantur, ſpeciem præferebant Lunæ cornua porrigentis. Lunam igitur, quæ generis claritatem deſignat, ſub pedibus geſtabat mulier. (*Et Luna ſub pedibus eius,*) quæ de cœleſti origine gloriabatur, & in multorum opinione Beatam Virginem figurabat, quæ regalem nobilitatem à maioribus acceptam pedibus conculcans, & deſpiciens virtutis nobilitatem præferebat. Vndè Petrus Damianus de ea dixit: *Clara proauorum titulis, ſed incomparabiliter clarior generoſitate prolis.* De Verbi generatione, quam de congruò ſuis virtutibus promeruit, potiùs quam de ſacerdotali, ac regio ſtemmate, à quo procedebat, gloriabatur, ſibique illuſtre genus fecit, & nobilitatem repetit, eam, quam à natura accepit, deſpiciens, quia non quæ à ſtirpe venit, ſed quæ laboribus eſt parta, laudem acquirit nobilitas. Hanc opinor fuiſſe cauſam, cur Deus, qui reliquum opus creationis comite laude creauerat hominem illaudatum omiſerit, cum tamen propter egregiam ipſius excellentiam dignior cœteris creaturis laude videretur, & propter nobilem animæ originem, quam à Deo trahit, maiori elogio eſſet proſequendus, quia cum homo liberi ſit arbitrij, generoſior erit laus bono opere promerita, & egregijs factis acquiſita, quam ab aliena excellentia proueniens, ſic enim Deus ipſum excitauit ad præclara opera, ne laude præuenta redderetur iners, ſed acquiſita nobilitate illuſtraretur.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Res cum propè ſunt ad interitum, magis placent.

1. VBi ad vltimam perfectionem deueniunt res, leuiores ad originem ſuam reuolant, & geſtiunt perire, quæ nequeunt perfici. Quod viciniùs eſt morti, perfectiùs eſt, & citiùs extinguitur, quia vt dixit Seneca lib. de conſolat. ad Marciam cap.23. *Quidquid ad ſummum peruenit, ad exitum propè eſt, eripit ſe, aufertque ex oculis perfecta virtus, nec vltimum tempus expectant, quæ in primo maturauerunt.* Exindèque magis alliciunt, quæ viciniora ſunt occaſui, & quia perfectionis metam attigere, & quia neſcio quam ab imminente exitio accipiunt pulchritudinem, quod magis voluntatem mouent, & intuentium animos vehementiùs, quam anteà ad amorem prouocant. Sol namque & ingenium dulciora ſunt, cum ad interitum properant. Et Plutarch. problemat. cap.1. *Nullus (ait) tam diligit vitam, quam qui ſeneſcit.* Quia propè eſt ad interitum vita in ſenibus, magis diligitur: quaſi ab imminente morte venuſtatem mutuet, qua magis placeat.

2. Senum laſciuientiū teſtimonio ad mortem accuſatur Suſanna: cumque ad illam duceretur velata facie annoſi Iudices laſciuiæ incendio ardentes, vt diſcoopertam viderent, & illius pulchritudine ſatiarentur, faciem nudare præcipiunt. *Porrò Suſanna erat delicata nimis: & pulchra ſpecie, at iniqui illi iuſſerunt, vt diſcoperiretur (erat enim cooperta) vt vel ſic ſatiarentur decore eius.* Daniel. 13. verſ 31. Et cur cum ad mortem pergit, vultum abſcondit pudica fœmina, & iniqui ſenes ardentiùs eam videre deſiderant? Expediret ipſi diſcooperto vultu apparere, vt honeſta venuſtate intuentium animos ad commiſerationem prouocaret, & malitioſis Iudicibus illam velatam condemnare, ne à propoſito inferendæ mortis, pulchritudine, quam ambibant, rurſus allecti flecterentur. Vt quid igitur diſcoopertam geſtiunt videre, & illa cooperiri procurat? Tertullianus lib. de Coronat. Milit. c.4. Cum in horto erat Suſanna non ſe

ſe cooperuit, quia non ita formoſam, ac decoram ſe exiſtimauit: cum verò ad mortem pergit, pulchritudinem abſcondit timens denuò magis placere, & incendium, quod in languidis, ac frigidis Iudicum corporibus ſerpebat, vehementiùs excitare, tanta enim pulchritudo è mortis vicinitate ei accreuit, vt quę in lauacro nuda non venuſta exiſtimabatur, pulcherrima ſibi videatur, dum deſtinatur ad mortem, & in ipſius decoris intuitu ſenes ſatiari arbitrentur, qui ea viſa in pomario magis laſciuiæ æſtuantis ſitim excitarunt, & venuſtiſſimæ puellę amplexibus potiri: ſic enim arridet, quod ad occaſum pergit, vt vultum celet Suſanna, ne audiùs, cum ad mortem ducitur, amantium oculos prouocet.

3. Pręcepit Dominus Sauli, vt demoliretur Amalec, contra Dei iniunctum pręceptum Regi pepercit, quod ita ęgrè Deus tulit, vt Samuelem mitteret, qui depoſitionem à regno ipſi intimaret. Facta autem denunciatione, cum Samuel recedere voluiſſet, ſummitatem illius pallij Saul apprehendit eum detinere intendens, & ſciſſura facta in omen futurę in regno ſciſſionis, partem clamydis ſciſſam in ipſius manibus reliquit. *Et conuerſus eſt Samuel, vt abiret: ille autem apprehendit ſummitatem pallij eius, quæ ſciſſa eſt.* 1.Reg.15. verſ. 27. Saul vehementi dolore punctus regni priuationem audiens, manus in ſacram veſtem iniecit, ipſam lacerauit, & tentauit Deum victimis flectere, vt ſententiam contra ipſum latam reuocaret. Et cur Saul tam dolet coronam amittere, quam primo oblatam recuſauit, & domi ſe abſcondit, ne Rex eligeretur? Quid nunc regnum habet, quod plus eum alliciat? In extremis regnum Saul apprehendit: illius enim finem, & interitum in extremitate, quam manutenebat, aſpiciebat, & exindè ad illius deſiderium magis inflammabatur. Cum regnum ſcinditur, & occaſum pergit, plurimum arridet Sauli, & ille ipſe, qui coronam reſpuebat, cum ad extremum accedere conſpicit, illius amore flagrat, & omnibus modis definiendo regno tentat reuocare decretum: quia res morti proximiores pulchriores ſunt, magiſque placent, & ad illatum amorem incitant. *Non pallium, ſed pallij ſummitatem, ideſt extremitatem apprehendiſſe perhibetur: ſed en extremitas ſcinditur*; peracutè adnotauit Mag.Greg.

4. Angelus ille, qui celeberrimam meretricem Ioanni in ſua Apocalyp. oſtendit, ſuper aquas ſediſſe teſtatur. *Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas.* Apocal. 17. verſ.1. Si delitias, quas mundus offert, mulier cupit, & illæ ſicut aquæ fugiunt: cur ſedet, vt eis potiatur? Cur tam auidè anhelat, quod tam velociter fugit? Illæ celeriter tranſeunt, illa permanenter ſedet. Quis fugitiuum bonum perenni deſiderio inſequitur? Quis tam vehementer allicitur eo, quod tam citò tranſit? Quaſi dicat: Idcircò mundi delitiæ mulierem alliciunt, quia fugitiuæ ſunt, & ad mortem properant: ſi enim conſiſterent, & perenni gaudio ipſis frueretur, minùs illas diligeret, deſideraret minùs. Placent, quia euaneſcunt, arrident, quia fluunt: & ſedet ipſas permanenter amans, quia citò deficient. Sic enim vbi finis inſtat, amor accenditur, quaſi de amatæ rei interitu placeret. Hùc ſpectant illa verba Chriſti Domini (Ioan. 13.verſ.1.) *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Caietan. *in morte* legit. At quomodò amor exaggeratur in fine? Quid mirùm, quod qui Diſcipulos ſuos in toto vitæ curriculo dilexerat, in fine, & in morte diligat? Verùm id myſteriosè dictum puta, vt enim ardentiorem charitatem, quam erga ſuos habuit, magis commendaret, in finem ipſos dilexiſſe ait, quia quod in fine, & propè morte amatur, vehementiori amore diligitur. Amoris conſummatio in fine probatur, quia ibi magis accenditur, & interitus imminens calcar eſt ad amoris curriculum feruentiùs tranſeundum. Sic Iacobus præ cęteris filijs Beniamin diligebat, quia in ſenectute ipſum genuit, & propè finem ipſum adamauit. Meritò hic dicitur Chriſtum mortem præituram (*antè faciem eius ibit mors*) non ſolùm quia triumphali gloria ipſam deuictam erat delaturus, ſed quia ad ipſam omnia eius opera dirigebatur, qua ſcilicet redemptionis conſummauit trophæum, vt hominum dilectionem excitaret Deum ſemper pro ipſis mortuum aſpicientium.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Princeps, quæ ipſi incumbunt, per ſeipſum exequatur.

1. Regia poteſtas ſemper apud Principem ſit, vt ab ipſo populus & præmia, & præcepta recognoſcat: Principatus enim ſine regiminis munere ſpectrum eſt, non maieſtas. Corona non patitur alterius imperium, & monſtroſum eſt, qui à Deo pręficitur, alterius voluntati ſubijci. Semper periclitatur regnum, vbi otium & diſſidia Regem à munere retrahunt, & alterius conſilio fidit, quæ ipſi ex officio incumbunt. Conſulat Princeps in negotijs occurrentibus ſolertiſſimos quoſque miniſtros, gratiam, & voluntatem incliuet ad vnum, vel ad plurimos: at expenſis ſingulorum ſententijs, quod maturè conſulit, per ſeipſum determinet, ſuper negotia quæque deliberet, & ne in alterius voluntate eius ſententia ſit: nam non ſic Deus ſubditi (etſi præſtantiſſimus ſit) ac Regis cor haber in manibus. Ad ſeipſum igitur in deliberandis rebus accedat, vt omnia feliciter exequa-

quatur. Sic Traiano dicebat Plutarch. in politica ad ipſum. *Tu verò quiduis rectiſſimè geres, ſi non receſſeris à te ipſo*. A ſeipſo recedit Princeps, qui non ſua, ſed alterius vota ſemper expectat, & titulum regis gerit ſine Rege, hominis vmbram ſine homine, alterius conſilio obtemperans: indecorum enim eſt, vt maieſtati renuntiet, qui non alienandam, ſed ſibi tantùm reſeruandam accepit. Magnum inter alia præſtitit Mardochæus Regi Aſſuero obſequium, cum coniurationem detexit, qua duo Regis Eunuchi ipſius moliebantur interitum. Conſuluit Rex Aman de præmio conferendo homini, qui tam beneuolus in Principem extiterat. cui ille reſpondit: *Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibus regijs, & imponi ſuper equum, qui de ſella Regis eſt, & accipere regium diadema ſuper caput ſuum, & primus de regijs Principibus, ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat: ſic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare*. Eſther.6. verſ.8. & 9. Strenuè honorem parat Aman, quem ſibi cogitabat conferendum: annuenſq; Rex ipſius conſilio dixit: *Feſtina, & ſumpta ſtola, & equo, fac vt locutus es Mardochæo Iudæo, qui ſedet antè fores palatij: caue, ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas*. Ibid. verſ.10. Si omnia executioni ſunt mandanda, ſi nullum eorum, quæ dixit Aman prætermittendum: cur nulla de corona fit mentio, quam tamen ille dixit, ſuper caput honorandi eſſe imponendam? *Et accipere regium diadema*. Implexum videtur Regis præceptum: nam ſi nullum eorum, quæ conſuluit Aman, eſt prętermittendum, cur honorem decernens, & cętera recenſens honoris inſignia Mardochęo exhibenda, regale diadema reticuit; Quamuis omnia, quæ dixerat Aman exequi Aſſuerus præcepit, coronam tamen tacitè excluſit, quia hæc incommunicabilis eſt, vni tantùm Principi competit. Caput ſolùm coronatur: pedes corona redimitos, & politica abhorret & natura: ſuprema poteſtas nunquam extra Principem ſit: conſulat, & proponat Conſiliarius: verùm nunquam in ipſius arbitrio Regis ſit voluntas: non ad ipſius nutum res moduletur, nec ſibi arroget, quæ ſoli Principi conueniunt. Per ſeipſum Princeps omnia trutinet, omnia ſcrutetur, & omnia peragat, vt occaſionem præſcindat ambiendi ipſius poteſtatem, & regni publico bono conſulat.

2. Detruſis in carcere pincernarum Magiſtro, & piſtorum Principe, in natalitio Pharaonis die ipſorum Rex fuit recordatus, & diſpari fortuna alterum abſoluit, damnauit alterum. Geneſ.40.verſ.20. Quid Regis excitauit memoriam, vt in ſplendido epulo, quo ſuum natalitium celebrat, aulicorum recordatio repentè ſubeat? Fortè magno Regi deerant, qui miniſtrarent in menſa, nec certatim regni Proceres excelſa palatij munera ambibant: quod inter lautas delitias illorum recordatur, qui ipſi panem, & pocula condiebant? Ingens ſolemnitatis lætitia non modò non obliterauit, ſed memoriam excitat illorum, qui in carcere detinebantur? Quis Regis memoriam acuit, vbi animum ad alia habebat diuerſum? Scilicet, in die natalitio Pharaonis coram recenſita inſinuatur eius numeroſa familia, vt appareat, an plures ſuperfluant famuli, qui Regi miniſtrant, & regium cenſum ſumptuoſiùs abſumunt. Opportunè in die natalitio ipſe per ſe Rex rationem accepti, & expenſi ſupputat, quo publicetur ad id etiam Reges natos, vt rem nummariam per ſe procurent, ne ærarij paupertate cogantur ſubiectos populos oneroſis vectigalibus deuexare: nihil enim, quod officij ſui eſt, Principem dedecet, Sic poſtquam Pater ille familias in vineam ſuam, quos conduxerat, operarios miſit. *Cum ſero factum eſſet* (inquit text.) *dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: voca operarios, & redde illis mercedem*: Matth. 20. verſ.8. ad quid coram ſe operarios, & procuratorem vocari iubet, ſi ipſe denarios non ſoluit? Si miniſter eſt redditurus mercedem, ad quid adducuntur accepturi, niſi vt de rei nummariæ diſpenſatione ipſi conſtaret? Nam ærarij regalis miniſtri, cum ſchedulis obtemperantes Regis nummorum aliquas quantitates ſoluunt, ſolitant integras non tradere: multa ex ijs, quæ adminiſtrant, ſubripiunt. Rectè igitur coram ſe reddere pręcipit, ne miſeri operarij pecunia defraudentur, & rapaces miniſtri maiorem ab ipſa partem adimant: niſi enim Princeps per ſeipſum omnia peragat, quę ad ipſum ſpectant, Regis titulum non meretur, & quaſi nemo eſſet, reputatur.

3. Moram faciente Moyſe in monte, agitauit populus Aaronem, vt Deos, qui ipſum duceret, fabricaret. *Videns populus, quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduerſus Aaron dixit: Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant*. Exod.32.verſ.1. Fruſtra ducem quęrit, qui renuit ducentem ſequi. Si Hebrei columnam nubis, & ignis, quam ipſis oculis cernebant, ducem habebant viæ, quorſum alium ducem poſtulabant? Aliqui autumant columnam ignis, & nubis toto tempore quo abfuit Moyſes, Iſraelitis defuiſſe, quoniam ſi columnam ducem haberent, non quęrerent Deo ductores. Sed ductricem columnam nunquam defuiſſe populo teſtatur expreſsè Scriptura Exod.13. *Nunquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo*. Quo igitur pacto, ſi columna aderat, quæ viam indigitabat, ductores Deos quęrebant? Reſpondet Barradas in itiner.lib.4.cap.12. non defuiſſe columnam: ſed cum viderent Hebręi tot diebus illam quieſcere, neque viam oſtendere petiuiſſe Deos fieri, qui viam docerent. Quia ergo columna

in prçteritis manſionibus non ſtetit per tot dies, & in hac multò diutiùs permanſit, in reliquis, quaſi non eſſet, à populo exiſtimatur, quia muneri ſuo non ſatisfaciebat. Rex, qui populum ducere tenetur, & otio quieſcit, nihilque in munere ſuo prodeſt, non Rex, ſed Regis vmbra, & ſpectrum iudicatur. Quaſi nemo, eſſet, reputatur ab omnibus, & munere vacuus tantùm nomen reſonat. Sic Dauid parta victoria de Rege Soba iugales currus, quos in prædam aſſumpſit, exarmauit, & equos qui ipſos vehebant, interfecit. *Subneruauit* (inquit text.) *omnes iugales currum.* 2. Reg.8.verſ.4. Vbi Abulenſ. quæſt.8. equos occidiſſe putat. At cur capta præda equi occiduntur, & non ad alios vſus reſeruantur? Quia nimirùm equi & currus deſtinabantur ad bellum, ſubneruati ſuo muneri non poterant ſatisfacere: meritò ergo occiduntur, quia vita frui non merentur, qui muneri, ad quod eliguntur, non incumbunt: fruſtrà enim deuorarent ſegetes, qui iam bellicis vſibus erant inepti. Superfluè diadema ſplendet in Principe, qui ſua negligit, & titulum tantùm ſine munere portat. Qui enim quæ debet facere omittit, ſuperuacaneus in mundo eſt, & non eſſe creditur.

3. Chriſti mirificis operibus auditis miſit Ioannes diſcipulos ſuos ad Chriſtum, vt ipſum ſciſcitarentur: *Tu es, qui venturus es? An alium expectamus*. Matth. 11. verſ. 3. Huiuſmodi autem verba, aut Ioannis incredulitatem indicant, aut ipſius ignorantiam arguunt: nam inter ſe aduerſantur, & implexa contradictione id ipſum deſtruunt, quod ſupponunt; nam ſi Chriſtum alloquuntur legati, quomodò interrogant, an ſit venturus? Si enim ille eſt, qui venturus erat: iam planè veniſſe fatentur, quandoquidem illum tamquam Meſſiam alloquuntur: ergo iam veniſſe affirmant, dum cum illo fabulantur; & veniſſe negant, an venerit, interrogantes: atque ſibi ipſis contradicunt. Tamen vtrumque optimè cohæret: quia cum Chriſtus ferè triginta annorum ſpatio lateret, neque negotio ad quod venerat, intenderet, forſitan quaſi non veniſſet, reputabatur. At cum præclara opera facere incæpit, tunc primum veniſſe dicitur. Vndè ſapienter interrogant, an venerit? Quia vſquedum muneri ſuo ſatisfecit, non veniſſe credebatur; quia non eſſe exiſtimatur, qui muneri ad quod naſcitur, non intendit. Sic vbi Ioſue 5. verſ. 2. præcepit Deus: *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundo filios Iſrael*. Caietanus ex Hebræo legit: *Fac cultros acutos*. Quod deindè ſic expendit: *Nec ſis ita rudis, vt intelligas, faciendos nouos gladios, ſed tunc acuendos*. Si ergo iam facti erant cultri, & tantùm acui Deus præcipiebat, cur ſcriptura fieri teſtatur? *Fac tibi cultros*. Quoniam propriè fieri dicuntur, cum iubetur acui: cultri enim, qui inepti erant ad ſuum officium fungendum, nec ſecare poterant, fieri denuò dicuntur: idem enim erat illos acuere, ac primum facere, quia non factum reputatur, quod miniſterio ſuo non inſeruit, vt habet regula illa: *Si re priueris, nec nomen habere mereris*. Per ſe igitur omnia Princeps, quæ ad ipſum ſpectant, debet proficere, vt Regis titulum mereatur, vt homo, non hominis vmbra reputetur. Non ſuam voluntatem in alterius arbitrium compromittat, ſed à ſeipſo omnia peragat, nullaque ambitio regale ſceptrum à propria manu ſubripiat. Sic enim vbi Deus homo factus hominum imperium acquiſiuit, in propria manu retinuit, ibique regiæ maieſtatis fortitudinem omnes agnouere, vt pulchrè canebat Vates. *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius*. Hic verſ.4.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Deus cum ſupplicia infert, quodammodò naturam mutare videtur.

1. PLanè Dei natura benefacere eſt: nam cum ſumma bonitas ſit, naturaliter munificus, & liberalis eſt, vt enim dixit Seneca lib.1. de benef.cap.1. *Cum benefaciunt, vtuntur Dij natura ſua*. Vndè vbi ad mala inferenda accedit, violenter fertur, & quaſi ab alio noxiam naturam metuet, propriam diſſimulare conatur, & ſub alterius perſona latet, vbi ad vindictam prouocatur. Sic vbi ad Abraham diuertit beneficia largiturus, ſub triplici perſona Trinitatem ineffabilem exprimente apparuit, idque meridie, vt omnibus innoteſceret: cum verò acceſſit ad Loth ſupplicia inflicturus, duabus Angelicæ naturç perſonis repræſentatur, & veſpere aduenit, vt noctis obſcuritate cælaretur, quaſi erubeſcens, & videri recuſans. Quod optimè notauit Gloſa Græca ad cap.18. Geneſ. *Ad Abraham tres Angeli, & meridie veniunt; ad Loth duo tantùm, & veſpere: quia vbi beneficia Dei explicantur, Deus adeſt: vbi verò ſupplicia exercentur, Angelos mittit, vt ſciamus, Deo benignè facere iucundum, & placitum propriè eſſe vlciſci verò Deo ingratum eſſe*. Idemque habet D.Ambroſius. *Vbi gratia largienda eſt, Chriſtus adeſt: vbi exercenda ſeueritas, adſunt miniſtri*. Sed adhuc mentem pulſat, quod vbi ſupplicia inferre Angeli venerant, duo mittantur. Si enim Deus non Trinus voluit apparere, cur duos Angelos mittit, cum vnus ſufficeret id exequi, quod vtrique commendatur? Ad quid multiplicantur miniſtri, & vbi potentiſſima cuiuſque Angeli virtus muneri incumbere ſufficie-

ſciebat, duo deſignantur? Suſpicor, vt quodammodò Deus ſuam occultaret naturam, & veluti alienam ſumeret ad exercendum ſupplicium: eſt enim Deus Trinus, & vnus, & ſub hac naturali forma apparuit Abrahæ, quando dona largiri venerat: at quando nefandas ciuitatis venit puniturus, vt Deus apparere recuſat, & ita nec vt vnus, nec vt Trinus ibi conſpicitur. Duos Angelos mittit, vt naturam quodammodò mutare videretur, ſiquidem nec vt vnus, nec vt Trinus apparet: perſonarum enim, ac naturarum dualitas Diuinitati obſtat: proindèque in duabus perſonis iram exercet, vt alterius naturæ videatur conſors, vbi benefacere deſinit, & vindictam ſumit.

2. Poſtquam Prothoparentes in noxam cecidere, acceſſit Deus de vltione cogitans, cuius infenſam vocem, qui peccauerant, abſconſi audiunt. *Et cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam, &c.* Gen.3. v.8. Abulenſ. ex Hebræo vertit: *Et cum audiſſent vocem Domini deambulantis in Paradiſo contra auram.* Quaſi vim faceret Deus, vt ad criminoſos plectendos accederet, & venti qui obſiſtebat, impetum vinceret. Quis non miretur, Deum tam humano more ſe gerentem aſpiciens, vt aëris afflatu impeditos greſſus ſentiat, & à contrario vento retardetur? Quis Deum eſſe credat, cui aër reſiſtit, & tardigrado curſu paradiſum deambulat? Vbi veſtigia aëris præpeditur. Cur igitur tam geſtit Deus non Deum agnoſci, vbi in paradiſo ambulat? Auſculta Abulenſem: *Quia contra ventum ambulat, tardiùs mouetur: ſic Deus ad puniendum peccatum primorum parentum tardiùs veniebat, quia Deo miſereri proprium ſemper eſt, & parcere.* Diſſimulabat ſe in ipſa Diuinitate Diuinitas, & cui proprium eſt miſereri, tam improprium iudicauit inferre ſupplicia, vt naturam diſſimulare conetur, & non Deum, ſed hominem apparere, violentiam, quam patiebatur, vi, quam ventis inſerebat, exprimens: nec enim tam ab aëre, quam à ſeipſo detinebatur, qui perſonam cogebatur induere alienam, quia alienum munus venerat exercere. Iſaiæ 7.verſ.20. *In die illa radet Dominus in nouacula conducta in his, qui trans flumen ſunt in Rege Aſſyriorum caput, & pilos pedum, & barbam vniuerſam.* Minatur Deus in hoc vaticinio Senacherib graui illo captiuitatis ſupplicio, quod contigit Regis Ezechiæ tempore; erat enim tunc (ſicut & nunc) barbam, & capitis capillos radere ſeruitutis ſignum, quo iniquum plectere Deus decreuerat. Verùm quo pacto dicitur Deus nouaculam conducturus ad huiuſmodi ſupplicium inferendum? Fortè Deus ille eſt, quem fingebat Epicurus, omninò inermis, vt flagitioſos puniat? Hæc enim cogitatio dementia eſſet, vt optimè demonſtrat Senec. lib.4. de ben. cap.19. *Tu denique Epicure Deum inermem facis, omnia illi tela, omnem detraxiſti potentiam, & ne cuiquam metuendus eſſe, proieciſti illum extra motum.* Si igitur Dei iuſtitia non inermis eſt, ſed ad quæcunque exequenda potens, cur nouaculam Deus conductam aſſumit, vt peccatori meritam pœnam infligat? Et dato quod Epicurus delirando dixit: ſi Deus nouaculam, & alia arma offenſiua non habebat, cur non potiùs illa emit, quam conducit? Hæc enim mendicitas non Dei, ſed hominis ſapit naturam. Egregiè S. Martyr Bertarius dub. 87. in vetus teſtamentum huius conductionis cauſam aſſignat: *Quia Deus* (inquit) *apud ſe puniendi inſtrumenta non habet, neque vult habere.* Exindè non Deum eſſe, quem machinabatur Epicurus, conuincitur, quia inſtrumenta punitionis non habere dicebat, & nihilominus piè audit B. Martyr aſſirmare, Deum armis carere, quibus hominem feriat, ipſiſque vti conductis, vbi agitur de ſupplicio: quaſi Deus pœnam reſpiciens alius ſit, & naturam mutet, nam cum ſit certum Deum non eſſe, ſi inermis foret, inermis vult videri, ne Deus reputetur, cum mala hominibus infert. Nulla apud ſe arma habere perhibetur, & cum ipſis indiget, conducere opus eſt, vt non à ſe videantur pœnæ, quas iuſtitia exigit. Idipſum in eodem Propheta ſatis expreſſit, nam vbi de ſupplicio Leuiathan agitur cap.27. verſ.4. ait ipſe Dominus: *Indignatio non eſt mihi, quis dabit me ſpinam, & veprem in prælio?* Vbi D. Hieronym. Deum agnoſcit infenſum, & putat, velle ſibi indignationem infundere, clementiam, & humanitatem excutere, quia ſe ipſum ad vindictam acuere non poterat. *Ait ergo Deus* (inquit Hieronym.) *quis me faciet durum atque crudelem, vt vincam naturam meam?* Ecce vbi Deus plectere intendit, arma ab alijs mutuare procurat; non tam vt inimicos feriat, quam vt propriam naturam vincat, quia naturaliter inermis videtur, & alterius perſona indiget, vt ſceleratis infligat ſupplicia.

3. Hinc enim vbi de ſupplicio agitur, cunctanter procedit, quaſi impotens eſſet ad exequendum, quod iuſtitia dictat. Ciuitatem Iericho deſtructurus præcepit, arcam portari Sacerdotum humeris circa mœnia ciuitatis ſex diebus: *Septima autem die* (dicebat) *muri funditus corruent ciuitatis.* Ioſue 6. v.5. D. Chryſoſt. hom.36. ſuper cap.23. Matth. hunc locum conferens cum illo. Gen.6. v.2. *Et requieuit Deus die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat:* miratur, quod Deus ſeptem dierum ſpatio mundum condat, & totidem diebus indigeat, vt ciuitatem vnam diruat. Nonnè eadem potentia, quæ vniuerſum ex nihilo patrauit, proſtrauit Iericho? Quo ergo pacto eodem temporis ſpatio, quo mundum parturiuit, indiget, vt ciuitatem vnam euertat? Auſculta Chryſoſtom. *Mundum vniuerſum ſex diebus conſtruis, & vnam vrbem ſeptem diebus*

diſſoluis? Velox Deus extruens, tardus Deus deſtruens, illud potentia, bonitas iſtud. Niſi Deus æqualis omnibus attributis ſit; & æquè ſemper in omnibus ſibi conſtet, non Deus eſt: at eantùm ſua bonitate ad clementiam propendet, & à vindicta retardatur, vt quodammodò ad ipſam videatur impotens, & minoris potentiæ appareat, cum ſupplicia infert, quam cum beneficia largitur. Illa eadem virtus, quæ valuit mundum ſeptem dierum tempore extruere, eiſdem indiguit, vt unicam ciuitatem deſtrueret: quaſi alia hic eſſet potentia, & non Deus vtrobiq; operaretur. Hoc ipſum in mundi euerſione liquet inſpicere, qui in quadraginta dierum ſpatio naufragauit. *Facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus, & quaginta noctibus*. Gen. 7. verſ. 12. Quod ſex dierum curriculum fuit extructum, quadraginta dierum mora abijt in ruinam, cum tamen faciliùs, quam ædificare, ſit deſtruere, eademque in vtroque euentu intercedat potentia, quia Deus ſic iuſtitiæ executionem refugit, & miſericordiæ liberalitatem exequitur, vt alter videatur, cum punit, alter, cum benefacit: *Sex diebus* (inquit Oleaſt.) *cuncta creauerat, quæ quadraginta diebus delet, vt oſtendat, quam diffirilè illi ſit perratores punire*. Sic vbi Iudæorum flagitia plectere accedit, quaſi erubeſcens Deum videri, & omnipotentem in ſupplicijs apparere, fortitudinem, & potentiam abſcondit, vt non beneficæ Dei naturæ, ſed alterius punitio videatur. *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius*. Hic verſ. 4.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Plura Deus, quam euulgat, hominibus confert beneficia.

1. VAcuè homines de ſuis operibus gloriantur, & blaterantes extollunt, quæ parui aut nullius ſunt momenti, beneficia, & fauores, quæ guttatim præſtant, magno verborum ſtrepitu exaggerant, & plus vanè euulgant, quam in re conferunt. Non ſic Deus, qui rerum apparentias faſtidit, & in ipſarum veritate complacet, non garrit, quæ largitur, rebus ſemper verba ſuperat, & plus exhibet, quam promittit. Nam vt electionem Aaronis in ſummum ſacerdotem, & ſibi gratam, & populo proficuam demonſtraret, præcepit, vt quæ germinaſſet virga ex in ſanctuario oppoſitis aſſeruaretur. *Quem ex his elegero* (inquit text.) *germinabit virga eius*. Numer. 17. verſ. 5. Virgam electi florere, & in folia erumpere, quin obſtaret ab arbore eſſe præciſam, pollicebatur Deus. Iam ergo duodecim virgis, inter quas virga Aaronis erat, in loco ſacro collocatis, cum Moyſes comitante populo ſequenti die veniſſet, Aaronis virgam pullulaſſe folijs veſtitam, floribus ornatam inuenit, & quod plus eſt, onuſtam fructibus. *Sequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati ſunt*. Diſruptis temporum moris, repentina vitæ lucra arripuerunt fructus, & intempeſtiuè auulſam exornarunt. Verùm ſi promiſſionis memoriam refricestantùm folia Deus fuit pollicitus, eaque miraculosè pullullata electionem confirmare ſufficiebant, ad quid igitur ſuperadduntur fructus; ſi promiſſio folijs tantùm adimplebatur? Fortè populus, qui vltra promiſſionem ſigna videbat, an Deus ipſa daret, ambigeret? Vt quid igitur plus Deus in executione confert, quam in pollicitatione promiſerat? Paucis verbis rem dirimie Origenes. *Vt eum largiorem in præſtando, quam in promittendo videamus*. Sat eſſet, vt Deus promiſſa adimpleret, à virga folia erupiſſe, non verò, vt ſuæ naturæ ſatisfaceret, nam ſemper verba opere ſuperat. Verax eſſet, & fidelis, ſi quod pollicebatur, tantùm præſtaret, ſed non iam liberalis videretur, quia ex debito iuſtitiæ ſtare debebat promiſſis. Ne autem ſibi eſſet ingratus, quod promiſſionem excedebat contulit: nec tam hominibus, quam ſibi liberalis extitit non promiſſa largiendo.

2. Solers ille Pater familias, Deus inquam, exijt primò manè conducere operarios in vineam ſuam, obuioſque primum, denarium pro mercede promittens, conduxit. *Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam*. Matth. 20. verſ. 2. Iterum atque iterum conducere alios operarios exijt circa horas tertiam, & nonam, dixitque illis: *Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis*. Sub incerto pacto vltimos operarios conduxit. Cur non cum illis paciſcitur, ſicut cum primò conductis, & iuſtum tantùm reddere pollicetur? Præſtaret conuentionem facere, ne poſteà cum ijs, qui primò venerant, murmurarent, & inciuiliter de inæqualitate mercedis, conquerentur: nihil enim ſatisfacit ſine pactione operanti. Auſculta D. Chryſoſt. hom. 35. *Iſtis autem non ferit pactum: quia tantum paratus eſt tribuere, quantum mercenarij recipere non ſperabant*. Non paciſcitur, quia vltra merita mercedem erat largiturus: præmium ex iuſtitia rependere pollicetur, & laborum æqua lance compenſare mercede, vt verborum poſteà promiſſionem excedat, & vltra iuſtitiæ menſuram merita enumeret. Vniuſcuiuſque labor integro denario rependitur, cum tamen illud non promeruiſſent: quia eodem brauio, qui tota die laborauerant, remunerantur ex iuſtitia, vt

quod

quod ore prædixerat ſuperabundaret in opere: integri enim denarij donatio iuſtitiam refutat, quia ipſam ſuperabat, & promiſſionem excedit, quia iuſtum tantùm reddere erat pollicitus. Ne autem Deus, qui non liberalis, ſed iuſtus mercedem conferens labore pro merita videbatur, ſibi liberalis eſſet, & promiſſionis menſuram, & accipientis vota largiter exceſſit.

3. Exorauit quidam Regulus IESVM, vt in domum ſuam citò deſcenderet, quia eius filius, qui infirmabatur Capharnaum, morti erat proximus, & iam eam prægustare inceperat. *Domine deſcende, priuſquam moriatur filius meus*. Ioan. 4. verſ. 49. Cui Dominus: *Vade, filius tuus viuit*. Non benè (opinor) Centurionem Dominus exaudiuit, ſiquidem pro votis ipſi non reſpondet: ille enim non filium exiſtimabat mortuum, quamuis morti eſſet proximus, ipſiuſque non vitam, quam habebat, ſed ſalutem, qua erat orbatus, poſtulabat. Cur igitur Chriſtus non ſanum eſſe dicit, ſed viuum, non valetudinem promittit, ſed vitam? Niſi dicatur, mortem iam in parte incurriſſe: *incipiebat enim mori*, præmiſit Euangeliſta, quia à natiuitate homo moritur, & vix prima vitæ lucra accipit, cum mortis ingreditur ditionem. O planè verùm, diuturno interitu morimur, prolixo curriculo decedimus. Sed philoſophicè rem agamus. Mors in inſtanti tota peragitur, homo cum mori incipit, non homo eſt, ſed cadauer. Cur igitur Chriſtus eum, qui viuebat, viuere affirmat, & Centurioni de ſalute filij ſolicito, non de vita, vitam, non ſalutem promittit? Maximè cum vtramque conferebat. Acutè Caietanus. *Filius tuus viuit. Minùs quidem dicit, quam ſignificat, nam dicit viuere, & ſignificat ſanum eſſe*. Hoc enim Dei genium eſt, promiſſionis verba, & optantis vota beneficio ſuperare. Non ſalutem pollicetur, ſed vitam, vt ſalutem extra promiſſionem accipiat, & plus in re conferat, quam in promiſſione præmiſerat. Verba ipſius beneficentia ſunt grauida, & plus ſignificant, quam ſignificare videntur, reſque voces valdè ſuperant. Sic Iſraelitis ſua præcepta exequentes de inimicis victoriam reportare pollicebatur. Leuitic. 26. verſ. 28. *Si in præceptis meis ambulaueritis, &c. Perſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici veſtri gladio in conſpectu veſtro*. Magna promiſſio, & quæ non vltra poſſe extendi videbatur, & nihilominùs factum pullicitationem exceſſit, etenim maiora præſtitit, quam promiſit, nam cum promiſerit, à quouis Hebræorum centenos hoſtium, & à centenis decies millenos ſuperandos eſſe, tamen poſtea efficit, vt à ſingulis milleni, & à binis decies milleni vincerentur, quod à Moyſe demiratus, & penè incredulus repetiuit. Deutheronom. 32. verſ. 30. *Quomodò perſequatur vnus mille, & duo fugent decem millia?* Euentus promiſſionem exceſſit: quia Deus plus, quam pollicetur, largitur.

4. Hoc ipſum ingenium hauſerunt, qui in ſchola Dei ſunt inſtructi. Apparuerunt olim pio Patriarchæ Abrahamo tres viri, quos perhumano excepit hoſpitio, illoſque ad bucellam panis inuitauit. *Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum, ſed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore, ponamque buccellam panis, & confortate cor veſtrum, poſtea tranſibitis*. Geneſ. 18. v. 3. Ad buccellam panis obſequioſus Abraham hoſpites ſuos inuitat, cumque ipſi illius deſiderio annuerent, ad menſam diſcumbentes ſolemne conuiuium paratum inuenere. Auſculta text. *Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei, accelera, tria ſata ſimile commiſce, & fac ſub cinericios panes, ipſe vero, ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero, qui feſtinauit, & coxit illum, tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & poſuit coram eis*. Hæc eſt buccella panis, ad quam hoſpites inuitaueras bone ſenex? Potiùs ſolemne, & opiparum dixeris conuiuium, ad quod totam domum conturbas. Cur tam pauca polliceris, vbi hoſpites allicere, & ad diuertendum ſub arbore inuitas, & tam magna porrigis, poſtquam tecum remanent? Cur ſaginatum vitulum, butyrum & lac bucellam panis vocas, & promiſſionem ſuperabundanter excedis? Cœleſti doctrina eruditus, & diuina œconomia inſtructus pauca Abraham pollicetur, & multa donat, vt & accipientis ſpem, & promiſſionis debitum factum ſuperet. Non ſic impij, qui patris dæmonis verſutia imbuti ipſum imitantur, & ex ampla promiſſione parum aut nihil exhibent. Sic ille verbis infidus Chriſtus omnia promiſit, ſi pronus in terram ipſum adoraret: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*. Matth. 4. v. 9. Euidens quidem ſignum, nihil alijs dediſſe, quibus ſpoponderat, ſiquidem omnia integra habet. Detrahit enim ſemper à promiſſione & fidem & factum: Deus autem ſublimitate promiſſione magnum & excedens poſtea beneficium conferendum occultat. Sic mirabile Redemptionis opus, vbi ad noſtram Diuinitas veniebat ſalutem, ſub forma hominis latuit, vt plus in re conferat, quam videbatur largiri. *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius*. Hic verſ. 4.

Digitized by Google

DISCVRSVS IX. MORALIS.

Lacrymabilis dolor à vita mortem mutuare.

1. ADuerſa infelicitate fortuna regulare eſt, nec animus à nouitate mæret, ſed ab infelicitate torquetur, verum ſecunda periclitari fortuna, poſt deuictam ingruentem tempeſtatem in portu naufragare vltima calamitas eſt. A lethali mortis falce mortem ſubire tolerabilis eſt infelicitas, quia non præter ſpem ferit, non armis abutitur, verum ab ipſa vita mortem pati, ab ipſa felicitate infelicitari, ipſa infelicitate eſt infelicius, ipſo ſupplicio grauius. Nihil tam infortunatum poteſt accidere, quam rerum naturas ad excidium experiri mutatas. Vbi de ſuppliciorum acerbitate agitur, ſtatim occurrunt duo illi Aaronis filij Nadab, & Abiu in exemplum Dei furoris relicti. *Arreptiſque* (inquit text.) *Nadab & Abiu filij Aaron thuribulis poſuerunt ignem & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat, egreſſuſque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui ſunt coram Domino*, Leuitic. 10. v. 1. Variè huius ſupplicij circumſtantiæ ipſius acerbitatem exaggerant, ſubitò, & abſque temporis mora, & contritionis beneficio moriuntur: igni voraciſſimo elemento, & ſeuero miniſtro criminis vindicta commendatur, patris merita apud Deum benè accepta non ipſis proficiunt, neque pœnitentiæ locum obtinent: Verum non hæc ſeueritatem vltimò extollunt, ſed locus & officium, à quibus mortale ſupplicium erupit, quod ſubtiliter penſitauit Chryſol. ſerm. 26. *Nadab & Abiu Sacerdotes filij Aaron Sacerdotis dum contaminare externo igne altaria præſumunt, conſumuntur incendio, vt ſumerent de ſacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum*. Altare propitiationis locus eſt, in thuribulo miſericordiæ ignis accenditur, qui thure aſperſus placitum Deo ſuffitum exhalat, quia ergo his inſtrumentis pietatis Sacerdotes patrauere peccatum, ſapiens ignis in loco ſacrificij illos combuſſit, vt qui crimen in loco veniæ commiſerant, pœnam in remiſſionis loco paterentur, quæ ſanè lacrimabilis fuit infelicitas, ab aris, qui ſacrificat, condemnari. In loco, vbi vitæ ſemina iaciuntur, mortem colligere, ſuoque pretio enſem, quo figatur, mercari, in portu naufragari, nihil infelicius.

2. Morte Saul & Ionathæ audita Dauid generoſa indole præditus montes, vbi ceciderunt damnauit, anathemate & maledictionibus impetiuit. *Montes Gelboe nec ros, nec pluuia veniat ſuper vos, neque ſint agni primitiarum, quia ibi abiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo*. 2. Reg. 1. verſ. 25. Terram quæ interfectorum ſanguinem bibit, ſterilitate mulctauit, & quæ frugifera antea erat, deinceps non tulit fructus, neque cœli pluuiam guſtauit. *Montes Gelboe* (inquit Rabb.) *vberrimi ante maledictionem fuerunt, quos hactenus maledictioni ſubiacere ferunt, nec vnquam pluere ibi teſtantur*. Sed quid deliquerunt montes, vt eos Dauid tam acri maledictione impetat, & quaſi non tam doleat de Saulis & Ionathæ morte, quam de loco, vbi contigit, non occiſores maledicit, ſed terram, qui ipſos cępit? Si innoxij montes erant: & neque arma neque inſidias ad bella miniſtrabant, cur tanquam criminis reos illos damnanit Dauid: Pulchrè Philo lib. 2. allegor. cauſam huius auerſionis indigitat. *Naturaliter enim* (inquit) *montes ad celandos fugitiuos ſunt appoſitiſſimi, & non ad perdendos*. Piè ergo doluit Dauid, meritò contra montes iraſcitur, magnoque ingemuit affectu, eo quod in montibus vbi ſemper vita ſeruatur, feralem mortem Saul & Ionathas inuenerint. Vehementi dolore punctus inſurgit in montes, eo quod refugium alijs præſtitum in exitium Saul & Ionathæ verterunt, vitæque tutamen mortis effectum eſt inſtrumentum, hæc enim vltima infelicitatis eſt meta, à vita mortem hauriri, & à ſecuritate periculum.

3. De ſupplicio illo grauiſſimo, quo Deus per Moyſem puniuit Ægyptios, aquam in ſanguinem conuertens, locutus ſapiens dicebat: *Pœnas paſſi ſunt inimici illorum à defectione potus ſui, & in eis cum abundarent, filij Iſrael lætati ſunt*. Sapientiæ 11. verſ. 5. At quomodò lætantur Hebræi ipſa plaga, qua puniuntur Ægyptij? Fortè complacent in proximi infelicitate, & de aduerſa inimicorum fortuna lætantur? Eadem plaga hilaris & proficua fuit Hebræis, noxia & exitialis Ægyptijs? Hac igitur plaga duriùs, quam cæteris Ægyptus fuit percuſſa: ab eiſdem enim aquæ fluentis vitam Hebræi, mortem hauriebant Ægyptij, & ſalutares vni populo aquæ, alteri exitiales erant: vbi vnus bibebat vitam, alter deuotabat mortem, quò vltra infelicitas progredi nequibat: nam vbi remedia officiunt, lęthalis infirmitas eſt. A vita mortem mutuare vltima omnium calamitas.

4. Vbi Chriſtus Dominus de bono exemplo proximis prębendo agebat, vt ſcandaloſum terreret, aiebat: *Vtilius eſt illi ſi lapis molaris imponatur circa collum eius, & proijciatur in mare; quam vt ſcandalizet vnum de puſillis iſtis*. Lucæ 17. verſ. 2. Cur obſecro, non quicunque lapis, ſed molaris appendendus eſt collo eius, qui ſcandalum ſimplicibus præbet animabus? Non ſat erat quoduis ſaxum, oneroſaue ſarcina, quæ decliui præcipitio baiulantem impelleret in profundum? Ad quid lapide molari ſcandalizans proximum eſt plectendus? Lapis mola-

-inolaris panis miniſter eſt, qui vitam alit, & ſuſtentat: grauiſſimum ergo ſupplicium, & omne ponderatione maius eſt, quod vitæ inſtrumentum fiat; ſed ei aptiſſima pœna, qui è vitæ miniſtro feralis mortis inſtrumentum efficitur, dignuſque, vt à vita mortem hauriat, & à ſuſtentaculo ruinam. Huc ſpectat, quod Hieron. ad illa ver. Matth. 27. de Iuda dixit. *Vt quid perditio hæc? Perditus* (inquit) *de ſalute perditionem inuenit, vt in ficu fructifera mortis laqueum nanciſceretur.* Quaſi dicat: In arbore, ex qua dulces ac ſuaues fructus quiſque accipit, Iudas ſuſpendium inuenit, quo nihil miſerabilius. Meritò igitur vt Iudæorum infelicitatem exaggeraret Vates, ante Chriſtum, qui vita eſt, mortem ire prænuntiauit, vt vnde fidelis vitam trahebat, traheret Iudæus mortem. *Ante faciem eius ibit mors &c.* Hic verſ. 4.

Verſ.6. Stetit, & menſus eſt terram. Aſpexit, & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſæculi. Incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.

ANNOTATIO V.

Expoſitio Litteræ.

1. SOlent victores terram victoria ſua partam metiri, vt ſuis diſtribuant militibus, & auxiliaribus: ita fecit Ioſue Numer.34.& Ioſue 13. Ad hoc videtus Vates alluſiſſe, dum Deum profligatis inimicis terram metientem introducit. *Stetit, & menſus eſt terram.* Non autem quia victor euaſit, victoriarnm curſum velocem Deus cohibuit, ipſam enim ſecundam fortunam fuit proſecutus, donec terram Chananitidem populo ſubiecit Iſraelitico, Ly enim *ſtetit*, aut Deum non velociter veniſſe ad terram promiſſam, ſed per quadraginta annos, quibus in ea demoratus eſt, ſignificat: aut victoriam conſummaſſe, indicat: nam (vt hoc loco docet Cyrillus) *ſtare* eſt opus aliquod, aut datum ſibi negotium abſoluere. Tunc enim ſtetit, & pugnare deſijt, cum Hebræis liberam, & ab incurſionibus immunem terram Chanaam reliquit.

2. *Aſpexit, & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſæculi.* Hyperbolica hæc locutio eſt, qua frequenter ſignificamus, faciliter à nobis aliquid præſtari poſſe: eſtq; familiaris, & prouerbialis hyperbole prophanis, qui omnia quamuis ardua, & impoſſibilia ſint, alicuius tantùm oculorum aſpectu fieri dicunt, ſicque prophanos Deos omnia intuitu labefactare poſſe credent. Id autem præcipuè Ioui attribuit deluſa Gentilitas. Sic Orat. Oda 1. lib. 3. *Cuncta ſupercilio mouentis*: Huic acceſſit Ouidius 1. Metamor.

Terrificam capitis concuſſit terque quaterque
Cæſariem, cum qua terram, mare, ſidera mouit.

Eandemque commotionem Neptuni terrifica ira fecit Metamor.1. *Ipſe tridente ſuo terram percuſſit, at illa intremuit.* Et clariùs Virgilius Æneid.9. iratum Iouem, & ad ipſius intuitum quatientem terram introducit.

Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.

Hoc ipſum, quod de fabuloſis numinibus hypetbolicè antiqui dixere, veriſſimè de Deo Propheta affirmat, vt nihil ipſi difficilè eſſe ſignificet. Quod cecinerat Dauid Pſalm.103.verſ.16. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant.* Et Eccleſiaſtic.cap.16. *Ecce Cœlum, & Cœli Cœlorum, abyſſus, & vniuerſa terra, quæ in eis ſunt, in conſpectu illius commouebnntur, montes ſimul & colles, & fundamenta terræ, & cum conſpexerit illa Deus, tremore concutientur.* Hoc autem eo tempore, quo auſpice Deo promiſſionis terram ingreſſi ſunt Hebræi contigiſſe, perſpicuè ex ſacra pagina conſtat, ſic Exod.cap.15.verſ.14.& 15. *Dolores obtinuerunt habitatores Philiſthim: tunc conturbati ſunt Principes Edon, robuſtos Moab obtinuit tremor,* obri-

obriguerunt omues habitatores Chanaan. Qui enim in noſtro Vate montes, hic Principes appellantut. Eſt ergo intelligentia, quod ſicut olim infenſis Deus oeulis aſpiciens Chananæorum diſſoluit vires, eneruauir animos, ſic etiam Iudæos reſpiciens. & vindice aſſumpto Chaldæorum Rege illos reddet inermes, confractos, & exanimes: neque ad hoc peragendum machinis bellicis indigebit, ſed ſat erit oeulorum offenſo obtutu in eos intendere.

3. *Et contriti ſunt montes ſæculi, incuruati ſunt colles mundi*. Iter faciente Domino per montes, & colles contremuerunt, & apparuerunr curuati, vt ſolet in magnis terremotibus fieri. An verò hoc aliquando propriè contigerir, & reuera coutriti, ac incuruati moutes, & colles fuerint, nou eadem eſt omnium ſententia: opinor tamen ſic realiter accidiſſe, Deumque reuera montes contriuiſſe, & incuruaſſe colles, vt Hebræi ab Ægyptijs inſecuti iter haberent expeditum, & planum. Quod efficaciter perſuadent illa verba Pſalm. 113. verſ. 4. *Montes exultauerunt, vt arietes, & colles ſicut agni ouium*, & infra, *A facie Domini mota eſt terra*. Hic enim propriè, & non figuratè dicitur mare retro fugiſſe, & retrorſum abijſſe Iordanis, & petram in aquarum ſtagna conuerſam. Similiterque intelligendum eſt, terram fuiſſe motam, & montes ſicut arietes exultaſſe: quod non letari hic, ſed extra ſitum ſuum, & ſedem ſalire ſignificat. Et ſanè Num. 12. ſcopuli inclinati dicuntur, vt Iſraelitæ acquieſcerent in Arnon, erenim hoc propriè eſſe intelligendum perſuadet, quod ibidem dicitur, id montibus accidiſſe, quod olim mari Rubro. *Sicut fecit in mari Rubro: ſic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati ſunt, &c.* Vt ergo verè mare fuir diuiſum, & via Iſraelitis ad tranſitum plana: ſic diuiſi, ac inclinati montes clauſam anteà viam Hebræis aperucre. Sic ſentit Abulenſ. ad cap. 5. Iud. quæſt. 2. In montibus autem Principes adumbrari, qui excelſum locum tenent. ipſa montium natura ſatis manifeſtat. Accipiuntur igitur hic montium atque collium nominibus Reges, & Principes, & quicunque diuitijs, viribus, vel ſapientia, & conſilio inter cęteros homines eminent: nam cum totam hominum turbam, atque adeo genus ipſum humanum terræ nomine Sacra Scriptura appellare, & ſignificare ſit ſolita, fit, vt montium atque collium vocabula excellentibus, ac ſummatibus viris aptiſſima coaptatione competant, cum montes, & colles in terra altiores ſint, & in altum attollantur. Sæculi autem montes, & mundi colles vocat Propheta vetuſtiſſimos terræ promiſſionis indigenas, aut Dominos etiam, ac Principes, Potentiores denique à ſæculo viros famoſos, vt dixit Moyſes Gen. 6. ſæculum enim, aut æternum nonunnquam Hebræis longiſſimam durationem ſiguificant. Hic ergo propter generis antiquitatem, & diuturnam ampliſſimi tituli poſſeſſionem montes ſæculi vocantur Principes, & Dynaſtæ.

4. *Ab itineribus æternitatis eius*. Ideſt propter itinera æternitatis eius. Itinera inquam illa, quæ Deus populo aperuit á ſæculo nunquam caleata, nulli peruia, modo à Deo calcantur, ipſique peruia facta ſunt. Per itinera autem Domini eius opera ſæpè accipiuntur, vt Prouerb. 8. verſ. 12. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*. Vndè montes appellantur æterni, quia in ipſa mundi conſtitutione primò fuerunt creati. Æternum autem dicitur primùm illud creationis tempus: quare cum aliquid ab antiquitate laudatur, ante montes, & colles factum eſſe dicitur, vt Prou. 8. v. 26. *Antè omnes colles ego parturiebar*. Duo autem montium genera ſpectare poſſumus: alios ęterni ſenſu explicato, quia mundo, & ſæculo ſunr coæui, & qui à principio mundi permanſerunt, & permanſuri videnrur vſque ad finem immoti; alios caſu, aut hominum induſtria factos, qui facilè diſſoluuntur: quales fuerunr, quos Nabuchodonoſor erexit, de quibus Ioſeph lib. 10. cap. 11. Et qui Romæ Teſtaceus appellatur, & quos aggerant commoti ex arena fluctus, quos Syrtes appellamus, & de quorum numero, Solino teſte, plurimi inueniuntur in Africa in locis etiam æſtuoſis, & ſiccis, qui eodem vento congregantur, diſſoluuntur, & transferuntur. De primis igitur, qui ab exordio mundi creati ſunt, loquitur Vates.

5. Allegoricus ſenſus peruius eſt, facilèque ad Chriſti tempora, hæc inflectuntur. *Stetit, & menſus eſt terram*. Quia poſt reſurrectionem Chriſtus mortis diaboliq; victor ſtetit, terramque menſus eſt eam diuidens, cum Diſcipulis ſuis dixit Matth. 28. verſ. 18.

verſ.18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes.* Ipſoſque poſt Spiritus Sancti aduentum in diuerſas prouincias miſit partitos, & diuiſit eis omnem terram. Quò ſpectat, quod ſubiungitur: *Aſpexit, & diſſoluit gentes.* Quia Euangelica prædicatione deluſas idololatriæ erroribus Gentes aſpexit, ipſarumque cæcitatem diſſoluit per Apoſtolos ſuos, qui per vniuerſum orbem Euangelicum lumen diſſeminarunt. Nec ſolùm plebis errores diſſoluerunt, ſed & Principes, & Reges doctrinæ energia contriuerunt. *Et contriti ſunt montes ſæculi.* Supremos Principes, qui à ſæculo regnauerant, & inter cæteros ſicut montes eminebant, Euangelij virtute ſunt comminuti. Similiterque *Incuruati ſunt colles mundi.* Ideſt, minores Dynaſtæ, & omnes illi, qui quouis modo eminebant. Inter quos præcipuè Philoſophi, & ſapientes ſunt intelligendi: vtrorumque enim victoriam cecinit Iſaias cap.40. & repetiuit Ioann. Luc. cap.3. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur. Ab itineribus æternitatis eius.* Ideſt, propter opera eius montes contriti ſunt, & colles curuati flexis genibus Chriſtum adorauere, quia ipſe, qui æternus eſt, dignatus eſt ad homines venire; vt eos redimeret. Itinera enim æternitatis lex fuit Euangelica, quæ labore Crucis mundum ſubiugauit, cultumque Idolorum, quem Theophil. & Theodoret. in montibus, & collibus intelligunt, quia in montibus altis extruebantur aræ, & immolabantur victimæ, virtute Crucis confregit, omnemque ceruicem Gentilium inſolenter eleuatam incuruauit.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Auguſtior virtus à nobilitate eſt.

1. LAborat natura, vt filij parentibus ſimiles euadant: nam media ſimilitudine conſeruantur ſpecies, & viuentia quęlibet in ſuis fœtibus imaginem ſui imprimunt; hic enim nobilitatis pretium fundatur: nam omnes credunt, parentum virtutes ad poſteros transfundi, maiorumque ſtemmata, & glorioſa trophæa filiorum animos vehementer inclinare ad eadem peragenda, ſanguiniſque claritatem ad exemplarem virtutem imitandam plurimum excitare: quia parentum mores in generatione ebibit generoſa proles, vt optimè dicebat Plutarch. eos carpens, qui naturam nihil conducere ad virtutem affirmabant. Virtus enim & vitium per generationes traduces à parentibus in filios deriuantur, & arcano quodammodo ſerpunt. Cynicus cum ebrium in foro vidiſſet: *Illius* (inquit) *ebrius pater fuit.* In idemque argumentum Nazianz. orat. 36. dixit: *Compendioſa faciliſque paternæ naturæ declaratio eſt filius; omne enim, quod genitum eſt, genitorem ſuum tacita quadam voce definit.* Et tam vniuocè natura parentum mores exprimit in filijs, vt plerique Theologi cenſeant, ideò Verbum Diuinum Filium eſſe, non autem Spiritum Sanctum: quia Verbum procedit non ſolum vt ſimile Patri Diuino, ſed etiam vt ipſius imago. Vndè præclarè Valer. Maxim. *Dij boni, quas tenebras à quo fulmine paſſi eſtis.* Quaſi monſtroſum ſit, tenebras à ſplendentibus naſci fulminibus, & ab illuſtribus parentibus infames filios procreari.

2. Planè ſanctitas non eſt res humanæ generationis, ſed regenerationis Diuinæ, neque virtus eſt fœtus animę generantis, ſed gratiæ auxiliantis opus; tamen plerumque à nobilibus & generoſis parentibus illi oriuntur ad virtutem procliues; ab obſcuris & abiectis ad vitia propenſi: quod ſi non natura, certè id prouida pędagogia, & exemplaris virtus facit. Mulier illa Ægytia Ioſephi domina, luxuriæ vile mancipium aprehenſa lacinia veſtimenti iuuenem ad ſtuprum impudenter ſollicitat: Ioſeph benè caſtus malè laſcivientem fœminam fugit, & pia obſtinarione adulterium recuſat, quaſi foret impoſſibile, operique nefario ſic contradici: *Ecce dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodò ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Geneſ. 39. verſ. 8. & 9. Mirum planè eſt, quod vir ſanctus (qualis erat Ioſeph) non ſe virtute defendat, & obligatione, qua Deo adſtringebatur, ſed nobilitate, & gratitudinis generoſa indole ad decliuandam æſtuantis fęminæ verſutiam. Licet enim non ſit ambigendum, Ioſephum etiam à Dei timore fuiſſe cohibitum, ne malum perpetraret (quod Hebræus ſatis expreſſit: nam vbi Vulgatus habet, & peccabo in Deum meum, vertit ille: *peccabo Eloin* in datiui caſu adhuc non blanditias refutat Dei timore, ſed gratitudine in beneficum dominum. Quid? Fortem in ſtadio vir-

tutis athletam humani reſpectus retardant ad peccatum, & gaudet potius gratus videri, quam Deo obſequens? Prius beneficia recenſet, quam Dei offenſam, vt indicaret, nobilitate animi ad id teneri, quod Deus præcipiebat: nec ſolum à peccato retrahi, ne Deum offenderet, quod virtus eſt; ſed quia in benefactorem erat ingratus, quod nobilitatis eſt argumentum. Ex generoſa animi conſtitutione ad ſanctitatem & virtutem accingitur, & probum ſe exhibet, ne ingratitudinis næuo fœdaretur.

3. Totus eſt Tobias in inſtruendo filio (cumiam inſtaret mors) in omni genere virtutis, & pietatis opere, vt videre eſt in toto eius cap. 4. At poſtquam eum de moribus inſtruxit, indicat illi debitum decem talentorum argenti, quæ Gabelo in Rages ciuitate Medorum dedit, cuius debiti chyrographum apud ſe habebat, & inſtat vt eo pergat pro repetendo debito, ſed prius ſic illum affatur: *Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum ſalua mercede ſua.* Tobiæ 5. verſ. 4. Pergit filius quæſiturus comitem, inuenitque iuuenem præcinctum, quaſi ad ambulandum paratum, & cum poſt colloqui a ſe illum in domum Gabeli ducturum promitteret, lætus iuuenem in paternam ſtatim adducit domum, quem cum ſenex Tobias coram ſe haberet, ſic ipſum interrogat: *Indica mihi de qua domo, aut de qua tribu es tu?* Cui iuuenis: *Genus quæris mercenarij? An ipſum mercenarium, qui cum filio tuo eat?* verſ. 16. & 19. Quid hoc Tobia? Vis ei ſpondere filiam, an ductandum committere filium? Curſoris cur genus inquiris? Nonnè ſolum hoc filio commendaſti. *Inquire tibi aliquem virum fidelem.* Id interroga, an ſit fidelis? Ad quid nobilitatem generis requiris? Certè hoc ipſum periphraſi illa interrogauerat: nam vix nobilis eſt qui fidelis non ſit. Vſquedum iuuenis genus indicauit, filium non commiſit Tobias? cum enim dixiſſet, ſe eſſe filium magni Azariæ, reſpondiſſetque ſolertiſſimus ſenex: *Ex magno genere es tu: ſed peto ne iraſcaris, quod voluerim cognoſcere genus tuum:* verſ. 19. Tunc filium ipſi commendauit non intelligens, iuuenem eſſe Angelum (ait Lyra.) *Sed quod eſſet homo filius cuiuſdam viri notabilis de tribus Iſrael, qui ſic vocaretur.* Tunc enim credidit fidelem ad comitandum filium, quin aliquod ei malum faceret, nec morum eius, de quibus filium inſtruxerat, aliquid pravi inhæſiſſet: ſic enim cum nobilitate virtutem eſſe deuinctam, exiſtimabat, quaſi mores cum ſanguine iure hereditario naſcerentur. Sic vbi ipſi Tobiæ parentes inſultabant, quaſi à Deo eſſet eluſus, & nullam pro bonis operibus mercedem reciperet, vt illos ab impia loquela retraheret, dicebat: *Nolite ita loqui, quoniam filij Sanctorum ſumus, & vitam illam exſpectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo,* cap. 2. verſ. 18. Degeneres arguit animos, & proauorum ſanctitate, quaſi naturæ debito, parentes ad virtutem inducit: valdè enim iuuat parentum probitas, & ferè ſemper filij moribus exprimunt paternam ſanctitatem, & ingenitæ nobilitatis virtutem.

4. Vt adorationem Deus à Moyſe vendicaret, tres illos parentes, à quibus religioſè fuerat cultus, memorauit. *Ego ſum Deus Abraham & Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Exod. 3. verſ. 3. Quo audito præ reuerentia & timore *abſcondit Moyſes faciem ſuam, non enim audebat aſpicere contra Deum.* Ad quid Deus, qui in rubo maieſtatem ſuam glorioſè oſtentat, & ſe Deum manifeſtè exhibet mirabilia patrans, quæ oculis cernuntur, memoriam parentum Moyſi refricat, vt ipſum ad ſimilem cultum adducat? Præclarè Caiet. *Vt ſeſe illum Deum manifeſtet, qui tot promiſit Abrahæ, Iſaac, & Iacob, cui hereditario iure tenetur Moyſes cultum exhibere imitando parentes ſuos.* Expende *hereditario iure*: quaſi creata ſanctitas æternam & diuinam imitetur, & communicetur cum ſanguine virtus, præclaræ proſapiæ pietatem obijcit, & plus quam ſua præſentia, proauorum exemplo excitat ad virtutem: quia ſicut nobilitas antiquitate decoratur, & ſtabilitur, ſic & virtus, feliciorque & perfectior euadit, vbi progeniorum exemplum inſtat. Hinc tres pueri illi nobiles de ſemine regio (Daniel. 3.) quantumcunque viderint cęteros omnes homines ſtatuam Nabuchodonoſoris adorare, & flexo poplite cultum exhibere, ipſi fortes fide impietatem recuſarunt: Virtus, quę à parentibus in poſteros deriuatur, ſtabilior eſt, & quodammodò generoſior, pia maiorum fides & religioſus cultus firmiùs propagantur. Sic vbi filij Iſrael tabernaculum teſtimonij ſiſtere intendebant, illud in ſorte Ephrain collocarunt. *Congregatique ſunt omnes filij Iſrael in Silo, ibique fixerunt tabernaculum teſtimonij.* Ioſue 18. verſ. 1. Vbi Caiet. *Par fuit, vt in ſorte Principis locaretur Diuinus cultus.* Sors hęc ad tribum Epharain pertinebat, ex qua Princeps populi Ioſue ducebat ortum: figatur ergo in Silo tabernaculum, vt innuatur, Princeps & populi Proceres prę cęteris Diuino cultui, & religionis zelo eſſe obſtrictos. Vbi ſanguinis claritas ſplendet, decentiùs pietas excolitur, quia raro nobilitas religioni impiè renuntiat. Illuſtris proauorum pietas ad filios transfunditur, ſicut vitium à parentibus obſcuris, & prauis moribus deturpatis in filios ſerpit.

5. Geneſ. 21. 10. Cum vidiſſet Sara filium Agar Ægyptię ludentem cum Iſaac filio ſuo dixit ad Abraham: *Eijce ancillam hanc, & filium eius.* Quiſnam eſſet ludus, qui Saram impulit, vt à domo ſua ancillam & filium relegaret, non omnes conueniunt. Sed dato quod Iſmael de honeſtate tentauerit Iſaac prauis moribus; cur Sara potius contra matrem,

quam

quam contra filium iraſcitur, & prius illius exilium poſtulat? *Eijce ancillam, & filium eius.* Quid enim mater in Iſacum deliquerat, in quo offenderat, vt cum ſoute filio relegaretur, de quo ipſa querebatur propter conſortium & colluſionem? Crediderim, quia peſſimos mores, quos Sara in filio ſuo Iſaco cauere inſtituerat & auertere ſatagebat, autumabar, Iſmaelem deprauatum magiſtrum à matte hereditaſſe, & in lacte ſugiſſe. Tam vehementer inclinant filij ad parentum mores, vt Iſmael in religioſa domo educatus, & egregio ac pio Abrahę exemplo eruditus maternas inclinationes ſequeretur, & ignobilitate, quam à matre hauſit, procliuis ad malum euaderet, vt dixit Olcaſter. *Diſcimus, vt plurimum filios ancillarum eſſe ad malum procliues.* Niſi gratia ſuffragante auiti mores vincantur, natura vitia parentum renouat, quia in omnibus ſimilitudinem affectat. Hinc optimè notauit Ambroſius, Noe maledictum dixiſſe Chanaan, antequam in ſcriptura proponatur natus: etenim poſt illam maledictionem, quę habetur Geneſ. 10. verſ. 1. ſtatim cap. 10. dicitur: *Hæ ſunt generationes Noe, Sem, Cham, & Iaphet, natique ſunt ei filij poſt diluuium.* Pręproperа videtur hęc maledictio, & amore ac pietate patris indigna. Cur nondum in lucem editus Chanaan maledicitur, & vitę prima vſura fruiturus anathemate ab atauo deturpatus ingreditur? Auſculta Ambroſ. lib. de Noe & arca cap. 30. *Non poterat fieri, vt bonum generaret filium, qui & naturæ & eruditionis degener extitiſſet.* Per exaggerationem dictum accipe: tam certum eſt, filios impia parentum vitia imitari, & veluti è paterno pectore ſugere, vt interiùs inficiantur: quod ex iniquitate patris Chanaan Noe præſagiebat impietatem & degenerem agnoſcens à virtute naturam, ſimilemque paternę improbitati maledictione impetit Chanaan, quaſi patris deprauati mores prophetia tſſent impietatis filij. Sic vbi Mattheus generationem Salomonis narraturus accedit, matris vitium manifeſtat. *Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ,* Matth. 1. verſ. 6. cap. 1. Cur Euangeliſta matrem adulteram appoſuit, cum ſatis eſſet dicere: Dauid Rex genuit Salomonem, ſicut ferè in omnibus generationibus egit, nullam mulierum mentionem faciens? Rectè Signienſis Bruno hom. contra luxur. *Matrem nominat vt aſſignet cauſam propenſionis ad vitium carnis. Quaſi dicat: A matre adultera traxit Salomon, adeò propenſum eſſe ad luxuriam, vt propter mulieres à veri Dei cultu aliquandò diſceſſerit.* Non adulterauit naturam, nam prauam operationem à matre hereditauit, & ſputij merito elogio dehoneſtatur, vt laſcivię radix indigitetur.

6. Cum Chriſtus Dominus ad diſcipulos poſt reſurrectionem veniſſet, & an aliquid pulmentatij haberent, interrogaſſet: *Aſcendit Simon Petrus* (inquit textus) *& traxit rete in terram plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus, & cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete.* Ioan. 21. verſ. 11. At de altera piſcatione dicitur (Lucę 5. verſ. 6.) quod cum ex verbo Chriſti laxaſſent rete, & copioſam multitudinem piſcium cepiſſent, prę illorum numeroſitate ſcindebatur rete. *Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam: rumpebatur autem rete eorum.* Si autem inquiras: cur magni piſces integrum rete ſeruent, & in minutiſſimorum captura rumpatur, cum potius ex ingenti mole deberet ſcindi? Auſculta D. Auguſt. adductum in Catena. *Non autem fruſtra dictum eſt: Erant magni, cum enim dixiſſet Dominus: Non veni ſoluere legem, ſed implere, daturus ſpiritum vtique, per quem lex poſſet impleri, paucis verbis interpoſitis ait: Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum.* Minuta plebs inquieta ſchiſmata in republicis & religionibus ſeminat, caque legis & inſtituti rete rumpit, magni piſces, pacifici & ingenui viri innocuum ſeruant rete, & intra ipſius cancellos pacatè continentur. *Non fruſtra dictum eſt, erant magni,* (ait Auguſt.) Magni enim & nobiles non adeò frequenter rete rumpunt, nec à Maiorum inſtitutis decidunt: multitudo autem plebis, & abiecti homines legem dilacerant, quia à ſordida natura habent eſſe ad vitia procliues, & vilis generatio propagat parentum indecoros mores in filios: ſicut illuſtris ad virtutem honeſtatis imitamento facilè adducitur. Sic vbi primum Deus in mundo homo factus apparuit, montes ſęculi, & colles mundi incuruantur, & cœleſti doctrina ante alios imbuuntur vt Vates noſter hic pulchrè auguratur. *Contriti ſunt montes ſæculi, incuruati ſunt colles mundi ab itineribus eius,* verſ. 6. & Dauid antea prędixerat. Pſalm. 48. verſ. 1. *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem, quique terrigenæ & filij hominum.* Quorſum Reges & Principes ſpecialiter inuitat ad audiendas Dei laudes? Hugo Card. *Vocat Reges & Principes ad laudem Dei: quia primi in dignitate, primi debent eſſe in laudibus Dei.* Vt de Sole dixit Hieronym. ad illa verba Pſam. 148. *Laudate eum Sol & Luna. Quod maius in lumine eſt, prius laudat.*

DISCVRSVS II. MORALIS.

Iis, qui in expugnatione hoſtium fortiter dimicarunt, præmia largiatur Princeps.

1. POſtquam Deus Chananęorum terram debellauit, ſtetit, victoriarumque curſum, licet non beneficiorum, continuit, & Hebræis, qui vna cum ipſo pugnauere,

uere, regionem ad habitandum reliquit. *Stetit, & menſus eſt terram.* Hic verſ. 6. Id faciens, quod mortalis ſolet Imperator, qui vbi alienã aliquam regionem ſuo ſubiugauit imperio, inter ſuos milites aut ſorte, aut pro cuiuſq; meritis fines diſtribuit, quorum ope facta eſt noua ad regnum acceſſio: quod millies fecere Romani. Stetir igitur Deus, & menſus eſt terram, cuius diuidendæ Ioſue ac Moyſi certam formam menſuramque perſcripſit, vt Principes inſtrueret ijs munia conferre, qui in debellando hoſte, & ſtabiliendo reguo ſe viriliter geſſerunt. Nam etſi virtutis præmium non aliundè ſit, ſed in ipſa lateat (vt dicebat Seneca. lib. 1. de benefic. c. 1. *Honeſtarum rerum pretium in ipſis eſt.*) Tamen vbi impræmiata manet, languet, & euigoratur, quia cum naturaliter ipſam comitentur honores, ſi deficiant, dubirat an placuerit, & ab incæpto opere deſiſtit. Quandocunque Princeps ingratus eſt, nulla glorioſa geſta patrantur, quia non remunerata ingloriè ad poſteros tranſmitti creduntur. Tam benemeritis debetur præmium, quam flagitioſis ſupplicium, quia in his duobus polis tota regni machina vertitur. Bonos braujo, malos autem afficere pœna, ſumma regiminis eſt: nam remunerationis generoſa ſpes animum erigit ad honeſta quæque tentanda, frigidus verò ſupplicij timor licentiam cohibet inhoneſtam. Quis vitia abſque pœnæ timore abnueret? Quis pericula abſque præmio non recuſat? Deber igitur Princeps præmia metiri, non candidatorum ambitione, ſed labore certantium. Qui belli pondus & pericula audacter ſuſtinuere, munera debent deferre, vt muneratis ipſis alij diſcrimina non formident, nam ad conſpectum retributionis accenditur animus, & ad quæcunque ardua ſuperanda erigitur, vt dicebar Caſſiod. *Nutriunt enim præmiorum exempla virtutes.*

2. Vt ſermonem paulò ante de ſua Diuinitate habitum Chriſtus confirmaret, & perſequentium ora confunderet, atque opere ipſo ſe non vana & mendacia dixiſſe comprobaret, miraculum à ſęculo non auditum è templo egreſſus patrauit, quod ſic narrat texrus ſ cer. *Et præteriens IESVS vidit hominem cæcum à natiuitate, & interrogauerunt eum Diſcipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur? Reſpondit IESVS: neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Ioan. 9. verſ. 1. 2. & 3. Statimque ex ſputo colirio effecto ipſius palpebras abſterſit, & lumina reſtituit. *Exſpuit in terram, & fecit lutum ex ſputo & liniuit lutum ſuper oculos eius &c.* Chryſoſt. hom. 55. in Ioan. ſedulò aduertit diligentiùs in cæcum oculos conuertiſſe Ieſum, ita vt ſingulare quid in eo cogitare viſus eſſet, quod quidem occaſionem dedit Diſcipulis, vt interrogarent, quis peccauir, hic, aut, parenres eius? *Et etiam conſiderandum* (ait Chryſoſt.) *quod ipſe vidit cæcum. non cæcus ad eum acceſſit.* Cur ſi cæcus ad eum non accedit, neque ſalurem poſtulat, vt poſtularunt alij, illum adeò diligeuter Chriſtus curar, qui cum alijs ſimulabat, à quorum clamoribus vexabatur, vt Chananæa & ille alter qui clamabat: *Ieſu fili Dauid &c.* & adeò importunus erar, vr qui comitabantur Chriſtum os eius manibus obſtruerent? Ad quid ſi nullum cæcus dat cupitæ ſalutis ſignum, tam feſtinanrer Chriſtus flectitur, in rerram exſpuit, edir lutum, & ex illo pharmacum, quo linir, & præbet oculos efficit? Quam ægrotus non poſtulabat ſalutem, ad quid tot circumſtantijs amoris reddit? Satis perſpicuè textus ſacer rationem innuit: *Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtantur opera Dei in illo.* Aliorum infirmorum, qui propter peccata in ægritudines inciderunt (quod de pleriſque quibus dicebat Chriſtus: *Iam amplius noli peccare*, credendum eſt) orationem exſpectat, vt ipſis accurrat, verum iſte, qui propter obſequium & gloriam Dei oculis erat orbatus, non exſpectar, vt perat, ſed tacenti ſedula cogitatione viſum & ſalutem exhibet. Illa cæcitas propter exaltationem Chriſti ex miraculo reſultanrem fuit contracta: dignus ergo erat, qui propter gloriam ſui Principis tor incommoda patiebatur, vt ab illo ingenti fauore afficeretur. Vt Reges inſtruantur, homines, qui ob propriam culpam paupertate & membrorum priuarione laborant, fauorem & beneuolentiam poſſe exſpectare: Aſt qui oculos & membra in bellicis conflictibus perdidere, qui in ſeruitium Principis ſunt inuererati, & propter eius gloriam labores perpeſſi, non indigenr importuna poſtulatione, quia his præmia Princeps debet habere præuenta, & eis præambula liberalitate occurrere. Qui ſtrenuè ſe geſſit in bello, munificè à Priucipe debet remunerari.

3. Moyſes deuitans Pharaonis iras ob reatum interfecti hominis Ægyptij, profugus venit in rerram Madian, ibiquæ Magnates magno ipſum honore ſunt proſecuti, maiorque Sacerdos Madian filiam ſuam Sephoram ſtatim illi non potenti tradidit in vxorem. *Accepitque Sephoram filiam eius.* Exod. 2. verſ. 21. Merirò ambigunt Interpreres, quare ignoto pauperi, & profugo Moyſi Ietro vel Madianitidis Rex, vel ſaltem vnus ex Magnatibus, & primæ nobilitatis viris filiam ſuam in matrimonium tradiderit? Et ferè omnes ad egregium Moyſis opus, quod ibi patrauit, electionis motiuum referunt. Sic Lyra. *Videns enim eum Ietro virum valentem & induſtrium dedit filiam.* Acceſſir Moyſes ad puteum, vbi ſeprem filiæ Madian greges patris adaquare cupiebanr, ipſaſque eijciebant paſtores, & reſurgens, defenſiſque ab iniuria puellis, oues earum adaquauit: quod cum patri referrent, ait: *Quare dimiſiſtis hominem? Vocate eum, comedat panem: accepitque Sephoram filiam eius vxorem.*

Ho-

Digitized by Google

Homo namque qui pro honore Principis adeò ſtrenuè pugnauit, vt eius filias à paſtorum iniurijs liberauerit, idque ſolum pro ratione & iuſtitia decertans, etſi ignotus, etſi aduena ſit, non indiget, vt præmium efflagitet: quia ſapiens Rex illi pulchram filiam pro præclaro ſeruitio in mercede præbebit: attentus enim debet eſſe Princeps in munerum diſtributione & præces anteire merentis, ne eins ingratitudo, & merita & virtutem ſiſtat.

4. Filij Ruben, & Gad primam hæreditatem à Moyſe poſtulabant, parati tamen in prima acie audacter præliari. *Nos autem ipſi armati, & accincti pergemus ad prælium antè filios Iſrael*. Numer. 32. verſ. 17. Vt qui priorem portionem petierant hæreditatis, priores ſe bellorum diſcrimini obiectarent: & tamen primum negat Moyſes, & nonniſi poſteà iuſtificata cauſa poſſeſſionem ſub conditione conceſſit, vt ibidem dicitur. Aſt mortuo Ioſue conſultum ſuper vno aliquo duce, qui ei ſuccederet, bellique ſummam adminiſtraret (vt exiſtimat Abulenſis quæſt. 2. & 4.) vel qui bello daret initium (vt veroſimiliùs apparet Lyræ, & Caietano) deſignauit Dominus Iudam, & ad populi regimen tribus illa fuit electa. *Dixitque Dominus: Iudas aſcendet*. Iudic. 1. verſ. 2. Cur Iudæ non petenti honor conceditur, qui tribubus Ruben, & Gad adſtipulantibus denegatur? Cur qui periculo ſe primò obijcere erant parati, à munere relegantur, & tribus: quæ illud non ambibat, præfertur? Auſculta Hieron. ad cap. Oſeæ 11. cauſam ex Hebræo rimantem. *Hæc omnium tribuum prima* (Iuda nempè) *cæteris reſiſtentibus, ac renuentibus mare Rubrum ingredi eſt auſa: vndè & meruit principatum*. Præclarum facinus in Dei honorem, & gentis Hebræorum vtilitatem tribus Iuda peregit, timorem, qui alias tribus tenebat, deſpiciens, & vndis mariuis ad dexteram, & læuam conglaciatis intrepidè fidens: ergo iuſtitia exigebat, vt ipſi honorem non ambienti exhiberetur honor alijs denegatus. Quia non tam liberalitatem, quam Iuſtitiam exercet Princeps ijs, qui pro ipſius honore, & ſanguinem fuderunt, & nullum horruerunt periculum, munera tribuens, & præclara geſta debita mercede rependens.

5. Sed ò tempora. O mores. Quot ſunt merita, quæ. impræmiata conqueruntur, & Principes accuſant, qui honoribus benemeritis debitis munerant ambitioſos negotiatores, & eos, qui in voluptatibus deſeruiunt. Infelicitas temporum. In quibus id experimur, quod Abrahamo exulanti accidit: cum enim ad Ægyptum diuertiſſet, Saræ pulchritudine allectus Pharao illam ſubripuit, illumque propter vxorem pulchram muneribus, ac diuitijs cumulauit. *Abraham verò benè vſi ſunt propter illam fueruntque ei oues, & aſinæ & ſerui & famulæ & aſinæ & cameli*. Geneſ. 12. verſ. 16. Hominem aduenam, peregrinum, & patria exulem benigno Princeps excepit hoſpitio, & fortè ex vectigalibus, quæ ſoluebat populus ad gerenda bella, & remunerandos milites, Abraham nullo merito præter venuſtatem vxoris apud ipſum commendatum locupletauit. *Quam benè Principes* (exclamat hic Oleaſt.) *operam ſoluunt illis, qui eis in ſuis cupiditatibus deſeruiunt, & meliùs quam ijs, qui communitati in bello, aut in alijs, quæ ſunt communitatis*. Opportunèque locum adducit (Lucæ 10.) vbi Martha ſolicita erga domeſticam curam, vt Chriſto neceſſaria miniſtraret, quaſi reprehenditur: Maria verò otioſa ad pedes Domini ſedens plurimum commendatur. Cur quæ plus ſeruiebat, placebat minus, & officioſa Martha arguitur; otioſa verò Maria remuneratur? *Quoniam Martha* (inquit Oleaſt.) *ſeruiebat Domino in ijs, quibus ipſe non delectabatur, nempè in cibo, & potu; Maria verò in audiendis verbis illius, quod illi maximè cordi erat*. Si fas eſt dicere (ſed non eſt fas) etiam apud Chriſtum non quæ plus laborauerat, ſed quæ magis gratum ipſi munus obibat, plus meruiſſe cenſetur, & quieta Mariæ fruitio labori Marthæ præfertur: quia hæc non delectationi Principis inſeruiebat; illa autem ad ipſum guſtum otiabatur: quod etſi iuſtè actum, querimoniam Marthæ excitauit. Quid non incuſabunt Principis conſilia, quia præmia ipſis debita ambitioſis, adulatoribus, Principis voluptati blandientibus, & cæteris huius generis, miſeram ſuam fortunam execrantes conferre conſpiciunt?

DISCVRSVS III. MORALIS.

Diuinum, & planè regium eſt, pœnas non aſpicere, ſed præmium.

1. MEritò hic Deum præmia largientem introducit Vates. *Stetit, & menſus eſt terram*. Qui de ſupplicio Chananæis inflicto agat, vt ipſius naturam planè ad liberalitatem propendentem, & refugientem ſupplicia demonſtret: quod & Diuinæ, & humanæ potentiæ debet eſſe elogium; nam nihil tam naturale eſt Principi, quam benefica, & profuſa largitate ſubditos munerare, & à ſupplicijs abſtinere, quaſi eſſet res ab ipſo aliena. Quia (vt dixit Tacitus) non minus Principem dedecent ſupplicia, quam funera Medicos. Nunquam Princeps debet cruentari, & cum punire fuerit neceſſè, non per ſeipſum id peragat, ſed per miniſtros: nam, vt rectè dixit Xenophon. *Princeps per ſeipſum benefacere, per alios punire debet*. Erubeſcat, qui benefacere naſcitur, ſuorum ſubditorum ſanguine commaculare manus, ſtudeat ſuis ſemper proficere, vt illorum ſibi amorem conciliet, ne ſi in illos atrocitet ſæuiat, illum timeant, & proſequan-

ſequantur odio: nam noxium animal reliqua fugiunt, innoxium verò, ac beneficum ab omnibus amatur, illiuſque vitam vigilantibus excubijs tutantur. Neſciat populus Principem officere poſſe: ſat eſt ad ſceleratorum licentiam cohibendam, ſi apud miniſtros vim punitiuam reſidere aſpiciant. Subtrahat Princeps à vindicta oculos, ne indecorè crudelitate deturpetur, & ſedulò procuret ſeuerioris iuſtitiæ rigorosè occultare.

2. Murmurauerant aduerſus Moyſem fratres eius Aaron, & Maria, aut quia mulierem Æthiopiſſam duxit, aut quia ob collocutionem cum Domino propriæ vxoris thorum deſerebat. Iraſcitur Deus contra ipſos, deſcenditque in columna nubis: commendat virtutem Moyſis, illumque laudibus extollit; & cum fratres vehementer obiurgaſſet, ait text. ſacer. *Iratuſque contra eos abijt, nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra, quaſi nix.* Num. 12. verſ. 9. & 10. Statim poſt increpationem eadem ipſa columna, qua venit, diſparuit: ait Caiet. ex Hebr. *Et iratus eſt furor Iehoua in eos, & abijt proculdubio in columna, in qua deſcenderat*, Cur Deus abeſt, vt puniatur Maria, & non antea ipſa lepra candens apparuit, quam abiret Deus? Si adeſt in tabernaculo, vt honoret Moyſem, qui detractione fratrum erat infamatus: cur non ipſo præſente puniuntur detractores, vt & opinioni Moyſis ſolerter prouideat, & coram populo iuſtus videatur? Quaſi lepra ipſius abſentiam expectaret, ſtatim ac ipſe diſparuit, apparuit illa. *Abijt: & ecce Maria apparuit candens lepra*. Ita equidem: ſubtraxit Deus oculos antequam lepra in Mariæ corpus ſerperet: non expectauit ſupplicium: quia non decebat Principem pœnam aſpicere, ſed præmium. Ad commendandum Moyſem adeſt, abeſt ad puniendam Mariam, vt per ſeipſum præmium conferret, & ab alio pœna crederetur inflicta. Quaſi erubeſceret Deus ſuæ iuſtitiæ executionem, nube ſe à populo ſubduxit, & poſteà Mariam plectit. ne palam appareat Deus, dum ſupplicium exequitur; nube ſe celat, ne pœnam infligere videatur.

3. Iudicaturus mundum Chriſtus Dominus, & damnaturus alios, alios remuneraturus, his quidem ſic blandè, ac beneuolè alloquitur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*. Matth. 25. verſ. 34. verſ. 41. Illis autem: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius*. Cur ſicut benedictionem à Patre eſſe affirmat, maledictionem non ab illo eſſe teſtatur? Vtraque enim apparatus iuſtitiæ eſt, & meritis, ac demeritis digniſſima, Deoque non indigna: nam æquè eſt miſericors, ac iuſtus: quia ſi non eſſet iuſtus meritas pœnas reprobis retribuens, non eſſet miſericors, neque Deus. Cur igitur electorum præmium, & benedictionem Patri attribuit. *Venite benedicti Patris mei*: Maledictionem verò impiorum ſine Auctore pronunciat. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*: Quaſi illorum ſupplicium à ſe abdicaret? Opinor, vt nullo modo ſupplicia inferre videretur. Electi qui ad cœleſtem patriam vocantur, palam à Patre benedici perhibentur: at verò reprobi, qui probroſa audiunt verba, & gehennæ atrocitati deſtinantur, à Deo maledici, & torqueri non dicuntur: quaſi refugiat Deus punitorem videri, & ambiat remuneratorem inſpici. Tectiùs occultat iuſtitiæ acerbitatem, & ſine Auctore maledictiones, & ſupplicia infliguntur; vt quodammodò mortalium oculis abſcondatur à Deo pœnas infligi, idque miniſtris tribuatur; ſibi autem beneficentia in benemeritos, vt dicebat D. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 6. *Vbi gratia largienda eſt, Chriſtus adeſt: vbi exercenda ſeueritas, ſoli adſunt miniſtri*. Cum beneficia iuſtis præſtat, ſe palam oſtendit, & gloriatur cognoſci: at cum ſupplicia infert, ſolerter ſe abſcondere ſatagit, & quaſi abſenti præſentia adeſſet, non ſe reprobos maledicere indicat, ne pœnæ Auctor videatur.

4. Pater ille familias, qui operarios conduxit conuentione facta in vineam ſuam cum ſoluendæ mercedis appropinquaret tempus œconomo ſuo præcepit, vt coram ſe debitum redderet. *Cum ſero autem factum eſſet, dixit dominus vineæ procuratori, voca operarios, & redde illis mercedem*. Matt. 20. verſ. 8. *Quid eſt voca operarios?* Qua forma ſunt vocandi, vt mercedem accipiant? Anſelm. Lugdunenſ. *Statue operarios ante tribunal tuum*. Solemniter ac publicè, ita vt neminem lateat: Mercedem ſolertiſſimus Pater vult largiri. Verum quis ille erat œconomus, cui Pater mercedem ſoluere commendauerat? Caiet. autumat, huiuſmodi verba fuiſſe à Patre Diuino Filio dicta: *Quia ſcilicet Pater operatur per Filium, & Filius per Spiritum Sanctum*, inquit Gloſ. Si ergo Pater Angelo, Filio, aut Spiritui Sancto mercedem laborantibus tribuere commiſit: ad quid cum ſolutionis tempus adeſt, coram ſe ipſos vocat, vt denarium ex conuentione promiſſum ſoluat? Fortè ſuſpicatur aliquid mercedis à tam ingenuis Perſonis ſubripiendum: quod oculis cernere procurat debiti ſolutionem? Si ipſe non ſoluebat denarios: cur coram ſe vocat, & ſoluentes, & accipientes? Opinor; quia Deus ſic præmia reſpicere gaudet, eaque benemeritis diſtribuere, vt non Angelis, imò (ſi fas eſt dicere, ſed non eſt fas) neque Filio ſoli, neque Spiritui Sancto id committat; ſed ipſemet Pater largitor adſit, vbi conferuntur præmia; qui ſeipſum abſcondit, dum de ſupplicio agitur: vt Reges doceat non pœnas reſpicere, ſed præmia, & illa per ſeipſos; non per alios (etſi Angeli videantur) elargiri. Non infelicitatis ſuſpicione,

Digitized by Google

ne; ſed delectatione gaudij coram ſe Pater operarios vocat remunerandos, quodammodò largientis miniſterio inuidens; quia iucundum gratum, & decens iudicauit, per ſeipſum merentibus præmia conferre.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Diues impunè delinquit: pauper inualidus pœnæ obnoxius eſt.

1. PVlchrè Propheta Dei potentiam deſcribit conterentem montes, *Aſpexit, & diſſoluit Gentes, & contriti ſunt montes ſæculi*, In quibus Proceres, & Dynaſtæ, qui præeminent, cæteris, adumbrantur: vt arcanè innuat, mundi potentes, quos locupletauit fortuna, à Deo tantùm plecti, & in eorum punitione Dei potentiam planè demonſtrari: quia ad ipſos nunquam pertinere mundi ſupplicia, etſi flagitia maxima commiſerint: quia opes crimina abſoluunt, & in tuto collocant diuites, ac potentes, rigidiorque Iudex flagitioſo diuite hebetatur: quod arcanè præſagiebat Iſaias cap.51.verſ.20. *Filij tui proiecti ſunt, dormierunt in capite omnium viarum, ſicut oryx illaqueatus.* Iniuſtitiam, quæ in populo vigebat, lamentatur: proindèque procliue eſt, locum inuertere ad Iudices, qui impunitos, & abſque aliquo metu ſomno deditos relinquunt ſceleratos diuites, qui muneribus ipſos illaqueant. Verùm cur orygem diuiti comparat? Oryx (in cuius ſpecie non omnes conueniunt) in Iuuenalis ſententia (Satyr. 11.) auis eſt pinguiſſima, & quæ ſua craſſitudine cultellum ipſam ferire intendentem hebetat, ſimiliſque (vt ait Berchorius in reductorio gallinæ Africanæ, quæ pariter pinguedine ſua acutiorem habetat cultrum, quodque optimè idem Berchorius ad diuitem refert, cuius pinguedine, & diuitiarum opulentia ferocior Iudex hebetatur, quia nullus cum diuite refricat. *Sic homo pinguis* (ait Berchorius) *per diuitias hebetat ferrum: qui vix aliquis Iudex ferreus, & durus eſt, cuius acies iuſtitiæ à diuite non hebetetur.* Qui potens eſt opibus, nunquam damnatur: quia opulentia pro impunitate eſt, pro innocentia diuitiæ: nemo audet ipſos, vel leui offendere verbo. Quod pulchrè ponderauit Ambroſ. ad illa verba, quæ falſi teſtes poſuerunt in capite innocentiſſimi Naboth. *Benedixit Naboth Deum, & Regem.* 3.Reg.21. verſ.13. Cum enim voluiſſent incuſare, quod Deum, ac Regem maledicebat, id verbis inuerſis, & penitùs oppoſitis ſignificant, & verbum *benedicere* quo vtuntur, in contrario ſenſu ab illis accipitur, voluntque, vt pro verbo *maledicere* accipiatur: cuius ſatis ciuilem rationem reddit Ambroſius. *Ne verò diuitem maledicti vox offendat, & ſermonis ipſo lædatur ſono, benedictum pro maledicto vocatur.* Tametſi impijſſimus eſſet Achab, quia diues erat, nec leui vocis ſono audent ipſius obſequio intendentes ipſum ferire: quia tam innoxiè potens delinquit, vt nemo audeat ipſum culpare, ſitque ab omni lege, & ab omni pœna immunis.

2. Exod.1. verſ.22. præcepit Pharao omni populo ſuo dicens: *quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proijcite: quidquid fœminini, reſeruate.* Quærunt Interpretes, an illa lex fuerit lata generaliter, ita vt tam Hebræorum, quam Ægyptiorum infantes comprehenderet vel potiùs ad ſolos Hebræos ſe extenderet. Plures arbitrantur, præceptum non fuiſſe in communi datum, ſed tantum pro Hebręis ſubmergendis: quoniam Ægyptij, vel cum vitæ periculo non illi obtemperarent, ſi proprios filios ſubmergere præciperentur. Quamuis decretum ſine diſcrimine fuit publicatum; tamen in Regis edicto diuites ſubintelliguntur excepti: quia ſæculi leges non confinguntur ad puniendos potentes (quales erant Ægyptij) ſed ad pauperculos, & inualidos, quales tunc reputabantur Hebræi. Quaſi non hominis crimen ſed conditio damnetur, proceres immunes à lege pœnali intelliguntur; inopia pauperis rea delicti eſt: potentiores enim non ſe inuicem lædunt, ſed in pauperculam plebem cruentè inuehuntur. Sic vbi Abraham ſuper ſacrificiorum carnes volucres deſcendere vidit, ipſas à quadrupedum cadaueribus abigere ſatagebat. *Deſcenderuntque volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraham.* Geneſ. 15. verſ. 11. Putat Ambroſius, voraces volucres ſuper cadauera tantum quadrupedum interfectorum deſcendiſſe, non autem ſuper auium cadauera: ex vtroque enim genere immolauerat Abraham. Verùm cur cœli volucres carnes non appetunt ipſis magis familiares propter ſimilitudinem, & terreſtrium animalium cadaueribus inſident, ipſorumque carnes dilacerant, & ad ventris ingluuiem ipſis vtuntur? Vel diuitem mortuum alij adoriri verentur, & in pauperculos ac inualidos irruentes potentioribus parcunt: nunquam enim perſonam, aut domum diuitis iuſtitia inuiſit; humilis inopia vbique laceratur, damnatur vbique.

3. Quæſiuit Adamus latibulum poſtquam peccauit cumque vocem Dei clamantis audiſſet, nuditate ſua ſe excuſat, & propter eam non comparuiſſe dicebat. *Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui eo quod nudus eſſem, & abſcondi me.* Geneſ.3. verſ.10. Stulta planè & inepta reſponſio. Adeſt Deus omnium iudex, vt ipſius cauſam diſcutiat, & cum immane delictum perpetrauerit, non timet, quod tanti flagitij ſit reus, ſed eò quòd nudus ſit, ob

idque

Digitized by Google

idque in abditiori loco ſe abſcon lit. Nemo eſt paupertatis reus, ſed delicti. Vt quid igitur non propter nuditatem rimet, & aufugit? Sanè deſipit Adamus, dum nuditatem ſiſtere ad tribunal iudicantis recuſat: at deſipit, quia agit cum Diuino Iudice; nam ſi cum humano ageret, eximiè ſaperet quia diues & potens non timet humanum iudicem; pauper & nudus iure timet, quaſi iure eſſet reus, qui nō habet vnde redimat paupertatis delictum. Ob nuditatem ergo timendus eſt humanus iudex: quia crimen nuditas eſt, propter quod ſolum punitur pauper. Rea criminis eſt inualida paupertas, offendit, quia diſplicet: propterea que non tam inobedientia, quam nuditate criminoſum ſe reputauit Adamus, Deo ſuſpicans id diſplicere, quod omnes offendit. At non ſic ſicut homines Deus, qui non perſonarum qualitatem, ſed delicta punit, neque diuitibus apud ipſum prodeſt opulentia, vt arcanè dixit Dauid Pſalm. 31. verſ. 6. *Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt*. Quodnam illud erit diluuium, in quo homines ad Deum nequeunt accedere? Cardin. Hugo. *In diluuio aquarum multarum: ideſt, temporalium bonorum, quæ fluunt ſicut aqua.* Quaſi dicat; In diluuio & affluentia diuitiarum nullus peccator approximabit ad Deum, nullus apud eum iuſtificabitur, vel ingredietur ad ipſum. Horrenda certè diuitibus ſententia, etiam iterum intimata. Matth. 19. verſ. 24. *Faciliùs eſt camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum cælorum*. Non meliùs Dei iudicantis integritas potuit innoteſcere, quam diuitijs deſpectis. Secus eſt apud homines, apud quos nunquam pauper iuſtus innenitur, nunquam criminoſus diues, crimina in potente adorantur virtutes in egeno crimina ſunt, ab omnibuſque irridetur pauper, difficilèque ſe ab accuſatione liberat, vt dicebat Iuuenalis Satyra 8.

> *Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat.*
> *Res anguſta domi.*

Fruſtra ſe ab accuſatione eripere tentat, qui à paupertate accuſatur.

4. Magorum reditum exſpectauit Herodes, vt pueruli ſigna ediſceret: illis autem alia via reuerſis cunctatione offenſus inſanit Herodes, itaque percitus omnes pueros, qui erant in Bethlehem, iuſſit occidi. *Tunc Herodes videns, quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valdè, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius.* Matth. 2. verſ. 16. Si Magi ipſum decipiunt, cur ſæuit in infantes? Quid Magorum reatus cum puerorum innocentia habuit commune, quod illis delinquentibus contra iſtos inſanè furit? Optimè rem ponderauit Chryſoſt. ad prædicta verba. *Tunc Herodes videns, quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde. Sed quid facit? Mittens occidit omnes pueros, & ille deluſus à Magis iram ſuam ſuper paruulos effundebat.* Sic ſæpè furit Iudex, qui pauperculos plectit, & potentiorum delicta diſſimulat. Magi Herodem offenderunt, ſed quia potentes erant, ſapientia illuſtres; & nobilitate inclyti, illis parcit, & aduerſus infantes nullius criminis reos, nullius culpę conſcios inhumaniter ſæuit, nulla alia culpa, niſi quia pauperes & inualidi ſunt, quia paruuli & imbecilles. Infantium inculpata innocentia caſtigatur, & Magi qui Regem decipiunt, remanent impuniti, quia paruulorum inopia rea criminis habetur; Procerum autem potentia abſolutio criminis eſt: quia fortuna perſonę, non perſona ad tribunal iudicantis adducitur, non culpa, ſed paupertatis reatus plectitur.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Magnatorum eſt vitium, ſola auctoritate praua ſua conſilia defendere.

1. Capitoſa, nimis nimiſque peruicax Procerum ſolet eſſe præſumptio: qui indecorum arbitrantur, à ſemel aſſumpto conſilio recedere. Exindèque in pernitioſos dilabuntur errores, & continuato prauo conſilio, ad vltimum diſcrimen deueniunt, & nocumentum, quod in principio mediocriter lædebat, perſeuerante errore, per omnia pernitioſè ſerpit, & non retractatus inuincibilis poſtea efficitur. Fluuius tranari difficilis, in ſuo ortu facilè tranſuadatur, at creſcentibus vndique vndis, poſt longum decurſum difficulter ſuperatur. *In principio enim* (dicebat Ariſtot. 2. polit. cap. 4.) *peccatur*. Qui conſulere alios nolunt, ſequique dedignantur, temeraria ac inſolenti præſumptione ad vltimum errores protrahunt, aut quia illos non aduertunt, aut quia eos reuocare recuſant, plus æſtimantes conſtantes videri, quam publicum reipublicæ bonum: obſtinatèque ſua placita defendunt, & pro ſuo libito, nulla habita conuenientię, aut veritatis ratione, res determinant.

2. Pudiciſſima illa Suſanna de laſcino crimine accuſata, duobus falſis teſtibus in iudicio vrgetur, & propter adulterium impoſitum ad mortem condemnatur verum auſculta ſeriem depoſitionis. *Dixerunt: Cum deambularemus in pomario ſoli, ingreſſa eſt hæc cum duabus puellis, & clauſit oſtia pomarij, & dimiſit à ſe puellas, venitque ad eam adoleſcens, qui erat abſconditus, & concubuit cum ea.* Daniel. 13. verſ. 36. & 37. Cur in grauiſſima cauſa, vbi nobilem,

bilem ; & caſtiſſimam fœminam ad mortem damnare ſtudent, ſe ſolos illam adulterantem vidiſſe affirmant? Aptè Lyra: *Hoc dicunt, ne requiratur alius teſtis cum eis*. At cur non alius adhibendus eſt teſtis ad morti damnandam fœminam, de qua nunquam antea aliqua fuit excitata ſuſpitio, vel apud domeſticos, & ſeruos, qui maximè dominorum omnia norunt, omnia ſpeculantur, & malitioſè culpant? Quid ſi les teſtificationis præſtat, quod ſoli annoſi, & laſciuientes ſenes ipſam vidiſſe teſtentur, ſi ſeruorum teſtimonio, apud quos Suſannæ virtus maximè erat commendata, eius pudicitia comprobatur? *Erubuerunt ſerui vehementer: quia nunquam dictus fuerat ſermo huiuſmodi de Suſanna.* verſ. 27. Cur alios excludunt teſtes, & ſuo tantùm teſtimonio fidem adhibere ſatagunt: Crediderim, quia Magnates populi erant, quorum innatum vitium eſt ſola auctoritate praua cōſilia, & corrupa teſtimonia defendere. *Hoc dicunt, ne requiratur alius teſtis*. Indecorùm enim ipſis videbatur, vt præter eorum dicta aliud incuſati criminis teſtimonium, indiciumue adhiberetur. Sibi ipſis blandientes, & de auctoritate gloriantes nullum alium præter ipſos crimen vidiſſe teſtantur, quia magna ipſis irrogaretur iniuria, ſi eorum dictis non integra adhiberetur fides, aliuſque facti conteſtis quæreretur.

3 Grauiſſima, eaque falſiſſima conuitia Christo Domino Phariſæi obijciunt aſſerentes Samaritanum eſſe, & dæmonium habere, aliaque ſimilia, & mendaciſſima omnia. Sed qua obſecro probatione ea vera eſſe populo perſuadere conantur? Audi text. ſacrum: *Nonnè benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes*? Ioan. 8. verſ. 48. Non aliorum adducunt teſtimonia, vt ſua placita fulciant, ſed ſuæ tantùm auctoritati nituntur. Quid? Nonnè euidentiſſimum mendacij eſt ſignum, nullam aliam præter eorum dicta probationem habere? Vtique. Cur ergo tam arroganter ſola eorum affirmatione rem falſiſſimam defendere intendunt? Acutè Caietan. *Nec aiunt: Nonnè benedicunt? Sed: Benedicimus nos: manifeſtantes ſe eſſe illos, qui perſeuerant dicendo hæc.* Quaſi dicerent: Non hoc plebei & deſpecti homines dicunt, ſed nos, & ſat eſt, à nobis verificari, vt verum reputetur: noſtra enim auctoritas quamcunque aliam in atteſtante veritatem vincit. Vbi noſtra teſtimonia intercedunt, non eſt opus alia probatione, noſtra authoritas pro probatione ſatis eſt. Miſera ſors illius reipublicæ, vbi miniſtri, à quorum decretis pax, & tanquillitas dependet, omnia ventoſiſſimè præſumunt, & tenaciter decernunt ſuis conſilijs firmiter adhærentes, & egregia auctoritate corrupta placita defendentes.

4. Ioan. 18. verſ. 29. adducunt Chriſtum Dominum Iudæi ad Pilatum vinctum, inſtanteque, vt eum morti tradat, at ille (vt par erat) non illorum auctoritate ductus cauſam quęrit, propter quam illum haberent morte dignum. *Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc*? Quaſi dicat: Vos primò hominem iſtum vinctum ad Annam adduxiſtis, qui vinctum etiam Caiphæ Pontifici remiſit: nunc adducitis ad prætorium, vt ego eum damnem: ſcire cupio, quid noui contra eum habetis allegandum: dicite ergo quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc; Illi autem cum rationem adducere non valerent, de ſua auctoritate plurimùm ſuperbiētes pro accuſationis probatione auctoritatem reddiderunt dicentes: *Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* verſ. 30. At quę hęc criminis conteſtatio, vt iudicem ad damnationem inclinent? Suis dictis, & exiſtimationi, qua apud populum commendabantur, inſiſtentes quaſi laceſſiti Pilati intertogatione auctoritatem ſuam ſufficientem eſſe probationem blaterant: *Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum*. Quaſi dicant: Niſi ita eſſet, homines nobiles, & qualitatis noſtræ non ad te illum adducerent damnandum: ſufficientiſſima enim criminis probatio eſt, vt viri auctoritate inclyti, & opinione conſpicui id aſſerant, nec alij ſunt adhibendi teſtes, vt morti tradatur. Hoc enim proprium genium potentium eſt, auctoritatis pondere ſua conſilia defendere, & probare mendacia. Quod paſſim contingit, nam ſola diuitis inſimulantis auctoritate innocentes damnantur, quia ſufficiens (etiam contra optimos viros) reputatur probatio, ſi à potentioribus accuſentur, ita vt idem ſit damnari, ac in potentum odium incidere.

5. Matth. 27. verſ. 3. mane facto conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, & ſeniores populi aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent, & vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præſidi. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus, &c.* Planè Iudas malè vidit, quia tunc Chriſtus non erat damnatus. Nondum Iudici cauſa diſcutienda traditur, & iam damnationis ſententia auditur? Si tunc primò Præſidi, apud quem vitæ mortiſque erat poteſtas, Chriſtus traditur, & nondum neque ſummariè neq; plenariè de crimine conſtabat, quo pacto iam damnatus dicitur? Egregiè Origenes. Tractat. 25. in Matth. difficultatem verſat. *Quomodò Iudas vidit, quia damnatus eſt? Nec enim adhuc condemnatus fuerat Ieſus, neque à Pilato interrogatus. Forſitan autem dicet aliquis, vim patiens, quoniam conſideratione mentis vidit, quia condemnatus eſſet, ex eo quod traditum aſpexit à principibus Sacerdotum*. Quaſi dicat: Rem factam, & abſolutam vidit Iudas, cum nouit Ieſum traditum à Principibus, & ſenioribus Iudæorum, nouerat enim, quam facilè Iudices Magnatorum auctoritate aduerſus innocentes moueantur. Vbi primo Iudici traditur, iam damnatus creditur.

ditur. *Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus eſſet*: Quia probè ſciebat, Principes contumaciter in accuſatione perſeueraturos, & Iudicem illorum auctoritate abſque alia criminis probatione fore damnaturum. Sic maiorum auctoritas inſoleſcit, vt pro ſuo nutu res determinent, & vbi ipſorum vana intercedit auctoritas, fruſtraneâ reputentur aliorum conſilia, aliorumque ſuffragia impertinentia. Pulchrè igitur Propheta hic Dei potentiam Principum colla ſubiugantem introducit. *Et contriti ſunt montes ſæculi, incuruati ſunt colles mundi.* Vt eorum in ſuis conſilijs obſtinatam perſeuerantiam innuat: quandoquidem ſola Dei mirifica virtus illam flectere, & mutare valet.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Subditorum ſcelera ſuperioribus imputantur.

1. EXemplaris Superiorum vita potentiſſimè in ſubditos ſerpit, & ſiue ad pietatem fouendam, ſiue ad inducendam morum corruptelam plurimum valet: exindèque inferiorum flagitia meritò Superioribus imputantur, pro illiſque pœnas luunt, quia illorum pernicioſo exemplo irretiti in talia facinora prolabuntur ſubditi: vt enim habetur in Græca paræmia: *Piſcis à capite putreſcit.* Ab improbo Præſule inficitur tota communitas, & idcircò montes, & colles, qui Superiores ſignificant, tantùm corripi vaticinatur Propheta. *Et contriti ſunt montes ſæculi, incuruati ſunt colles mundi.* Quaſi ipſi ſoli peccaſſent: quia ſubditorum criminum ſunt rei, ſiquidem ipſis ducentibus errauerunt illi. Nihil difficiliùs ſanè eſt, quam violentas ſibi quemquam manus inferre, at vbi Saul ſe malo agitante dæmone interfecit, eius quoque armiger in eandem ſe inſaniam præcipitauit. *Arripuit itaque Saul gladium, & irruit ſuper eum.* 1.Reg.31. Quid ex Saulis dementia ſeipſum interficientis ſecutum eſt? Audi textum: *Quod cum vidiſſet armiger eius, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo.* Quaſi Regis inſania in eo ſiſtere nō poſſet, quin ad ſerui pariter funderetur. Quo ſpectat illud D.Greg.1.par.Paſtoral.c.2. *Cù Paſtor per abrupta graditur, conſequens eſt, vt ad præcipitium grex feratur.* More ouium ducentem Præſulem ſequuntur ſubditi, & vbi ille in præcipitium dilabitur, dilabuntur iſti. Si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt. Præfecti ſine duce errant; ſubditi ducente Præſule delinquunt, & paruo imitamento ruunt: proindèque non ſolùm ipſis, ſed & ducentibus eorum errores imputantur.

2. Sitiente populo in deſerto, ſic Moyſi Deus affatur: *Sume tecum de ſenioribus Iſrael, & virgam, qua percuſſiſti fluuium, tolle in manu tua, & vade, percutieſque petram, & exibit ex ea aqua.* Exod.17. verſ 5. & 6. Non leuem difficultatem hæc verba ingerunt, quoniam non Moyſes, ſed Aaron fluuium Ægypti virga percuſſit, illiuſque fluenta in ſanguinem vertit, vt habetur Exod. 7. verſ.19. *Dixit quoque Dominus ad Moyſen, dic ad Aaron: tolle virgam tuam, & extende manum ſuper aquas Ægypti, & ſuper fluuios eorum, & riuos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, & vertantur in ſanguinem.* Si ergo non Moyſes, ſed Aaron flumen virga percuſſit, quo pacto Deus Moyſi præcepit, vt illam eandem virgam, qua percuſſit flumen, ad percutiendam petram aſſumat? D.Auguſt.quæſt.64.in Exod. difficultatem ſoluit. *An quod Aaron fecit, Moyſi potiùs attribuendum eſt: quia per Moyſem iubebat Deus, qua faceret Aaron: & in hoc auctoritas; in illo miniſterium?* Tantæ molis eſt alijs præeſſe, vt quęcunque inferiores agunt, Superiori tribuantur: percuſſio enim aquarum, etſi ab Aarone fuerit exercita, à Moyſe tamen fuit præcepta: quia per illum Deus populo facienda iniungebat: & idcircò quaſi ipſe feciſſet, ipſi imputatur: quia quidquid populus proficit, aut deficit, à pernicioſo Superiorum exemplo venire cenſetur. Hinc vbi grauiſſimè peccauerunt filij Iſrael, dum a fœminis Moabitis prouocati in luxuriam, & idolatriam corruerunt, Principes tantùm ſuſpenduntur, & commiſſi flagitij pœnas luunt. *Tolle* (inquit Deus) *cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Iſrael.* Numer.25.verſ.4. Si populus crimen committit: cur pœnæ reatus tantùm apud Principes eſt? Cur penduli ſoluunt Proceres, quod non peccarunt; & impunè delinquit populus? Reus abſoluitur, & damnatur innocens? Pulchrè Petrus Damianus lib.4.epiſt.15.ad finem: *Quia culpa ſubditorum in Præpoſitorum redundat opprobrium, & quod ab omnibus erratur negligentiæ paſtoris adſcribitur.* Quotieſcunq; populus in labem ruit, reus habetur Princeps, & meritò plectitur: quia illius aut prauo conſilio, aut pernicioſo exemplo, aut negligenti otio ſubditi delinquunt.

3. Ægrè ferens populus cunctationem Moyſis in monte Aaronem agitat, vt Deos duces ipſi efformet: ille autem acceptis gazis, & xenijs, quæ populum diuertere ſtudens poſtulauerat, in ignem proiecit, vitulusque egreſſus eſt, quem & Moyſes poſteà confregit, & combuſit. Videnſque populum nudatum, & ſpoliatum Aaronis conſilio, iratus ipſi affatur: *Quid tibi fecit hic populus, vt induceres ſuper eum peccatum maximum?* Exod.32.v.21. Cur Moyſes potiſſimùm arguit Aaronem, qui metu mortis populum à fabricando vitulo non cohibuit; pro populo verò orat, vt noxam Deus illi condonet? Cur totum perpetratum flagi-

flagitium Aaroni imputat? Cum ipſe aurum poſtulauerit credens populum propter eius auaritiam ex petitione auri ab impetu retardandum, vt Auctor eſt Lyra. Vel (vt alij ſentiunt) aurum proiecit in ignem, vt ibi abſumeretur, ne idolum fieret: quod approbat Diu. Auguſt. q. 145. in Exod.) eo quod Moyſes, quem veritas facti non latebat ex collocutione cum Deo, fratrem ſe excuſantem de mendacio non redarguit. Cur igitur Aaroni tantùm crimen obiectat, & increpat, quod ipſius cauſa populus fuerit in idololatriam prolapſus? Auſculta Diu. Auguſtin. *Notandum, quemadmodum illud totum, quod fecit populus, Aaron tribuatur, quod eis conſenſerit ad faciendum, quod malè petiuerant.* Etenim illa ceſſio Aaron, illa benignitas, & illicita conſenſio (quæ potiùs vulnus eſt, quam beneficium) cauſa fuit, vt magis ipſe illos diſſipaſſe dicatur; quam quod ipſi ſe diſſipauerunt: quandoquidem illicita Superioris actio (qualis illa Aaronis erat) transfunditur ad populum, & in ſubditos deriuatur, meritòque potiùs Superior, quam ſubditus, vbi ſubditus delinquit, arguitur: per malignos enim traduces, & Superiorum praui mores deſcendunt ad ſubditos, & ſubditorum crimina aſcendunt ad Superiores.

4. Totus eſt Paulus in epiſt. ad Titum c. 1. inſtruendis fidelibus ad eligendum Prælatum, qui benè moratus ſit, & inter alia conſulit in Presbyterum, ac Epiſcopum elegi, qui ſubditos habeat fideles, & ab omni accuſatione immunes. *Vnius vxoris vir filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos.* Et ſtatim rationem reddens, cur illum præcipiat initiari, qui ſubditos habeat omni virtute præditos, addit: *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe.* Verùm quid prodeſt ſubditorum ſanctitas, vt Prælatus ſine crimine ſit, quod ex illotum inculpata vita Prælati ſanctimoniam Paulus infert? Quaſi crimine carere non poſſit, qui filios habet criminoſos, virtutem Paulus exigit in ſubditos, vt exindè Prælatus ſine crimine ſit. Eandem ſententiam ad Timotheum ſcribens non minùs pulchrè repetit: magnopere enim ipſi commendat, vt orationes iugiter fiant. *Pro Regibus* (inquit) *& omnibus, qui in ſublimitate ſunt.* 1. ad Timoth. cap. 2. verſ. 2. Reddenſque huius, præcepti motiuum ſubijcit. *Vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate.* Non formalis videtur ratio, quam Paulus faciendarum obſecrationum reddit: primò enim debebat orationem iniungere pro Regibus, & Superioribus, vt ipſi iuſtè, ac piè viuerent, quam vt ſubditi benè morati ſint. Vt quid igitur pro Regibus, & Præfectis preces fundere iubet, non vt ipſi piè, & religiosè viuant; ſed vt ſubditi honeſtam, & tranquillam vitam agant? Verùm idem eſt pro Superiorum iuſtitia, & religione exorare, ac pro ſubditorum ſpiritualibus incrementis? Nam ab illis in populum deriuatur virtus, & illorum rectò regimine ſubditi ad bonos mores inſtruuntur: Tam ſunt propriæ ſubditorum Præſulum virtutes, vt idem ſit Superioribus auxilia ad benè operandum impetrare, ac ſubditorum bonos mores ſancire. Quidquid in Superioribus viget, ſiue bonum ſit, ſiue malum, ad ſubditos deriuatur, qui illorum moribus imbuuntur.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Impunitas vitia fouet: ſupplicium auertit.

1. Clementia non eſt ſeueritatis expers, quin potiùs illam ſecum affert, pietas, quæ à ſeueritate recedit, à virtute declinat, & ad ignauiam tranſit, qua ſcelerati effrenes delinquunt, & ad flagitia quæque patranda excitantur: quia, vt dicebat D. Ambroſ. ſerm. 8. in Pſalm. 11. *Facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquenti.* Idemque & Ennodius in vita Epiphanij perelegantet. *Vitia transmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit: qui criminoſos patitur impunè tranſire, ad crimen hortatur inſontes.* Supplicio enim aditus ad vitia præcluditur; impunitate verò licentia peccandi exhibetur, omniſque malitia viget: quia, vt dicebat D. Auguſt. lib. 4. de Ciuit. *Remota iuſtitia, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia?* Puniendi ergo ſunt, qui delinquunt, vt paucis correptis frænentur plurimi, & vnius periculum metum omnibus incutiat. Quod bellè innuit Senec. *Vt fulgura paucorum periculo cadunt, omnium metu; ſic animaduerſiones magnarum poteſtatum, terrent latiùs, quam nocent.* Hac arte præcipuè in Africa fugantur leones, ne populis noceant, eorum pellibus, & exuuijs in mœnijs pendentibus: quod pulchrè neſcio quis cecinit.

Mœnia diffugiunt, vbi pendent ecce leones
Exuuiæ lybicæ, nec ibi adire valent.
Tympana facta lupi proprijs ex pellibus horrent.
Quo pendet vulpes, & fugiunt aliæ.
Sontes ſic Nemeſis frænat rectiſſima virgo,
Et ſcelus abſcindit, nonniſi ſupplicium.

Quò apprimè ſpectat locus illæ Isaiæ 30. v. 17. *Mille homines à facie terroris vnius, & à facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini quaſi malus nauis in vertice montis, & quaſi ſignum ſuper collem.* Loquitur Vates de ſupplicio Iudæis infligendo Babyloniorum tyrannide: de quo & Propheta noſter in præſenti affatur. Verùm quid cum malo nauis illud habuit commune ſupplicium? Scitè Pintus locum commentatur. *Quandò nauis* (inquit) *frangitur in mari, & ad rupem in alto abſconditam*

tum alliditur: tunc eleuatur malus nauis ab illis nautis, qui euaſerunt ibi, in terra in aliquo monte, vt eum videntes ij, qui poſteà ea parte nauigauerint, intelligant eſſe illic rupem in mari abſconditam, aut periculum aliud, & caueant. Sic, inquam, læſis à Nabuchodonoſor Iudæis, eorum aliqui reſeruantur, velut ſignum nauis fractæ, & populi euerſi, vt deinceps cæteri homines tale ſignum ſupplicij aſpicientes Iudæorum ſuperbiam, & inobedientiam declinent, in illorumque punitione omnes periculum faciant. Debita ergo ſeueritate ſe Superior armare debet vt ſubditorum peccandi licentia compeſcatur, & ita clementiam exercere, vt non obliuiſcatur ſeueritatis; quia vtraque indiget, vt in ſententijs dicebat D. Bernard. vbi paſtorem virga, & baculo præuentum depinxit. *Habet etiam baculum, quo feriat lupos. Virga oues: baculo lupos. Hoc eſt, mites, & obedientes debet leniùs corripere, duriores verò corde, & improbos acriùs arguere.* Et idem in declamat. in Pſalm. 20. *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*, ait: *Portat paſtor virgam, & baculum: illam omnibus, illum lupo: omnia autem propter electos.*

2. Numer. 8. verſ. 1. lucernarum, & candelabri ſitum, ac formam Deus Moyſi tradidit; & inter alia hæc præcipit: *Loquere ad Aaron, & dices ad eum: Cum poſueris ſeptem lucernas, candelabrum in auſtrali parte erigatur: hoc igitur præcipe, vt lucernæ contra Boream è regione reſpiciant ad menſam panum propoſitionis, contra eam partem, quam candelabrum reſpicit, lucere debebunt.* Per candelabrum Gloſa Moralis Chriſtum Dominum intelligit, qui primus, & optimus Paſtor eſt, quemque omnes Paſtores æmulari, & imitari debent. Imò Rupertus lib. de Trinit. & operib. cap. 19. quoſcunque Præſules in candelabro adumbrari arbitratur. Iam igitur ſciendum eſt, cur Deus præcipiat candelabrum erigi in auſtrali parte, vt lucernæ contra Boream reſpiciant, ibique perenniter luceant? Quomodò exiguæ lucernæ Boreę impetum rauidiſſimum ſuſtinere valebunt, quin extinguantur? Ad quid vbi vrget procella, accenduntur lumina, quæ vix tenuiſſimis auris poſſunt reſiſtere? Præſtaret lumina intra cuſtodiam habere, ne aëris incurſionibus paſſim ea accendere eſſet neceſsè. Verùm vbi ingruit tempeſtas, vbi efferuntur venti, ibi lux, quæ Præſulem ſignificat, ardere conſtanter debet: aduerſus rebelles, & indomitos maximè accendi ſuperiores tenentur: vbi Boreæ impetus perflat, vbi ſubditorum obſtinatio reſiſtit, ibi Præſulis ardor, & lux micantior, & validior appareat neceſsè eſt. Non delictorum vi, non fauorum aura flectantur: ſed obſtinatè ardeant, vt vitia abſumant, & delicta puniant; nulli labori parcant, vt leges ſeruentur; ſed feruentis zeli flammis, quidquid culpam redolet, comburant, & ſupplicijs emendent.

3. Dei præcepto ductus intimauit, Samuel Sauli regni depoſitionem, quia Deum, qui ipſum elegerat habebat infenſum. *Abiecit te Dominus, ne ſis Rex.* 1. Reg. 15. verſ. 23? Quærunt Interpretes, propter quam culpam Saul à regno fuerit depoſitus: multis enim flagitijs erat inquinatus, quę celerem vindictam exigebant. Nihilominùs omnes conueniunt, quod propter veniam, quam contulit Agag Regi Amalec, à regno fuit depoſitus. Præceperat illi Deus, vt omnes Amalecitas interficeret: ille autem contra Dei iniunctum præceptum Regi pepercit. Quis non miretur, quod pientiſſimus Deus hominis pietate offendatur, & à munere Regem indulgentem deponat? *Eum damnauit* (inquit Theodoret. quæſt. 33. in 1. lib. Reg.) *quia præter legem vſus eſt miſericordia.* Deus cui proprium eſt miſereri, miſericordia offenditur? Ita equidem, & meritò quidem. Regia dignitate iuſtè priuatur, qui debita ſeueritate non vtitur: quia cum regnum diſciplina ſeruetur, aptus non eſt regno ſeruando, qui diſciplinam relaxat, cum reuera nimia Superioris indulgentia multorum eſſe ſoleat delictorum fomes, & nutrimentum vitiorum. Vndè Eliſęus è pueris conuitijs impetitus, nec pueris quidem pepercit, dum ex illis quadraginta duos vrſis tradidit lacerandos 4. Reg. 2. Ad quem euentum Iuſtinus Martyr. quæſt. 80. ad Orthodoxos dixit: *Seueritas ijs, qui ſunt inemendabiles, vtilior eſt, quam patientia.*

4. Mirum ſanè eſt, quòd ſolus Seba filius Bochri totum populum tumultuantem auerterit. *Et ſeparatus eſt* (inquit textus) *omnis Iſrael à Dauid, ſecutuſque eſt Seba filium Bochri.* 2. Reg. 20. verſ. 2. Cur obſecro, ſic rebellis populus contra Regem à Deo conſtitutum conſpirat, maieſtatis læſæ crimen non abhorret, & vocem ſequitur Sebæ dicentis: *Non eſt Nobis pars in Dauid, neque hereditas in filio Iſai?* verſ. 1. Cur vna duntaxat tribu Iuda remanente cum Dauid, cæteræ tribus Iſrael priuatum hominem ſunt ſecutæ, relicto earum Rege benemerito? Abulenſ. quæſt. 4. in cap. 20. lib. 2. Reg. inclinationem populi ad noua quæque amplectenda, & cæcam ſequelam in tumultuarijs euentibus hic rectè agnoſcit. *Omnis Iſrael ſecutus eſt Sebam, Scilicet, quod ſicut ipſe primus receſſit, ita omnes poſt eum receſſerint.* Quocunq; homine etiam de infima plebe turbato, totus populus poſt ipſum vadit. Sed opinor iam tunc populum exoſum habuiſſe Dauidem, quia nimis fauebat viris Iuda, & idcircò cupiebant alium quemcunque Regem habere, potiùs quam Dauid, factaque ſeditione omnes vocem Sebæ ſunt ſecuti: quia cum popolus exoſum habet Regem, vbi vnus recedit, ſequuntur omnes. Et vlterius ipſum proſequebantur odio, quia Dauid vir mitiſſimus erat: parcebat namque infenſiſſimis hoſtibus, vt Semei, Ioab &c. Nec ſolum proprias condo-

nabat

nabat iniurias; ſed quæ contra leges & iuſtitiam committebantur. Inſuper populum ſuaui muſicæ melodia demulcebat. Quid exſpectat Princeps, qui omnia parcit, impunitaque omnia relinquit, niſi phreneticos tumultus, & rebellionem contra ipſum? Quia iniquorum ea eſt conditio, vt crudeliùs in Principem ſæuiant, dum ſuauiùs cum illis agitur. Non ſolùm ſuo, ſed & populi commodo ac quieti conſulit Princeps ſceleratos puniens, & diſciplinam vndequaque relaxatam inſtaurans; *Quia ſeueritas iis, qui ſunt inemendabiles, vtilior eſt, quam patientia*, vt dicebat Iuſtinus Martyr.

DISCVRSVS VIII. MORALIS.

Seditioſus ciuis bellum in Republica fouet, vt ex illo lucrum captet.

1. Minores (dicebat Ariſtot. 2. politic.) *vt fiant æquales ſeditionem faciunt: æquales vero vt fiant maiores*. Hic enim diſcordiarum finis eſt. Vt lucrum ſeditioſi capiant, rempublicam euertunt, & turbata publica pace, creſcunt abiecti, decreſcant nobiles. Sic piſcator aquam turbidam exſpectat, vt piſces capiat: ſic paleæ, quæ humi iacent, dum furit aura, in ſummum vehuntur, ſic camelus aquam turbat, vt bibat. Ab his enim, qui non aliter proficiunt, niſi inuerſo rationis ac meritorum ordine, diſcordia fouetur, animatur, & adoleſcit, & vbi quieſcunt, res, deficiunt, veluti aquatilis ſalamandra, de qua Pierius in Collectaneis affirmat, nunquam niſi in magnis imbribus apparet, & in ſerenitate deficere. Quod dixit etiam Theophraſt. *Degit in fluminibus & ſtagnorum ripis, & per fulgura & tempeſtates caput exerit*. Eodem modo obſcuri & ſeditioſi ciues, & quibus, ſi in pace domi viuendum eſſet, nec panis quidem ad victum ſuppeteret, per tumultus & bella emergunt, vt ad maximas opes deueniant, quia vt dixit Ariſtot. 2. politic. *Populares homines diſcordant propter inæqualitatem poſſeſſionis, generoſi autem propter inæqualitatem honoris*. Ita vt non ſolùm verùm ſit illud Salluſtij. *Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur*: Sed etiam è conuerſo, diſcordia res paruæ creſcunt, & maximæ dilabuntur, quia ſemel turbato reipublicæ ſtatu euertuntur nobiles, ignobiles creſcunt. Sic turbulenter commota plebe, munera inuertuntur, & infimæ fortunæ homines ſupra nobiles, & benemeritos eleuantur, quibus aqua turbida grata eſt; quia ex illa lucrum ſibi parant.

2. Arroganti faſtu, & toruo ſupercilio incedebat verſus Dauidem ſuperbiſſimus ille gigas Goliath venuſtum adoleſcentem deſpiciens. *Nunquid ego canis ſum, quod tu venis ad me cum baculo*? 1. Reg. 17. verſ. 43. Sic ſpurius blatero creditur allocutus, nec arma accipere aduerſus Dauid volebat, ſed ea ante ipſum gerebat armiger, quaſi erubeſceret inermem iuuenem cum armis adoriri. *Ibat autem Philiſthæus incedens, & appropinquans aduerſum Dauid, & armiger eius ante eum*. verſ. 41. Vel vt habet Vatab. *Virque ferens haſtam præcedebat eum*. Quiſnam fuerit iſte armiger, qui arma Goliath ad prælium deferebat, difficilè eſt agnoſcere, quia neque Expoſitores de huiuſmodi negotio curant. Rupert. lib. 2. de Trinit. cap. 5. tamen appoſitiſſimè ad noſtram theſim, & morali calamo armigerum egeſtatem eſſe arbitratur. *Quis eſt armiger eius? Niſi egeſtas ſemper præcedens faciem eius*. Verùm quid habet egeſtas cum armis, cum bello, cum certamine, quod armata incedere creditur? At quid non habet? Profundè dictum. Armiger, qui plurimos ad bella inducit, qui multos facit ſeditioſos fieri, egeſtas, & abiectio eſt. Quas rixas, quas ſeditiones, quæ bella non excitat deſperata, paupertas, famelicum vulgus, vt fortunam mutet, & indigentiæ accurrat? Nihil planè cogitat, nihil molitur obſcura plebs, quod in perniciem reipublicæ non redundet. Simultates fouet, diſcordiam ſeminat, vt mutato rerum ordine fortunam mutet.

3. Sub diuerſis Dominorum famulatibus propter idolorum cultum Samariam ſeruire minatur Deus Oſeę. 10. verſ. 7. *Tranſire fecit Samaria Regem ſuum, quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ*. Regem, ideſt, Reges, per ſynechdochem dictum puta. Vt mutua viciſſitudinem diuerſorum Regum dominia, qui Samariæ imperitarunt, ſignificentur. At cur Regum multiplicitas ſpumæ ſuper faciem aquæ comparatur? Quæ infelicitas populo fuit, Reges velut feruentes ſpumas habuiſſe? Non ſolùm ſicut ſpumę ſe mutuò collidentes diſſipati ſunt, non ſolùm illud regnum Inteſtinis factionibus ſe mutuò diſcerpens concidit, ſed quod miſerabiliùs eſt, ita vt ignobiles & abiecti ad tegnum veherentur. Sicut in olla feruenti fęces, & craſſitudines ad ſummum conſcendunt: præ intumeſcentibus ſeditionibus, paupercule plebis fæces, infimæ ſortis homunculi ad munera publica aſcendunt, præualentque ſeditionum fautores, & propter ſua commoda rixas, & diſcordias in republica nutriunt, quod maxima calamitas, & vltimum exitium eſt. Non ſic nobiles & ingenui, qui pacem ſtabilire, & amico fœdere rempublicam conſeruate ſemper procurant.

4. Dauid de charitate, & pace locutus aiebat Pſ. 132. verſ. 2. *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam barbam Aaron*. Cur charitatem, pacem, & ſociale fędus à capite, &

ad

ad barbam vſque deſcendere Vates affirmat, cum dicat Paulus: *Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris*. Ad Rom. 5. verſ. 5. Et ipſe Dauid Pſalm. 44. v. 3. *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis?* Quid per barbam innuitur, quod non vltra oleum pacis diffunditur? Auſculta ibi Auguſt. *Barba ſignificat fortes, ſtrennos, impigros, alacres: ergo illud primum vnguentum deſcendit in illos*. Pax à capite, quod Principem denotat, in barbam, quæ reipublicæ Proceres, nobilitate inclitos, ſapientia illuſtres ſignificat, deſcendit, ſed non vltra diffunditur, non in reliquas corporis partes, quæ commune vulgus ſignificant, dilabitur: quia in his non pax, non concordia, ſed inordinati motus, ſeditioſi tumultus, & pernicioſæ diſſenſiones ſouentur, quia turbata publica pace lucra adipiſcuntur, & maligno ſeditionis fauore illuc aſcendunt, vbi nunquam ſuis meritis pertingerent. Et idcircò vbi Deus carne aſſumpta apparuit, vt debellaret dæmonum poteſtatem quæ totum mundum deceperat, & ad execrabilem falſorum numinum cultum adduxerat, primò nobiles, & Principes ad ipſius obedientiam inducuntur, & tranquilla pace mundum venientem redimere excipiunt. *Et contriti ſunt montes ſæculi, incuruati ſunt colles mundi*. Hic verſ. 6. Quod de plebeis, & infimæ conditionis hominibus non dicitur.

DISCVRSVS IX. MORALIS.

Veniam meritò demeretur, qui poſt accepta beneficia delinquit.

1. QVam ſæpè homines decipiuntur arbitrantes aliquos beneficijs habere deuinctos, quos tamen infenſiſſimos hoſtes habent. Nihil deteriùs poteſt accidere, quam beneficia largitori inſidiari, & proprijs ſumptibus cauteloſum armare inimicum. Acceptum donum vertunt in virus, & amicitiæ vinculum in odium. Hoc inquam maligno ingenio malitiam ſuam perficit ingratus, quia nulla alia execrabilior eſt, quam poſt accepta beneficia aduerſus largitorem inſurgere, & veluti tigris, qui (vt ait Plutarch. lib. de ſuperſtit.) ſuaui muſicæ harmonia irritatur, & contra cantorem ipſum demulcentem rauidè iraſcitur, benefactorem offendere tentat, ipſumque prouocat ad vindictam, omnemque aditum præcludit adueniam.

2. Poſtquam Hebræus populus in grauiſſimam labem fuit prolapſus, recuſat Deus itineris ſe ducem præbere, ne ex huiuſmodi conſortio victima ipſi ſtrages adueniat. Angeloque committit, ipſius deductionem. *Non enim aſcendam tecum* (ait Moyſi) *quia populus duræ ceruicis es, ne fortè diſperdam te in via*. Exod. 33. verſ. 3. Veretur Deus rebellem populum ſub ipſius ductu periclitari, & Angelicæ tutelæ ipſum commendat. Quid? Tutior ne eſt Angelica, quam Diuina cuſtodia? Pronior ne Angelus ad miſerendum, quam Deus, quod ſidi ſub Angeli patrocinio populum ſeruari innoxium, ſub Diuino autem arbitratu fore perdendum? Maximè ingraueſcit delictum poſt collata beneficia patratum, vrgetque ad ſupplicium. Ne igitur malè reſponſa beneficia, quæ Deus iugiter populo conſerebat, ipſum ad celerem vindictam pronocarent (ſi adeſſet) abeſſe maluit, & comitem Angelum mittere decreuit, vt ab ingrato populo ſupplicium auerteret: quod non poterat non exequi, ſi infenſis oculis ingratitudinem aſpiceret iuſtitia exigente, & inſtigante.

3. Mortuo Naas Rege filiorum Ammon miſit Dauid nuntios ad conſolandum filium ſuper morte patris, qui regnabat pro eo, piè, & vrbanè cum Principe vicino agens: Ammonitæ autem legatos, quos habuere ſuſpectos, raſos capite, præciſos tunicis, & vndequaque deformatos ad Dauidem miſerunt. *Igitur Ammon pueros Dauid decalnauit, & raſit, & præcidit tunicas eorum à natibus vſque ad pedes, & dimiſit eos*. 1. Paralip. 19. verſ. 4. Ambigit Abulenſ. cur Ammonitę, qui poſtmodum malè contra ius Gentium agnouerunt fuiſſe operatos, veniam commiſſi criminis non petiere, vt ſtrages, & bella, quæ poſtmodum ſunt experti euitarent: quandoquidem offenſi Regis clementia ipſos non latebat, & quam facilè precibus pœnitentium acquieſceret. Mala pro beneficijs acceptis rependere ſpem aufert, indulgentiæ, in beneficum largitorem peccare, ipſum armat, & impellit ad vindictam. Non fatuè Ammonitæ infenſum Dauidem non audent deprecari, quia fruſtra id fieret: nam pia officia malè accepta, & peius reſponſa ipſum cogebant ad vindictam. Huc ſpectat quod ipſe Dauid in Saulem, qui cędem ipſi moliebatur, nec manum quidem auſus eſt extendere: Aſt in Nabalem, qui verbo tantùm ipſum impetebat, enſem diſtrixit, & occidere efficaciter tentauit. *Et nuntiauerunt ei omnia, quæ dixerat. Tunc ait Dauid pueris ſuis: accingatur vnuſquiſq; gladio ſuo. Et accincti ſunt ſinguli gladijs ſuis, accinctuſque eſt Dauid enſe ſuo, & ſecuti ſunt Dauid quaſi quadringenti viri*. 1. Reg. 25. verſ. 13. Qui pacato animo Saulis immeritas iras fuit percuſſus, crimincsè inſurgit contra Nabalem, quia grauiùs illum offenderant Nabalis in grata conuitia, quam Saulis læthalis inſidiæ, & qui tyranno pepercerat, ingratum venia dignum non putauit.

4. Hinc lucem capit difficilis Origenis locus ad illa verba Matth. 26. verſ. 34. *Antequam gallus*

gallus cantet, ter me negabis. Quæ paſſionis nocte blateranti Petro, & de ſua conſtantia plurimùm ſe iactanti prædixit Chriſtus Dominus. Vbi acutè obſeruauit Origenes (tract. 35. in Matth.) arcanè admodùm dixiſſe Dominum, Petrum antequam gallus cantum edidiſſet, illum negaturum: in quo voluit oſtendere in eo ipſius negationem ſalutis remedium fore habituram, quoniam Deum negari à peccatore, antequam cœli lux ei affulgeat (quæ ſub galli cantu hic intelligitur, qui antequam Sol oriatur ſolet edi) indicium eſt, quod poſteà Diuino Sole in anima Oriente, & intellectum tenebris læthalis ſceleris offuſum illuſtrante, peccator ad ipſum reuertetur, vt contigit Petro. Aſt quando peccator recepit cœli lumen, illuſtrationemque internam, poſtquam gallus cantum edidit, & ingratus tanto beneficio contra Deum rebellat, miſericordiæ, & veniæ indignus efficitur. Noluit Origenes peccatorum relapſum locum non habere pœnitentiæ (hoc namque contra fidem eſt, quia ſemper poteſt peccator reſipiſcere, & veniam apud clementiſſimum Iudicem inuenire) ſed voluit aſſerere, tunc peccatum grauiùs eſſe ex circumſtantia, & dignum, vt à Deo acerbiùs puniatur: cum peccata contra perſonam benefactricem, & quæ magna contulit beneficia, deteriora, ac grauiora ſint. Vel irremiſſibilem putat noxam ſenſu, quo loquitur Abulenſis, ideſt, ex ſe venia indignam, niſi magna Dei interueniat miſericordia.

5. Hoc ſanè ſignificauit Chriſtus Dominus in parabola ingrati ſerui, qui cum à Domino magnam miſericordiam accepiſſet, paruam etiam conſeruo ſuo denegauit: quapropter excandeſcens Dominus. *Tradidit eum tortoribus, quoad vſque redderet vniuerſum debitum*. Matth. 18. verſ. 34. Quodnam eſt illud vniuerſum debitum, quod Dominus immiſericordi ſeruo reddere præcepit? Num Dominus debita, quæ ſemel remiſerat, iterum repetit? Abſit, licet enim Theologi meritorum reuiuiſcentiam concedant: tamen reuiſcentiam peccatorum meritò non admittunt. Cur igitur cogitur iniquus ſeruus ſummam debitorum ſoluere? Optimè Iſidorus Clarus difficultatem attigit. *Intelligite vniuerſum debitum peccatum illud, quo ingratus tantæ Domini beneficentiæ, nec exiguum debitum remittere fratri voluit, quod peccatum tam graue fuit, vt illud priùs decem millium talentorum debitum æquauerit*. Et licet opus non fuerit, quod hoc poſteriùs peccatum priori illi ſeruo imputatum omninò æquaretur illud ſaltem efficitur, vt peccatum ex obiecto non ita graui, & circumſtantia beneficij accepti grauiſſimum euadat, & pro illo peccator grauiora pœna puniatur. Sic Iudæa tam magnis beneficijs malè reſpondens, confuſa ignominia, ad captiuitatem Babylonicam ducta fuit, & præcipuè ipſius Proceres à Deo fuerunt contriti propter flagitia contra ipſum perpetrata. *Stetit & menſus eſt terram, & aſpexit, & diſſoluit Gentes, & contriti ſunt montes ſæculi*. Hic verſ. 6.

DISCVRSVS X. MORALIS.

Magnitudine res decreſcunt.

1. SÆpè nocet maxima fortuna, prodeſt moderata; hæc vtilis eſt, illa nimis periculoſa: nam ſicut ſegetem proſternit vbertas magna, proprioque fructuum pondere franguntur rami, ſic animus, nimia proſperitate rumpitur. Etenim res mundi cum procedere vlteriùs non poſſunt, naturaliter recedunt, fluminibuſque ſunt ſimiles, quæ cum vlteriùs progredi nequeunt, retrocedunt. Nam cum ad culmen peruenitur, mox deſcendere neceſſè eſt: quia docente Seneca lib. de conſolat. ad Marciam. *Nulli ferè & magna bona diuturna contingunt? Non durat, neque ad vltimum exit niſi lenta felicitas*. His equidem qui ad culmina ſunt euecti fortuna minatur, periculoſiorique lapſu ruunt: nam vt ait Horatius.

Sæpiùs ventis agitatur ingens
Pinus, & celſæ grauiori caſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulmina montes.

Quidquid enim ad ſummum peruenit, ad exitum properat, ad eum modum, quo vt dicebat D. Cyrillus lib. 2. apol. 20. *Vltimus gradus ſalutis primus eſt morbi*. Cui conſonat D. Auguſt. *Salus vitrea, cum magis ſplendeſcit, tunc frangitur*. Sic punctus vltimus plenilunij primus eſt defectionis, & vbi lux ſiſtitur, ac magis ſplendeſcit, ibi vmbra incipit. Hinc enim dicebat Dauid Pſalm. 118. *Sicut vmbra cum declinat, ablatus ſum*. Quæ verba de Chriſto Seruatore, cum ad mortem duceretur, omnes accipiunt. At cur non ſicut vmbra in quocunque ſtatu, ſed ſicut vmbra iam inclinata (ſic enim Hebræus vertit) Chriſtus dicitur ad mortem duci? Quæ proportio inter veſpertinam vmbram, quæ ſemper protrahitur, & mortem Chriſti, quod ad ipſam pari modò ducitur? Auſculta Caietani ingenioſam commentationem. *Chriſtus quando apparuit valdè grandis, tunc occiſus eſt: antè quinque dies mortis eius clamauit populus: Benedictus qui venit in nomine Domini, & deinceps quotidiè mane ibat populus ad prædicationem eius: ſic ductus fuit ad mortem, ſicut vmbra inclinata, quæ tum maxima eſt, tunc deficit*. Nullo tempore ſic magna, & extenſa vmbra apparet, ac in veſpere, corpora enim exigua vmbras diſtendunt longiſſimas: ſic vbi Chriſtus Dominus vita, & miraculis maximus apparuit, prope-

rauit

rauit ad mortem, ſua ſe magnitudine intere-mit: quia non patitur fortuna ſubſiſtere, quod ipſa accreſcere non valet, & ad ſua principia reducit, quæ ſupra modum augentur.

2. De velociſſimo illo Aſael dicitur 2. Reg. 2. verſ. 23. *Qui audire contempſit, & noluit declinare: percuſſit ergo eum Abner auerſa haſta in inguine, & transfodit, & mortuus eſt in eodem loco.* Meritò miratur Paſchaſius lib. 3. in Thren. quod victoria Abner in aſſecutione Aſ-ſaelis conſiſteret, nam ille curſu erat velociſſimus, & qui aërem in ocyſſimo curſu laceſſire tentabat. Quo ergo pacto, qui pennas pro pedibus habebat, inimicam, & armatam manum non valuit effugere, nec vitam tueri? Audi Paſchaſium. *Aſael curſu fuerat velociſſimus tanquam vna ex capris, quæ morantur in ſyluis, neſciens velocem animi motum patientia, & grauitate temperare: vndè dum velociùs ſequitur hoſtem, ictus vulnere deperijt.* Velocitatis magnitudine, qua Aſael pollebat, mortem adeptus eſt, & quod præſidium putabatur ad tutandam vitam, ipſum ad interitum duxit: res namque vt ægritudine, magnitudine pereunt, & ingentior felicitas prophetia eſt vlterioris caſus. Hinc Herodes vbi ortum infantis audiuit timore concutitur. *Audiens Herodes Rex turbatus eſt.* Matth. 2. Cur inualidum infantem timet, qui in poſſeſſione regni erat, nec phalanges videbat armatos, ſed inermis pueri inter paleas vagientis natiuitatem audiebat? Magnitudo periclitatur in ſe ipſa, nec indiget externo hoſte, vt ruat: ipſa etenim magna proſperitas ſe ipſam impellit ad ruinam ita vt ex ſummo imum augurari liceat.

3. Ducitur Ionas præcepto Dei contradicens ad Niniuem, quæ quidem Metropolis erat, emporiumque ampliſſimæ ditionis, populoſa, pulchra & magna nimis, ita vt minori tempore, quam trium dierum ſpatio, non poſſet transgredi: *Et Niniue* (inquit text.) *erat ciuitas magna itinere trium dierum.* Ionæ 3. v. 3. Ingreditur ergo Ionas ciuitatem, & illius ſubuerſionem palam prædicat. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Ibi verſ. 24. Plerique cum Origene legunt: *Adhuc tres dies, & Niniue ſubuertetur.* Sed vnde id præſagiebat Propheta? Nam talem comminationem à Deo non acceperat, & periculo mentiendi ſe certo exponebat, qui abſque reuelatione Diuina id affirmabat, quod poſtea non erat euenturum. Vndè tam magnæ ciuitatis breuiſſimam durationem ſuſpicabatur, quod abſque hæſitatione audet dicere, intra tres dies fore diripiendam? Crediderim, ex ipſa ciuitatis opulentia & magnitudine ipſius ruinam fuiſſe rimatum: ſciebat enim, quam in proximo ſint, vt pereant, quæ faſtigium felicitatis tenuere: & vbi ampliſſimam ciuitatem vidit tot ſuperbis ędificijs & opibus refertam, non prophetiæ ſpiritu, ſed naturali ductu ipſam proximè ruituram auguratur. Quia quę ad proſperitatis culmen deuenerat, ad exitium properabat: magnitudo enim non rebus æſtimationem parit, ſed ruinam: quandoquidem nimiæ felicitatis natura eſt, ſibi ipſi nocere, & quò altiùs ſurrexit, proniùs vergere in occaſum.

4. Achab & Ioſaphat, illo Iſrael, hoc Iudeę Rege ad bellum procedentibus contra Regem Syriæ, pſeudoprophetarum vaticinio deceptis, Achab conſuluit Ioſaphat, vt regalibus veſtibus indutus ingrederetur bellum, dum ipſe habitum denudabat. *Dixit itaque Rex Iſrael ad Ioſaphat: ſume arma, & ingredere prælium, & induere veſtibus tuis: porrò Rex Iſrael mutauit habitum ſuum. & ingreſſus eſt bellum.* 3. Reg. 22. verſ. 30. Cur autem ſe à regalibus veſtibus Achab denudauerit, & Ioſaphat rege Iuda ſuggeſſerit, quod Regijs trabeis indueretur, non omnes conueniunt. Aliqui huiuſmodi factum referunt ad vrbanitatem Regis Iſrael, qua venientem auxilio Ioſaphat ita voluerit honorare, vt nemo præter ipſum Rex appareret, quapropter ipſe regalia indumenta depoſuit; Veroſimiliùs tamen videtur, Achab mutato habitu prælium inijſſe, vt mortis periculum ſubterfugeret; ſeu vt ſentit Lyra: *Vt pondus belli verteretur ſuper Ioſaphat*, vel quia (vt ait Caiet.) *Cogitauit ſibi minùs imminere periculum, ſi non agnitus protegeretur vehiculo currus.* Ne ergo tanquam in Regem inimicorum iacula in ipſum collimarent, regalibus ſe veſtibus exuit percupiens, quod non in ſe, ſed in Ioſaphat Syriaci militis impetus incumberet, quaſi in Regem, & Principem belli, quem purpura indutum oculis hoſtis exhibebat, & ſeipſum à periculo ſubducere, quem alienus habitus occultabat probè ſciens fortunæ iacula in magnam poteſtatem ſemper inijci, maximamque potentiam vltimo periculo eſſe obnoxiam, atque omnium ictibus expoſitam. Sic vbi primò Deus Chananæorum gentes aſpexit, eorum Proceres, & Dynaſtas diſſoluit, primumque furoris impetum non valles, ſed montes, & colles excipiunt. *Et contriti ſunt montes ſæculi, incuruati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius.*

Verſ.7. Prò iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

ANNOTATIO VI.

Expoſitio Littera.

1. CLarius Batab, & alij plures Interpretes ex Hebræo pro *Æthiopia* vertunt *Chuſan*, quia Chus ſignificare Æthiopiam credunt, Chuſam verò quemdam Regem Syriæ ita vocatum, quem Othoniel dux Hebræorum prælio fudit, ſicut & Gedeon fudit Madianitas, tenentque hunc noſtrum textum ad illas duas hiſtorias reſpicere, quibus non diſſentio, reor tamen hanc commodam eſſe ſuperiorum explicationem, quia ex indè conſtat, aſpectu Domini tantum diſſolutas eſſe gentes, & montes ſæculi contritos, quod probatur Æthyopum exemplo, cui etiam Madianitæ nominantur. Madianitas autem Æthyopes eſſe docet Sephorá Moyſi vxor, quæ filia fuit Iethro Madianitæ, & tamen Æthyopiſſa dicitur Num.12. & Pſalm.71. Æthyopes autem Arabes, & Sabæi quaſi ſibi vicini commorantur, & Ietro Madianita, cuius oues paſcebat Moyſes, propè Sinai Arabiæ montem habitabat, vbi Æthiopes, qui Orientales ſunt, & Syrijs & Palæſthinis ſunt vicini, vt habetur lib.2.Paralyp. cap.21. verſ. 16. *Suſcitauit Dominus contra Ioram ſpiritum Philiſthinorum, qui confines ſunt Æthiopibus*. Quare ſermo hic habetur de illis Æthiopibus, ſeu Madianitis, quorum Deus vires aliquandò fregit non tam Hebræorum armis, quam aſpectu ſuo, facilè ſiquidem atque miraculoſo ſucceſſu, vt docet Gedeonis caſus, qui exigua militum manu numeroſam militum profligauit multitudinem, ne exercituum robore, aut humanis conſilijs nobilem de Madianitis victoriam adſcriberet, miraculoſum enim fuit totum illud opus, vt conſtat Iudic.7.verſ.22. *Immiſit Dominus gladium in omnibus caſtris, & mutuâ ſe cæde truncabant*. Quod autem ipſi ſint Madianitæ, & Æthiopes docet D. Auguſt. quæſt. 2. ſuper Num. *De vxore* (inquit) *Moyſi Æthyopiſſa quæri ſolet, vtrum ipſa eſſet filia Iethro, an alteram duxerit, vel ſuperinduxerit? Sed ipſam eſſe credibile eſt, de Madianitis quippè erat, qui repeRiuntur in Paralip. Æthyopes dici, quando contra eos pugnauit Ioſaphat: nam in his locis dicitur eos, perſecutus populus Iſrael, vbi Madianitæ habitant, qui nunc Saraceni appellantur. Sed nunc eos Æthiopes nemo ferè appellat, ſicut ſolent locorum, & gentium nomina plerùmque vetuſtate mutari*.

2. Plerique apud Gueuaram loco *iniquitatis*, quæ in noſtra editione habetur *pro nihilo* interpretati ſunt, & ſic ego cum Gueuara exponi eſſe putarem. Vidi pro nihilo, ſeu pro vanitate, ideſt inani concuſſa terriculo, & (vt aiunt) pellis fulgere turbari tentoria Æthiopiæ, pelles videlicet Madian, quippè quæ à trecentis tantummodò viris ſolo lucernarum ſplendore, & ſonitu buccinarum inſtructis fugata, & profligata perierunt. Ponuntur autem tentoria, & pelles per ſynedochem pro omnibus caſtris: dicitur enim Iudic.7. vociferantibus Iſraelitis, complodentibuſque lagenas omnia caſtra fuiſſe turbata, tota enim gens Madianita in tentorijs ex pellibus confectis habitabat.

3. Placet autem, quod Sanchez annotauit, ſcilicèt in primo hemiſtichio tempus fuiſſe poſitum præteritum *Vidi*: in ſecundo verò futurum *Turbabuntur*: cum tamen vtrobique eadem ſit ſententia, vt ſic præteritorum meminerit, vt ramen futurum aliquid reſpiciat, cuius in præteritis vmbra præceſſit, nempè Chaldæorum appulſum in terram promiſſionis, quibus affuit Deus contra Iudæorum rebellem atque infidelem populum. Quod ad tempus Babylonicum extremamque Iudæorum cladem facilè accommodari poteſt: nihil enim ampliùs hic quærendum eſt, quam Dei hoſtes, in quos nimirùm oculos coniecerit infenſos, quales in illa rerum ſerie Iudæi erant,

facillimè fore profligandos, ſicur de facto accidit: Iudæos etenim quondam in bello fortes ſic horrere perculit, vt conſtrictos tradiderit, & vrbem illam munitiſſimam natura, & arte, nulla hoſtium contentione, aut induſtria expugnabilem ſic excidit, quomodò tabernacula paſtorum, quæ ex pellibus, aut ceſpite contexuntur, diſſipari ſolent. Quod ſi aſſeramus ſtrages illas Madianitarum, & Æthyopum aliorumque Prouinciarum Orientalium tempore Chaldæorum accidiſſe, non aberrabimus, nam hos etiam populos, quos ſubiugauerant Iſraelitæ, poſteà expugnauere Chaldæi, vt tenet Ioſephus lib. 10. antiquit. c. 10. *Quintò poſt excidium Solimitanum anno, qui fuit regni ipſius Nabuchodonoſoris vigeſimus tertius, cum magnis copijs inuaſit Cæleſyriam, qua ſubacta, bellum geſſit contra Ammonitas, & Moabitas*, Quod etiam manifeſtè habetur Ieremiæ cap. 25. Vbi Prouincias annumerat, quas Nabuchodonoſor ſubiugauit, & inter eas Arabia, Dedan, Theman, & Buz, quæ vicinæ ſunt Iudææ ad Madianitas pertinebant.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Chriſtus Dominus in Euchariſtia non ſolùm inuiſibiles, ſed & viſibiles hoſtes expugnat.

1. QVoniam in expoſitione literę locò *inquitatis*, quæ in Vulgato habetur, pro *nihilo* interpretati ſumus, quia ſub aduentu Gedeonis tentoria Æthyophiæ pelles videlicet Madian à trecentis tantummodo viris complodentibus lagenas, ſolo lucernarum ſplendore profligata periere, atque expugnata fuerunt caſtra: locum accipimus de Chriſto Domino in almo Euchariſtiæ ſacramento latente, cuius typus extitit Gedeon, vt Auctor eſt Rupertus lib. 2. ad cap. 3. noſtri Vat. *Gedeon* (inquit) *Chriſti pertulit typum ſecundum ſui nominis interpretationem. Gedeon namque interpretatur circumiens vterum*, Quemadmodùm enim teſtacea hidria fuit confracta, vt vinceretur Madian: ſic Chriſti corpus terrenum confractum, lacerumque apparuit in Cruce, vt diabolicus hoſtis profligaretur: quod quidem priùs ſub lagena accidentium in ſacro altaris myſterio occultauit: omnia enim fauſta, quæ populo Hebræo contigerunt, venturi myſterij realitatem adumbrabant, & quæ ſacramentali velo erant tecta, poſtea in veris ſacramentis apparuere. Igitur aliqua auguſtiſſimæ Euchariſtiæ in ardente face ſub lagena teſtacea incluſæ, & in ſubcinericio Gedeonis pane figuratę attributa hic inſerere ſub diuerſis titulis ambio, vt quæ ad vnum myſterium pertinent, in vnum redigantur locum. Chriſtus ergo in almo Euchariſtię ſacramento, quaſi ſuum vterum circumiens facilè, & pro nihilo potentiſſimos hoſtes expugnat, & territat, ſuorumque depellit timorem & eo modò quo volens Deus à Gedeonis animo omnem timorem hoſtis excutere, diſpoſuit, vt ad Madianitarum tentoria accedens offenderet inſomnes milites, & quemdam commilitoni referentem audiret, quod ſubcinericium panem viderat ſe volutantem, & caſtra Madian percutientem, tabernaculaque ſolo coæquantem, vndè futuram Madian ſtragem præſagiebat, ſic ſacro Euchariſtiæ edulio pro Chriſtianorum exercituum indemnitate excubante, non eſt, cur populus perhorreſcat Catholicus. Sic vbi Iſaias c. 25. v. 6. ſermonem inſtituit de ſacro Euchariſtiæ conuiuio, conuiuatorem exercituum Dominum appellat. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium.* Quem locum luculenter exponit Salmeron de hoc myſterio. Sed cur vbi huius conuiuij mentionem fecit, Deum, qui illud exhibet, Dominum vocat exercituum? Quid magis diſſitum inter ſe, quam conuiuium & exercitus? In hoc armorum clamor perſtrepit, horret & turbatur animus: in illo omnia ſunt hilaria, pacata, & tranquilla. Auſculta præcitatum Authorem tomo 9. Tract. 2. *Dicitur hoc conuiuium inſtructum à Domino exercituum: quia pro exercitibus Eccleſiæ militandis corroborandis, & contra malignorum ſpirituum exercitus confirmandis inſtitutum eſt: nam ante Euchariſtiam facilè vincebamur, poſt illam terreri neſcimus.* Sed quoniam aduerſus inuiſibiles exercitus obuia non pauca extant loca, libet ſermonem inſtituere aduerſus hoſtes viſibiles, quos faciliter Euchariſtia expugnat.

2. Illud Iſaiæ cap. 2. verſ. 4. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres*, plurimi dictum putant, non quia poſt Chriſti aduentum futura non eſſent arma bellica, & hoſtilis gladius, ſed quia per alios fortiores acquirendus, & propagandus erat populus Chriſtianus: nimirùm per huius Gedeonis gladium. *Ad acquirendum, propagandum, ac conſeruandum* (inquit Caietanus) *Chriſtianum populum inſtituit Sacramentum cum ſua perpetua præſentia. Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.*

Vndè

Vndè Auguſt.lib.1.ad Ianuarium. *Sacramento corporis Domini ſubiugatus eſt mundus*. Catholica enim arma ſub huius Sacramenti munimine roborantur, & triumphum de inimicis reportant, neque alio indigent auxilio. Sic antequam manna in deſerto plueret Iſraelitis, ipſis quieſcentibus Angeli præliabantur, & antecedebant eos: aſt poſtquam illud Deus ijs præſtitit, præliabantur ipſi, & neque Angelus præcedebat, neque pugnabat pro illis. *Tollenſque ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſrael, abijt poſt eos*. Exod.14. verſ.19. Cur poſt manna exhibitum Angelicæ tutelæ per deſertum incedens populus, & inimicorum incurſionibus paſſim expoſitus non commendatur? Cœleſtis epuli virtute nullo alio egebant creato adiutorio, manna refecti inimicorum phalanges viriliter deſpiciebant: ideòque cum cœleſte pabulum è cęlo cecidit, caſtra Hebræorum circumuallauit. *Factum eſt ergo veſperè, & aſcendens coturnix cooperuit caſtra, mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum*. Exod.16. verſ.13. Cur non intra caſtra deſcendit manna, ne militaris ordo, qui in caſtris ſeruatur, inuertatur quotidiè, cum vnuſquiſque neceſsè habuerit exire, vt cibum ſuſtentationi neceſſarium colligeret? Congruè per circuitum caſtrorum deſcendit, manna, vt certò habeamus, hoc Sacramentum nobis loco caſtrorum eſſe, atque ipſorum caſtrorum munimen, omniaque auxilia infirma, militumque copias imbelles, niſi hoc pane roborentur.

3. Vbi Vulgatus noſter habet Zacchar. 9. verſ.17. *Quid enim bonum eius eſt? Et quid pulchrum eius? Niſi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Plerique apud Rairolem noſtrum legunt: *Frumentum iuuenum*, At cur adoleſcentium frumentum hic panis vocatur, cum potiùs ſenes, qui iam euigorãtur, & languent, illo egeant, vt reparentur? Audi Rairol.q.5.n.6. *Dici poteſt frumentum iuuenum, quia iuuenilem auget fortitudinem, qua contra hoſtes euadant fortiores, contra hoſtes, inquam, tum viſibiles, tum inuiſibiles.* Quiſquis ad iſtam menſam debita puritate accedit, reiuueneſcit, vireſque iuuentutis reaſſumit, quapropter pabulum ibi præſtitum frumentum iuuenum ſemper nuncupatur. Quo ſpectat illud Gregorij Nazianzen. orat. 10. in patris funere. *Cum eſſet ſenex, & decrepitus, ſola ſancta Liturgia nutriebatur, & robur accipiebat etiam corporale*. Quod & nos de B. N. Parente Franciſco de Paula veriùs dicere poſſemus, qui ſola Euchariſtia ſumpta, & abſque alio terreno pabulo in tam longęua ętate quadraginta diebus enutritus eſt, ab illa enim vires hauſit iuueniles, quibus infernum profligauit. Et illa armati bella gerere aduerſus quoſcunque hoſtes omnes audent, nam; hæc præcipua ſunt bella, de quibus loquitur Iſaias cap. 30. verſ. 32. *In bellis præcipuis expugnauit eos*. Hebræus vertit: *In bellis oblationum, ſeu eleuationis*. Id eſt hoſtiæ, quæ eleuatur: ita vt bella eleuationis ſint illa quę ſacrificijs fiunt non armis, vt explicat doctiſſimus Forerius. Quemadmodum enim Iudæi non armis, non inſtrumentis bellicis, ſed occiſione victimarum quas ſurſum leuabant, victoriam, adepti ſunt: ita Dei populus ſacrificijs Euchariſticis hoſtes depellit, & tanto myſterio roboratus propria manu propulſat.

4. Vbi Cantic. 1. verſ. 1. habentur illa verba *Oſculetur me oſculo oris ſui*. Quę Ambroſ. lib. 5. de Sacrament. ad Euchariſtiam refert, ex Hebræo legitur: *Armet me oſculo oris ſui*. Sicut illa verba Pſalm. 1. verſ. 12. *Apprehendite diſciplinam* plures PP. apud Lorinum, qui de hoc ſacro myſterio ea accipiunt, ex Hebræo vertit: *Adorate, ſeu oſculamini frumentum*. Vel frumento armamini; eſt enim eadem vox, quæ in prædictis Cantic. verbis. Qui igitur Chriſtum in Euchariſtia oſculatur, obarmatur ad bella. Vnde Cyprian. epiſt.54. *Ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſſit accipientibus eſſe tutela: quos tutos eſſe contra aduerſarium volumus, munimento Diuinæ ſaturitatis armemus.* Igitur Euchariſtia Diuinum quoddam armamentarium eſt, vbi Chriſtiani milites arma induunt, nempè Chriſtum, quem D. Paulus (ad Epheſ. 6.) armaturam Dei vocat; ſeu omnia Dei arma, & fortitudinem, vt explicat D. Hieronym. Vndè D. Chriſoſt. ad illa verba Pſal. 22. verſ. 5. *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus omnes, qui tribulant nos. Quis eſt iſte*, inquit, *inimicos tam facilè vincens, vt prandens trophæum erigat?* Chriſtoque in hoc Sacramento huiuſmodi victoriam adſcribit. Et vbi Iſaię cap. 65. verſ. 11. habetur: *Qui ponitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam*, 70. legunt: *Dæmonio*. Et Hebræus vertit. *Gat* (ideſt) *Marti*: ſic enim vocabant Sidus, à quo putabant Gentes pendere rei bellicę fortunam vt explicat Foretius. Quod quis non videat, quantò aptiùs quadret in myſticam illam, & ſpiritualem menſam. Hoc igitur Marte auſpice cum inimico manus conſerere nemo abnuat. Quis non ſtupeat, Ierichuntinos muros, qui intra ſe fortiſſimos habebant hoſtes, ad ſacerdotalium ſonitum corruiſſe tubarum? Non illos pulſauit aries, non expugnauit machina muri aduerſus ferrum in expugnabiles ſacra tubarum voce colliſi ſunt. Quis non miretur ſaxa ſono diruta, fundamenta clangore quaſſata, & ita collapſa, vt cum victores nihil manu læderent, apud aduerſarios nihil ſtabile remaneret? *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis poſtquam in aures multitudinis vox ſonituſque increpuit muri illicò corruerunt*. Ioſue 6. verſ. 20. Sed hæc in figura facta eſſe non dubium eſt vbi Chriſtus Dominus ad præſentiam arcæ, quæ Euchariſtiæ typus eſt, ad męnia accedit illicò funditus euertuntur: ipſe namque eſt, qui fortiores hoſtes imbecil-

les reddit, qui innumerabiles terret, & expugnat exercitus. Iuuat Adamus, hom. 7. in Ioſue. *In aduentu Ieſu muri Iericho ſubuerſi ſunt; in aduentu Chriſti vincitur mundus.*

DISCVRSVS II. MORALIS.

Fides diuina in Sacramento Altaris adeò triumphat, vt non ſolùm intellectum, ſed & ſenſus quodammodò in captiuitatem redigat.

1. CVm D. Thom. ſermonem inſtituiſſet alto ſpiritu imbutus de venerabili ſacramento Altaris, & accidentia ibi ſine ſubiecto exiſtere, vt fides exerceatur, aſſeruiſſet, ſubdit, id etiam eſſe factum. *Vt ſenſus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus iudicant ſibi notis.* In quibus verbis duo ſunt, quæ difficultatem ingerunt; primum, iudicij actum ſenſibus attribui à ſapientiſſimo, & illuminato Doctore; cum tamen ſolùm intellectui poſſit competere, cuius priuatiuè operatio eſt. Secundum, tranſubſtantiationem qua ſubſtantia panis in ſubſtantiam corporis Chriſti conuertitur, & accidentia proprio ſpoliantur ſubiecto, ſenſus à deceptione immunes reddi: cum tamen hinc oriatur eorum deceptio: nam naturali inſtinctu ducti illic ſubſtantiam panis adeſſe, vbi eius accidentia apparent, neceſsè eſt iudicent. Niſi teneamus, Angelicum Doctorem nos voluiſſe erudire, ſenſus in hoc Sacramento aliquo modo à fide Diuina eleuari, vt iudicium ferant veritatis, quæ in illo continetur, ac per conſequens ideò non decipi, quia fidei aſſenſu indicant, ibi non panis, ſed Chriſti ſubſtantiam adeſſe, verè deciperentur: non enim alio pacto à deceptione immunes poſſunt reddi, niſi aliquomodo iudicent, ibi non eſſe ſubſtantiam panis; quare fides non ſolùm intellectum, ſed & ſenſus videtur in captiuitatem redigere, & ad credendum coaptare eorum imperfectione expurgans. Quo alluſiſſe videtur Gregor. Nazianz. orat. 42. id obſeruans, quod in comeſtione agni paſchalis olim præcipiebatur: nempè quinque diebus aſſeruari, antequam ederetur, qui quinque ſenſus referebant priùs ab imperfectionibus emaculandos. *Aſſeruatur porrò in quintum diem, fortaſſe quia victima mea id habet, vt ſenſus expurget.* Quod etiam in hominis plaſmatione Deus præparauit, vt obſeruauit D. Ambroſ. lib. 6: epiſt. 44. *Hinc intelligo, qua de cauſa Dominus Deus inſufflauit in faciem hominis. Ibi enim ſenſus omnis, ibi ſedes atque illecebra delectationis, in oculis, auribus, naribus, atque in ore, vt ſenſus noſtros aduerſus delectationem fortiores faceret.* Solicitè Deus puritatem, & robur externorum ſenſuum ex tunc procurat, vt poſtea habilitentur ad hoc ſacrum myſterium ferendum.

2. Relegatus in deſerto Elias diram perſecutionem aufugiens, quia populum & Dynaſtas reprehendebat zelo inardeſcens, cœlum habuit diſpenſatorem, quod magna cura eum alebat, coruos enim quotidiè ſemel & iterum mittebat, qui propriæ ac naturalis voracitatis obliti mane, & veſpere carnis epulas, & panes floridos ipſis adminiſtrabãt. *Corui quoq; deferebant ei panem, & carnes mane ſimiliter panem, & carnes veſpere.* 3. Reg. 17. v6. Semel & iterum in die fruitur Propheta delitijs, & ſine penſione curæ alimento potitur cœleſti. Cœterùm etſi ea largitate cœlum Eliam ſit paſturum, vnus coruus ſufficere videbatur, qui cibum adminiſtraret. Vt quid igitur multiplicantur miniſtri, & duo hac functione occupantur, cum ſufficeret vnus? Non ita, ait Paſchaſius, nam cum huiuſmodi epulæ, quibus delitiatur Propheta, vmbræ ſint ſacramenti Altaris, quod ex carne conſtat, & ex pane conficitur, in duobus roſtris ad minùs debent eſſe diſperſæ, vnum carni, pani alterum: quia in iſta Altaris menſa, ſenſus qui carnem defert, impoſſibile eſt quod panem portet: ſi enim ſenſus roſtra ſunt, quæ hunc cibum pungunt, & deferunt, ipſi fateantur, ſubſtantiam carnis Chriſti, & ſubſtantiam panis non poſſe ſimul deferri? & cum guſtus in hoc Sacramento maiorem iuriſdictionem habeat, quia ad ipſum pertinet de cibis iudicare, fateatur, ſe pane cariturum, cum carnem defert, non ſolùm ſubiectus huic myſterio, ſed vota fidei accreſcens. Subijcio verba D. Paſchaſij lib. de corp. & ſang. Domini ad præcitata 3. Reg. *Cibus iſte Eucharistiæ à ſenſibus refertur, per quem ſua infirmitas releuatur.* Quorum energia eo tendit, vt hunc cibum aliquomodo eleuare, & corroborare noſtros ſenſus affirment, vt improportio, & debilitas ipſorum ſuppleatur ad deferendum hoc Sacramentum, & ipſius veritatem ſaltem imperfecta credulitate attingendam: intellectus enim hoc modo myſteria fidei ſupernaturalia credit eleuatus habitu fidei, & hunc aliquomodo vult Paſchaſius ad ſenſus transfundi, vt eo modo quo ſunt capaces, obiectum ſupernaturale attingant.

3. Non abſimilem ſententiam continent verba illa Cantic. 1. Vbi cum de pulchritudine alterius vterque amans contenderet, ait ſponſa: *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Quaſi diceret: Non ſecus ac venuſtus racemus tu mihi es, qui cum oculis ſit gratiſſimus guſtui iucundiſſimus inuenitur. Sine dubio Sponſa non ſolùm de perfectionibus animi loquitur, ſed etiam de corporis pulchritudine, qua ſenſus recreantur

Digitized by Google

tur; ob idque Sponſum comparat fructui oculis pulchro, & palato dulci; huiuſmodi enim qualitates primæ deceptionis cauſa extitere, ſiquidem ad illas oculos & guſtum prima Parens adiecit. Sed ſunt nonnulli, qui ex Hebræa voce *Copher* per cyprum, non vitem ſignificari autumant, ſed liguſtrum; Liguſtrum autem non ſolùm prædictis modis conficitur, ſed etiam meſſibus, cum iam matureſcunt, & grana indurare incipiunt, ſolet accidere: ſcita enim res eſt, & apud omnes comperta, quod ſi ſuper triticum, poſtquam in ſpicas cœpit erumpere, pluat, & ſtatim calor immoderatus ſuperueniat, liguſtrum patitur: Hiſpanicè vocatur *Albeñarſe*. Quod nihil eſt aliud, quam ſpicam euaneſcere, & tantùm cortices, aut ariſtas granorum remanere, ſed tantùm apparentia extet. Sic igitur Sponſa Chriſtum conſiderauit, præcipuè in nocte cœnæ, tunc ſcilicet, quando ſacramentum Euchariſtiæ inſtituit. Pluit ſuper illa ingens multitudo aquarum, tormentorum (inquam) & ærumnarum: *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam*. Pſalm. 68. verſ. 1. Superuenit ſtatim ille immoderatus calor ſuæ charitatis, quæ in fine plus inardeſcebat, ille canicularis amoris ardor, *Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*. Ioan. 6. Vndè factum eſt vt panis Angelorum, quem tunc in menſa ſuis Diſcipulis diſtribuit, liguſtrum pateretur; Nã eum ſuum corpus conſecraſſet, panis ſubſtantia euanuit, ſiquidem in carnem, & ſanguinem Chriſti tranſiuit, & apparentia tantùm panis remanſit, cortex quidem accidentium, ſicut in ſpica, quæ liguſtrum patitur, accidit. Hoc enim demiratur Sponſa, & vt iudicium tanti Sacramenti ferat, non ſolùm virtutes animæ vocat, ſed corporis ſenſus, qui illo cibo recreantur, & eleuantur. *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*. Ac ſi dicat: Faſciculus ſpicarum (ſunt qui teneant hunc fuiſſe fructum à primis Parentibus concupitum, & qui ipſorum oculos allexit) Sponſus mihi videtur: vbi ſenſus contra ſuam debilitatem ſaporem detegunt, & ſuauitatem inenarrabilem; nam cum triticum ſit liguſtro confectum, loco propriæ ſubſtantiæ alia infiniti ſaporis ſucceſſit; licet enim guſtus aliud ſentire videatur, ad fidei obedientiam redactus cœleſtibus fruitur ſaporibus. Neque hoc quid nouum in Sponſa videatur, cum multoties ſpirituales animæ in hoc Sacramento dulcedine ſenſibili ſaporentur, vbi teſtimonium ab oculis, qui Chriſtum viderunt, & à labijs, quæ eius dulcedinem deguſtarunt, deſumi poterit.

4. Hoc ipſum arcanè dixit Dauid (Pſal. 8. verſ. 15.) beneficio huius Sacramenti, quod oculis propheticis cernebat, à ſenſuum imperfectionibus abſtractus. *Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion*. Per portas mortis Auguſt. ſenſus externos intellexit, per quos mors intrauit in mundum: nam cum primi Parentes & vidiſſent, & guſtaſſent fructum prohibitum, mors & eos, & omnes poſteros eſt aggreſſa, ab illo enim eſu reatus mortis emanauit. At quo pacto fieri potuit, vt his ſenſibus, qui morti portas aperuere, Dauid ab huiuſmodi mortis exaltetur portis? Crediderim, hoc contrario, ac vitali cibo Euchariſtico, quo ſenſus à mortis debito, & naturalibus obiectis abſtrahuntur, vt ad ſupernaturalia eleuentur. Quod innuit idem regius Pſaltes, cum ſubijcit; *Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion*. Quaſi dicat: Non tantùm mente mirabilia, quæ in almo Sacramento Eccleſiæ (hæc enim eſt Sion) continentur, prædicabo, ſed & ſenſibus eleuatis ea narrabo, & extollam. Accipe Auguſt. ſic penſitantem. *Aut fortè porta mortis ſunt corporales ſenſus, & oculi, qui aperti ſunt homini, cum de ligno vetito guſtaſſet, à quibus exaltantur, quibus dicitur, vt quærant non quæ vident, ſed quæ non vident: quia quæ vident temporalia ſunt; quæ autem non vident, æterna ſunt: & portæ ſunt filiæ Sion Sacramenta, & initia fidei, quæ pulſantibus aperiuntur, vt perueniatur ad occulta Filij*, Quid luculentiùs: Ne infidelitas in huiuſmodi oſtia irrumpat, fide cuſtodiuntur, vt ad occulta Filij, quæ ſub accidentibus latent, via quà poſſunt, poſſint peruenire.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Charitas & amor, vt homines ditent, Deum in Euchariſtia deprædantur.

1. QVaſi non ſufficeret Chriſtum in auguſtiſſimis Euchariſtiæ epulis, vt homines recrearet, & reficeret, totum ſuum eſſe tradidiſſe, Diuinitatem nempè, animam, & corpus, quo vltra magnificentia nequibat procedere; delitioſas huius pretioſi conuiuij dapes ſapore vltimo voluit condire, ne aliquid, quod guſtum alliceret, deſideraretur. Et cum plerumque fructus ab alieno horto ſubrepti, & quod ab extranea poſſeſſione ſubtrahitur, habeant neſcio quid ſaporis, & æſtimationis, quod deſiderium vehementiùs prouocet, vndè ille alius.

Felicior ſeges eſt alieno ſemper in agro.
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Voluit hunc cibum, & theſauros in eo abſconditos rapina poſſideri, atque amore cœleſti latrocinio Deum bonis omnibus ſpoliari, vt hanc menſam condiret, & ditaret. Nec mireris, amorem latronem appellari: nam S. Laurentius Iuſtinian. Chriſtum inſpiciens in nocte

cœnæ

Digitized by Google

cœnæ pallium deponere, vt pedes Diſcipulorum lauet. (*Ponit veſtimenta ſua.* Ioann. 13.) admirabundus dixit: hoc tantùm amori deficere, graſſatoris perſonam induere, & pallia ſubripere, vt inter cætera ſpolia ſuo in curro dependeant. Sic igitur Deum amor ſpoliauit omnibus, quæ poſſidebat, præcipuè corpore quod verborum vi in hoc Sacramento exiſtit, & pallium Oſtiēſis Drago nominauit. *Pallium tuum eſt corpus tuum, quod in altari ſumimus,* vt hominem ſaginaret corpore, ingurgitaret ſanguine, & huiuſmodi epulas ad ipſius palatum omni voluptate refertas condiret.

2. Nouitatem Chryſol. intulit, quòd Chriſtus Dominus in deſerto, vt penè infinitam multitudinem eum ſequentem aleret, illis quinque panibus, quos fortè paruulus aduexerat, vteretur, & ſuper illos illam ſtupendam & extemporaniam multiplicationem efficeret. *Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos*, Ioan. 6. v. 9. Non immorabor, vt probem in hoc conuiuio Euchariſticum figurari, cùm in ea ſententia omnes conueniant. Quod Chryſologi animum pulſat, ideſt, quod Chriſtus adiuuamen quæſierit in illo pane, quem puer ſecum deferebat, & quod ab eius manibus eum abſtulerit, vt in proprijs multiplicaret, ex nihilo enim ſcit Deus abſque alieno adiutorio totam molem creaturarum extrahere. Cur igitur modò illis vtitur vt eas nutriat? Præterquam quod ſi multiplicatio earem in panem conuertendo efficiebatur, ſuperflua videtur materia quinque pauum ad ſaginandum quinque millia hominum. Sed myſterium deprehendo: voluit namque Chriſtus materiam, quæ miraculo deſeruiebat, quaſi furtiuam eſſe, & à proprio domino abſtractam, vt præfiguraret, panem Angelorum, quem in ſui amoris pignus hominibus erat largiturus, rapinis ſore poſſidendum, & ex aliena meſſe hunc cibum efficiendum: nam ſic amor Deum depauperauit, vt hanc menſam condiret, vt ad quòd oculos conuerteret, non relinqueret. *Panes quinque* (ait Chriſ. ſerm. 160.) *fragmento profluo, & furtiuo incremento ad quinque millia hominum dilatauit ſaginam.* Niſi furti nomen in tam largo conuiuio audiatur, non ſatis ſplendidum iudicatur: orbetur igitur puer quinque panibus, vt miraculi ſit materia, quod à domino proprio aufertur, vt pium altaris latrocinium probetur.

3. Nunc autem rationem percipiemus & cauſam, cur Chriſtus Dominus tot verbis conquereretur de miniſtris ad hortum accedentibus, vt eum comprehenderent *Tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs, & fuſtibus comprehendere me?* Matth. 26. verſ. 25. Non carcerem renuit, ſed cauſam: non manus ſatellitum, ſed prætextum, & accuſationem. At cur ita dolet, quod quaſi latro apprehendatur, vt in querimonias prorumpat? Si non dolet cum eum tanquam ſeditioſum, deceptorem, & cum mulieribus peccatricibus alloquentem accuſant: quare cum quaſi latro tractatur, ita exaſperatur, vt ad os viua ſigna intimi doloris perueniant? Sed tempus obſeruemus, quo tanti doloris agnoſcemus: fecerat enim paulò antequam ad hortum deueniſſet, illa eadem nocte illud ſtupendum, & admirandum conuiuium, in tyrannia, & pia rapina eum amor ſpoliauerat omnibus theſauris, quos vt homo poſſidebat, & vt Deus hæreditauit à Patre: paulò poſt ſatellites vidit, qui eum tanquam latronem comprehendere tentant, cum omnibus bonis ſe uidit orbatum, & de illorum crudelitate atque ſtultitia conqueritur. *Tanquam ad latronem exiſtis comprehendere me?* Quaſi dicat. Mira, & deprauata inſipientia. Qua lege, & ratione comprehenditur vt latro, qui à manibus alterius latronis, qui ab eo omnia, quę poſſidebat, abſtulit, quin aliquid in compaſſionis ſignum relinquat, vix egreditur? Si miniſtri iuſtitię eũ vt latronem apprehendiſſent: qui ab itinere ad ciuitatem reuertitur, vt de ſurto ſibi illato conqueratur; nonnè delirium & iniuſtitia videretur, ipſeque ſpoliatus cauſam haberet conquerendi, & improperandi abuſionem: Hanc ipſam Chriſtus habuit, cum eum tanquam latronem comprehendunt eo tempore, quo Sacramentum Euchariſtiæ inſtituere vix deſiuerat. *Tanquam ad latronem &c.* Vt latronem apprehenditis, qui hac ipſa noctè omnibus, quæ poſſidebat, bonis fuit ſpoliatus.

4. Magna pietate id ipſum cogitauit S. Vincentius: Chriſtum enim conſiderans, dum à manibus Sacerdotis in hoſtia conſecrata eleuatur, & ibi repreſentari, ſicut fuit exaltatus in cruce inter duos latrones, piè ſuſpicatur a duas Sacerdotis manus, quibus eleuatur, duos latrones adumbrare, inter quos fuit crucifixus, quia videlicet eorum artem exercent, dum Deum depredantur, & omnes eius theſauros ſubripiunt. *Sicut Chriſtus* (inquit) *fuit eleuatus, & crucifixus inter duos latrones: ita hoſtiæ conſecrata leuatur duabus manibus dextera, & ſiniſtra, quæ ſignificant latrones.* Nihil eſt aliud Chriſtum ad manus Sacerdotis deuenire, quam in latronis manus incidere: nã ſacro latrocinio, & illum depauperat: & cum ipſe latronis fidelis officio fungatur, atque arte ſurandi diuinitas ſolerter abutitur, & Deum cogit eleemoſynam petere. Nec videatur impropria locutio: bona enim, quę amor in hoc Sacramento expendit, vt homini ſuperſint, talia ſunt, vt Deus ea repetere ab hominibus indigeat. Dauid de hoc venerabili Sacramento in manna figurato locutus dicebat: *Pluit illis manna ad manducandum, & ianuas cæli aperuit.* Pſalm. 77. verſ. 24. Hebræis in deſerto degentibus manna pluit cœleſte in tanta copia, & abundantia, vt omnes cæli portæ ad ipſius effuſionem aperirentur: cum tamen Deus homines redempturus aduenit, non portas cœlo-

lorum aperuit, ſed ſe ipſum inclinauit, vt deſcenderet. *Inclinauit cœlos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius.* Pſalm. 17. verſ. 10. Cur vt manna pluat, cęleſtes reſerantur portæ, & maiori ad hoc Deus vtitur largitate, quam ad deſcenſum Filij naturam aſſumentis humanam? Opinor, vt innuatur, Chriſtum ampliùs beneficium contuliſſe in ſacramento Altaris, quam in Incarnationis myſterio: cum in hoc vni tantùm naturæ vniatur, in illo autem plurimis communicetur, Et vlteriùs, vt ſignificetur, tot ſumptus in hoc Sacramento Deum feciſſe, vt quaſi ad portas eum deijciat: quod illi, qui omnia inſumpſit, & exindè eleemoſynam oſtiarim petit, ſolet accidere. Sic enim de eo, qui omnia bona ſua in aliquo opere conſumpſit, ſolemus Hiſpanę dicere: *Eſto echo por puertas à fulano*. Hoc, inquam, Sacramentum in manna adumbratum Deum reduxit ad portas: nam amor, vt omnibus diuitijs illud cumularet, Deo omnia bona ſubripuit arte furandi pulchrè abutens.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

In almo Euchariſtiæ Sacramento duplex Chriſti vita ſpecialis, & gloriæ, & redemptionis ſuſcipientibus quodammodò confertur.

1. CVm ſpecialis Chriſti Domini vita talis ſit conditionis, & excellentiæ, vt ab inſtanti ſuæ conceptionis viſione beata frueretur, pretiumque noſtræ redemptionis ſit operata, & eius liberalitas ſit ſummè ac infinitè benefica, non ſatis videretur ſatiata, niſi modum inueniret, quo ſe omnibus vijs hominibus communicaret, quin aliquid relinqueret non participatum. Et licet glorioſa vita, & redemptionis opus ita excedant quamcunque creatam, & creabilem naturam, vt ab hominibus videantur omninò aliena: tamen eius amor, & ſapientia ita diſpoſuere, vt vtraque vita, & beata redemptionis actiuæ, quæ iure naturali Chriſto Domino tantùm competebat, hominibus in Sacramento Altaris aliqualiter communicarentur, vt non ſolùm gratiæ vita homines felices redderet, ſed eam quam ratione vnionis hypoſtaticæ habebat, aliquo modo ipſis largiretur. In præſenti diſcurſu de vita beata agemus, & in futuro de redemptione actiua redibit ſermo.

2. De hoc venerabili Sacramento agens Chriſtus Dominus in nocte cœnæ antequam traderetur, vt Diſcipulos ad recordationem tanti beneficij prouocaret, illiuſque excellentiam agnoſcerent, ſic affatur. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Ioan. 6. verſ. 57. Quaſi dicat: Sicut ego proptereà ſum miſſus à Patre, quia ab eo proceſſi, & totum ſuum eſſe per communicationem accepi: ſic ſimiliter qui meam carnem recipit, meam vitam accipiet, eaque ipſa viuet. Vbi non eſt ſermo de vita grstiæ habitualis, quia Chriſtus Dominus non ab ea, ſed à gratia vnionis ſanctitatem habuit ſubſtantialem, & viſionem beatam, nam licet (vt notauit Auguſt.) ly. *Sicut* ly. *Et* comparatum non arguat æqualitatis conſequentiam. (*Neque eandem ſuam & noſtram æqualitatem ſignificauit.*) Tamen aliud, præter gratiæ habitualis vitam, ſignificare neceſsè eſt, cum in generatione ęterna habitualis gratia non communicetur Verbo, & in temporali gratia vnionis præcipuè conferatur. Loquitur ergo Chriſtus Dominus de propria, & ſingulari vita, qua à primo inſtanti ſuæ conceptionis fruitur, quaque beatus redditur, cum Deum intueatur. Vt igitur (ait Cyrillus) ſuos diſcipulos erudiret in Sacramento Altaris, de quo loquitur, omnimodam ſui communicationem facere, & eos vitæ, qua fruebatur, participes fieri, vitæ, quam à Patre accepit, mentionem fecit, *Viuo propter patrem* (inquit Cyrillus) *ideſt genitoris naturam ad vnguem conſeruo: ſic qui carnis meæ manducatione me recipit, viuet profectò totus à me reformatus*, Niſi enim Chriſtus Dominus in hoc Sacramento vitam, quam accepit à Patre, nobis communicaret, non totaliter ad ipſius imaginem eſſemus reformati.

3. Docuit Chriſtus Dominus Luc. 11. verſ. 3. Diſcipulos ſuos Patrem orare, & inter alia conſulit, vt panem quotidianum petant. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Non de pane materiali loquitur Chriſtus (ait Chriſol.) nam qui paulò anteà dixerat: *Nolite ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus?* Vt quid deſideria modò ad vſuales cibos dirigeret. Loquitur ergo de pane illo Angelorum, quem in ſacra Altaris menſa erat largiturus. Sed libet expendere, quod cum hunc panem vocauerit *Quotidianum*, panem etiam hodiernum vocet: *Da nobis hodie*. Superfluum enim videtur hodiernum panem nominare, quem antea quotidianum dixerat, nam quod quotidianum eſt, neceſsè eſt, hodiernum ſit. Verùm ſub his verbis magnum latet ſacramentum, nam illud *Quotidianum* præſentem vitam deſignat, vbi plurimi ſunt dies, quia à Solis curſibus menſi ſunt, lux enim & tenebræ alternantur, & viciſſitudinibus præcedunt, & ſubſequuntur: illud autem *Hodie* æternitatem indigitat, & vitam beatam, vbi dies eſt indeficiens, lux, quæ nunquam occidit, & illud *Nunc* æternitatis, quod Theologi vocant. Cum ergo (inquit

quit Chriſtus Dominus Diſcipulis ſuis) Sacramentalem panem petieritis, non ſolum tanquam huius vitæ, in qua ſunt plurimi dies, & totidem noctes. panem petatis: tanquam panem hodiernum petite, quia in illo æternam gloriam, & immortalitatem vitæ beatæ eſtis adepturi. *Quotidianum, & in diem vult nos Sacramento ſui corporis panis viaticum poſtulare: quia per hoc ad perpetuum diem, & ipſam Chriſti perueniamus ad menſam*. Licet enim negari non poſſit in hoc Sacramento Solem opertum nubibus accidentium exiſtere, vmbræ ſunt glorioſæ: nam in illo beatitudinis lux, & æternitatis dies irradiare incipiunt.

4. Olim Deus præcipiebat Hebræis, vt paſchalem agnum ad veſperam immolaſſent, cum Sol ad Occaſum pergit, & noctis crepuſculus incipit. *Immolabitque hædum multitudo filiorum Iſrael ad veſperam*. Exod. 12. v. 6. Si autem attentè inſpiciatur myſterium, quod ibi latebat opportuniùs videbatur ad huiuſmodi ſacrificium meridianum tempus, vt in eo, quod in lege gratiæ erat euenturum, aptiùs figuraretur, nam ſicut Sol in meridie corpora vndequaque illuminat, omneſque vmbras vertit, & eliminat: ſic Chriſtus Dominus à meridie Sacramenti Altaris (quod Solis locum tenet, nam ſicut Sol inter ſeptem planetas quartum locum occupat, ſic hoc Sacramentum inter ſeptem Eccleſiæ in quarto loco collocatur) omnes ritus, & ſacrificia antiquæ legis, quæ vmbra huius Sacramenti extiterunt, erat eliminaturus. Cur igitur cruentum illud ſacrificium in crepuſculo dubiæ lucis tempori fieri præcipitur? Ob id enim, ait Macharius: nam crepuſculum intermedium tempus tenet inter lucem, & tenebras; & vtriuſque conſtat ideòque paſchalis agnus in illo erat offerendus: nam tenebræ ad hanc vitam mortalem ſpectant, & quia laborioſa eſt, & quia fides diuina, qua viuimus, non valet tenebras abſtergere, & vmbras quibus obnubilamur, excutere lux autem beatæ vitæ eſt imago, vbi non per velamina, ſed Deum facie ad faciem videbimus. Igitur offeratur agnus in crepuſculo, tempore, quod vtrumque extremum participat, & lucis, & tenebrarum, vt manifeſtum maneat, in Sacramento Altaris præfigurato in illa victima, vtriuſque vitæ participes fieri, temporalis, & æternæ, & in illo primos beatitudinis radios nobis oriri, atque huius vitæ mortalis vmbras temperari, & euaneſcere. Subjicio verba Macharij. *Ad veſperam eleuatur, hora autem veſpertina media eſt inter lucem, & tenebras, & intercedit aſſiſtente luce Diuina, quæ non ſinit tenebras inſurgere, & eam abſorbere*. Hanc arbitror fuiſſe cauſam illius euentus, qui ſolemni traditione, & perpetua fama in Iudæa refertur, vt narrat Illeſcas in deſcriptione Terræ Sanctæ, occurſum ſcilicet Melchiſedech cum Abrahamo eo tempore, quo ſacrificium panis, & vini confecit, ad radices Thaboris accidiſſe: tam ſtrictè enim connectitur hoc Sacramentum cum viſione beata, vt in monte, quem Deus voluit honorare à cacumine vſque ad pedem, in cacumine ſuam gloriam oſtenderit, & in radice vmbram huius Sacramenti præcedere decreuit ſignificans, iamiam beatum reputari, & cœli incolam, qui hoc cœleſti pabulo nutritur.

5. Volens Moyſes populum in deſerto reficere, oraculo à Deo accepto, dixit ad filios Iſrael: *Veſpere ſcietis, quod Dominus eduxit vos de terra Ægypti, & mane videbitis gloriam Domini*. Exod. 6. verſ. 7. Promiſerat Deus in veſpere carnes mittere, & mane cœleſte mannæ pabulum. Sed ò Moyſes, cur cum caro in maiori pretio habeatur, quam panis, non ais: veſpere Deum ſuam gloriam oſtenſurum? Cur in matutinum tempus, quandò manna colligebatur, gloriam differs, & populo beatitudinem polliceris? Audi quid Rupertus loquatur. *Per carnes vetera ſacrificia, per manna nouum ſacrificium accipimus, illa Dominus ſacrificia permiſit fieri: hoc autem nouum corporis, & ſanguinis ſui ſacrificium per ſemetipſum tradidit*. Ne igitur mireris, quod Moyſes populo gloriam Dei polliceatur non veſpere, ſed mane: quia non in illis veteribus ſacrificijs, ſed in hoc nouitèr, & mirabilitèr ab eo confecto ſupernæ beatitudinis viſio communicatur. Conſonat D. Greg. Niſenus hom. 10. in Cant. vbi cum de iſto cœleſti pabulo, quo Dauid aliquando fuit inebriatus, loqueretur, ait: *Cum à ſe exceſſiſſet, vidit pulchritudinem, quæ non cadit ſub aſpectum*. Hùc reſpicit, quod manna (vt multi codices legunt) in colore aſſimilaretur margaritæ, de qua B. Ephren ſerm. de ea ſic loquitur: *Margarita pretioſa è mari eſt magnæ æſtimationis, non tamen cibum præbet, ſed gloriam: neque potus oblectamentum, ſed claritatem habet*. Sicut enim margarita gloriam præbet, & nominis claritatem, ſic cœleſtis cibus non præcipuè fuit inſtitutus, vt corpus nutriat, & ſaginet, ſed vt gloria illud induat. Vndè S. Ignat. Mart. fideles hortabatur. *Feſtinate ergo frequenter accedere ad Eucharistiam, & gloriam Dei*. Non enim minùs beatus videtur, qui hoc Sacramento fruitur in Eccleſia, ac ille, qui in culmine gloriæ Deum intuetur.

6. Et ſi fas eſt dicere, aliquid ampliùs accipiunt, qui ad altare decenter accedunt, quàm beati, qui hoc ipſum deſiderant: nam in animabus beatis deſideria Theologi concedunt, & inclinationem ad reſurrectionem corporum, & ipſorum reunionem, quamuis Deo fruantur, in quo omnia continentur. Vndè auſus eſt dicere Bernard. (cum loqueretur de illis verbis D. Pauli, in quibus dixit, Chriſtum fuiſſe paſſum, vt ſuam Sponſam, quæ anima iuſti eſt, condecoraret. *Non habentem maculam, neque rugam*) quod animæ Beato-

rum

tium in cœlo, quamuis ſint ſine macula vetuſtatis, non ramen ſine rugis contractionis; tale enim eſt deſiderium reunionis, & reſurrectionis corporum, vt videantur aliquo modo non totum ſuum affectum in Deum tenere, ſed contrahi, & rugari hoc deſiderio. Quod quidem in multis, qui in Sacramento Altaris Deum dignè ſuſcipiunt, deeſt: nam effectus huius Sacramenti non ſolùm animam impinguant, ſed etiam ad corpus deſcendunt: multa enim corpora luce ſunt viſa perfuſa eorum, quia ea, qua decet puritate ad Altare accedunt. Exindèque neque macula, neque ruga eorum facies deuenuſtare audet: cum hic ipſum contingat, quod in naturalibus, nam faciei maculæ (vt dixit Ariſtoteles) ex defectu ſanguinis cauſantur, rugæ verò ex defectu carnis. Et vtrique periculo prouidit Chriſtus in hoc Sacramento: carnem enim, & ſanguinem contulit, ne Sponſa maculam turpitudinis, aut rugam deſiderij incurreret, cum hic fruatur delitijs à beatis concupitis, vt vltimam gloriam compleant.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Pretium libertatis, & redemptricem vitam quodammodò Chriſtus in Eucbariſtia largitur.

1\. ETſi vita beata, quam probauimus aliqualiter nobis in Sacramento Altaris communicari, ita ſit propria Chriſti Domini, vt iure naturali nulli mortalium præter ipſum debeatur; tamen ex gratia, & priuilegio illa poſſe homines frui, dum adhuc viatores ſunt, non eſt dubium, cum de facto MARIA ſanctiſſima ea potiretur, & de alijs Sanctis probabiliter aſſeratur. Quare etſi Chriſtus Dominus eam in Sacramento Altaris communicaret, neque naturæ eleuatæ capacitatem, neque Dei potentiam tranſcenderet. Hoc tamen impoſſibile apparet, quod in noſtra theſi proponitur: nempè redemptricem vitam, qua Chriſtus ſpecialiter vixit, nobis in hoc Sacramento aliqualiter communicari, nam cum opus redemptionis ita ſit proprium Perſonæ Diuinæ, vt puræ creaturæ nequeat competere (quia nulla quantumuis perfecta poteſt ad æqualitatem pro peccato ſatisfacere) non videtur poſſibile) Chriſtum hanc excellentiam hominibus communicare potuiſſe. Communicauit tamen eo pacto, vt cum homines ex ſe non haberent, vndè redderent pretium ſuæ libertatis, ab hoc Sacramento, quod gratis eis confertur, haurirent: ſicut qui pecunia indiget, vt ſe à captiuitate redimat, & eam ab alio accipit gratis donatam, ea iam vt propria vti poterit, & ſe redimere, quin alieno adiutorio egeat. Hinc doctus Lorinus ad Pſalm. 110. hunc cœleſtem panem *numiſma triticeum* nominauit, quod in cœleſtibus regnis valorem habet, vt à peccati captiuitate redimat. Eadem mente præditus Chryſol. (ſerm. 169.) parabolam illam expendens (Lucæ 15.) mulieris ſollicitè quærentis deperditam drachmam, ipſam Chriſtum repræſentare autumat in lege veteri deperditam, & gratiæ tempore inuentam, qua noſtra libertas emitur, & à ſeruitute liberatur, *Chriſtus* (inquit) *eſt plenum Deitatis numiſma, Chriſtus eſt drachma noſtræ redemptionis, & pretij*.

2\. Regius Vates Pſalm. 110. verſ. 4. prænuntians auguſtiſſimi Sacramenti Altaris futuras felicitates, cum præmiſiſſet: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe*: ſtatim ſubiungit: *Redemptionem miſit Dominus populo ſuo, mandauit in æternum teſtamentum ſuum*. Verſ. 9. Et quam quæſo redemptionem populo ſuo miſit, & beneficio teſtamenti firmauit, vt iure hereditario poſſideatur? Eucharíſticum nempè cibum: ait Iacobus de Valencia Epiſcopus Chriſtopolitanus. *Tunc miſit redemptionem, & mandauit in æternum teſtamentum ſuum, quandò antequam pateretur, inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ*. En redemptionis vita in ſacra Altaris menſa collata, & teſtamento obtenta, quo qui in iura ſuccedit teſtatoris, omnes illius facultates quomodocumque ad illum pertineant, poſſidet. Quod autem non de paſſiua vita redemptionis, ſed de actiua, quæ nobis in hoc conuiuio communicatur, loquatur Propheta, aureis verbis tradit Ambroſ. lib. 2. offic. cap. 28. *Agnoſco infuſum auro ſanguinem Chriſti non ſolùm irrutilaſſe, verum etiam diuinæ operationis impreſſiſſe virtutem redemptionis munere*. Quid expreſſiùs? Quaſi dicat: Qui ad menſam Euchariſticam decenter accedit, ſodinam auri detegit, quo libertatem emere, & à captiuitate liberari valet. Nec ſolùm aurum ibi latens illuminare deprehendet. *Verùm etiam diuinæ operationis impreſſiſſe, virtutem redemptionis munere*.

3\. Huius euentus perilluſtris fuit præfiguratio in Patriarcha Ioſeph: nam cum exulaſſet in Ægypto, & ad apicem imperij deueniſſet, ſuis fratribus illùc propter famem abeuntibus non ſolùm offenſam, quam ſibi intulerunt, condonauit, ſed etiam ſacculos, quos ad reportandum triticum ſecum deferebant, tritico impleri iuſſit, & vlteriùs pretium pro ipſo exhibitum in tritico reponi præcepit. Peruium eſt in hoc tritico Euchariſticum figurari, cum Ioſeph, qui illud largiebatur, typum geſſerit Chriſti: aſt non vacat myſterio, quod non modò triticum, ſed eius pretium fratribus contulerit. Et cur qui tot delitijs fratres recreauerat, qui annonam aſpor-

Digitized by Google

tandam præbuit, argentum etiam ad ipſos deuolui procurat, & ea induſtria, vt in ſacculis lateat? Præſtaret enim illud in ipſorum manus reponere, vt gratiores ſe oſtenderet, & maiori exultatione recederent. Verùm Hiſpalenſ. Archiepiſcop. Iſidor. profundè rem meditatus accidiſſe credit, vt innoteſceret, quod in Angelorum pane nobis exhibendo pretium noſtræ redemptionis erat occultandum, atque in illo latentèr exiſtere argentum, & valorem operum Chriſti Domini, quo facultas nobis confertur, vt à dira peccati captiuitate liberemur. Quid illuſtriùs? Non tantùm in hoc cœleſti pabulo compendium omnium delitiarum nobis Chriſtus exhibuit; verùm etiam eximium noſtræ redemptionis pretium; & quiſquis ad has dapes accedit, diuitem venam aperit, & theſaurum inæſtimabilem, quo à captiuitate reſurgat. Accipe verba Hiſpalenſis Antiſtitis. *Chriſtus autem in Sacramento Altaris, & frumentum, & argentum dedit.*

4. Vrbem Iericho obſidens ſtrenuus dux Ioſue, vt eius munitionem conſiderarent, exploratores miſit latentèr: qui cum ad domum cuiuſdam mulieris proſtitutæ diuertiſſent, & illa humano hoſpitio, & cauta ſagacitate à miniſtris eos requirentibus liberaret, ipſi pio officio grati mulieri pollicentur, illam domum, in qua eos excepit, in deuaſtatione ciuitatis incolumem ſeruandam: & vt ab illius inuaſione milites abſtinerent, conſulunt, vt funiculum coccineum in feneſtra oſtendat: quod ita accidit, & appoſito ſigno domus permanſit indemnis, & à captiuitate redempta. *Si ingredientibus nobis terram, ſignum non fuerit funiculus iſte coccineus, &c.* Ioſue 2. Vtraque Gloſa per funiculum coccineum ſanguinem Chriſti intelligit. *Signum redemptionis ſanguis Chriſti* (ait Interlin.) Neque aliter effectus, & virtus ſacramenti Altaris viuaciùs potuit depingi: nam ſicut Raab funiculo coccineo ſanguinem Chriſti referente à captiuitate & ſe, & ſuam domum liberauit, eodem modo, qui funiculum ſanguinis Chriſti ſecum portat, ſe omniaque ſua à dæmonis ſeruitute, & peccati captiuitate redimit. *Sacramentum paſſionis illius ore ad redemptionem ſumitur*, inquit Alger. lib. de corp. & ſangu. c. 11. Qui feneſtram oris hoc ſanguine notat, procul abigit omnes hoſtes, ad nulliuſque dominium peruenit. Apud te eſt tuæ redemptionis pretium, tuum eſt, quod in Altari accipis, eo vtere, vt à captiuitate liber euadas.

5. Conſonat Chryſolog. ad ea verba orationis Dominicæ: *Et dimitte nobis debita noſtra*: Putat enim Chriſtum Apoſtolis conſulere, non vt panem materialem petant, ſed vt ſuperſubſtantialem ambiant. Quo ſuppoſito verborum conſequentiam perpendit: nam eum petitionem præmiſiſſet. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; immediatè ait: *Et dimitte nobis debita noſtra.* Matth. 6. v. 12. Quaſi hic panis vrgeat ad debitorum remiſſionem, & ad ſolutionem pretium largiatur. Et cur ex panis receptione tam confidenter debitorum remiſſionem extorquemus; Quia in hoc pane (ait Chryſolog.) pretium latet ad noſtra debita ſoluenda, & eo debitè recepto expediri à debitorum nexibus exultamus. *Homo penes te eſt poteſtas veniæ, in te eſt indulgentiæ ius, tu tibi remiſſionis auctor es conſtitutus.* Quid pulchriùs? Panem ſacratum petit (ait Chryſolog.) igitur in tua voluntate indulgentiæ poteſtatem reponis penes te eſt poteſtas veniæ, apud te remiſſionis facultas, & indulgentiæ ius, tui ipſius hoc pane redemptor es effectus, *Tu tibi remiſſionis auctor es conſtitutus.* Hùc Paſchaſij mens ſpectat in comment. ſuper Matth, lib. 12. Quærit cur Chriſtus Dominus ſacramentum Euchariſtiæ inſtituerit, antequam pateretur, neque poſt reſurrectionem diſtulit, vt impaſſibile corpus conſecraret, ita enim præſtare videbatur? Tamen antè mortem illud inſtituit, vt nos cum ipſo, & ipſe nobiſcum vnum eſſemus corpus ſtrictiſſimo huius Sacramenti nexu, vt antequam ſe daret in pretium, illo vniremur. Verùm ad quid hæc vnitas? Vt illo omnes (ait Paſchaſius) & crucifigeremur, & reſurgeremus à morte, atque virtute huius Sacramenti redemptricis mortis eſſemus participes: nam ipſo mortui, conſepulti, & reſurrecti, quaſi nos ipſos redimimus virtute Sacramentalis vnionis: quod & Paulus innuit ad Roman. 6. verſ. 4. *Omnes fuimus in Chriſto crucifixi, & mortui, & conſepulti, conſurrecti, &c.* Illo igitur ſacramenti vinculo antè mortem vnimur, vt ad partem noſtræ redemptionis ingrediamur, & redemptricem vitam participemus.

6. Requiſitus Chriſtus Dominus (Matth. 17. verſ. 27.) à miniſtris Cæſaris, vt tributum ſolueret: licet ab huiuſmodi ſolutione immunis eſſet, ne adſtantes ſcandalizaret, ait Petro: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem illum aſſumens da eis pro me, & te.* Quod Petrus, ſicut præceperat Magiſter, fuit executus. Ambroſ. lib. 5. in Examer. c. 6. ſuper his verbis inuſitata ſemita incedit: per piſces enim homines intelligit (ſecundum illud Matth. 13. v. 47. *Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare ex omni genere piſcium congreganti*, & Habacuc 1. *Qui facis homines velut piſces maris*) in ſtatere autem in ore piſcis adinuento Chriſtum adumbrari arbitratur, cuius virtute, & valore pretium noſtræ redemptionis ſoluitur, illoque velut ponte, amarum peccatorum mare tranſitur, vt litus gratiæ teneatur, & cenſus pro peccato debitus æterno Patri ſoluatur. Vt igitur Chriſtus hoc pretio nos vti doceret, Petrum mittit, cui tanquam primò ſacerdoti loco Chriſti ſuffecto numiſma corporis eius cæteris porrigere, vt debitum ſoluant, competebat. Nemo ad hamum Petri

cibo

cibo Euchariſtico ineſcatũ accedere formidet: nam dum eum accipit,& mũdo corde ſuſcipit, in proprio ore ſtaterem inueniet,quo tributum peccati ſoluat, & à captiuitate liberetur.

7. Magnum negotium faceſſit omnibus Interpretibus illa locutionis forma, qua Chriſtus Dominus morti proximus Patrem affatur. *Vt credat mundus, quia tu me miſiſti, & ego charitatem quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum ſicut & nos vnum ſumus.* Ioann. 17. verſ.22. Cum non conſtet, de qua charitate, & gloria hic loquatur; an de ea quam vt Filius naturalis Dei habet, & generatione æterna hæreditauit: an de gloria: quam operibus redemptionis promeruit: de hac Cyrillus Alexand. & Leontius in lib. de diuino honore prædicta verba ad litteram exponunt, ita vt de gloria, quæ ipſi ex redemptione reſultauit, loquatur. Verùm magna hinc exurgit difficultas, vbi aut quomodò ſuis hanc gloriam Chriſtus communicauerit, ita vt participes eius fierent, & ad vnitatem huius excellentiæ vocati. Liquet ex contextu, Chriſtum prædicta verba protuliſſe ea ipſa nocte, qua ſe in cibum dedit: nam prædictis verbis ſtatim adiungit Euangeliſta. *Egreſſus eſt trans torrentem Cedron, vbi erat hortus.* Io.18.v.1. Igitur pro omnibus loquatur Cyrill. aſſerens hanc redemptionis gloriam Chriſtum Diſcipulis ſuis communicaſſe *In ſacramento Euchariſtiæ per corporis ſui communicationem.* Hic enim Chriſtus ſuæ liberalitatis theſauros nobis contulit, & ad vnitatem redemptricis vitæ vocauit, quatenùs pretium noſtræ redemptionis ſuis operibus promeritum nobis largitur.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Non ſolùm anima, ſed & ſenſus Euchariſtiæ ſuauitate beantur.

1. DIximus in ſuperioribus Chriſtum Dominum in ſacramento Altaris animas quodammodò beare: & ne quid minùs ſenſus accipiant, illos aliquo modo beatificare hic probare ambio. Nullus eſt ſenſus qui non impleatur in hoc Diuiniſſimo conuiuio, quia vt reficiantur omnes, Chriſtus fit omnia ſingulis. Nam non videtur quomodò & ſatietur, & delectetur guſtus hoc Diuino pane, dum in Eccleſia porrigitur: quare ad altiorem cogitationem nos vocat Origenes. Pro qua notandum eſt, quod ſenſus externi poſt reſurrectionem corporum habere debent ſuas operationes in beatis: eſt communis doctrina cum D.Thom.4.diſt. 44.q.7. art.1. licet Caiet.3.par.q.57. quem nonnulli, ſequuntur, exiſtimet, hanc quæſtionem adeò eſſe difficilem, vt reſolutio ad ſcientiam futuri ſæculi referenda ſit. Præcipua tamen difficultas verſatur in vſu guſtus: partem negantem tenent Bonauent. Durand. & Abulenſ. apud Ægid. tom.4.lib.4. q.9. art.1. affirmatiuam tamen ipſe amplectitur cum communi Theolog. & rectè probatur ratione, quia id in maiorem gloriam corporis cedit, quare cum hæc perfectio corpori glorioſo non repugnet (vt patet in Chriſto Domino poſt reſurrectionem comedente) non eſt cur corporibus beatorum denegetur: tum auctoritate Laurentij Iuſtiniani cap.43. de diſciplina, & perfectione conuerſationis monaſticæ? *Nec enim fas eſt, vt in illa cœlorum gloria quicquam vacet à Dei laude: quam potiùs iuſtum eſt, vt omnia corporis membra ſuum proprio modo efferant Conditorem, ſicut ab illo ſumpſère principium, vt ſit Deus in omnibus.*

2. Sed inquirendum reſtat quomodo fiat in patria guſtatio? Ratio difficultatis eſt, quia conſtat inter omnes PP. & Theologos ibi non eſſe futurum alimenti cibum, & ſubindè neque vſum cibi, vt contra Saracenos, & Iudæos latè probat S. Thom.4.diſt.44.quæſt. 1. art. 3. vbi communis Theologorum. Et ad hunc ſenſum PP. explicant corporum glorioſorum vitam, quia ſcilicet cibo, & potu iam non indigebunt. Difficilè autem eſt explicare, quomodò in patria dari poſſit obiectum guſtus, ipſeque guſtus, ponatur in actu guſtationis. Communis reſolutio eſt, in lingua cuiuſque beati futurum eſſe humorem quendam incorruptibilem ſaporis ſuauiſſimi omnes huius vitæ ſapores longiſſimè ſuperantem, quo guſtus beati abſque vlla indignitate perpetuò afficiatur. Sic S. Thom. Idem 4. diſt. 44. queſt.2. art. 1. & alij quam plurimi. Sed adhuc reſtat difficultas, vndè proueniat iſte humor? Aſſerit Scotus, quod ex optimo qualitatum primarum temperamento: ſed non eſt audiendus, quia non omnes beati idem habebunt temperamentum. Alij exiſtimant, illam qualitatem realiter cauſari à beatitudine animæ, quod non diſplicet Richardo: tamen ipſe, Suarez, Egidius, & alij autumant, à Deo cauſari, refertque Egidius, plures affirmare, iſtum humorem futurum eſſe aliud manna, habiturumque omnis ſaporis ſuauitatem, ita vt ad id cuique ſapiat, quod voluerit; ſic Maior, & Viguerius ab eodem citati, qui volunt ob hanc excellentiam appellari poſſe nectar Ambroſeum, quo Dij iuxtà Poetarum fabulas in cœlo vtebantur: additque Maior manna in deſerto figuram huius humoris cœleſtis; Egidius tamen putat in maiorem illius excellentiam cedere, ſi vnicum ac cibi connaturalis habeat ſaporem omnium ſuauiſſimum, & cœlo dignum: nam manna non habebat omnium rerum naturalem ſaporem, ſed miraculosè Deo naturam propriæ qualitatis mutante iam verò immutabilitati patriæ repugnat illius humoris ad cuiuſque libitum mutatio. Quare (inquit Egidius) illa

cœleſtis humiditas ex ſua natura futura eſt ſaporis præſtantiſſimi, & adhuc ſenſum omnem ſaporem virtute continebit, vt dicatur nectar Ambroſeum.

3. Neque obſtat, ſi dicas cum Bonauent. in patria neque dari medium guſtus, neque obiectum, nempè ſaporem, quia ibi non datur eſca, & potus. Nam reſpondetur negando antecedens, quia cum guſtus ſit quidam tactus ex Ariſt. de ſenſu, & ſenſibili cap. 4. habet medium intentionis nempè carnem linguæ, vt aduertit S. Thom. citatus. Inſuper in patria dabitur cœleſtis illa humiditas: nec opus eſt, quod omnis res ſapida ſit cibus, & potus, vt malè in argumento ſupponitur. Nec rurſus obſtabit, ſi dicas: guſtatio fieri nequit ſine reali mutatione, & alteratione organi guſtus, ſcilicèt linguæ, ſed hæc alteratio repugnat corpori glorioſo, ergo. Nam ſimiliter reſpondetur primò negando antecedens; nam falſum eſt guſtationem non poſſe fieri, niſi à ſapore realiter immutetur lingua, cum Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem cum Diſcipulis comedens cibos veriſſimè guſtauerit, & tamen lingua eius iam glorioſa alterari non potuerit repugnante impaſſibilitatis dote. 2. reſpondetur admittendo antecedens, quia lingua beati humore illo cœleſti realiter erit alterata, non quidem de nouo, ſed ſtatim à primo inſtanti gloriæ corporis, cum quo eadem numero alteratio perpetuò immutabilis permanebit. Sic S. Thom. dum docet. *Guſtum in beatis futurum eſſe in actu per immutationem linguæ ab humiditate adiuncta.*

4. In re autem tam recondita, & quæ tot patitur opiniones, liceat ſuſpicati, hunc ſaporem, quo beatorum guſtus reficiuntur in patria, ab almo Euchariſtiæ ſacramento prouenire, aut quia in futurum ſæculum reſeruabitur, quod nullam video repugnantiam inuoluere, aut quia humor ille cœleſtis, qui licèt non ſit cibus, cibo tamen affinis eſt, hoc epulum omni ſuauitate repletum refert. Si enim cum Maiori, & Viguerio teneamus, manna in deſerto ſaporem illum cœleſtem adumbraſſe, quis abnuat manna non aliud niſi cibum Euchariſticum in quo omnis ſapor genero ſus, & delitiæ continentur, iudigitare, & exprimere. Si autem cum alterius opinionis Auctoribus teneamus, illam cœleſtem humiditatem, qua recreabuntur beati connaturalē, ac prȩſtātiſſimum habituram ſaporem, quis alius præter iſtum cibum ſaporem habet inenarrabilis ſuauitatis? Conſulantur ſpirituales animæ, quæ crebrò, & ſenſibiliter eius ſuauitate, & dulcedine fuerunt repletæ. Præterquam quod hoc quidem munus reficiendi & beaudi ſenſus externos humanitati Chriſti Domini propriè competit: ipſa enim oculos beatorum glorificabit in cœlo, ipſa defectum obiectorum illos delectantium ſupplebit. Si enim beati poſt conſummationem ſæculi (quæ tunc fiet, quando Sancti glorioſo triumpho cum Chriſto corporaliter aſcendunt cœlum) nullum habebunt deſiderium ſiuè efficax, ſiuè inefficax ſuos ſenſus exercendi, neque reunionis ad corpus, quia omnis appetitus deſiderij ſic erit ſatiatus & completus, vt nihil ampliùs deſiderent, & ad hoc vt omnes æquè ſatientur, & perpetua felicitate fruantur, quinque plagas Dominus in ſuo corpore reliquerit quinque ſenſibus correſpondentes. Quid mirùm, quod hoc idem corpus cui huiuſmodi plagæ fuerunt inflictæ, ſacramentaliter ſuſcipi à beatis velit, vt hos eoſdem ſenſus reficiat, & lætificet. Ideòque forſan quinque verbis *Hoc eſt enim corpus meum* Matth. 26. verſ. 26. ſuum corpus, & totidem ſanguinem Chriſtus conſecrauit, atque hoc Sacramentum innot uit, vt quinque ſenſus per illud glorificari innueret. Neque ex dictis erit operoſum obiectionibus iu contrarium ſatiſfacere.

5. Alludit ad hanc cogitationem, quod Chriſtus Dominus cum Iudæis erga ſuam Diuinitatem, & filiationem, quam accepit à Patre, differens dixit, vt fideles ad ſpem gloriȩ erigeret. *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet*. Ioan. 10. verſ. 9. Locus commentationibus fatigatus: nam non conſtat apud omnes, de quo ingreſſu, & egreſſu hic Chriſtus loquatur. Mitto aliorum opiniones, & Litȩ commentationi adhȩreo. *Ingredietur* (inquit) *hic ad fidem, & egredietur ex hoc mundo ad gloriam*. Sed adhuc vrget difficultas: nam quo pacto qui ad gloriam ingreditur, eundem cibum, eadem paſcua, ac Eccleſiam ingrediens inueniet? Idem ipſe Chriſtus, qui modȯ ſub ſpeciebus panis, & vini exhibetur fidelibuȯ manducandus, poſteà ſub cibi ſpecie beatis tradetur? Ita videtur ſentire Gloſa. *Ingredietur in Eccleſiam, vt hic viuat per fidem: vndè poſtea dicit, vt vitam habeant: & egredietur de iſta vita, vt in æternum viuat: vndè poſteà, & abundantiùs habeat vitam: & paſcua inueniet ingrediens, & egrediens*. Siuè ergo fideles ingrediantur in Eccleſiam, ſiuè ab illa egrediantur, vt in beatitudine collocentur, idem pabulum vtrobique habebunt: nam Humanitas Chriſti Domini vtrobiq; eos reficiet. Si autē ex identitate cibi, licet identitatē conditionis arguere, idem Sacramentum, quod modò fideles beat, poſteà beatos glorificabit, & reficiet. Huc etiā ſpectat, quod ſedens Chriſtus Dominus ad menſam in nocte cœnȩ cum Diſcipulis ſuis ſe in cibum prȩbens, ne ipſis, quod exhibebat, cœleſte alimentum defecturum putarent, dixit: *Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*. Luc. 22. verſ. 29. Ferè omnes Expoſitores conueniunt de regno cœleſtis beatitudinis Chriſtum hic fuiſſe locutum. Sic Interlin. *Menſa, quæ omnibus Sanctis eſt ad fruendum propoſita eſt cœleſtis vitæ gloria.*

ria. Tamen Nicolaus de Lyra vtrumque regnum, & militare, & glorioſum hic ęquè poſſe intelligi exiſtimat, & in vtroque fideles in ſacra Euchariſtię menſa ſatiari innuit. Siuè ergo in Eccleſia, ſiuè in patria regnent iuſti, eadem menſę vtrobique paratur, Euchariſtię nempè, vbi non tantùm viatores, ſed, & comprehenſores refici videntur: atque cum clara Dei viſio intellectum, & reliquas animę facultates ſolùm glorificet: vt guſtus, & cœteri ſenſus recreentur, videtur hic cibus in patriam reſeruari.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

In Euchariſtia Verbum caro efficitur.

1. VErborum vi Altaris Sacramentum confici dogma fidei eſt: ſicut ſub accidentibus Chriſtus latet, ſic ſub verborum, quibus conſecratur, cortice virtus abſconditur, qua panis ſubſtantia in carnem Chriſti conuertitur. Hic eximia proprietate Verbum caro efficitur, quia Verbis efficitur caro, & incarnationis myſterium repetitur, atque adumbratur. Fortaſsè huc directè reſpiciunt verba, quibus Ioannes Sacramentum incarnationis expreſſit. *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Ioan. 1. verſ. 14. Quę non minùs congruenter ad hoc myſterium poſſunt inflecti, quia vt incarnationis myſterium proderet, aptiùs videbatur Filium nominare, quam Verbum, cum de generatione ageret, quę potiùs Filio quam Verbo competit. Verùm cum de cohabitatione Chriſti apud nos in futurum loquatur (*Et habitabit in nobis*, quod in hoc Sacramento adimpletur, quia iugiter in Eccleſia remanet) ſatis innuit, de vtroque myſterio ſermonem inſtituere, atque incarnatione Filium carnem fieri, in Eucariſtia Verbum ſimiliter verborum vi carnem effici, quod nullibi niſi in hoc Sacramento contingit. Igitur quotieſcunq; cum intentione Sacerdos illa verba profert *Hoc eſt corpus meum*, corpus Chriſti efficit, & Verbum caro factum eſt: quia illa verba operatiua ſunt, & id efficiunt, quod ſignificant. Vndè cum Chriſtus Dominus (Ioan. 6. verſ. 69.) latiſſimè diſſeruiſſet de hoc myſterio, neque multi ex eius diſcipulis ferre potuiſſent, & ſuper cibo iſto incredulitate nauſearent, abirentque retrò, eos, qui remanebant interrogans, an fortè etiam abire vellent: Petrus animoſa fide reſpondit: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* At quis crederet, quod Petrus verbis Chriſti moueretur ad eius ſequelam, & non factis? Maximè cum facta verbis correſpondiſſent; totque mirabilia eſſet expertus, verba enim bona facilime proferuntur: at opera ipſis ſignificata non ita facilè adimplentur, garrire enim hominum eſt, operari Dei. Cur igitur Petrus Chriſti verbis allicitur: non factis? Quia de Euchariſtiæ ſacrificio agebatur, in quo verba ſunt facta, quia verbo caro efficitur, & Verbum efficitur caro: nam verborum vi Chriſtus producitur, & ad Sacerdotis verba ſub accidentibus adeſt.

2. Prę ſiti ęſtuabat populus in deſerto Cades, & acerbiùs obmurmurabat, verſuſque in ſeditionem vexabat Moyſen, vt populum reficeret, ille autem ingreſſus tabernaculum, pronus in terra Deum deprecatur, vt populo aquam prębſtare dignetur, annuenſque Dominus ſuis precibus, ait: *Tolle virgam, & congrega populum, tu, & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Num. 20. verſ. 8. Fecitque Moyſes, ſicut pręceperat ei Dominus, & egreſſę ſunt aquę largiſſimæ. Extra dubium eſt, petram illam, è cuius ſaxeis viſceribus aqua ſcaturiuit, Chriſtum adumbraſſe, dicente Apoſtolo: *Petra autem erat Chriſtus.* 1. Ad Cor. 10. verſ. 4. Ipſumque in ſacri corporis menſa vitalem aquam affluentiſſimè propinantem, ad quam fidelem vrget accedere Ambroſius recognouit. *Et tu bibe, vt te Chriſtus ſequatur.* Verùm non parum mentem pungit, quod ad patrandum illud mirabile opus Moyſes conſortio Aaronis, & locutione ad petram indiguerit. *Tu, & Aaron frater tuus loquimini ad petram.* Et cur qui tot miracula ſe ipſo ſolo effecerat abſque Aaronis adiutorio (nam Iordanis fluenta in ſanguinem conuerterat, virgam in ſerpentem tranſmutauerat, ſciniphes ſuſcitauerat de terra, & alia quamplurima ediderat prodigia) modò Aaronem comitem habere præcipitur, vlteriuſque petram alloqui? Nonnè ſufficeret ipſam virga tangere? Lapiſne eſt auriculatus, vt, voces audiat loquentes ad ipſum? Qui obturatas & ſaxeas habebat aures, ad verba Moyſis, & Aaronis obedibit? Aſt magnum hic latet Sacramentum: nam myſterium agebatur Altaris, vbi neceſsè eſt loqui, & Sacerdotis loquela vti, vt conficiatur. Igitur dum hoc myſterium pręfiguratur, nòn Moyſes ſolus loquatur ad petram, accedat Aaron, qui Sacerdos eſt, & dum affluentem aquarum venam haurire ſatagit, petræ, ideſt Chriſto, illa verba loquatur. *Hic eſt enim calix ſanguinis mei.* Veritatem præcedat vmbra, & ſacrificium poſteà verbis conficiendum verbis in figura efficiatur. Sacerdos accedat ad petram non tacens, nec percutiens ſolùm, ſed loquens vt Sacerdotum poſteà ad Altare accedentium, & affluentiſſimam ſanguinis Chriſti venam exhaurientium conſecrationis verbis munus obeat, & verborum vis ex tunc agnoſcatur.

3. Hùc reſpiciebat Dauid, cum exultans huius

huius myſterij præuiſione aiebat Pſalm. 26. verſ. 6. *Circuiui,& immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis cantabo , & Pſalmum dicam Domino* . Meritò hic ambigitur ab Expoſitoribus , quid per hoſtiam vociferationis Dauid intelligat : nam hoſtiæ , & ſacrificia non verbis conſtabant , ſed rebus , neque voces vnquam offerebantur . Acutè ſatis Incognitus hic almum Euchariſtię Sacramentum rimatur, quod magna proprietate vociferationis hoſtia dicitur ; quia validiſſimis verbis non in ſono, ſed in virtute,& efficacia peragitur . *Hoſtia vociferationis dicitur Sacramentum Corporis Chriſti qui ſolus hoſtia ſufficiens pro noſtra redemptione fuit* . Chriſtus igitur , qui in hoc Sacramento immolatur , vociferationis hoſtia eſt , quia ad hanc fortiſſimam , & efficaciſſimam vocem *Hoc eſt enim corpus meum* Matth. 26. verſ. 26. præſto adeſt, ipſaq; totum Sacramentum conficitur : verborum hoſtia eſt , quia verba in illa efficiuntur caro .

4. Largiturus Sponſus Sponſę quędam nuptialia munera , ſic ea pollicebatur . *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento* . Cantic. 1. verſ. 11. Non conuenit inter Expoſitores , de quo ornamento hic loquatur Sponſus,magnumque diſſidium inter ipſos eſt. Hieronym. Beda, & alij de ornamento colli verba accipiunt , & torquem ſignificari fabrili arte compoſitum exiſtimant . Bernard. Anſelm. ſerm. 41 . in Cant. & alij quamplurimi non de colli, ſed de aurium ornamento ea intelligunt: quod mihi veroſimiliùs videtur . Sed adhuc ambigo , quid per ornamentum murenularum ad aures ſpectans intelligatur . Caſſiod. Beda, & Rupert. relati in hunc locum à Ghiſlerio , putant , inaures Sponſæ murenulas dici , quia ad ſimilitudinem murenæ piſcis maris fabrefactæ erant . Quid denique myſticè hoc ornamento ſignificetur, ingens eſt difficultas. Ambroſius comment. In Pſalm. 118. ſatis innuit, Sacramentum Euchariſtiæ hic arcanè depingi. *In quo non ſolùm ipſius Dei bonitas* (verba ſunt Sa.o naior ad hunc locum) *ſed etiam ſapientia, & ars , ſeu ingenium , & inuentio , aut ratio aliqua ſingularis apparet : vt cernere eſt in beneficio humanæ Redemptionis , atque etiam Euchariſtiæ myſterio , quaſi murenulæ quædam ſunt aureæ vermiculatæ , id eſt variegatæ argento propter eximiam excellentiam, perfectionem, & circunſtantiarum, ac rerum varietatem* . Sed quod murenæ , & non alterius rei ſimilitudine vtatur Sponſus,dum de ornamento aurium Sponſæ agit, vt Euchariſtię Sacramenti tradat imaginem , myſterio non vacat : & ad ipſius intelligentiam neceſsè eſt Ambroſium conſulere, qui lib. 5. in Examer. cap. 7. de piſce murena agens , talis ait eſſe conditionis , vt cum vipera multoties miſceatur , ad cuius congreſſum cum vipera ad maris littus acceſſerit , ſibilo murenam amplexus inuitat , depoſito prius veneno ; vixque murena ſibilum audit , cum Præſto adeſt vocibus viperæ obtemperans. Sic ille appoſitiſſimè ad rem noſtram . Nunc autem myſterium , quod latebat , apparet ; ideò enim murenæ ſimilitudine Euchariſtiam pro ornamento aurium Eccleſia habet ; quia vix Sacerdotis ſibilus illa verba proferentis *Hoc eſt corpus meum* ad aures Chriſti abſentis peruenit, cum ab empyrio mari Paternæ dexteræ ad terram accedit : Sacerdos enim dum ea verba profert , abſentem Chriſtum inuitat in murena adumbratum , de qua idem Ambroſ. lib. 5. in Examer. cap. 2. ait : *Murena quam ferunt aliquid habere noxium , eſca pretioſior eſt* . Hic enim cœleſtis cibus omnibus eſt præſtantior ; aſt noxium quid habet ad ipſum non depoſito culpæ veneno accedentibus . Igitur cum Sacerdos depoſito culpæ veneno (etſi non deponat) ad littus ſacri Altaris accedit , & ſibilat conſecrationis verbis , ſtatim murena Chriſtus adeſt , & verborum vi in amplexus vocantis ruit . Expedit enim Sacerdotibus à vipera exemplum ſumere , & venenum euomere , antequam ad murenæ congreſſum accedant , ne præſtantiſſimus cibus noxius illis ſit ; verùm etſi venenum non euomant , dum ſibilo abſentem murenam vocant , præſtò adeſt , obediente Deo voci hominis . Nam ſicut ad Gedeonis vocem ſtetit Sol in tabernaculo ſuo ad Sacerdotis verba ſiſtitur Chriſtus in Altari . Aptè ergo cum vocibus hoc Sacramentum conficiatur , in aurium ornamento exprimitur : nam auribus verbum percipitur , illiſque cum ad Chriſti aures peruenerit , caro efficitur .

DISCVRSVS VIII. MORALIS.

Chriſtus Dominus in Euchariſtia realiter adeſt.

1. VT opimos gratiæ fructus tuliſſent homines : non ſat videbatur , vni tantùm naturæ Deum vniri , niſi etiam omnibus realiter communicaretur : ad hoc enim ſacramentum Euchariſtiæ inſtituit : quod magna auiditate , & vehementi deſiderio exoptabat Dauid Pſalm. 142 verſ. 6. *Expandi manus meas ad te , anima mea ſicut terra ſine aqua tibi* . At quid ſitientis ariditate terræ voluit Dauid exprimere , vt tam vehementer aquam ſuſpiret? Cur non potiùs alterius elementi indigentia ſuum deſiderium expreſſit ? Nam omnibus terra indiget , vt fructus ferat opimos , ignis calore , aeris frigiditate , ſicut aqua vegetabilia omnia creſcunt . Egregiè Caſiodorus prædicta verba exponit : *Pulchra ergo comparatio , cum dicit,animam ſuam ſic deſiderare Deum, quemadmodum ſolet ſicca terra copioſas pluuias ſuſtinere*. Dei realem præſentiam, & participationem Propheta deſiderat,vt abundè eius anima ſatie-

ſatietur: idcircò per modum aquæ Deum concupiſcit, non per modum alterius elementi: nam terra vt fructificet, vt ſaginetur, cæterorum elementorum tantummodò accidentibus indiget, aeris nempè qualitate, calore ignis; aſt non ſatis eſt, vt fructficet, qualitas aquæ, ſed opus eſt, quod ipſamet aquæ ſubſtantia illi vniatur, & realiter communicetur. Ita equidem vt anima verè ſatietur, vtroque reficiatur cibo, verò corpore Chriſti realiter ipſi vnito indiget: quocunque alio cibo, quocunque alio bono non ſolùm non nutritur, ſed fame perit, & languet. Ideò ſubtiliter aduertit Caſſiodorus, Dauid ſitim ad Deum referre, vt innueret, non niſi ipſo Deo ſatiari poſſe. *Dixit autem: tibi: non alteri; ne iſtum deſiderium malis voluptatibus applicares.* Cæteri enim cibi non ſolùm animam non impinguant, ſed nec dùm eius ſitim temperare valent.

2. Hoc ipſo deſiderio flagrans ad Deum iterum preces fundebat Dauid. *Erraui ſicut ouis, quæ perijt, quære ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.* Pſalm. 218. v. 1176. Hebræus vertit: *Erraui ſicut agnus perditus.* Quæ verba ita exponit Genebrard. *Præcatur Pſaltes, vt Chriſtus veniat, & homines apud dæmones errantes ſaluet.* Verum cur ſicut agnus perditus erat, Dauid ſe erraſſe confitetur, non ſicut ouis, aut aliud noxium animal, ad quod congruentiùs peccator erat referendus? Optimè Caietanus difficultatem verſat. *Agno perdito ſe comparat ad ſignificandum periculum: quoniam expoſitus eſt periculis, non ſolùm luporum, ſed etiam periculo inediæ propter abſentiam à ſuctione lactis.* Non dicit ſe erraſſe, ſicut ouis perdita, aut aliud animal ſolet errare: quoniam & illa, & hæc herbis. & alijs paſcuis poſſunt ſatiari; ſed ſicut agnus perditus, qui nonniſi lacte reficitur: petit ergo humani generis nomine cibum Euchariſticum, qui lactis nomine exprimitur: *Quaſi modo geniti infantes rationabiles ſine dolo lac concupiſcite.* Epiſt. 1. Petri cap. 2. v. 2. & propterea ſe agno erranti comparat, quia agnus nonniſi lactis ſucco ſaginatur, cum pabulari non poſſit paſcua: *Expoſitus etiam periculo inediæ propter abſentiam à ſuctione lactis.* Hoc vnum lac ſuſpirat Propheta, quod ſolùm poteſt eius animam cibare; cætera pabula tanquam olera herbarum linquit ouibus, ſibi dulciſſimum hoc epulum, ſuauiſſimum lac tanquam agno ſugendum anhelat.

3. Hoc ipſum denotant præcitata verba D. Petri epiſt. 1. cap. 2. *Sicut modò geniti infantes rationabiles ſine dolo lac concupiſcite.* Quæ Clemens Alexand. lib. 1. pedagog. cap. 6. ſic legit. *Tanquam nuper nati infantes verbale lac concupiſcite: ideſt lac Verbi.* Et pulchrè ſubdit: *Nutrimentum eſt lac Patris, quo ſolo aluntur infantuli: ipſe itaque, qui eſt dilectus, & altor noſter, Verbum effudit pro nobis ſuum ſanguinem, per quem qui in Deum credimus ad mammillam Patris, quæ curarum obliuionem inducit, nempè Verbum, confugimus.* Enimuerò verbum iure optimo mammilla Patris appellatur, quandoquidem per ipſum hominibus communicata eſt Diuinitas, quaſi lac è corde, quod Patris eſt ſymbolum, atque è mammilla, & per mammillam, quæ eſt ſymbolum Verbi, lac iſtud deriuat in homines vna cum ſanguine, nam & lac ſanguis eſt, ſed cum perfectiori concoctione, cum puritate, & candore. Quid ſtupore dignus, quam videre Patrem materno affectu quaſi nutricem infantulos lactantem mammilla ſua, ſcilicet Verbo? Sed præmenda ſunt illa verba. *Quo ſolo aluntur infantuli.* Quaſi hoc ſolo cibo, & lacte diuiniſſimo infantuli nuper nati, vtpotè rationales ſaturentur. Idcircò enim monet ſanguinem concupiſcere ſub lactis ſpecie, quia eſtò eſſentialiter idem ſint lac, & ſanguis, ſanguis proprium alit corpus, lac alienum, vtpotè ſuperfluum alimentum, vt in matrum vberibus apparet. Hinc per modum lactis ſanguis Chriſti exhibetur, vt innuatur, nonniſi illo homines poſſe viuere, ſicut nec infantulus nuper natus ſine lacte: & vt denotetur, hoc alimentum fuiſſe confectum, vt homines tantùm ſaginentur; Chriſtus enim Dominus ſeipſum communicans nullum ſpecialem effectum in ſe recipit, vt Theologi docent: hoc enim emolumentum nobis ſolùm ſupereſt. Idcircò ex modo proficiendi alijs, non ſibi, compellatur *Verbale lac*, quod iuxta Clementem Alexand. eius eſt ſanguis, *Verbum effudit ſuum ſanguinem.* Hoc ipſum ipſe Chriſtus tradidit Cantic. 6. verſ. 1. *Comedi fauum meum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo.* Ex quibus verbis optimè probat Ghislerius, Chriſtum ſeipſum communicaſſe, atque realem præſentiam in hoc Sacramento adſtruiſſe: ideò enim mel in hoc fauo contentum, & lac ſub ſpeciebus vini deliteſcens ſua vocat, quia ex proprijs carne, & ſanguine hoc pabulum confecit. Fauum porrò nuncupat carnem: quia ſicut fauus fit quidem ab ape, ſed è materia florum ita & caro Chriſti à ſupercœleſti illa ape nempè Spiritu S. fabrefacta eſt è puriſſimis, & floridis virgineiſque Mariæ ſanguinibus: & ſicut in fauo continetur mel, ita & in Chriſto Diuinitas. Hoc igitur mel & Diuinitatis lac tanquam è mammilla Patris nobis tanquam infantulis, & nullo alio cibo nutriendis Chriſtus in hoc Sacramento communicauit.

4. Singulis filijs Iacob benedicturus ad Aſer deueniens ait: *Pinguis eſt panis eius, & præbebit delitias regibus.* Geneſ. 49. verſ. 20. Quæ verba ad ſacrum Euchariſtię conuiuium, in quo præſtantiſſimæ dapes, & regiæ delitiæ continentur, inflectit Eccleſia. Sed rimari licet vocum proprietatem: nam epitectum illud *pinguis* non eſt proprium panis, ſed carnis:

panem

panem pinguem nemo verborum proprietate diſſertus dixit. Caiet. punctus hac difficultate per panem hic, & carnem & reliqua alimenta intelligi exiſtimat. Quæ expoſitio non parum inſtituto noſtro, & veritati arridet: nam vt innuatur, ſub ſpeciebus panis, quæ in hoc Sacramento oculis exponuntur, carnem Chriſti latere, non panis, ſed carnis proprium epitectum apponitur, vt animam hoc cibo cœleſti, carnis pinguedine ſaturari credatur, cum quidquid bonum, & delitioſum eſt ſub illis ſpeciebus contineatur. Vndè dixit Zaccharias cap. 9. verſ. 7. *Quid enim bonum eius eſt? Et quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Germanus ſenſus eſt apud noſtrum Rairolem, non mirùm quod tantam Gentium conuerſionem fecerint Apoſtoli, neque quod Deus eos ſeruauerit vna cum grege populi ſui; cum quidquid bonum, & pulchrum eſt, eis aſſeruauerit ſub ſymbolis vini, & frumenti, hoc eſt ſub ſpeciebus Euchariſtici ſacramenti. At quæ eſt natura veri boni, & quomodò Euchariſtia illud continet, vt homines ad ſe trahat? Bonum (inquit idem Author) eſt eſſe appetibile, vtpotè congruum voluntatis obiectum, quo tanquam hamo piſcis, hominis appetus trahitur, Quia ergo Deus, vt Deus eſt, naturaliter non appetitur (non enim datur appetitus naturalis ad beatitudinem, vt cum S.Thom. tenet maior pars Theologorum) Diuinitas, quæ hamus à Ruperto nuncupatur, ſub ſpeciebus Euchariſticis realiter deliteſcit, vt ſit naturali appetitu quodammodò à nobis appetatur, & velut piſces Diuinitate, & Humanitate Chriſti ineſcatos nos ad ſe trahat,

DISCVRSVS IX. MORALIS.

Qui ad menſam Euchariſticam ſine ea, quæ tantùm Sacramentum decet, puritate accedit, inſanire videtur.

1. INſanus ſanè eſt, qui inermis hoſtem enſem diſtrictùm habentem aggreditur, atque illo transfigitur, & vulneratur. Quis niſi demens, phereneticus aut mentecaptus inimicum fortiſſimum adoritus deſtitutus armis, quibus ſe protegat, & defendat? Amenter deſipit, qui ad menſam tremendam, & mille armis offenſiuis munitam Sacramenti Altaris ſine armis gratiæ, & puritatis audet accedere, & enſem ibi ſub accidentium vagina incluſum prouocare. Inebriatur quidem haud vtiliter in hac menſa, qui ad ipſam indebita præparatione ſedet, ea ebrietate, de quâ dixit Seneca epiſt. 83. *Nihil eſſe ebrietatem pręter voluntariam inſaniam*. Hac igitur dementiæ nota inurit Palus, qui ſacra ſinaxim indignè comedunt: Corinthios enim inſtruens, vt cautos reddat, & meticuloſos, ait: *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit*. 1. Corinth. 11. verſ. 29. Ideſt ſententiam mortis conſentit, & damnationem ſibi acquirit. Sic communiter exponunt PP. Sed hęreo verborum cortici iuxta dialecton Hiſpanam, qua qui turpiter aberrat, iudicium abſorbuiſſè dicitur, *Se ſorbio el iudicio*. Eodem ergo modo, & pari proprietate loquitur Paulus aſſerens hunc cibum indigne communicantes iudicium bibere, & comedere, quo dementes oſtenduntur, & creduntur inſanire: neque alia eſt hęc ſententia ac pręcedens: nam qui ſententiam mortis ſibi illatam per ſe ipſum exequitur, & propria manu ſe interimit, inſanus eſt, Olim Athenis ad mortem damnati ipſam abſorbebant, quia eos ad perculum toxicatum, & veneno confectum bibendùm compellebant; at qui vltrò id faceret dementię notam non effugeret: ſic profectò qui Altaris calicem reus, bibit, mortem deglutit.

2. Multoties Chriſtus Dominus Iudæos alloquens, vt eorùm cæcitatem auferret, & duritiam cordis emolliret, varijs metaphoris ſe Deum, & in lege promiſſum oſtendit: quod etſi ægretuliſſent propter inuidiam, & odium, ferebant tamen: at cùm ipſum metaphora Paſtoris oues ſuas paſcentis de ſe ipſo loquentem audiunt. (*Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Ego ſum Paſtor bonus*, Ioan. 10. v. 9.) ira perciti lapides arripiunt, vt in eum iactent. *Suſtulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum*. verſ. 31. Caiet. Lyra & alij quàm plurimi exiſtimant, Chriſtum ſub verbo *paſcua* vtrumque cibum ſignificare & cœleſtem, quo fruuntur, & ſatiantur, beati, & Euchariſticum, quo viatores reficiuntur in Eccleſia. Siuè enim fidelis ingrediatur in Eccleſiam, ſiue egrediatur ad patriam, paſcua ſemper inueniet. Sed mirum eſt, quod cum Chriſtus, & cibum, & paſtorem ſe præbet, Iudęi ita efferantur, vt lapides ad eum lapidandum arripiant. Multotiès contrà ipſum ſunt machinati, & nocumenta ipſi inferre moliebantur diuerſa: ſed nunquam eum lapidibus obruere tentauerant. Cur igitur modò lapides contrà ipſum accipiunt, niſi vt inſanos, & dementes ſe oſtendant? Præmiſerat enim Chiſtus Dominus ſermonem de Euchariſtia, ipſum vt offendant, adoriuntur, & non alijs armis, niſi lapidibus eum impetere conantur, vt, inſani, & phrenetici videantur, qui furentes lapides iactant: hoc enim proprium vitiùm dementium eſt lapides in adſtantes iactare, Qui igitur aſijs offenſis Chriſtum inſectabantur, & vt canes rabioſi ipſum de alijs myſterijs loquentem

tem inuadebant : cum de cœleſti Euchariſtię cibo loquitur, impetuoſè lapides arripiunt; vt eum obruant, & extra ſe ipſos agere fateantur : nam quiſquis Chriſtum in hoc Sacramento offendit, furit, lapides iactat, & dementię intemperantia laborat. Hanc energiam textus ſubindicat, dum ait: *Suſtulerunt ergo lapides*. Ly *ergo* vim habet illationis, & conſequentię, quaſi diceret Euangeliſta: Apprehenderunt arma, vt Chriſtum interficerent ergo lapides, qui arma dementium ſunt: ac ſi idem ſit Chriſtum in hoc ſacro cibo offendere, & lapides iactare, quod ſummę dementię argumentum eſt.

3. Huiuſmodi inſaniam iudicioſè meditabatur Carthuſianus in Ozę morte. Delegit Dauid triginta millia hominum, qui in comitatu adeſſent arcæ, cum eam de domo Aminadab transferebat: impoſuerunt eam in plauſtro nouo, & cum boues calcitrarent, & arcà inclinari cæpiſſet, extendens manum Oza tenuit eam, & ſtatim pœnam audaciæ luit, & repentè mortuus eſt. *Iraſuſque eſt Dominus indignatione contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate, qui mortuus eſt ibi iuxta arcam Dei*. 2.Reg.6. Omitto culpam inquirere, propter quam plectitur Oza, & quæcunque illa ſit, miror, quod de temeritate arguatur: nam qui temerarius habetur, inſanire creditur: temeritas enim, & dementia tam ſunt affines, vt communiter demens temerarius dicatur. Cur igitur Ozæ irreuerentia temeritatis nota inuritur? Maximè cum hoc epitectum non alibi in ſacra pagina inueniatur, vt perſpicuè inſpicienti patebit: & vbi penè infinita alia ſcelera referuntur, quæ temerariam audaciam, & inſaniſſimam dementiam præſeferunt, hoc ſolùm temerè actum reputatur, cum tamen Ozæ factum hominis cordati videatur, cum pia prouidentia arcam ſuſtentare procurat, ne quæ incipiebat cadere, omninò rueret? Cur ergo temeritatis arguitur, & inſanè deliquiſſe perhibetur? Quia irreuerentia illa arcæ Euchariſtiam adumbranti fiebat, ad quam nemo audet indignus accedere, qui temerarius non ſit, & inſanire iudicetur, vndè tanquam demens mulctatur, & ſententiam Pauli exequitur. *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit*. Non alij cenſuræ debuit ſubiacere, qui ad hoc Sacramentum impurus accedit, niſi temeritatis, & dementiæ: in cæteris enim peccatis ſtultitiæ homo, & inſipientiæ arguitur, at in hoc ſcelere delirat, & furit.

4. Sub metaphora Regis ad nuptias inuitantis ſe Chriſtus præbuit Matth. 22. verſ. 13. Qui cum prandium haberet paratum, ac ſemel & iterum inuitatos quæreret, intrauit, vt videret ad menſam diſcumbentes: cumque hominem notaret nuptiali veſte carentem, & ipſius indecentiam increpaſſet, præcepit miniſtris, vt manibus, & pedibus ligatis in cuſtodiam eum detruderent. *Tunc dixit Rex miniſtris: ligatis manibus, & pedibus eius mittite in tenebras exteriores*. Miror, quod tam graui pœna plectatur, qui leuem videbatur culpam commiſiſſe. Nam quid quod veſtes non eſſent admodum comptæ, & ornatus perpolitus, vt ipſum alligari præcipiat, & incarcerari? Cur non alia pœna incurioſus ille punitur? Nonnè ſufficeret in carcerem mitti, vt ad conuiuium redire non poſſet, neque oculos inuitantis iterum offendere? Vt quid manibus, & pedibus ligatis eum deferri iubet? Crediderim, vt innuatur reum dementiæ eſſe: pœna enim qua inſani, & furioſi corripiuntur, ea eſt, quod ligentur, & in cuſtodia detineantur: igitur qui vt demens delinquit, vt demens puniatur. Acceſſus ille ad regale conuiuium ſine decenti ornatu indignos ad menſam Euchariſticam accedentes præfigurabat: hi autem non qualicunque pœna mulctantur, ſed illa qua puniuntur inſani, alligationis nempè & incarcerationis. Alligari eum iuſſit, vt pœna ſpeciem culpæ demonſtret. Fortaſsè hùc reſpicit Greg. Magn. *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Ligantur nunc pedes, & manus per diſtrictionem ſententiæ, & tunc ligat pœna, quos modò à bonis operibus ligauit culpa*. Pœna enim delicto correſpondet, & eius naturam manifeſtat: atque ligatus punitur, qui inſanè ad menſam Euchariſticam accedit, amens enim & alligari dignus indignus eſt.

5. Eumdem guſtum habere videtur parabola illa, quàm Chriſtus Dominus Diſcipulis ſuis propoſuit (Matth. 13. verſ. 30.) regnum cœlorum aſſimilans homini ſeminanti optimum ſemen in agro quod inimicus vitiare tentauit ſuperſeminans zizania in medio tritici: quæ cum ſerui extirpare obtuliſſent, ea vſque ad meſſis tempus creſcere ſinit, & eo accedente ait meſſoribus: *Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum*. Quod zizania comburantur, & tanquàm inutilia reducantur in fauillas, benè eſt: cæterùm quod comburenda alligentur in faſciculos, ſuperuacaneum videtur. Quid enim intereſt quod alligata comburantur, aut diſperſa? Fortè Agricola ſeruos habebat otioſos, quod eis inſudare præcipit in re tam inutili? Sed ſi tritico cęleſtem panem adumbrari ſuſpicemur in zizania verò, qui ad hoc triticum accedunt, & illo ſe immiſcent, & incorporatur indignè, congruenter actum inueniemus: nam hi qui indebita diſpoſitione hoc cœleſti pane incorporantur, non ſoluti ſed alligati in ignem mittuntur: quia cum ſumma dementia ſit, hunc panem comedere zizanijs peccati affectos, non quacunque pœna mulctantur, ſed dementiæ debita, & vſitata, allegationis nempè, ſic iuſtitia exigente, quæ pœnam vnicuique delicto debitam tribuit.

DISCVRSVS X. MORALIS.

Chriſti amor in Euchariſtia ſic delicatus eſt, vt vel tenuiſſima aura lædatur.

1. AMor quò fortior, eò tenerior: quò vehementior, eò delicatior: quò intenſior, eò ſenſibilior. Non patitur, vel leuem attactum: aſpectu minimo offenditur, læditur oculorum nutu: tenuiſſima aura languet, & marceſcit; delitioſus nimis cum ſit, omnes blanditias ambit, & neque ipſis delitijs ſatisfit: quaſi ipſa ſuauitate offenditur, & tenerrimus ita eſt, vt vel ipſa ſuſpitione lædatur. Ardentiſſimè dolet, qui amantiſſimè amat niſi ardentiſſimè redametur. Nullibi autem hæc amoris teneritudo ſic deprehenditur, ſicut in Sacramento Altaris: nam cum illud opus amoris ſit, & vehementiſſimæ dilectionis, delicatiſſimum eſt, & in illo Chriſtus aere tranſeunte offenditur. Hinc cum Magdalena poſt reſurrectionem Chriſtum quærcret, & poſt lacrymas, & ſuſpiria ipſum adeſſe cognoſcens, ad eius pedes deuoluta eos tangere, & oſculari deſideraret, Chriſtus illam à ſe repellit illis verbis: *Noli me tangere*. Ioan. 20. verſ. 17. Et quid quod eum modò tangat, quàm multoties tangere, & contrectare permiſerat? Quàm peccatricem ad tactum receperat, perfectiſſimè amantem excludit? Nimis delicatus Chriſtus videtur Magdalenę contactum refugiens. Ita enim eſt: nam poſtquàm Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, ſic tener eius amor oſtenditur, vt vel leuiſſimo attactu offendatur, & ita delicatè ſe gerit, vt Magdalenam repellat illo delicatiſſimo ſcrupulo *Noli me tangere*, quod in prouerbium tranſiuit, & perſonam nimis ſenſibilem, quæ aeris tranſeuntis attactu læditur: *Noli me tangere* nominamus. A Sacramento ergo Altaris hanc teneritudinem, & delicatam conditionem Chriſtus hauſit: nam qui antè eius inſtitutionem omnibus ſe prębuit contrectandum, ea vel tactum leuiſſimum recuſat.

2. Hebræis olim per deſertum peregrinantibus, & fame tabeſcentibus manna pluit in abundantia, mirabilium Dei compendium, & auguſtiſſimam Sacramenti Altaris vmbram, eo tamen ſtudio, vt nullæ ad illum approximarent ſordes: nam primò antequam deſcenderet, ventus validus præcedebat, qui terram expurgans à minutiſſima quaque pulueris particula emundabat. *Primò* (inquit Abulenſis quæſt. 6. ad cap. 16. Exod.) *educebat Deus ventum, quo purgabat ſuperficiem terræ, ita vt nullæ ſordes manerent, quæ manna deſcendentem maculare poſſent.* Poſtea (ait Lyra) pruina cadebat terram operiens, quæ ros liquidus, & ſtillicidia referens erat, poſteà manna, ac tandem inſuper ros congelatus, quo tegebatur, & coopertum erat, vſquedùm colligebatur: nam tunc diſcoopertum apparebat: idque refert ex Rabbi Salomon, cuius ſententiam non improbat, ſed tanquam ſubtilem laudat. *Mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum: cumque operuiſſet ros ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum.* Exod. 16. verſ. 14. ad quæ verba ait Lyra. *Rabbi Salomon exponit hunc locum ſubtiliùs dicens, quod primò cadebat pruina ſuper terram, & poſtea ros aliquantulum congelatus deſuper: itaque manna iacuit inter duo illa, tanquam mundè ſeruatum. Vndè in Hebræo habetur: Mane quoque fuit operimentum roris in circuitu caſtrorum, & aſcendit operimentum roris: Et ecce in ſolitudine minutum diſcoopertum*: Quidquid ſit de veritate huius ſententiæ, quæ communiter reijcitur: liceat hac vice ei aſſentire, & mirari, quod vmbraculis cœlum manna munierit, vt nec leui offendiculo eſſet expoſitus: ſufficere enim videbatur terram mundare, ac pruinam ſuper ipſam ſternere, ne pulueris attactu pollueretur: Ad quid roris congelati cooperimentum additur, cum non ſit, à quo iniuriam patiatur? Nam Iudæi illud conculcare verentur, cœlumque cuſtodiret, ne ſuperueniente opprimeretur grandine. Cur igitur velamine roris congelati tegitur? Opinor, ne ab oculis Hebręorum illud intuentium, aut ab aere tranſeunte offenderetur: nam nullus alius hoſtis remanebat delicatiſſimus ille cibus, cum opipari ac delitioſiſſimi Sacramenti Altaris typum geſſerit, vel ab oculorum nutu, & tenuiſſima aura veretur offendi: ideòque velamine clauditur arctiſſimo, ne aer illud tangere, aut oculus aſpicere poſſint. Sic mollis, & delicatus cibus Euchariſticus eſt, vt leui aura pungatur. Caue igitur tenerrimum Altaris panem offendere, & cum ad eum accedis, terram pectoris munda, aerem, quo mortalia, & terrena ſuſpiras, comprime, ne reſpiratione lædatur: periculoſiſſimum enim nimis eſt, cum perſona delicatæ conditionis conuerſati, nam quolibet verbo inaduertenter dicto, & incautè prolato læditur, & ſæuit. Time oculis immundis manna aſpicere, & pollutis labijs illud tangere, ne exaſperetur, & qui delicatiſſimus eſt, robuſtiſſimum experiaris hoſtem.

3. Congruit huic cogitationi Philonis mens lib. 2. Allegor. nam vbi noſter Vulgatus habet: *Apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum.* Exod. 16. legit ille: *Simile pupillæ oculi.* Quod cum ipſa Manna natura difficulter componitur: nam nihil eſt pupilla oculi delicatiùs; manna autem robuſtiſſimum erat, ſiquidem mola terebatur, vt ex eo panis conficeretur. Sed vtrumque in hoc cibo inuenitur: pupilla enim oculi ad quam manna refertur, tenerrimi eſt ac delicatiſſimi ſenſus: nam vt vehementer doleat, non eſt neceſ-

sè,

sè, vt vulneretur telo, aut percutiatur flagro: ſed ſat eſt, ſi delicatiſſimè, ac leuiter tangatur, ſi in illam incidat vel atomus leuiſſimus, vel minutiſſimus apiculus, nam quolibet attactu incenſiſſimi doloris ſenſus excitatur, lacrymas fundit, & totus oculus ægreſcit, ac cruore ſuffunditur. Meritò ergo manna oculi pupillæ comparatur: nam Chriſtus Dominus in illo figuratus, qui tot in paſſione ſua pertulit tormenta, eaque patienter ſuſtinuit: ſi in ſacro Altaris edulio leuiter offendatur, ad vehementiſſimum ſtimulatur dolorem: niſi nimia puritate accipiatur, acerbiſſimè torquetur. Vndè monebat Dionyſius cap. 3. de Eccleſiaſt. Hierarch. *Eos, qui ad Sacramenta cœleſtia conficienda accedunt, ea oportet eſſe munditia, vt ipſas quoque extremas imagines purgatas habeant*. Nam in eos, qui minimo offendiculo eum tangunt, mirum eſt, quam præſtò inſurgat, & ad vindictam prouocetur.

4. Sponſus Cant. 7. verſ. 2. Sponſæ partes docto penicillo depingens, eius ventrem perdifficili translatione deſcribit: *Venter tuus aceruus tritici vallatus lilijs*. Mitto acerui ſimilitudinem cum ventre, quæ aceruum difficultatum parit, & liliorum circumuallationem demiror: vallare enim in toto rigore munire eſt armis, aut muris, vt ciues ab hoſtium incurſionibus defendantur, & inimicis telis reſiſtant. Cur igitur ſponſus cum aliàs in re militari videatur inſtructus, dum muro, & antemurali Sponſam cingit, modo ventrem lilijs vallatum dilaudat, & ſpecioſum habet? Debilibus ſanè muris venter vallatur, & qui non armis indiget, vt ruant, ſed aſpectu tantùm. Quæ liliorum fortitudo, vt ventrem in modum arcis cingant, & muniant? Cur dùm Sponſam munitam, & à quacunque inuaſione incolumem deſcribit, eam non fortiſſimis muris circumuallatam exponit, ſed floribus tantùm cinctam, qui aere marceſcunt, & languent? Verùm ſi eam partem Sponſæ, quam depingit ſcrutemur, odorabimus liliorum fragrantiam. Etenim dum Eccleſiæ ventrem aceruo tritici confert, Euchariſticum, & ſuperſubſtantialem panem, quo Sponſam alit, ſine dubio indigitat: hunc igitur floribus vallatum oſtendit, quia inter res creatas nulla eſt floribus delicatior, & ſenſibilior, nam leuiſſima aura languet, & aere ipſo marceſcit, atque oculorum aſpectu læditur, breuiſſimam viuit vitam, quia ob teneritudinem mille periculis exponitur. Vndè Sponſus, qui ſeipſum ſub ſpeciebus panis conſecrauerat, lilijs vallatum, & floribus cinctum ſe perhibet, vt delicatiſſimam ſuam conditionem exprimeret, quippè quæ floris inſtar tenuiſſima aura læditur, nec maiorem, quam flos, habet munitionem, vt ſe, defendat. Meritò panis iſte munitionis dicitur, ſiquidem vallatus perhibetur: verùm panis floridus etiam eſt lilijs vallatus, quia aeris afflatu marceſcit, & fragrantia, atque teneritudine flores redolet: quin, & ſentibus, quibus iniuriantes vulneret, armatur. Caue igitur ſpinam, dum florem offendis, nam ſub flore baſiliſcus latet lethalis, ſua fragrantia eum, qui pollutus peccato illum tangit, internecat: ſicut Ælianus de ſcarabeo ſcribit: qui fœtidis oloribus alitur, & ſtatim ac fragrantiam roſæ odoratur, deperit; vnde Græcum prouerbium *Scarabeus roſam*. Aceruus iſte triticeus acerbiſſimus ſolet eſſe ipſum indignè tractantibus, & delicatam ac mollem conditionem in acerbam ſolet commutare; teneriſſimus cum ſit ad offenſam, duriſſimus eſt ad vindictam.

5. Gedeoni in occurſum caſtrorum Madian venienti cum exercitu ſuo apparuit Deus, & in re militari ſolertèr illum inſtruit, vt inimicum profligare valeat, non militum multitudine, & robore, ſed arte, & induſtria: cum enim Gedeon quadam nocte latenter ſua caſtra inuiſeret, inſomnem militem offendit, & ſomnium, quod habuerat, ſuo commilitoni narrantem. *Videbatur mihi quaſi ſubcineritius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere: cumque perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit, illud, atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit. Reſpondit is, cui loquebatur: Non eſt hoc aliud, niſi gladium Gedeonis*. Iudic. 7. verſ. 13. & 14. Gedeon hoc victoriæ prænuntio munitus in caſtra irruit Madian, & hoſtium vna parte propria manu interempta, altera in fugam verſa, inimicum profligauit, ac penitùs euertit. Tritum eſt in hoc pane Euchariſticum agnoſcere: illud autem myſterioſum videtur, quod in pane lateret gladius valens potentiſſimus hoſtem profligare: quæ namque cohærentia inter gladium, & cinerem, vndè ille panis erat confectus? Ille bellicus, fortis, & durus eſt; hic leuis, debilis, & ita imbecillis ac inconſtans, vt à tenuiſſima aura ſpargatur, & deferatur huc atque illuc. In cinere qui mortis reſiduum eſt, vitalis cibus adumbratur, & ab illo gladius euaginatur formidabilis? Ita enim accidit, & nullum Euchariſtiæ hyeroglìphicum aptiùs potuit excogitari: nam panis iſte cœleſtis cinerem præſefert, qui tenuiſſimus cum ſit, quacunque aura excitatur, & vix attingitur, cum offenditur: delicatiſſimè conditionis eſt, vel tenui reſpiratione ſpargitur, & quaſi exaſperatus ipſum excitantem adoritur, ac leuis attactus impatiens contrà ſpargentem inſurgit, ipſique inſidet, atque repercutere ſatagit, quaſi contrà ipſum diſtringat. Sic igitur panis Euchariſticus eſt tenerrimæ, & delicatæ conditionis leuiſſima aura laceſſitur, leni attactu ſtimulantur ad vindictam, & qui cineris lenitatem, & delicatam conditionem præſefert, dum patitur, cum aduerſus offenſorem inſurgit, gladius duriſſimus, & ex vtraque parte acutus ſentitur: cinis eſt à vento agitatus, ſed in gladium verſus formidabilem, qui numeroſos exercitus valet proſternere.

DISCVRSVS XI. MORALIS.

Qui poſt Euchariſticam cœnam ſomno torpet, interitum ſibi parat.

1. INſomnis, qui à ſacra Euchariſtiæ menſa ſurgit, debet recedere, nam poſt cœnam periculoſiſſimus ſomnus eſt, ideòque à Medicis prohibitus. Lethifer eſt ſopor, qui poſt hoc conuiuium irrepit, & altè dormiens poſt huiuſmodi epulas mortem ſibi infert. Præſtat enim ſomnum excutere ei, qui huiuſmodi cœna ſaginatur, ne peccati ſopore correptus in ſomnium incidat interitus. Elias in deſerto degens vacuus ventre abundè ab Angelo reficitur, ſomnumque poſt eſum capit, & ſtatim vocem ipſius Angeli ipſum excitantem audit. *Surge, & comede, grandis enim tibi reſtat via.* 3. Reg. 19. verſ. 7. Qui Prophetam ſaginare adueuerat, cur benè cœnatum requieſcere non ſinit, ſed dormire vetat: vixque oculis claudentem percutit, & ad fugam arripiendam hortatur? Quia cibus ille Euchariſtiam referebat (ait Gloſa moralis) *Surge, & comede: ideſt, Euchariſtiam.* Igitur non patiatur Angelus Prophetam poſt cœnam quieſcere, & ſomno ſopiri, ne cœna ei lethaliter noceat: poſt cœnam enim multum ambulare expedit, & à ſomno vacare, ne morbum, & interitum inferat. Hinc in veteri lege, qui ſomno correptus, & iam dormitans carnem agni ſemel edebat, rurſus ex eodem agno comedere non poterat, cauente lege ne in ſomnijs aliquis ad agnum comedendum accederet, & mortem ſibi ſomno compararet. Vndè actum eſt, vt ea ipſa nox, quæ Hebræis & vitam, & libertatem peperit, Ægyptijs mortem attulerit: nam in illa agnum immolare Hebræis præcipitur, & Domini Angelus Ægyptiorum primogenitos interferfecit: *Factum eſt autem, in noctis medio percuſſit Dominus omnem primogenitum in terra Ægypti à primogenito Pharaonis, qui in ſolio eius ſedebat vſque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere.* Exod. 12. verſ. 29. Aſt vndè Ægyptijs tam cruenta ſtrages, tam capitale ſupplicium, & Hebræis tam ſecura quies? Quia dum Hebræi agnum manducaturi inuigilabant: Ægyptij alio ſopore dormiebant (ait Paſchaſius lib. de corp. & ſangu. Dom. cap. 22.) *Comedetis illum feſtinantes, eſt enim phaſe, ideſt tranſitus Domini. Alioquin deſidia torpentes, & hic in ſæculi actibus remorantes non dignè comedunt paſcha, videlicet carnes agni. Et ideò ſatis timendum eſt talibus, ne cum Ægyptijs nocte perimantur, dum ſopore peccati premuntur.* Dum de cœna Euchariſtica agitur, nemo ſomno peccati torpeat, nullos ſopore ſepeliatur, ne morbum lethalem incurrat: nam dormientibus imminet exitium, & ſummo diſcrimini exponitur, qui ſomno in hac menſa corripitur, & ſopitur alto ſocordiæ torpore. Nullus igitur deſidia indormiat, ne Ægyptiorum ſors illi contingat, & ſæcularium cura ſopitus laqueum ſibi, & interitum paret.

2. Cœna facta venit IESVS cum Diſcipulis ſuis ad hortum, & aſſumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, paululum ab eis receſſit, obnixèquè ad Patrem orabat: cumque eos inuiſeret, & ſomno correptos inueniſſet, eorum ſocordiam increpat his verbis: *Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum?* Matth. 26. verſ. 40. Verba omni energia plena: non enim abſolutè conqueritur de illorum ſomno, & inertia, ſed quod cum ipſo non inuigilarent: reprehendit, quod illo inſomne, ſomno corripiantur ipſi. At cur dolet, quod ipſum non comitentur in oratione, & quod ſopore poſſideantur, dum ipſe orat? Fateor conſortium orationis Chriſti multum intereſſe, vt illorum oratio eſſet acceptabilis. Verùm, qui tantùm de ſolitudine orationis angitur, ac ſi ipſorum conſortio indigeret, vt exaudiretur, magnum negotium faceſſit: at ſi attentè inſpiciamus, non pro ſe dolet Chriſtus, ſed pro ipſis, & de ipſorum ſalute ſolicitus, quam ſomno periclitari videbat, illos à ſomno excitare ſatagit: communicauerat enim ſe paulò anteà in cœna Diſcipulis ſuis, nondùm ab eorum pectoribus abierat: & dum adhuc ipſú in pectore habent, eos dormientes vidit, eorum periculoſam ſtultitiam reprehendit. *Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum?* Quaſi dicat: *Mecum* in pectore: & ſomno correpti? Cauete, ne cœna vobis noceat: nam in magno diſcrimine eſt, qui poſt cœnam dormit, & ſomno ſopitur. Vigilate, & orate, ne in tentationem, & mortem intretis. Fortè torpore huiuſmodi ſomno contracto Petrus ipſa nocte Magiſtrum negauit, & vſque ad ſomnum lethalis mortis peruenit. Qui munitus Euchariſtia nullum hoſtem formidabat, immò aduerſus ipſam mortem inſurgebat. *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo*: dum cœna accepta ſomno corripitur, ſic languet, & euigoratur, vt ad vocem ancillæ ſuſurrantis tremat, & ſtomachatus cibo vſque ad mortem ægrotet, & in tentationem viuius mulierculæ voce labatur.

3. Cantic. 5. verſ. 2. commenſalibus aiebat Sponſus: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Cui ſtatim Sponſa, vt dignam ſe præberet tanto conuiuio: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Greg. Niſen. aptiſſimè ad conuiuium in Sacramento Euchariſtiæ exhibitum hæc verba refert, vbi id, quod hic dicitur: *Comedite, & bibite* verſ. 2. exiſtimat idem eſſe cum eo, quod idem Sponſus in inſtitutione huius Sacramenti dixit. *Accipite, & comedite.* Sed præmenda ſunt illa Sponſæ ver-

verba : Ego dormio , & cor meum vigilat. Nam quo pacto dormiente Sponſa, cor eius inuigilat ? Credunt nonnulli apud Ghisler. vigiliam cordis , dum cætera membra quieſcunt , ad imaginatiuam referri, quæ cordis vocabulo ſignificatur , quia earum rerum phantaſias repræſentat in ſomno , quæ in corde ipſo anteà extiterunt. Sed tamen dictum exiſtimo per translationem ad naturalia : quia nemo eſt, qui ſenſibili ſomno dormiat ,& corde non vigilet : omnia enim viuentia dum ſomno dormiunt corporeo eorum corda vigilant , quia iugi motu mouentur , quem ex pulſu, & reſpiratione diſcernimus, & vt Medici aſſerunt, tunc præcipuè vigilat cor ; quia cum ſit quidam fons caloris naturalis , in quo vita ſita eſt , dormiente, animali , & omnibus illius membris quieſcentibus , tunc maximè cor vigilat conferens vniuerſis calorem : quia cum ceteri ſenſus ſua munera relinquant , neceſsè eſt , vt cor ſuppleat eorum defectum . Igitur vt Sponſa nullatenùs ſomno ſopita videatur , dum ad menſam ſacræ cęnæ recumbit , & inuitatur , per translationem ad corporalem ſomnum , corde inuigilare ait , quia ſunt complures ſomno ſpirituali dormientes , quorum nequaquàm corda inuigilant , quia calore charitatis non ſunt prædití , ſed frigiditate peccati languentes . Vndè mortem incurrunt : quia cum ſomnus imago ſit mortis , & tantùm vigilia cordis dormientem à mortuo diſcriminet , deficiente illa , vndequaque mortuus exiſtit , qui abſque calore charitatis , & gratiæ ad hanc menſam accedit , & hoc cęleſti cibo non ad vitam , ſed ad mortem reficitur .

4. Cum Paulus copioſè egiſſet de hoc Sacramento , tandem Corinthios hortatur , vt decenter parati ad ipſum accedant , ne in iudicium , & laqueum incidant diaboli , atque vt eos deterreat , concludit : *Ideò inter vos multi infirmi , & imbecilles , & dormiunt multi*. 1. Corinth. 11. verſ. 12. Quid ſomni metaphora Apoſtolus voluit exprimere , vt ab indebita communicatione corporis , & ſanguinis Domini arceret Corinthios ? Reatum etenim indignæ ſumptionis , qui nihil eſt aliud, niſi mortis ſomnus , qui enim ad hanc cœnam impurus accedit , ſtatim ſomno corripitur lethali , & alto ſopore dormit : vndè infirmitates , & mortes non ſolùm ſpirituales , ſed & corporales etiam oriuntur : ſic Carthuſianus ad hunc locum . *Ideò, ideſt , propter irreuerentem Sacramenti ſumptionem ſunt inter vos multi infirmi corporali languore : & imbecilles , ideſt, penè conſumpti longa inualetudine : & dormiunt multi , ideſt corporaliter moriuntur in pœnam huius culpæ* . Inſomnes igitur ad hanc menſam recumbere expedit , ne ſomno correptis cęna morboſam habitudinem inducat , & ducat ad interitum .

DISCVRSVS XII. MORALIS.

Ad Euchariſtiam nonniſi in gratia accedendum.

1. VEl noxia animalia nos docent , qua puritate Sacrum , vt proſit, communicare debemus ; ſerpens enim , vt è fonte bibat , & ne hauſtus aquæ illi noceat , terra venena priùs deponit . Quam naturalem ſolertiam obſeruauit Ambroſ.ſer.1. poſt Dom. 1. Quadrag. & huiuſmodi exemplo nos vrget ad deponendum peccati toxicum , priuſquam recumbamus ad ſacram Altaris menſam . *Serpens* (inquit) *cum venit ad bibendum aquam priuſquam bibat , extra fontem euomit venenum ſuum , & poſteà bibit : ita & nos quandò ad altare Domini communicaturi accedimus , deponamus venenum peſſimum , hoc eſt inuidiam, odium, &c.& ſic ad altare Domini corpore , & ſanguine eius ſatiemur* . Quod & Chriſtus monebat . Matth. 10. verſ. 16. *Eſtote prudentes , ſicut ſerpentes* . Puritate enim , qua maior excogitari non poſſit , præſtat hunc cibum comedere . Quod optimè ponderauit Auguſt. circa illa verba Diſcipulorum : *Vbi vis paremus tibi comedere paſcha* ? Luc.22. Ad quæ ambigit , cur Chriſtus Dominus ſignatè Petro , & Ioanni præcepiſſet locum parare ad hoc conuiuium celebrandum : non autem alijs ex Diſcipulis ? Sibique ſatisfacit : *Petrum miſit , cui poſteà claues cœli tradidit , & Ioannem , qui interpretatur gratia : nimirum , quia homines ad comedendum hoc Paſcha Petrus Dei clauiger , ideſt confeſſarius, claues cœli habens parat , & Ioannes , ideſt gratia , vita animæ* . Mundo corde, impollutis labijs hoc cœleſte pabulum eſt recipiendum , & niſi gratia habitationem præueniat , nequaquam communicandum .

2. Bis ad Dauid acceſſit Miphiboſeth filius Ionathæ , primòque ab eo ſummo amore ſuſceptus eſt , & inuitatus ad menſam Regis accubuit . *Ne timeas* (ait Dauid) *quia faciens faciam in te miſericordiam propter Ionatham patrem tuum , & reſtituam tibi agros Saulis patris tui , & tu comedes panem in menſa mea ſemper* . 2.Reg.9.verſ.7. Cum verò ad eum ſecundò acceſſit , neque illum affabiliter excepit , neque menſam obtulit , neque hereditatem patris integrè reſtituit , ſiquidem omnia bona ſua cum Siba eius ſeruo diuidere præcipit . *Tu & Siba diuidite poſſeſſionem*.c.19.v.19. Quę cauſa huius mutationis fuit ? Nam quod Siba ſuſurrauerat de conſpiratione , fuiſſe mendacium habebat compertum , & beneficia , quæ à patre acceperat , vrgebant Dauid , vt in filium ſe gratum oſtenderet . Cur ergo non modò non humanè, & vrbanè ſe geſſit ; ſed & bona ab ipſo abſtulit , & neque ad menſam inuitauit , ſicut anteà

anteà fecerat? Auſculta text. v. 24. *Miphiboſet quoque filius Ionathæ deſcendit in occurſum regis illotis pedibus, & intonſa barba, veſteſque ſuas non lauerat à die qua egreſſus fuerat Rex, vſque ad diem reuerſionis eius in pace.* c. 19. Etenim nō erat dignus regali menſa, Principis conuiuio, & Regis amicitia, qui apud eum illotus, & abſoletus apparebat. Si ergo Dauid illotum hominem à ſua menſa arcet, quomodò ad menſam Dei erit admittendus, qui incompoſitus ad ipſam audet accedere? Quidquid enim ſordes terrenas ſapit, & affectibus mundanis polluitur, prorſus ab hoc conuiuio eſt eliminandum. Ad quod optimè ponderauit Gregor. illa verba Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, miſcuit vinum, & poſuit menſam, excidit columnas ſeptem.* Quæ huic conuiuio accommodat Eccleſia, id auertens, quod huius menſæ domus non ſupra ſolidos, & fortiſſimos parietes extruatur, ſed ſupra columnas, nam etſi hæ præſtent ad pulchritudinem; illi tamen ad fortitudinem ſunt præſtantiores. Verùm ædificium ſolidis parietibus conſtructum terræ inſidet, ipſique vndequaque adhæret, & in terra radicatur; domus autem columnis extructa potiùs aeris, aut cœli videtur habitatio, quam terræ, quæ exiguam partem baſibus columnarum præſtat, vt erigatur: domus enim Deum hoſpitans, & excipiens non debet eſſe ædificium terrenum, ſed cęleſte, vix terram tangere ipſi licet: anima hoc ſupremo pabulo ſaginata omnes cogitationes, & deſideria debet habere cœleſtia; nihil terrenum ambiat, nihil curet, ab omnibus ſit abſtracta affectibus, & voluptatibus.

3. Hoc enim vehementer exoptabat Dauid. *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* Pſal. 127. verſ. 3. Cur filios ſicut oliuarum virgulta ad hanc menſam accumbere, & propagari optat; cum ſint aliæ pulchriores, & proceriores plantæ, in quarum fructibus, & incrementis illos potuit figurare? Quia oliuas tradūt rerum naturalium Scriptores (& colligitur ex Hebræo) nullo modo inſertionem alterius arboris admittere, vndè neque prolem, neq; naturam adulterare poſſunt. Sint vtinam (ait Vates Eccleſiæ fauſta prænuntians) filij tui ad ſacram menſam ſedentes, ſicut oliuarum nouellæ, non admittentes alterius cibi ſaporem, neſcientes alterius deſiderij inſertionem: nihil cogitent, nihil concupiſcant præter iſtum cœleſtem cibum, quidquid terrenam voluptatem redolet, à ſe relegent, & expurgent. Addubitant PP. an Sanctiſſima Virgo menſæ adeſſet, vbi Chriſtus in nocte cœnæ ſe in cibum præbuit? Sunt qui negent varijs ducti rationibus, quorum ſententia mihi arridet: noluit enim Chriſtus matrem huius Sacramenti inſtitutioni aſſiſtere, ne in carnis, & ſanguinis conuiuio aliquis carnis, & ſanguinis affectus admitteretur. Nam qui ad hanc menſam inuitatur, omnibus carnis affectibus depoſitis debet accedere; & ne propter cognationem cum matre, & conſanguinitatem eam videretur admittere, ipſam excluſit, ne aliquis carnis affectus intercederet: nihil enim quod terram, & ſanguinem ſapiat, hic eſt admiſcendum; ſed puro corde, & ſpirituali diſpoſitione ſuſcipiendum: nam ſi fas eſt dicere, purior, quam ad gloriam, diſpoſitio ad iſtam menſam exigitur. Vt Chriſtus dominus commenſalibus ſe ipſum Diſcipulis communicaret, præceſſit illa ſolemnis pedum ablutio, qua innuebat, omninò mundos, & extremis ac minimis ſordibus expurgatos debere hunc cibum comedere; at vt ſe ipſum oſtenderet in Thabore glorioſum, & Diſcipulis oſtenderetur, neſcimus quod hæc aut alia præceſſerit præparatio. Enim verò idem ipſe, qui in cœna ſe præbuit conſecratum, in Thabore gloria videbatur indutus. Vt quid igitur non niſi lotis pedibus ad menſam admittit Diſcipulos, & ad Thaboris beatitudinem de ipſorum puritate non ſic apparet ſtudioſus? Fortaſsè quia accuratior diſpoſitio requiritur ad ipſum in Sacramento Altaris communicandum, quam in tota glorię maieſtate intuendum: hoc enim monito, & ad ipſum reuerentem ac debitum apparatum, & noſtram vtilitatem docuit; nam qui aliter ipſum manducat, in ipſo vitæ fonte mortem ebibit, & ſupplicium.

4. Poſtquam exundanti alluuione naufragabat mundus. *Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam è ſublimi à terra.* Geneſ. 7. verſ. 17. eiſdem quippè aquis, quibus arca eleuatur, & collocatur in tuto viuentia in ipſa incluſa, quæ extra arcam remanebant, ſuffocantur: illis aqua vitam attulit; his interitum. Non ſecùs qui Euchariſtiam ſuſcipiunt decenter, ad meliorem vitam, & dona euehuntur ſuprema: aſt qui indignè recipiunt in barathrum detruduntur. Idem cibus vtrumque præſtat effectum. *Quemadmodum* (vt inquit Diu. Grægorius) *eodem igne paleæ fumant, & aurum rutilat.* Haud aliter de nube illa, quæ filios Iſrael ducebat in deſerto (ait text. Exod. 14. verſ. 20.) *Erat tenebroſa, & illuminans noctem.* Nonnè tenebræ, & lux opponūtur? Quomodo ergo potuit eſſe, & tenebroſa, & illuminans? Abulenſ. q. 4. *Erat tenebroſa contrà partem exercitus Ægyptiorum; illuminans verò noctem contrà partem filiorum Iſrael.* Non aliter Euchariſtia bonos illuminat, & incrementat; malos autem excæcat, & interimit: eſt enim ſicut, Sol quo arbores virides, & benè diſpoſitæ mirum in modum vigent; quæ verò indiſpoſitæ ſunt areſcunt, iuxta illud Ariſtotelicum: *Actus actiuorum ſunt in patiente diſpoſitio:* & paremiam Medicorum *Corpora non ſana, quò magis nutris, magis lædis.* Sed ſcire oportet vnumquemque indignum hic ſibi mortem inferre, & ex medelis toxicum confi-

cere,

cere; non ipſius cibi malitia, ſed ſumentis indiſpoſitione: non enim iſte cibus ex ſe mortem infert, cum ſit ipſa vita; indignè ſuſcipiens ſui ipſius venenum eſt, & periclitatur in ſeipſo. At vndè hoc? Quia cum omnes ſimus membra huius corporis myſtici, cuius caput Chriſtus eſt, vt dixit Paulus, omnes illi vnimur, ac ſubindè qui Chriſti corpus in altari ſumit, ſe ipſum manducat myſticè Chriſto vnitum, quod ſi decenter, ſibi prodeſt; verùm ſi impurus comedat cum ipſe corporis, quod ſumit, membrum ſit vlceroſum, & venenatum, ſe ipſum interimit, & mortis toxicum ſibi propinat: non enim Chriſtus mortem indignis infert; ipſi ſe ipſos deglutiendo enſem ad pectus conuertunt, quo vulnerantur.

DISCVRSVS XIII. MORALIS.

Perſidia Iudaica non niſi ignis flagratione punienda.

1. P*Ro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Gloſa Moral. ſupplicium Iudæorum propter ſuam perfidiam in his verbis prędictum agnoſcit. *Hic ponitur*, inquit, *punitio Iudæorum pro morte Chriſti, cum dicitur: Pro iniquitate Iudæorum vidi tentoria Æthiopia, ideſt poteſtatis Romanæ, quæ dicitur Æthiopia, eo quod idololatrijs omnium gentium erat denigrata. Turbabuntur pelles terræ Madian. Ideſt Iudæa, quia Madian interpretatur contentio: Iudęa namque pro Chriſti morte permiſſa eſt à Deo rebellare Romanis, ex qua ſecuta eſt eius deſtructio.* Addendum ipſos Iudæos poſſe dici rectè Æthiopes: nam ad illa verba Cantic. 4. *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalem* ſic habet Chaldæus: *Quandò Iſraelitæ fecerunt vitulum, denigratæ ſunt facies eorum, ſicut Æthiopes, qui habitant in Cedar; & quando egerunt pœnitentiam, & dimiſſum eis fuit peccatum, multiplicatus eſt ſplendor gloriæ vultus eorum, ſicut vultus Angelorum.* At cur pelles Madian vocantur? Nonnè quia tentoria ex pellibus extruebant? Sic ferè omnes. Sed ne nuda ſit repetitio, ſcito ex pellibus armatos Æthiopes, prodi apud Herod. lib. 7. quin pelles genij militares ſunt, in quibus qui militiæ inaugurantur, dormire dicuntur iuxta illud Claud. 1. *Quoties ſub pellibus egit Ædonas hyemes.* Multum enim Marti fuerunt dediti Madianitæ, ideòque forſan pelles Madian dicuntur: pellitos ergo Madianitas dicas ob belli ſtudium, aſperumque vitæ genus, ſicut *Pellitum Principem* dixit Sidonius in panegyrico, & Gothi pelliti dicuntur. Pro pellibus *cortinæ* ſolet legi: forſan, quoniam qui in pellibus dormiunt, nullo ædificio contecti, ſub cortina, ideſt aere, non inuenuſtè poteſt dici dormire. Verùm cortina hic velum eſt, auleumque ex pellibus non idioticè dixerim, vt ſcias quam venuſtè per pelles, & cortinas Madian Iudæi vſurpentur, qui ſub ouina pelle intus ſunt lupi, & ſub cortina Chriſti intus Moyſes adoratur: hos ergo quondam in bello acres viros pellitos ſic horrore perculit Deus, vt penè conſtrictos tradiderit, & vrbem illam celeberrimam ac munitiſſimam, quæ nullo robore expugnari poſſe videbatur, ſic diruit, quomodò diſſipata ſunt caſtra Æthiopiæ, & tentoria terræ Madian, lucernarum quippè ſplendore, lagenis confractis, & exploſis, innuens Vates noſter hac pœna Iudæorum perfidiam ob iniquitatem Chriſti crucifixi eſſe puniendam, expurgandamque flammis Eccleſiam. Rectè D. Ambroſ. ad cap. 9. Luc. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Meritò ergo foueas habent quia domum, quam habuerunt perdiderunt. Hoc animal (nempè vulpes) neque manſueſcit vnquam, & ideo Samſon Iudic. 15. vulpium caudis faces ligari iuſſit, ſignificans debitum hæreticorum finem eſſe incendium.*

2. Conuentione facta cum Principibus Sacerdotum acceſſit Iudas ad hortum, vt Magiſtrum traderet in manus Iudæorum. *Cum accepiſſet cohortem, & à pontificibus, & Phariſæis miniſtros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.* Ioan. 18. verſ. 3. Cur ad comprehendendum Dominum cum laternis, & facibus veniunt? Præſtaret enim latentèr accedere ne ipſos præſentirent, & aufugerent. D. Cyrillus Alexand. lib. 11. cap. 32. faces, & laternas adductas exiſtimat; *Ne in via in lapides impingerent, aut in foueam caderent.* Addit Toletus, vt in via non aberrarent, etſi fortè, quem quærebant, latere in obſcuritate vellet, inuenirent. D. Ambr. ad pſ. 37. ad Iudęorum pœnam infligendam verba flectit. *Facibus mortuorum cadauera ardere conſueuerunt; ſibi ergo Iudæi iam inferebant incendia, qui ſalutis perſequebantur auctorem.* Illa enim lucernarũ adductio prophetia fuit flammarum, quibus poſtea Infidelitas Iudęorum erat plectenda: vlceroſa enim corporis pars igne eſt medenda, vt reliqua membra innoxia viuant.

3. Deſcribitur 3. Reg. cap. 18. deſcenſus ignis de cœlo ad declarationem Diuinę veritatis, & falſitatis idololatriæ, vt ſic populus Iſrael ad Deum conuerteretur, & beneficium pluuiæ, qua maximè indigebat, obtineret. Sed notatione dignum eſt, quod in illo euentu egit Elias: nam poſtquam pſeudo prophetę non potuerunt facere, vt ignis deſcenderet, aſcendere fecit Elias, & accedente ad ſe populo. *Curauit* (inquit textus) *altare Domini, quod deſtructum fuerat, & tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob, & ędificauit de lapidibus altare in nomine Domini.* 3. Reg. 18. v. 30. Altare illud (vt tenet Lyra, & Abulenſ.) fuit, quod fecerat Saul in monte Carmelo, quando veniebat de terra Amalech capta pręda, in quò victimas immolauit, vt

con-

conſtat 1. Reg. cap. 15. Quod quidem altare mandato Iezabel fuit deſtructum, eo quod pro ſacrificijs Domini erat conſecratum, & ipſa ceremonias Dei veri habebat exoſas, atque ceremonias Baal diligebat, cui prophetę falſi iugiter immolabant. Verùm nulla verborum proprietate altare dicitur reſtitutum: nam quid curationis ars cum conſtructione, vt dicatur, quod curauit altare? Caiet. ad rem noſtrã optimè vocis energiam expendit. *Curauit altare Domini, hoc eſt, inſtar curantis Medici reparauit altare ſummi Dei, quod ibi erat dirutũ.* Sicut ergo medicus ſanat infirmũ putridum ſanguinem effundendo, vel carnem vlceratam cauterio ſecãdo: ſic Eccleſia curare debet altare Dei, medio igne, infidelium venenum extinguendo, vt Quęſitores faciunt, vt totum Eccleſię corpus curetur, & perfida nequitia abſumatur: haud aliter enim morbi contagioſi ſanantur.

4. Iſraelitis à Madian oppreſſis Gedeon multis ſignis auxilio deſignatur, & inter alia, vellere in area poſito, ad ipſum omnis ros acceſſit, aridaque terra apparuit iuxta id quod petierat. *Dixitque rurſus ad Dominum: Ne iraſcatur furor tuus contrà me, ſi adhuc ſemel tentauero ſignum quærens in vellere. Oro vt ſolùm vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens.* Iudic. 6. Multa congerunt Interpretes, vt, quę ſub hac vmbra delitеſcunt, myſteria detegant D. Irenęus lib. 3. cap. 9. vult per velleris ſiccitatem, quam denique poſtulauit Gedeon, prętendi futuram Iudęorum ariditatem ob quam fidei rore deſtituti flammis tradendi erant, & comburendi. *Quapropter* (ait) *neceſſarius nobis eſt ros fidei, vt non comburamur, neque infructuosè afficiamur.* Iudęis quidem dum fidei ros inerat, & cœleſtis doctrinę ſuccus, flamma parcebat, vt pueris Babylonicis, quibus Angelus Domini fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem Daniel. 3. vt rubo illi, per quem ſpinoſi Iudęi ſignificabantur (Exod. 3.) qui ardebat, non tamen comburebatur, quia fidei rore virebat. Nunc verò illo carentes rore, quid mirùm, ſi flamma comburat: atque ideò eos Chriſtus Dominus aridum vocat lignum, aptiſſimam flammę nutriendę materiam. *Si in viridi ligno hęc fiunt, in arido quid fiet.* Luc. 23. vbi Titus Breſten. *Quid ergo aliud reſtat, quam vt vos tamquam aridum, & inutile lignum comburãt.* Vndè iratus Dominus hac Iudęorũ peruicacia minatur ipſis tanquã inutilem materiam, & flammis dignam à ſe reijcere: *Sic conteram populum iſtum, & ciuitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli, quod non poteſt vltra inſtaurari.* Ier. 19. verſ. 11. Quod Iudęis accidit: nam dum per pœnitentiam redibant ad Dominum, quaſi argilla Diuinis manibus tractabantur, & refingebantur ſtatim in priſtinam gloriam: vbi verò à Deo, & Chriſto eius receſſerunt, penitùs confracti ſunt, ſicut vaſa fictilia, & ſine honore, quia ornamentum ſuum amiſerunt. Quod innuit Propheta, nam *Cortinæ*, quas pro pellibus aliqui legunt, vaſa ſunt, in quibus coquuntur pigmenta. Vndè fortaſsè cortina accipitur pro tripode Appollinis, vt Æneid. 3. tripus autem vas erat, vt conſtat Giſanio in collectau. ad Lucretium. Hinc apparet, quare cortinæ pro tentorijs, ſeu pellibus ponantur: verbum enim græcum, quod tentorium ſignificat, aliquando pro vaſe accipitur, ſi fidas Budæo, qui Polibij verba ſic vertit: *Tentoria ſoluunt, ſeu vaſa ſoluunt:* Confringenda ergo hæc vaſa ſunt, hæ cortinæ à fide aperiendæ, detegendæ, harum vulpium pelles, & ſicut fecit Samſon facibus comburendæ, & omninò exterminandæ.

5. Hanc Iudæorum reprobationem pulchrè annotauit Euſeb. Emiſenus. hom. 3. de Paſchate, vbi expendit quomodò duplicem portionem manna Iudæi ſexta die colligebant eo quod ſeptima, ideſt Sabatho, nihil ipſius manna colligerent. *Sex diebus colligite, in die autem ſeptima Sabbathum eſt Domino: idcirco non inuenietur.* Exod. 16. verſ. 26. Meritò Sabbathum, ad quod ſinagogæ ritus, & cultus pertinebant, caret hoc vitali cibo, in cuius figura non colligebatur Sabbatho manna, vt ex tunc Iudæorum mors, & reprobatio oſtenderetur, nullamque ex antiquis legibus ab aduentu Chriſti fore remanſuram, & ſynagogam funditùs fore euertendam.

6. Ad ſummum Thaboris verticem cum Apoſtolorum Summatibus Chriſtus aſcendit, ibique transfiguratur, empyria animæ gloria vbertim in corpus exundante: inflammantur Diſcipulorum animi, & delibutus Petrus tantæ felicitatis gaudio dicebat ad IESVM: *Domine bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Elię vnum.* Matth. 17. verſ. 4. ſed nondum ſermonem finierat, cum gloria, qua omnes erant perfuſi, diſparuit, & ab eorum oculis ſe ſubduxit. *Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Verſ. 5. ignorantiæ nota mulctatur Petrus, & vbi beatæ viſionis durationem gliſcit, illicò euanuit. Neſcio cuius criminis Petrus pœnas luat, nam gloriæ cupiditas generoſi affectus erat argumentum, Moyſis, & Eliæ habere conſortium in oſtenſa felicitate, feruentis charitatis erat incendium. At illius (inquam) illius culpæ pœnam experitur, quod Moyſi tabernaculum voluerit ædificare, agebatur enim in monte de triumphali gloria, ad quam Chriſtus captiuos homines erat adducturus, de abrogandis Moſaicæ legis ritibus. & pręceptis, & Euangelij lege ſtabilienda: & vbi Chriſtus ſynagogam euertere venerat, Petrus ipſam, quæ domus eſt Moyſis ędificare procurat, Moyſis tabernaculum vult inſtaurari *Moyſi vnum:* meritò ergo adhuc de tabernaculo Moyſi ędificando loquente gloria euaneſcit, & obnubilatur, ipſeque Petrus, & glorię exors, & ignorantiæ conſors inuenitur:

quia

quia poſt Chriſti aduentum, per Moyſis legem neque ad gloriam, neque ad veritatem, & ſapientiam itur: nec vlteriùs curandum erat de ſynagoga, ſed penitùs, & illa, & illlius ſequaces euertenda.

DISCVRSVS XIV. MORALIS.

Iudaica perfidia mortem deuorat.

1. QVi à vita perfidè diſcedit, mortem inuenire opus eſt. Quid procacitas Auctorem vitæ interficiens potuit niſi mortem acquirere? Poſt ingentem illam, & generalem alluuionem, quæ mundum naufragare fecit, Noe poſteritati, & futuræ propagationi in arca reſeruatus coruum per feneſtram, & columbam emiſit, vt imminutionis aquarum ſignum aliquod referrent. Columba autem ſecundò egrediens ramum portauit oliuæ virentibus folijs: at coruus non vltra ad arcam reuertitur. Mirabitur quiſpiam vtriuſque oppoſitam naturam. Si columba nunciare iam terram diſcoopertam redit: cur coruus infidelis, ac ingratus hoſpes ad arcam non reuertitur, vt quæ ipſum recepit hoſpitio, libera à naufragio ipſius nunciatura exultet? Credit Rupert. corvum extra aquam fuiſſe remoratum: quia cum cadauera aquis ſupernatantia inueniſſet, quibus paſcererur, illis inſidens, & inhians arcæ fuit oblitus, & quam redemptricem vitæ habuerat, cadauero ſo pabulo commutauit. Coruus ille Iudæorum figurabat naturam, genium, & miſeram conditionem, quia cadaueribus alitur infidus ille populus, & nihil aliud deuorat niſi mortem: nam dum mortuæ legi Moſaicæ adhæret, illamque obſeruat, cadauero ſo vtitur pabulo, & mortem deglutit in ſua cæcitate obſtinatus, atque dum ad Eccleſiam, quæ arca viuifica eſt, reuertere abnuit, mortuis lege, & cæremonijs alitur, interitumque ſibi parat. Igitur dum Iudæorum populus legibus, & cæremonijs antiquis atque iam emortuis cibatur, non ſolùm exulat ab Eccleſia, ſed mortem quaſi coruus deuorat, & de morticinijs ſacrificijs victitat.

2. Inuehitur Deus (Ieremiæ 7. verſ. 11.) in perfidam Hebræorum gentem, & præcipuè in Sacerdotes, qui dogmata falſa docebant, & templum prophanis polluebant cultibus. *Num quid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua innocatum eſt nomen meum in oculis veſtris?* Rectè illos latrones nuncupat: quia non per fidem Chriſti, qui oſtium eſt, ſed aliundè intrant ouile. Chryſoſtom. hom. 13. in Marc. appoſitiſſimè legit: *Nunquid ſpelunca hyenæ facta eſt domus mea?* At cur ad hyenæ foueam domum ſuam refert, quam prophanis ritibus, & infido cultu polluebant Hebræi? Haùd aliter quam hyena, qui falſos Iudæorum errores ſequuntur, non pabulantur niſi mortem: nam præterquamquod noxia ſicut hyena ſunt animalia, & quæ plurimùm nocenr, cadauera pro cibo habent, mortis exubijs ſaturantur, quia emortuam legem, & cadauero ſas cæremonias ſectantur, quidquid deuorant tanquam carniuora animalia, lethale, & mortiferum eſt. Ideò eos Baptiſta Ioannes apud Matth. cap. 3. verſ. 7. viperis comparauit. *Progenies viperarum, quis demonſtrauit vos fugere à ventura ira?* Quid vipereum in Iudæis denotauit, vt eos viperarum caſtigaret conuitio? Profectò hęc verba ptotulit poſt illa Euangeliſtæ *Videns autem multos Phariſæorum venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum &c.* Baptiſmus ille quædam erat vmbra, & præludium erga Chriſti baptiſmum, in quo à Deo quaſi maritato cum aquis noua proles erupit. Ergo ad baptiſmum accedentes, vt ingratitudinis venenum effunderent, viperarum progeniem Baptiſta nuncupat, quippè qui maternum ſinum diſciſſuri erant, filiumque patris crucifigentes Diuinum Patrem conatibus ſacrilegis laceraturi. Non editur, niſi morte, in vitam vipera: ideòque ipſi Iudæi comparantur, vt ſcias peruicaciam, & infidelitatem Iudæorum ſecum portare mortem, & ex veteris legis obſeruatione uonniſi interitū ſibi parare.

3. Narrat Euang. Lucas cap. 7. verſ. 2. cuiuſdam Centurionis ſerui miraculoſam ſalutem, quam Chriſtus ipſi contulit iam morituro: *Centurionis autem cuiuſdam ſeruus malè habens erat moriturus &c.* Et primis quidem nuntijs auditis non eum ſtatim ſanauit; cum verò ſecundos legatos miſit, & indignum ſe confitetur, quod Chriſtus ſuam ingrederetur domum, ſtatim ægrotum à morte liberat: quem euentum ſic narrat Euangeliſta verſ. 3. *Miſit ad eum ſeniores Iudæorum rogans, vt veniret, & ſaluaret ſeruum eius: at illi cum veniſſent ad IESVM, rogabant eum ſolicitè dicentes ei: quia dignus eſt, vt hoc illi præſtes, diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis.* Quibus auditis nihil Chriſtus reſpondit neque de ſalute futura ſpem dedit. Centurio autem in fide perſeuerans ſecundò miſit amicos, qui eius nomine dicerent ad IESVM: *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum propter quod, & me ipſum non ſum dignus arbitratus, vt venirem ad te: ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus.* verſ. 7. Quo audito miratus valdè IESVS ſequentibus ſe turbis dixit; Amen dico vobis, nec in Iſrael tantam fidem inueni. *Et reuerſi, qui miſſi fuerant, domum, inuenerunt, ſeruum, qui languerat, ſanum.* verſ. 10. Ponderatione dignum eſt, quod primis auditis nuntijs, neque reſpondeat Chriſtus, neque ad miraculum moueatur, & ſtatim ac ſecundos audiuit, ſeruum à morte iam imminente liberet, & ſanitati reſtituat. Quid in prima ſupplicatione diſplicuit, vt ſic tacuerit, quid gratum habuit in ſecunda, vt tam pręceps duceretur ad miraculum? Eadem enim Centurionis fides in vtroque euentu miraculum exigebat. Cur igitur primis precibus non mouetur, qui tam pronus

eſt ad miſerendum, nec optata ſolet differre? Opinor, quia primi nuntij meritum Centurionis extollebant, eo quod ſynagogam ædificauerit ipſis: *Et ſynagogam ipſe ædificauit nobis.* Synagogæ conſtructio Chriſto iam in carne exiſtenti placere non potuit, neque ad mortis ſerui liberationem inducere: cum potiùs poſt Chriſti aduentum ſynagogæ ædificatio ad mortem, & interitum illius ducat ſequaces. At in ſecunda ſupplicatione fides Centurionis quam de Chriſto habebat, in eo reſplenduit, quod ſuam domum ad ipſius hoſpitium iudicauit indignam, ideòque illam Chriſtus exaltauit: *Non inueni tantam fidem in Iſrael*. verſ. 10. Quia altè credidit Centurio, Chriſtum nouam domum ædificare aduenisſe, nempè Eccleſiam, extra quam Chriſtus in nullam aliam introiret, præſertim in immunda ritibus, & cæremonijs veteris legis, quæ ſuo aduentu erat euerſa. Ideòque dum primi nuntij ſynagogam Centurionem ædificaſſe aiunt, vt ex hoc meritò ſeruus eius eriperetur à morte, non exaudiuntur: quia quod putabant meritum ad vitam, erat iter ad mortem: ſiquidem qui ſynagogam ædificant, mortem ſibi parant, cum nihil ibi præter cadauera legis antiquę adſit.

7. Cum Chriſtus Dominus de vno ad alterum tribunal duceretur, inſtabat Paſchę ſolemnitas, in qua reum vnum dimittere mos erat Hebręis. Quare Pilatus Barrabbam inſignem latronem atque homicidam, & Chriſtum mira ſanctitate nitentem illis propoſuit, vt quem voluiſſent, eligerent dimittendum. Præferunt innocentiæ IESV Barrabbæ iniquitatem, & hunc dimitti inclamant: *Non hunc, ſed Barrabbam*, Ioann. 18. verſ. 40. Innocentem damnant, ſoluunt nocentem, & crimina criminibus aggrauant: de quo valde miratur Chryſoſt. ſerm. 3. de paſſione. Cur (quærit) optio, quæ Iudæis datur, ad Chriſtum, & Barrabbam tantummodò reducitur, cum veriſimile ſit, in carceribus ingentis Metropolis plurimos aliorum criminum reos reperiri? Cur non alius, ſed latro, & homicida cum Chriſto proponitur, idque à Pilato, qui Chriſtum liberare ſatagebat? Sed hoc non caſu accidit, ſed diuina ordinatione, vt dum Iudæi Chriſtum, qui vita erat, ad mortem damnant, & Barrabbam homicidam, & reum mortis abſoluunt, ipſi rei mortis remaneant, cum Barrabæ homicidia ſua faciant: nam, qui reum morte dignum à morte liberat, reus mortis efficitur, & ad ſe homicidia impunita transfert: ſic dum perfidia Iudaica Chriſtum condemnat & Barrabam abſoluit, ſibi parat interitum debitum tantis flagitijs. Barrabbam Iudæi eligunt, & abſoluunt, dum Chriſtum inſimulant, & condemnant, vt homicidia Barrabbæ ad ſe transferant, quæ non niſi morte mulctantur, & dum à vita diſcedunt, mortem denotare propria manu cogantur.

DISCVRSVS XV. MORALIS.

Nullum non vile agit ambitio.

1. DIuus Hieronym. ad prædicta Vatis noſtri verba: *Pro iniquitate vidi tentoria Æthyopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian*. Iniquitatem omne genus dignitatis aut diuitiarum intelligit, quod negotiatione mundi acquiritur: per Æthyopiam, autem cum omnibus eius habitatoribus cæcos homines, qui cœli luce carent quos ambitio, & cupiditas terrenarum rerum ſeruos, & captiuos faciunt. Quaſi dicat Propheta: Quot homines in mundo video, qui propter propriam excellentiam, ambitioſum faſtum, & inanem gloriam id faciunt, quod ſerui, & mancipia non efficerent: accipe Hieronym. in expoſitione huius loci. *Æthyopes tetri, & amantes tenebras, & ab omni luce alieni, qui draconis carne veſcuntur, de quo ſcriptum eſt Pſalm. 73. Dediſti eum eſcam populis Æthyopum, dæmones intelliguntur, quorum ſit tabernaculum quicumque in hoc ſæculo propter honores, & diuitias laborauerit. Quod ſignificanter ſub vno verbo iniquitatis oſtenditur: omnis diues, aut iniquus, aut heres iniqui eſt. Vide homines maria tranſire, ante potentum excubare fores, pati omnia, quæ ſeruorum conditio vix patitur, vt diuitias congregent, vt aliquam accipiant dignitatem*. Ecce tibi quam æſtuat homo hoc principandi fomite, quam vehementer ſtimulis pungitur ambitionis, quod, vt conſcendat ad honorem ſublimitatis, omnia ſeruitutis genera, & abiectionum moleſtiam ſubit, vt dignus honore, & munere, quod prætendit, videatur. Adeò ad honorem in nobis inhiat ignitus ambitionis igniculus, vt nihil indecorum refugiat, vt ad omnia ſeruitutis obſequia inflectatur.

2. Conſecrato in ſummum Sacerdotem Eleazaro moritur Aaron pater ipſius, ad cuius mortem Deus filium aſſiſtere præcipit. *Tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor: cumque nudaueris patrem veſte ſua, indues ea Eleazarum filium eius: Aaron colligetur, & morietur ibi*. Num. 20. verſ. 25. Quærunt Interpretes, cur Deus præceperit Eleazarum parentis morti adeſſe? Et Lyra ad conſolationem morientis mandatum refert, vt deceſſurus pater filium conſpiceret ſui honoris hæredem. *Vt antequam moriatur, videat filium ſuum ſui honoris ſucceſſorem*. Sed magis placet Auguſtini ſententia, qui vt pia officia in patris funere exerceret, autumat Eleazarum adeſſe. *Hoc factum fuit, vt Pontifex nouus præberet officium ſepulturæ defuncti*. Quod non improbat Lyra, & addit hoc Eleazaro ſpecialiter fuiſse conceſſum, quod ſepeliret patrem ſuum, propter excellentiam Aaronis: ſoluitque obiectum ex Leuit. 21. vbi prohibetur ſummo Sacer-

Sacer-

Sacerdoti aliquem ſepelire:quia ibi etiam prohibetur ſepulturæ præſentialiter adeſſe, & tamen oportet concedere, quod Eleazarus præſens fuit in morte patris, tam ex textu, quam ex omnium Expoſitorum tam Hebræorum, quam Catholicorum ſententia. Sed iam exurgit difficultas. Cur Moyſes non ſepeliuit fratrem, in quo nulla erat prohibitio, vel ſi propter authoritatem huiuſmodi munus non exercebat, quia vile reputabatur, aliquem è populo ad ſepeliendum Pontificem non adducebat, ne ſummus Sacerdos illa indignitate dehoneſtaretur? Cur officium, quod recuſat, quia dedecus, & ignominiam afferebat, ſummo Sacerdoti commendat? Nodum qui attingeret, vidi neminem: ſed, vt reor, ea fuit ratio, quoniam Eleazarus in dignitate patris erat præficiendus, non Moyſes, neque vllus alius de populo. *Indues ea Eleazarum filium eius*. Nullum ergo adeo demiſſum, & vile officium ingratum ei exiſtimatur, qui ſtimulatus ambitione alterius locum, & dignitatem geſtit occupare. Sepeliat ergo Eleazarus patrem, ſi eius dignitatem ambit: hoc enim non erit ipſi indecorum,dummodò ad optatam ſublimitatem pertingat.Rectè enim dixit Philo, lib. de Ioſeph ambitioſum in Ioſeph delineatum fuiſſe, quia vt ad apicem imperij in Ægipto deueniſſet, prius neceſſe fuit, vt venundaretur ſeruus, & captiuus, quoniam per hæc abiecta, & ignobilia ſemper ad dignitatem huius ſæculi itur.

3. Dauid, vt ambitionis indecorum conatum reprehendat, Pſal.109.v.4. aiebat: *Effuſa eſt contentio*, vel (vt alij legunt) *contemptio ſuper Principes*: aut (vt vult Auguſt.) *effuſus eſt contemptus ſuper Principes*. Quaſi idem ſit de dignitate, & principatu contendere, & ad contemptum, & indecora officia deſcendere: nam rationem reddens Auguſt. cur Dauid dixerit, mundi contemptiores ſubliniores eſſe, ait: *Quia Principes eſſe voluerunt, ideo contempti ſunt*. Qui ad dignitatem conſcendere volunt, contemptiores ſunt, & quos flocci pendunt alij, apud quos dignitatem viliter, & indecorè prætendunt. Pulchrè ponderauit Caietan.verba illa 1.ad Corinth.cap.13.*Charitas non eſt ambitioſa, quid eſt* (inquit) *charitas non eſt ambitioſa?* Sibique ſatisfacit. *Non agit inhoneſtè, ſeu turpè: erubeſcentiæ omnis materiam excludit charitas, dum tam quoad opus, quod facit, quam quoad modum agendi nunquam agit, vndè tunc, vel poſteà erubeſcat: erubeſcimus enim de turpibus, de inhoneſtè, aut indecorè geſtis*. Ecce acutiſſimus Doctor charitatem non eſſe ambitioſam pro eodem reputat, ac non inhoneſtè, & turpiter agere: quaſi idem ſit ambitioſum eſſe, ac turpiter, & indecorè agere. Grauiter hoc deplorat Diu. Cyprianus ſerm. de ieiunio, & tentatione, & vehementer dolet, quantum hoc vitium ſerpat in Eccleſia, ad illa verba dæmonis adorationem Chriſto Domino ſuggerentis. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*. *Malum hoc* (inquit) *in vniuerſa Eccleſia vagatur, & communis peſtilentia innumerabiles occupat, vt pro gloria huius mundi,qui liberi erant,ſe vendent in ſeruos,& per vitia deputentur, obligati pacto chyrographum ſubiectionis conſeribant diabolo*, nec aliter Sene.lib.2.de ira ſentit: *Ambitio,quæ te ad dignitatem: niſi per indigna non ducit*.

4. Non ſolùm ſe pro huiuſmodi dominandi ambitione, ſed velut Æthiopes filios (nolim filias, & vxores) vendunt. Memoria dignum eſt id, quod refert ſacer textus Ioſue 6. verſ.26. nam cum dux ex præcepto Dei ciuitatem Iericho ſuccenderet, & omnia quę in ipſa erant, ſic imprecatus eſt: *Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitauerit, & ædificauerit ciuitatem Iericho. In primogenito ſuo fundamenta illius iaciat, & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius*. Non potuit tamen hæc maledictio efficere, vt ab hoc opere homines deſiſterent, ſiquidem 3.Reg.13. verſ.34. legitur: *In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel Iericho: in Abiram primitiuo ſuo fundauit eam, & in Segub nouiſſimo ſuo poſuit portas eius, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Ioſue filij Nun*. Si mortui erant omnes filij Hiel, primogenitus Abiran, quando cępit ędificare, & omnes alij, dum continuaretur ędificium, vltimus verò Segub mortuus eſt completa ciuitate, quando ponebantur portæ, admiratione dignum eſt, quod ille homo non ceſſauerit ædificare Iericho propter mortem primogeniti, vel ſaltem aliorum filiorum. Licet certò ſciret Hiel, ex rędificatione Iericho mortem primogeniti certò fuiſſe futuram, dominationis ambitus vitæ filiorum fuit prępoſitus: ambitioſi enim vt ſua deſideria adimpleant, filios vendere non recuſant, quod vitium Æthiopibus cõmune eſt: ad quam enim, etſi miſera ſit, non redigentur ſeruitutem, qui dignitatem ſuſpirant, quandoquidem ex filijs mancipia faciunt. Sed viles hi ambitioſi non ſolùm filios, verùm etiam Deum ipſum pro dominatione vendere non verentur. Hinc enim ſtatim, ac Chriſtus Dominus dixit? *Vnus veſtrum me traditurus eſt*. Luc. 22. quęſtio fuit orta inter Diſcipulos, quis eorum videretur eſſe maior: quia ex ambitione maioritatis proditorem agnoſcere certò auſpicabantur, vt acutè obſeruauit Auguſtin.ſerm.29. ad fratres in eremo. *Quis eorum videretur eſſe maior? Sed quare hoc? Niſi quia arbitrati ſunt, quod homo ille qui maior eſt, vt dominari poſſit, Magiſtrum prodere procurat*. Quaſi proditio ambitionis eſſet ſequela, quia nihil non vile, & indignum agere ſolet. Hinc D.Bernardus ſup. Pſal. *Qui habitat* adnotauit, tertiam tentationem, quia dæmon Chriſtum Dominum aggreſſus eſt, *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*. Matth.4 fuiſſe ambitionem, additque, *Vide, quod ambitionis via adoratio diaboli eſt*. Idem eſt ambire, ac cultum diabolo præſtare, omne vile, & ignominioſum agere.

Verſ.8. Nunquid in fluminibus iratus eſt Domine? Aut in fluminibus furor tuus? Vel in mari indignatio tua? Qui aſcendes ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio.

Verſ.9. Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, iuramenta tribubus, quæ locutus es: Fluuios ſcindes terræ.

Verſ.10. Viderunt te, & doluerunt montes: gurges aquarum tranſijt. Dedit abyſſus vocem ſuam: altitudo manus ſuas leuauit.

ANNOTATIO VII.

Expoſitio Littera.

1. PRoſequitur populus mirabilibus Dei exultans, & videns Iordanem diuiſum, & ſiccam viam exhibentem, videns etiam mare rubrum duodecim ſemitis apertum, clamat præ lætitia dicens. *Nunquid in fluminibus iratus es Domine? &c.* Quaſi diceret: Quandò, ò Domine, ſiccaſti Iordanem, & prius mare rubrum, ità vt ſicco veſtigio per apertum mare egrederetur populus ex Ægypto, & per diuiſum Iordanem in terram promiſſionis ingrederetur? An nè, Domine, id feciſti, eo quod aliquando flumina ipſa, vel mare te iniuria aliqua laceſſiſſent? Offenſuſnè ab illis, & ob aliquam culpam illis infenſus tam eis magna inferebas ſupplicia? Certè, Domine, nullum tibi fuerat cum aquis ipſis negotium, quia à ſuæ conditionis exordio obſequentiſſimè tibi paruerunt. Verùm ſuſcitans atque renouans, implenſque iuramenta, & promiſſa Patribus noſtris, & eorum poſteritati depacta, execerbas potentiam tuam, & arcum tuum denudabas, aſcendebas quadrigas, & equos tuos: ideſt omnigenis atque fortiſſimis pugnæ inſtrumentis validiſſimè decertabas, non vtique aliam ob cauſam, quam vt populo tuo fieres ſaluatio, & vt firma rataque fieret facta ad Patres de hæreditate promiſſio.

2. *Qui aſcendes ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio.* Ideò illi Propheta tribuit equos, atque quadrigas, quia dicitur ſaluatio, quia ſalutem, atque incolumitatem, & glorioſam victoriam attulit ijs, quorum cauſa prælibatur. Dicitur autem equos aſcendere, & inſidere quadrigis, non quia his indigeat, aut vtatur Deus; ſed quia non aliter commodè explicari poterat. Imperatoris, aut ſtrenui ducis allegoria. Dicuntur autem nubes equi, & quadrigę Dei; vnde cum dimicaturus, & debellaturus Ægyptios ingreſſus eſt, aſcendiſſe dicitur ſuper nubem leuem Iſaiæ 19. & Pſalm.104. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum.*

3. *Fluuios ſcindes terræ, viderunt te, & doluerunt montes, &c.* Hac ſanè ratione non aquarum odio fluuios terræ ſcidiſti, & velut iratus, & indignabundus eos deſiccaſti, ſenſerunt: quippè fluuij pręſentiam tuam, vidit Iordanis arcam teſtamenti, ac fœderis tui cum filijs Iſrael, in qua velut in ſolio quodam regio, vel curru triumphali vehebaris. Mox vt Sacerdotes, qui illam portabant, alueum eius ingreſſi ſunt, quaſi tremebundus, ac dolens ob increpationem tuam, partim in excelſos velut montes, & cumulos aquarum intumuit, dum in arcam tuam, & in populum tuum tranſmean-

meantem incurrere veretur: partim verò præcipiti fuga, ingentique fragore decurrens, quaſi locum cederet Iſraeli, in ſalſiſſimum mare defluxit. Inferior etenim aquarum abyſſus, profundiſſimique vndarum gurgites magno clamore, & ſtrepitu in mare ſolitudinis ſe dederunt pręcipites: altior verò, ſuperiorque fluuij pars vndarum decurſus coercuit, longaſque illas, & extentas fluctuum manus, & brachia, quibus ripas, & antra attrectabat, ac veluti complectebatur, tunc intumeſcentes etiam, & exundantes in cœlum tanquam Deo ſupplices extulit, & venerabunda leuauit. Hęc ipſa, vt placet Gueuarę, eſt Vatis noſtri in hoc loco ſententia.

4. Notandum autem, quod hic ſecundò ponitur *Semper*, quę vox in Hebręo dicitur *Sela*: cuius ſignificatio diù torſit magnorum Interpretum ingenia, vt ſupra diximus; neque quid in pręſenti dicamus, aliquid certum habemus: probabile tamen videtur, quod *Amen*, ſeu *Fiat* ſignificet. Solùm reperitur in Pſalmis, & in hoc Cantico: & quidam nihil putant addere ad orationis ſenſum; ſed tantùm ſignum propoſitum Cantoribus, vt vel eo loco mutent numeros muſicos, contendant: remittant, aut intermittant vocem; vel denique vt aliquid adhibeatur à continuata modulatione diuerſum: quod mutationem ſententiæ denotat, & ſatis in Cantico magnam eſſe mutationem indicatur: præceſſerunt etenim hactenùs triſtia; nunc lætiora ſuccedunt, illa videlicet, quæ ad Chaldæorum interitum, & populi libertatem ſpectant. Iam ergo hic aperitur ſecunda pars Cantici: vbi enim iam actum eſt de illorum ſupplicio, qui violentia, aut fraude inopes, & iuſtos oppreſſerunt, quos Chaldæi, agente Domino, aut confixerunt ferro, aut Babylonem abegere captiuos; agere aggreditur de Chaldæorum interitu; ex quo etiam pandit captiuorum libertatem: de Chaldæorum namque barbara crudelitate conqueſtus fuerat ante Propheta, & illius dolorem, propoſito Chaldæorum interitu, conſolatus eſt Deus. Orat igitur, vt aſſumat arcum, quem in Iſraelitici nominis hoſtes olim tetenderat, quem iamdudum abieciſſe videbatur, & impleat illa, quæ populo iuramento promiſit: promiſit autem Deus tribubus terram, ex qua depulſæ fuerunt à Babylonis.

5. *Fluios ſcindes terræ*. Gueuara per ablatiuum vertit fluuios ſcindes terra, vt ſit ſenſus: ita fluuios ſcidiſti, & diſſiccaſti, vt vbi antea erat aqua, terra appareret arida, & in medio fluminis via ſine impedimento, vt dicitur Pſalm. 18. Alioquin enim ait, & is fluuios ſcindere dicitur, qui vada, vel nauigio, amnem traijcit, aut alio quouis modo tranſmittit; ergo explicationis cauſa, & non verborum redundantia, ait *Fluuios ſcindes terra*, vt ſciſſionis modum monſtraret: nempè ſic fluuios ſcidiſſe, vt ſolum atque terra pateret, iterque terreſtre proderet: & ſic putat vertiſſe 70. Sed non licet à noſtra Vulgata recedere. Vndè magis placet, quod addit idem Gueuara, ſenſum Vulgatæ lectionis eſſe ſi ly *terræ* non pro genitiuo, ſed pro datiuo accipiatur, ita vt ſenſus ſit: ſcidiſti fluuios in vſum terræ, in apparitionem telluris, in aluei, & fundi denudationem.

6. *Viderunt te, & doluerunt montes*. Verbum Hebraicum, quod hic habetur, quieſcere ſignificat, morari, expectari, manere, reſidere, vt ſenſus ſit: Viderunt te Domine fluuij, ideſt Iordanis, quem diſſiccaſti: ideſt, tanquam te viderent, & præſentirent, partim in montes excelſos congeſtis, & aggeratis fluctibus conquieuerunt; partim conglomeratis gurgitibus ſeque inuicem detrudentibus, ac procellentibus vndis, magno impetu, & perſtrepente ſonitu ſe ſe in mare præcipitauerunt. Vndè montes aquarum ſignificat, non terræ, vt vult Sanchez, quia non apparet vbi hic montes terræ diſſecti ſint.

7. *Dedit abyſſus vocem ſuam*. Inferiorem partem Iordanis deduxiſſe ſignificat: vox enim aquarum in Sacra Scriptura illarum mobilitatem, & fluxibilitatem ſolet indicare, quæ plerùmque cum ſonitu coniuncta eſt: ſic Pſal. 92. v. 3. *Eleuauerunt flumina vocem ſuam, eleuauerunt flumina fluctus ſuos à voce aquarum multarum, altitudo manus ſuas leuauit*. Manus autem aquarum termini laterales ripas pulſantes, vel littora dicuntur: quoniam ijs tanquam brachijs, aut manibus terram attrectant, & complectuntur. Hac vtitur translatione Dauid Pſal. 103. v. 25. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus*, ideſt capaciſſimum atque latiſſimum, quodque omnia complectitur,

totumque

totumque velut manibus ambit, ac continet terrarum orbem: manus quippè proprium eſt munus, contrectare, capere, & comprenendere. Superior igitur Iordanis influxus, & altior Sacerdotibus ingredientibus fierit, & perfluere deſijt, ac progredi: ſcilicet ſtatim, ac Sacerdotes, qui arcam Domini baiulabant, in aquis Iordanis pedum ſuorum veſtigia poſuerunt, ſteterunt aquæ deſcendentes in locum vnum, & inſtar montium intumeſcentium (vnde Habacuc eas montes appellat) apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Edon vſque ad locum Sarthan; quæ autem inferiora erant in mare ſolitudinis deſcenderunt, vſquequò omninò deficerent, vt narrat hiſtoria lib. de Ioſue cap. 3. & 13.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Delitias opeſque Deus ſubmouet, vt obſtinatam in peccando licentiam coerceat.

1. Non ſiccauit, aut corrupit aquas Dominus, quia illis eſſet indignatus, aut in illis aliquam deprehenderet culpam, quam puniret. *Nunquid in fluminibus iratus es Domine? Aut in fluminibus furor tuus? Vel in mari indignatio tua?* Sed vt populo ſuo benefaceret, & eos, qui aduerſa ipſi moliebantur, corriperet, vt verba indicant ſequentia. *Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio.* Ideò enim Deo Propheta equos, & quadrigas accommodat, in quibus ſaluatio eſt, quia ſalutem gloriosamque incolumitatem illis afferunt, quorum cauſa aſſumuntur: nullum enim opus Dei otioſum eſt, ſed aliquid ſemper ſpectat, quod ad ſuam gloriam, & hominum ſalutem pertineat. Pluit ſuper deſertum, & mare, vt noſcat homo, cum agri ſitiunt, & extrema ingruit fames, non deeſſe Deo copioſa aquarum fluenta, quibus riget, & exhilaret ſegetes; ſed eſſe in ipſis peccata, quę aut ęreos reddunt cœlos ne pluuiam concipiant, aut imbre grauidas nubes abigunt, quę in mare, ac ſolitudinem, vbi nulli hominum proficiunt, largè pluuiam diſpergant. Ilices, & ſylueſtres arbores è cœlo fulminat, vt intelligat peccator, non eſſe Dei iuſtitiam ab armis nudam, quę vt in corpora inanimata inflectit, ſic etiam vibrare poteſt in peccatorum caput. Et vt ad diuiſum mare rubrum, & apertum Iordanis alueum, veniamus, nihil commeruit vtrumque, vt grauem illam plagam acciperet: at intererat interfuit plurimum ſiccatum eſſe fluuium, & mare diuiſum, aliter enim neque ex Ægyptia poteſtate emergerent Hebręi, neque in terram promiſſionis eſſent ingreſſi. Siccari ergo aquas, aut fluuium diuidi nihil eſt aliud (ſi ad rem moralem referas) quam voluptates molliores, & diuitias, quę illarum alimenta ſunt, aut interrumpi, aut tolli: continens enim voluptatum, & luxuriantis fortunę curſum confidentiam Deus alit, & obſtinatam peccandi licentiam fręnat: etenim tanquam ſapiens, & miſericors Medicus ſic nos curat, vt voluptates opeſque ſubmoueat, quę luxuriam illam, & impudentiam fouent, & ſuſtentant: ſic Sanchez prędicta verba capit. Sic Dei ingenium, noſtrę vtilitati intendens agnoſcebat Dauid: *Vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.* Pſal. 40. v. 4. Etenim ſi in hac vita eſſet requies ſine perturbatione, exiſtimaret homo aliud non eſſe maius bonum, neque de vita futura cogitaret aliquid: idcircò Deus requiem turbat, labores, & ærumnas immittit, ne viam pro patria diligamus. Solent viatores cum amœna prata in via offendunt, ibi detineri, nec vltra progredi, & in tantùm remorari, in quantum florum pulchritudo, & amœnitas illos allicit: proptereà viam Deus ſternit prædeſtinatis laborioſam, & ſentibus plenam, vt nihil inueniant delitioſum, quod eos alliciat, & patriæ memoriam obliteret.

2. De Diuini Sponſi amiſſione conqueſta Sponſa dicebat Cantic. 3. verſ. 1. *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea, quæſiui illum, & non inueni.* Hac nimia anxietate plurimum fuit fatigata: at poſtquam retulit aduerſitates omnes, omniaque incommoda, quæ in illius inquiſitione fuit oppreſſa: *Vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum:* v. 4. tandem concludit: *Inueni quem diligit anima mea.* Communior iſtius loci expoſitio tradita ab Anſelmo, Beda, & alijs eſt, ita accidiſſe, vt innuatur, Deum minimè inueniri, dum in voluptatum lectulo quæritur. reperiri autem in afflictionibus, & præſſuris: ideóque Sponſam inter lectuli delicias ipſum amiſiſſe: in tribulatione autem fuiſſe adinueuntum. Quod acutè annotauit Sygnienſ. Bruno prædicta verba expendens. *Qui in lectulo quærit, in lectulo ſe amiſiſſe cognouit: nemo enim quærit vbi non amiſiſſe intelligit. Amittitur Deus in mollibus, in delitijs, & in noxijs blandimentis, & inuenitur in aduerſis.* Confert hunc locum cum alio Pſalm. 76. v. 2. vbi pia quædam anima ſe Deum quæſiuiſſe in nocte, ſicut Sponſa, ait, & ſtatim inueniſſe. *Voce mea ad Dominum clamaui,* voce

voce mea ad Deum, & intendit mihi in die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis, nocte contra eum, & non ſum deceptus. Qui ergo fieri potuit, vt iſta tam facilè inueniret: illa autem, quæ etiam nocte quæſierat, & ardenter amabat, non inueniet? Inuenitur itaque Deus in aduerſis in proſperis amittitur, & in lætis: labore enim & afflictione vrgente, ad Deum confugimus: recedente, ipſius obliuiſcimur. Cum fortuna arridet, & ſecundæ ſuccedunt res, nemo eſt, qui Dei recordetur, & in crimina non labatur, quod egregiè ponderauit Chryſoſt. ad illa verba Chriſti Domini, quibus Patrem orare Diſcipulis iniungit: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nos debita noſtra.* Matth. 16. verſ. 3. Panem hoc loco noſtrum, & quotidianum omnem neceſſarium ad vitam cibum appellari autumant Interpretes. Verùm ſi panis omnia ad ſuſtentandam vitam ſignificat, quomodò vtraque orationis pars aptè concatenanda eſt? Cur ad petitionem panis venia ſubſequitur delicti? Quia habitis ad vitam neceſſarijs, quaſi neceſſarium eſt ad crimina ruere. *Poſt ſubſidium cibi* (ait Chryſoſt.) *petitur, & venia delicti.* Quaſi dicat: Congruè poſtquam homo panem à Deo petit, & iam habet, ideſt omnia ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria, ſtatim poſtulat delictorum veniam: nam ei, qui omnia habet, quibus ad vitam indiget, tam procliue eſt in delicta labi, vt vbi primum id petitur, & obtinetur, illicò poſtulanda ſit venia delicti, quaſi poſſeſſio rerum neceſſariarũ, vel ad vnum diem, die illa occaſio ſit delinquendi, culpæ licentia, & certitudo criminis. Hinc enim Deus, quæ ad vitam ſuppetunt, ſolet ſubtrahere, vt quod abundantia nocet, curet inopia, & per labores ad ipſum trahantur, qui in proſpera fortuna ab eo recedunt.

3. Apparuit Deus Moyſi, ipſique pollicetur Hebræorum populum à dira ſeruitute liberare, illique largiturum ſpatioſam terram lacte, & melle fluentem: *Deſcendi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & ſpatioſam, in terram quæ fluit lacte, & melle.* Exod. 3. verſ. 8. Exaggeratio hęc quædam eſt ad ſignificandam terræ promiſſionis vbertatem. Verùm in quęſtionem vertitur, cur eam potiùs lacte, & melle fluentem dixit, quam vino, oleo, & tritico, quæ vberiorem terram ſignificant, mel enim, & lac non adeò neceſſaria ſunt homini, neque pinguedinem terrę exigunt, vt abndent? Sed in hoc myſterium latere non eſt dubium, cum omnia in figuris contingerent Hebræis: erat enim terra illa promiſſionis cœleſtis patriæ quædam obumbratio, cuius fertilitatem, & abundantiam lacti, ac melli Dominus comparauit, quia ſicut lac priùs ſub ſanguinis forma eſt, antequam album ſit, & ſuaue, & ſicut mel antequam ſit dulce, & ſapidum, ſub ſpina, & apis aculeo generatur: ita etiam antequam dulciſſimæ fruitionis poſſeſſione ſuauitatem Dei percipiamus oportet nos per martyrij ſanguinem, ſi opus fuerit, & per ſpinas aculeaſque tribulationis pertranſire, ſicut Apoſtolus dicebat Actor. 14. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Niſi enim laborum ſtimulis pungamur, nunquam Dei recordatio in nobis erit. Vndè Dauid Pſalm. 77. 34. aiebat: *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculò veniebant ad eum.* Vbi egregiè D. Greg. *Nunquam culpam ſuam reprobi niſi in pœna cognoſcunt: & quia pœna differtur, culpa deſpicitur.* Moral. lib. 25. cap. 9. Magnum ergo beneficium ſunt preſſuræ, & labores quibus Deus noſtra crimina plectit, vt in pœna ipſa agnoſcatur culpa: eſt enim Deus nobis velut pallium, quo aduerſus imbres vtimur, cuius non recordamur, niſi dum pluit: haud aliter Dei ſumus immemores. Huc adducit Ioan. Geminian lib. 5. cap. 217. illud Pſ. 82. verſ. 17. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Ceruus,* inquit, *dum nimis vrgetur à canibus, ad hominem ſponte fugit.* Quaſi canes perſequentes ſunt perſecutiones vel tribulationes imminentes, quæ dum peccatores fortiter percutiunt, ad Dominum redire compellunt.

4. Iſaiæ 25. verſ. 15. *Et erit in die illa: in obliuione erit ò Tyre ſeptuaginta annis, ſicut dies Regis vnius: poſt ſeptuaginta autem annos erit Tyro quaſi canticum meretricis.* Senſus ad litteram eſt: ſicut meretrix neglecta à primis amatoribus, quia cum alijs ſe miſcuit, deſiderat ad ſe trahere eos, à quibus fuerat priùs dilecta: ſic Tyre, quia Chaldæis adhæſiſti, qui te captiuam duxerunt, fuiſti à negotiatoribus, qui te priùs amore proſequebantur, contempta nunc verò libera à Chaldæis, canticis amatorijs, & illecebris priſtinos amatores reconcilia Oleaſter ad mores hunc euentum inflectit. *Expende* (inquit) *Dei clementiam, quia videt meretricem non obliuiſci amatorum ſuorum, voluit; vt ab eis obliuioni traderetur. Quoties quia videt nos noſtra ſponte non relinquere peccata, diſponit peccata deſerere nos, vt ſic ſaltem reſipiſcamus. Sequitur meretrix amatores ſuos, ſed non apprehendit eos, & dicit: Reuertar ad virum meum priorem.* Non aliter Deus: vt noſtram vincat obſtinationem, peccata nos deſerere facit, opes, quibus fouentur, & ad illa feruntur homines, auferens, & præcidens occaſiones, quę nos ad crimina vrgent.

DISCVR-

DISCVRSVS II. MORAIS.

Facilis, & plana iam nobis via ad cœlum eſt.

1. ARx velut quædam antè aduentum Chriſti cęlum erat, quam nullus hominum aſceuderat, neque illuc peruenire poterat, tantis cuſtodibus munita, vt omnes facilè humanas vires ſuperaret: itaque iam nullus illuc aſcendere ſatagebat: quo factum eſt, vt via illa arcta, & difficilis eſſet, vtpotè inculta, per quam nullus iter faceret. Venit ergo Dominus in carne mortali, vt talem ſibi hominum exercitum præpararet, quo, & vim inferre męnibus illis cœleſtibus poſſet, & viam à ſpinis, quibus obſita erat, ita purgate, ac mundare, vt omnibus facilis appateret. Ad hanc ergo hominum multitudinem congregandam Baptiſta tanquam tuba vſus eſt, *Ego vox &c.* & hoc fortaſſe eſt, quod dicitur Matth. 11. verſ. 12. *A diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Quod, & in Vate noſtro delineatum inuenies, dum Deus, & mare rubrum, & Iordanem diſſecuit, vt populum ad terram promiſſam per viam planam, & ſine impedimento transportaret, & amnem traijceret gens Hebræa ſicco, & inoffenſo pede. *Fluuios ſcindes terræ &c.* Iam ergo nullum in via Dei apparet offendiculum, quod nos ab inceſſu retardet: facili negotio ad cœlum homo poteſt peruenire: dummodò ad huiuſmodi iter ſe velit accingere, & in cœlum oculos infixos ſemper habere, vt huius vitæ pelagus tutè, & faciliter poſſit traijcere. Virtutis via, quæ ad cœlum inſpiciamus, & polare ac ſupernum ſidus, ſine difficultate curritur, ſine offendiculo calcatur,

2. Iſaiæ 58. verſ. 6. *Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti ſunt liberos, & omne onus diſrumpe*. Verſ. 8. Et ſtatim: *Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citiùs orietur, & ante ibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te*. D. Hieron. per colligationes, quas Vates conſulit diſſoluere, catenas peccatorum, quæ nos conſtringunt, & ad incedendum per virtutis ſemitas impediunt, intelligit, iuxta illud Pſalm. 18. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me*: Quibus dirſuptis facilè ad beatitudinem properamus (inquit Interlinealis) nam orto polari ſidere, nempè Chriſto, cœlorum ſemitas facilè aggredimur. *Si hoc feceris, orietur tibi Chriſtus, qui te ad beatitudinem adducet*. Præpediunt, & onerant peccata, laborioſamque occupationem afferunt: exonerat virtus, ſoluitque catenas, quibus adſtringimur, vt expeditè, & alacriter per cœleſtem viam poſſimus incedere. Quidquid in virtute nos terret, ab inſueta apprehenſione venit, nam ſemel guſtata omnia facillima redduntur. *Quid eſt, quod tenes in manu tua?* aiebat Dominus ad Moyſen Exod. 4. v. 2. cumque Moyſes reſpondiſſet, virgam eſſe, præcepit Deus, vt eam mitteret in terram, & ſtatim in ſerpentem verſa eſt, que ſic Moyſen metu perculit, vt à facie eius tremebundus aufugeret. Per virgam Oleaſt. in hunc locum virtutem accipit, qua homo in patriam pergit. At quid cum ſerpente virtus, vt in illa effigietur? Antequam homines amplectantur virtutem, abhorrent, & diffugiunt ab illa, quaſi ſerpens eſſet truculentus: ſed poſtquam illam manibus attrectant, poſtquam ad ipſius opera manus inſeruut, non horridam, ſed mitem ac ſuauem eſſe experientia addocentur. Poſtquam Chriſtus exarmauit infernum, & ducem ſe prębuit ad cœlum; nullus eſt lapis, in quem incedentes impingaant: vndè Ioan. cap. 1. verſ. 9. de illo loquens ait; *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Cur venientem ait, cum ſatis eſſet dicere: *Omnem hominem*. Homo qui ad Deum expedito pede venire ſtatuit, qui virtutis curriculum aggreditur, Chriſtum verùm lumen inueniet, qui omnem caliginem elimiuet, & ea, quæ in virtutis via nocte, & cæcitate horrida apparebant, lucis ſuæ radijs euaneſcent, vt ſine metu ac timore virtutis conficiatur iter, & quam facilè ſit per illud ambulare, luce clariùs oſtendatur.

3. Rectè agnoſcunt Patres hanc virtutis facilitatem, & quam planum ad cœlum ſternatur iter, in illis verbis, quibus Chriſtus Dominus reprobos in vltima iudicij die in tartareas ſedes detrudet. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius: eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum*. Matth. 25. verſ. 35. Sed, ò Domine, cur non plura, eaque grauiſſima ſcelera refers, vt æternis cruciatibus miſeri mancipentur? Cur maioribus omiſſis criminibus, pro minoribus, qualia ſunt potum, & cibum egentibus denegare, in tartara aſſeris detrudendos? Præſtaret hic fœdiſſima eorum facinora palam prodere, ne miſericordia deficere Videreris. Leuis tranſgreſſio perenni eſt punienda gehenna, & grauiſſima flagitia nec dum ad confuſionem recenſenda? Ex facilitate obſeruandæ virtutis tranſgreſſio ad pœnam. Auſculta Chryſoſt. hom. 8. in Matth. *Dominus non magna expoſcit, ſed id tantum vt viſitare infirmum, venire ad incarceratum, imò, & dare panem mendico exiguum, nec enim lautam à te Dominus menſam requirit; igitur impios condemnat petitionis facilitas*. Non alia grauiora crimina Deus inſimulat, ſed quæ virtutibus opponuntur facili negotio adimplendis, vt ſcias, quod non tam delictorum grauitas, quam virtutis

tutis facilitas teprobos damnat, & non te præceptorum arduitate ab illorum obſeruantia excuſari præteodas: nam quidquid difficilè, & laborioſum in virtute eſt, à te fingitur, & ideatur, vt dicebat Dauid Pſalm. 93. verſ. 20. *Qui fingis laborem in præcepto*. Chimerica virtus eſt, quæ laborem inducit: nam quam Chriſtus conſulit, non niſi facilitatem habet.

5. Neq; his cootraria ſunt, quę Chriſtus Dominos dixit Matth. 7. v. 13. & 14. *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam*. Nam ooo Deus, ſed homo viam virtutis arctam, perditionis verò latam facit. Arctum compendium, & breuis ſemita, ſi per eam plures ambulent, lata, & ſpatioſa via fit: ſi pauci viam calcent, ſpatioſum iter ſpinis obſitum in breue, & arctum redditur compendium. Latam ad cœlum Deus ſternit viam: ſed quia pauciſſimi per eam incedunt arcta efficitur. Prodeſt D. Hieronym. *Illa via lata per conſuetudinem velut mollior videtur: hæc inſueto calle virtutis triſtis, & horribilior, quia ab ijs tantùm eligitur, quibus non tam via cordi eſt, quam viæ finis, & manſio. Sed ſi in conſuetudinem viam virtutis verteremus, via leuis, & blanda videretur, vt Prouerb. 4. dicitur, Via iuſti leuis*. Nihil ergo in virtute eſt arduum, niſi quod hominis inertia in ea fingit: nihil in cœli itinere, & porta, quam Chriſtus vocat anguſtam, aſperum, & inſuaue difficilèque ſuperari; omnia ſunt petuia, omnia ſine offeodiculo patent. Hioc eſt quod Euangeliſta Ioan. in duodecim portas apertum cœlum viderit, *Et oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem habentem portas duodecim: ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab auſtro portæ tres, & ab Occaſu portæ tres*. Apocaliyp. 21. verſ. 13. Poſteà autem tribns enumerans, quæ per prædictas portas erant iogreſſuræ, vndecim tantùm numerauit, (vt habetur cap. 7.) tribum Dan ſilentio præteriens. Si ergo portæ ſuot duodecim, & totidem tribus, vt quid vnam tribum ſubticuit, portamque vnam in cœlo ſupereſse monſtrauit? Si enim portarum numero tribus reſpondent, aut duodecim tribus ingredientes inducat, aut vndecim tantùm portas in cœlo aſſignet. Ad quid porta duodecima, quæ nulli ingredienti eſt inſernitura? Vt ſcias, quod in cœlo portę ſuperſunt illis, qui gradiuntur ad ipſum nec ipſius defectu aliquos foras remanere, ſed illorum negligentia: nam omnibus cœlum patet, omnibus obuium eſt, nec per illud ſtat, cum portæ in ipſo ſuperfluant, quod homiues non ingrediantur.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Subditorum mos, præſules impetere, qui eos rectè viuere compellunt.

1. Vidit Iordanis atcam teſtamenti; ac mox vt Sacerdotes, qui illam pottabant, alueum ejus fuerunt ingreſſi, quaſi tremebundus, & dolens partim in excelſos montes aquarum intumuit, ita vt ſuperior Iordanis influxus ſiſteretur, hoc enim ſignificant illa noſtri Vatis verba. *Altitudo manus ſuas leuauit*: Pars verò aquarum inferior præcipit fuga, ingentique murmure decurrens in mare defluxit, quaſi ſuperiores aquas fugeret, & murmurc ſe in mare dederit, eò quod à ſuperioribus aquis ad leuanda arcam cogeretur. Quod (cum tam ſolemne ſit aquas populos ſignificare, *Aquæ multæ populi multi*. Apocalyp. 14.) ſubditos, vt arbitror, ſignificat, qui Superiores obmurmurant, illiſque iugitèr detrahunt, à quibus per virtutis iter ambulare coguntur. Fauent Superioribus, qui ipſis indulgent, & ſine diſciplina viuere permittunt illos autem, à quibus ad rectam legum obſeruantiam comprimuntur, conuitijs impetunt, & detractionibus lacerant: & quod deteriùs eſt, etiam cum optimo Præſule haud contentus eſt ſubditus. Quod arcanè dixit D. Pettus in 1. cap. 5. verſ. 3. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo*. Sed cur Prælatos formam vocat Apoſtolus? Lyra, & Caiet. *Exemplaria* legunt. Hugo Card. *Perfectio*: additque, *Non ſubſtantialis, ſed accidentalis: & talis ſeparata à ſubiecto nihil eſt*. Sic ergo Prælatus ſeparatus à grege ſibi commiſſo, & à munere ſibi iniuncto nihil debet reputari. Sed opinor, idcircò Apoſtolum formam vocaſſe Prælatos, vt innueret, ſubditos eſſe materiam, quæ nunquam forma, quam habet ſatiatur: Eſtò fotma ſubſtantialis, & rationalis ſit, ſemper materia appetit nouas formas, etiam imperfectiores, quod ſubditorum proprium eſt ingenium: etenim nullo Superiore quantumcumque perfecto ſatiantur, inſidiantur omnibus, machinantur aduerſus illos, & quemadmodum materia fędam, & ſpurcam formam cadaueris non horret, imò percupit, dummodò à rationali ſecernatur, à qua virtutem cooperari adigitur: ſic Superiores proſequuntur odio, qui illos per virtutis orbitam ambulare compellunt, & alios inferioris ſortis, & ſępè indigniſſimos vehementer cupiunt.

2. Quadriga illa celebris ſic ab Ezechiele deſcribitur cap. 1. *Et aſpectus rotarum, & opus*

Digitized by Google

earum quaſi viſio maris, & vna ſimilitudo ipſarum quatuor, & aſpectus earum, & opera quaſi ſit rota in medio rotæ: & ſtatim, *Et totum corpus oculis plenum*, v. 29. Hector Pintus per rotas populos intelligit, per earum dorſa, & excelſas partes eminentes Principes, & Præſules, qui ſupra ſe pondera portare debent: vbi namque Vulgatus legit. *Et totum corpus oculis plenum*, dictio *Gab* habetur in Hebræo, quæ ſignificat excelſum, dorſum, ſeu altitudinem: & idcircò vertit Pintus, *Et dorſa eorum plena oculis*. Quaſi Preſules, & Principes populi, ac ſubditorum pleni ſint oculis, quia omnes in ipſos oculos habent intentos, vt minimos obſeruent defectus. At cur ſubditi cum viſione maris conferuntur? *Et opus earum quaſi viſio maris*. Arbitror, quoniam ſicut mare dum à littore frænatur, ne ſuos terminos tranſiliat, littora conchylijs, algis, & id genus ſpurcitijs coinquinat: ſic ſubditi, dum à Superioribus cohibentur, ne virtutis tramites tranſiliant, ipſos conuitiorum algis, ſpurcis verbis, & ignominioſis murmurationibus commaculare contendunt. Vndè Sponſus conſulebat Sponſæ: *Si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſee hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum*. Cantic. 1. verſ. 8. Cur gregem paſcendo ſe medullitùs agnoſcet, quæ gregem non paſcens ſe penitùs ignorabat? Num præfectura perſpicacia eſt, qua ignota rimentur: Forrè Sponſus arcanè hic ſubditorum genium carpit: quaſi Sponſæ diceret: Etſi pulchra virtute ſis, ſi tamen te ignoras, & conſcientiam tuam tui defectus latent, exi ad regimen poteſtatis paſce ſubditos iuxta tabernacula Paſtorum iuxta monita, & maiorum regulas, & te penitùs agnoſces, nam ſubditorum perſpicacitas, loquax, & garrula murmuratio ſtatim, vel latentes, imò nec latentes defectus publicabit, nam ſubditorum mos eſt, virulentis verbis, contumelioſis conuitijs Prælatos impetere, qui eos Maiorum monita obſeruare cogunt.

3. Agnouerat hoc Eliſæus, dum Eliam in cœlos abeuntem ſic affatur: *Pater mi, currus Iſrael, & auriga eius*. 4. Reg. 2. verſ. 12. Auriga eſt, qui docet, & viam oſtendit; currus, qui ſupra ſe pondera ſuſcipit, & portat. Quid ergo commune inter ſe habent ducere, & portare, vt Eliſeus pro commendatione Eliæ illum vocet currum, & aurigam? Drag. Oſtien. de Sacram. Domin. paſſio. ad rem noſtram: *O vox affectuoſa: Currus Iſrael, & auriga eius, portas, & regis ſuſtinens, & gubernans*. Quaſi dicat: Optimus gubernator erat Elias, ſiquidem quia auriga erat ſubditi populi illum vt currus ſupportabat: qui enim vt auriga boues currum vehentes pungit, & recto itinere adire cogit, neceſſum eſt, vt prauos motus currus portet, quorum boues recalcitrantes cauſa ſunt; non ſic, qui currus tantùm ſunt, boues relinquentes abire quoquo volunt. Elias ergo quoniam Iſraelem recto virtutis tramite ire compellebat, eius pondera conuitiorum, & iniuriarum portare cogebatur: vbi namque Præſul muneri ſuo, vt par eſt, incumbit, ſubditoſque per Dei viam ducere conatur, neceſſè eſt, vt velut currus ad portanda conuitiorum pondera ſe præparet, *Portas, & regis, ſuſtinens, & gubernans*. Hinc apparet, cur cum omnis Cantic. liber amoribus, & verbis delitioſis ſit plenus, in illo tam frequenter vtatur Salomon ſimilitudinibus deductis ex armis, militia, & exercitu, vt eſt illa, *Sicut turris eburnea, collum tuum cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. cap. 7. & cap. 3. v. 7. loquens de Salomonis lectu ait: *Sexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios*. Quæ ergo ratio eſt, vt cum amor pacificus ſit, & quietus iuxta illud Propertij.

Pacis amor Deus eſt, pacem venerantur amantes.

Inter eius pacem, & tranquillitatem armorum fragor perſtrepat, ſonitus audiatur, gladij rutilent? Quid proportionis cum enſibus amor habet? Inſuper ſi de paſtoribus agit Salomon, cur gladiorum meminit, & armorum? Paſtor enim non enſe accingitur, neque clypeo munitur, ſed baculo vtitur in ducendis gregibus? Deberet ergo Salomon modum obſeruare, qui apud paſtores viget, nec armis vti, quæ longè à re paſtorali diſtant. Sed reor Spiritum Sanctum ſic textum conſerere, vt innuat, Paſtores, qui ad regnum cœlorum viam demonſtrant (qualis Sponſus in his paſtoritijs introducitur) armis indigere, vt ſe à ſubditorum bellis tueantur: etenim mille clypei, & omnis armatura fortium requiruntur, vt ſe Paſtor à ſubditorum ictibus defendat: qui tanquam paſtor gregem ſuum amat, & illum per virtutis ſemitam ducere conatur, ſe debet munire, vt inimicis telis reſiſtat, vt conuitia in ipſum iactata ſuſtineat.

4. Mittitur Ezechiel ad Hebræos in Chaldæa ob illorum perfidiam, & pertinaciam detentos, vt eos reprehendat, inſtruat, & ad virtutem cohortetur, ne velint Dei nomen maculare, ſed dent operam, vt ſint omnia eorum ſtudia ad illum magnificè exaltandum deſtinata: præcipitque ei Deus ne impios timeat, quanquam eum vulnerent maledictis, in illumque irruant, & impetum faciant; ſed erecto, & inuicto animo ſuo munere fungatur. *Tu ergo fili hominis, ne timeas eos, neque ſermones eorum metuas, quaniam increduli, & ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas, verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides, quia domus exaſperans eſt*. Ezechiel cap. 2. verſ. 6. in Hebræo pro incredulis, & ſubuerſoribus eſt verbum *Veſaltonin*, quę dictio ſpinam, ſeu vrticam etiam ſignificat, vt apud

eun-

eundem Ezechiel.28. v.24. *Et non erit vltra domui Iſrael ſpina dolorem inferens*. Sunt enim improbi ſpinę, ſeu vrticę, quibus iuſti punguntur; ideò vertit Pagnin. *Et ſpinæ tecum ſunt*. Deinde ſcorpiones poſſunt hic accipi (Auctore Pinto) pro herbis quibuſdam, eſt enim ſcorpio, ſiuè ſcorpius herba quędam ſemen habens inſtar ſcorpionis, de qua Plinius lib.22. & quoniam herbę iſtę ſpinas habent, quibus calcantes feriunt, ideò cum eis Iudęi meritò comparantur. Pagnin.vertit. *Et cum tribulis habitas*. Eſt autem tribulus herba duris ſpinis plena, vndè ſtimuli ferrei, & virgę, quibus ſolebant quondam nocẽtes homines flagellari, tribuli vocantur, & ſcorpiones: ſic intelligitur id, quod habetur lib.3.Reg. cap.12. v.11. *Pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus*. At cur Deus ſuggerit Ezechieli, ne timeat Hebræos, ad quos eum mittebat, quia ſubuerſores ſunt, & ſcorpiones, ſpinæ, & vrticæ; quandoquidem propter illorum nociuam naturam timendi erant, & euitandi? Fortè id præcipit, quia non iniqui, ſed virtute præditi timorem incutiunt? Illis calamitas grauior eſt, qui imparati inueniuntur. Mittebat Deus Ezechielem, vt Iudæos inſtrueret ad virtutem ſectandam, & ne moleſtiæ cum imparatum adoriantur, prędicit ab eis tanquam à ſpinis, & ſcorpionibus eſſe pungendum: nam neceſsè eſt, illum ſtimulis agitari, & iniurijs iugiter impeti, qui ſubditos habet, quos corrigat, & emendet. Quod quidem latet in lectione, quę vertit, *Vrticæ, & ſpinæ tecum ſunt*. Si enim vrticas è radice vſq; ad verticem manibus contrectes, non feriunt: at ſi ex vertice vſque ad radicem, pungunt: & ſauciant, quoniam ſpinas omnes verſus verticem habent erectas. Hoc ergo tibi continget cum rebelli populo, nam gens illa quaſi vrtica eſt: ſi manum feras iuxta vitiorum dorſa, ſi mulceas manum trahens ſupra dorſum (*traiendoles la mano ſobre el lomo* Noſtri dicunt) ne timeas, quod malum inferant: at ſi te illis opponas, & contra prauorum morum curſum pergas, velut vrticę te pungent, ferient, & diſcerpent.

5. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias* dicebat Sponſus Cantic.1. verſ.2. quaſi fieret comparatio Sponſę filiarum corona circumdatę ad lilium, quod vallatur ſpinarum ſepe. At cur Sponſam lilio confert non iam diſcerpto, ſed ſpinis circumdato? D.Ambroſ.inſtit. Virg. cap. 24. exiſtimat, de ſeipſo Sponſum loqui, atque lilio ab inimicis vulnerato comparari. *Chriſtus erat lilium in medio ſpinarum, quando erat in medio Iudæorum*. Dum in illos morum ſpiramenta fragrantia dabat, & ad virtutis orbitam mouebat, ab eis, velut à ſpinis, pungebatur, & virulentis verbis, atque feralibus impetebatur tormentis: *Nonnè hic eſt filius fabri*? Et alibi: *Nonnè benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes*? Et tandem non quieuerunt, vſquedùm in cruce lacerum, & confractum inſpexerunt. Hoc proprium filiarum, & ſubditorum eſt, vt cum eis benefeceris, cum in virtute inſtruxeris, te pungant, & veluti terra quę dum eam agricola magis colit, acutiores tribulos germinat, dum magis ad illorum profectum inſudaueris, acriùs contra te inſurgent. Maximè Superiorem illuſtrat, ſi pacem inter inimicos ſeruet, ſi inſtar lilij cum ſubditis ſe habeat, quod ſpinas ipſas, quę illum pungunt, & lacerant, illuſtrat, venuſtat, atque fragrare, & odorare facit. Sciat ergo Superior inter ſpinas verſari: nam tametſi illas illuſtret, foueat, & venuſtare faciat illis pręclaris dotibus, quarum etiam ſubditi ſunt participes, non propterea illi parcent, ſi velut lilium illos virtutibus fragrare compellat.

6. Pluries Hebręi de Deo murmurauerant, qui illos ſalutis viam docebat: at vno idolo fabricato, illud ſummis honoribus, & laudibus extollunt, & quod peius eſt, beneficia, quę illis Deus impenderat, conflato vitulo attribuunt. *Hi ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Exod.32. Summa dementia eſt Deum deteſtari, qui tot ipſis pręſtiterat beneficia, & falſum idolum honoribus proſequi. At quę huius inſanię cauſa? Auſculta textum, v.6. *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere*. Ludus hic (vt notauit Oleaſt.) non ſumitur pro idolorum cultu vt falsò dixit Rabbi Salomon, ſed pro tripudiare, & ad modum puerorum ludere, vt patet ex loco Geneſ.21. verſ.9. *Et vidit Sara filium Agar ludentem cum Iſaac*. Solebant enim Gentes in feſtis idolorum ſuorum comedere de immolatis victimis ſuis, & in eorum honorem ludere, ſaltare, feſtoſque ducere choros. Fecerunt ergo Iudęi quemadmodùm facere in Ægypto viderant, & propterea Deum laudant, qui ludos ipſis permittit: at verum Deum, qui pręceptis ad virtutem ſequendam illos adigit, deteſtantur. Accipe Oleaſt. in Annot.Moral. huius loci. *Deteſtantur homines Deum adſtringentem, & prohibentem; ſequuntur liberiorem, qui gaudia, & ludos permittat, hiſque delicietur*.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Diligenda vxor, ſed illi graue negotium non pandendum.

1. VArium, *& mutabile genus ſemper fœmina* (aiebat Maro) animal enim garrulum eſt, in linguas tota compoſita, ſe-

creti prodiga, neſcia ſilentij, importuna ad arcana referanda, & quę auidè combibit, auidiùs refundit. Quo circa de tribus (teſte Plutar.) dolebat Cato: primò, quod in hac vita tam incerta vel vna die inteſtatus manſiſſet, ſecundò, quod eo mari, & nauigio profectus eſſet, quo poterat ire per terram, & pedes: tertiò, quod ſecretum ſuum reuelaſſet mulieri. Idem Plutar. de garrulitate illius, qui ſecretum vxori reſerauit, & poſteà ab Imperatore accepit notum eſſe, loquens aiebat: *Reſcinit Cæſar non ſiluiſſe mea arcana: ideò mori mihi decretum eſt*. Cui ſtatim vxor. *Iure, quoniam tandiù mecum habitans, viuenſque, nec noueris, nec caueris intemperantiam meæ linguæ*. Vndè Antiphanes apud Stobæum. *Quid ais? Cum latere velis aliquod negotium, mulieri ipſum aperi? Ad quid intereſt ſinè mulieri, ſiuè omnibus in foro præconibus narrare?* Hinc cordati viri etſi vxores (vt par eſt) diligant ſeria negotia illis non reſerant, ne in omnes effuſa reperiant. Ideò conſulebat Vates: *Ab ea: quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſura oris tui*. Micheæ 7. verſ. 5. Vbi non ſolùm effrænem linguam, & inconſideratam loquelam prohibet vxori oſtendere, ſed quod mireris, oris clauſtra, ne labiorum nutu cordi intima penetret, ne quod in animo latet, vel coniecturis reueletur, non modò lingua, ſed ipſius clauſtra cautè mouenda ſunt, & cuſtodienda à facilitate fœminea.

2. Geneſ. 22. v. 2. tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi*. Cenſent Niſenus in oratione de funere Pulcheriæ, & S. Auguſt. ſerm. 73. de tempore Abraham hoc negotium ſibi commiſſum coniungi reſeraſſe: negant tamen Chryſoſtom. hom. de S. Iob, & Abraham S. Ephren de Abraham, & Iſaac, Abulenſ. ſup. cap. 22. Geneſ. Pererius diſp. 1. & elegantiſſimè S. Baſilius de Seleuc. *Faciuns tam audax* (inquit) *Saram celat, neque ad matrem effert mandata. Quamobrem? Illa quidem* (inquit) *amans Dei eſt, ego quidem eius animum ſuſpicio; at ingenium vereor: Dei amans eſt mulier, ſed mater eſt: vereor ne pueri furtu materiam ſubtrahat obſequendi Deo iubenti*. Verùm cur neque Abrahamus dilectiſſimè vxori tam graue negotium reuelauit, vt in voluntaria oblatione conſenſum præſtaret, ne ingenti meritò, quod indè reſultabat, defraudaretur? Iam Seleucianus Epiſcopus obiectioni ſatisfacit: ſed accipe Procopium à Gloſ. in hunc locum adductum. *Sunt qui tradunt, Saram ignoraſſe, quæ mandata marito dederit Deus: videlicet, ne materna comploratione totum negotium interueneret: nec Eua benè conſuluit Adamo: & idem fortè & hic eueniſſet*. Ideò Abrahamus ſanctiſſimæ, ac dilectiſſimæ vxori ſecretum non aperuit, ne vocibus, & complorationibus notum fieret, & totum negotium euerteret. Raro fœmina, etſi prudens ſit, retinere queit ſilentium, & prudentiori vix digitos in os immittas, cum nauſeat, & quidquid in corde habet, euomit. Viri imprudentiæ deputatur de re alicuius momenti cum vxore agere. Honeſtis ſalibus, amænioribus verbis, feſtiuo riſu ipſi placeat: at ſeria negotia non ipſi committit.

2. Ioſue 2. verſ. 14. miſit Imperator exploratores, qui Ierichuntinam vrbem circumſpicerent: pergunt illi, à Raab excipiuntur, & ne à Rege, qui eos quærebat, occiderentur, abſconduntur. Cumque ab eis expoſceret Raab, vt cum ea, & domo ſua in expugnatione ciuitatis miſericordiam facerent, hoc illi mirabile reſponſum præbuerunt: *Anima noſtra ſit pro vobis in mortem, ſi tamen non prodideris nos: cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te miſericordiam, & veritatem*. verſ. 20. Et paulò infrà. *Quod ſi nos prodere volueris, & ſermonem iſtum proferre in medium, erimus mundi ab hoc iuramento, quo adiuraſti nos*. In Hebræo habetur, *Et ſi prodideris verbum noſtrum hoc*: ideſt (interprete Caiet.) *quod latitamus in montibus*, erimus mundi, & liberi ab hoc iuramento, quo nos iurare feciſti. At quam ob cauſam de fœmina diffidunt, quæ illos humano excepit hoſpitio, & à Regis miniſtris occultauit? Vndè auſpicantur fore illosondituram, quæ tot pia, & perhumana officia ipſis præſtitit? Quam tam fidelem in ipſos erant experti, cur ſuſpicantur inimicam? Audi Caiet. *Timent enim mulieris inſtabilitatem, & propterea ſilentij curam in ea augere nituntur*. Licèt mulieris ſilentium vſque tunc eſſent experti, licèt ab eis mulier magna expectaret beneficia, prudenter tamen de ipſius ſtabilitate diffidunt, & timent iuramentum violaturam: quia omnia frangit fœmina, omnia contemnit, ne ſilere cogatur; quare vt res manifeſta fiat, illam ipſi commendare ſat erit. Hinc ſomnus immittitur Pilati vxori, vt à morte Chriſtum liberet, & fructus ab illa proueniens impediatur: ſic enim ipſa marito retulit: *Nihil tibi, & iuſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per viſionem propter eum*. Matth. 27. verſ. 19. Communiter Interpretes hanc viſionem à dæmone immiſſam exiſtimant, timuit enim aliquantulum, & ideò excitauit per ſomnium vxorem Pilati, tentans liberare IESVM. Sed cur non potiùs Pilatum excitauit, & exterruit, vt à ſententia exequenda illum reuocaret? Cur vxori ſuggerit, vt marito conſulat ab illa cauſa abſtinere, nec ſe in morte iuſti immiſcere? Secretum, quod Deus diuulgari decreuerat, vt innocentia pateret IESV, non viro, ſed mulieri commendauit, quæ cum linguata ſit, & rimarum plena, nihil retinet occultum, omnia ſtatim manifeſtat, & diffundit. Accipe Chryſoſt. in Catena relatum; *Propter hoc diſpenſatur à Deo, quod mulier vidit,*

Digitized by Google

dit, vt manifeſtum omnibus fieret.

13. Dauidem ſenio penè iam confectum vxor eius adit Berſabee, vt ſciret Adoniam regnum præoccupaſſe ſuo Salomoni à Rege iam promiſſum, adit etiam Nathan Propheta eadem Regi nuntiaturus; proponit Adoniæ inſaniam, & Salomonis ius: *Et reſpondit Rex* (inquit text. 3. Reg. 1. verſ. 28.) *vocate ad me Berſabee: quæ cum fuiſſet ingreſſa coram Rege, & ſtetiſſet ante eum &c.* verſ. 28. Quomodò eam vocari iubet, ſi eam ibi adeſſe textus inquit? Sic enim habetur cap. eodem. *Adhuc illa loquente cum Rege, Nathan Propheta venit.* Si ergo aderat, cur Rex eam vocari præcepit? Auſculta Ioſeph lib. 6. antiq. cap. 11. *His auditis Rex iubet accerſiri Berſabeam, exceſſerat enim cubiculo Propheta veniente.* Vt ventum eſt ad Monarchiæ negotia, & gubernationis conſilia, dilectiſſimam vxorem extra cubiculum fieri iuſſit prudens Rex, vt mariteos inſtrueret ardua ſecreta vxoribus non pandere, ſi non volunt ea habere nota, & in perniciem regni redundare. Nam vt dixit Sapiens Prouerb. 15. verſ. 22. *Diſſipantur cogitationes, vbi non eſt conſilium.* Chaldæus vertit: *Franguntur cogitationes, vbi non eſt ſecretum.* Vbi mulieres rimantur cordis intima, maxima regiminis euertuntur. Paſſim antiqui recentiſque æui exempla incurres. Nunquam commiſſi arcani cuſtodia violanda eſt, nec fidenda vxori. Nec hoc dilectionis defectus, ſed prudentiæ prouidentia reputetur: quandoquidem fœminas grauiora negotia ſcire non refert, neque ipſis ineſt ob fragilitatem ſexus ſilentij capacitas: cum nihil retineant, ſed omnia facillimè diffundant. Mirùm, quod tradit Iſidor. Ægyptius lib. 1. Epiſt. 90. de Apoſtolica ſolicitudine erga ſilentium mulierum in Eccleſia, quas cum vix cohiberi poſſe indicarent natiua ſua garrulitate, indultum eſt illis vt canerent, ac ſi aliter abſtinere nequirent. *Importunas in Eccleſijs loquacitates Domini Apoſtoli comprimere ſtudentes, modeſtiæ atque grauitatis Magiſtros ſeſe nobis præbentes, vt mulieres in ipſis canerent, ſapienti conſilio permiſerunt.* Non ergo amoris defectui, ſed ſapientiæ conſilio imputanda eſt ſecretorum obſeruatio, nam cauere ab incapacitate doctrina Chriſti Domini eſt: ſic enim aliquandò loquebatur Diſcipulis: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Ioan. 15. verſ. 15. Ambiges, quomodò hæc vera eſſe poſſint, cum ipſe cap. 16. dicat: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò?* Quo pacto quæcunque à Patre audiuit, eis nota fecit, ſi multa adhuc habet eis dicenda? Chryſoſt. homil. 76. *Dixi vobis omnia, quæ vos audire conueniebat*, & Euthym. *Dixit omnia, quorum tunc capaces erant.* Non enim amicus non eſt, quia ea non reuelat, quæ ad amicum non attinent, maximè ſi eorum non capax.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Superiorum munus dura ſeruitus.

1. VOx eſt Antigoni ad filium Principem, & ſucceſſorem ſuum apud Stobæum. *Scias imperium noſtrum eſſe ſplendidam ſeruitutem.* Cui conſonat Seneca de conſolat. ad Polib. alibi datus: *Cæſar ex quo ſe orbi terrarum dedicauit, ſibi eripuit, & ſiderum modo, quæ irrequieta ſemper ſuos curſus explicant, nunquam illis licet, neque ſubſiſtere, neq; quidquam ſuum facere.* De quo argumento plura habes apud Ludouicum Creſol. Myſtag. lib. 3. cap. 14. Præcipuè ex D. Aug. qui de Sancto Ambroſio narrat ſe oculis ſuis rem notaſſe: *Adeò illius tantam fuiſſe occupationem; tamque moleſtam, atque perpetuam: vt vix aditum habere vnquam ad illum potuerit ad æſtus animi ſui explicandos.* Et de ſeipſo varijs curis, & ſolicitudinibus præpedito dicebat: *Ob diuerſas curas, quas noſtræ ſeruitutis neceſſitas habet, vix mihi pauciſſimæ guttæ temporis ſtillantur, quas alijs rebus ſi impendero, contra officium meum mihi facere videor.* Idem. Epiſt. 135. Preme illud *ſeruitutis neceſſitas*: quaſi præfectura non ſolùm ſeruitus, ſed neceſſarius ſit famulatus, à quo nemo ſe expedire queit. Quid miſeriùs, quam ad laborem conduci ſine receptione ſtipendij? Eleaganti enim vocabulo explicuit Auguſt. ſeruilem Superiorum conditionem, eos angariatos appellans: nam ad laborem conductis non licet aliquot tempus quieſcere, ne poſtea mercede fraudentur, neque ad inſtans ſine inquietudine eſſe. Quod ſub purpura deliteſcit onus tectis hyeroglificis ſignificarunt Ægyptij, qui, per plicatum anguem, & in orbem collectum caudam ſuam mordentem, Regem intelligebant, & quia minima quæque curare debet, & quia multæ regium animum angunt curæ, multæque mordent ſolicitudines. Rex quoq; Antiochus apud Stobæum de regio indumento locutus dicebat: *O pannum miſerum, qui curas tot, & pericula procreas: plures enim tineas Regia purpura habes: multæ curæ ſub Maieſtatis veſte latent.*

2. Nudatus apparuit Noe in tabernaculo ſuo inebriatus vino, quod biberat inſcius temulentiæ futuræ: ipſum ſic indecorè nudum ridebat Cham filius eius, cui poſteà vigilans propter irreuerentiã maledictionem impertiuit, & filio ſuo Chanaan atque poſteris eius etiam maledixit: *Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Si autem ſucceſſorum ſeriem ſcruteris, inuenies, quod Nembrot illius nepos inter homines primus regnare cœpit. Iam ergo exurgit difficultas. Vbi eſt illa ſeruitus, quam pro maledictione pater filio impio, & impudenti eſt imprecatus? Domina-

minari video in poſteris Cham, non ſeruire: Dominum, & Regem, non ſeruum: quo ergo pacto ſanctiſſimi Patriarchæ maledictio non adimpletur? Vel ſi adimpletur, cum dominatione nepotis componitur ſeruitus? Optimè Chryſoſt. hom. 29. in Geneſ. de Nembrot locutus. *Hic proauum ſuum imitatus, & abuſus naturæ priuilegijs, alium ſeruitutis modum adinuenit, & Princeps atque Rex fieri attentauit.* In nullo tam plenè Noe fuit maledictio adimpleta, quam in Nembrot, qui regnare cœpit: nam tunc miſer ſeruus factus eſt, cum ſe Principem fecit. Qui ex priuata vita ad culmen potestatis aſcendit, ex ingenuo efficitur ſeruus: licet enim iſta magis videatur eſſe libertas, in ordine libertatis vile mancipium, & grauiſſima ſeruitus eſt. Suæ cupiditatis eſt ſeruus, qui aliorum commodo incumbit, & tyrannicæ dominationi mancipatur, qui propter inanem principandi gloriam tot Dominos habet, quot ſubditos, innumeriſque curis, & laboribus exponitur.

3. Moyſi oues Ietro cognati ſui Sacerdotis Madian paſcenti apparuit Dominus, ipſumque delegit, vt Pharaoni iniungeret, quatenus populum liberè emiſiſſet, ipſumque populum ex Ægypto in terram duceret promiſſionis. *Veni, mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Iſrael de Ægypto.* Exod. 3. verſ. 10. Diù Expoſitores fatigauit, quod hominem, ineloquentem, & iu rebus aulicis inexpertum ad Regem Deus deſtinauerit, & paſtorem pecudum ducem populi conſtituerit, mira enim, & incongrua commutatio eſt paſtoris in Regem, & populi ducem: nec diſſimil s: quam Chriſtus fecit in conſtituendis Eccleſiæ Proceribus, nam piſcatores rudes, & ignorantes homines in Præſules conſtituit. Cur non ad huiuſmodi munera homines in illis verſatos vocauit, vel ſaltem illos, qui aliquam affinitatem haberent cum ipſis? Cur paſtores, & piſcatores delegit? Recognoſce omne artificum genus, & deprehendes, inter omnes paſtores, & nautas in maximo vitæ diſcrimine verſari, nullumque tam laborioſam vitam agere, quam ipſos: paſtor enim non dormit, ſed ferè continuo vigilat, noctes integras tranſigit inſomnes, vix veſtitur, maléque veſcitur, ſic, & piſcatores nudi laborant, in vigilijs, & continuis ſolicitudinibus ſemper ſunt, temporis inclementiam patiuntur, milleque alijs incommodis ſunt expoſiti. Audi ergo iam Oleaſt. cauſam reddentem cur Deus huiuſmodi munera exercentes ad prælaturas elegerit: *Vt ergo tam Reges quam Pontifices ſcirent, ſe non ad quietem, non ad diuitias, aut delitias aſſumptos, ſed ad labores, ſudores, & vigilias, hos inter cæteros deligere curauit.* Laboribus aſſueti euehuntur, vt à laboribus non vacare ſint eruditi, cum non deſinant, ſed commutentur in commoda. Hinc cum Dauid fugiens Saulis perſecutionem ad Regem Moab in Maſphat ſe recepiſſet, vbi parentes ſuos repoſuit, non multò poſt à Propheta Domini admonetur: *Proficiſcere, & vade in terram Iuda. Et Profectus eſt, & venit in ſaltum.* 1. Reg. 22. verſ. 5. Vt quid iubetur abire, ſi nondum Saulis iræ erant placatæ? Si adhuc imminebat periculum, & nondum animus Regis erat ſedatus, vt quid à refugio quod elegerat extrahitur? Optimè Carthuſian. ibi: *Iubetur adire, vt perſecutiones ſuſtineat, & vt in terra ſua; ideſt, in Iuda laboribus exerceatur.* Dauid regnaturus erat in Iſrael. igitur prius diſcat labores ſuſtinere, aſſueſcat perſecutiones pati, vt probatus ad regnum accedat: & ſcianr maximè prælati non tam ad honorem euectos, quam ad perferendos labores.

4. De hoc enim conquerebatur Sponſa, nam ſemel ad prælaturam electa non vltra ſibi indulſit, neque à continuis curis, & laboribus expediri potuit, *Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol, poſuerunt me cuſtodem in vineis.* Cantic. 1. verſ. 6. Mox vt prælaturam accepi, nitorem venuſtum perdidi, & nihil niſi incommoda experior, mihi enim ſubripui, omnemque ſolicitudinem erga meam pulchritudinem abieci? *Propter officium* (inquit Origen.) *neque pulchritudinis meæ curam habui, cuius amantiſſimi debent eſſe adoleſcentulæ, neque etiam mearum rerum.* Superior, qui ſuo muneri incumbit, pulchritudinem amittit, diuitias, & commoditates: nam qui opulentas opes comparant, & proptias domos augent, non de officio, ſed de ſe ipſis curam habent: præfectura enim omnia incommoda habet annexa: nec ſolùm requies in ea periclitatur, ſed etiam honor, nam pauci ſunt etſi rectè agant, qui non fuſci appareat: *Quod fuſca ſim*, & veluti vile mancipium denigrata faſciet ad ſeruitutem deſtinantur: quia omnium ſubditorum labores debent ſuſtinere patienter, & omnes plagas in ſe ipſis excipere. Hinc præcepit Deus Moyſi Exod. 9. verſ. 14. vt talem Pharaoni communicationem intimaret. *In hac vice mittam plagas meas ſuper cor tuum, & iterum extendens manum percutiam te, & populum tuum peſte.* Cur Moyſes hæc comminatnr Pharaoni, cum ipſius corde in ſua duritia permanente has plagas nuſpiam immiſſas legamus? Nam nunquam fuit peſte percuſſus. Si igitur illud ſupplitium non erat ſubiturus, cur immittendum prædicitur? Quia certo fuit immiſſum (ait ingenioſè Caietan.) Nam cum impius Rex adhuc in corde geſtaret ſubditos, plagæ, quas Dominus populo inferebat, ſuper cor Pharaonis mitti videbantur: prior ipſe quam ſubditi diuinæ iuſtitiæ iacula excipiebat, & percuſſo peſte populo, cor Regis, vt qui ſuos in corde habebat, ſine doloris vulnere non abijt. *Non dicit* (ait Caietan.) *ad perſonam tuam, ſed ad cor tuum: quoniam nunquam læſit perſonam Pharaonis, niſi quandò demum ſubmerſit eum in mari, & tunc*

etiam

etiam mortem illam miſit prius ad cor eius, vidit enim Pharao omnes decem plagas, & vidit ſe, & ſuos ſubmergi in mari, & ſingula affecerunt cor eius triſtitia. Vt vel ab impio Rege diſcant omnes pij Reges, & præſules, quam debeant eſſe obnoxij ſubditorum laboribus, & incommodis, cum id etiam Pharao omni humanitate viduus viſus ſit præſtitiſſe. Hinc enim violentia inſpecta, quam Iordanis aquæ patiebantur ad archæ præſentiam, illarum pars ſuperior doluit. *Viderunt te, & doluerunt montes.* Hic verſ. 10. quaſi inferiori parte compatiens, quæ ſubdita erat ipſi.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Vtroque pede claudicat, qui ad neutram manum inclinat.

1. QVaſi Diuinitatem malitioſè homo æmuletur, vnus natura cum ſit multiplex in perſonis ſatagit apparere, & vt multis placeat, multorum perſonas induit. Ambiguum animal eſt: neutralitatem affectat, vt nemini diſpliceat, & omnium fauorem ſibi conciliet: ad neutram partem inclinat, vt vtramque habeat: at dum perſonatum duplicem ambit, nullum lucratur: neutri enim, & qui media via incedunt, quin ad dexteram, vel ad ſiniſtram incliuent, exoſi in republica ſunt, & ab omnibus deſpiciuntur. Vndè Solon Athenienſium Legiſlator (apud Plutarch.) lege inuiolabili ſanciuit, quod neutrales, & indifferentes ab honoribus reipublicæ arcerentur. *Qui facta ſeditione in republica neutram ſequitur partem, priuetur honoribus.* Nullius fauorem habeat, qui omnium gratiam fraudulenter affectat ſiquidem nullius eſt, qui nulli adhæret. Vndè Seneca chariſſimo ſuo Lucilio dicebat ep.48. *Nemo poteſt quiſpiam beatè degere: qui ſe tantùm intuetur, qui omnia ad vtilitates ſuas conuertit alteri viuas oportet, ſi vis tibi viuere.* Nullibi enim pedem figere, vbique claudicare eſt. Præcepit Achab (3. Reg. 18. verſ. 21.) omnes Prophetas falſos Baal congregari, & in Eliæ conſpectu comparere, ad quem cum veniſſent, ſic ipſos alloquitur Vates: *Vſquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt, ſequimini eum; ſi autem Baal, ſequimini illum.* Cupiebant enim pſeudoprophetæ Deo, & Achab pariter placere, duobus Dominis inſeruire, & vtriuſque gratiam lucrari. Vt autem Elias illorum ſocordiam, & doloſam proficiendi artem reprehenderet, vtroque pede claudicare dicit, quia in neutrā partem omninò inclinabant: *Quia erant puſilli, nutantes, & ambigentes* (ait Carthuſianus.) *Vſquequò claudicatis vtroque pede? Ideſt, vultis duobus Dominus ſeruire.* art. 27. Non enim audebant in aliquam partem inclinare, nec aliam infenſam haberent, vtrique blandiri cupiebant: at hoc non ambulare rectè erat, ſed vtroque claudicare pede, & dum Deum, & Achab gratos habere procurabant, ambobus efficiebantur odibiles.

2. Rerum omnium conditionem narrat Moyſes Geneſ. 1. verſ. 2. & facta cœli, terræ cœterarumque creaturarum mentione, aeris non recordatur, neque in earum ſerie illum receuſet. *In principio creauit Deus cœlum, & terram, &c.* Et cur elementum aeris, elemento terræ, & alijs quamplutibus rebus nobilius in ſilentio prætermittit? Nam ſi velis dicere, quod per ea verba *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas* aer intelligatur expreſſus, ferè omnes Doctores contradicunt. Quare igitur à conſortio cęterarum creaturarum aer excluditur, & in ipſarum cathegoria non inuenitur? Difficultatem attigit Niſenus hom. in Exame. & acutè ad noſtrum inſtitutum ſoluit. *Ideò prætermittitur, quia fortaſsè natura molli ac facilè cedenti præditus res omnes in ſe ſuſcipit, eaſdemque præſefert, cum neque colorem proprium, neque figuram habeat, & ad omnium rerum, quas ſuſcipit, motus ſe accommodat.* Quaſi dicat. Aer dum omnium creaturarum eſt, earumque figuras induit, nullius cenſetur: non enim ex ſe colorem proprium habet, ſed omnium terum coloribus ſe accommodat: neuter cum ſit, omnibus placere ambit, & ad neutram omninò inclinat: vndè meritò ab omnium numero excluditur, quia non meretur inter cęteras computari, qui omnibus ęqualiter blandiri ſtudet. Nihil aſſentatoribus ſimiliùs aere, qui neque colorem proprium neque figuram habent, ſed omnium figuras ſuſcipiunt, & ad omnium palatum ſua placita accommodant, at nullius ſunt, dum omnium eſſe ambiunt.

3. Poſtquàm creuerat Moyſes in Ægypto, Ægyptium vidit quemdam percutientem de fratribus ſuis, irruenſque in eum interfecit illum, cumque ſabulo abſcondit: Exod. 2. v. 12. Magna hic excitatur quæſtio, an ſcilicet Moyſes in hoc facto deliquerit? Et licet Ambroſius eum excuſet, Auguſtinus tamen, & alij quam plurimi illum criminis nota inuunt. Cęterùm non omnes eodem motiuo. Oleaſt. acutè culpam rimatur non in morte, ſed in circumſtantijs, eo videlicet, quia ad eam inferendam huc atque illuc reſpexit. *Conſidera quam cautè malum operatus ſit, vt priùs huc atque illuc reſpexerit, quam occideret.* Ac ſi diceret: Ideò mors Ægyptij Moyſi imputatur ad culpam, quia vt eam patraret, ad vtramque manum reſpexit, & dum vnam, & alteram partem aſpicit, nulli adhærere videtur. Volebat enim (ait Caiet.) & Deo placere, dum pro illius honore certabat, & Ægyptijs non diſplicere: ideoque

ad

Digitized by Google

ad vtrumque latus reſpexit, cauens ne Ægyptius aliquis intueretur. Quaſi in hoc facto cautelosè ſe geſſerit Moyſes, dum nulli diſplicere procurat, & Deum atque Ægyptios ambit habere gratos: at dum huc atque illuc reſpicit, & in vtramque partem inclinat, neutram habet obligatam, quin potiùs inſenſam vtramque habet, atque Deum, & Ægyptios offendit: qui enim ad nullam manum omninò inclinat, & neuter vult videri, vtroque pede claudicat.

4. Virgines illæ fatuæ, quæ expeditam, & ſolertem ſpem ad ſponſi aduentum inerti commutarunt ſomno, dum nouiſſimè veniunt, & portas inueniunt clauſas, eas pulſantes validiſſimè inclamant *Domine Domine aperi nobis.* Matth.25.verſ.11.quibus Sponſus: *Neſcio vos.* Non miror acerbam Sponſi repulſam, ſed verbi *Neſcio* nouitatem Deus ne reprobos neſcit, iniuſtè damnat, ſi ſcit, quo pacto verè dicere potuit *Neſcio*? At eiuſmodi quaſi ignorantiæ, non perſonæ excluſæ, ſed vocum, quibus enim deprecantur eſt: dum enim in ore, & voce duplicem Dominum portant: *Domine, Domine*: neutrum habent, nam qui duobus Dominis vult placere, à nullo agnoſcitur, & vtriuſque gratiam amittit: qui duorum vult eſſe, nullius eſt: vndè meritò Iudex ad nuptias virgines fatuas neque admittit, neque recognoſcit, quia de illarum dominio dedignatur: qui enim omnibus vult placere, omnibus exoſus eſt, omnibus ignotus, quia nemo ſuum eſſe agnoſcit. Quiddam ſimile habetur Matth. 7.verſ.21. vbi cum de finali iudicio agitur, ait Chriſtùs Dominus: *Non omnis qui dicit mihi; Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonnè in nomine tuo prophetauimus? Et in nomine tuo dæmonia eiecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui eos.* Eadem redit difficultas. Si eos damnat, & à regno excludit, quo pacto eos non agnouit: ergo ſine cauſa excludit, qui eos ignorat? Aſt quæ maior cauſa, vt eos non ſciat ſcientia approbationis, quam illa geminatio dominationis? *Domine, Domine*. Studio, & deſiderio plurimis Dominis placendi eos ingeminant: at dum multos dominos habere ambiunt, à nullo agnoſcuntur ſerui: *Nunquam noui eos.*

5. Currus ille celebris, quo Dei gloria ferebatur, à quatuor animalibus ſubuectus Ezechieli apparuit. *Similitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies leonis à dexteris ipſorum quatuor, facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor.* Ezechiel cap.1. verſ.20. Et paulò infrà de eorum motu loquens. *Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur.* Ideſt. *Impulſus venti,* ait Carthuſ.Non pauca paſſim tradunt Interpretes de re morali ſuper huiuſce currus ſignificatione: & ſanè expenſione digniſſimum eſt, quod cum quatuor animalia currum portantia alas haberent, quibus ocyſſimè volarent. *Quatuor pennæ vni*, & ſimiliter pedes, quibus ad nutum ſuum ambularent: *Et planta pedis eorum, quaſi planta pedis vituli*: non quo volebant volabant, ſed aëris impulſu ferebantur. Et cur qui pennas, & pedes habent, non eis libere vtuntur, ſed feruntur aëre? Præſtaret enim aut pennas, & pedes non habere, aut eis voluntariè ambulare. Cur igitur pedum remigio, & alarum velis non mouentur? Opinor, quia multas habebant facies: nam qui geminatas facies habent, vt omnibus blandiantur, & arrideant, aërem currentem ſemper ſequuntur, & quo fauorabilis ventus afflat, illuc mouentur, illiſque adulantur, qui ventum habent ſecandum. Verùm etſi tales aſſentatores facies hominum habeant, propter duplicitatem facierum tanquam animalia bruta ab omnibus deſpiciuntur: nam qui ſuæ commoditati tantùm incumbit, & graditur currente aëre, omnibus eſt odibilis, nullique grata pręſtat officia. Ideò Deus ſuſcitare dicitur arcum ſuum, qui cum verſicolor ſit, variam, & infidam Iudęorum naturam, qui modò idolis, modò Deo adhęrebant, & vtriſque placere ſatagebant, referebat. *Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, iuramenta tribubus, quæ locutus es.* Hic verſ.9.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Dignitas benemerito, etiam ſi inimicus ſit, conferenda.

1. MAgna ſolertia, & diligenti ſtudio, qui munera diſtribuit, debet candidatorum merita trutinare. Non voluntas diſcernat, quę ad dignitatem rectè gerendam conducunt, ſed ratio: non eligentis affectus, ſed electi pręclara virtus, nam ſi electoris non ſit amicus, non ideò redditur indignus. *Dignitas in certamine reiecta* (aiebat Libius decad.1. lib.6.) *potentioris erit*: at ſi certamen rationis fuerit, dignioris, quamquam hoſtis ſit: nam etſi gratus, & amicus iucundiorem faciat donantis largitatem, ingenuam ingratus, ſi dignus ſit, facit, vt dixit Plinius in panegyrico ad Traian. *Liberalitatem iucundiorem debitor gratus: clariorem ingratus facit.* Præterquamquod Princeps benemeriti virtutes remunerans, non liberalitatem, ſed iuſtitiam exercet, quæ in vehementiori impetu flumini aſſimilatur: fluuius enim ridet obices, obiectas diſſoluit machinas: ſi coneris compeſcere, plus creſcit, & prærumpit obſtantia. Haud aliter iuſtitia (vbi obſtat candidati aduerſa voluntas, vigent tamen præclara merita) valido impetu moles perrumpit, vt benefaciat, & conque-

querentia ſeruitia remuneret. Riui eſt exigui obiecto lapillo cedere, viam mutare, aut alueum diuidere: verùm iuſtitiæ torrens recto tramite curſum agit: nec obſtans benemeriti maleuolentia ipſam retardat, vt quod iure debetur, tribuat. Vndè Caſſiodorus lib. 1. variar. epiſt. 16. in ſuo Principe maximè laudauit, quod inimiciſſimum hominem, qui eius hoſtes maximè iuuit, quia benemeritus erat, remuneraret.

2. Apoſtolis poſt reſurrectionem Chriſtus apparet, pacem illis optat, & oſtenſis manibus, ac latere dat eis Spiritum Sanctum, vt peccata remittant, ac retineāt. *Hæc cum dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis. Accipite Spiritum Sanctum, quorū um remiſeritis peccata, remittūtur eis, et quorū retinueritis retenta ſunt.* Io. 20. v. 22. Quæritur ab Interpretibus, quomodò nunc Spiritus Sanctus cōfertur diſcipulis, ſi promiſſus erat poſt aſcenſionem dandus: ſic enim ipſum Chriſtus pollicetur: *Si non abiero paraclytus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Io. 16. verſ. 7. D. Chryſoſt. hom. 85. in Ioan. reſpondet, operationes Spiritus Sancti multas, ac varias eſſe: nunc autem fuiſſe datum quantum ad vnam, nempè poteſtatem dimittendi peccata: at in die Pentecoſtes quantum ad poteſtatem miracula patrandi. Iam ergo inquires, quando Thomas accepit hanc poteſtatem peccata dimittendi, & anctoritatem prædicandi, quæ cæteris Apoſtolis fuit collata: an in prima die quando Thomas abſens erat. *Thomas autem* (inquit textus Ioan. 20. v. 24.) *vnus ex duodecim non erat cum eis, quando venit IESVS*, an in glorioſa Spiritus Sancti deſcenſione in die Pentecoſtes? Communis Expoſitorum eſt opinio, quod huiuſmodi poteſtas prærequirebat ſanctificationem, ac ſubindè quod inſufflatione, quam abſente Thoma Chriſtus fecit, ei non fuit communicata, cum infidelis eſſet: probabiliùſque cenſent, datam fuiſſe, quando poſteà videns Dominum, & fixuram clauorum credidit. Tamen non improbabilem exiſtimo ſententiam Cyrilli lib. 12. cap. 56. aſſerentem huiuſmodi poteſtatem eo tempore accepiſſe, quo abſens erat, & cæteris Diſcipulis fuit communicata probatque exemplo Num. 11. Vbi Eldad, & Meldad donum propherandi acceperunt vna cum alijs ſeptuaginta ſenioribus, quos Dei præcepto elegit Moyſes ad gubernationem populi, quamuis abſentes fuerint, & non in caſtris, ſed in tabernaculo remanſerint. Iam ergo vrget difficultas: nam ſi tunc temporis Thomas infidelis erat Magiſtro, ipſumque habebat infenſum, quia reſurrectionem non modò dubitabat, ſed diſcredebat omninò: cur ad dignitatem eligitur? Crediderim quia eam merebatur: nam etſi à fide defeciſſet, tamen præ cæteris mortem ſubire pro Chriſto non dubitauit, ſiquidem aliquandò ſuggerebat Diſcipulis: *Eamus, & nos, & moriamur cum illo.* Ioan. 11. Audacter mortem deſpiciebat: & eam potiùs optabat, quam à conſortio Magiſtri ſeparari: hinc ergo quamuis abſens eſſet, & infidelis ipſi, dignitatem tamen accepit, quia præclara ipſius merita ipſam exigebant: quandoquidem inimici malè affecta voluntas non debet tollere, quominùs ipſius merita ad bilances deueniant, & quod iure debetur, ipſi tribuatur.

3. Cum quæreret Saul aſinas patris ſui, in manus Samuelis incidit, cui Deus præceperat, vt illum vngeret in Principem populi, quia ipſum in Iſrael regnare decreuerat. *Cumque aſpexiſſet Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi, iſte dominabitur populo meo.* 1. Reg. 6. verſ. 17. Grauis hinc oritur quæſtio, quomodò Deus Saulem ad regnum elegerit, quem rurſus tanquam iniquum Principem ipſique infenſiſſimum inimicum à regno excludit, vt habetur infra cap. 13. *Nequaquam regnum tuum vltra conſurget.* Fortè Deus ignorabat crimina, quæ poſtea commiſit, propter quæ meritò eum à throno depoſuit? Abſit. Si ergo Deus futura peccata Saul præuidebat, & aliundè ex ſua natura tenebatur ad optimum: cur impijſſimum Principem eleuauit ad regnum? Præſtaret potiùs illum non eligere, quam poſteà à ſublimi dignitate deijcere. Eadem quæſtio redit de Angelis apoſtatis, de primò homine, de Iuda & ſimilibus, quos Deus ad gratiam, & dona ſuperna elegit, cum tamen eius præſcientiam non lateret, poſteà ab amicitia forè excludendos, & tanquam hoſtes relegandos. Optimè Caſſian. difficultatem ſoluit Collect. 17. c. 26. *De tot millibus Iſraelis elegit eum, & vnxit in Regem præſentis in illo meritum vitæ remunerans, non peccatum futuræ præuaricationis intendens.* Dignus ob præſentis vitæ meritum regno erat Saul, ideò illum in Principem populi conſtituit, etſi futurus, imò in eius æternitate præſens hoſtis, & inimicus eſſet, ne merita inpremiata remanerent: etſi poſteà in atrociſſima delicta eſſent commutanda ipſum præpoſuit, quia dignitas digno etiā inimico non eſt deneganda, nec eſſet æquum, propter peccata nondum commiſſa præſens meritum præmio defraudare.

4. Darius quondam Rex ſuper omnes ſatrapas regni ſui, qui numero erant centum viginti, inſtituit Principes tres, ex quibus Daniel vnus erat, qui cæteros ſpiritu, & ſapiētia ſuperabat. *Igitur Daniel ſuperabat omnes principes, & ſatrapas, quia Spiritus Dei amplior erat in illo.* Daniel. 6. Vbi egregrè Theodoretus verbum illud *amplior* ponderauit, nam dum in Daniele amplior Dei Spiritus affuiſſe dicitur, in cæteris gubernationis ſocijs etiam affuiſſe præſupponitur: quod tamen repugnantiam inuoluere videtur nam ſi idololatræ erant, & Deo inimici, quomodò illos ſui ſpiritus conſortes effecit? Licèt enim gratiæ gratis datæ cum peccato non pugnent tamen dona hæc gratuita, quæ ad gubernationis munus pertinebant, & ſub merito cadere vi-

videntur, non eſt cur Deus infenſiſſimis hoſtibus præſtaret. Ecce Deus notiſſimis inimicis, quia forſan dotibus naturalibus merebantur, ſpiritum, & donum gubernandi concedit, & non obſtante obiecta infidelitate illos ſuo ſpiritu imbuit. Imò Rex barbarus ipſum imitatur, Danielem præponens ſatrapis. *Porrò Rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum*. verſ. 3. Vbi Theodoret. *Intelligens illum eſſe virum Deo gratum, quique ſuperna vi niteretur, omne ipſi regnum adminiſtrandum conceſſit*. Seruus, captiuus, alienigena, & religioni contrarius, quia dignus erat, etſi alterius profeſſionis, præ cęteris regni Proceribus, ad dignitatem ſupremam euehitur, quia non voluntatis affectu, ſed rationis conſilio ipſum elegerat. Ideò Propheta, vt à Deo hanc indignitatem relegaret, & quam alienum ſit ab eo iraſci, voluntatiſque motus effrænare, & ad ipſius nutum præmia, aut ſupplicia diſpenſare, ipſum interrogat: *Nunquid in fluminibus iratus es Domine? Aut in fluminibus furor tuus? Vel in mari indignatio tua?* Quaſi dicat: Minimè, cum omnia non pro libito, ſed pro ratione gubernes,

DISCVRSVS VIII. MORALIS.

Chriſtus Dominus in aſcenſione docuit fideles palam agere de regno cœlorum.

1. IDeò Chriſtus ſuper equos aſcendere perhibetur ad cœlum, *Qui aſcendes ſuper equos tuos*, vt nos inſtruat palam, & ſine pudore de regno, quod nobis præparare aſcendit, agere, & non erubeſcere fidem coram omnibus profiteri, & virtutem ſectari. Quod, & ipſe euentus docuit, nam vt Auctor eſt D. Auguſt. in Pſalm. 54. Chriſtus Dominus meridiano tempore cœlos aſcendit, vt viam panderet, & veſtigia ſequenda demonſtraret. *Veſpere, & mane, & meridie enarrabo. Veſpere Dominus in cruce: mane in reſurrectione: meridie in aſcenſione*. Cum ergo coram omnibus Chriſtus aſcendat (nam qui meridie, & ſuper equum incedit, neminem latere poteſt) documentum reliquit, quomodò ad cœlum iter agere debeamus, non erubeſcentes nos Chriſtianos eſſe, & de noſtra nos agere ſalute. Sic vbi primò mundum condidit, dixit Deus; Germinet, terra herbam virentem: *Et protulit terra herbam virentem &c. Et vidit Deus, quod eſſet bonum*. Geneſ. 1. 11. Meritò ambiges, cur in terra recenter nata dilaudet Moyſes germinandi herbas, & producendi arbores virtutem; non verò id quod pretioſiùs habet, aurum ſcilicet, & argentum, pretioſoſque lapides, quæ in ſuis viſceribus recluduntur. Audi Caiet. *Tacuit Moyſes virtutes minerales inditas terræ, eo quod productio mineralis eſt occulta, ſicut, & gemmarum*. Gloſ. Interlineal. animam fructiferam bonorum operum in terra agnoſcit, in qua id tantùm laudandum, & commendandum eſſe videtur, quod fructiferæ operationis fructus palam proferat, neque erubeſcat rectè operari, vt Deo Auctori laus, & gloria tribuatur. Quæ recondita ſunt, & verecundia includuntur, neque laude, neque pretio ſunt digna.

2. De amiſſione Sponſi, quem ardenter amabat, vehementer dolebat Sponſa, ipſumque vt requireret, à domo egreditur: *Per vicos, & plateas quæſiui, quem diligit anima mea, quæſiui illum, & non inueni*. Cantic. 3. verſ. 2. Mirùm quod à Sponſa non inueniatur Sponſus, qui de ſe ipſo ait Iſaiæ 65. verſ. 1. *Inuentus ſum ab ijs, qui non quæſierunt me*. Cur qui omnibus obuiam fit, Sponſam quærentem fugit? Textus rationem innuit. *Inuenerunt me cuſtodes, qui cuſtodiebant ciuitatem, vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum*. Cap. 3. verſ. 4. Pallium abſtulerunt cuſtodes? Ergo pallio obuoluta Sponſum quærebat Sponſa? Ideò non inueniebat: fatetur ipſa. *Paulùlum cum pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea*. Si ergo quamdiù pallio inuoluta inceſſit, Sponſum non inuenit; & vbi primum illo fuit ſpoliata, illico inueniſſe fatetur, pallium proculdubio, quo obuoluta quærebat, in cauſa fuit, vt ab ea Sponſus inuentus non fuerit. Ita planè: non enim gaudet Sponſus, clam, & deuolutè, ſed publicè, & palam requiri; qui enim latenter quærit, de eius inquiſitione dedignari manifeſtat, vndè dedignatur, & ipſe ab eo adinueniri. Ideò alibi ſuggerebat Sponſa: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum*. Cantic. 8. Ad quid eius ſignaculum ſuper brachium effigiari iubet, cum vt præmiſerat, ſuper cor imprimi ſufficere videatur? D. Ambroſ. lib. de his, qui diuinis myſterijs initiantur. *Non gaudet* (inquit) *Sponſus, quod tantùm ametur à Sponſa, ſed etiam vt ab omnibus cognoſcatur ab eadem amari: vultque, vt non erubeſcat Sponſa neque dedignetur tantùm habere Sponſum*. Et cuius conſequentiam iterum dicebat: *Aperi mihi Sponſa mea, ſoror mea, &c.* Cantic. 5. quaſi dicat: Mea es, ſed porta obſerata: aperi mihi, pande oſtia, & reſerata porta mea eſto: cognoſcat mundus, quod mea ſis, quod me amas, neque erubeſcis me habere Sponſum. *Vult vt non erubeſcat Sponſa, neque dedignetur tantùm habere Sponſum* ait Ambroſius.

2. Diſcipulos ſuos ſic Chriſtus affatur, Matth. 5. verſ. 16 *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*. Ad quæ verba D. Hilar in Cat. D. Thom. *Tali etiam lumine monet fulgere Apoſtolos, vt ex admiratione operis eorum Deo laus impertiatur*. Et conſequenter Caiet ad eundem locum. *Alterum præceptum eſt circa gloriam non prohibendo inanem gloriam (quæ à tantæ perfectionis viris aliena ſupponitur) ſed mandando modum, quo luce-*

re

re debent ? oportet enim vos lucere, ſed modus lucendi ſit iſte: vanus eſt finis iſte lucendi coram hominibus, vt videant bona opera veſtra, niſi huiuſmodi viſio eſſet vtilis, niſi comitem haberet vtilitatem glorificationis. Hoc namque fidelibus ineſſe debet, vt palam omniumque in oculis diuino cultui mancipentur, quin de Chriſtiano nomine pudore ſuffundantur: ſed opera bona ita faciant, vt in eis gloriam ab hominibus non quærant, ſed Dei gloriam. Contra quod faciunt non pauci, qui erubeſcunt Deum palam quærere, bona opera facere, Eccleſias inuiſere, Sacramenta frequentare. Hi profectò Deum non adinuenient, abſconditur namque ille, & à talibus erubeſcit. *Qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in maieſtate ſua.* Lucæ 9. tales enim imitantur Nicodemum, qui vt dicitur Ioann. 3. verſ. 2. *Venit ad IESVM nocte.* De quo rectè D. Chryſoſt. *Adhuc tamen Iudaica imbecillitate detinebatur: propterea, & nocte venit trepidans in die facere.* Qui Chriſtum publicè confiteri erubeſcit, ipſum negare conuincitur. Futuræ negationis Petri præſagus dixit illi IESVS: *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* Matth. 26. verſ. 24. Quid eſt me negabis ? D. Auguſt. tract. 113. in Ioann. *Ab eo negatur Chriſtus, qui dicit eum non eſſe Chriſtum.* At Petrus nunquam negauit IESVM eſſe Chriſtum, & Deo Filium; ſed negauit tantùm ſe hominem illum nouiſſe, ſe in horto cum eo fuiſſe, ſe ex Diſcipulis eius eſſe: non enim idem videtur negare ſuum Magiſtrum eſſe Chriſtum, & ſe eſſe Chriſti Diſcipulum. Quomodò ergo Chriſtus dixit, Petrum ter illum eſſe negaturum ? Difficultatem egregiè ſoluit citatus Auguſt. *Dominus non ait Petro: Diſcipulum meum te negabis, ſed me negabis; negauit ergo ipſum, cum ſe negauit eſſe Diſcipulum.* Erubeſcit Petrus ſe Chriſti Diſcipulum fateri, & huiuſmodi erubeſcentia, & timor negatio Chriſti à Chriſto meritò appellatur: nam quem pudet Chriſti eſſe aſſeclam, & Diſcipulum planè Chriſtum negare conuincitur. Vndè dixit Ioan. 12. v. 44. *IESVS autem clamauit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui miſit me.* Cur valida voce clamat, dum de ſua loquitur fide ? Cyrill. apud Maldonat. *Ideò clamaſſe dicitur, vt indicaret, nolle ſe occultè, & timidè ab hominibus coli.* Docens nos Chriſtus quid facere, quomodò fidem noſtram profiteri debeamus, non obſcurè, non timidè, ſed clara, & animoſa voce clamat. Hoc inquam clamare facit Chriſtum, nam rarò latet in corde, quod voce non depromitur.

3. Gratitudine obſtrictus Elias erga ſuum diſcipulum Eliſeum, dum raptus inſtabat in cœlum, ipſi ſuggerit, vt quidquid exoptat confidenter petat, nam in amoris pignus illud præſtare pollicetur: à quo Eliſeus duplicem ſpiritum expoſtulat. *Fiat in me ſpiritus tuus duplex.* 4. Reg. 2. verſ. 6. Annuit Elias, & dum in cœlum rapitur, pallium emittit: *Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Verſ. 13. Non videtur Elias id Eliſeo præſtare, quod promiſerat: non enim Eliſeus pallium, quo operitetur; ſed ſpiritum petijt, quo ſe ardentiorem faceret, & ad munus, quod gerebat, aptum. Si ergo ſpiritum non mittit, ad quid pallium proijcit ? Etſi ſpiritum; ſuperuacaneum erit pallium ei, qui duplicem ſpiritum exoptat. Etenim ſpiritum mittit Elias: & vt mittat, opus eſt etiam pallio. Non petit Eliſeus, vt in pectore eius Eliæ ſpiritus requieſcat? Vtique. Si ergo pectus hunc ſpiritum fouere debet, hoc pallium Eliſei corpus inuoluet: impoſſibile namque eſt, hunc ſpiritum in occulto eſſe, quin in publico appareat. Præclarè Lyra commentatur. *Non à caſu accidit, ſed ex diuina ordinatione, vt Eliſeus ipſo operiatur in ſignum, quod ſpiritus Eliæ requieſcebat ſuper eum.* Non otiosè pallium mittit Elias, cum ſpiritum tribuit Eliſeo, quoniam nemo crederet, ſpiritum habere, ſi pallium non videret. Etenim quod Eliſeus ſpiritum habeat Eliæ, & hunc duplicem, & quod in exteriori nihil agnoſcatur, nihil exundet, non apparet poſſibile: nam vt dicitur Prouerb. 6. *Quis poteſt ignem abſcondere in ſinu, quin veſtimenta eius ardeant?* Aliquid ergo Eliæ palam videatur, ſi intùs Eliæ ſpiritus futurus eſt, vix enim interiori exteriùs non reſpondet: ideòque pallium dat Elias, dum ſpiritum mittit, quia ille ſpiritus clam eſſe non poteſt, quin aliquid Eliæ palam etiam appareat. Qui igitur erubeſcit Chriſtianus videri, vix talis debet iudicari. Contra hos autem timidos Chriſtianos grauiter inuehitur D. Cyprianus, quaſi contrà iniuriantes religionem, & fidem. *Blaſphemiam ingerit religioni, quam colit, qui, quod profitetur, publicè non ante omnes impleuerit.* Ideò Iob, qui de ſua fidelitate erga Deum gloriabatur, dicebat. *Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me ſicut veſtimento.* cap. 29. Hebræus vertit: *Induit me ſicut pallium.* Cur iuſtitiam pallio confert, & non alij veſtimentorum generi ? Pulchrè Caietanus locum verſat. *Iuſtitiam actionum ſuarum iudicialium dicit non fuiſſe occultam, ſed manifeſtam, aſſimilando eam ſupremo indumento, quod vocatur pallium: veſtis enim ſub pallio non patet; ſed pallium ipſum patet omnibus. Et hinc diſcant Principes, non ſufficere in iudicijs iuſtitiam, ſed oportere iuſtitiam, eſſe manifeſtam publicè, propterea enim Iob dixit vtrumque: quoad ſe quidem Iuſtitiam indutus ſum; quoad publicum verò officium, Et induit me ſicut pallium.* Sic capit Chryſoſt. hom. 70. in Matth. & hom. 24. in epiſt. ad Rom. illud Apoſt. *Induimini Dominum IESVM Chriſtum. Chriſtũ inquit induamur. cumq; illo perpetuò ſimus, quandoquidem iſtud demum eſt indutum eſſe, nunquam ab ipſo deſeri, ipſumque vndique in nobis per noſtram ſanctimoniam, man-*

ſnetndinemque conſpicunm eſſe. Non ſat eſt, quod iudex iuſtus ſit, niſi iuſtus videatur: non ſat Chriſtianum eſſe, niſi publica opera Chriſtianum perſuadeant.

4. Exod. 4. verſ. 24. egreditur Moyſes de domo ſoceri ſui cum filijs, & vxore: *Cumque eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Grauem abſque dubio culpam commiſerat Moyſes, quam Angelus tam acerbo ſupplicio plectere rentabat. D. Auguſt. ex veteri teſtamento huius comminationis cauſam aſſignat. *Pergebat itaque ad filios Iſrael miſſus à Deo Abrahæ, & ſignum iuſtitiæ non ferebat, in quo gloriari ſciebat Iudæos: idcircò ſic infenſum Angelum in ſe vidit Moyſes, & paratum ad vindictam.* Circumciſionem filij propter ſocerum, & vxorem diſtulerat Moyſes, quoniam tanquàm cultores alteriùs religionis ſanguinem infantum effundere ægrè ferebant. Cum ergo iudicaſſet, pro tunc circumciſionis filij deſiderium ſuffeciſſe, eò peruenit vt moreretur, quoniam cum illius populi ſanctitas, & virtus, religioniſque character eſſet circumciſio, non erat ab oculis occultanda, intùs tantùm latens in præparatione animi, ſed exteriùs collucens, & exercitam, quia quæ ad religionem, & virtutem pertinent, non ſunt occultanda, ſed detegenda. Vndè rectè dixit Tertull. cap. 13. de cul. fœminar. *Bonum autem dumtaxat verùm, & plenum non amat tenebras, ſed gaudet videri, & ipſa denotatione hic exultat.*

DISCVRSVS IX. MORALIS.

Chriſtus plus quam mortem, ſuos relinquere ægrè tulit.

1. TRadunt rerum naturalium Scriptores, aquilam cum aduolat, vt ſibi, & pignoribus ſuis eſcam requirat, pigris volatibus moueri, quia filij, quos ſemper reſpicit, ipſam reuocant, & eorum amor non patitur, ab ipſis ſine ingenti dolore recedere. Haud aliter Chriſtus in recurſu ad Patrem filios, quos relinquebat in terra, & habebat chariſſimos, reſpiciens, tardigrado curſu, & vehementi dolore ab ipſis fuit auulſus, quia ipſorum dilectio illum retardabat, & reuocabat ad terram. D. Maximus ſuper illud Pſal. 102. hom. 2. de Fenteco. ait: *Renouabitur vt aquilæ inuentus tua*, ſic aquilæ ingenium, & naturam ad Chriſtum inflectit. *Sicut aquila humilia deſerit, alta petit cælos aſcendit; ita, & Saluator humilia inferni deſeruit, paradiſi altiora petit, faſtigia penetrauit. Sed quid faciemus, quòd aquila prædam frequenter diripit? Nec in hoc diſſimilis eſt Saluator: prædam enim ſuſtulit cum hominem, quem ſuſcepit, inferni raptum faucibus portauit ad cælum, ſicut ſcriptum eſt ad Epheſ. 4. Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* Ideſt humanitatem, quam aſſumpſit, captiuam portauit in cœlum. Sed quomodò humanitas Chriſti captiua dicitur, dum ad cœlum pergit, & homo in ſuperna raptus? Nimirùm: quia quodammodò violentiam patiebatur Chriſtus, dum ſuos relinquebat in mundo. Sic etenim vbi expletæ fuere exequiæ, quas Ioſeph pro parente emortuo celebrauit, locutus eſt ad Pharaonis familiam: *Si inueni gratiam in conſpectu veſtro, loquimini in auribus Pharaonis: Eo quod pater meus adiurauerit me dicens: En morior, in ſepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan, ſepelies me. Aſcendam igitur, & ſepeliam patrem meum, ac reuertar. Dixitque ei Pharao: Aſcende, & ſepeli patrem tuum, ſicut adiuratus es.* Geneſ. 50. verſ. 5. Iurauerat namque Ioſeph patri ſuo Iacob (vt conſtat ex cap. 47. Geneſ.) verſ. 31. ipſum ſepelire in terra Chanaan. *Iura ergo mihi, &c.* Mirum tamen eſt, quod opus fuerit iuramento, vt egrederetur ex Ægypto, maximè ad patriam rediturus. Tam exoſum habebat Ioſeph patrium ſolùm, quod neceſsè fuit, vt eum pater ſub iuramento adigeret? Ita equidèm: nam tunc temporis tantò amore erga Ægyptum affectus erat Ioſeph, vbi Prorex erat, & ſumma omnium rerum gubernabat, vt difficulter ab ea egredi pateretur, niſi patris obedientia ipſum compelleret: ideòque ad Ægyptum redire pollicetur, quia ibi mori cupiebat. Non aliter Chriſtus Dominus tantò erga homines afficiebatur amore, tam vehementi flagtabar deſiderio non diſcedendi à terra, vbi Sponſam humanam naturam, & natos relinquebat: vt niſi Patris obedientia ad cœlos aſcendere adſtringeretur, in terra apud homines perpetuò remaneret. Ideò Iob 39. verſ. 30. huiuſmodi obedientiam intendens dicebat: *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila?* cap. 39. Quaſi nunquam eleuaretur ad cœlos, niſi paternum inſtaret præceptum. Huc reſpicit, quod aduertit Hiſtoricus ſacer Lucæ vltimo, nempè ex monte Oliueti Chriſtum aſcendiſſe, qui erat iuxta Bethaniam: *Eduxit foras extra domnm, in qua pranſi erant, & extra ciuitatem in Bethaniam.* Vbi meritò ambiges, cur Dominus non ex cœnaculo cœlos aſcenderit, aut ex Bethlehem, vbi primò fuit exceptus ad terram veniens, aut ex templo, alioue loco, ſed Bethaniam elegerit: Etenim cauſam fuiſſe opinor, quia Bethania (vt Auctor eſt D. Bernard. cap. 2. ad milites templi) *domnm ſignificat obedientiæ*. Voluit ergo Dominus Bethaniam eligere, & exindè ad cœlos abire: vt oſtenderet, non libenter, ſed obedientiæ præcepto coactum, & adſtrictum cœlum aſcendiſſe: niſi enim interueniſſet

Pa-

Patris mandatum, à charis pignoribus, quæ in terra relinquebat, nunquam diſcederet. Hoc ipſum ſignificant verba illa Marci 16. verſ. 19. *Et Dominus quidem IESVS aſſumptus eſt in cœlum.* Quaſi non ſponte iret, ſed portaretur inuitus: non quia portitoribus egeret ales Chriſti virtus: ſed vt innuat, quantùm hominum conſortio gauderet, à quo non tam abijt, quam difficulter obedientia Patris compulſus aſſumebatur.

2. Hanc quaſi renitentiam, quæ ab hominum amore procedebat, oſtendunt veſtigia Chriſti Domini impreſſa, & relicta in petra, in qua Chriſtus pedes fixit, dum cœlos aſcendebat: videtur namque Dominus vim feciſſe, cœloque reſtitiſſe pedibus terræ adhærens, ne eleuaretur, taliter vt per ipſammet petram ingrederentur: quandò verò iam præualuit, & in aerem illum ſuſtulit obedientia, pedum veſtigia in lapide reliquit in amoris ac renitentiæ monumentum. Quod autem ſacra veſtigia in lapide remanerent impreſſa, affirmat D. Hieron. de locis Hebraicis his verbis: *Mons Oliueti ad orientem Ieroſolymæ eſt fluente torrente Cedron, vbi vltima veſtigia Domini humo impreſſa hodieque monſtrantur, cumque terra eadem quotidiè à credentibus hauriatur, nihilominùs tamen eadem ſancta veſtigia priſtinum ſtatum continuò recipiunt.* Crebrò renouantur, & inſculpuntur veſtigia Chriſti Domini, ac ſi hodie eandem quaſi violentiam patiatur, & vt hoc maximum amoris ſignum nunquam poſſit aboleri. Arcanè hanc Chriſti erga homines beneuolentiam, & in eius tranſitu doloris notam prædixit Dauid, nam de illo loquens aiebat: *Sicut vmbra ablatus ſum, & excuſſus ſum ſicut locuſta.* Pſalm. 108. verſ. 23. Quid eſt ſicut vmbra? Geneb. ibi: *Cum ſenſim minuitur, mox tota euaneſcit.* Sic Chriſtus paulatim ab oculis Diſcipulorum eleuatus eſt: adueniente verò nube, à qua fuit ſuſceptus, totus ab eorum oculis euanuit. Sic tenet Suarez, to. 2. in 3. part. diſput. 49. quæſt. 2. artic. 3. & rectè colligit ex ſacro textu Actor. 1. verſ. 9. *Videntibus illis eleuatus eſt. Non enim (inquit) poterat videri aſcendens, niſi paulatim, & viſibiliter moueretur.* In ipſo enim curſu renitentiam exprimebat, atque ita ſicut vmbra ſenſim diſparuit. In locuſta verò Redemptorem agnouit Diuus Gregorius. Quod non inuenuſtè de Chriſto ad cœlos remeante poteſt accipi: vt enim locuſta, quamuis perniciſſima ſit, ſubitò ſaltus præſtat, ſed protinus ad terram cadit, & iterum opus eſt, vt è terra euolet: ſic Chriſtus Dominus per totum eius vitæ curriculum ab hominibus quaſi locuſta fuit excuſſus: at dum ſcandit cœlum, amoris pondere in terram cadit, & præcepto atque abiuratione Patris velut alter Ioſeph opus fuit, vt è terra, & à ſua gratiſſima prole euolaret.

3. Pulchrè id ipſum dixit Auguſt. lib. de eſſentia Diuinitatis explicans illud Pſalmi: *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Filius Dei (inquit) carnem de nobis aſſumptam in cœlum velut captiuam duxit, ſicut eſt in Pſalmo: Captiuam duxit captiuitatem.* Alludit perbellè S. Pater ad id, quod contingit, quando capta præda nauis piratica è portu ſoluit: tunc namque ingens captiuorum dolor auditur: illic patrios reſpectant campos, amoreque cognatorum corda natorum figuntur in portis: multoties ad fugientia littora intorquent oculos, medullitùs arenis patrijs adhærentes non vltrà videndi. Ibi amariſſimæ effunduntur lacrymæ: vt cum Æneas ab amicis, & conciuibus diſcedebat.

Hos ego digrediens lacrymis affabar abortis.

Vſquedum à lite nauis curſu occultantur. Sic ait Auguſt. captiuæ inſtar Chriſti humanitas in cœlum ferebatur à ſuis, à patrio ſolo auulſa, eo amore, eo viſcerum pondere in amatam ſobolem in terris relictam propendens, vt in aperto cœlo, clara luce, in conſpectu omnium raptim, & vi aſſumpta videretur. Quod & Propheta noſter venuſtè innuit: *Qui aſcendes ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio.* Hic verſ. 8. nam qui quadriga & equis fertur, poteſt non libenter portari, vt Chriſto Domino appparet contigiſſe.

4. Elegans pro hac re eſt ille text. Matth. 25. *Homo peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua, & profectus eſt ſtatim.* Quem Auctor Imperfecti hom. 53. in Matth. ad Chriſtum in glorioſa ad patrem aſcenſione inflectit. *Ad Patrem iturus peregrè ſe iturum dicit propter charitatem Sanctorum, quos relinquebat in terris: diligebat enim magis ſuos, quam gloriam ſuam, & tenebatur maiori dilectione ſuorum, quam gloria, quam habebat in cœlo.* Etenim quandò Chriſtus ad Patrem, & gloriam ſuam iter agebat, dicit ſe ad peregrinandum ire. Aſt quam patriam habebit, qui patriam exilium reputat? In terra enim peregrinabatur Chriſtus iuxta illud Pſal. 118 verſ. 19. *Incola ego ſum in terra.* Cum verò ad Patrem redit, ad naturalem patriam, vndè venit, reuertitur. Quomodò ergo peregrinationem agere dicit, cum ad patriam reuocatur? *Peregrè proficiſcens:* ſic enim explicandus eſt Auctor Imperfecti. Suſpicor, quia magnus amor patriam mutat, exilium in patriam reddit, patriamque in exilium. Videbis hominem, qui (quia refert) ad alienam terram pergit, vbi amore captus vxorem duxit, filios procreauit, familiamque habet numeroſam: poſteà verò opus fuit, ad patriam vndè venit reuertere: profectò ſi Sponſam, & ſobolem ſecum non adducat, ſed ſolus pergat, non minùs eſt illi quam ad peregrinandum ire, quia iam alienam terram commutauit in patriam. Factus homo venit Chriſtus in terram, noſtram aſſumpſit carnem, cum Eccleſia ſeſe ſponſauit, filios, ac Diſcipulos acquiſiuit pignora ſui amo-

amoris chariſſima: quando ergo oportuit ad Patrem redire, ad peregrinandum ire dicitur, quoniam magis filios, quos in terris relinquebar, amabat, quam gloriam, quam ſperabat in cœlis. Neque hoc nouum videatur, quandoquidem magis illos, quam ſeipſum dilexit, ſiquidem pro illis vitam dedit, vt dixit Auguſt. *Dilexiſti me plus quam te, quia mori dignatus es pro me.*

DISCVRSVS X. MORALIS.

Quandòque diſſenſiones bonæ, & optimæ Reipublicæ.

1. NOn ſemper diuiſiones ab odio generantur: multoties Charitas illas fouet, vt dixit D.Auguſt. epiſt.87. *Diſſenſiones nunquam debent amari: ſed aliquandò aut charitatem probant, aut à charitate naſcuntur.* Vt enim periclitatur nauis, ſi omnes in idem latus inclinent, & alijs alio inflectentibus optimè libratur: ſic diſſenſio inter Gubernatores aliquandò tutiorem reddit rempublicam. Si æquè pondera in læuam, & dextram tendant, incolumis nauis viam peragit. Sæpè vrbi diſcrimina vtilia ſunt. Quo ſpectat illud Saluſtij in bello Iugurtæ. *Inimicitiæ priuatæ aliquandò reipublicæ proſunt.* Cum enim mali ad ingens aliquod nocumentum reipublicæ conſpirant, & conuentione facta in publicum bonum inſurgunt, illorum vires diſiungere, vt ſeorſim faciliùs ſuperentur, ſanum erit conſilium. Sic enim apes abactæ, & ab aluearibus fugientes quieſcunt, nam ſparſo puluere inter tumultuantes earum turmas, diuiduntur, & placantur, atque ad proprium domicilium reducuntur. Vndè Virgil.in Georg.

Pulueris exigui iactu compreſſa quieſcunt.

Fuit, qui conſuleret Tyberio, vt Conſiliarios, & Magiſtratus inter ſe oppoſitos eligeret, vel iam electos arte, & induſtria diſcordaret, vt veritus quiſque inimici oculos, à prauis conſilijs abſtineret, ne vindictæ, & inſimulandi occaſionem præberet hoſti. Druſus (vt refert Tacitus lib. 1. hiſtor.) tumultuantes legiones ſedauit, eas in longiſſimas partes diuideus. Solertiſſimus enim dux, vt vnam conſpirationem extinguat, aliam fouet, vt dicebat D.Chryſoſt. *Dux ad ſoluendam militum conſpirationem alterum in alterum concitat.* Vndè idem Tacit.lib.2. *Remedium tumultus fuit alius tumultus.* Vbi primò Deus mundum condidit, lucem, quam maligno tenebrarum conſortio vitiari verebatur, ab ipſis ſeparare curauit: *Et diuiſit lucem à tenebris.* Geneſ.1, verſ.4. Non pudit ipſum amica lucis, & tenebrarum fœdera diſrumpere: quia ſicut inter bonos diſcordiam ſeminare iniquum eſt: ita inter malos, qui ad noxia ſcelera conueniunt, bellum introducere, vt diſſipentur eorum praua conſilia, charitatis eſt apex. Neque enim Deus tenebras ſolùm à luce ſegregauit, vt dies noctesque diſcriminarent, ſed loco etiam tenebras à luce diſiunxit, ne malignum tenebrarum contagium in lucem ſerperet, eamque vitiaret. *Poſſet tamen dici* (inquit Oleaſt.) *cum lucem à tenebris loco diuiſiſſe, vt ſcilicet lux eſſet in vno, tenebræ verò in altero Emiſpherio. Alioquin* (ſubdit Philo. de Mund. opific.) *propter vicinitatem inductura erant confuſionem, contentionibus de principatu mutuis, pertinaci ambitione luctam appetentia.*

2. Poſt glorioſum Chriſti aſcenſum in cœlum, Spiritum Sanctum, quem erat pollicitus, ſuper Diſcipulos ſuos miſit, qui chariſmatibus ſuperni eos repleuit, & in linguarum ſpecie viſibiliter apparuit. *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Actor. 2. verſ. 3. Quid eſt diſpertitæ linguæ? Caiet. *Significat diuiſas linguas fuiſſe in forma ignis.* At quis credat, etſi oculis cernat, Spiritum Sanctum, vt diuiſiones inducat, adueniſſe? Præſtaret ſub vna lingua apparere, vt ſpiritus, & doctrinæ vnitas oſtendatur. Qui virtute ſuperuenientis Spiritus Sancti erant repleti, linguarum contrarietatem experiuntur? Charitas enim, quæ in Diſcipulorum corda erat diffuſa, nonniſi vnicam habet linguam. Vt quid igitur ſub diuerſis exteriùs videtur? Ecce quomodò in vnitiſſima communitate ex charitate orta reperitur diſſenſio, & vnuſquiſque diuerſa lingua vtiliter poteſt loqui, dummodò quod dicitur, Dei ſit, & ab Spiritu Sancto ſuggeſtum. Multoties expedit in republica diuerſa lingua loqui, & ab illis diſſentire, quorum placita in nocumentum vergunt communitatis. Non vna, ſed diuerſis linguis loquuntur Apoſtoli, ab Spiritu Sancto inditis, omnes tamen quod Spiritus Sanctus ipſis dictabat. Licet diuerſæ eſſent linguæ, vna tamen erat doctrina. *Cœperunt ſcilicet loqui alijs linguis, non vna, ſed quod Spiritus Sanctus ſuggerebat illis.* Etenim ſicut concordia in bono bona eſt: ita & diſcordia in malo.

3. Daniel.10.verſ.13.dicebat Angelus Danieli: *Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti, & vno diebus: & ecce Michael vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum.* Dubitabant Interpretes, cur Perſici regni Princeps, ideſt, Angelus, cui cuſtodia Perſiæ erat commiſſa, contentiosè reſiſteret ei, qui pro populo patrocinium ſuſcepetat: nam perturbationibus Angelorum naturam non eſſe obnoxiam, vtpotè ſanctitatis, & pace plenam, cuius perſpicuum eſt, & diuinis

Dei

Dei nutibus obtemperare ſine vlla controuerſia vſquequaque licet intelligere. Quomodò ergo Iſraelitarum tutelæ aduerſari videbatur Perſarum regni Princeps Angelus? Quomodò inter ſanctos Angelos diſcordia abſque indignitate, & culpa inuenitur, maximè ex parte eius, qui populo Dei bellum inferebat? Cum oraret Daniel, vt Iudæi omnes Perſidem, & Babyloniam relinquerent, & in Ieroſolymam reuerterent, & Angelus præpoſitus Iſraelitico populo eius preces Deo offerret, reſiſtebat ei Angelus cuſtos regni Perſarum, quia videbat ex manſione filiorum Iſrael in illo regno magnam vtilitatem eſſe Perſas recepturos, multi enim ex illis ob Hebræorum familiaritatem, & doctrinam ad fidem vnius Dei, verumque diuinæ numinis cultum conuertebantur. Quamobrem Deum obſecrabat, vt in illo regno permanerent Hebræi: atque ita Angelus vnus ſanctus ſancto alteri Angelo reſiſtebat, magnumque diſſidium erat inter ipſos: diſcordabant enim eorum intellectus, & contrarias preces iugiter fundebant. Verùm hæc diſſenſio ex charitate erga populos ſibi commiſſos oriebatur: multotiès enim charitas lites fouet, vt damnum reipublicæ impendens euertatur: vt qui à via Dei, & ratione receſſerunt, ad meliorem reducantur frugem.

4. Hinc Paulus monebat Corinthios: *Si quis autem videtur contentioſus eſſe: nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Hoc autem præcipio: non laudans, quod non in meliùs, ſed in deteriùs conuenitis*. 1. Corinth. 11. verſ. 16. Præceperat, vt mulieres detecto capite publicè orarent? aut propherarent, & hoc ipſum non laudare ait. Verùm cur non laudat, quod præcipit? Auſculta Caiet. *Cum eſſent vituperandi, parcè loquens Paulus dicit; Non laudo: vituperio enim dignum eſt conuenire in vnum in deteriùs; cum conuentus ad augmentum boni, aut ſaltem ad conſeruationem ordinetur*. Conſenſus enim, & conuentio in bonum laudabilia ſunt; in deteriùs verò vituperanda, ac per conſequens diſſoluenda; nam contrariorum eadem eſt ratio. Si non licet huiuſmodi conuentiones in malum facere, eas diſſipare licebit, & introducta diuiſione exirpare: hoc enim, quod in perniciem impiorum, in publicam Reipublicæ redundat vtilitatem. Hinc enim Vates noſter, quaſi magnum beneficium Deus populo ſuo præſtaret, ſciſſuras, & diuiſiones in fluuios introducens id refert: *Fluuios terræ ſcindes*. Hic verſ. 10. Nam aliquandò diuiſiones populo perutiles ſunt.

DISCVRSVS XI. MORALIS.

Mala facere, & queri Potentiorum eſt ingenium.

1. QVaſi poteſtas ius eſſet ad iniuſtè opprimendum, nullumque habeat vexatus, vt de damno ſibi illato conqueratur, voces, quibus attemperatur dolor, ipſi prohibentur, & damnum inferens conqueritur, ac ſi illud accepiſſet, remediumque miſeris conceſſum exhalandi per hos dolorem interiorem præcordia comprimentem ipſis denegatur. Offenſus enim abſq; ratione ſenſus nihil niſi vocem pro leuamine habet, vt dicebat Caſſiador. *Læſus animus vociferatione paſcitur*. At neq; hoc inualido pauperi licet, nam & potentiam, & querelas ſibi vſurpat, qui fortunæ fauoribus innitens in inermes inuehitur. Abraham Dei mandato parens promiſſaque accipiens; patria relicta propter famem, Ægyptum ingreſſus vxorem ſuam vocat ſororem, quam Pharao abſtulit; flagellatus tamen à Deo ipſam reſtituit, & de deceptione conqueritur, quaſi grauiter eſſet offenſus. *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abraham: vocauitq; Pharao Abraham, & dixit ei: Quidnam eſt hoc, quod feciſti mihi? Quare non indicaſti, quod vxor tua eſſet?* Gen. 12. v. 18. Sine cauſa conqueritur de Abraham, qui propter iniuſtum Sarai raptum in ſeipſum debebat querelas intorquere. Fortè Abraham iniuriam intulerat Pharaoni? An Pharao Abrahamo, cuius mulierē ſubripuerat, & ſublatam adduxerat in domum ſuam? Cur ergo queritur, cum potius Patriarcha, qui læſus erat, conquerendi haberet ius? Sic D. Chryſ. hom. 57. in Geneſ. Abrahami nomine: *Ego ne tibi feci? Ipſe magna mihi feciſti*. Si ergo Pharao iniuriam intulerat Abrahamo, cur de illo, quaſi iniuria eſſet affectus, conqueſtus eſt? Niſi quia potentiorum genium eſt, & iniurias inferre, & querimonias ſibi arrogare. Nec voces quidem in ſubſidium læſi animi relinquunt: mala, quæ moliuntur, & inferunt, quaſi in ſe facta exiſtimant: ius lædendi, & conquerendi ſibi vſurpant; & ille ipſe, qui iniuriam intulit, querelas effundit.

2. 2. Reg. 12. v. 6. miſit Dauid ad conſolandum Chanum de morte patris ſui legatos, ille autem Principum ſuggeſtione, & conſilio, ſine pudore, & cum magna mittentis iniuria nuncios tractauit: raſit namque dimidium barbæ eorum, illorum veſtes vſque ad eorum nates præcidit, & ſic impudenter ad Dauid remiſit. Viderunt autem Ammonitæ, quod immeritò iniuriam Dauid feciſſent, & pro pijs erga ipſos officijs grauiſſimam offenſam repen-

pendiſſent. At quid tunc faciunt, vt Regem infenſum placent, illique vt par erat, ſatisfaciant? *Miſerunt* (inquit text.) *filij Ammon, & mercede conduxerunt Syrum Rohob, & Syrum Soba, viginti millia peditum, & à Rege Maacha mille viros*. Quod arma præparent, vt à Rege offenſo ſe defendant, non miror, quandoquidem intelligere debebant Ammonitæ, Dauidem de offenſa ſibi iniuſtè illata ſumpturum vindictam, non enim tam impudens delictum poterat diſſimulari, nam irreuerentia in regios miniſtros celerem expoſcebat vltionem. Verùm quod ſe armeut, vt laceſſitum Dauidem adoriantur, hoc valdè miror. Si Dauid iniuria erat affectus, cur arma conuocant, vt in ipſum irruant, quaſi ipſi iniuria afficerentur, & de damno illato apud exteros Reges conquerantur, vt in auxilium prouocent? Præſtaret potiùs ſcelus grauiſſimum contrà ius gentium honeſtare, quam querimonijs in pium Principem inſurgere, & arma contrà ipſum mouere *Non ſolùm* (ait Caietan.) *iniuriam intulerunt, ſed, & bellum addere curauerunt*. At hoc potentiorum, & fortunæ beneuolentia turgentium vitium eſt, alijs nocere, & de nocumento conqueri, quaſi in ipſos inflecteretur. Non ſolùm Ammonitæ fidem cum Principe vicino fregerunt, irreuerenter ipſius nuntios nudauerunt, & ad præſentiam Regis miſerunt; ſed querimonias, quæ ipſis competebant, ſibi arrogarunt, & damno illato bellum addidere.

3. Miſerabat Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum legatos ad ferè omnes populos orientalis plagæ, vt tributa ſibi exhiberent, alioquin vexationibus opprimendi; quod cum vno ore omnes contradicerent, & legatos vacuos remitterent: *Tunc* (inquit textus) *indignatus Nabuchodonoſor Rex aduerſus omnem terram illam, iurauit per thronum, & regnum ſuum, quòd defenderet ſe de omnibus regionibus his*. Iudith. 1. verſ. 13. Anno verò tertiodecimo imperij ſui congregauit omnes ſatraphas, & principes, ipſiſque propoſuit, cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio, ſeque defenderet ab illis populis, qui tributa ſoluere renuebant. Expende verborum ſeriem, & proprietatem: populorum namque expugnationem defenſionem ſuam, vocat: & cum iuſtè illi tributa denegarent, ſe ab illis eripere tentat, quaſi aduerſus illam rebellarent. Etenim populorum nullus offendit Regem: ſua iura, & priuilegia tuebantur, quæ Rex violare prætenderat: dubio abſque ipſe populos offenderat, cum abſque vlla ratione à non ſubditis munera, & tributa extorquere voluerit. Cur ergo ſe defendere dicit, *Quod defenderet ſe de omnibus regionibus his*; cum ipſe populos oſtendiſſet? Opinor, quia potentes, qualis erat Nabuchodonoſor, non ſolùm arbitrantur; iniuriam inferre ſibi licere, ſed de illata conqueri. Populorum clamores, quos pro iniuſta vexatione ne dabant, offenſam reputauit, & imputauit ad culpam: quaſi miſero oppreſſo nec vocem liceat contrà offenſorem emittere; & tyranno oppreſſori omnia expediant, ac ſi potentia ius eſſet delinquendi, & conquerendi.

4. Siſtitur Chriſtus ad tribunal Pilati, & cum nihil reſponderet ad ea, quæ iudex interrogabat, dixit: *Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* Ioan. 19. verſ. 10. Quoties Chriſti innocentia vexata tacuit, & ſiluit offenſa? Et vt ſemel iudex ſe ſuſpicatur offenſum, (quaſi Chriſti taciturnitas crimen eſſet grauiſſimum) ipſum reprehendit, & queritur, ac ſi iniuriam maximam ipſi intuliſſet. Licet iudici vexare innocentem; & innocenti tacere non licebit? Vt quid queritur Pilatus, dum malè agit, & abſque vlla cauſa Chriſtum damnat, de ipſius ſilentio? Quia hæc eſt impudentia potentioris iniurias fulminantis, de illis, ac ſi ipſum læderent, conqueri: quia credit, quod ſibi licet nocere, etiam de eo, qui iniuſtè patitur, querimonias habet. Audi Ambroſ. ſerm. 20. in Pſalm. 118. *Vſurpas, ò homo, poteſtatem, quam non habes; cum Dominus neget habere, qui habet ſuper omnia poteſtatem. Audi quid iuſtitia dicat: Non poſſum à me facere quicquam. Audite quid iudex iniquitatis loquatur: Poteſtatem habeo crucifigere te, &c. Mala poteſtas, licere quod noceat*. Nec vox quidem relinquitur afflicto, quia pro iniuſtè nocumento illato nemo poteſt conqueri; & iuſtum iniuſtè opprimere potentior reputat ſibi licere: ſubindeque querulas voces adimit oppreſſo, quas ſibi arrogat. Sanè aliter Deus, qui vbi naturalia rerum iura reſcindit, vt ipſi tanquam ſupernaturali agenti pareant, voces liberas relinquit, vt conquerantur, ſicut maris, ac Iordanis vndis contigit: nam contra naturalem ſuam inclinationem ſtagnatæ, & diuiſæ gemitus, & ſuſpiria dedere. *Fluuios ſcindes terræ: viderunt te, & doluerunt montes: gurges aquarum tranſijt. Dedit abyſſus vocem ſuam*. Hic verſ. 10.

DISCVRSVS XII. MORALIS.

Reſurrectionis Chriſti Domini luces, & vmbræ traduntur.

1. CEm Reſurrectionis myſterium omnium fidei ſit maximum, omniumque vtiliſſimum: nam vt dixit Paul. 1. Corinth. 15. verſ. 14. *Si Chriſtus non reſurrexiſſet, inanis fides noſtra*: ipſum in veteri lege pluries adumbratum inueniès, in ipſo enim mundi naſcentis exordio tanti Sacramenti reuerbera-

berauit figura. Nam poſtquam Deus terram operuit exundantibus aquis, ipſas in vnum locum conuenire præcepit, vt terræ faciem florida amænitate, & varietate fructuum decoraret. *Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, & appareat arida.* Geneſ.1. Cur terram aquis primò opertam poſteà nudata facie apparere præcepit? Etenim vt à ſepulchro, in quo iacebat, reſurgeret, & ipſius Conditoris reſurrectionem, in qua glorioſo triumpho à funere ſurrexit, delinearet. Id ipſum penſitauit Sinaita auerſionem expendens, quam Deus erga Iudæorũ Sabbatha manifeſtat Iſa.1.v.13. *Sabbata veſtra odiuit anima mea.* Si Sabbata Deus ſanctificauit, ſibique Sabbatum in requiem delegit: quomodò nunc Iudæorũ Sabbata reprobat? Auſculta Anaſtaſ. lib.7. Examer. *Res adeò exoſa quomodò poteſt eſſe ſancta? Dies Deo exoſus quamnam Dei accipit benedictionem? Pende reſponſum. Non dicit Deus: Sabbata odiuit anima mea; ſed Sabbata veſtra odiuit anima mea: ea odiuit Deus vt prophana, & iniqua; ſed non Sabbata noſtra ſpiritualia reiecit: ſeptimo enim die Dominus ab operibus ſuis Euangelicis quieuit in ſepulchro, & deinceps die octauo ſurrexit à mortuis, & huic Sabbato benedixit, & ſanctificauit Deus.* Sabbata Iudæorum excluſit, vt oſtenderet, quantùm in Sabbato, quo è ſepulchro ſurrexit, complacuiſſet, vbi nos à mortis ſepulchro liberauit, & ad perpetuam vitam reſtituit. Quo ſpectat illud Oſeæ 6.v.3. *Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos.* Vbi optimè notauit Ribera, nullibi niſi in iſto loco ſpatij trium dierum, quibus Chriſtus iacuit in ſepulchro, in veteri teſtamento mentionem fieri. *Ex hoc loco ſancti Patres oſtendunt reſurrectionem Chriſti tertia die: non enim alibi de tertia die inuenitur in veteri teſtamento.*

2. Id ipſum adumbratum reperies in Ioſeph, quem Ægyptia mulier in fraudem pellicere tentauit: ille autem ne maritalem torum domini violaret, *Relicto in manu eius pallio fugit, & egreſſus eſt foras.* Geneſ.39.v.12. Quem locum pulchrè de Chriſto reſurgente accipit Euſeb. nam ſicut Ioſeph pallium reliquit in manu ipſum incitante, & detinere ſatagente: haud aliter Chriſtus ſepulchri exuuias in manu mortis reliquit, quæ ipſũ retinere ambibat. *Ioſeph* (inquit Euſeb.) *à muliere detinetur, & Chriſtus à morte: Ioſeph pallio reiecto aufugit, & Chriſtus linteamina in ſepulchro reliquit, & reſurrexit.* Solùm mortalia indumenta mors acquiſiuit, nam animam, & corpus ab illius manibus Chriſtus eripuit. De quo præſagus, & exultans Dauid dicebat Pſalm. 56. verſ 9. *Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cithara.* Cur pſalterium meminit, & citharæ, dum reſurrectionem Chriſti exoptat? Egregiè Caſſiod. citharam hic depinxit: *Quæ neruis tentis, dinumeratiſque oſſibus virtutem patientiæ intellectuali quodam carmine perſonabat.* At ideò opinor pſalterio, & citharæ humanitatem Chriſti conferri, quia pſalterium ex parte cœli tangitur, cithara autem ex parte terræ. Poſtulat ergo, vt tum anima, quæ à cœlo traxit originem, tum corpore, quod à terra ſumpſit, reſurgat. Hoc autem, vt ipſius gloria, & lætitia adimpleatur, nam & ſuam & noſtram reſurrectio contulit: licet enim amaritudo paſſionis reſurrectionem præceſſerit, hæc omnem obliterauit mœſtitiam, & in gaudium commutauit dolores.

3. Hùc tendit illud Cantic.1.v.13. *Faſciculus myrrhæ, botrus cypri dilectus meus mihi.* Et botro, & myrrhæ dilectum comparat Sponſa: quia quod paſſionis acerbitas amaricauit, reſurrectionis iucũditas dulce, & delectabile reddidit. Sic D.Bern.lib.de paſſ.Dom.c.4. *Myrrha amaritudinẽ paſſionis ſignificat; faſciculus verò coadunationem multarum paſſionum. Botrus cypri dilectus meus mihi: ſubitò enim faſciculus myrrhæ fit botrus cypri continens in ſe vinum iucunditatis, & lætitiæ.* Hinc enim Eccleſia verba, quæ a Dauide pſal.117.verſ.24. vſurpauit, ad hunc diem inflectit, & canit lætabunda. *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Ad quæ D.Ambroſ.lib.7.de diu. offic.cap. 13. *Vt decet ſolemnitas ſolemnitatum, quemadmodum pro ſua magnitudine dicuntur Cantica Canticorum: ſicut enim illa cætera ſuperant ſancta, vel cantica: ſic ſolemnitates cæteras tuæ ſacroſanctæ ſolemnitatis oſtendit nobilitas.* Non solùm in nos gaudium, & lætitia tanti myſterij redundauit, ſed in ipſum reſurgentem: nam vbi Iudæi ipſius luces extinguere moliebantur, clariùs ſplendeſcere fecerunt.

4. Arcanè Dominus de ſua reſurrectione locutus id indigitabat Ioan.16.verſ.19. *Modicum, & non videbitis me: iterum modicum, & non videbitis me, quia vado ad Patrem.* De reſurrectione hæc verba capiunt communiter Interpretes. Sed quid obſcuriùs, quam dum ad Patrem iret, cum poſſet per impaſſibilitatis pontem tranſigere, per paſſionis vadum ire voluerit, & poſt cruciamenta per reſurrectionem mirabiliter indè exire? Vndè dicebant Iudæi: *Neſcimus quid loquitur.* Sed hac vmbra omnipotentiam, & maieſtatem oſtendit. Vt enim vrſus alueum tollit, & flumine immergitur, lætanturque adſtantes, cum credunt, illum immergi: aſt ille illos irridens, apibuſque ſuffocatis exit ad ripam: ſic Chriſtus Dominus cum ſe in aquis paſſionis immerſit, cumque iam illum ſuffocatum crederent, Iudæos ſuſpenſos, & abſortos reliquit, cum ſuo corpore, & anima ad vitæ portum reſurgens, & cum ingenti gloria de Iudæorum nequitia triumphans. Quod pulchrè dixit Chryſolog. ſerm.37. ad Ionæ euentum, qui reſurrectionis Chriſti extitit ſymbolum, alludens. *Currit, occurrit, adeſt bellua de profundo totum Dominicæ reſurrectionis impletura, & proditura, imò conceptura, & paritura myſterium: adeſt bellua, ideſt*

imago horrida, & crudelis inferni, quæ dum fertur auidis faucibus in Prophetam, vigorem ſui ſenſit, & deguſtauit Auctoris, incurrit namque ieiunium deuorando, ſed domicilium cordis ſui tremens ad ſuperni hoſpitis aptat, & præparat manſionem: vt ipſa, quæ fuerat tota cauſa diſcriminis, ipſa fieret neceſſaria nauigationis inaudita vectura, vectorem ſuum ſeruans, & poſt triduum referens ad ſuperna, & hoc daret Gentibus, quod abſtulerat à Iudæis, quibus ſignum quærentibus ſolùm dandum Dominus eſſe ſignum hoc decernit, per quod ſcirent gloriam, quam in Chriſto ſperauerant, totam eſſe Gentibus conferendam. Ventrem piſcis, qui reputabatur ſepulchrum, pro cymba habuit Propheta, vt oſtenderetur, ſepulchrum Chriſto fuiſſe vitalem manſionem, ſiquidem vbi Iudæi ſub mortis arbitrabantur iuiſſe imperium, ibi ſe declarauit Dominum eſſe mortis: nec ſolùm ſe, ſed & ſuos etiam à mortis, & peccati captiuitate liberaſſe, atque chyrographum noſtræ libertatis ibi ſub mortis vmbraculis latuiſſe.

6. Non vacat myſterio, quod Eccleſia ſancta de Sacramento reſurrectionis locuta, aſſerat ſurrexiſſe Dominum ſecundùm ſcripturas, quod de alijs myſterijs non dicit, etſi omnia in ſacra pagina ſint reuelata. *Surrexit ſecundùm ſcripturas*, Cur hoc ſignatè de reſurrectione depromit, de aliiſque myſterijs omittit? Niſi quia ſcripturæ, & tituli de rebus præcipuis (videlicet de nobilitate, & hæreditate) magna cura aſſeruantur, vt priuilegia obliterentur nunquam, & vbi opus fuerit, repetantur. Sic etenim Eccleſia pro reſurrectione ſcripturas citat, & obſeruatas oſtendit, vtporè quę illam nobiliſſimum quidem myſterium, & ad noſtram libertatem maximè neceſſarium optimè agnouit. Obſeſſa Ieruſalem à Chaldæis, præcepit Deus Ieremiæ in carcere detento, vt agrum emeret, & chyrographum poſſeſſionis in vaſe fictili aſſeruaret. *Ecce Hanameel filius Sellum Patruelis tuus veniet ad te dicens: Eme tibi agrum meum, qui eſt in Anathoh.* Ierem. 32. verſ.7. Et poſteà: de titulis emptionis locutus: *Pone illos in vaſe fictili, vt permanere poſſint diebus multis.* Meritò miratur Propheta, quod præcipiatur ipſi agrum emere, cum ciuitas, & omnes eius poſſeſſiones in manus inimici iamiam incidebant, ſicq; Deum arguit: *Ecce munitiones extructæ ſunt aduerſum ciuitatem, vt capiatur, & vrbs data eſt in manu Chaldæorum, qui præliantur aduerſus eam à facie gladij, & famis, & peſtilentiæ, & quæcunque locutus es, acciderunt, vt tu ipſe cernis: & tu dicis mihi Domine Deus: Eme agrum argento, & adhibe teſtes, cum vrbs data ſit in manus Chaldæorum?* Aſt Prophetæ obiectione non obſtante, inſtat Deus, vt agrum emat, ſcripturaſque & titulos in vaſe teſtaceo ſeruet. Quid hoc ænigmate voluit Deus oſtendere: niſi libertatis noſtræ chyrographum, & pretium pro ipſa exhibitum in vaſe teſtaceo, quod Redemptoris noſtri corpus præfigurabat, in ſepulchro abſcondi, & reſurrectione aduenienté huiuſmodi titulos forè publicandos? Terra noſtra empta dicitur, vt redempta quoque intelligatur: ideòque tituli aſſeruantur, vt vbi opus ſit, libertatis noſtræ charta, & ſcripturæ oſtendantur, ne vlteriùs in captiuitatem dæmonis obſidentis deueniamus; & mirabiliter oſtendatur, quam erga nos in reſurrectione Chriſtus miſericors & liberalis extiterit, vt optimè dixit Euſeb. Emiſen. hom.5. de Paſch. *Si enim latroni Dominus cum crucifigitur, miſeretur: multò magis Chriſtiano miſerebitur, cum reſurgit. Et ſi paſſionis humilitas tantùm præſtitit confitenti: reſurrectionis gloria quantùm tribuet deprecanti? Largior enim ad præſtandum ſolet eſſe læta victoria, quam addicta captiuitas.* Ideò cum de hoc myſterio agitur, Eccleſia citat ſcripturas, vt in ipſis eius largitas, & noſtra libertas legatur. Haud aliter Vates noſter, dum de humanitate Chriſti glorioſè reſurgente loquitur, iuramenta, quæ Deus populo præſtitit circa hoc myſterium, repetit, quaſi ipſum titulis, & ſcripturis reconueniat, vt pollicita adimpleat. *Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, iuramenta tribubus, quæ locutus es.* Hic verſ.9.

DISCVRSVS XIII. MORALIS.

Subditi vel inuiti in via virtutis ſunt educandi.

1. NIſi deſipiat ſubditus, Superioris rigorem nunquam prouocabit, imò declinabit ſemper, non aliter quam in nauigando procellam, ſciens. Superiorem teneri, quos leniter in diſciplinam adducere non poteſt, vi, & ſeueritate compellere. Vndè conſulebat Caſſiodor. lib. 11. var. Epiſt. 8. *Compellat rationabiliter proprius animus: ne vos vrgeat terror armatus.* Temerè enim Nauta Aquilonis contemnit minas pertinaciter reflantis: nam qui pelagus exaſperat, eius in ſe concitat iras. Expedit ergo ſubdito docilitatem ſemper præbere quia prælato incumbit in virga, ſi aliter non poſſit, ſubditos dirigere, vt rectò tramite ad virtutis obſeruantiam perueniant, & vel inuitos aduocare, ne illorum culpæ ipſi imputentur. Nam vt optimè dixit D. Hieron. Epiſt. 77. *Si tenuitèr riuus fluit, non eſt alueí culpa, ſed fontis.* Hinc per phraſim dicitur, quis ædificare ſibi domum, cum progeniem facit. Sic Exod. 1. *Benedixit Deus obſtetricibus, & ædificauerunt ſibi domos.* Qui loquendi modus non ſolùm in eo habet fundamentum, quod filius ſit ædificium patris, &

ſicut

ſicut poſt vnam domum ædificatur alia, & poſt hanc alia, atque ex pluribus fit ciuitas: ſic generatur filius, qui deinceps alium generat, vndè ædificatur familia. Sed ex eo maximè videtur, aſſumptus, quia ſicut ligna ac lapides ad ædificandam domum perpoliti, diſpoſiti ac dolati ſuis per manus artificis cooptantur locis: ſic filiorum ac domeſticorum mores debent efformari, ac perpoliri ad normam rationis, diuinæque legis, & virtutis perſcriptum, vt nihil aſperum, nihil indecorum, aut contractum appareat.

2. Poſt ingentem quadraginta dierum pluuiam miſit Noe coruum, & columbam per feneſtram arcæ, vt explorarent, an aquæ eſſent imminutæ, & ſiccaretur terra. Regreſſa autem columba ad arcam ingredi renuebat, & erga ipſam volitabat: *Quod videns Noe miſit manum ſuam, & introduxit eam*. Geneſ. 8. v. 9. Cur obſecro columbam ingredi nolentem violenter ad arcam reducit Patriarcha? Quid intereſt, quod vagetur, quæ ſemel fuit emiſſa, & libertatem aucupata? Rectè Oleaſt. *Pulchrè nos admonet locus iſte: vt cum viderimus familiares noſtros perditos ire, inuitos etiam ſaluemus eos: ſunt enim aliqui tam aſperi, vt vix ſeſe etiam ad ſuam tractari ſinant vtilitatem*. Munus parentis, & patrisfamilias eſt, filios, & domeſticos, quos à virtutis via aberrare vident, reuocare, & vel inuitos in ſalutis portum ducere: hoc enim charitas dictat, hoc inſtat officium. Aliter qui eos corrigere negligit, & plus æquo indulget, & eos perdit, & conuincitur non amare, atque hoſtes infenſiſſimos nutrit.

3. Miſſus Eliezer, vt vxorem quæreret Iſaaco, cum iam in domum Abrahæ remigrare voluiſſet, idque cum Rebecca filio ſuo copulanda: *Reſponderunt fratres eius, & mater: Maneat puella ſaltem decem dies apud nos, & poſteà proficiſcetur*. Geneſ. 24. verſ. 55. Quærunt Interpretes, cur non Bathuel, qui pater erat Rebeccæ, & in nuptiales tractatus conuenerat, puellam apud ſe remanere poſtularet: ſed eius mater, ad quam non præcipuè huiuſmodi negotium pertinebat? Auſculta Burgenſ. In addit. 5. ad præfatum dubium reſpondentem. *Dicendum, quod Bathuel antiquior, & magis ſenſatus nolebat differre miſſionem Rebeccæ, credens quod iſta erant à Deo ordinata, prout dixerunt prius: A Domino egreſſus eſt ſermo: ſed Laban, qui erat iunior, & mater Rebeccæ ex quadam carnali fragilitate volebat differre negotium, prout ſequitur: Maneat puella nobiſcum*. Vide quantum felicitatis Rebeccæ ſequebatur ex coniugio cum Iſaac, ex quibus ortus eſt Iacob, & ex eo duodecim preclariſſimæ tribus, ac denique Deus homo. Hoc totum maternus amor differre conabatur. Quod ſæpè accidit: nam matrum erga filios affectus ipſorum commodum retardat, & euertit: & niſi à materno ſinu ſeparentur, neque literis, neque virtute proficiunt. Sic vbi Elias filium viduæ, apud quam hoſpitabatur, ſuſcitare voluit, ait matri: *Da mihi filium tuum*. 3. Reg. 17. verſ. 19. Cur è matris ſinu corpuſculum inanimè detraxit? Si oratione reanimandum erat, parum intererat, quod in maternis brachijs remaneret. Vt quid igitur illud auulſit? Abſque dubio, vt nos inſtruat, quam noxius ſit filijs maternus amor. A matre ſeparatus reuocatur ad vitam: quaſi maternus fauor reſurrectioni obſtaret. Præſtat igitur, parentes, & Superiores non nimia lenitate filios, & ſubditos fouere: ſed vbi expedierit, rigore, & aſperitate in virtutis viam reducere.

4. Paulus egregius gentium Prædicator quoſdam vanæ elegantiæ lepore imbutos, deſtitutoſque omni virtutis ſtudio alloquens dicebat: *Quid vultis? In virga veniam ad vos? An in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?* Quis non miretur, quod pſeudo Apoſtolis acerrimus Apoſtolici muneris defenſor optionem offerat, an velint aſperum contrà ipſos reprehenſorem venire: an manſuetudine lenem? Quis ambiget, reos filios potiùs patrem optare blandum delicti correptorem: quam indignatum iudicem, & atrocia minantem, atque exequentem ſupplitia? Vt quid igitur ipſorum conſilio remittit correctionis aſperitatẽ, aut manſuetudinem? Crediderim, quia in ſubditorum voluntate eſt, blandum, aut aſperum Superiorem cudere: ipſorum enim mores rigorem excitant, aut exarmant: illorum vita ad ſuum arbitrium Prælatum efformat, aut probitate tranquillum: aut improbitate ſeuerum. Nam qui morum turpitudine deuenuſtatur, ipſum cogit ad ſeuerè puniendum, vt vel inuitus in viam, à qua aberrauit, reducatur: qui verò diſciplinæ honeſtate decoratur, ipſum allicit, vt benignè leniter, ac manſuetè cum illo agat. Omnia enim vitia, etſi malignè reſiſtant, Præſul tenetur eradicare, quamuis oneroſa manus grauet, & exaſperet ſubditos.

5. Primus, qui terram colere incœpit, vt fructus ferret opimos, Noe fuit poſteritati generis reſeruatus. *Cœpit Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam*. Geneſ. 9. Si Noemo totius vniuerſi cura committitur, vt quid agriculturæ ſtudet? Quid commune habet cum aratro ſceptrum? Quid cum agricola Imperator? Quid corona cũ quotidiano agriculturæ ſudore ac labore: Indecenter enim occupatur Princeps terram excolens, & operarij munus exercens. Audi Philonem Hebræum (lib. quod deterior potiori inſidietur) hæc munera inter ſe conferentem. *Legiſlator Noe iuſto agriculturæ artem tribuit docens, quod in morem agricolæ boni vir bonus è ſilueſtri genere ſtirpes, quæcunque noxiæ ſunt, ab affectibus, aut vitijs plantat, & excidit*. Sicut enim agricola terram à noxijs ſtirpibus repurgans, ſcindit, & lacerat, & omnibus agriculturæ inſtrumentis ipſam offendit, vt omnia inutilia ſemina

diuellat, quo fructus ferat ſalutares: ſic etiam qui clauum reipublicæ tenet, vt ipſam à noxijs, & ſerpentibus vitijs liberet, & virtutibus locupletet, noxia, & inutilia ſemina debet eradicare, atque etiam cum impiorum offenſa commiſſos ſibi populos expurgare à quibuſcunque nociuis, & ſilueſtribus herbis, & ad meliorem frugem ſubditos reducere. Quod ferè eadem metaphora innuebat Vates noſter, dum in ſubſidium, & vtilitatem populi ad promiſſam terram tranſmeantis, terræ ignotos alueos Deum aperire, vt flumina fluerent, dicebat. *Fluuios terræ ſcindes, &c.* Hic verſ. 10.

DISCVRSVS XIV. MORALIS.

Principem omnes reuerentur: maximè, qui nobilitatis habent ſtemmata.

1. VEl ipſa natura docet, Præpoſitos, & Principes in magno pretio haberi, illoſque magno honore, & reuerentia forè proſequendos: quin vnquam liceat in ipſos inuehi, aut malum aliquod contrà ipſos moliri. Si quis titulum haberet honeſtum carpendi Principem, is Dauid videbatur, qui tyranni impietate vexatus magna nocumenta immeritò à Saule acceperat. Is autem quia aliquandò regiam chlamydem dilacerare fuit auſus, poſteà pœnituit, & ſuper huiuſmodi facto doluit contrito corde. *Percuſſit cor ſuum, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul.* 1. Reg. 24. verſ. 6. Iniuſtè dolet de damno illato, qui iniuſtè tot iniurias à Rege erat perpeſſus, qui multoties lanceâ illum configere tentauit, & mortem minitabatur. Tamen etſi nullum haberet prætextum Saul ad perſequendum Dauidem, nunquam licebat ſubdito perſonam Regis vel leuiter tangere, propter reuerentiam ipſi debitam: idcireò quaſi de facto ſibi prohibito, de ſciſſura regalis indumenti pœnituit. *Quia in hoc fecerat irreuerentiam ipſi Saul, qui honorandus erat, quamdiù in regno tolerabatur*, inquit Lyra. Dummodò à Deo toleratur Princeps, ab omnibus ſummo honore habēdus eſt. Bona auferat, iniurias inferat, mortem minitetur, nunquam licet minimā illi iniuriam irrogare, nec leuiter illius veſtis fimbriam pertingere. Vndè dicebat D. Anſelm. ſup. Epiſt. ad Rom. *Principi non eſt reſiſtendum, etiamſi bona noſtra auferat*, & D. Gregor. in regiſt. *Regum mala, & magnatum quandòque toleranda.* Nec verbo quidem ferire Principem expedit, quem omnes laudare tenemur: idem namq; eſt, Principem eſſe, & laudari. Vndè inter fauſta tribui Iuda prænuntiata illud eſt: *Iuda, te laudabūt fratres tui.* Gen. 49. v. 8. Felix ſanè ſors: nam ſępiſſimè fratres impetunt conuitijs. Sed iam textus cauſam reddit: *Non auferetur ſceptrum de Iuda.* Verſ. 10. Vbi Principatus vinculatur, ibi laudes, & honores deferuntur, Hinc D. Auguſt. de grammat. *Princeps dicitur, quaſi primus capiens.* Honorem ſcilicèt, non pecunias: debet namque Princeps in quocunque euentu ab omnibus laudari. Nunquam ab eo licet diſcedere, etiamſi in ſubditum iniurias fulminet: nam hoc ad nobilitatem ſubditi, & ad reuentiam ſpectat Principis.

2. Infauſtum Saulis caſum accepit Dauid, & iuſto zelo repletus ſic excandeſcens montes maledictione mulctauit: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat ſuper vos, nec ſint agri primitiarum: quia ibi abiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo.* 2. Reg. 1. verſ. 21. Si Saul ab hoſtibus percuſſus eſt, & nullam vim ipſi montes intulerunt; quin potiùs cadentem Regem in ſuo exceperunt ſinu: cur ſiccitate mulctantur æterna? Qui non eſt culpę conſors, ſit pœnæ exors: nam non peccātē punire libido eſt puniēdi, & iuſtitię violatio. Audi tamen D. Ambr. lib. 2. off. c. 9. *Aruerunt montes prophetico maledicto, & diuina vis ſententiam maledictionis impleuit: itaque pro regiæ necis ſpectaculo pœnam elementa ſoluerunt.* Nec videre licet impunè Principum damna. Vt pateat, quam ſint puniendi eorum, qui in dignitate conſtituuntur, deſpectus, vel montes ipſi, qui erecta ceruice interitum Regis viderunt quaſi ad illum præſtarent auxilium, vel quia non ruebant in eius vindictam meritò ſterilitate puniuntur. Quis audeat in Principem? Quis impunè Principis caſum, vel ruinam poterit non tantùm videre, ſed excogitare? Quis machinari, qui nobilitatis ſtemmate decoretur? Nullus certè: nam nobilis nunquam in Regem non eſt beneuolus, rebellare non audet, ne fidelitatem ſanguine acquiſitam frangat, & indecorè maiorum ſtemmata deturpet.

5. Pro repetenda pecunia Tobias filium mittere decreuerat, cui aliquem expertum iuuenem, qui ſine errore deducat, præcipit conducere. *Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum ſalua mercede ſua, vt dum adhuc viuo, recipias eam.* cap. 5. v. 4. Itâ filius ductorem quæſiturus: obuius ei occurrit Angelus ea forma, vt videretur ſtrenuè accinctus ad curſum: quem, poſtquam promiſerat eum conducere in domum Gabelli, ducit ad ſeniorem Tobiam, qui omnia fauſtè de adoleſcente ominatus, pacta mercede filium ſuum, remque totam illi commendauit. Sed anteà expertus ſenex rogauit eum: *Indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?* Cui iuuenis interrogationem miratus: *Genus quæris mercenarij? An ipſum mercenarium, qui cum filio tuo eat?* Verſ. 17. Ibi. Quaſi diceret: in-

ſolitum

ſolitum eſt, genus operatij quærere potiùs, quam ipſum opus: quemadmodùm in architecto, in pictore, in aratore non genus quærimus, & nobilitatis ornamenta, ſed artis peritiam. Fortè Tobias volebat Angelo filiam ſpondere, quod genus, & nobilitatem inquirit? Non (inquam) ſed filium committere ducendum. Vt quid igitur prius de claritate ſanguinis informatur? Nam ſolùm commendauit filio, fidelem virum quærere, qui curſoris munus ageret, *Inquire tibi aliquem fidelem virum*. Id igitur nunc interrogare debet, an ſit fidelis ille, quem ſecum adducebat. Verùm id ipſum interrogauit nobilitatem inquirens: nam idem eſt nobilem, ac fidelem eſſe. Dum degeneris claritate Tobiæ constaret; de fidelitate non erat ambigendi locus: nam qui de ornamento ſanguinis gloriatur, nunquam à fidelitate deflectit: maximè erga Principem, cui fideliter obedire ſemper ſtudet, nec ab ipſius obedientia nunquam recedit: nam quo quis eſt nobilior, eo eſt obedientior, atque parere paratus.

6. Sanè notabilis eſt differentia, qua Hiſtoricus ſacer creationem lucis, & firmamenti deſcribit: lux enim vix vocem Dei præcipientis audiuit, cum ex nihilo fuit orta, *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux*. Geneſ. 1. v. 3. Illicò abſque vlla mora, abſque cunctatione lux egreditur: firmamentum autem magno verborum interuallo efficitur. *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas, quæ erant ſub firmamento ab ijs, quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita*. Ibi. Vbi inter *fiat*, & *factum eſt* multa interiacent, vt ipſa narrandi tarditate cunctatio, & difficultas obediendi aliqualitèr explicetur: ac ſi non ſtatim ad præceptum Dei ſequeretur obſequium, & ad vocem obedientia, & neceſsè fuerit media quædam operatio diuina. Iam ergo pulſat difficultas. Cur vix Dei vox auditur, cum ſtatim lux prodit in medium; firmamentum verò vltra vocem vim exſpectat, cunctanterque egreditur, & ſuo loco ſtatuitur? Nonnè idem imperium, idemque præceptum vtrique fuit iniunctum? Cur igitur, quod lux celeri alacritate exequitur, quaſi renitente contentione recuſat firmamentum? Verùm intelligere libet, per lucem Angelicam naturam deſignari, nam illam in eius creatione omnes agnoſcunt, quæ inter cœteras creaturas dubio abſque nobiliſſima eſt: per firmamentum autem corpus cœleſte intelligitur. Iam igitur cauſam percipies, ob quam Angelorum creatio paucioribus verbis narretur: videlicet, vt promptior, eorum, qui nobiliores natura ſunt, quam eorum, quæ rudiora, & minùs nobilia, obedientia declaretur. Sic præclarè Diu. Auguſt. lib. 2. in Geneſ. *Notandum eſt* (inquit) *quod prima die cum facta eſt lux, dictumque eſt tantùm: Fiat lux verbo, & facta eſt lux in opere, ſtatimque adhæſit increatæ luci lux creata, vt vicinior, & omni creatura capacior. In ſecunda autem die quædam mora eſt, & verborum multiplicatio, vt intelligamus, iſtas naturas ad deficiendum pronas eſſe, ad obediendum minus aptas*. Fidelis, & prompta obedientia character nobilitatis eſt, & quo quis eſt natura nobilior, eò ad obediendum paratior. Quapropter in fluuiorum, ac montium deſcribenda obedientia Deo mirabiliter operanti exhibita Propheta fluuijs præpoſuit montes: quia cum nobiliores, excelſioreſque natura ſua ſint, ad parendum Authori ſuo cæteris creaturis præcurrerent. *Viderunt te, & doluerunt montes: gurges aquarum tranſijt. Dedit abyſſus vocem ſuam*. Hic verſ. 10.

DISCVRSVS XV. MORALIS.

Prælatus nullus ad quietem; multiplex ad laborem.

1. Rectè dixit Seneca cap. 26. lib. de Polib. *Multa tibi non licent, quæ humilimis, & in angulo iacentibus licent. Magna ſeruitus eſt magna fortuna*. Ea enim eſt perſonæ publicæ conditio, vt priuatę functiones non ipſi liceant, neque ſui curam habere expediat. Conſignatio ad munus pro ſuis laborare eſt, non ſibi indulgere. Vndè dicebat idem Seneca. lib. de breuit. vit. cap. 2. *Eſt inter onus, & honorem non tam alluſio vocis, quam rei ipſius expreſſa veritas*. Et Saluſt. de Imperat. moderan. loquutus: *Qui magno Imperio prædìti in excelſo ætatem agunt, eorumque facta cuncti mortales nouere. Ita maxima fortuna, minima licentia eſt*. Etenim ſolers imperandi cura exſomnem Principem exigit, & irrequieto motu laborantem. Per montes, & ſpeluncas paſtor ille, qui ouem perdiderat, diù oberrauit, & tandem ouiculam inuenit, ſuiſque humeris impoſuit, & cum laborem tantùm impenderit, non legitur, quod requieuiſſet ſaltem vt vires reaſſumeret: quia paſtoris leuamen non aliud debet eſſe, quam pro ſuis laborare. Non licet paſtori quieſcere: leuamen laboris labor eſt: geminantur enim curæ, geminantur labores. Quod optimè (vt tradit Horus) ſignificabant Ægyptij per anguem in orbem collectum caudam ſuam mordentem: quia Superior minima curare debet; & quia plurimæ eum mordent ſolicitudines; vndè cum ad refrigerium nullus ſit, ad laborem, & fatigationem multiplicem eſſe oportet.

2. Plantauerat Dominus Deus in principio paradiſum voluptatis delicijs fructuum, & amenitate florum ac plantarum affluentem, primoque tradidit Parenti, *Vt operaretur, & cuſtodiret eum*. 2. Geneſ. 2. verſ. 15. Miror, quod Deus non ſolùm in agricolam, ſed in cuſtodem

ſtodem paradiſi Adamum conſtituat: nam, homini tot dotibus naturæ, & gratiæ cumulato terræ cultura, & agreſtis operatio non videbatur commendanda. Verùm hoc prætermiſſo, & alibi ad mores expendendum, id modò animum pulſat, quod paradiſum cuſtodire præcipiatur: à quo namque paradiſum cuſtodiet? Non ab inimicis eius fructus ſubripientibus, quia nullus pro tunc aderat: non à beſtijs, & animalibus, quia beſtiæ non niſi poſt peccatum in hominibus ſæuiebant, ipſi enim parebant, & ad ipſius mouebantur nutum, quin eſſet opus à pabulatione fructuum illas auertere. Si nullus ergo erat, qui nocumentum poſſet inferre; cur paradiſum cuſtodire præcipitur? A quo eum cuſtodiet? Acutè Auguſtin. lib.8. in Geneſ. *Vt cuſtodiret eundem paradiſum ipſe ſibi, ne aliquid admitteret, quare inde mereretur expelli.* Quaſi dicat: nullus erat, à quo paradiſum cuſtodiret Adam, niſi ipſe: à ſe ipſo paradiſum cuſtodire præcipitur: operari iniungitur; verùm fructibus potiri quaſi interdicitur. Et cur cui poſteà ex omni ligno præter vetitum comedere permittitur, *Ex omni ligno paradiſi comede* Geneſ. verſ. 16. Modò eoſdem fructus comedere prohibetur, & à ſe ipſo cuſtodire mandatur? Quia Caput humani generis, & omnium viuentium Præſulem Deus illum conſtituebat: & vt officij onus ipſi iniunctum ex tunc demonſtraret, paradiſum colere, & in illo laborare, ad quod vnus homo non valebat, niſi pro multis laborem impenderet, præcipit. atque fructus guſtare, & eiſdem delitiari prohibet; vt qui ad laborem multiplex erat, nullus eſſet ad requiem. A ſe ipſo Adamus paradiſum cuſtodiat, & ſudore vultus ſui illum excolat, vt honorem prælationis labore compenſet, & nullus ſit ad quietem, qui pro multis laborare tenetur: *Vt cuſtodiret eundem paradiſum ipſe ſibi*. Abſtineat à delcijs, qui labori dignitatis dicatur.

3. Recipitur Chriſtus Dominus hoſpitio in domo Marthæ, & Mariæ: hæc pabulo cœleſtis contemplationis abſorta ad pedes Domini quieſcens ſedebat illa erga curam, & gubernationem domus fatigata de ſorore conqueritur, quod ipſam ſolam miniſtrare reliquerit. *Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?* Lucæ 10. verſ. 40. Cui Dominus. *Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima*. Mirum, quod cum Martha labore ac fatigatione feſſa conqueritur, Dominus non eam ſoletur, neque dum Mariæ electionem approbat, Marthæ fatigationis miſereatur; quin potius illo geminato vocabulo *Martha Martha* illius occupationem reprehendat; vel ad minùs laudet ſicut partem, quæ Mariæ contigit. Quid eſt quod dum de Maria loquitur ſimplici vocabulo eam compellat; Martham autem duplici, & geminato? Præſtaret, vt Mariæ partem commendaret, de illa geminata voce loqui, vt quodammodò in ipſa complacere videretur; & Marthæ miniſterium quod non laudat, ſat eſſet vna voce nominare. Caietan. rem altè meditatus eſt. *Duplicauit nominationem propter myſterium doctrinæ ſubiunctæ de vita actiua*. Quaſi dicat: Ideò Chriſtus Martham duplici voce compellat, quia ipſam viuet vitæ actiuæ vacantem: contigerat enim Marthæ familię cura, & domi gubernatio, quę ad vitam pertinebat actiuam. Igitur geminata voce compelletur *Martha, Martha*, vt opus eſſe, duplicem eſſe ad laborem, innuatur. Laborat Martha in gubernio, fatigatur ſolicita, & dum curam in ſe ſuſcipit domus, non ſat eſt quod non quieſcat, quod nulla ſit ad requiem niſi multiplex ſit ad laborem. *Duplicauit nominationem propter myſterium doctrinæ ſubiunctæ de uita actiua*, Etſi perſona, quæ præeſt, vna ſit in re; in labore multiplex debet eſſe, in quiete nulla: acſi functiones perſonæ priuatæ in cenſum publicæ conuertantur, & nulli labori parcat, quia nulli commmodo debet incumbere.

4. Ad prælaturæ munus Chriſtus Dominus Diſcipulos ſuos præparans, cum præmiſiſſet, lumbos expedire habere præcinctos, & lucernas ardentes in manibus geſtare, quò eorum vigilantiam commendabat, tandem concludit: *Et vos ſimiles hominibus exſpectantibus dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs*, Lucæ 12. verſ. 36. At qui multoties comparationibus vtebatur, & in vna tantùm perſona exprimebat id, quod docere conabatur (vt eſt illud: *Simile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias*. Et paſſim alibi.) Ad quid modò non in vno, ſed in pluribus hominibus, curam, & vigilantiam Diſcipulorum exemplificat? Non ſat eſſet, hominem vigilantem, & inſomnem proponere, vt vnuſquiſque Diſcipulorum ad ſimilem ſolertiam, vigilantiam eius exemplo edoceretur? Cur Diſcipulorum quemque pluribus hominibus aſſimilari vult? *Et vos ſimiles hominibus*. Quia de prælatura agebatur: etenim illos docebat ſuarum dignitatum onera portare. Vt igitur quibus curis, & ſolicitudinibus eſſent obnoxij manifeſtaret, pluribus hominibus confert: quia non ſat eſt ad munera obeunda ſoporem excutere, luceſque ardentes portare: ſed vlterius requiritur, quod vnuſquiſque pluribus aſſimiletur hominibus, cum pro pluribus laborare teneatur. Aſt dum multiplicem perſonam agit, nonne vna quieſcet, & altera operabitur? Non inquam: exſomnis ſit, dum præeſt, & nullus ſibi, quia cæteris multiplicem ſe debet exhibere: nemo ſibi ſit; vt alijs ſit multiplex. Sic vbi Chriſtus Dominus ad ſaluandos homines venit, etſi vnicus fuerit in perſona, quæ vtramque naturam ſuppoſitabat, multiplex in munere apparuit, quandoquidem ad currenda viam non ſuper vnum tantùm, ſed ſuper multos equos ſimul aſcendere perhibetur. *Qui aſcendes ſuper equos tuos*. Hic verſ. 8.

Verſ.11.

Verſ. 11. Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum, ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.

Verſ. 12. In fremitu conculcabis terram: & in furore obſtupefacies Gentes.

ANNOTATIO VIII.

Expoſitio Litteræ.

1. REm geſtam ſub Ioſue ſuperioribus exemplis adiungit, vbi quò laxior eſſet dies ad inſequendum hoſtem, inhibitus eſt ſoli curſus, cum quo ſtetit Luna, vt habetur Ioſue 10. verſ. 12. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol, & Luna, donec vlciſceretur gens de inimicis ſuis.* Non legimus ſtetiſſe Solem, aut Lunam, cum è Babylonia rediere Iudæi, neque alio vnquam tempore: niſi quis dicat, orante Elimelech aliquando ſtetiſſe, vt indicat, illud Paralipomen. 1. cap. 4. verſ. 22. *Et qui ſtare fecit Solem.* Sed locus ille aliud ſibi vult longè diuerſum: nam ſtare Solem ibi explicatio eſt nominis proprij, ſicut etiam alia nomina, quæ ſequuntur. Longè probabiliùs eſt, ſtetiſſe Solem, & Lunam eo tempore, quo Ezechias ægrotauit ad mortem. In Sole autem & Luna, quæ ſteterunt in tabernaculo ſuo (quia nimirum fecit Deus, ne Cœlum moueretur, in quo Sole, ac Lunæ ſua locarat tabernacula) exiſtimo cum Lyra, & Hugone Cyrum, & Darium intelligi. *Vt enim Sol, & Luna* (inquit Lyra) *ſteterunt pugnante Ioſue contra Chananæos in ſignum Diuinæ virtutis ibi aſſiſtentis: ſic aſſiſtet virtus Dei Medis, & Perſis pugnantibus contra Chaldæos.*

2. *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* Alludit ad bellum, quod Iahel, & Barac contra Siſaram inſtruxerunt, de quo Iudic. cap. 5. ibi enim dicitur verſ. 20. *De cœlo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Quæ nam fuerint ſagittæ iſtæ, incertum eſt, ſicut etiam quomodò à ſtellis de cœlo aduerſus Siſaram dimicatum. Illud magis pleriſque probatum, audita fuiſſe de cœlo tonitrua, micuiſſe fulgura, vibrata fulmina, diſcurriſſe cometas. Quod indicat illud Iudic. 4. verſ. 15. *Perterruit Dominus Siſaram, & omnes currus eius.* Illum verò terrorem ab aliqua cœleſti vi, aut impreſſione metheora contigiſſe, veriſimile eſt. Non admodùm curo, an hæc tunc de cœlo contingerent, quando victis Chaldæis, captiuo Iudæorum populo affulſit libertatis tamdiu deſiderata lux, id enim in prouerbiali dicendi modò neceſſarium non eſt:. ſat enim videtur, ſi Deus Perſis contra Babylonis pugnaturis affuerit, quod nullus negauit, & aſſerit perſpicuè Iſaias 45. verſ. 1. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubijciam ante faciem eius gentes, & dorſa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudantur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.* Porrò Dei ſagittas fulgura appellari docet non ſemel Scriptura Sacra: ſic Pſ. 17. verſ. 15. *Miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.* Et Sapient. 5. verſ. 28. *Pugnabit pro illo orbis terrarum contra inſenſatos, ibunt directè emiſſiones fulgurum, & tanquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur.*

3. *In fremitu conculcabis terram, & in furore obſtupefacies gentes.* Nihil hic ſeſe offert

offert addendum ad id, quod in ſuperioribus dictum eſt, nam hæc eſt præteritorum complexio, quia ſigna, quæ præceſſerunt, ſine ſtrepitu nullo modò fieri poſſunt: vbicunque enim illa antiquiſſima prodigia, quæ hic reſpectat Propheta, patrata ſunt, fremitus fuerunt ingentes, quia tam Ægyptijs, quam Chananitidis ſtuporem induxerunt.

4. In ſenſu autem allegorico multi exiſtimant, hæc, quæ prædicit Propheta, ad extremum ſæculorum tempus eſſe referenda, quia tunc horribilia ſigna apparebunt in cœlo, & elementis. Sed tamen probabilior eſt ſententia Hieronymi, Auguſt. Theophilacti, Haymonis, & aliorum aſſerentium, in Sole Chriſtum, in Luna verò intelligendam eſſe Eccleſiam. Sic Auguſtin. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 28. Qui lectionem 70. ſequitur: *Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo. Hoc eſt: Aſcendit Chriſtus in cœlum, & ordinata eſt Eccleſia ſub Rege ſuo: nam cum aſcendiſſet in altum, dedit dona hominibus diuerſa, vt Eccleſiaſtici corporis plenitudo perfecta ſit, & pro diuerſitate membrorum varia ſint diſtincta munera. In luce ſagittarum tuarum ibunt, &c.* Hæc ſimilitèr de extremo iudicij die aliqui intelligunt, quia hæc ſigna tunc futura traduntur: Sic Tertullian. lib. 4. contra Marc. cap. 39. Sagittæ verò in hoc ſenſu cometæ vocari poſſunt, quia vulgus hominum aliquando putat ſtellas eſſe cometas. Sic Virg. 1. Georg.

Sæpè etiam ſtellas cœlo impendente videbis,
Præcipites cœlo labi, noctiſque per vmbras,
Flammarum longos à tergo albeſcere tractus.

Et certè aliquæ cometarum ſpecies iacula vocantur, & lanceæ: talia autem euentura in extremo iudicio dixit Matth. 24. verſ. 29. *Stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur.* Patres verò Græci, præcipuè Theodoret. Cyrill. Theophilact. & Remig. (quos ſequuntur ferè omnes recentiores) per lucentes ſagittas, & ſplendentes haſtas Apoſtolos, & eorum mores ſequentes accipiunt: qui optimè in ſagittis, & lanceis, ſeu fulminum ardore, ac ſonitu explicantur, quia lucem habent, non ſolùm vt illuminent, ſed etiam vt terreant: vox enim Apoſtolici Concionatoris fremitus eſt, & tonitruus, ſicut in Baptiſta videre licet, & ex Chriſti Diſcipulis duo vocati ſunt Boanerges, ideſt filij tonitrui.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Semper in gratia ſtetit, nunquam in originariam culpam cecidit B. Virgo.

1. PEr Lunam, & Solem hic plurimi Patres (quibus adſtipulatur Moral. Gloſ.) Chriſtum, & Eccleſiam accipiunt: quod procliue multis eſt ad Beatiſſimam Virginem inflectere, quam in Lunæ imagine adūbratam paſſim reperies. Sic Cantic. 6. verſ. 9. *Pulchra vt Luna.* Quare illius elogia hic agglomerare decreui, & præcipuè, quæ à conſortio Solis, Chriſti nempè, qui hic cum ipſa ſiſtitur, ſtatque ſicut in euentu Ioſue iam contigerat, proueniunt. *Steteruntque Sol, & Luna in habitaculo ſuo.* Hic verſ. 11. Stat cum Sole, quia nunquam in caliginoſam originariæ culpæ vmbram cecidit, nam Solares radij, quos inſeparabiliter reſpexit, illam vndequaque illuſtrarunt. D. Hieron. ad Iſaiæ 66. Nam ea parte Solis luce illuſtratur Luna, qua ipſi eſt vicinior. *Aiunt* (inquit) *Phyſici, & quorum curæ eſt de cæleſtibus diſputare, Lunam non habere proprium lumen, ſed Solis radijs illuſtrari: ab ea enim Orbis parte completur, & fulget, à qua Soli vicinior eſt, nec vmbra terræ obſcuratur.* In hoc ergo Chriſtus, & Maria conueniunt, quod ſicut à Sole Luna lucem accipit: ſic B. Virgo à Chriſto eius Redemptore gratiæ radios accepit. In eo tamen differunt, quod quia non ſemper eodem modo Luna reſpicitur à Sole, non idem eſt ſemper Lunæ vultus, & ſplendor: quapropter quotidianis incrementis, ac decrementis laborat. At cum Chriſtus eodem ſemper modo matrem Virginem intueatur, eandem luminis ſpeciem ſemper præſefert. Id omninò videtur ſibi velle locus, in quo verſamur, & in quo tam Sol, quam Luna ſtetiſſe immobilitèr in tabernaculo ſuo dicuntur: quo innuitur nūquam à Luna Solem rece-

recedère, nullamq; ſubeſſe cauſam mutandi lucem, quæ à vario prouenit vtriuſque motu. Stetit ergo immota ſemper in gratia B. Virgo, quia nunquam à Sole diſceſſit, neque in originariam culpam fuit lapſa. Hinc de illa dicitur, quod in agone filij viriliter, & inconcuſſa ſteterit. *Stabat iuxta, Crucem IESV Mater eius*. Ioan. 19. verſ. 25. Myſterio plenum eſt, quod peculiari voce ſtantis ſitum Virginis in morte filij exprimat Euangeliſta. Concutitur Cœlum euoluitur terra, & dum arbor Crucis erigitur, cadit lux Solis, obnubilatur dies, cuncta fatentur caſum, & quaſſata iacent: ſola mater immota perſiſtit. Quid opus fuit Virgineæ nobilitati ſub Cruce immobilem ſtare, cum pietatis officium expoſceret, & maternus amor, dolore concuti, flebilemque pondere gemitus ſterni, & quaſſari? At ideò concuſſo mundo, ſtat immota MARIA, quia arbor Crucis (vt Auctor eſt D. Anſelm. in Cant. 8.) ex arbore, in quo peccauit Adam, compacta fuit, & ſub eius trunco cranium primi Parentis latebat. Stet ergo Mater, communiſque caſus non ſentiat ruinam, ſtet, vbi priſtini caſus arbor priſtina vmbram tetenderat, & omnes Adæ filios profligauerat, vt inconcuſſa gratia ſemper ſtetiſſe, nunquamque in culpam ruiſſe, innuatur. Accipe Anſelm. *Sub arbore malo ſuſcitaui te. Legitur enim in libris Græcorum, quod de eadem arbore, in qua peccauit Adam, ramus quidam allatus fuit Ieroſolymam, & ibi plantatus excreuit in magnam arborem, de qua poſteà facta ſit Crux Domini, vt ex quo mors venerat, eodem vita repararetur. Dicitur quoque Adam in eodem loco ſepultus, in quo poſteà fixa fuit Crux Domini*. Meritò ſub Crucis vmbra Beatiſſima Virgo ſtare perhibetur, vt lethale vmbraculum, quod omnes profligauit, & ſtrauit, ipſi minimè nocuiſſe oſtendatur.

2. Inter alia, quæ in nuptialibus Canticorum verſibus Amaſius Sponſæ dixerat, illud mirabile videtur, quod illam amicam nuncupet: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. Cantic. 2. verſ. 2. Illa quæ amica dicitur, nonnè filia eſt? Vtique. Cur ergo illam ab alijs deſcernit Sponſus amicæ vocabulo, cum ea vocare filiam, neque iniucundum, neque inuenuſtum eſſet? Opinor, quia idem eſt eſſe filiam, ac peccatricem, ſaltem peccato originis, adeò vt infallibilis illa regula ſit: Eſt filia genita? Ergo inimica Dei. Quia ergo ſpecialis Sponſa nempè B. Virgo ab hac regula erat immunis, quia illam generales non attingebant: ideò modum loquendi variauit, & à filiarum nomine tranſijt ad amicam, ne cæterarum legibus ſubiacere crederetur. *Sic amica mea inter filias*. Non quia filia non eſſet: ſed quia non peccatrix, ſed immaculata omni tempore, omni inſtanti, ita vt nullum fuerit, in quo luto originalis noxæ eſſet conſpurcata: ac ſubindè in omnibus fuit amica, quia primordialem gratiam, quam reliqui infauſtè perdiderunt, feliciter adinuenit. Sic vbi Angelus Verbi incarnati aduentum nuntiare accedit, eius proſperam fortunam ominatus dixit: *Inueniſti enim gratiam apud Deum*. Lucæ 1. verſ. 30. Cur non dixit: Adepta es gratiam, vel gratiam accepiſti; ſed inueniſti gratiam? Optimè Gabriel Biel ſer 1. de Concept. *Vt ſignificaret equidem, quod ſola MARIA fuit, quæ illam gratiam inuenit, quam perdiderat Protoplaſtes, quæ originalis fuit*.

3. Vt exploraret Noë, an aquæ diluuij eſſent imminutæ poſt quadraginta dies, coruum emiſit, qui naturali voracitate cadaueribus inhians non vltra ad arcam reuertitur. Miſit autem poſteà columbam quæ (inquit textus.) *Cum non inueniſſet vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam*. Geneſ. 8. verſ. 8. Magnum negotium faceſſit Interpretibus, quod columba, vbi pedem figeret, & requieſcerer, non inueniret, cum iam anteà montium cacumina eſſent diſcooperta. Præterquam quod non apparet credibile, quod non eſſet in aquis aliquod lignum, aliquaue leuis materia ſupernatans, vbi columba poſſet requieſcere. Quo ergo pacto propter defectum ſuſtentaculi ad arcam reuertitur? Auſculta Lyram. *Dicendum, quod ex diuturna mora aquarum ſuper terram non erat deſiccata adhuc: ſed erat quaſi lutum, in quo non libenter quieſcit columba*. Nihil frequentiùs in ſacris litteris, quam columbæ nomine Beatam Virginem deſignare. Sic vbi ipſam immaculatam prædicat Sponſus, columbam appellat, quaſi ipſam ad puritatem, & candorem huius auiculæ referens. *Aperi mihi ſoror mea, amica mea columba mea, immaculata mea*. Cantic. 5. verſ. 2. Hæc igitur immaculata columba, dum originariæ labis alluuio vniuerſum Orbem inundauit, & omnes filios Adæ naufragos in terram natura expuit, non inuenit, vbi requieſceret pes eius, quoniam lutoſam carnis peccato inuolutæ materiam, vtpotè mundiſſima ales abhorrebat, & nec leue exundantis culpæ inquinamentum ipſam tetigit. Vndè meritò de ipſa canit Eccleſia *Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam mane diluculo*. Pſalm. 45. verſ. 6. Ad quæ verba libet annotare, quod Deus per veniale peccatum amoueri ab anima incipit: licet enim venialis noxa Deum ab anima omninò non expellat, quandoquidem per illam gratia non amittitur: tamen charitatem minuit, frigidioremq; reddit, & ad maiora committenda diſponit, atque ideò maximè vitanda eſt: quoniam de ea alibi dicebat Dauid Pſ. 117. verſ. 13. *Impulſus euerſus ſum, vt caderem, & Dominus ſuſcepit me*. Paraphraſis Chaldæa habet, *Impulſus ſum à peccato; ſed Verbum Dei adiuuit me*. Impulſus autem iſte, quo homo non cadit, non fit per peccatum mortale, quia hoc in ruinam ſubitò inducit; ſed tantùm per veniale; ex eo namque non ſequitur caſus

Digitized by Google

à gratia Dei. Et hoc eſt, quod dicit; gratia Dei in me manens me ſuſtentauit,ne in ruinam maioris peccati inciderem. Dicitur ergo, quod Deus nunquam in medio B. Virginis commouebitur, quia nullum neque veniale commiſit peccatum; cauſa autem tantæ ſanctitatis ea eſt, quia *Adiuuauit eam Deus mane diluculo*. Ideſt, à primo ſuæ conceptionis inſtanti eam ab omni labe præſeruauit: quandoquidem non aliundè potuit prouenire,quod nullum neque veniale peccatum committeret. Sic enim in Tridentino definitum eſt: *B.Virginem ex ſpeciali Dei priuilegio omnia venialia peccata euitaſſe*. Hinc enim D.Auguſt. (lib. in Iulian.ad illa verba, quæ de Chriſto Domino habet Petrus in 1. cap.2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*) eleganter probat, Chriſtum Dominum abſque peccato originali fuiſſe conceptum,ex eo quod nullum habuit actuale. *Quia qui non fecit* (inquit) *habere non potuit, omninò veriſſimum eſt*.

4. Hæc ſanè puritas, quam Beatiſſima Virgo à primo ſuæ conceptionis inſtanti habuit, Ezechieli apparuit: ſic enim currum deſcribens, in quo gloria Dei vehebatur, aiebat: *Super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quaſi aſpectus lapidis ſapphiri ſimilitudo throni: & ſuper ſimilitudinem throni ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper*. Ezechiel. 1.verſ.26. Primò apparuit firmamentum, ſiuè cœlum ipſum octauum ſideribus ornatum, deindè ſuper cœlum aſtriferum viſa eſt ſedes, ſiuè ſolium planè regium, in quo ſedebat homo. Sedes autem illa ſiuè thronus ex ſapphiris ſolùm erat compactus. Hæc inquam erat viſio, quam egregiè diſpungens Galatinus lib.7.de arcan.cap.18.Marianam puritatem ab omni prorſus inquinamento immunem legit. *Similitudo throni, vel ſolij, ſiue ſedes eſt glorioſa mater Meſſiæ: ſuper hanc ſimilitudo hominis, qui eſt Dei Filius incarnatus, ſeu Meſſias. Dicit aſpectum ſimilem ſapphiro, vt innuat intemeratam Virginis puritatem: vt enim ſapphirus eſt diaphanus, & clarus, ita Virgo ſemper fuit immaculata, & clariſſima abſque originali peccato*. Huc alludit Dauid Pſ. 88. verſ.30. de Verbo incarnato locutus: *Thronus eius ſicut dies cæli*. Quæ verba de Beatiſſima Virgine, quæ Dei thronus, & habitaculum fuit, communiter accipiuntur, Si autem inquiras, cur huiuſmodi thronus non ad ſæculi, ſed ad cœli dies referatur? Audi Cardin.Hugo. *Dies cœli* (inquit) *ſemper ſunt longi, & clari; mundus ſemper habet t. 'ioſos, & ſemper breues*. Quaſi dicat Vates? Omne tempus in MARIA mane fuit, dies perſeuerans lux indeficiens, quia nunquam originalis culpę tenebris fuit immerſa. Hinc lucem capit dubium, quod ergo ſolis creationem communiter verſatur; nam non conſtat, quandò Deus Solem condiderit. Pleriq; enim exiſtimant illis verbis Geneſ.1. *Fiat lux* puram, & ſimplicem qualitatem lucis fuiſſe factam; non verò aliquod corpus, materiam, aut ſubiectum, cui huiuſmodi lux eſſet vnita. Quando verò quarto die dixit Deus: *Fiant luminaria in firmamento*. Ib.verſ.12.tunc corpus ſolidum, & perlucidum creatum fuiſſe, ex quo & luce prima die creata Sol luminum pater compactus eſt. Sed iam inquires, cur Solem non primo, ſed quarto die Deus creauit? Rationem ſatis decentem aliqui excogitarunt, videlicet, quia non erat congruum, vt pater luminum è tenebris oriretur; ſed præuia luce in lucem exiret. Si ergo Deus tam ſolerti cura in ordine naturæ pro Solis naſcentis decentia hoc portentum pręſtitit: quid in ordine gratię pro eius matre non effeceret? Creauit ergo illam, & extraxit non ex tenebris originalis culpæ, ſed ex pręambula, & præueniente luce gratię.

DISCVRSVS II. MORALIS.

MARIA ſub aſtrorum gratiæ benigno aſpectu concipitur, ne culpæ influxus eam aſpiciat.

1. AB Aſtrorum temperamento, ſub quo viuens concipitur, eius inclinationes, & fortunas maiori certitudine prędici, quam ab alijs principijs, in dubium eſt apud Aſtrologos; quod quidem cum inueſtigabile ſit, eorum iudicia pro incertis habentur, & viris cordatis non modò fallacia, ſed ridicula viſa ſunt. Quod aliter contingeret, ſi primum conceptionis inſtans eſſet euidens, de illoque liquido conſtaret; nam dato quod ſidera in hęc ſublunaria corpora influãt, eorum inclinationes deprehendere, ſi conceptionis agnoſceretur inſtans, non eſſet difficilè. Vndè qui aſtrorum aſpectus, & influentias, ſub quibus MARIA fuit concepta, perſpicuè comprehenderit, eius fortunam planè demonſtrabit, non arte iudiciaria, quę mille deceptionibus ſubeſt; ſed euidentiſſima ratiocinatione; quod & à principijs aſtronomicis, & à gratiæ priuilegijs petendum eſt. Cum enim in eius conceptione, & natura, in qua Adæ filia deprehenditur, & gratia, quæ eam præuenit, interuenerit vtriuſque influentias aſpicere; & conſiderare libet; nam etſi naturali propagatione ſit progenita; cum eius parentes genialiter eſſent ſteriles, gratiam, & miraculoſam operationem, vt conciperetur, interueniſſe, opus fuit. Vndè quæ in ipſam poterat incurrere noxa ab originali culpa naturali influxu manans, à ſupernaturali gratiæ concurſu fuit impedita, quæ benigno aſpectu

eam præoccupauit, vt à malignis influxibus eſſet immunis. Quod optimè tradit Gerſon. par.3.ſer.de Natiu.figuram expendens quam in MARIÆ conceptione effecerat; *ac proindè colligimus, quod neque maleuolus aſpectus cuiuſlibet ex Planetis nocuiſſe credendus eſt, in ipſo Conceptionis, aut Natiuitatis exordio: ſicut neque huiuſmodi formatio ſubijciebatur his influxibus cælorum, quoniam quidquid agebatur, hoc totum magis erat gratiæ, quam naturæ.* Vbi MARIAM videas non maleuolis aſpectibus, ſed benè fortunatis in ſua conceptione ſubiiſſe, ac ſubindè in illam minimè culpam influxiſſe, quia ſub benigno aſtrorum gratiæ concurſu, & beneuolo filij adiuuantis aſpectu concepta fuit.

2. Prænuncians Regius Vates huius euentus felicitatem, & Aſtrologi perſonam agens, vt de MARIA ventura in ſua conceptione iudicium faceret, lætabundus dicebat Pſal. 47. *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.* Per montem, & ciuitatem, de quibus hic loquitur Dauid, MARIAM D. Auguſt. intelligit. Mons quidem, ex quo lapis ſine manibus, nempè Chriſtus, deſcendit. *Fuit enim*(inquit) *quidam lapis angularis, contemptibilis, in quem Iudæi offenderunt, præciſus eſt de quodam monte ſine manibus, hoc eſt de regno Iudæorum veniens ſine manibus, quia humanum opus non acceſſit ad MARIAM, de qua natus eſt Chriſtus.* Vbi de MARIÆ conceptione abſque dubio eſt ſermo, quam fundationis periphraſi manifeſtat, quia fundamenta prima principia ſunt ędificij conſtruendi. Et metaphora ciuitatis Dei inhabitantis, cui prima fundamenta iaciuntur, ſatis primęua principia MARIÆ expreſſit. Sed libet expendere, quod vbi noſtra Vulgata habet: *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion*: Agellius, & alij ex Hebręo vertunt: *Pulchrum, ſeu ſpecioſum clima, vel ſpecioſam regionem.* Quod ad iudicium aſtronomicum Deiparę conceptionis ferendum optimè congruit: nam clima ſpatium cœli eſt, quod in aliquam terrę partem influit, & duobus parallelis reſpondet; Igitur MARIA ſub pulchro,& ſpecioſo climate concipitur, quia beneuolo aſpectu aſtra eam reſpexere: niſi enim extra regionem peccati, & parallela primæuę culpę conciperetur, non ſub pulchro climate, & benigna influentia eſſet concepta. Vndè addit Dauid *latera Aquilonis, &c.* Quid per latera Aquilonis venit intelligendum? D. Auguſt. ad eundem locum per Aquilonis latera dęmonem intelligit, qui huiuſmodi monti Sion in ſua fundatione inſidiabatur. *Contrarius ſolet eſſe Aquilo Sion: Sion quippè in meridie; Aquilo contra meridiem. Quis eſt iſte Aquilo? Niſi qui dixit: Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo.* Et cur cum MARIÆ mons fundatur, & ſub pulchro, & ſpecioſo climate perhibetur erectus, Aquilo ad latus apparet? Cur non ſupra Sion deſcribitur, cum aer naturaliter aſcendat, & totum ambientem locum occupet? Niſi vt innuatur, quod in MARIÆ conceptione huiuſmodi aër peſtilens Aquilonaris nullam influentiam habuit: ad influentiam enim aſtrorum ſicut & aliarum cauſarum non approximatio iuuat, ſed directio. Igitur non ſupra MARIÆ montem, ſed ad latus aſſiſtit: dum ipſa ſub beneuolo gratię climate concepta perhibetur; latera, & parallela dęmon occupat, ne malignus eius halitus ipſi noceat, & è regione peccati apparet, ne in horoſcopo ſuę conceptionis pro aſcendente ipſum habere videatur. Ad quod alludit illud Dauidicum Pſal.44.verſ.10. *Aſtitit regina à dextris tuis.* Vbi 70. legunt: *Stabit liber legis in latere dexteræ tuæ.* Lex quidem contra Adamum, & eius poſteros lata ad MARIÆ latus deſcribitur, quia nunquam ad eam acceſſit, neque comprehendere fuit auſa.

3. Sed qui viuaciùs Marianę conceptionis figuram depinxit, & ad amuſſim arte aſtrologica concinnauit, Ioannes fuit in ſuo Apocal. 12. verſ. 1. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & corona ſtellarum duodecim in capite eius.* MARIAM in ſua conceptione hic figurari compertum eſt, in cuius imagine multa videntur ponderatione digna. Et primò ly *Signum* non vt cumque accipio, ſed ea proprietate, qua inter Aſtrologos ſignum dicitur, illa cœli pars, quam ſol de menſe ad menſem verſat, atque iuuiſit, & vna eſt ex duodecim, quæ zodiacum componunt, quæque eius influentiam moderatur, & diuerſis aſpectibus alios planetas reſpicit. Nam dum in cœlo apparet (*Signum magnum apparuit in cælo*) cœleſte ſignum, & aſtronomicum credendum eſt: Quod non improbat Alcaz. in comment. huius loc. *Putare poſſet aliquis alludi in hac locutione ad eas imagines, quarum ſingulas Aſtrologi ex quodam ſtellarum numero in cælo fingunt, nam illæ appellari ſolent ſigna, & ſic dicuntur eſſe duodecim ſigna Zodiaci.* Illud igitur ſignum, ſub quò MARIA apparuit concepta, obſeruauit Ioannes, & admirabundus magnum appellauit, quia diuerſum inuenit ab illo, quod filijs Adæ in ſuæ conceptione prædominanri ſolet. At vndè magnitudo illius ſigni oritur? Ex concurſu ſolis, & lunæ eo aſpectu, quod luna in ſuo ortu ſimul cum ſole compareat: ſic enim habet communis Eccleſiæ vſus eam ſub pedibus MARIÆ, cum ſplendeſcere incipit, depingens, quod nouilunium Aſtrologi vocant, & multorum Interpretum opinio, ſic apparuiſſe affirmantium. Sed quid mirum, quod ſol cum noua luna in MARIÆ conceptione concurrat, & ſignum ipſi prædominans ingrediantur, vt in admirationem rapiat Ioannem? Quid quod ſole, & luna perhibeatur amicta,

& quod in horoſcopo ſuæ conceptionis ſolem, & nouam lunam pro aſcendente habeat, vt Ioannes in rebus cœleſtibus plurimum verſatus expaueſcat, & magnum ſignum ſe vidiſſe teſtetur? Multum equidem. Nam) vt tenent Aſtrologi) luna in nouilunio neque eclipſim, neque, vmbras patitur, neque ſecundum naturalem cœlorum motum, eò tempore his accidentibus poteſt laborare. Hæc inquam cauſa Ioanni fuit admirationis: nam eum cœteros Adæ filios ſub eò aſtrorum aſpectu videat concipi, quod in primò conceptionis inſtanti eclipſim patiantur, & originalis culpæ vmbra deturpentur, videns in MARIÆ conceptu cœlorum influentias inuerſas, & ſub tali ſigno, & planetarum temperamento fuiſse genitam, quod terra]primordialis noxæ nequiret interponi, vt eclipſim culpæ pateretur, admirabundus ait: *Signum magnum apparuit in cęlo.* Quaſi dicat: Cæterorum ſigna non magna, ſed exigua ſunt, & maleuola, quandoquidem originalis culpæ vmbris obſcurantur; verùm hæc mulier tanquam miraculum viſa eſt, dum ſub diuerſis influxibus, quam reliqui Adæ filij, concipitur.

4. Huiuſmodi lunæ immunitatem, quæ MARIÆ puritatem refert, magnopere commendabat Dauid Pſalm. 88. verſ. 36. Nam de Chriſti temporali generatione locutus dicebat: *Semen eius in æternum manebit, & thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis.* Vbi rurſus concurſum ſolis, & lunæ in MARIÆ conceptione reperies, & ingenio Aſtrologico collocatum: ipſam enim hic Agellius literaliter agnoſcit, cui Angelus prolem in æternum duraturam fuit pollicitus, ſicut prædixit Dauid. *Dedit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris ſui* (inquit Agellius) *& regnabit in domo Iacob in æternum, vt Angelus ſanctæ Virgini fore prædixit.* Sed age, videamus quid Pſalmiſta polliceatur, dum thronum Dei (MARIAM nempè) ſicut ſol in conſpectu eius, & ſicut luna perfecta, ac fidelis in cœlo teſtis, ſplendeſcere auguratur. Cur non terræ luna, ſed cœlo tantùm Marianam perfectionem prædicabit? Cur eius puritatem non in terra, ſed in cœlo teſtabitur, ibique tantùm fides ipſius teſtimonio erit adhibenda? Terram ſuæ Reginæ perfectionem ignorabit? Vel teſtificari non audebit? Libet ad difficultatem ſoluendam Aſtrologiam conſulere, & planetarum aſpectum reſpectare. Scitum eſt apud Aſtronomos, quod cum luna noſtris oculis obſcuratur, & eclipſim patitur, ipſa in ſe nullum deliquium, nullam lucis imminutionem ſentit. Nobis apparet adumbrata, quia terra noſtris oculis interpoſita luminaris corporis vſum impedit; at in cœlo ſemper lucida, & abſque vlla macula apparet. Vndè ipſius in cœlo teſtimonium, vbi nunquam quotidianis incrementis, aut decrementis laborat, citat Dauid: *Sicut luna perfecta, & teſtis in cœlo fidelis.* Quaſi dicat: Licèt noſtris oculis luna aliquandò appareat adumbrata: in cœlo tamen ſemper perfecta, & ſplendens reperitur: quare ibi teſtis fidelis ſuæ perfectionis eſt: licet nobis non veridicis videatur materialibus vmbris immerſa; nullam ibi maculam incurrit; & hoc non hoc, vel illo tempore, ſed in æternum; quia in nullo temporis momento, inſtantiuè luce caruit: quare iudicium ſuæ perfectionis non à noſtris oculis, ſed ab alijs aſtris eam comitantibus petendum eſt, & à Deo in cuius conſpectu ſemper ſplendeſcit faciendum. Sic ſentire videtur Auguſt. *Sicut ſol in conſpectu meo, & luna perfecta. Non in conſpectu hominum, non in conſpectu carnis, ſed in conſpectu meo.* Quaſi dicat: Huiuſmodi lunæ, quam pro throno, & habitaculo aſſumpſi, ſpecioſitas, & plenitudo ex meo aſpectu, quem in cœlo habet, iudicanda eſt: nam etſi oculis hominum detrimenta pati videatur, Soli ipſam illuſtranti ſemper perfecta videtur.

5. Hucuſque de ſignis Aſtrologicis actum eſt, ſunt etiam, & ſigna Theologica, ſub quorum conſtellatione, & influentia MARIA concipitur, abſque eo quod vlla interueniat aſpectus maligni peccati ſuſpicio. Communiter Theologi ſigna vocant inſtantia quædam, quæ in voluntate Diuina diuidunt, in quibus rerum naturas, quas producit, contemplantes, eorum aliquas anteponunt, poſtponunt alias, & eas in primis ſignis voluiſse arbitrantur, quæ natura, bonitate, & perfectione cæteras antecellunt. Igitur in primò ſigno amauit Deus ſuam bonitatem, cum qua nulla venit comparanda. In ſecundò Verbum incarnatum, & eius genetricem, quia talis perfectionis ſunt, vt cæteras creaturas longè ſuperent, eò quod proximiùs accedat; nam filius ratione vnionis hypoſtaticæ, & MARIA ratione originis, & maternitatis intimiùs, & arctiori vinculo Deo adhærent, cum Deus homo nequeat intelligi, quin mater à qua carnem aſſumpſit, intelligatur. Igitur ſub eodem ſigno Chriſtus, & MARIA concipiuntur, atque in decreto eos prædeſtinante idem aſpectus illos reſpexit. Subindèque in zodiaco voluntatis Diuinæ ſub iiſdem influxibus, & eodem aſcendente concipiuntur. Quare cum ſignum, ſub quò Deus decreuit peccatum Adæ permittere, ſubſequeretur ad illud in quò Chriſtus, & MARIA ſunt prædeſtinati, ipſos reſpicere non potuit; quia ſub ſigno antecedenti ad ordinem vnionis hypoſtaticæ pertinente prædeſtinabantur, atque vterini erant fratres. Quod arcanè innuit Sponſa. Cantic. 8. verſ. 1. *Quis mihi te det fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, & inueniam te foris, & deoſculer te, & iam nemo me deſpiciat?* Verba planè difficilia, & quæ cognationem inter Sponſum, & Sponſam confundere videntur; nam non apparet, qua linea, quaue parte MARIA filium ſuum fra-

fratrem agnoſcat: nam in generatione temporali non frater, ſed filius MARIÆ fuit Verbum: in ſpirituali autem ſimiliter non frater, ſed pater videtur, cum ſpiritualiter, & meritoriè ipſam genuerit. Qua ergo via confratres Chriſtus, & MARIA extitere? Nulla ſanè, niſi in decretorum eos prædeſtinantium lineã: nam ibi ab vtero vnius decreti oriuntur ambo, & ſub eodem concipiuntur ſigno: de quo glorietur MARIA, cum fratrem filium recognoſcit, & non ſicut cæteri Adę filij deſpecta exultat: *Et iam nemo me deſpiciat*. Ac ſi dicat: Qui gemellam me contemplabitur, & ſororem filij, ac ſub eodem ſigno, & influentis conceptã, non me iam tanquam ancillam deſpiciet: ſed tanquam Principis ſororem exaltabit. Prodeſt Carthuſ. *Et iam nemo me deſpiciet: imò beatam me dicent, & honorabunt omnes generationes tanquam ſororem ſingularem, & Dei incarnati amicam*. Iam igitur inſtante primò Marianæ conceptionis ſub ſignis Theologicis inueſtigato, de eius immunitate iudicium facere non erit difficilè. Nam vt certum ſit, quod filius ſub benigno climate, & beneuolo Diuinę voluntatis aſpectu ſit prædeſtinatus, & ſub eodem concipiatur MARIA, non eſt dubium eadem ac filius (etſi diuerſo titulo) immunitate gaudere: cum ſit euidens, quod de omnibus ſub eiſdem influentijs conceptis idem ſit ferendum iudicium. Hoc certè ſignum, ſub quò Chriſtus, & MARIA tanquam fratres concipiuntur, magnum appellauit Ioannes. *Signum magnum apparuit in cœlo*. Id eſt, nouum, & inauditum: quandoquidem Creator ſignorum illis ſubiacere fuit viſus, & ſimiliter eius mater, illorum naturam ordinem, & influentiam inuertentes.

DISCVRSVS III. MORALIS.

MARIÆ habitaculum vniuerſale culpæ diluuium non ingreditur.

1. ARcam illam, quæ naufragante mundo Noemo portum attulit, Beatam Virginem figuraſſe ambigit nemo: etenim dum cæteri periclitantur mortales, Noemi progeniem ſaluauit illa, & eiſdem aquis, quibus reliqui ſubmergebantur, arca fuit eleuata, & collocata in tuto. *Multiplicatæ ſunt aquæ ſuper terram, & eleuauerunt arcam*. Geneſ. 7. verſ. 17. Quod pulchrè ad MARIAM in ſua conceptione intorquet S. Bern. Senen. tom. 3. ſerm. 11. art. 1. cap. 1. *Glorioſa Virgo MARIA cum quadam, vtriuſque, ſcilicet naturæ, perfectione ſuper omnem creaturam eleuata eſt in ſublime*. Vbi cæteri pereunt, ibi arca fuit eleuata, & à naufragio redempta, & eiſdem aquis, vt fieret de periculo præſidium. Vt autem arca ingruente diluuio tutum eſſet aſylum, ſic ad ipſius ſtructuram Noemus inſtruitur. *Fac tibi arcam de lignis læuigatis, manſiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinſecùs, & extrinſecùs*. Geneſ. 6. verſ. 11. Pro lignis læuigatis in Hebræo eſt *de lignis Gopher*: in Chaldæo autem *de lignis cedri*: vt indicet ex lignis incorruptibilibus eſſe compaginandam, quæ abſque putrefactione patiuntur aquas, qualia ſunt cedrina, vt Auctor eſt Plinius lib. 13. cap. 15. D. Ambroſ. lib. de Noe cap. 7. notauit, hic tantùm ſimpliciter poſitum *de lignis*. in Exodo autem fuiſſe additum de lignis imputribilibus. D Hieron. hic vertit *de lignis bituminatis*, quod idem eſt cum *Gopher*. Et D. Auguſt. tract. 6. in Ioan. exiſtimat materiam arcæ fuiſſe ligna cedrina: quæ omnia apprimè congruunt, vt MARIA à corruptione peccati innuatur immunis, quod peruium omnibus eſt. Sed modò licèt ambigere, cur huiuſmodi fabrica potiùs arca vocetur, quam nauis, nam dum cymbæ functionem agit, potiùs nauigationis vas debuit appellari. Auſculta Mariam in comment. huius loci. *Non vocatur nauis, quia non ad formam nauis facta, ne induſtriæ humanæ tribueretur tantùm beneficium: ſed tamen ferè arcendis aquis vndique etiam clauſa, quia non humano, ſed Diuino ductu gubernanda*. Nauticum vas verſus cęlum eſt apertum vndè maris iras, & vndas intrò multoties experitur: arca verò illa, quia Virginem matrem referebat, vndèquaque fuit clauſa, & ex lignis bituminatis constructa, vt nec minima maris vnda, quæ cæteros obruerat, illam ingrederetur. Huc reſpiciunt manſiunculæ intra arcam fabricatæ. *Manſiunculas in arca facies*. Vbi Hebræus vertit: *Nidos facies in arca* mirifica ſiquidem Dei arca MARIA nidus fuit, in quo Dei Filius erat naſciturus, & ad quem nec guttula maris magni culpæ originalis intrauit. Pulchrè hoc ipſum à natura delineatum reperies in Alcyone rara aui, vt enim illa nidum conſtruat, quem ex ſpinis contexit, inacceſſo ore fabricat, vt ipſam tantùm alitem recipiat, & poſteà fluctiuaga inquam exſtruxit domum, ad maris littora multoties probat in lymphis, id præcauens, ne maris vnda in ipſam intret. Sed quod magis mireris, dum illa oua fouet, Deus æquora frænat, & turbulenti maris fluctus ſedantur, & hoc hyemali tempore, quò magis efferuntur. Quod tradit Ambroſ. lib. 5. in Examer. cap. 13. *Alcyon eſt auis maritima, quæ in littoribus fœtus ſuos edere ſolet, ita vt in arenis oua deponat medio ferè hyemis, nam id temporis fouendis habet deputatum partibus, quando maximè inſurgit mare littoribus, vehementiorque fluctus allidītur: quò magis repentinæ placiditatis ſolemnitate auis huius eluceret gratia*.

Nam-

Namque vbi vndoſum fuerit mare, poſitis ouis ſubito miteſcit, & omnes cadunt ventorum procellæ, ſtatuſque aurarum quieſcunt, ac placidum ventis ſtat mare, donec oua foueat Alcyon ſua. Tantam autem gratiam minuſcula auis diuinitùs indultam habet, vt hos quatuordecim dies Nautici præſumptæ ſerenitatis obſeruent, quos, & alcionidas vocant. Quibus nullus motus procelloſæ tempeſtatis horreſcit: Partim Plinius lib. 10. cap. 32. De nido autem auiculę huius magna eſt varietas apud Authores. Placet Ælian. lib. 9. de animal. cap. 17. verba referre, qui eleganter huius auiculæ ſolertiam deſcribit. *Alcyones* (inquit) *in aperto ac libero mari ad nidi ſtructuram legendis contexendiſque belonc ſpinis incumbunt: ſed ineffabili etiam vi ingenij, ſolertiæque propoſitum perficiunt. Spinas enim partim rectas partim obliquas vt mulieres ad textrinam eruditæ ſub tegmini ſtamen intertexunt, & rotundum paulatim, non omninò tamen, ſed oblongum, & ſinuoſum inſtar naſſæ cuiuſdam efficiunt. Perfectum in mare deferunt, vbi fluitans ab incurſantibus vndis earum opus probatur. Tunc partes, quas aqua incidens oſtendit non firmas eſſe reſarciunt. Cætera, quæ rectè connexa iunctaque ſunt, neque ſi percutias ſaxo, rumpi, neque ferro diſcindi poſſunt, non magis quam lineus ille thorax, qui Mineruæ Lindiæ conſecratus carminibus celebratur. Os verò nidi non planè conſpicuum, & alijs omnibus inacceſſum ſolam illam ſuſcipere poteſt, neque per id ipſum quicquam ex mari intrò influere poteſt, adeò ſubtiliter eſt conſtructum. Ibidem vndis circumlata Alcyon, vt ferunt, pullos nutrit.* Quæ omnia mirè congruunt Beatiſſimæ Virgini in eius conceptione, & arcæ, vbi generis humani reliquiæ fuere reſeruatæ. Siquidem vbi cæteri omnes, præter Chriſtum, aquis diluuij fuerunt obruti, illa ſola nec paruulam guttam diluuij experta eſt, quia Spiritus Sancti ſuperueniente gratia mirabiliter fuit compacta, vndequaque clauſa, & bitumine cœleſtium chariſmatum delinita, vtpotè quę domus erat Verbo æterno deputata. Illiuſque perfectiſſimus nidus ex ſenticoſis parietibus fabricatus. Quin tamen aliquid ſpinoſum haberet, ſed omne floridum, omne planum, omne blandum: licèt ex ſpinis ſit contextus, hoc eſt, ex progenitoribus, quorum aliqui recti, alij non recti fuere, licet omnes peccato originali obliqui, quia Æthereus Alcyon naturæ ſic fræna impoſuit, ſic nimboſos culpæ vortices ſedauit, vt pacato cęlo, nullaque impendente procella vitæ vndas calcaret: & dum cuncta propago primæui ſceleris aqua obruitur vnda non audet Virgineum intrare nidum.

2. Orto Moyſe apud Ægyptum, cum iam creuiſſet, neque vltra abſcondi facilè poſſet, Nili fluentis commendatur, vndè à Pharaonis filia excipitur, & adoptatur in filium. *Cumque iam celare non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice, poſuitque intùs infantulum, & expoſuit eum in carecto ripæ fluminis, ſtante procul ſorore eius, & conſiderante euentum rei.* Exod. 2. verſ. 3. Hebræam vocem, quam Vulgatus *fiſcellam* tranſtulit, difficilem eſſe cognitu, ait D. Auguſt. lib. in Exod. Quia neque Græcus ex hebræo, neque Latinus ex Græco hoc modo vertit: in Hebræo enim correſpondet vox *Theba*, *qua in Scriptura tantùm nominatur fiſcella iſta* (inquit Marius) *quia ſeruauit Moyſem, & arca quæ ſeruauit Noe, quaſi ſolum deſtinata ſeruandis hominibus; & quidem ex aqua, vt proinde meritò etiam vtramque hominis figuram habuerit.* At quæ illa fiſcella fuit, quæ humanam figuram ferebat, ſpeciemque hominis habuit, & bitumine ingenti cura fuit linita, vt hominem ex aqua ſeruaret? Auſculta Hugo de S. Victore. lib. 4. *Fiſcella* (inquit) *eſt MARIA, ſcirpea ex carne ſingulari ſine nodo culpæ, perfuſa rore gratiæ, & bitumine, ne leuiter diſſoluatur, neue aqua intraret in tale vas: & ideò venit in Ægyptum Dominus in ea.* Bitumen perutile eſt ad rimarum clauſionem, & impediendam aquæ per iuncturas penetrationem, vndè, & arcam ſuam ex præſcripto Dei bitumine liniuit Noe. Sicut ergo in fiſcella illa Pharaonis iras declinauit Moyſes, & liberatus fuit à naufragio: ſic ęternus Dei filius verus Moyſes, ab Herodis ira fuit ſeruatus in Mariana fiſcellla, in quam nulla originarię culpæ aqua intrauit, quia omnem aditum Spiritus Sanctus præcluſit, & clauſit præueniente gratia naturæ rimas, per quas diabolus illabitur: fuit enim vt ſcirpus, in quo nodum quęrere fruſtraneum eſt. Vndè in reuelatione San. Michaelis S. Amadeo facta in libro, qui intitulatur Apochalypſis noua, & habetur in Bibliotheca Regia Sanct. Laurentij, his verbis Sanct. Matthæus loquitur ad MARIAM: *Niuei candoris es, ò MARIA immaculata, ſcirpus ſine nodo.* Vt videre licet apud Egidium de præſentat. Perindè namque eſt in hac ſcirpea fiſcella culpam quærere, ac in ſcirpo nodum.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

MARIA non decertando, ſed deterrendo, triumphum à ſerpente reportauit, vt nobiliori potiretur victoria.

1. NOn ſatis eſſet MARIAM incertamine cum antiquo ſerpēte ipſum deuiciſſe, vt triumphali corona frueretur, niſi aduerſarium taliter deterreret, vt manus cum ipſam conſerere recuſaret, quia de victoria diffidebat: ſine ſanguine enim eum deuicit, ſine puluere poſtrauit, vt glorioſiùs tro-

trophæum reportaret, & nobiliori victoria potiretur. Non virium robore, ſed metus induſtria triumphauit, quod in duello honoratiùs habetur: nam qui cum hoſte ad arenam deuenit, ad minùs in eius animo, & præſumptione deuictus eſt: niſi enim aduerſarius ſpe victoriæ erigeretur, ad certamen venire recuſaret. Illa ergo aduerſarij præſumptio ſat eſt gloriam deuenuſtare victoriæ, & ille tantùm excellentiori triumpho coronatur, qui ita territat inimicum, vt non aggrediatur certamen quia animo iam deiectus deuictoria diffidit. De magno illo Imperatore Traiano obmurmurauit inuidia, quod poſtquam apicem imperij fuit adeptus, nullum inimicum deuicit, neque victoriam aliquam reportauit. Ita eſt: ait eius Panegyriſta Plinius. Cæterùm hæc maior victoria fuit Traiani, & nobilior triumphus: nullum enim vicit, quia nullus eum ad prelium prouocauit cum non eſſet, qui eum deuincere præſumpſerit. *Nunquam enim* (inquit) *niſi ex contemptu imperij noſtri factum eſt, vt vinceremus: maius hoc omnibus triumphis*. Plinius. Ac ſi diceret: Cæteri Imperatores plurimos, & potentiſſimos hoſtes debellarunt; ſed prius ab eis ſpe, & cogitatione fuerunt deuicti: quia inimicus, qui pugnam cum alio conſerere audet, ſi non in campo, ſaltem in præſumptione illud profligauit, nullus enim eos ad pugnam prouocaret, niſi ſpe victoriæ erigeretur. At verò nullus fuit ita arrogans, & præſumptuoſus, quod Traianum vincere præſumpſerit, ac proinde nullum debellauit, quia nullus eum prouocauit ad prælium. *Maius hoc omnibus triumphis*. Hoc ipſum magnopere commendauit Caſſiodorus in Duce fortiſſimo lib.8.epiſt.cap.10. *Acquiſiuit Reipublicæ Romanæ alijs contendentibus, abſque vlla fatigatione Prouinciam, & factum eſt quietum commodum noſtrum, vbi non habuimus bellica contentione periculum. Triumphus ſine pugna, ſine labore palma, ſine cæde victoria.* Nunc MARIÆ præconia, & triumphalis gloria nobiliſſima apparent? nam tantorum Patrum venia, qui aliud ſentire videntur, vicit diabolum non armis, ſed opinione, quam de ſe ipſa habebat. Non enim ſerpens eam deuincere præſumpſit, quare cum ipſa nunquam pugnam conſerere fuit auſus, quia ſuamet formidine erat deuictus. Crederem de huiuſmodi triumpho locutum fuiſſe Philonem lib. de mund. opific. vbi *Victoria virgo* dicitur, eſt enim perpulchra proprietas ſi ſimilitudo deducatur: nam mulier quæ corpore Virgo exiſtit, non profectò Virgo eſt, ſi animo degenerat, nam perfecta Virginitas conſtat ex corporis integritate, & animi affectibus. Id ipſum in duello, & victoria reperitur: vincit enim, qui inimicum in arena proſternit; verùm hæc non victoria Virgo erit, nam victor in animo aduerſarij prius fuit deuictus, niſi enim ſpe futuræ victoriæ animaretur, non ad certamen deueniſſet. Perfecta igitur victoria, & animo, & corpore inimici conſtat, nam ita ſe imparem viribus debet iudicare, vt à propria apprehenſione vincatur, & enſem dimetiri non audeat. Hoc igitur pacto MARIA in ſua conceptione de dæmone victoriam reportauit, nam eam aggredi non eſt auſus, quia illam deuincere diffidebat.

2. Inter mentitas felicitates, quas ſerpens primis Parentibus fuerat pollicitus, ſummam inſelicitatem, & deplorandam ſeruitutem introduxit. Accedit Deus dolens, & vt ſatanicæ deceptionis vindictam ſumat, ſerpentem minatur a muliere debellatum iri, quia & ipſe mulierem debellauit. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſideraberis calcaneo eius*. Geneſ. 3. verſ.15. Priùs mulieris victoriam deſcribit, & poſteà ſerpentis inſidias. Videtur ſanè, quod Deus dolore percitus verba commutauit: nam priùs eſt certamen, quam triumphus; priùs lis, quam corona. Cur igitur mulier priùs ſerpentis caput conterat; & poſteà ſerpens mulieri inſidietur? Cur antequam certamen ineat mulier, triumphum reportare dicitur? Præſtaret verba commutare: Tu inſidiaberis calcaneo eius, & ipſa conteret caput tuum, quam è conuerſo: *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius*; cum rebus verba non conſonent, & præpoſterus ſit ordo: quia priùs eſt hoſtem inſidias apponere, & poſteà triumpus. At cum magna ſolertia verba eſſe collocata exiſtimat Tertullian. nam ſi priùs ſerpens inſidiaretur mulieri, & mulier poſteà victoriam reportaret, quod eam ſit aggreſſus ſpe, & animo vincendi gloriaretur ſerpens, quo mulieris victoria deuenuſtatur, cum iam in hoſtis præſumptione ſit deuicta. Cæterùm, quod mulier ita valens oſtendatur, vt victoriam reportet, antequam prælietur, & ad certamen deueniat, anguſtioris victoriæ vltima exaggeratio eſt, cum victoria virgo ſit, ſine pugna triumphus, & ſine labore palma. Igitur non dicatur, quod ſerpens inſidias apponet, & quod poſteà mulier illum profligabit, ſed quod antequam ſerpens arma admoueat, mulier lauro coronabitur, vt nobiliori potiatur victoria. Id omne Tertull.lib.2.cont.Marcion.cap.10. acumen ea, qua ſolet profunditate, comprehendit: *Ipſa conteret caput tuum, vt diabolus amariùs puniretur ab ea, quam eliſerat ante deuictus*, Igitur antequam adoriatur inimicus, & conflictus inſtet, ſerpens oſtendatur deuictus, quo MARIÆ victoria (de qua ibi ſermo ſine dubio habetur) nobilior oſtendatur.

3. Arbitror hoc victoriæ genus in ventre matris Chriſtum didiciſſe. Neſcio quam conſequentiam Dauid habuerit, vt Deum hortetur, quod enſe accingatur: cuius ratio ea videtur, quia circa habebat matrem. *Accinge-*

re

re gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime : ſpecie tua , & pulchritudine tua intende , proſperè procede , & regna , Pſal. 44. verſ. 4. Et ſtatim: *Aſtitit Regina à dextris tuis* . Non veriſimile videtur , quod ipſa eum enſe accingat , neque quod qui à natura ita fortis eſt, à muliere fortitudinem mendicet . *Hic ab vxore commendat Sponſum* , dixit Caſſiodor. Verùm id ita accidit , nam ipſa , quæ naturam ex ſe capacem ad culpam dedit , dedit valorem , & fortitudinem contra illam . Quare à maternis viſceribus valorem , & vires Chriſtus hauſit , contra communem naturæ humanæ hoſtem . Sed hinc iam oritur difficultas : ſi enim MARIA conſulit filio, vt arma aſſumat, vt Martem induat, *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum* : cur cum eum armatum vidit , & paratum ad pugnam, ſuggerit, vt manſuetudine, & dulcedine triumphet ? *Specie tua , & pulchitudine intende , proſpere procede , & regna* . Obuia ſunt , ſed non omittenda Tertulliani verba idipſum expendentis cap. 9. aduerſus Iudæos : *Accingere* (inquit Dauid) *enſe ſuper femur . Sed quid tempeſtiuus decore ſuper filios hominum diffuſa gratia in labijs tuis ? Valdè enim abſurdum eſt ſi quem enſe cingebat , ei de tempeſtiuitate decoris , & labiorum gratia blandiatur , de quo ſubiungens dicebat ; Intende proſperè , proſpera , & regna . Et adiecit : Propter lenitatem , & iuſtitiam . Quis enim enſe accingitur , & non contraria lenitati, & iuſtitiæ exercet ? Ideſt dolum , aſperitatem , & iniuſtitiam , propria ſcilicet negotia præliorum* . Quis non expectaret , vt poſtquam filium armauit MARIA , artem, qua hoſtem vulneraret , & ab illius ictibus ſe defenderet , doceret : Qui armatus incedit, non ferri duritie, neque robuſta manu inimicum profligabit; ſed dulcedine , & ſuauitate? Non inquam; voluit enim MARIA , vt filius glorioſiori victoria , ea nempè, quam ipſa in conceptione reportauerat, inimicum deuinceret, vt ſine ſanguine triumpharet. Videat eum inimicus armis cinctum, vt cum formidet: at non ſtringant gladium , non manus conſerat in bello , ne hoſtis de ſua temeritate , & audacia glorietur . Huc reſpexit mulier illa Euangelica, quę cum Chriſtum videret dęmonem ab obſeſſo corpore eijcientem, illumque debellantem , matris ventri victoriam arrogauit : *Beatus venter , qui te portauit* . Luc. 11. verſ. 17. Quaſi dicat : Hoc victorię laudes non tibi , ſed matri ſunt deferendę , quę in certamine inito cum hoſte potentiſſimo hoc victorię genere exultauit : quia licet balteo primęuę iuſtitię armata inceſſerit , ſine pugnę rumore deuicit , & victoriam cecinit .

4. Vulgaris quęſtio eſt inter Interpretes , an Hebręi arma ſecum detulerint , cum ab Ægypto fuerunt egreſſi , conditio enim ſeruilis , in qua ille populus tunc erat , id non admittere videtur . Pręterquam quod exitus fuit ita improuiſus , vt arma ſumere , ac illa pręparare non permitteret . Extat tamen expreſſus locus in Exodo cap. 13. verſ. 18. qui arma detuliſſe affirmat : *Armati aſcenderunt filij Iſrlael de terra Ægypti* . Mirùm eſt , quod cum textus tam perſpicuè loquatur , id vertatur in dubium . Cæterùm dubitatione caret , eos inſtrumenta muſica portaſſe , cum id conſtet ex choreis , canticis , & exultationibus , quæ ad maris littus , cum ab eius naufragio liberi viderentur, fecerunt . *Sumpſit ergo Maria Prophetiſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua , egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis , & choro* . Exod. 15. verſ. 20. Id autem animaduerſione dignum eſt , quod cum omnes eadem potirentur fortuna, & ab Ægyptijs eos inſequentibus fuerint liberati , ſolùm MARIAM ceciniſſe dicatur . Fortè ita dicitur , nam indecorum videtur , quod tot militas armis accincti , vt muſici iter facerent inſtrumentis deliciarum vtentes , non autem militaribus ; præcipuè cum ad dorſa hoſtem implacabilem haberent . Verùm quod felicitas , & victoria omnium ſit , & quod ſola MARIA hymnum lætitiæ canat , me in ſuſpicionem adducit , ita fuiſſe ab Spiritu Sancto diſpoſitum , vt euentum alterius MARIÆ in ſua conceptione prædiceret . Nam illi ſoli inter cæteros Adæ filios ſeruabatur à ſecuritate victoriam canere , & ſine pugna triumphare : quod inimicus eam armatam videret , vt pertimeſceret , tamen ſine neceſſitate pugnandi . Quod & Dauid prædixit de eodem tranſitu maris rubri locutus , vt commentatur D. Chryſoſt. *Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum* . Pſal. 148. verſ. 6. Quaſi dicat : Enſes quidem , enſes habebant in manibus , quibus formidabiles inimicis apparerent ; cæterùm ſolis muſicis inſtrumentis vtebantur , quibus victoriam canebant . At hoc ſolùm MARIÆ commendatur , nam illi ſoli contigit à littore naufragium hoſtis videre . Ita enim in eius conceptione accidit ; nam mare rubrum originalis culpæ Deus diuiſit , pars eius ſuperior in excelſos velut montes progenitorum MARIÆ intumuit , ne ad ipſam flueret ; inferior verò pars præcipiti fuga , ingentique fragore decurrens in reliquum , ac ſalſiſſimum humanæ naturæ màre defluxit , in cæteros Adæ filios exundauit . Intrauit per ſiccum MARIA pede calceato immunitate legali , & vt ad vitæ littus deuenit , aquæ originalis peccati iterum fluxerunt , obruerunt reliquos , & Pharaonem noſtræ libertatis Satanam primo tropheo ſuffocauit . Victoriam ergo , quæ ſine ſanguine acquiritur , ſola MARIA , canat , *Sumpſit ergo MARIA tympanum* . Arma non admoueat , & ſuorum pondere demergatur hoſtis , vt laudatiſſima fruatur victoria .

DISCVR-

Digitized by Google

DISCVRSVS V. MORALIS.

MARIA paradiſus ſemper virens, lux nunquam deficiens.

1. NVllum fuit inſtans, momentumue, in quo Beatiſſima Virgo non fuerit gratiæ pulchritudine nitens: nam veluti paradiſus ſecundo Adamo creatus florida amenitate vernauit ſemper, virore gratię nunquam fuit viduatus. *Hortus concluſus, ſoror mea Sponſa, hortus concluſus*: dicebat Amaſius ſacer Cant.4.verſ.12. Quę amatoria verba Heſich.orat.2.de Deipara, Epiphanius iunior de laud. eiuſdem D. Hieronym. lib. contra Iouinian.& Rupertus de B.Virgine accipiunt, quę veluti flos in ſepto, & concluſo horto fuit illibatus, ne inimica manus ad ipſam accederet, illamque temeraret: nam flores in horto clauſo vernant, cautè cuſtodiuntur, vt à nemine iniuriam patiantur. Quod pulchrè Catullus in ſuo Epitalamio ad puellam intemeratam, omnibuſque dilectam inflectit.

Vt flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro,
Quē mulcent auræ, firmat Sol, educat imber;
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ.
Idem cum tenui captus deflorauit vngue.
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ.
Sic Virgo dum intacta manet, tunc clara ſuis, ſed
Cum caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec grata puellis.

Vt igitur Sponſus matris puritatem nullo contagio offenſam indicaret, flori intra hortum ſepto illam contulit, qui omnem abegit hoſtilem incurſum, aditumque præcluſit ad inimicas inſidias. Hoc ipſum venuſtè ponderauit Rupert.in horto, vbi ſemper flores, & virgulta vernant propter agricolę beneficium. *Inde* (inquit) *nominatur hortus, quòd ſemper ibi aliquid oriatur. quia cum alia terra ſemel in anno aliquid ereet, hortus nunquam ſine fructu eſt. Vndè ergo hortus es tu, ò dilecta dilecti? Niſi quia in te natum eſt aliquid, quod nunquam deſinit, & fructus tuus nunquam marceſcit.* Præmenda ſunt illa verba: *Nunquam ſine fructu eſt, & fructus tuus nunquam marceſcit.* Quia nunquam fuit temporis inſtans, in quo Beatiſſima Virgo ſine fructu gratię, & ſine virtutis fragrantia extiterit. Quandò reliquę arbores in originalis culpę hyeme fructibus, imò & folijs ab Aquilone viduantur: tunc B. Virgo florida amenitate vernabat, & gratię fructibus fuit adornata, quin tartareus Aquilo, qui cœteros ſpoliat, ad ipſam accedere potuerit. Quoſpectat, quod ex traditione Patrum teſtatur Fuluertus Carnotenſis ſerm.2.de natiuit.videlicet, MARIAM in Nazareth ortum habuiſſe, idque menſe Septembris, in quo verni flores areſcunt, vt manifeſtè videas, quod hic flos non naturæ impetu, ſed gratię impulſu concipiatur, Nazareth enim flos interptetatur, & quòd cum cęteri flores decidunt, & marceſcunt, Marianus flos ſucco Diuinę gratię irrigatus viret.

2. Idcircò bis hortus concluſus appellatur MARIA, vt non ſolùm de integritate corporis, quam & in conceptione, & in natiuitate Verbi illibatam ſeruauit, locutum arbitreris Sponſum: ſed etiam de animę integritate, quam nunquam ſerpentis antiqui temerauit aſpectus. Audi Rupet.vbi ſup. *Bis hortus diceris propter conceptum, & partum, quia in vtroque mirabile eſt, & amabile miraculum, quòd neque corrupta es, neque violata partu: nam, & vterus tuus nulli carnali commercio acceſſibilis, & mens tua nulli ſpirituali nequitiæ fuit vnquam penetrabilis.* Pręme hęc Ruperti verba: *Et mens tua nulli ſpirituali nequitiæ fuit vnquam penetrabilis.* Quę magnam energiam continent: quia videlicet in nullo temporis momento ſerpentis peſtifero veneno patefacta fuit Virginea mens: ſed ſempet & pro omni tempore omnis culpa ab hoc horto bis concluſo exulauit: concluſo (inquam) bis propter geminum cuſtodię munimentum, quo eius corpus, & anima ſeruabatur, ne halitus tartarei draconis florem puritatis tangeret, illoque huiuſmodi hortus marceſceret, vt inter arefactas filiorum Adę mentes hęc ſingularis Virgo ſemper floreret. Huc ſpectat, quod declaraturus Deo ſummum Sacerdotem iuſſit, vt pro ſingulis tribubus ſingulę virgę amygdalinę in tabernaeulo ponerentur, & ex illa tribu aſſumeretur Pontifex, cuius virga in craſtinum floribus, ac fructibus germinaſſet. D.Cyrill.Ieroſolymit. ibi, S Ephren.ſerm.de B.MARIÆ laudib.& D.Bernard. hom. 2. ſuper miſſus eſt, in illa virga MARIAM agnoſcunt. Sed libuit ambigere, cur potiùs amygdalina fuerit illa virga, quę Virginem referebat, quam alia. Sic enim habet textus Num.17. verſ.8. *Quas cum poſuiſſet Moyſes coram Domino in tabernaculo teſtimonij, ſequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Cur non in alia proceriori planta indicatur dignitas Sacerdotalis, & ex illa tribu ventura adumbratur Meſſię mater: ſed in amygdalo, quæ longè inferior multis arboribus eſt? Suſpicor, vt in huius plantæ præpropera florum amenitate MARIÆ puritas præuenta legatur: amygdalus enim inter omnes arbores primum floret, cæteraſque anteit, nam verno tempore non exſpectaro, nondum tranſacto hyeme, flores emittit. Sic B.Virgo Dei gratia præuenra, & irrigata, à primo ſuæ conceptionis inſtanti effloruit, venuſtaque & virens apparruit eo tempore, quo cæteri Adæ poſteri nudi, & aridi videbantur: nunquam

enim ipſi natiuus gratiæ candor defecit, vt arcanè dixit Ieremias c. 18. v. 14. *Numquid deficiet nix de petra Libani? Aut euelli poſſunt aquæ erumpentes, frigidæ, & fluentes?* D. Ambroſ. lib. 1. de Virg. antè medium myſticè hic Eccleſiæ puritatem agnoſcit; ſubindèque procliue eſt ea ad B. Virginem inflectere, quam Iſaias cap. 16. verſ. 1. petram deſerti nominauit. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deſerti*. At cur Vates dum Deiparæ album colorem vult indicare, vt ipſius puritatem per translationem deſcribat, non alijs rebus candidis, byſſo, videlicet, aut papiro, ſed niui eam comparauit? Crediderim, quia candor byſſi, aut papiri non eſt illis innatus: priùs enim ſub alijs coloribus, fuſco, ſcilicet, & viridi fuerunt, & poſteà Sole, & aqua dealbantur, vtpotè quæ ex lino viridi, & poſteà fuſco ortum ducunt. Aliter autem ſe habet candor niuis, quæ candida generatur, ſpargitur candida, & candida in terram deſcendit. Candori ergo niuis, non byſſi, aut papiri congruè confertur MARIA; quia nunquam ſub tetro, & fuſco originalis culpæ colore fuit; ſed candidiſſimum colorem, ſub quo fuit concepta, ſemper conſeruauit: ideòque nunquam ab illa defecit. *Numquid deficiet nix de petra Libani?* Quaſi dicat: Nunquam deficiet, quia à natura inditam habet puritatis ſpeciem, candorem gratiæ: & indeficientem lucis nitorem.

3. Hinc enim ipſam Angeli mirabantur Cantic. 6. verſ. 9. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?* Quid tam rarum habet aurora, vt Angelos totius ignorantię expertes in admirationem rapiat? Audi S. Bernard. Senen. 51. cap. 4. *In prima ſui ſanctificatione Virgo Beata progrediebatur ſicut Aurora conſurgens, quia fugauit tenebras horrendæ noctis originalis infectionis, & carnalis ſocietatis humani generis*. Hoc vnum peculiare, & ſibi proprium habet aurora, quod maximè conceptionem Virginis demonſtrat, quod à primò ſuę creationis inſtanti lucem in ſe habuit, neque vnquam eam perdidit. Sic vtique MARIA à primò conceptionis exordio pulcherrima fuit, ſplendeſcens, abſque vlla originariæ labis vmbra. Ibi enim vbi cęteris omnibus, pręter Chriſtum, lux occidit, & ſuccedit nox, Beatiſſimę Virgini lux oritur indeficiens. Quod reſpiciens Dauid dixit Pſalm. 77. verſ. 14. *Et eduxit eos in nube diei*. Loquitur de columna ductante populum in deſerto, in qua D. Hier. Beatiſſimam Virginem agnoſcens inquit: *Pulchrè dixit nube diei: nubes enim illa non fuit in tenebris: ſed ſemper in luce*. Hoc eſt nunquam vllis peccatorum tenebris caligauit: ſed ſemper immenſo quodam diuinę gratię iubare refulſit. Vbi cęteros atra nubes obſcurat, B. Virgini nubes lucida, & ſplendeſcens oritur; nubes inquam diei, quia nunquam tenebrę ad ipſam acceſſum habuere. Ideò alibi dicitur dies cœli. *Et thronus eius ſicut cœli*. Pſal. 88. verſ. 30. Dies terrę incipiunt in tenebris, & in luce finiuntur, ideò veſpere antecedit mane. *Factum eſt veſpere, & mane dies vnus*. Geneſ. 1. verſ. 5. At cœli dies ſemper ſplendent, quia occaſum ignorant, & veſpere non habent. Alij enim Sancti dies terrę nuncupari queunt, quia incipiunt in veſpere, & caligine originalis noxę; terminantur verò in luce, & die gratię. At beatiſſima Virgo cœleſtis eſt dies, quia ſemper in gratia fulſit, nullaque peccati obſcuritate neque in exordio, neque in fine fuit offuſcata, nunquam eius lux deliquium fuit perpeſſa, vtpotè origo luminis immenſi. Lux etenim illa, quam in primò creationis die Deus produxit. *Dixit Deus: Fiat lux, Et facta eſt lux*. Geneſ. 1. verſ. 3. multi exiſtimant, quod fuit quoddam corpus lucidum, & luminoſum, ex quò poſteà quartò die lucem formauit. Si autem inquiras cur non primò die ſolem condidit, à quò lux tanquā è fonte emanaret? Auſculta Albert. Magnum ſuper miſſus eſt. *In hac prima die facta eſt nubecula, de qua poſteà factus eſt Sol. Quid autem nubecula materia corporis ſolaris? Niſi B. Virgo mater, & materia corporis Chriſti*. Lux illa, quæ in primò die præceſſit, MARIAM adumbrabat, ex qua Chriſtus Dominus ſol iuſtitię originem duxit: ſubindèque non à tenebris fuit orta, ſed ab increato Dei lumine, vt nulla in ſuo primæuo exordio appareat vmbra, nullaque caligine concepta videatur.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Vt totus naturæ ordo in MARIÆ conceptione videatur inuerſus, non tantùm capite, ſed & pedibus coronatis incedit.

1. QVisnam perfectior ſit modus principatum adipiſcendi, electione an hæreditate, quæſtio eſt non parum implexa, & difficilis inter Politicos, diſertæ enim rationes pro vtraque parte afferuntur, & quidem potiorem eſſe ſucceſſionem principatus, quem merita reſpoſcunt, & conferunt ciuium ſuffragia, perſpicuè tradit Theodoret. quæſt. 48. in Num. factum Moyſis approbans, qui tegimen populi non filijs commiſit, ſed extraneo Ioſue, *Moyſes amicus Dei, cui facie ad faciem Deus locutus eſt, potuit vtique ſucceſſores principatus filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem, ſed extraneus de alia tribu eligitur IESVS: vt ſciremus principatum in populos non ſanguini deferendum, ſed vitæ*. Theodoreto adſtipulantur quamplurimi. Nihilominùs naturalem ſucceſſionem congruentiorem eſſe, probabiliùs exiſtimo, quod robuſtiſſi-

Digitized by Google

buſtiſſimis rationibus conuincitur, quas longum eſſet recenſere, ſat eſt indigitare: præſumptio enim in naturæ fauorem decertat, & generoſitatem prolis ab origine generoſo, & regali ſanguine arguit ſubindèque regulariter principatus, ad quem euexit natura, perfectior eſt, & ille melior Princeps in genere iudicatur, qui graduatur à natura, & in ipſius ſchola eruditur. Vndè Ariſtoteles: *Par eſt meliores eſſe eos, qui ex melioribus*. Et lib. 1. Politic. cap. 4. *Nam vt ex homine hominem, ex belluis belluam; ſic ex bonis bonum generari putant. At hoc ſæpè natura efficere vult*. Quare naturam aberraſſe creditur (quod rarò contingit, cum eius opera intelligentiæ ſint) quandò degenerem format eum, qui ad principatus infulas eſt aſcenſurus. Vndè vt MARIÆ perfectio demonſtretur, non ſat videtur, quod à regia ſtirpe originem traxerit, vt naturę beneficio Regina exiſtimetur: niſi etiam à gratiæ fauore, & electione Regina oriatur, atque adeò immunis à quacunque lege pœnali, & debito connaturali impoſita: cum id ſit Principis ius, & priuilegium, legibus, quæ cæteros comprehendunt, non ſubijci. Proindeque exiſtimo, omnem naturæ ordinem in MARIA fuiſſe inuerſum, & non tantùm capite coronatam ire (quod eſt ſolemne Principum priuilegium, qui hæreditate, & naturali ſucceſſione regna poſſident) ſed etiam pedibus, quod fauor eſt ijs, qui gratia regna capiunt, conceſſus, vt naturæ legibus videantur immunes, ſiquidem à primo gradu coronati ſine offendiculo incedunt, quod MARIÆ peculiare elogium eſt.

2. Decertantibus in illis amatorijs carminibus Sponſo, & Sponſa de dilectione cum ille omnes Amaſiæ partes laudibus extuliſſet, tandem ad pedes deueniens ait: *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis*. Cantic. 7. verſ. 1. Mitto quod alias corporis partes comparationibus, & ſimilitudinibus laudauerit, quaſi non eſſet difficilè earum pulchritudinem depingere, & nulla pedes deſcribens ſimilitudine vtatur, quaſi nulla res veniat cum ipſis comparanda: & expendo, quod ingreſſibus filiam Principis agnoſcat Sponſam noua etenim, & inuſitata loquendi forma. Quis vnquam perſonam principatui notam in pedibus agnouit? Caput enim corona redimitum inſigne eſt regię dignitatis, ſceptrum eſt regale ornamentum: Princeps his inſignibus decoratur. At in pedibus dignitatem regiam agnoſci, quis audiuit vnquam? Qui cognouerit (acutè Rupertus reſpondet) quod MARIA naturam ingreditur Reginæ priuilegijs à gratia conceſſis exornata, & ideò pedibus corona cinctis: nam eos diſcalceatos habere, & toxico venenoſi ſerpentis expoſitos, ſeruilis conditio fuit primæ mulieris, quę cum Regina naſceretur, ancillam ſe culpæ effecit. Verùm MARIA periculum ipſum calcat, & opprimit: nam in primo gradu, in inſtanti primo, quò ad vitam ingreditur, coronam ſuis gratia pedibus elaborauit, vt illos cingeret, & à quocunque morſu venenoſo defenderet. *Quam pulchri ſunt greſſus tui filia Principis. Nouuè ancilla, ſiue ancillæ filia diſcalceatis pedibus incedit? Planè diſcalceatis. Propter hoc ſeruilis arguitur conditionis, quia nuditas pedum ſeruilitatis eſt, argumentum. Idcircò ancillæ calcaneum ſerpens momordit. Tu autem ò filia Principis calceata caput ſerpentis contriuiſti*. Huc uſque Rupert. in corona, quam in pedibus à primò conceptionis inſtanti MARIA geſtauit, cœpit culpæ caput conteri. Hinc Salomon vtpotè in aula Principum educatus regiam maieſtatem, & ornamenta Principis in MARIÆ pedibus agnouit, & ad primum conceptionis greſſum coronam cœpit admirari.

3. Nunquam ſatis mirabitur, qui MARIÆ imaginem inſpexerit quam in ſua Apocalyp. 12. verſ. 1. Ioannes vidiſſe teſtatur. Apparuit. *Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & corona ſtellarum duodecim in capite eius*. Apocal. 12. Quod ſole ſit amicta mulier, & ſtellis coronata, radijſque ſolaribus exundans, vt totæ eius reuerberet pulchritudo, apprimè videtur. Sed ad quid luna ſub pedibus collocatur? Nam cum luminare ſit ſecundum à ſole, excellentiori loco, quam ſtellæ, debebat potiri. Cur igitur ſic deſpicitur, vt ad pedes vſque deſcendat, vt eam calcent? At eum locum non dedecoris, ſed honoris fuiſſe credendum eſt: luna enim quę Ioanni ſub pedibus MARIÆ apparuit diadematis, quò Sancti coronantur, figuram præ ſefert, vt attentè conſideranti patebit. Igitur in reliquis ſanctitatibus corona capitis præmium eſt, & inſigne: cæterum in MARIA pedum diadema quò ad primum vitæ greſſum eius pedes gratia coronauit, ipſamque Reginam oſtendit. Cęteri enim Adæ filij (vt dixit Ambroſius) vitam ingrediuntur non quaſi ad portum ſecuri, ſed à natura expulſi tanquam ad naufragium ineuitabile: *Quos naufragos in hanc vitam quidam naturæ fluxus expuerit*. Omnes colliſi in fatalem culpæ ſcopum conteruntur: hac enim de cauſa omnes, cum à maternis viſceribus egrediuntur, à capite oriri incipiunt, quaſi ad præcipitium impellantur. At MARIA à pedibus cœpit oriri quia eos tanquam gratiæ regina habuit coronatos. Vt autem hoc regale priuilegium plus firmaretur, ſemel, & iterum illud repetit Sponſus Cantic. 4. verſ. 8. *Veni Sponſa mea, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum*. Geminatis vocationibus eam ad coronationem inuitat, vt vtramque coronam, & gratiæ, & naturæ, & pedis, & capitis accipiat: quod Hebræa lectio innuit. *Veni* (inquit) *coronaberis de lucis ſcopulo*. Quaſi dicat. *A cubilibus leonum, de montibus pardorum*: Ideſt? de filijs Adæ; à quibus originem traxiſti,

xiſti, & qui tanquam feræ in vmbroſis originalis culpæ tabernis habitaut: veni luce reſperſa, à lucis ſcopulo progredere, nam in naufragio ineuitabili humanæ naturę, in ſcopulo primęue culpæ plus tua innocentia ſolidatur, quia ibi præuenta luce reperiris: lux autem ſcopulum non formidat, cum naufragium non poſſit pati: & quæ ad primum greſſum naturæ, pede accincto, & coronato luce gratiæ procedit, non eſt cur periculum pertimeſcat. Succinit Carthuſian. in comment. huius loci. *Veni* (inquit) *de Libano à candore gratiæ, à luce puritatis æternæ*. Lux enim, quæ MARIAM illuſtrauit, extemporalis, & intempeſtiua fuit, quia nullo inſtanti illa caruit: proindéque pedem ſemper in loco fixit. Reliqui Adæ filij cum primò limen vitæ calcant, pedem luto originalis noxæ immerſum, & inuolutum tenebris hauriunt, MARIA autem à luce præuenta tenebras relegauit, & priuilegijs gratiæ ac naturæ gaudens, vbi periclitantur cœteri, candorem, & puritatem plus firmauit.

4. Hanc enim pedum coronam deferentium nobilitatem à ventre matris hereditauit filius, de ipſaque gloriatur, vt maternam puritatem ſanciat. Exod. 28. verſ. 33. leges, & cœremoniæ ſummo Sacerdoti intimantur, & inter alia præcipitur, quod ingreſſurus tabernaculum veſtimentum portet, è cuius fimbria mala punica dependeant. *Deorſum verò ad pedes eiuſdem tunicæ quaſi mala punica facies*. Quod ordinabatur non ſolùm in honorem Sacerdotis, ſed etiam in cultum, & reuerentiam arcæ, quæ tantùm eius oculis permittebatur inſpicienda. Vt autem maieſtate, quæ ipſam decebat, accederet, pedes coronatos deferebat malis punicis, quæ naturali gaudent corona: ſic enim, & non aliter pauimentum calcabat tabernaculi. Hieronym. & vtraque Gloſa Sacramentum incarnationis Verbi, & ingreſſum in MARIÆ viſcera, ſicut, & ipſius matris conceptionem, & ingreſſum in Annæ vterum hic figurari exiſtimant. At cur cum vtriuſque conceptionis myſterium agitur, & affectantur reuerentia, & maieſtas, coronæ non in capite Sacerdotis, ſed ad pedes deferuntur? Coronas enim ad pedes mittere, vbi facilè conculcentur, maieſtatem deſpicere, & parui pendere eſt. Verùm hic non humanæ res agitur, ſed Diuina, non communis, ſed contrà naturę ordinem: in his enim conceptionibus non ſolùm in capitibus (vt mos eſt) coronæ deferuntur, ſed in pedibus, quia vtraque immunis fuit à ſeruili originalis culpæ conditione: & idcircò regali diademate matris, & filij pedes coronantur, vbi ſerpentis conteratur caput. Ingreditur Chriſtus in templum vbi arca, quæ MARIAM referebat, aſſeruatur coronas calcans, non ſolùm propter dignitatem perſonalem, quam accepit à Patre; ſed etiam propter eam, quam à matre iure habet hereditario: nam cum ipſa regali pompa, & pedibus coronata in Annæ viſcera fit ingreſſa, filius eadem maieſtate in ipſius ventrem ingreditur.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Nec leuem culpæ ſuſpicionem Mariæ conceptio patitur.

1. TEnet Albertus Magn. cap. 81. lib. de laudibus Virginis omnia Eccleſiæ Sacramenta (ſi Ordinis excipias) MARIAM ſuſcepiſſe: quem ſequitur Caniſius lib. 1. de Deipara vbi tenet cum Nicephoro, & Euthymio ad cap. 3. Ioann. à Chriſto Domino fuiſſe baptizatam: verba Euthymij ſubijcio. *Scribunt quidam Apoſtolorum temporibus proximi, quod Chriſtus Petrum, ac Virginem matrem baptizauit*. Non quidem, vt ab originali culpa mundaretur, ad quod Baptiſmus fuit inſtitutus, ſed filij ſequeretur exemplum, qui in Iordane fuit tinctus, & vt gratia roboraretur, quam ab inſtanti ſuę conceptionis accepit, viriliúſque in ſerpentem mortiferum inſurgeret. Tradunt rerum naturalium Scriptores aquilam perpetua bella cum dracone gerere, quem lethaliter lacerat, deuorat, atque natiuo calore eius venenum extinguit. Vt autem vires augeat, ſi fortè longæua ætate eneruantur, in mare ſe immergit, & aqua tincta reiuueneſcit, vireſque aſſumit. *Cum ſeneſcit, ſe frigidis immergit aquis*: inquit Epiphanius. De hac autem renouatione in aquis paſſim Authores. Pugnam autem inter ipſam, & draconem venuſtè D. Ambroſ. lib. de Salomone ad Chriſtum peccatum enecantem inflectit. *Sicut auis iſta* (aquila nempè) *inimica ſerpentum eſt, quos cum in aere alarum remigio ſubuectando ſupportat, hoſque adunco roſtro, & armatis quaſi quibuſdam telis, pedibus ſuis lacerat, ac diuellit: quos cum deuorat, calore ſuo interno noxium illud virus extinguit. Ita, & Chriſtus Dominus percuſſo dracone, id eſt, diabolo lacerato, dum humanum corpus aſſumpſit, & peccatum, quod hominem tenebat obnoxium, tanquam pernitioſum virus extinxit, ſicut Apoſtolus ait ad Roman. 8. Et de peccato damnauit peccatum in carne ſua*. Mirificè Chriſto Domino, & eius matri hoc aquilæ genium congruit: nam vterque ſerpentem interficit, eiuſque virus extinxit in primò conceptionis momento, quamquam aliter: quoniam Chriſtus calore ſuo natiuo, quem ab intrinſeco habuit (quoniam impeccabilis prorſus fuit) venenum conſumpſit: eius verò mater ex Dei gratia, & filij meritis ac præſeruatione. Vterque ſacro Baptiſmati fonte tingi-

tur,

tur, non vt toxicum originalis culpæ extinguatur, ſed vt pulchro charactere exornetur, & ingentioris gratiæ vires aſſumat. Sic Iudęis ad Baptiſmum confluentibus dixit Joannes: *Genimina viperarum, quis oſtendit vos fugere à ventura ira?* Lucæ. 3. verſ. 7. Cur eos reprehendit, qui potiùs merebantur laudem, cum properarent aquis ſalutaribus tingi? Cur eos comparat viperarum partubus? Eleganter S. Gregor. Nazianz. *Quia fætus excreſcens perimit conceptricem, in vindictam quòdammodo perempi patris.* Salutare remedium Baptiſmus eſt: ſed dum renatus beneficium accipit, parrem deteſtatur, à quò primum eſſe accepit: eſt enim remedium, ſed ingratum, ſiquidem naturalem occidit cauſam. In hoc ergo cæterorum Adæ filiorum Baptiſmus à Baptiſmo B. Virginis melioris Adę matris diſtinguitur: hic enim cum non haberet culpæ ſimilitudinem, quam deleret, nihil parricidæ habuit, ſicut in aliorum Baptiſmo contingit, qui congruè viperis comparantur, nam illæ in ortu internecanr parentem: & ſimiliter Adæ progenies vbi renaſcitur in Baptiſmo, patrem ipſum deteſtarur, & quodammodò interimit. Rectè ergo Deipara à filio baptizato perhibetur, quia Baptiſmus tantùm illi authoritatem attulit: non à Petro, aut quouis alio homine, quoniam horum Baptiſmus purificat, & emundat, necatque parentem, quem MARIA non in Baptiſmo, ſed in conceptione necauerar, eiuſque abrenuntiauerat legibus.

2. Pulchrè hoc ſatiſque dilucidè obſeruatum inuenies in Cantic. libro, cap. 4. verſ. 1. vbi tota MARIÆ pulchritudo ſingillatim deſcribitur: ibi enim ſemel, & iterum Sponſus viuaci penicillo illius partes depingit, & ab oculis incipiens: *Oculi tui columbarum.* Deindè capillos, dentes, labia, genas, collum, & vbera laudat, ac tandem compendioſè ait: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Ibi verſ. 7. Secundò illius partes minutim refert, & dilaudat cap. 7. vbi è conuerſo à pedibus incipiens, *Quam pulchri ſunt greſſus tui*, per reliquas corporis partes aſcendit, juncturas, vmbilicum, pectus, collum, cæteraſque partes deſcribit, ac tandem in capite concludit, *Caput tuum ſicut carmelus* Ibi verſ. 5. Iam ergo meritò dubitabis, cur cum primò Sponſę Ǽncomiactes in eius laudes diffunditur Sponſus, & ſingillatim ipſius membra commendat, immemor capitis illud ſilentio prætermittat; cum verò ſecundo eius celebrat venuſtatem, à pedibus vſque ad caput aſcendit, illudque ſeorſim dilaudat conferens Carmelo? Nonnè eandem, & numero, & pulchritudine Sponſam, quam primò commendat, ſecundò laudat? Cur igitur primò gratos ſerenitate oculos, riſus ſerenos, reliquaque membra depingens, capitis non meminit: poſteà verò caput venuſto comptu delitias carmeli referens exaltat? Opinor, hic ſatis eleganter innui MARIÆ in ſua conceptione immunitatem, & ab Adamo nullam capitis culpam contraxiſſe: quin potiùs omnibus ab illo hæreditate poſſidendis renuntiaſſe. Etenim cum primò Sponſus Sponſæ laudes, & pulchritudinem intonat, de ipſa loquitur, quandò primò vitam ingreditur, nam tunc eius oculos allexit: poſteà verò, cum de terra ad cœlos fuit aſſumpta. Ergo vbi primò ingreditur MARIA per conceptionem, abſque capite deſcribitur, nulla capitis ſit mentio, acſi abſque capite conciperetur, quia omnium viuentium caput fuit Adam, à quò, & naturalem originem, & originalem culpam tanquam à capite omnes participant. Nulla igitur capitis, quod Adam fuit, in MARIÆ conceptu vox audiatur, ne ab illo culpam contraxiſſe ſuſpicetur. Neque originis vmbra, neque capitis verbum in huius mulieris, conceptu ſonet, vt omnem à ſe culpæ releget notam: poſteà vero cum ad cœlos aſcendit, caput videatur habere, at caput vt Carmelum, nam Carmelus idem eſt ac *inciſus*: quaſi non à natura inditum, ſed mirifica arte inſitum caput MARIA habeat: quia loco capitis, quod Adamo competebat, Deus ſucceſſit, & inſeritur. Prodeſt Rupertus lib. 3. ad illud Cant. 4. *Vulneraſti cor meum in vno crine colli tui. Id eſt, crinis colli humilis cogitatus mulieris caput non habentis: id eſt, virum neque habentis, neque habere volentis, nam caput mulieris vir.* Si ergo imaginem MARIÆ in ſua conceptione attentè inſpicias, truncam, & abſque omni capite reperies, quia capitibus non contraxit infirmitatem: at non ideò inuenuſtam, quandoquidem caput, quod cæteros indecoros reddit, in huius puellę conceptu non apparet: beneficio tamen ſanctificantis, & pręuenientis gratiæ caput aliundè habuit ſuffectum, nempè, ex beatifico Triniratis Carmelo, colloque inſitum, ne per malignos traduces à noxio capite in corpus ſerperet culpa.

3. Eiecto dæmone ab obſeſſo corpore, exultans pia mulier, quæ aderat, valida voce dixit: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti.* Lucæ 11. verſ. 27. Mitto quod victoriæ laudes non Chriſto vincenti, ſed eius matri deferantur, & id expendo, quod Euangelica mulier non alia membra virginis laudauerit, neque egregias animæ virtutes, ſed vbera tantùm, & ventrem omnia enim, quæ in Virgine relucebant, laude digniſſima videbantur. Cur non oculorum gratiam, vultus pulchritudinem, profundiſſimam humilitatem, ardentiſſimam charitatem, cæteraſue præſtantiſſimas Virginis virtutes commendat, ſed tantùm vbera, & ventrem? Sed hunc quidem Ieremias ſepulchrum ſibi fore deſiderabat, *Maledictus vir, qui annunciauit patri meo dicens: Natus eſt tibi puer maſculus, &c. qui non me interfecit à vulua, vt fieret mihi mater mea ſepulchrum.* Ieremiæ cap. 20. & ſimiliter

Iob

Iob cap. 3. *Pereat dies, in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt conceptus eſt homo.* Rationem eſſe reor, quoniam quilibet ex prædictis, ſicut & quicunque alius filius Adæ in originali culpa concipitur: idcircò infauſta materno ventri, vbi lethalis noxa contrahitur, imprecantur. At Beata Virgo abſque huiuſmodi culpæ ſuſpicione fuit concepta: idcircò ſolertiſſima fœmina non de alijs excellentijs, etſi prę clariſſimæ ſint, Virginem laudat, ventrem ſolùm miratur, in quo æternum Verbum puriſſimam aſſumpſit carnem: proindèque liber à quacunq; originalis culpæ labe debuit exiſtere. Cœteri ventres maledictionibus ſunt obnoxij, de illis querantur Ieremias, & Iob, omneſque mortales propter originale, quod in die conceptionis contraxerunt: at virgineus, & intemeratus venter ſummis extollatur laudibus, quoniam ſanctiſſima puerpera adeò fuit pura, vt abſque vlla ſorde conciperetur. Quo alludit, quod Chriſtus Dominus ſubiunxit ad dæmonis de humano corpore exitum. *Cum immundus ſpiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquoſa quærens requiem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cum venerit inuenit ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Lucę 11. Cur dęmon domum ſuam vocat animam, quę ſcopis pœnitentiæ iam eſt mundata, & ad illam tanquam ad proprium habitaculum reuertere tentat? Non alia equidem ratione, niſi quia per aliquod temporis, licet immeritò, habitauit in illa: vt conſtet quam eſſet indecens, & indecorum B. Virgini, ac eius filio, quod diabolus poſſet dicere, illam domum ſuam eſſe, ſi in primo conceptionis momento eam habitaſſet, quam æternum Verbum ſanctiſſimam vocat. *Domum tuam decet ſanctitudo.* Pſal. 92. verſ. 5. Non ſolùm ſancta, ſed & ipſa ſanctitudo nuncupatur, vt magis ab omni peccato credatur immunis.

4. 2. Paralip. 24. verſ. 7. de Athalia peſſima idolorum cultrice, atque eius filijs dicitur: *Deſtruxerunt domum Dei, & de vniuerſis, quæ ſanctificata fuerant, in templo Domini, ornauerunt phanum Baalin.* Sic prophana, ac dedita vano cultui regina ſupellectilia, quæ à domo Dei abſtulit, ad vanum idolorum cultum dicauit. At poſt eius mortem Ioas, qui in regnum ſucceſſit, nihil aliud curauit priùs, quam vt templum Dei reformaret: quare infinitam pecuniam congregauit (vt citato loco verſ. 11. refertur) ex qua noua ornamenta fabricari iuſſit, atque diuiti ſupellectili domum Dei renouauit. Quęrunt Interpretes, cur non potiùs Ioas ornamenta, & ſupellectilia, quę Athalia abſtulerat, & ad phanum Baalin prophanis vſibus dicata relegauit, in domum Dei reſtituit: quandoquidem hoc in vindictam prophanati cultus, & maiorem Dei gloriam cedebat, etenim xenia dęmoni dicata in Dei obſequium conſecrare non parum decoris religioni afferebat, nec leuem inferno torturam. Audi Lyram rationem ſatis congruam huius facti exſcribentem. *Quia illa* (inquit) *quæ erant applicata idolis, non erant vlteriùs Dominico cultui applicanda.* Tantùm eſt Deo cum dęmone diſſidium, vt quę huic ſemel inſeruiunt, ad ſeruitium Dei ineptiſſima reddantur. Noli ergo credere Beatiſſimam Virginem, quæ domus Dei, & ipſius templum eſt, vſquam fuiſſe dęmoni dicatam, neque ad minimum conceptionis inſtans: nam hoc admiſſo, ad habitaculum Dei prorſus redderetur incapax. Nulla igitur in ipſam primeuę labis irrepſit macula, quia primum parentem poſt peccatum abnegauit, & tantùm ipſum, dum in originali iuſtitia extitit, recognouit. Memorare ſupplicium Adę, & Cain eius filij maledictionem, atque diſcrimen vtriuſque obſerua; ſic enim Deus ad Adam, poſtquam tranſgreditur pręceptum *Maledicta terra in opere tuo.* Geneſ. 3. verſ. 17. ad Cain verò: *Maledictus tu ſuper terram.* Cur ſtylum in maledictionibus variat, Adamumque non maledicit in perſona ſicut Cain? Egregiè hic Oleaſt. *Nouerat omnipotens Deus, quod aliquando eſſet naturam humanam aſſumpturus: ideò noluit eam maledicere.* Cautè Deus à maledictione Adę abſtinuit, neque contra ipſius perſonam, ſicut contra perſonam Cain, imprecatur, ne maledictio caderet ſupra carnem, quam in originali iuſtitia creauit, quamque poſteà erat aſſumpturus: illa namque iterum futura erat benedicta, & omni contagione peccati caritura, ab Adamo enim, non à Cain ortum erat ducturus: & ideò huius perſonę maledicit: illius autem non ita: quia ab illo primis gratię dotibus exornato eius erat mater proceſſura.

DISCVRSVS VIII. MORALIS.

Ex ſpineto ſentibus originalis culpæ vallato mollis roſa MARIA ſurgit.

1. TRitum eſt inter Patres Beatiſſimam Virginem roſę comparari, nihilque pręſtantiùs ad ipſius in conceptione puritatem demonſtrandam: nam ſicut inter ſenticoſam ſpineti progeniem, venuſta ex eadem radice naſcitur roſa: ſic pulcherrima Virgo ex patribus originali culpa conceptis ortum abſque labe duxit. Hac eleganti ſimilitudine eius nitorem commendabat Sponſus Cantic. 2. v. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica*

mea

mea inter filias, Sufficeret pulchritudinem oſtendere Sponſę, vt innuatur, quam merito ipſam diligat. Ad quid additur pulchram eſſe inter ſpinas; cum hoc in ipſius laudem non redundet; inter pulchras enim pulchriorem videri exaggeratio venuſtatis eſt: at inter indecoras apparere venuſtam, non admodum pulchritudinem exaggerat? Verùm hoc non ſolùm venuſtatem reſpicit, ſed priuilegium. Audi D.Bern.ſerm.de B.Virg. *Eua ergo ſpina fuit. MARIA roſa extitit: Eua ſpina vulnerando: MARIA omnium affectus mulcendo: Eua ſpina inſigens omnibus mortem: MARIA roſa reddens ſalutiferam omnibus ſortem.* Idem habet Guillel. Pariſienſ.de B.Virg. verba illa exponens Sapientię cap. 24. *Quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Iericho.* Vbi rationem inquirens, cur his duabus plantis cõparetur MARIA, egregiè reſpondet: *Palma ſolet deferri in ſignum victoriæ aut lætitiæ: roſa autem pulchra, & munda, quamuis procedat ex ſpinoſa arbore. Ita Virgo B. habuit victoriam contra antiquum ſerpentem, ne morderet ipſam, & indè lætata eſt: proceſſit ex Iudæis ſpinoſis per culpam ſine culpa.* Ex hoc inquam loco cenſent Galatinus lib. de arcanis, & Belarm.tom.3.lib.4.cap.16.alijque quamplurimi recentiores MARIÆ immunitatem conuinci: vt enim ex ſpinoſa planta ſine ſpinis naſcitur roſa, in qua mira eſt, & ad aſpectum iucunditas, & ad odoratum ſuauitas, & ſicut in illa planta nihil occurrit, quod tactu aſperum, quod oculis horridum, atque intractabile non ſit; at nihil roſa inde orta eſt mollius, nihil leuius, & tractabilius: ſic cum ex ſpinoſa ſtirpe naſceretur Virgo, ex ea nempè terra, cui propter primam, vniuerſoque hominum generi communem labem, dictum eſt ab offenſo Deo: *Spinas, & tribulos germinabit tibi*: Geneſ.3.verſ.18. ipſa neque cum tribulis, aut ſpinis concepta fuit, neque à ſpinis, ſeu tribulis compacta; ſed tota immaculata, tota deſiderabilis, ſicut roſa, quę eius eſt decoris, & gratiæ, vt nihil hauſiſſe ab aculeato, & ſpinoſo ſtipite videatur.

2. Sed quamuis hæc rectè dicta videantur, fundamentum tamen non habent firmum, quoniam verbum Hebraicum *Suſanna* non roſam, ſed lilium ſignificat: *Azucena* Hiſpanè dicitur. Sic Aquila, Simach. & D.Hieron.hic, & optimè probat Delrius ad hunc locum: neque enim noua eſt in vna areola roſas, & lilia ſimul gigni. Iam ergo rogabis, cur Virgo lilium inter ſpinas, non verò roſa à Sponſo nuncupetur. Opinor, quia roſa naſcitur ex ſpinoſa planta, ſpinaſque licet leuiores ſecum ducit; lilium verò, etſi plantatum ſit inter ſpinoſas arbores, erumpit, creſcit, & erigitur, quin illud ſpinæ vllæ comitentur. Omnis homo, velut flos naſcitur. *Qui quaſi flos egreditur.* Iob.14. verſ.2. ſed qui ex ſpinoſo frutice ortum ducit, peccati ſpinam ſecum affert. Optimè illam ſenſerat, qui exclamans dixit: *Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Pſal.31.verſ.4. At Beatiſſima Virgo, quamuis ex ſpinis, & inter ſpinas nata ſit, quoniam Adæ fuit filia humano modo genita, & ex parentibus peccatoribus: tamen ſecum nullam attulit ſpinam, quoniam ab originali culpa exempta fuit. Non ergo roſa, ſed lilium vocetur, quod ſi in pulchritudine, odore, & venuſtate roſam æquat, illam ſuperat in eo, quod etiam minutiſſimis ſpinulis inimicatur. Hinc eſt, quod quando ſemel Spiritus Sanctus MARIAM roſam nuncupauit, de roſa loquatur in prima eius plantatione; *Sicut plantatio roſæ in Ierico.* Eccleſiaſt.24.verſ.18. Quoniam (vt Author eſt Diu. Baſil.) roſæ ante peccatum ſpinas non habuere, ſed poſt illud ipſi adhæſerunt. Cum ergo ſpinæ poſt primum Adæ peccatum erupiſſent (*Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Geneſ.3. verſ.18.) roſa, quæ ante peccatum fuit plantata, illas non habuit. Si ergo roſæ Virgo aſſimilanda eſt, illi debet eſſe, quæ abſque ſentibus germinauit. Huc ſpectat, quod MARIA ſimilis dicatur plantationi roſæ in Iericho, vbi aquę, quibus irrigantur roſaria, amarę eſſe dicuntur peſſimæ, ac mortiferę, vt habetur 2. Reg.2. verſ. 19. *Ecce habitatio ciuitatis huius optima eſt: ſed aquæ pemæſſimæ ſunt, & terra ſterilis.* Eſſe autem illam aquam mortiferam, ibid. inuenies verſ. 21. vbi cum in fontem ſalem miſiſſet Eliſeus, addidit: *Sanaui aquas has, & non erit vltra ex eis mors, neque ſterilitas:* Merito ergo Beatiſſima Virgo illi comparatur roſæ, quam alunt, & rigant Iericuntinæ aquæ, etſi ex plantis ſit, quæ in terra peſſima naſcuntur, & ſuccum trahunt mortiferum ex peſſimo fonte, quo irrigantur: ipſæ tamen nihil habent tetrum, nihil, quod mortem ſapiat: quia illa etſi ex mortiferis parentibus ducat originem: nihil tamen indè hauſit noxium, nihil ex peſſimis aquis mortiferum.

3. Solemne eſt apud Patres B. Virginem maris nomine inſignire: ſic Caniſius lib. de B.MARIA. D.Bonauent. in ſpecul.cap.4. Anſelm.de ortu Virg. & Diu. Chryſol. ſerm. 256. *Et quomodò* (inquit) *non MARIA mare? Congregationes aquarum appellauit MARIA.* Et nonnulli Expoſitores ad illud Threu. 2. v.13. *Magna eſt velut mare contritio tua.* At cur MARIA mare appellatur? Cum potiùs fluuius eſſet nuncupanda, vtpotè qui licet à ſalſo mare originem ducat, dulcibus tamen aquis ſcaturit: quod optimè in MARIAM quadrat, nam ex parentibus originali infectis culpa orta, nulla tamen originaria labe fuit inquinata. Fluuius igitur vocetur dulcis, ac ſuauis, non mare, quod ſalſum, & amarum eſt. At credo congruè ad marinas aquas ipſius puritatem referri, quia illæ nunquam turbidæ efficiuntur: ſed ſemper eundem perlucidum; ac cœruleum retinent colorem, quem

facilè

facilè amittit fluuius, dum quocunque turbine ex criſtallino turbidus efficitur. Mare ergo non fluuius MARIA dicatur, quia ſemper eundem gratiæ colorem, eandem ſanctitatis claritatem retinuit, neque vnquam vel pro vllo inſtanti illius pulchritudine fuit viduata. Vbi nota turbidum aquæ fluminis colorem exindè prouenire, quod vicinam habeat terrã, & cuius admixtione colorem mutat, & ex diaphono luto apparet immerſus, & turbulentus. Aſt mare quoniam profundum eſt, & imperturbabile, à cœlo tantùm cęruleum, & perpetuum habet colorem. Cœteri homines à terra, vndè ducunt originem, turbidum, ac tetrum culpę colorem habent: at B. Virgo etiamſi à terra originali culpa infecta ortum ducat, à cœlo tamen, cuius luces in exordio vitę recepit, perlucidum, ac perpetuum hauſit colorem, & tanquam pulcherrimum lilium nunquam peccati ſpinis fuit puncta, quia puritatem, & gratiam gignendi filij redolebat.

4. Sic enim ipſa propria voce ſuam puritatem depromit Cantic. 1. verſ. 12. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum*. Accubitus hic non eſt cubicularis, vel genialis lectus, ſed triclinaris, in quo non ad ſomnum, ſed ad cibum capiendum diſcumbitur, quod indicat vox Hebręa *Meſab*, quę circulum, vel orbem ſignificat, & oſtendit figuram menſę, & formam triclinij, quod clauſum tribus diſcubitorijs commodè accipiebat accumbentes. Sic accubitum pro menſa, ſeu triclinio poſuit Tobias cap. 2. *Statim exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium peruenit ad corpus*, vt optimè ad hunc locum annotauit Delrius. Hoc poſito Marianam puritatem hic rimari non erit difficilè, ſi cum Alano nomine nardi Beat. Virginis caro accipiatur. *Nardus mea* (inquit) *dedit odorem ſuum: id eſt, caro mea fragilis per nardum arborem ſignificata, aduentu Spiritus Sancti mundata, fomite peccati extincto in ea, dedit odorem ſuum*. Quaſi dicat: Dum eſſet Rex in circulo ſeu orbe meo, nardus, id eſt, caro mea dedit odorem eius: ſic enim accipit Origenes illud verbum: *Odorem ſuum*, ita vt ad filium in MARIÆ orbe recumbentem referatur. Res planè mira, quoniam omnis planta ſuum proprium, & natiuum ſpirat odorem: alienum nulla. Quis vnquam vidit roſam violę, aut violam roſę odorem exhalare? Nouum ergo naturę miraculum hoc videtur, in vna ſpecie florere, & in alia fragrantiam emittere. Si enim Chriſtus odorem ex ſe ſpirat, lilij erit, nam ipſe ſe lilium compellat Cantic. 2. *Ego flos campi, & lilium conuallium*. At ſi Virgo nardus eſt, quomodò fragrantiam lilij valebit emittere? Quò pacto non ſuum, ſed filij odorem exhalat? Crediderim, quia odor Chriſti Domini impeccabilitatis erat, proindèque ſua violentiam, & fragrantiam ſpirabat: hominum verò, quia peccatis ſunt obnoxij, fœtidus ac infectus eſt odor. Beatiſſima ergo Virgo à filio pręſeruata, & illius meritis pręuenta non odorem ſuum, qui ex parentibus erat deriuandus, ſpirauit: ſed filij flagrantiſſimum, ac iucundiſſimum exhalauit odorem. Accipe Origenem ſic ſubtiliter excogitantem homil. 2. ex 4. *Nardus mea* (inquit) *odorem mihi detulit ſponſi veluti ſuperato odore ſuo per fragrantiam eius, ipſius mihi detulit ſuauitatem*. Quaſi dicat. Duplicem odorem habere potuit hęc mirifica planta: alium proprium: alienum alterum: vnum naturalem: ſupernaturalem alium: ſuum vnum: alterum filij. Non ergò in ęternitate ſuum, ſed Chriſti odorem habuit: gratia naturæ præualuit, & filij ſuffragantibus meritis ipſius ſanctitatem impeccabilem redoluit: non peccatricem conditionem Adæ. Deindè cum eſſet Rex in orbe, aut circulo ſuo, ideſt, in almo Euchariſtiæ Sacramento, nardus mea dedit odorem ſuum: etenim in conceptione immaculata odorem Chriſti ſub accidentibus latentis exhibuit MARIA, quoniam Chriſtus Dominus in Euchariſtia panis odorem redolet, cum tamen ibi nulla ſit panis ſubſtantia: ſic, & caro Virginis in conceptione, vtpotè Adæ filia, licet odorem peccati habere videatur, neque per odorem peccatum habuit, quia fœtidus, & noxius culpæ odor ab odore præuenientis gratiæ ex filij meritis collatæ fuit extinctus, & ſuperatus.

DISCVRSVS IX. MORALIS.

Venenoſus ſerpens nunquam ad MARIAM accedere fuit auſus.

1. VIx ad vitam vocatur MARIA, cum in primò conceptionis greſſu vox illius puritatem prædicans, & mortiferum abigens ſerpentem auditur: ſic enim ipſã ad humanæ naturæ commercium vocans inuitat Sponſus: *Surge, propera amica mea &c. vineæ florentes dederunt odorem ſuum*. Cantic. 2. verſ. 13. Cur vt iucundiùs in agrum mortalis vitæ egrediatur odorem, quem vineæ florentes ſpirant, commendat? Præclarè Bernar. ſerm. 60. in Caut. *Aiunt florentibus vineis omne reptile venenatum cedere loco, nec vllatenus nouorum ferre odorem florum*. Vinea florens, ad quam inuitatur Sponſa, ipſamniet referebat, quæ dum in primò conceptionis inſtanti floruit, ad illius odorem omnia infernorum venenata reptilia aufugerunt, vtpotè quæ illius fragrantiam haud ferre quiuerint. Id ipſum iterum repetit Sponſus cap. 4. *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni Coronaberis de capite*

capite Amana de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum, Plerique hic vocationem Sponſæ agnoſcunt, tum ad vitam, tum ad originalem gratiam: & expreſsè Idiota cap. 2. de conceptione Virginis prædicta verba accipit. *Tota pulchra es* (inquit) *Virgo glorioſiſſima non in parte, ſed in totum: & macula peccati ſiue mortalis, ſiue venialis non eſt in te*. Eadem ferè verba habent Belarmin. tom. 3. lib. 4. cap. 15. & Sanzius. Hic autem expendens, quod tenerrima puella à cubilibus leonum, & montibus pardorum vocetur, pulchrè exindè illius puritatem, & innoxium ad vitam ingreſſum arguit. *Vt enim,* ait, *in montium latebris occultantur, leones, pardi, ſerpentes, etſi quid aliud aut peſtiferos habet morſus, aut peſtilentem halitum, quia bellnarum antra in ſcopulorum vertice non ſunt, ſed in deſcenſu, & latere, aut ad radices montis. Quare qui à vertice vocaretur, non putaretur aut à ſerpente infectus, aut à leone ſaucius*. Sic vtique B. Virgo à vertice vocatur Sanir, id eſt, ab ea parte, quæ non eſt à leonibus, ſeu pardis habitata, antequam ad eorum cubicula deſcenderet, & ab eo faſtigio, quod propter altitudinem antrorum obſcuritatis expers eſt, ad illamque infimam partem, quam induunt ſilueſtrium arborum horrentes vmbræ: *Selmon* enim mons vmbroſus nuncupatur. Igitur à vertice, & capitibus horum montium, cum primò vitam ingreditur, vocatur MARIA, quia non ibi venenatæ habitant feræ, ſed procul ab hac florente vite amouentur.

2. Id ipſum de ſe ipſa probè ſciens dicebat Cantic. 8. verſ. 10. *Ego murus, & vbera mea ſicut turris, ex quò facta ſum coram eò quaſi pacem reperiens*. Verba ad Sponſum dicta, dum cum ipſo fabularetur Sponſa,& à D.Hieronym. Beatiſſimæ Virgini potiſſimùm accommodata: At libet inquirere, cur MARIÆ vbera muro comparentur, quandoquidem nihil minus vberibus mulieris competit propter ſuam debilitatem, quam muralis fortitudo. At hoc ipſum in MARIA mirari licet: nam vbera quę in fœminis debiliora ſunt membra, in MARIA inexpugnabilis turris fuit, quia ab ipſis fugiunt, & arcentur inimici. Primum conceptionis inſtans naturę debilius eſt, vocarique poteſt non inuenuſtè vbera, *Pechos* Hiſpanè dices, pro eò quod dæmoni tunc omnes filij Adami ſoluunt: enim verò nullus valet in illo primo inſtanti vectigal culpæ non ſoluere, quia naturali debito ad id tenetur. Ego ſola(inquit MARIA)tunc temporis quandò cæteri cedunt hoſti, turris extiti inuincibilis, muruſque inexpugnabilis, vndè inimici, & venenati hoſtes pudore ſuffuſi receſſerunt. *Ego murus,& vbera mea ſicut turris.* Non enim vectigal hoſtibus, ſicut cæteri, perſolui: quin potiùs inexpugnabilis propter armaturam gratiæ inferorum iras relegaui. Vndè de ipſa dicebat Dauid Pſalm. 77. verſ. 69. *Ædificauit ſicut vnicornium ſanctificium ſuum in terra*. Vbi Lyra. *Quia vnicornium non permittit aliud animal ad ſuum latibulum accedere*. Et Beda adductus à Gloſa. *Ædificauit templum Deus. ſicut eſt habitaculum vnicornium: dicunt enim de vnicornio nonnulli, quod à cauea, in qua habitat, omne venenatum animal procul abigit*. Haud aliter Deus ita Beatiſſimam Virginem ædificauit, tanquam arcem munitiſſimam, & vnicornij habitaculum, vt in conceptionis exordio, & in toto vitæ curriculo omne à ſe venenatum longè relegaret.

3. Miraberis meritò, cur Salomon MARIÆ pulchritudinem deſcribens, cum ad ipſius ornatum auroræ, ſoli, & lunæ fulgores petierit, ſtellarum non meminit. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur ſicut aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol?* Cantic. 6. Non enim ſtellarum luces minùs aptæ videbantur, vt ipſius pulchritudinem coronaret, & omibus numeris expleret, ne alicuius creaturæ perfectio à MARIA ſubterfugere videretur. At inflecte oculos ad miſeram ſtellarum ſtragem, quam à dæmone ſunt perpeſſæ, & cauſam agnoſces, cur MARIA cum ipſis non veniat comparanda. *Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram*. Apoc. 12. verſ. 4. Stellas diabolus detrudit, ab antiquiſque ſedibus auulſit, & ſuo peſtilenti in fecit contagio; non auroram, non ſolem, neque lunam, quæ in ſuo nitore permanſerunt. Igitur non nuncupentur ſtellæ, vbi B. Virgo nominatur, quam in primò inſtanti non deturbauit diabolus, ſed neque illam intueri fuit auſus. Optimè S. Petrus Damian. ſerm. 41. de Aſſumpt. *Hæc eſt Aurora, quem ſequitur, immò de ea naſcitur Sol Iuſtitiæ, ſolius ſolis claritati ſuccumbens: hæc eſt Aurora, quam ille non vidit, qui vidit omne ſublime, & orat B. Iob, vt ei multa ſuppreſſione claudatur dicens: Non videat ortum ſurgentis Auroræ*.

4. Vel MARIÆ vmbra dæmonem terret, à ſuaque præſentia abigit, neque illam dæmon audet cogitare, quam ſcit ipſius caput contrituram. *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob?* Dicebat Deus antiquo hoſti cap. 1. Cur non rogat, an conſideraſſet Abraham, Iſaac, & Iacob fidem promiſſionis Chriſti habentes? Quid? Non illi in ſanctitate, & iuſtitia cum Iobo decertabant? Cur igitur ipſis ſicut, & Iob dæmon iuſidiari non audebit, qui patientię tropheum tentare fuit auſus. Pulchrè Rupertus lib. 3. de Vict. verbi Dei cap. 5. *Planè* (inquit) *conſiderauit iſtos, & ſciuit eſſe ciues regni Dei, regno ſuo contrarios, & de ipſis ſemen mulieris percepit fore naſciturum ſuo ſemini contrarium. Sed quid ageret? Quomodò bonam radicem illam corrumperet?* Non Iob, ſed antiqui Patres MARIÆ parentes erant futuri: idcircò non illos, ſed Iobum conſiderat, & aggreditur: à MARIA enim vel in lumbis paren-

tum perterritus aufugit: ſemen vndè Dei mater eſt oritura non audet zizania inficere: quin potiùs ad huius puellæ conſpectum natiuum deponit venenum, & cogitur fauſta populo Dei ominari. Sic enim vbi Rex Moab Balaan, vt malediceret populum, vocauit, pro maledictione ille benedictionem impertitur. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob.* Num.24. Et cur non audet populum maledicere, contra quem arrogans Philiſtæus maledictionem fulminauit 1. Reg. 17. *Auſus eſt maledicere exercitum Dei viuentis*? Dubio abſque quia Philiſthæus non conſiderauit populum vt MARIÆ parentem, neque indè hanc venuſtiſſimam puellam ortum fore ducturam; Balaam verò ſtellam Iacob exindè oriri præuidet (*orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael*) eò quò pollebat prophetico acumine. Idcircò Philiſthęus populum maledicere non eſt veritus: Balaam verò quia iam reuerberantes MARIÆ luces videbat, non fuit auſus ipſius ſemen maledictionibus impetere: quia dæmon, quem geſtabat in ore, ad huius puellæ conſpectum contremuit, & verba perterritus commutauit. Vndè S. Bonauent. in ſpeculo cap. 3. *Tremenda eſt MARIA dæmonibus: non ſic timent hoſtes viſibiles quaſi caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut MARIÆ vocabulum, & patrocinium: pereunt vbicunque inueniunt huius nominis recordationem.*

DISCVRSVS X. MORALIS.

MARIA cerua à trifauci diaboli ore recedens.

1. VEl ipſa natura, vt MARIÆ famuletur, in ſuiſmet operibus ingenium, & ſolertiam oſtendit ab ea non abſimilem, quam illa in ſua conceptione oſtendit, ne latrantis, ac rapidi cerberi iras, morſumue incurreret. Sic enim tradit Plinius lib.8.hiſtor.animal.c.32. ceruam à canibus aufugientem nulla ſui veſtigia relinquere, quaſi ea ſecum deferat, ad quod non niſi flante aura fugam arripit, vt eleuato puluere, aut obliterentur, aut non videantur veſtigia. *Cerui fugiunt latratu canum audito ſecunda ſemper aura, vt veſtigia cum ipſis abeant.* Non ſecùs Beatiſſima Virgo cerberum aufugiens, qui eam in conceptione, vbi cęteros mordet, impetere tentabat, afflante Spiritus Sancti aura ſecunda, eius pedis haud ſignum exoluit dæmon, neque veſtigia culpæ, aut viæ, qua illam Deus ab ipſius atro ſanguine immundo ore liberauit, vidit. Quod arcanè buccinat Euangelicus Propheta cap.9. verſ.1. *Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephtali: & nouiſſimo aggrauata eſt via maris trans Iordanem Galilęę Gentium.* Peritiores Interpretes de Christo Domino præcitata verba interpretantur, qui primo tempore alleuiauit, id eſt leuiter fuit prædatus, rapuitque è faucibus diaboli, idololatriæ, & inferni terram Zabulon, & Nephtali: ibi enim Chriſtus primò prædicauit, vti conceptus eſt in Nazareth, quæ pertinebat ad tribum Zabulon, indèque collegit penè omnes Apoſtolos, qui Pſalm.67. vocantur *Principes Zabulon, & Nephtali.* Deindè verò grauiùs prædatus eandem maximè Galilæam gentem, quando aſſiduè ibi prædicans, non tamen per ſe, ſed per Apoſtolos, facienſque miracula plures ex ijs conuertit. Vidè Forerius. *Aggrauata eſt* (exponit) *grauis facta eſt honore, & diuitijs ſpiritualibus.* Sic ad litteram ferè omnes, præcipuè iuniores exponunt. Verùm non in idoneè de Chriſto Domino in primo conceptionis inſtanti Beatiſſimam Matrem alleuiante, è faucibuſque dęmonis arripiente, ne peccati originalis onere grauaretur, poteſt intelligi: quam quidem Matrem poſteà aggrauauit, id eſt, ſpecialibus gratiarum donis propter ipſius merita cumulauit. Primò igitur de tribu Zabulon libet diſcurrere, & poſteà de Nephtali redibit ſermo. Et quidem de tribu Zabulon ſic inquit Iacob Geneſ.49. *Zabulon in littore maris habitabit, & in habitatione nauis pertingens vſque ad Sidonem.* Zabuloni benedictionem largiturus ſuæ habitationis tantùm meminit, filiorum autem habitationes ſilentio prætermiſit, eorum felicitates aliundè augurarurus: alias Zabulonis fortunas ſilet, nihil de illius felicitate loquitur, hoc vnum prædicat, quod in littore maris vſque ad Sidonem habitabit. Et cur tanti æſtimat eius habitaculum: cætera pertranſiens? Nonnè quia præſciuit Iacob in parte Zabulonis futuram eſſe terram, quæ ciuitatem Nazareth caperet, in qua Deiparæ MARIÆ natiuitas, & habitatio erat celebranda? Sic Magallanes lib.4. de benedictionibus Patriarcharum anno primo in Propheta Zabulon. *Hic fuit* (inquit) *Nazareth, cuius vocabulum florem ſignificat: hic flos virginis Sancta MARIA nata eſt.* Hæc ergo terra Chriſti Domini, quæ ſemper floruit, hoc eius habitaculum in primo inſtanti temporis alleuiatum eſt, ne originali aggrauaretur labe. *Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon onere peccatorum*, inquit D.Hieron.& iuxta mare dicitur habitare, vt immunis periculi videat aliorum naufragia, & immota iuxta peccati fluctus magis, ſit in cadentium ſubſidium, quam in cadendi periculo: quia peccato originali non fuit obnoxia, ſed omninò ab illo alleuiata in primo temporis inſtanti. *Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon.*

2. Non minùs pulchrè felicitas terrę Nephtali in hoc mirabile myſterium quadrat: *Primo*

mo

Digitized by Google

mo tempore alleuiata eſt terra Nephtali. Huic autem tribui talem benedictionem impertitur Iacob: *Nephtali ceruus emiſſus, dans eloquia pulchritudinis*, Gen.49. verſ.21. Vel vt legit Oleaſt. *Nephtali cerua emiſſa*. Et D.Ambroſius ex verſione 70.Interpretum: *Nephtali vitis, vel ramus remiſſus colligens in germine decorem*. Beatiſſima Virgo terra fuit, in qua primi fructus Deo ſapidiſſimi creuerunt; prima enim pura creatura ex genere Adæ fuit, quæ Deo oblata ab inſtanti conceptionis primum paſſionis Chriſti fructum, cuius meritis fuit præſeruata, in ſe tulit. Dicitur autem cerua emiſſa, quoniam (vt ſupra diximus) in primo conceptionis exordio ſecunda Spiritus Sancti aura præcurrit ſecum ſua veſtigia portans, vndè cerberus ille tetrus illam poſſet apprehendere. Quod Pſalm. 21. verſ.21. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam*. Quia vt Author eſt Ariſt.lib.6. hiſt.animal. cap.29. fugit ceruus perſecutores, & ad montana loca que tutiora velociſſimo curſu ſe recipit, ſerpentes necat, ad aquas, vt ſe purget, currit, ſignificatque luctatorem; quod (vt inquit Marius) Chriſto optimè congruit, eo quod in quotidianis ſuis aduerſus diabolum colluctationibus, neque ſegnitèr ſe gerat, neque remiſsè, ſed inſtar cerui exultet in curſu ſuo, & ſic dabit eloquia pulchritudinis, quia laudabit Deum, cuius auxilio, & protectione perſecutorum manus effugit, ſerpentem occidit ad aquam refectionis perductus: quæ omnia Deiparæ in ſua conceptione mirificè conueniunt. Ac denique pro pleniori loci intelligentia obſeruandum eſt, quod poſt recenſitos quatuor Liæ filios, Patriarcha Iacob (cap. 49. Geneſ. citato) non ſubiungit eos, qui natiuitatis ordine proximi erant, aut æquales; ſed alios duos Liæ filios: præponit tamen Zabulon Iſachar contra ordinem natiuitatis, idque eadem fortè ex cauſa, qua Ephraim præpoſitus fuit Manaſſe: *Quia ſcilicet* (inquit Marius ad cap.39.gen.) *tribus ipſius nobilior erat futura, in tribu enim Zabulon Chriſtus Dominus conceptus eſt in Nazareth, & in ea habitauit in Capharnaum, ita vt hæc per excellentiam diceretur vrbs eius. In primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephtali.* Vt denotetur illud opus, quo hæc terra Chriſti ab onere peccatorum alleuiata fuit, & præuenta, ne vlla originali macula inficeretur, non opus naturæ fuiſſe, ſed gratiæ. Idcircò in Zabulon, & Nephtali arbitror fuiſſe figuratum, quia hæ inter alias tribus præter naturæ ordinem fuerunt præpoſitæ, Zabulon ſcilicet Iſaſchar & Ephrain Manaſſe, eo quod in illa fortè Chriſtus Dominus erat naſciturus: ac ſubindè in conceptione Virginis naturæ ordo violandus, quia in ea Chriſtus Dominus naſcebatur.

4. Vndè alibi idem Euangel. Propheta huius puellæ puritatem auguratus dicebat: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*, cap. 11. Vbi etſi communitèr S. Patres virgæ nomine B. Virginem intelligant, ex qua vernante virginitate, flos Chriſtus erupit: Tertullianus lib. 4. contra Marcion.c. 10. tamen per florem ipſam Virginem prænotari exiſtimat, ex quo fructus mitis, & ſuauis, nempè Chriſtus proceſſit. *Cuius ventris futurus eſt fructus raro Chriſti, qui ex vtero MARIÆ floruit* Vtrumque expende, & quod à Tertulliano flos nuncupetur Virgo: & ortum à radice habituram vaticinetur Propheta. *Et flos de radice eius aſcendet*. Enimuerò flos non ex radice, ſed ex virga naſcitur: at in huius puerperæ conceptu omnes naturæ inuertuntur leges: hæc ſola Virgo ex puris creaturis ex radice pullulat, vel quoniam à parentibus originalis infectis flos enituit, vel quia in primò ſuo conceptionis momento, in prima ſui exordij radice ſuauiſſimus, & fragrantiſſimus flos erupit. Perbellè Tertullianus huc attendens illam florem lucis appellat. Vis huius puellæ nitorem agnoſcere? Eam inſpice lucis ſplendorem in conceptione referentem: nam quemadmodum lux ex omnium Philoſophorum calculo non habet contrarium, cuius proprium eſt aliud ab eodem ſubiecto debellare, & expellere: ita B. Virgo in prima conceptionis luce flos lucis germinauit, quia nullum habet contrarium, quod eius gratiam debellaret: ſed in originali iuſtitia concepta abſque originalis noxæ contrarietate, vt lucis flos ſemper reſplenduit. Ideircò illam ſalutat Sponſus Cant. 6. *Vna eſt columba mea, perfecta mea*, vel vt Pagnin. legit: *Vna eſt perfectio mea*. Et vbi Cantic. 6. verſ. 8. repetit Sponſus: *Quam pulchra es chariſſima in delicijs*, vertunt plurimi *Charitas in delicijs*. Non modò chara, & perfecta, ſed, & ipſa charitas, & perfectio in abſtracto nupta eſt puella, quia in ipſis formis abſtractis non poteſt inueniri contrarium. In vita enim non poteſt eſſe mors, neque in ſanctitate peccatum, ſolùm enim in ſubiecto erga ipſius poſſeſſionem decertant contraria. Virgo enim puriſſima ipſamet charitas, & perfectio fuit, vtpotè flos lucis. *La quinta eſſencia dela lux*, Sic eam vocat Tertullianus, vt à ſubiecto, & contrario immunem demonſtret, & magis à peccato exterminet. Vndè de illa dixit S. Vincentius: *Fiat lux. Fiat MARIA, quia conceptio MARIÆ fuit luminoſa*. Alludit ad creationem lucis, quæ ſtatim à tenebris fuit ſemota: *Fiat lux. Et facta eſt lux. Et diuiſit lucem à tenebris.* Geneſ. 1. verſ.4. Cœtera omnia creauit Deus, & poſteà diſtinxit: terra creata fuit, & aquis immerſa tertio die illam ab aquis ſegregauit: at vbi creauit lucem, ſtatim eam à tenebris ſeparauit, vt indicaret, Marianam conceptionem in lucis ortu præuentam non ſolùm luci-

dam eſſe, verùm ipſam lucem, ipſum florem luminis, abſque vlla contrarietate, vel tenebrarum admixtione.

DISCVRSVS XI. MORALIS.

MARIA palma ſemper virens, nunquam gratia viduata.

1. PAlma (vt Author eſt Plinius) nunquam frondibus viduatur, ſed ſola ex omnibus arboribus ſingulos etiam ramos procreat. Vt autem eximiam, & indeficientem MARIÆ puritatem Sponſus oſtenderet, eam palmæ comparauit Cant. 7. verſ. 7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris.* Quaſi dicat: Statura tua, ideſt, quod ſis adeò recta, excelſa, ac miro modo pulchra, exindè habes, quod palmæ aſſimileris; quin & exuberantia vbera tua, quæ haud minùs venuſtè è celſo tuo iſto ſpectantur corpore, quam è palma pendentes, & turgidi conſpiciuntur dactylorum botri, ſat probant, quam pulchra, & egregia facta ſis, quam iucunda maritato Amaſio. Sic cum maiori parte Interpretum cenſeo botrorum vocabulum ſumi debere pro dactylorum botris, qui vt palmæ fructus è palmæ celſiori parte dependent. Nunquam enim in ſacris litteris, neque alibi apud quemquam alium Authorem legiſſe memini palmas in Palæſtina maritari ſolitas: quo falſo fundamento nixi Legionenſis, Genebr. & alij recentiores aſſerunt, botros, quibus vbera Sponſæ comparantur, accipi pro botris vbarum ijs, qui à palma dependent, & ab ea vite producuntur, quæ ſimul cum ipſa creſcit, & erigitur ei velut maritata, eo modo, quo in noſtris regionibus maritantur vlmis. Iam ergo videamus, quid proceritas, & reliquæ palmæ proprietates conducant, vt puella nuper concepta ipſi conferatur: etenim cum illa ſic confert Alanus. *Statura Virginis gloriæ, ideſt, proceſſio vitæ eius aſſimilatur palmæ: ipſa enim proceſſit de radice horrida, ideſt, de peccatrice ſynagoga, tanquam de ſpina roſa.* Sicut roſa de ſpinis naſcens pulchra, & ſine ſpinis germinat; ſic puerpera Virgo ex ſynagoga ſpinis originalis culpæ hirſuta, abſque vlla labe ſpinaue concipitur. Secundo, quia palma (vt tradunt naturæ inueſtigatores) nulli ponderi cedit, nulloque vincitur onere; quoniam quo maiori pondere externa plerumque vi dorſum deprimitur, eo maiori nixu ſe ſurſum attollit, ac ſi è ſuperis vis aliqua potentior eam raperet. Quare dixit Philo: *Vitalem vim habet non in radicibus de foſſam, vt cæteræ: ſed in ſummo quaſi conſitam.* Egregia ergo ſimilitudo, & comparatio eſt arboris ex mortua radice repullulantis pondere inuictæ celſæ, pulchræ, & admodum vtilis, ac fructuoſæ. Quaſi dicat Sponſus: Vis agnoſcere tuam iucunditatem, & pulchritudinem, ad te oculos inflecte, te ipſam inſpice peccati pondere inuictam, nunquam illius onere obrutam, nam ſuperna vis te ſurſum ſubleuauit, nec pondus originalis culpæ te vnquam potuit ſubijcere. Tertio, quia vt annotauit Ioann. de Ieſu in cap. Cant. 7 *Paleſtinæ palmæ dactylos producunt abſque oſſibus.* Haud aliter hæc frugifera planta fructum detulit Sponſo iucundiſſimum, & abſq; vllo peccati oſſe: ſolùm enim illa inter filios Adæ buccella abſque oſſe Deo fuit. *Fue para Dios bocato ſingueſo. No vbo en ella que deſechar.* Cęteri namque eos originalis culpæ habuere, quos non modò Deus non edit, ſed prorſus reiecit: at in eius Matre neque actualis, neque originalis culpæ os fuit inuentum: tota Deo fuit dulcis, tota delitioſa, ac ipſius gutturi ſuauiſſima. Quartò; quia, vt ait D. Ambroſ. hic. *Palma inter cana niuium, & pruinam frigorum viriditatem ſuam ſemper conſeruat, conſeruatione, & diuturnitate, non mutatione foliorum: nam quæ primò germinauerit folia, ea ſine vlla ſubſtitutionis ſucceſſione conſeruat. Statura ergo Sponſæ aſſimilata eſt palmæ, quia viriditatem pueritiæ, & illius innocentiæ naturalis, quàm à primordio accepit, ſemper conſeruauit incolumem, tanquam videlicèt, arbor plantata ſecùs decurſus aquarum, cuius folium non defluit.*

3. In cęteris ergo arboribus aliqua folia inueterata cadunt, vt iterum renaſcantur; at in palma nihil eſt, quod decidat, omnia ſemper immutata manent, nec eſt, cur reiuueneſcat. Non ſecùs in B. Virgine nunquam originalis puritas cecidit, quia ſemper, & immutabiliter gratia, quæ in conceptione germinauit, permanſit. Vt ſaltem minis cor Pharaonis Deus contereret, præcepit Moyſi, vt aſſumpta virga miraculorum effectrice ad illius præſentiam pergat. *Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna.* Exod. 4. Conueniunt Interpretes virgam illam natam, & altam fuiſſe in Madian. Sufficiat pro omnibus Abulen. q. 10. ad præcit. cap. *Alij dicunt, quod iſta vocatur virga Dei, quia nomen Dei in ea ſcriptum erat: Dicunt etiam hanc virgam natam fuiſſe in viridario Iethro in Madian.* Iam ergo perſcrutaberis, cur Deus præceperit virgam ex terra Madian aſſumere, vt induratus Pharao vincatur: nihil enim intereat, quod in Madian, aut in Ægypto virga germinaſſet, quandoquidem non natiua, ſed miraculoſa virtute ſigna erat patratura. Cur igitur tam ſtudioſè ex Madian virga fertur? Videlicet, quia ſi in Ægypto nata eſſet, inepta videretur ad vincendam tyrannicam Pharaonis

nis poteſtatem. Vt ſuperaretur Pharao, neceſsè fuit, virgam ex Madian portare. Non ergò mirabilis, & Beatiſſima Virga, quæ æternum Verbum ſuſcepit, in terra inimici potuit concipi, ſiquidem media illa tartareas poteſtates filius erat debellaturus, ad quod illa virga in terra libera à tyrannica dominatione debuit plantari, & ſalutaribus irrigari gratiæ fluentis. Idcircò Cantic. 4. verſ. 12. fons hortorum vocatur. *Hortus concluſus ſoror mea Sponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.* Cur hortorum fons appellatur, quæ propter pia officia erga omnes exercita, fons omnibus expoſitus, nulloque ſeptus pariete debuit vocari, vt nulli eſſet inhibitus? Fruere Gilberto ſerm. 37. in Cant. locum mirificè diſpungente: *Vido quo in loco eius aquæ fluunt: vbi niſi in hortis? Fons enim eſt hortorum, & delicatè fluit, quia non lauat, ſed rigat: cuius in hoc omnis vſus eſt, non vt auferat fœditatem, ſed vt fœcunditatem afferat. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te: ideò nonniſi fons hortorum.* Non enim gratia illi fuit collata, vt lauaret; nam limpidiſſima ſemper fuit, ſed vt fœcundaret, maiorique virore hæc germinaret virga.

3. Generationẽ Chriſti ſic exorditur Matth. c. 1. *Liber generationis IESV Chriſti filij Dauid filij Abraham.* Communis dubitatio eſt, cur iuniorem Dauid ſeniori Abrahę prętulerit. Quã egregiè dirimit Baſil. de Seleucia, mirã fortitudinem qua Dauid Philiſthæum profligauit, expendens. *Metu regnum liberauit, priuſquam ſeruitij iugum contribules experirẽtur, repulit.* Quaſi dicat: Idcircò in regali Chriſti genealogia anteit Dauid Abraham, qui Dauid, Saulem, & populum à Goliat liberauit, antequam ab illo vinceretur: Abraham verò, etſi fratrem Loth, & eius ſubſtantiam à manibus inimicorum eripuit, id fecit, poſtquam Loth in captiuitate fuit detentus. Quid magis indecens, quam vt exſpectaret Deus matris captiuitatem, & tyrannicam hoſtis poſſeſſionem, vt illam liberaret? Quid decentiùs, & honorabiliùs, quam inimicum præcurrere, ne chara pignora in eius veniant dominium? Meritò ergo Dauid præponitur Abrahæ, quippè qui periculum anteuertit, & ſeruitutem à populo relegauit. Fortaſſe idcircò narrans Euangeliſta generationis ſeriem. *Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob, &c.* vbi ad MARIAM deuenit, mutat ſtylum, & non filiam, ſed matrem vocat, *de qua natus eſt IESVS, qui vocatur Chriſtus.* Si ergo de Dauid inquit non ſolùm cuius eſt pater, ſed etiam cuius eſt filius, *Ieſſe autem genuit Dauid Regem: Dauid autem Rex genuit Salomonem:* cur de MARIA cuius ſit filia non dicit: ſed cuius tantùm eſt mater? Suſpicor, quia etſi illorum Patriarcharum filia fuerit: cum tamen culpa non oriatur ex eſſe, quod dat, ſed ex eò quod recipitur: ideò parentes tacet, à quibus oritur, & filium nominat, quem genuit, vt innuat Euangeliſta, nullam à parentibus culpam contraxiſſe; & legibus naturalis propagationis renuntiaſſe: culpa enim per noxios naturæ traduces ſerpens ipſi nullatenus fuit inſita, quia illius inſertionem renuebat gratia, qua fuit præuenta. Quapropter illam comparat Eccleſiaſtic. oliuæ campos exhilaranti. *Quaſi oliua ſpecioſa in campis*, cap. 24. Quia (vt tradunt rerum naturalium Scriptores, & colligitur ex Hebræo) oliua non patitur alterius arboris inciſionem. Sic Rabbi Horaſ apud Nouarin. de agno Euchariſt. excurſ 14. *Olea non patitur vllius alterius arboris inciſionem: ideò notat certos, & minimè ſuſpectos de adulterino ſemine liberos. &c.* Nunquam enim vlli præter Deum fuit inſerta MARIA, neque gratię genus adulterauit, primææ culpæ inciſionem admittens: omnes enim parentes, etſi ferè omnes ſanctiſſimi fuerint, gratia, & ſanctitate præteriuit, & properauit ad filium, vndè priuilegia gratiæ aucupabatur. Sic caperem non illepidè verba illa, quæ ipſamet Sponſa dilectum inquirens dicebat Cantic. 3. verſ. 4. *Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem dilig t anima mea.* At quinam illi ſunt, poſt quorum tranſitum Sponſa Deum adinuenit, & ſtrictiſſimo gratiæ vinculo retinuit? D. Ambr. ſerm. 7. in Pſalm. 118. putat de Angelis eſſe ſermonem, quia Angeli adeò ſunt Deo proximi, vt illis tranſactis illicò reperiatur Deus. At ſi de tranſitu per gratiam ſecundum ſpeciem loquamur, non pertranſiuit MARIA Angelos, quia tam illi, quam ipſa in originali innocentia fuerunt creati. Aptius enim ad homines hæc referuntur, quos omnes pertranſiuit MARIA non ſolùm in intenſione gratiæ, ſed potiſſimè, quia nullus præter ipſam ad gratiam, & originalem iuſtitiam peruenit: ſubindèque dum ipſa originali puritate concipitur, omnes pertranſit, quia in luto originalis culpæ immerſi ad illam ſanctitatis metam nunquam pertingunt. Præterita ergo longa progenitorum ſerie Sponſum inuenit MARIA: *De qua natus eſt IESVS:* & propterea cuius ſit filia reticetur, quia in generatione gratiæ ſpirituali nullum patrẽ pręter Chriſtum recognoſcit, cęteros omnes tanquam nõ parentes pertrãſiuit.

4. Hoc ipſum Sponſus in illa laudauit Cantic. 5. verſ. 12. *Oculi tui ſicut columbæ, ſecùs riuos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.* Si columba ad aquas accedit, cur in ipſis non lauatur? In aquis lauantur: at non ſicut aquis, quæ culpas abluunt: ſed velut in lacte, quod innocentiam alit, & incrementat. Aquæ in baptiſmo delent originalem maculam, & cum hæc ſpecioſa columba illam non haberet, baptiſmus lactis ipſi fuit, vt ſplendeſceret; non aquæ vt lauaret. Verùm cur ad fluuiorum ripas pulcherrima hæc ales habitat? Egregrè Gloſſa *Solent columbæ iuxta fluenta aquarum reſidere, vt volantium auium in aqua vmbram videant, &* ſit

ſic vnguens vitent. Quia in aquis vmbra rapacis alitis, milui videlicet aut falconis, imprimitur: ideò in aqua non lauatur, ſed in lacte Sponſa, ne in eò lauetur, vbi vmbram impreſſit tartareus, & rapax ales Adeò culpam abhorret, vt ab illius vmbra recedat. Vndè Eccleſiaſtic. 24. verſ. 19. platano comparatur, *Quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquas*. Ad quę verba ſic exſcribit Card. Hugo. *Platanus habet folia ſcutis ſimilia: vndè quot habet folia. tot habet ſcuta*. Vt bella gerat aduerſus implacabilem hoſtem mille ſcutis obtegitur MARIA, Iuuat ex Pierlo quod platani folia noctuas fugant, vndè ciconia ex huiuſmodi folijs nidum conſtruit, vt à nocturnarum auium iniuria pullos defendat. Hoc ipſo ingenio prædita B. Virgo, & eadem virtute præuenta omnes inferorum nocturnas, & rapaces aues longè à ſe abigit, & vel ipſarum vmbram relegat.

DISCVRSVS XII. MORALIS,

Quoties MARIÆ puritas periclitari videtur, toties noua perfectione fulcitur.

1. SAlute ipſa roborari, ex medelis conualeſcere, & amicorum præſidio muniri, res eſt communis, ac rerum naturis conſona: verùm ab ipſa infirmitate vires accipere, ex toxicis medelam conficere, & ab inimicis ſalutem, & præſidium ſumere, peculiare MARIÆ elogium eſt. Parum enim videbatur ad ipſius perfectionem componendam omnium virtutum ornamenta concurrere, niſi etiam imperfectiones, & defectus quodammodò famulari, & ad inſeruiendum naturam mutare viderentur, vt vndè periculum imminebat dedecoris, firmamentum ſumeret illibata perfectio. In triplici temporis circumſtantia Mariana puritas periculo exponi videri poterat; quando quidem in illis cæteræ mulieres miſere dilabuntur; videlicet in conceptione, in partu, & in purificatione; quia in conceptione innocentia, in partu Virginitas, & in purificatione immunitas non ſolùm imminutionis nocumento, ſed totali ruinæ ex naturæ legibus ſubijciebantur: at in his omnibus MARIÆ perfectio non modò non eſt paſſa detrimentum ſed incrementum ingens accepit. Quod ſingillatim libet expendere,

2. Conceptionis tempus adeò eſt filijs Adæ periculoſum, & ineuitabili nocumento obnoxium, vt in illud Iob omnium nomine Imprecationes, & maledicta fulminet: *Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo*. Verùm vbi omnes infeliciter cadunt, fauſtè MARIA ſurgit, & quæ videbatur cauſa dedecoris, nouæ perfectionis argumentum eſt. Perdifficilis ſanè ſęper fuit viſa illa Eccleſiaſtici c.43. ſententia, in qua lunā in ſua diminutione perfici, & conſumari exiſtimat: *Luminare quod minuitur in conſummatione*. Apparet enim manifeſta antinomia, & implicatio: nam luna creſcit, augetur, & conſum natur luce, quam à ſole gradatim accipit, vſquedùm plena videtur, poſteàque decreſcit, minuitur, & deuenuſtatur, cum lucem participatam amittit, Quo ergo pacto in ſua conſūmatione minuitur. Nam cū minuitur nō conſumatur; neq; cū conſummatur, minuitur. Vidit difficultatem Cardin. Ailgrinus, & ratus hæc materiali lunæ non poſſe competere, oculos ad MARIAM intorquet lunam ſemper gratia, & puritate plenam. At in ea eadem redit difficultas; nam quò tempore hęc pulcherrima luna in diminutione fuit conſummata, & decretione perfecta? In primò (inquam) ſuæ conceptionis inſtanti; enim verò ibi diminui videbatur propter filiorum Adæ conditionem, qui in illo temporis articulo periclitantur: at hæc eius filia ibi magis perficitur, & noua gratiæ luce conſummatur; hoc enim ſuæ pulchritudinis admirabiliùs eſt, quod plus creſcat, vbi videbatur decreſcere, & diminutione perficiatur *Luminare*, inquit citat. Author, *quod minuitur in conſummationem: quia Virgo Maria ſemper in hiſtoria humilis, ſed ſemper humilior quàm videtur*. Quod de humilitate Ailgrinus, de primæua puritate cogita. Quod cauſa quælibet ſuos operetur effectus, naturale omnibus eſt; cæterùm quod ad contrarios inſeruiat, ſpecialis MARIÆ gloria. Quod luna augeatur quotidianis lucis incrementis participatis à ſole, res eſt communis; verùm quod vmbra luces adminiſtret, mirabile cuique videbitur, Non parum Aſtrologos vexat inquirere vndè proueniant inæqualitates illæ, quæ in luminoſo lunæ corpore apparent, nam à nobis maculæ iudicantur eius ſplendorem obnubilantes. Plerique huius varietatis cauſam eſſe autumant, quod lunæ corpus non æque rarum, & diaphanum in omnibus ſuis partibus exiſtat, quare illæ, quæ nobis maculæ, & naui videntur, partes ſunt rariores miori puritate lucem ſolis participantes, & recipientes: quod planè conuincitur lunæ perfectionem eſſe, quod à noſtris oculis defectus iudicatur. Id ipſum de MARIA cogita pulcherrima luna, cuius imaginem illa altera referebat; nam maculæ, quæ propter cognationem Adami contractæ in ipſa videntur, ipſius perfectionem commendant, & exaggerant, noſtraque deceptio ipſam puriorem ſupponit,

3. Haud aliter in partu accidit, vbi MARIÆ Virginitas ex connaturali debito periclitari videbatur; nam ibi plus accreſcit, & ſolida-

lidatur. Vndè dixit Bernard. quod in incarnatione fuit purior, & in partu Virginior. Satis pulchrè huius puellæ integritatem conniċtam reperies Matth. 25. verſ. 14. Ibi Deus patrisfamilias perſonam agens diuitias ſuas in talenta diuiſit, ſuiſque ſeruis vt negotiarentur, & lucrum reportarent, tradidit. Poſteà verò cum rationem reddere accederent, ille ſeruus qui vnum tantùm talentum acceperat, quodque ſepultum reliquebat, argutus, & reprehenſus, eò quod nihil fuiſſet lucratus, quaſi exaſperatus patremfamilias redarguit. *Scio quia homo durus es, & metis vbi non ſeminaſti, & congregas vbi non ſparſiſti*. Quaſi dicat: Vnum tantùm mihi contuliſti talentum, vbi cæteri plurima acceperunt: quod ergo lucrum exſpectabas reportandum? Quid vno talento lucrari potui? Enim verò metere ſatagis, vbi non ſeminaſti, & congregare vbi non ſparſiſti. Cur paterfamilias quaſi hac nota comprehenſus,& propriæ non immemor conditionis: *Sciebas* (inquit) *quia meto vbi non ſemino, & congrego vbi non ſparſi?* Ac ſi diceret: Me enim agnouiſti: fateor quod improperas: congrego enim vbi non ſparſi, & meto vbi ſemina nunquam eieci: negare quod obijcis, non poſſum. Quandò ergo Deus vbi non ſeminauit, meſſuit, quod tam ingenuè id fatetur? Cum granum Diuini Verbi ab vtero MARIÆ non ſato collegit. Ait acutè S. Proclus orat. de Incarn. Verbi. *Cum non ſatum granum ex inculta terra germinauit*. Quod eodem ingenio feſtiuè dixit D. Auguſt. ſerm. 25. de tempore: *Filius Virginis in quadam ſectione Euangelica ait: Meto vbi non ſeminaui, & colligo vbi non ſparſi. Dicat ſolus hodie natus ex Virgine Filius MARIÆ: Meto vbi non ſeminaui, & colligo vbi non ſparſi: dicat, & MARIA: Et ego te filium genui, & virginitatem meam non violaui: Regnum teneo Virginitatis, & regem genui Caſtitatis. Ingredientem, & egredientem habui in palatio ventris filium Imperatoris, & de manibus meis non amiſi clauem regni. Porta facta ſum Cæli, ianua facta ſum Filio Dei.* Non modò non amiſit in partu Virginitatem MARIA; ſed Virginitatis regnum ex tunc cœpit poſſidere: vt cæteris dominaretur Virginibus, ſine conſortio viri concipiens, abſque diminutione Virginitatis peperit: quin potiùs cum illius incremento, vtpotè fertiliſſimus campus neſciens aratrum, nam terra quæ ſine laboris beneficio,& non ſata perfectum fructum affert, & melior fœcundior eſt. In partu igitur vbi MARIÆ integritati imminebat periculum, virginior apparet, & perfectior, cum iucundiſſimum fructum ſine culturæ, aut ſeminationis beneficio tribuerit: à periculo enim ſecuritatem hauſit, & vbi virginalis integritas ſemper naufragatur, MARIÆ Virginitas tutiorem portum inuenit.

4. Eodem priuilegio ac in partu, & in conceptione, in purificatione gaudet: nam legi obtemperans, illiuſque obedientiæ ſubiacens, quod impuritatis indicium, ac matris communis, quæ propagatione naturali parit & concipit, argumentum videbatur, nihil ſuæ perfectioni detraxit ſed eam ſummopere commendauit, & extulit. Obedientia enim legis quę in alijs mulieribus imperfectionem ſupponit, MARIÆ immunitatem protexit, & puritatem laudauit. Quod arcanè Dauid innuebat Pſalm. 44. verſ. 10. vbi de hac Regina locutus dixit. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato*. Chaldęus vertit: *Stabit liber legis in latere dexteræ tuæ*. Reliquas mulieres, quę ex conſortio viri concipiunt, purificationis lex ad ſiniſtram collocat, nam maternitatis conſequentiæ ſiniſtra ſunt, & culpæ reatus: ſubindèque dextera, in qua nihil ſiniſtrum, non ipſis locum porrigit. MARIA autem cum ab huiuſmodi dolentijs ſit libera, vtpotè quæ filium virtute Spiritus Sancti concepit, dexteram occupat, & purificationis lex, quæ cęteras in ſiniſtra locat, MARIAM in dextera collocauit, & maioris perfectionis fuit argumentum. Occultè id Salomon prædicauit, nam de forti illa muliere locutus, in qua MARIAM agnoſcit Eccleſia, ſic eius elogia prædicat. *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum*. Prouerb. 31. verſ. 19. Hebræus ſignificantiùs vertit: *Manum ſuam miſit ad legem ſeu fortitudinem, & digiti eius apprehenderunt fuſum*. Tota enim virtutis, & ſpiritualis pulchritudinis fortitudo in adimpletione legis conſiſtit: quare idem eſt ad fortitudinem, ac ad legem mittere manus. Hoc ſanè facilè intelligitur. Sed quid laudis, & excellentiæ in apprehenſione fuſi agnouit Sapiens, vt hoc inter mulieris laudes memoret? Legem adimplere multæ conſueuere mulieres domeſticis officijs intendere, & inter ea nere ferè omnibus contingit. Cur igitur Salomon id quod tam commune, & triuiale eſt, in hac muliere, quam ſpecioſis laudibus extollere tentat, prædicat, & exaltat? Cur commendat id, de quò ferè omnes poſſunt gloriari? Crediderim, vt indigitet excellentiorem MARIÆ perfectionem. Nam mulier quæ net; efficit, vt quod in manu ſiniſtra inuenitur, ad dexteram tranſeat: etenim volubilibus gyris, & circulis repetitis linum, quod in colo ad ſiniſtram ponitur, ad dexteram trahit, & à colo tranſit in fuſum: quod idem efficit MARIA, & meritò laudat Salomon: nam liber purificationis, qui reliquas mulieres ad ſiniſtram denotabat, & impuras ſupponebat, MARIAM ad dexteram collocauit, & illa eadem obedientia, quæ dedecus in alijs conuincebat, fortiùs Marianæ puritatis fuit argumentum.

DISCVR-

DISCVRSVS XIII. MORALIS.

Voluit Chriſtus Dominus, vt omnis eius victoria Virgini Matri tribueretur.

1. MIraberis quod Ioſue contrà Gabaonitas pugnante, & luci curſum inhibente luna ſteterit cum ſole. *Sol, & Luna ſteterunt in tabernaculo ſuo*. Hic verſ. 11. Sed ne mireris, nam ex D. Auguſt. vbi ſuprà. & ex Hieron. iuxta 70. lectionem per ſolem Chriſtus, per lunam verò MARIA venit accipienda, quæ paſſim à Sanctis Patribus lunæ vocabulo inſignitur. Sic Card. Hugo ad illud Geneſ. 1. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt praeeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti. Luminare maius* (inquit) *Chriſtus, qui propriè diei, id eſt, iuſtis præeſt; luminare minus, ideſt MARIA, quæ præeſt peccatoribus.* Sed nondum vincitur difficultas, nam ſi ad inſequendos, & expugnandos hoſtes ſolius ſolis luce, & aſſiſtentia erat opus, ad quid lunæ curſus prohibetur, & cum ſole ſiſtitur? Cur non permittitur curſum peragere, ſi abſque ea victoria reportari valet, hoſteſque profligari? Suſpicor, quia Chriſtus Dominus nullam voluit ſibi victoriam adſcribere, quin, & eius tribueretur matri: etſi luna ad debellandos hoſtes ſupereſſet, adeſſe voluit, vt ipſi etiam victoria adſcriberetur. Sic oppreſſo Iſraele vehementer viginti annis ſub tyrannico imperio Iabin Regis Chanaan, Debbora vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum illo tempore, ad expugnandum inimicum vocauit Barac, cui Deus erat pollicitus hoſtem tradere in manus ſuas: at ille ad Debboram dixit; *Si venis mecum, vadam: ſi nolueris venire mecum, non pergam*. Iudic 4. v.8. Illa autem cum Barac ad prælium procedere vltrò promittit. D. Ambroſ. lib. de viduis Barac filium Debboræ exiſtimat Hug. Ruper. & alij apud Abulenſ.6. eundem cum Lapidoth eſſe contendunt: quæ licet aliquibus probabilis ſententia videatur. Hieron. tamen diſplicet, & alium eſſe Lapidoth Debboræ coniugem, alium Barac, cui tanquam filio principatum Debbora obtulit, arbitratur. At ſi Dominus iniungit Barac, vt contrà hoſtes eat, ab eoque eſſe debellandos, vt comprobauit euentus: cur ipſe conſortium Debboræ ambit, & ad bellum non proceſſurum, niſi ipſa Debbora pergat, conſtanter affirmat? *Si venis mecum: vadam: ſi nolueris venire mecum, non pergam*. Nec enim hoc ex metu, aut ex imbecillitate fidei dixiſſe licet ſuſpicari, cum eius fiduciam commendat Apoſtolus ad Hebręos 11. Pulchrè D. Ambroſ. vbi ſuprà difficultati occurrit. *In mulieris manu* (inquit) *ſummam fuiſſe victoriam docet Barac filius Debboræ dicens: Niſi tu veneris mecum, non ibo. Quanta ergo fœminæ iſtius virtus, cui dux exercitus dicit: Niſi tu veneris, non ibo?* Vt hoc loquendi artificio Debboram ad ſecum eundum promoueret, volebat enim illam habere comitem: vel præſidij cauſa: nam eius virtute munitus ingentem hoſtium multitudinem non formidabat: vel vt (quod magis veriſimile apparet) ipſi etiam de hoſtibus reportata victoria tribueretur. Hæc inquam mulier Debbora, quæ in Hebræo mulier fulgurum, vel lampadum, ſeu illuminatrix interpretatur, quia diuinis erat illuminata fulgoribus, figura fuit Virginis matris: quia vt hic aduertit Carthuſianus, & D. Bonauent. in ſpeculo B. Virg. illuminatrix dicitur ob multas cauſas, quas ibi proſequitur. Quibus adſtipulatur D. Th. in opuſc. de ſalutat. Angelica, & D. Bernardus ſerm. 1. de Aſſumpt. *MARIÆ*. inquit, *præſentia totus illuſtratur orbis, adeò vt, & ipſa cœleſtis Patria clariùs rutilet, virgineæ lampadis irradiata fulgore*. Hæc ergo virilis fœmina (eſtò neceſſaria non foret) vt eius filius Barac Chriſtus Dominus hoſtes expugnaret: tamen ſine illa ad pugnam ire abnuit, vt etiam matri adſcribatur de hoſtibus triumphus.

2. Cum Hebræa gens iter per deſertum ageret, ob faſtiditam Æthiopiſſam Moyſis vxorem, & leuem prophetiæ iactationem apparuit MARIA illa Aaronis, & Moyſis ſoror lepra candens: & illicò iubet Deus Num. 12, verſ. 14. 15. *Separetur ſeptem diebus extra caſtra, & poſteà reuocabitur. Excluſa eſt itaque MARIA extra caſtra ſeptem diebus, & populus non eſt motus de loco illo, donec reuocata eſt MARIA*, Quid prohibet populum indè pergere, & ſi tantiſper reſideat MARIA? Tantus, tamquam numeroſus exercitus ſic grauabitur, vt immobilis ſubſiſtat, quia vna duntaxat fœmina immota ſiſtitur? Satis foret, ſi graderetur populus, & poſt ſeptem dies conualeſcens MARIA maturè feſtinaret ad ipſum. Pergit populus ad deuincendos hoſtes, qui ad promiſſam terram impedimento erant, ſapienter ergo remoratur, & illum ductare renuit Moyſes abſque MARIA: quia etſi ille typum Chriſti gerens hoſtes eſſet expugnaturus; hoc tamen non faceret niſi in MARIÆ conſortio, quæ Virginis referebat imaginem, noluit enim quod MARIA exors eſſet victoriæ, cui præcipuè erat adſcribenda. Sic excuſſa Ægyptiorum ſeruitute, & per vaſtam ſolitudinem pergente populo ad terram pollicitam. *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux eſſet itineris vtroque tempore*. Exod. 13. verſ. 12. dubitant Interpretes, an vna, vel duplex fuerit columna ductans. Plerique exiſtimant eandem fuiſſe, quæ obumbrabat per diem, & illuminabat per noctem, vocarique duplicem propter duplex officium. Lyranus

ex

ex mente Hebræorum autumat duplicem fuiſſe, aliam per diem, quæ vſque ad veſperam relucebat, & peracto officio aliam ignis ſubintraſſe in nocte. *Quod autem verum ſit, non benè apparet de textu: certum tamen eſt, quod vtroque modo potuit eſſe, quia totum illud fiebat diuino miraculo*, inquit Lyra. D. Ambr. in Pſal. 118. per huiuſmodi ductricem Hebræi populi columnam myſticè B. Virginem adumbrari exiſtimat, quæ Dei populum educit de tartareo diaboli ergaſtulo, & feliciter ducit per huius vitæ auia ad promiſſam cœli patriam. D. Gregor lib. 24. Mor. cap. 13. Rupertus lib. 2. in Exod. cap. 24. Chriſtum fuiſſe cenſent. *Quiſnam* (inquit Rupert.) *dux itineris, niſi qui, & dux, & via nobis eſt IESVS Chriſtus Filius Dei? Ipſe nempè columna ignis, quia verus Deus, ipſe idem columna nubis, quia verus homo eſt*. Æquè, & filium matrem Virginem columna illa, quæ infenſiſſimo hoſte deuicto populum ductabat, referebat, vt hoſtis expugnatio, reportataque victoria decantaretur vtrique.

3. Præcepit Deus Moyſi, & Aaroni, vt ſignum eductionis populi Pharaone exigente, virgam proijcerent: quo facto in colubrum verſa Ægyptiorum virgas deuorauit. *Ingreſſi itaque Moyſes, & Aaron ad Pharaonem, fecerunt ſicut præceperat Dominus, tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & ſeruis eius, qua verſa eſt in colubrum. Vocauit autem Pharao ſapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quadam ſimiliter, proieceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones, ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum*. Exod. 7. Quæſtio eſt inter Interpretes, an Aaronis virga virgas deuorauerit Magorum, vtriuſque in ſerpentes conuerſis, an poſtquam ad naturam virgæ fuerunt redactæ D.Auguſt.in Exod. quæſt.21.Lyra, & Caietan. cenſent, priori modo miraculum contigiſſe. *Dicunt autem* (verba ſunt Lyræ) *Doctores Catholici, quod iſta deuoratio fuit antequam virga Aaron rediret ad naturam virgæ: quia virgæ non competit deuorare, ſed magis ſerpenti: vocatur tamen virga, licet tunc eſſet ſerpens, quia prior eius natura erat virgæ, & quia ſerpens erat reducendus ad naturam virgæ*. Iam ergo ſuboritur difficultas, nam Chriſtus Dominus, cuius figura erat ille ſerpens, Ægyptiacam ſuperbiam obtriuit, cunctoſque Pharaonis equites, & exercitus expugnauit, in quo victoria exprimebatur à dæmone reportanda iuxta illud Ioann. 3. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet filium hominis &c. Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*. Cur ergò non ſerpenti vt ſerpens eſt, ſed virgæ adſcribitur victoria? Enimuerò ſerpens ſerpentes deuorauit, Chriſtus deuorauit, infernum? Vt quid igitur honor, & laus non ſerpenti, ſed virgæ defertur? Niſi vt victoriæ particeps efficeretur MARIA. quæ virgæ nomine frequenter inſignitur. Non ſerpens, ſed virga Magorum virgas deuoraſſe dicatur, vt victoria æquè, ac ſerpentis, virgæ eſſe credatur. Præclarè Rupert. lib. 1. in cap. 2. Can. prodeſt ad inſtitutum. *Sicut enim* (inquit) *virga illa virgas maleficorum, & incantatorum deuorauit, & omnem ſuperbiam Ægyptiacam obtriuit, ac deindè germinauit, frondnit, floruit, & fructus protulit non plantata, non ſucco terræ animata, ſed virtute cœleſti ſupra vſum naturæ prouecta: ſic tu pulcherrima mulierum, amica mea cunctam prauitatem hæreticam interemiſti, ſuperbiam diaboli deiecisti conceptu florida, partu fructifera, Virgo in conceptione, Virgo ante partum, intorrupta poſt partum*.

4. Hinc eſt, quod vbi Chriſtus deſcribitur tanquam ſtrenuus miles Marte indutus, & ad prælia cinctus: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime*. Pſalm.44. verſ.4. ſtatim paruo interſtitio additur: *Aſtitit Regina à dextris tuis*. Verſ.10. Vt quid Regina ad bellum ſe comitem præſtat? Quid eſt ſtare à dextris procedentis ad bellum? Lyra ibi. *Ideſt, in potioribus bonis eius*. Quaſi B. Virgo in omni Chriſti pugna viriliter ſteterit, ſemperque victoriç particeps, fuerit. Quo ſpectat Arnoldus Carnoten. tractat. de laudibus MARIÆ, vbi de Chriſto Cruci affixo, & adſtante matre, & patienti filio ſic fatur. *Vnum pariter holocauſtum ambo pariter offerebant Deo: MARIA in ſanguine cordis: Chriſtus in ſanguine carnis*. Propter quod tanquam inclyta bellatrix aſtitit in morte filij, *Stabat iuxta Crucem Mater IESV*. Ioan.19. Subindè q; cum Chriſtus de Iudęis victoriam reportauit, Deiparę meminit Sancta illa mulier, ipſique detulit triumphum. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti*: Lucæ 11. vbi Gloſſa: *Hic MARIA laudatur, quia Dominum portauit, & prauitatem tàm præſentium Iudæorum, quàm futurorum hæreticorum, qui veram Chriſti humanitatem negant, confitetur, quia verum Dei filium aduerſus blaſphemos Iudæos, & verum hominis filium teſtatur matri conſubſtantialem. Niſi enim eſſet vera caro cum Matre, fruſtra venter ille Virginis, & vbera beatificarentur*. Quaſi Deiparę viſcera Chriſti bellatoris aduerſus omnes hoſtes eſſent tentoria, quod venuſtè fatur Aug.hom.4.in natalitia: *Splendentis vteri pulchra tentoria*. Similitèr eam ſalutat Alcuinus ad cap.1.Lucę: *Et tu bellatrix egregia eum, qui primò Euam ſupplantauit, expugnare viriliter aggreſſa es*.

DISCVRSVS XIV. MORALIS.

Vt debitum Matri rependeret, Chriſtus Euchariſtiam inſtituit.

1. ETſi Euchariſtia bona gratia ſit propter mirabiles gratiæ effectus, & ſupernaturalia dona, quæ dignè illam ſuſcipientibus præſtat, motiuo ſuæ inſtitutionis attentè inſpecto, non gratiæ, ſed iuſtitiæ myſterium videtur, illam enim exigebat iuſtitia, & poſtulabant matris officia, quibus filium ſuum hominem factum lactauit, & adimplens maternam curam nutriuit. Non modò à Dei miſericordia hoc mirabile Sacramentum originem duxit; ſed ab eius iuſtitia matris merita remunerante, non tam gratia, quam merces, & compenſatio fuit titulo debita maternitatis. Vndè dixit Niſenus de vita Moyſis poſt medium. *Huius corporis panem non oratio, non ſatio, non agricolarum opus efficit: ſed terra intacta permanſit, & tamen pane plena fuit, quo fameſcentes myſterium Virginis perdocti facilè ſaturentur.* Iure Niſenus *myſterium Virginis* Euchariſtiam appellat: nam iure fuit ſuum, cum illud maternis curis fuerit promerita, nec filius matris debito ſatisfaceret, niſi hunc cibum titulo compenſationis rependeret. Virgini ergo matri debemus panem cœleſtem, quo nutrimur, Euchariſticas epulas, qubus beamur, non ſolùm (quia vt dixit S.Bernard. ſerm.2.de natiu.Domini) hic panis in ventre Virginis fuit decoctus, *Felix mulier, benedicta in mulieribus, in cuius caſtis viſceribus ſuperueniente igne. S. Spiritus coctus eſt panis iſte*: ſed quia eum iure maternitatis, atque nutricis officio exigebat, & niſi eum obtineret, non ſibi ſatisfieri videretur.

2. In quadam concione, quam Chriſtus habuit ad turbas, plurima pandit elogia de ſacramento altaris, & delitias in illo de cœlo allatas promulgat. Multi autem audientes obmurmurabant, & de facti impoſſibilitate blatterrantes ridebant. *Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixiſſet: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi, & dicebant: Nonnè hic eſt filius Ioſeph, cuius nos nouimus patrem, & matrem?* Ioann.6. Facti impoſſibilitatem ex materno origine arguunt, & tamen (vt notauit acutè Chryſoſt.) nihil pro ſacramenti, de quo loquebatur, defenſione, & ipſius veritate dixit. Et cur cum MARIÆ filius reputatur, exindèque fides Sacramento detrahitur, non Dei filium, & omnipotentem ſe prodit, vt crederent poſſe adimplere promiſſa, & carnem ſuam in cibum porrigere? *Manifeſtum eſt enim* (ait Chryſoſt.) *quoniam mirabilem eius nondum ſciuerant generationem, propterea eum adhuc filium Ioſeph, & MARIÆ dicunt. Sed non increpat, non namque reſpondit eis: Non ſum filius Ioſeph.* Si ergo generationem Diuinam ignorabant, cuius virtute panem in carnem conuertere valebat, cur non Dei Filium ſe manifeſtat, vt fidem conciliet myſterio; ſed MARIÆ filius vult videri, cum de almo Euchariſtiæ Sacramento agit: ſuſpicor, vt debitum matri rependeret: iure enim hoc Sacramentum MARIÆ debebatur, vndè cum de illius inſtitutione agitur, MARIÆ filius vult reputari, & neque oſtendit generationem Diuinam, neque abnuit humanam, vt ſciant omnes, quod hoc Sacramentum MARIÆ debetur, propter cuius merita fuit inſtitutum, nam etſi cauſa principalis, qua Deus ſe in cibum præſtitit, quæ eius bonitas eſt, deficeret, etſi cœteræ congruentiæ impulſiuæ non adeſſent, debitum matris ſufficeret, vt ſe daret in cibum: ſubindèque MARIÆ filius vult exiſtimari agens de hoc Sacramento quaſi debitum recognoſcens.

3. Aſt reſtat inueſtigare, vnde huiuſmodi debitum oriatur. Ex maternis nempè officijs, quibus & filium concepit, & poſteà proprio ſanguine nutriuit, & coagmentauit: nam omne illud, quod MARIA in alimentum præſtabat filio, in ſubſtantiam ipſius filij conuertebatur, & id ipſum per communicationem idiomatum ad ſubſtantiam Dei tranſibat, nutrimentumque, quod MARIA conferebat, in Deum vertebatur: vndè cibus ille Deus erat, proindèque non alio cibo, qui Deus non eſſet, poterat compenſari. Igitur vt Diuinum iam nutrimentum à MARIA adminiſtratum ad æqualitatem rependeretur, opus fuit alimentum aliud inſtituere Diuinum, vt quod pro maternæ curæ mercede conquirebat MARIA, ad æqualitatem ſatisfaceret. Non longè it ab hac cogitatione S.Petrus Damianus pijſſimus MARIÆ cultor. *O beata vbera* (inquit) *quæ dum tenue lac puerilibus labris infundunt, Angelorum cibum, & hominum paſcunt: manat liquor ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris &c.* Et paucis interiectis ſubiungit. *Hic, rogo, perpendite, quam debitores ſimus huic beatiſſimæ Dei genitrici, quantaſque illi poſt Deum gratias agere debeamus illud ſiquidem Corpus Chriſti, quod Beatiſſima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod faſcijs cinxit, quod materna cura nutriuit, illud (inquam) abſque vlla dubietate, non aliud nunc de ſacro Altari percipimus, & eius ſanguinem in Sacramentum noſtræ redemptionis haurimus. Impar ergo eſt illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratæ carnis ſuæ viſceribus cibum nobis protulit animarum: illum videlicet, qui de ſemetipſo perhibet dicens: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi, ſi quis ex hoc pane manducauerit, viuet in æternum.* Præclariſſima quidem verba, quibus ſingillatim materna munera recenſet, vt ex indè quaſi ex iuſtitiæ meritò huius cibi inſtitutionem inferat. Sed pende illa, quæ de-

uotiſ-

uotiſſimus Pater expendere deprecatur. *Perpendite, quam debitores ſimus huic Beatiſſimæ Dei Genitrici, quantaſque illi poſt Deum gratias agere debeamus.* Quaſi dicat: Eo quidem debito, quo Chriſtus matri erat adſtrictus, vt cibum daret cœleſtem, & ſuperſubſtantialem, eo ipſo omnes B. Virgini adſtringimur? Nam illius meritis hoc debemus conuiuium, ac pro illo grates ipſi rependere tenemur: quandoquidem illius ſuffragantibus meritis illo potimur.

4. Aſtitit Cana nuptijs Chriſtus, & eius mater, inter abundantiam aquæ præuidet ipſa penuriam vini, & anticipata ſupplicatione defectum auertere ſatagit, filiumque maternis precibus obſecrat, vt miraculum patret, quod quamuis diſtulerit, tandem effecit, licet primò repulſam pateretur pia mater illis verbis: *Quid mihi, & tibi mulier?* Ioan. 2. v. 4. Multùm Patres huius repulſæ quaſi exacerbatio fatigat: nam ſi miraculum filius erat patraturus, cur primò matris ſupplicatione quaſi exaſperatur, & eam à ſe repellit verbis à filiali amore alienis, & quaſi de ſupplicatione infenſis? Præeat Lucifer Chryſol. vt noua lux tritæ difficultati oriatur. *Aqua* (inquit) *in ſanguinis erat conuertenda myſterium.* Grande illud miraculum conuerſionis aquæ in vinum, vini in ſanguinem Chriſti conuerſionem præfigurabat. Nunc autem accedat Chryſoſt. qui exiſtimat, ideò Chriſtum Matrem repuliſſe, quia pro patrando miraculo rogans accedebat. *Ab is namque* (ait) *qui indigebant, rogari oportebat, non à matre.* Verùm ex Chryſoſtomi verbis ingentior oritur difficultas. Cur Matrem pro inſtante neceſſitate non rogare oportebat? Ipſa namque, quæ aduocata hominum eſt, & pia erga ipſos ſemper exercet officia, pro ipſorum indigentia non obſecrabit? Quis enim ſuſpicaretur matris preces Chriſtum faſtidire? Sed acumen percipiamus: erat enim illud miraculum, & primum à Chriſto factorum, & quod Euchariſticam menſam referebat: hoc autem cœleſte conuiuium matri titulo iuſtitiæ debebatur: vt igitur eam audit quaſi gratuita forent, ipſi debita deprecantem, quaſi exaſperatur, & ægrè fert, quod rogans pro munere ipſi debito accedat, cum non deprecans, ſed quaſi imperans accedere debuerit: nam quod titulo iuſtitiæ debetur, non expedit ſupplicationibus petere. Ægrè igitur ergo Chriſtus ferebat, quod circumſtantes non agnoſcerent conuerſionem illam debitam eſſe matri, & ſatagit, vt non rogatum, ſed quaſi iuſtitia coactum miraculum patrare videant, vt matris, ac iuſtitiæ debito ſatisfaceret: non enim oportebat à matre rogari, ne gratiæ tribueretur, quod iuſtitia exigebat.

DISCVRSVS XV. MORALIS.

MARIA flos & in conceptione. & in partu intemeratus.

1. FLos Virginitas idea, & paradigma eſt: pulcherrimus namque cum ſit, dummodò non contrectatur, nitet, & fulget inuiolatus. Sic (inquam) Mariana Virginitas ſemper effulſit, vt nunquam marceſceret, odorem ſpirauit filij ſine integritatis detrimento. Vndè floris epitecto ipſam filius inſigniuit Cantic. 2. verſ. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Ad ipſam enim filius tanquam apis argumentoſa acceſſit, ab illaq; fuit ortus, quin integritatis ſigillum violaret: ſicut apis duui flores libat, ipſorum pudorem non temerat. Vndè Bernard. myſterioſè conceptionem Verbi in Nazareth contigiſſe autumat, quia Nazareth *Flos* interpretatur, ad quem abſque virili congreſſu Verbum Diuinum acceſſit cœleſtiſque Sacramenti mel elaborauit, & fauum confecit illibato ſemper virginali pudore. *Sic habet mellis dulcedinem, habet etiam aculei punctionem: apis verò, quæ paſcitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum, vndè & ad ciuitatem Nazareth, quod interpretatur flos, aduolauit, & ad ſua violentem puerperæ Virginitatis flore aduenit, illi inſedit, illi adhæſit* ſerm. 2. de aduent. Non modò nitorem huius floris apis illa non violauit: verum etiam circa ipſam continuò vagans cuſtodiuit, & defendit.

2. Paradiſum amœnitate vernantem, & florum pulchritudine nitentem Deus à principio plantauit, ipſum primo Parenti tradidit, non ſolùm vt eum coleret, ſed etiam, vt cuſtodiret. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Geneſ. 2. verſ. 15. Aſt à quo homo paradiſum cuſtodiet? Non ab inimicis, quia nulli tunc aderant: non ab animalibus homini parentibus. Auguſt. exiſtimat Adamo fuiſſe iniunctum paradiſum à ſe ipſo cuſtodire, quandoquidem nullus alter erat, à quo eum ſeruaret. *Vt cuſtodiret eundem paradiſum ipſe ſibi.* At cur homini inhibetur floribus manum adiungere, ne contingat eos deuenuſtare, & illos cuſtodire intactos: maximè cum ipſi creatus ſit paradiſus? Qui colonus eſt, & vt flores germinent, laborat, illos attingere non poterit? Non (inquam) ait Richard. à S. Laurent. quia in Adam Chriſtus, in paradiſo MARIA effigiabatur. Ipſi igitur cui committitur huius paradiſi cultura, cuſtodia commendatur, vt ipſius

flores tangere vereatur. A ſeipſo Chriſtus paradiſum MARIÆ cuſtodiat, dum oritur, & concipitur, Virginitatem non tangat, ſed defendat: purpureum ſanguinem huius pulcherrimæ roſæ libet: at ipſius nitorem, & integritatem conſeruet: dum ſibi ipſi paradiſum plantat, à ſeipſo paradiſum cuſtodiat, & Virginitatem muniat: operetur ſibi fœcunditatem: at paradiſi integritatem non violet. *In paradiſo etiam* (inquit Richard.à S.Laur.) *ideſt, in vtero B.MARIÆ poſitus eſt Chriſtus in incarnatione, quando mulier circumdedit virum, vt operaretur in ea fæcunditetem, & cuſtodiret illæſam virginitatem*. Parum eſſet, quod Chriſtus operaretur paradiſum, niſi illum cuſtodiret delitiarum hortum, MARIAM nempè, colat; verum Virginitatis florem conſeruet, ne à propria, vel aliena manu temeretur.

3: Miro ſtudio, miraquę ſolertia Angelus ad MARIAM ſalutaudam acceſſit, & fauſtè cum Virginitatis pudore Diuinum ventris fructum ominatus dixit: *Aue gratia plena, Dominus tecum*. Lucæ 1. verſ. 21. Reueretur Angelus MARIÆ ſanctitatem, & non modò ipſa in ſalutationę turbatur cœleſtis Paranimphi legatione, verum, & ipſe nuntius quaſi turbatus verborum obliuiſcitur, & truncata oratione puellam alloquitur. Cur non ait, Dominus eſt tecum, vt vel ipſo perfectæ orationis tenore perfectionem exprimeret operis: ſed ablato verbo eam ſalutat? Dum de Verbi incarnatione agitur, verbum auſert, & in dubio relinquit, an ipſe Dominns iam cum MARIA ſit, an poſteà venturus? Ambigua enim relinquitur oratio, ad pręſenſque, pręteritum, vel ſutorum tempus poteſt inflecti, *eſt* addito, *fuit*, vel *erit*. Cur vt incarnationis myſterium ſalutationis temporę effici oſtenderetur, non ait, Dominus eſt tecum: ſed indefinita temporis differentia Deum adeſſe affirmat? Crediderim, vt exindè MARIÆ Virginitas in conceptionę Verbi oſtenderetur; verbum enim copula eſt vtriuſque orationis extremi, & à congreſſu maris, & fœminæ quę copula dicitur originem ducit. Diſſertè ergo Angelus, vt oſtenderet in hac conceptione, quam denunciabat, nullam affuiſſe copulam, copulam orationis abſtulit, vt illęſum Virginitatis florem, qui copula violatur, exprimerꝫt; hoc enim miro artificio myſterium Virginitati (de qua MARIA anxia quęrebat: *Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*) v.34. non obſtare ſatis oſtendit, quandoquidem id non humano, ſed Diuino commercio efficiebatur. Sic refert Ariſt. lib.5. de animal, quod in Arabia quędam auis magna, & regia degit, nomine Ormella, quęque ſolùm in illa regione habitat, hæc (inquam) guttam emittit ſanguinis ſui inter flores, quę in aduentu ſolaris luminis viuificatur, & ſimilem ſibi procreat auiculam nullo conſortis interueniente congreſſu eodem pacto abſque maris concubitu anis regia MARIA inter ſuę Virginitatis flores guttam ſanguinis abſque viri conſortio emiſit, ex qua virtute ſola cœleſtis, & ſolaris luminis corpus Chriſti formatum eſt, quin flos Virginitatis à commercio viri violaretur, neque ad ſolis conſpectum marceſceret: quia auis illa magna florem, quem vocant giganteam, ſeu Cliciem, refert, qui ad ſolis pręſentiam erigitur, nitet, & vernat.

4. Huius autem puellę Virginalem candorem & floridam puritatem teſtatur Iſaię cap.35.verſ.2. *Florebit quaſi lilium, germinaus germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans, gloria libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron*. Nulla alia pulchriori ſimilitudine potuit MARIÆ illibatam puritatem oſtendere, quam florentis, ac vernantis lilij candore. Nam quemadmodum flos odorem ſpirans venuſtatem non amittit: ſed potiùs enunciat, ex odore oculos alliciens: ſic B.Virgo decore Virginitatis non amiſſo fragrantiſſimum filij exhalauit odorem, omnibuſque floricomam ſuam Virginitatem oſtendit. Sic pręcitata verba verſa à B.Tho.Archiep.Valent. *Germinans germinabit: quia ſola germinabit, quia ſine viro germinabit. Sicut lilium. Optima ſimilitudo. Quam pulchrè editus Saluatoris ex Virgine ſpiramini odoris ex flore comparatur: nam ſicut flos propter odorem ſuum non perdit decorem, cum odor emittitur: ſic tu propter Saluatorem Virginitatis odorem non perdis, cum naſcitur*. Matris dignitatem aſſecuta Virginitatis non amiſit pudorem: ſed odoris fragrantia illum auxit. Hoc ipſum proprio ore ipſa confitetur, dum ſe vineę floreſceuti conſert Eccleſiaſt.24.verſ.23. *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris*. Ad quę verba Guarricus Abbas ſerm.1.de Natiu. ſubijcit: *Ac ſi apertè dicat: Partus quidem meus non habet exemplum in ſexu mulierum; ſed habet ſimilitudinem in naturis rerum. Quæris, quomodò Virginitas genuit Saluatorem? Sicut flos vitis odorem. Si corruptum inueneris florem, pro eo quod dedit odorem, violatum crede pudorem, quia edidit Saluatorem*. Quod ergo natura docet, non eſt in matre Virgine ambigendum: fructificandi enim munus Virginitati non opponitur, & odoris ſuauitas illęſum floris relinquit nitorem. Vndè Richard. à S. Laur. lib.3.de laud.Virg.in Cantic. 2. (*Qui paſcitur inter lilia*) ex florum inuiolata puritate duplicem Deiparę Virginitatem filium allicientem, vt inter ipſas habitet, rectè agnoſcit. *Paſcitur inter lilia, & ideò vouet Virginitatem quaſi hoc ipſo diceret, lilia deſiderabat, lilia ei exhibeo, ideſt duplicem Virginitetem, ſcilicet mentis, & corporis, quod notatur per hoc, quod dicitur inter lilia*.

DISCVR-

DISCVRSVS XVI. MORALIS.

A Deipara pietatem Chriſtus hauſit ad ipſiuſque nutum munera diſpenſat.

1. PVlchrè Vates ſoli Chriſtum, lunæ verò MARIAM comparat: *Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo*. Hic verſ. 11. quia ſicut Luna, quæ præeſt nocti, Solem temperat, ipſiuſque ardores mitigat: ſic B. Virgo Diuinitatem Chriſti temperauit mitigauit ardorem iuſtitiæ, communicauitque pietatem, quam hominibus præſtat. Ideòque ſtante Sole, & Luna ſtetit, vt illum in expugnatione hoſtium coadiuuaret, & hominum ſe auxiliatricem oſtenderet. Ad hanc autem piam protectionem fruendam ipſamet homines inuitat Prouerb. 9. verſ. 5. *Veni e, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis*. Quæ verba ad MARIAM referunt plerique Patres: nam quod de creata, aut increata ſapientia dicitur, ſolitat Eccleſia MARIÆ accommodare. Sed iam ambiges quodnam hoc mixtum fuerit, ad quod B. Virgo fameſcentes homines inuitat. Quemadmodum generoſum vinum aqua temperatur, & corrigitur: ſic in ventre matris Diuinitas alioqui ferox, & intractabilis, mitis, & ſuauis facta eſt. Sed cur ſicut panem ſuum vocauit: non ita, & vinum? *Comedite panem meum, & vinum, quod miſcui vobis*. Quod ſic vertit Gloſ. *In vnam Chriſti perſonam iunctam Diuinitatem, & Humanitatem*. Humanitatem ergo, quam panis referebat, ſuam vocat: non ſic Diuinitatem, non ſolùm quia ab ea humanam carnem aſſumpſit Verbum, ſed cum humana indole ad omnem pietatē propenſam Quo ſenſu dixit D. Auguſt. ſerm. de aſſumpt. *Domina noſtra fac benedicta per miſericordiam, quam peperiſti*. Quaſi MARIA non tantùm filium ſed, & miſericordiam filij, ſeu filium miſericordem peperiſſet, & ille à matris viſceribus pietatem hæreditaſſet. Quod de ſe ipſa referebat in celebris ſuo Cantic. *Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*. Lucæ 1. verſ. 47. & ſtatim. *Fecit potentiam in brachio ſuo*. Cur non gloriatur, quod in brachio ſuo filius potentiam, & mirabilia fecerit, ſicut in ſalutari ſuo eius exultat ſpiritus? Præſtaret ſicut dixerat. *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*, addere, Fecit potentiam in brachio meo: nam media humanitate aſſumpta operatus eſt ſalutem. Bellè Batab. hic *Exultauit* (inquit) *Spiritus meus in Deo ſeruatore meo, exercuit potentiam in brachio ſuo*. Quaſi dicat: meum voco, quia ſaluator eſt: filium Patris, quoniam in eo potentiæ ſuæ oſtentationem fecit. Non eum agnoſco filium propter fortitudinem, & potentiam: ſed propter manſuetudinem, pietatem, & miſericordiam, quam ex meis viſceribus hauſit. *Meo* (inquit Lyra) *ratione aſſumptæ humanitatis, quia ſic fuit filius Virginis, & non alterius*.

2. Dauid aduerſus Philiſtæos belligerans aquam de ciſterna concupiuit, quæ in obſidione inimicorum erat, iuxta Bethlemiticam portam. *Deſiderauit ergo Dauid, & ait: O ſiquis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem iuxta portam. Irruperunt ergo tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid: at ille noluit bibere, ſed libauit eam Domino*. 2. Reg. 23. verſ. 19. Cur aquam deſiderat, quam bibere recuſat, & ingenti periculo ſtrenuos milites exponit pro re, qua non vtitur, ſed in ſacrificium libat? Siſto Gloſſæ verba, quæ idoneè myſticam rationem aſſignat. *Aquam* (inquit) *non ſitiebat; ſed naſciturum in Bethlehem de Virgine Chriſtum prænidebat, cuius lauacrum, & ſanguinem ſitiebat. Aquam ergo non bibit, ſed fudit: ſitiebat enim fontem æternum, qui non periculis quæritur alienis; ſed aliena pericula abluit*. Pulchrè quidem, Sed cur Chriſtum concupiſcit vt ciſternæ aqua, qui ab ipſomet Dauid, & veteribus Patribus optabatur vt pluuia? *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum*. Iſaiæ. 45. verſ. 8. Opinor, quoniam pluuialis aqua in ciſterna detenta cruditatem deponit, ibique per aliquod temporis clauſa bona, & ſalubris efficitur, vt ex pluribus Auctoribus probant Conimbricenſes Verbum ergo æternum in Deiparæ ciſterna clauſum exoptat Dauid: quia ſciebat ibi veluti pluuialem aquam cruditatem relicturum, & ſalubriorem hominibus fieri, quia ab innata Virginalium viſcerum pietate Diuinitas erat temperanda. Iuuat aliqualiter Rupert. lib. 2. de Trinit. c. 38. *In media ciſterna, ideſt, in domo Domini, vbi cornu altaris tenebat*. (loquitur de morte Ioab in cornu altaris) *ciſterna ideò dicitur, quia ſicut aqua ciſternæ immunditiam aufert: ita etiam nihilominùs hæc ciſterna, ideſt, Sanctuarium Domini peccata expiabat in diebus illis, quia per mortem peccatum expiauit*. Vbi ad Virginem Matrem Chriſtus venit, ſæuitiam exuit, miſericordiæ viſcera induit, & qui antea ſeueritate iuſtitiæ crudeliſſimus erat, in huius puellæ ventre crudelitatem, & rigorem depoſuit.

3. Perantiqua, & celebris diſceptatio eſt, ex qua parte Deiparæ corporis Chriſti corpus fuerit compactum. Plerique apud Abulenſem in cap. 11. Leui. exiſtimant, ex aliquibus ſanguinis guttis è corde MARIÆ erutis Spiritus Sancti miniſterio Chriſti corpus fuiſſe coalitum; quia Chriſtus debuit eſſe ad amandum, compatiendum, & miſerendum propenſus, eiuſmodi autem corporei affectus ſedem, & originem habent in corde. Voluit ergo ex mater-

terno corde naſci, vt induens miſericordiæ viſcera à matre illuſtre pietatis elogium, & indolem ad miſerendum generoſè propenſam hauriret. Adduntque huius ſententiæ Doctores, Spiritum Sanctum hunc ſanguineum inueniſſe ſupra cor Virginis, vndè ad incarnationis opus illum aſſumpſit: non quod in corde hoc myſterium operaretur, quia hoc eſt contra Angeli dictum *Concipies in vtero*: ſed quod turbatione legationis illuc ſanguis ille accurrerit. Quod pulchrè figurat proprietatem illius auiculæ (de qua ſupra ex Ariſtot. lib. 5. hiſt.animal.) quæ nidificandi tempore tres, vel quatuor guttas ſanguinis è corde emittit, quæ calore ſolis fotæ illi ſucceſſorem præbent. Haud aliter B. Virgo è cordiali ſanguine Chriſtum concepit, qui ab illo manſuetudinem, & pietatem hereditauit. Quod venuſtè dixit Hugo de S.Vict.lib.8.Miſcell. ſimilitudinem inter matrem, & filium expendens. *Chriſtus in cælo ex Patre ſine Matre Deus; Chriſtus in terra ex matre ſine patre homo: in cælo qualis Pater, talis Filius: in terra qualis mater, talis filius: in cælo cum Patre æternus, & immenſus: in terra cum matre incorruptus, & manſuetus*. Manſuetudinem, & miſericordiam, quam ergà homines oſtendit, à maternis habuit inditam viſceribus, naturæque indolem, & matris voluntatem exequens omnibus miſeretur. Quod pulchra ſimilitudine dixit S. Bernard. ſerm. 1. in Dominic. poſt octauam Epiphan. *Nonnè* (ait) *qui pomum in manu ſua tenuerit dimidia die: reliqua diei parte pomi ſeruabit odorem? Quantum igitur viſcera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem menſibus requieuit? Quid de fonte pietatis procederet niſi pietas? Quid inquam mirum, ſi pietatem exhibens viſcera pietatis?* Non potuit pietatis affectum non affricare filio pientiſſima mater, quandoquidem non ſolùm ex natura propenſione, ſed ex MARIÆ voluntate ad miſerendum hominibus inclinabatur, quia ad matris nutum munera ipſis conferenda diſpenſabat.

4. Marianæ orationis pro hominibus efficaciam ſatis pulchrè depictam reperies Cantic.4. verſ. 3. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce*. Verba ſunt filij ad Virginem matrem, cuius labia vittæ coccineæ aptè comparantur, quia perſuaſionis energia Deum quaſi vinctum, & alligatum quocunq; libuerit trahunt: ſic prædicta verba capit D. Ambroſ. in Pſ. 118. *Sicut reſticula* (inquit) *coccinea labia tua: per reſticulam coccineam vinculum perſuaſionis agnoſcimus*. Eloquentiæ ſuauitate, & efficacia ſic MARIA Diuinas aures demulcet, vt Deum quaſi deuinciat, & non reluctantem neque obſiſtentem quocunque voluerit flectat. Quod ex 70. Interpretum lectione clariùs liquet, ſic enim præcitata verba vertunt: *Veluti linea fabri coccinea labia tua, ſeu funiculus fabri coccineus*. Quod idem eſt, ac ſi diceretur, labia, & orationes Deiparæ, quibus pro nobis Deum interpellat, eſſe veluti funiculum, ſeu lineam, qua in lignorum dimenſione vtuntur fabri: illi enim non ſcindunt ligna, niſi funiculo rubro colore tincto partem deſignent, per quam ſecuriùs poſteà ſecet quem quidem funiculum ab ipſo, quo tingitur, colore rubricam vocabant antiquitùs: ſic Perſius. *Atque oculo rubricam dirigit vno*. Hanc igitur rubricam, ſeu notam ſolent apponere, vt huiuſmodi menſura, quid ligni ſcindendum ſit, denotetur, ne ab illo, quod prætenditur, excedant. Opportunè ergo huic funiculo preces, quas pro hominibus fundit MARIA, comparantur, eo quod in largiendis muneribus, diſtribuendiſque donis, quæ crebrò Deus in humanum genus diſpenſat, ab eo quod à Beatiſſima Virgine aſſignatum eſt, neque citra, neque vltra diſcedit, ipſius enim labia veluti coccineus funiculus beneficia metiuntur, & ad ipſius præſcriptum illa Deus diſtribuit. Quamobrem ſic eam deprecatur Auguſtinus: *O B.MARIA, admitte noſtras preces intra ſacrarium exauditionis*. Sciebat enim apud ipſam conſenſus Dei ſacrarium exiſtere, & illius voluntatem recondi: quia largitor omnium Deus ad ipſius nutum, iuxtaque regulam ipſius voluntatis dona largitur.

DISCVRSVS XVII. MORALIS.

MARIÆ cruciatus in Filij morte exaggerantur.

1. Parum eſt MARIAM in paſſione Filij, cui viriliter aſtitit, tot & tam acerbos dolores pertuliſſe, vt omnium Martyrum collectiuè tormenta ſuperaret, vt dixit S.Petr.Damian.ſerm.de Virginis aſſumptione ad illa verba Cantic.3. verſ.6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Vbi per ſpecies aromaticas contuſas, ac contritas Martyres indigitari exiſtimat, qui diuerſorum tormentorum generibus contriti ſuauem ſpirarunt odorem: quos omnes exceſſit MARIA, cum per deſertum paſſionis (deſertum enim idem eſt, ac ſolitudo, quam fuit paſſa) filij ſui gradiebatur, parum Angelos, qui illa verba proferunt, ſui cruciatus grauitate, quæ naturæ vires tranſcendebat, in admirationem rapuiſſe. Parum filium ſuum in huiuſmodi cruciamentis adæquaſſe, Parum (inquam) niſi audeamus aſſerere, eum deuiciſſe, & in tormentorum tolerantia non ſolùm viriliter cum eo pugnaſſe, ſed ad palmam deueniſſe: Ad quodlibet expende-

pendere id, quod S Amadens dixit de B. Virgine de ipſius compaſſione in agone filij locutus. *MARIA vicit ſexum, vicit hominem, & paſſa eſt vltra humanitatem*. Chriſtus vt homo tormenta pertulit, & ſenſibiliter doluit. Si ergo MARIA vltra humaniratem patirur, & plus, quam homo, plnſquam filium pati opus eſt. Qnare vt Amadei mens accuratè percipiatur, neceſsè eſt cogitarc. MARIAM fuiſſe elcuatam, vt plus quam natura pateretur, illiuſque vires excederet. Ad quod non parum iuuat Rnperti acumen. Ambigit cnr cum Chriſtus à vita diſcedebat, & à matre ipſam Ioanni commendauerit, & ipſius matrem conſtituerit: *Ecce Mater tua*. Ioanu.19. verſ.27. Quo pacto MARIA Matris ritulum adipiſcitur, quandò illum amittebat, & morte filij proxima tali ſpoliabatur cognonine? Quia deficiẽte filio relatio maternitatis etiam deficiebat. Hoc idem ſibi obijcit Rupertus, & nihilominùs audet affirmare, tunc temporis MARIAM non modo Ioannis, ſed & cœterorum fidelium matrem conſtitui, quia tanquam ſpiritualis parens eos diris cruciatibus parturiuit. *MARIA* (inquit) *ſuis in cruce doloribus hoc etiam promeruit, vt non ſolùm Ioannis, ſed omnium credentium mater diceretur, & eſſet*. Vbi notanda eſt pia docti Abbatis audacia, dum non ſolùm affirmat, MARIAM non ſolùm matris omnium credentium titulum ſuis cruciatibus meruiſſe, ſed etiam veram extitiſſe matrẽm *diceretur, & eſſet*. Inter debita, quibus filij à matribus deuinciuntur, nullum venit comparandum cum dolotibus, quos patiuntur eos parturientes, quia immaniſſimi ſunt, & omni ponderatione maiores. Igirur (air Rupertus) ſic MARIA doluit in morte filij, & tam acerbos pertulit cruciatus, vt ipſis omnium fidelium mater conſtitueretur, quia omnium matrum collectiuè dolores adæquauit; omniumque parturientium cruciamenta in hanc vnam conſpirauerunt matrem. At non plus valet natura, quam vt dolores vnius partus ſuſtineat, quia acerbiores ſunt omnibus expertis, & ad vltra vires non habet, ſubindèque impoſſibile apparet, quod aliqua mulier duarum parturientium patiatur dolores, quanto minùs omnium. Cum igitur MARIA matrum omnium dolores ſenſerit, vt eiſdem omnium mater conſtitueretur; neceſsè fnit vires ſubleuari naturæ, vt ab alieno adiutorio acciperet, quod à ſe præſtare non valebat. Vndè dixit Ieremias, mortem Chriſti à multis fuiſſe deplorandam. *Plangent, & dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti* cap.12. verſ.10. At vbi illi multi, qui morienti Domino compatiuntur? Quinam illi ſunt ſuper eum dolentes? Non inimici, quia illi magnopere lætabantur: non Angeli, quia expertes ſunt huinſmodi compaſſionis: nulla alia videtur creatura, in qua prophetia adimpleretur præter MARIAM. Sed ità contingit, cur multos ploraturos auguratur Propheta? Crediderim, quia MARIÆ dolores multorum doloribus æquiualebant: exindèque multorum lacrymas, & dolores ſuper illud ſpectaculum effundendos verè dixit Propheta, vt hoc artificio piæ matris cruciatus exaggeraret. Quare cum non appareat poſſibile, nec patiatur humana fragilitas, in vnum cor ingentes plurimorum dolores concurrere, quin deficiat optimè dixit Amadeus, MARIAM in filij paſſione narnræ terminos tranſilijſſe, & vltra humanitatem fuiſſe paſſam: ac ſubindè ſpeciali concurſu, & manutenentia Dei indiguiſſe, vt dolores, quibns premebatur, & ad quos ſufferendos naturales vires non valebant, perferret.

3. Hæc, inquam, inter filium, & matrem maxima fuit differentia; nam vt pateretur Chriſtus, neceſſe fuit Diuinitutem concurſum ſuſpendere, quia illo naturali debito impaſſibilis, & immortalis reddebatur Chriſtus: quamobrem impaſſibilitatis dos fuit ſuſpenſa, vt tormenta ſentiret ſubiretque mortem: ſic caperem illa verba mœrore, & triſtitia plena, quæ Chriſtus in cruce protulit. *Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Pſalm. 21. Quaſi dicat: Cur Diuinitatis ſubſidia, & priuilegia Filio tuo debita abſtuliſti, vt ſic mortis iniurias ſentiret? At illo auxilio, quò Chriſtus caruit, vt pateretur; MARIA, vt pateretur indiguit: nam ſine vberiori concurſu abſque dubio vitam amitteret. Quare in dubium poteſt vocari, cur Angelus MARIÆ ſubuenturus non aduenerit, ſicut Chriſtum confortare aduenerat. Rationemque fuiſſe reor, quia cum Chriſtus quaſi deſtitutus, & derelictus eſſet à Diuinitate, vt pateretur, eius confortatio Angelo commendatur: cæterum MARIÆ cruciatns adeò humanas, & Angelicas vires excedebant, vt non ſufficere humanum, neque Angelicum adiutorium: & niſi Dei ſpeciali auxilio muniretur, dubio abſque vitam amitteret. Sic Bernard. Senen. tom.3. ſerm. 2. art. 2. cap. 4. *Mortua fuiſſet B. Virgo, ſi Spiritus Sanctus eam non confortaſſet*. Ad ſufferentiam enim dolorum, qui naturam ipſã ſuperabant, non Angelorum confottatio ſufficeret, quos B. Virgo in fortitudine excedebat, ſed Dei ſpeciale requirebatur auxilium. Nunc autem redit virilior conſequentia: Chriſtus à Patre derelinquitur, vt tormenta, & mortem ſuſtineat, MARIA vt non periret, & mortem euaderet, Dei auxilio ſpeciali indiguit: ergo filium in cruciatibus ſuperauit, & maiores quam ipſe pertulit, quantum diſtat auxillum MARIÆ collatum à carentia ipſius, quàm Chriſtus habuit. Et hinc apparet ratio, cur cum Euangeliſtæ omnes Chriſti paſſiones, & ærumnas quas ſuſtinuit, ſingillatim referant, quin obliuioni aliquid relinquant: MARIÆ cruciatus non meminerint, & tantùm dicant, eam iuxta crucem ſtetiſſe, uidebatur enim

ipſis

ipſis Chriſti tormenta referre, etſi difficilè, non tamen impoſſibilè fore: at MARIÆ dolores adeò humanam eloquentiam, ſicut, & naturam tranſcendunt, vt non appareret poſſibile, illos exprimere verbis. Hæc enim eſt magnarum rerum prærogatiua, nulla ponderatione capi.

4. Illud autem cogitationem noſtram iuuat quod Chriſtus in cruce, verùm MARIA in Chriſto patiebatur. Non parua inter Philoſophos excitatur difficultas, quænam ſit vehementior cauſa doloris, an illum perpeti in loco tormenti, an in loco ad requiem deſtinato: & licet aliquibus videatur à loci qualitate tormentum attemperari, & ſuauizari, quandocunque ſuſtinetur vbi delitiæ affluebant: extra dubium eſt, vltimum eſſe apicem anxietatis, & doloris, cum illius eſt cauſa, quæ conſolationis eſſe ſolebat: quapropter iniuria ab amico illata ſenſibilior eſt. Vbi patiebatur Chriſtus? In cruce infame ligno, martyrio, & opprobrijs deputato. Vbi MARIA? In filio loco delitiarum, & totius conſolationis. Atrocior igitur fuit pœna, quam filij, magis filij mortem dolebat, quàm ipſe filius: nam ille in diro patibulo torquebatur: hæc in ipſo delitiarum compendio, in ipſa delectationum origine. *Altare ſuum erat in corpore filij*, ait Arnold. Carnotenſ. illa in filio, filius in cruce immolabatur. Eandem difficultatem mouet Veronenſ. Zeno in Abraham, & eius filio ad victimam deſtinato, & dubius quis plus pateretur, victima, an ſacerdos, tandem plus Abraham ſuſtinuiſſe concludit: nam Iſaac in enſe, & pyra erat paſſurus; at Abraham in filio vnico, & ſibi dilecto, quem ſacrificabat. Plus igitur doluit MARIA, cum in proprio filio pateretur, quam ipſe filius in cruce laceratus. Præterquam quod cum in dilectione decertatet cum filio, & dilectione, & pœnis ipſum ſuperauit. In amoris enim ſchola torméta, quę perſona dilecta patitur, ad æqualitatem ſentire, ſufficiens eſt amoris indicium: eam in dolore ſuperare, magnæ dilectionis eſt argumentum; cæterum ſuprà modum ſentire; quod perſona amata nullo modo ſenſit, vltima exaggeratio amoris eſt. Hoc inquam amoris experimentum in nullo alio niſi in MARIA inuenitur: nam vulnus, quod Chriſti pectori fuit infixum, cum eum iam mortuum inueniſſet, adeò eſt certum inſenſibiliter ipſum attigiſſe, quod Theologi ad præparationem animi recurrunt, vt illo meruiſſe affirment. Illud autem vulnus, quod neque filius ſenſit, neque ſentire potuit, vehementiſſimo dolore cor matris percuſſit; nam filij pectore tranſfixo ad animam matris tranſiuit, ibique cruentiſſimum, & amariſſimum vulnus impreſſit. Quamobrem Eccleſia meritò mucronem dirum appellauit. *Mucrone diro lanceæ.* Nam mortuum vulnerare, & mulierem percutere, crudelis, ac diri animi eſt argumentum. Igitur ſentiat MARIA, quod filius ſentire non potuit, vt eum in cruciatibus ſuperaſſe maneat compertum.

5. Hinc lucem capit locus ille Cantic. 4. verſ. 6. vbi Sponſa de ſe ipſa loquens aiebat: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Richard. à S. Laurent. per montem myrrhæ Caluariæ montem intelligit propter dolorum amaritudinem, & ſuperabundantiam, quam ibi paſſa eſt B. Virgo, quæque propter ipſius magnitudinem meritò monti comparatur. *Montem myrrhæ dicit propter acerbitatem, & cumulum doloris illius.* Per collem verò thuris lætitiam, & conſolationem, qua in filij reſurrectione fuit perfuſa, accipit. *Thuris fragrantia Dominicæ reſurrectionis gratum odorem demonſtrat.* Quid ergo eſt dolorem monti comparare, & lætitiam colli, niſi quod ea diſtantia, & magnitudine, qua mons collem ſuperat, & excedit, dolorum acerbitas, quam pertulit in morte filij lætitiam, & exultationem, quam cepit in glorioſa Reſurrectione, ſuperabat. Sic Pulchrè proſequitur Richard. à S.Laur. lib. 3. de laud. Virg. *Videtur tamen ex verbis ipſius Virginis, quod gaudium filij reſurgentis dolori matris compatientis filio plenario non reſpondebat.* Et quare hoc? Cur gaudium, & lætitia, quibus B. Virgo. perfruitur, cum filium à mortuis reſurgentem, & glorioſum vidit, dolores antè habitos non æquabunt? Niſi quia vt naturales conſolationes perciperet, in ſuis viribus naturalibus relinquitur: vt autem illa tormenta ſuſtineret, ad ſupernaturales vires eleuatur cum naturales non ſufficerent.

DISCVRSVS XVIII. MORALIS.

Vt antipelargiæ legem adimpleret; Chriſtus maternum corpus in cœlum aduexit.

1. QVod dimicante Ioſue aduerſus Gabaonitas ſol ſteterit, vt conſummaret victoriam, ſatis mirabile eſt: ſed mirabilius, quod cum ipſo luna ſiſteretur. *Sol, & Luna ſteterunt in tabernaculo ſuo.* Hic verſ. 11. Cur lunam ſiſtere, atque morari iubet? Si ſcopus Ducis erat, ne præliantes tenebræ occuparent, & ad hoc ſatis erat ſolis curſum detinere, ſuperuacaneum uidetur, quod lunæ motus etiam cohibeat. At inter Solem, & Lunam temporum labor diſpartitur: luna nocte ſolis officium præſtat, ſol diei præeſt non ergo æquum videbatur, vt quieſcente ſole, luna etiam à motu non

quie-

quieſceret. Licèt enim ad claritatem neceſſarium non ſit, vt luna ſtet: ad decorem tamen ſolis multum intererat, ne illi vituperium fuiſſet, lunam velle comitem habere motus, & laborum; non autem feriationis, & quietis. Cum ergo ſol iuſtitiæ Chriſtus Dominus in cœlo poſt glorioſum tranſitum requieuit, non æquum videbatur, vt matrem, quæ cum illo laborauit, non ſimili proſequeretur honore, ac illam corpore, & animo in olympum ferret, quæ fuerat ærumnarum ſocia: aliter enim ingratitudinis notam non effugeret: piè igitur credendum eſt, ad ſupernam patriam filij beneficio corpore,& anima aduolaſſe MARIAM. Meritò Ioannes Raulinus Ciconiæ Chriſtum comparat propter miram huius alitis indolem, & naturam, nam Ciconiæ dum ex vno climare in aliud incedunt, parentes, ſenio confectos in humeris excipiunt, & in aliam regionem feruentiorem tranſportant. Cum ergò hæc auis elinguis ſit, ab antiquis pro ſymbolo Dei fuit vſurpata, vt indicarent; Deum tam citò omnia ſilentio perficere, quam non debere nos ſuper eo loqui, quem nulla queat humani vis ingenij ſatis admirari. Optimè pro Chriſto Domino poteſt vſurpari, qui vt filius gratiſſimus, & vt mutua viciſſim munera Parenti rependere, feſſam, & annoſam matrem membris indutam, cumque ſacro corpore ex hoc terreno climate in cœleſte portauit. Gratitudinis ergo debito ſicut illa puerum filium in vtero, & in brachijs geſtauit: ſic, & ille ipſam ad ſupernam, & ſerenam regionem ducere tenebatur, vt cum ipſo quieſceret, quæ cum ipſo laborauerat, & cœleſtes ſedes adimpleret. Sic idem Raulinus citato loco tradit, *ciconiam vt grandem prolem à patrio nido auolaſſe nouit, nidum terra implere ne vacuus permaneat*. Haud aliter auis illa Diuina, Filius nempè æternus, plures aues, ſpiritus Angelicos, in nido ſuæ glorię collocauit, quorum magna pars,cum auolare altiùs,quam par erat, voluerit,ė cæleſti nido cecidit. Tunc autem velut pia, & præxcellens ciconia, ne nidus vacuus remaneret, terram deſcendit, humanam carnem ſibi arctiſſimo vinculo copulauit, vt poſteà aſcendens, nidum humanis, & terrenis corporibus repleret. Quo ſpectat. D. Gregorius: *Illa natura, cui dictum eſt: Terra es, & in terram ibis, hodie, & in cœlum iuit Pro hac ergo noſtræ carnis ſubleuatione B. Iob Dominum auem vocat*: quoniam velut ciconia hominibus replet vacuas à reprobis ſpiritibus manſiones, vt meritò dicat Auguſt. ſerm. 178. de temp. *Chriſtus terram leuauit ad cælum*. Quod licet in aſcenſione Domini verùm habeat, vbi eius terrenam humanitatem ad nidum illum paterni pectoris euexit: non minore iure in B. Virgine impletum eſt, in cuius aſſumptione iam terra illa Virginea humeris generoſæ ſobolis grates debitas matris rependentis translata eſt, & ad æthercam ſedem ſuſtulit matrem, brachijs ſuis portans illam; quæ ipſum portauerat.

2. Hoc inquam filij connaturale debitum exigebat Dauid 131. verſ. 8. *Surge Domine in requiem tuam tu, & arca ſanctificationis tuæ*. Vbi eleganter Chryſoſt. ſerm. de Deipara: *Arca pretioſiſſima Virgo Deipara, quæ excepit totius ſanctificationis theſaurum*. Et Richard. à S. Lauren. quaſi MARIÆ nomine ius repeteret eius parens Dauid, ipſius in carne aſſumptionem ad cœlum hic agnoſcit. *Tu, & arca ſanctificationis tuæ* (inquit) *Tu priùs; arca ideſt, MARIA poſteriùs.Hinc conijcitur quia aſſumpta eſt ſimul cum corpore. Dicitur ergo: Surge Domine in requiem tuam poſt laborem paſſionis tu per aſcenſionem, & arca ſanctificationis tuæ per aſſumptionem: hæc enim arca quandò aſſumpta eſt ſurrexit in requiem Domini, & impletum eſt illud* Geneſ. 8. *Requieuit arca ſuper montes Armeniæ*. In requieſcente arca MARIAM agnoſcit Richardus, quia ſic expediebat, vt maternis officijs Chriſtus ſatisfaceret: non enim fas erat, vt arca, quæ Chriſtum portauit, illo quieſcente, laboraret adhuc. De arcæ autem ædificatione ſic habet Geneſ. 7. verſ. 14. *Facies arcam de lignis læuigatis*. Verbum Hebręum *Gopher*, quod in hoc loco tãtùm reperitur, quid ſignificet, non omninò conſtat. Hebræi putant eſſe cedrum, quæ arbor in Syria frequenter naſcitur, & aptiſſima erat fabricandę arcæ, vt quę longiorem tabularum ſuppeditat materiam, leuiſque ſit, facilèque ſuperfluitans, atque corruptionis, & carioſæ malignitaris neſcia. Chaldęus idem ſignificat. D. Ambroſ. lib. de Noe & arca cap. 7. vocat ligna iſta imputribilia. Idem habet D. Aug. tract. 6. in Ioann. de hac ergo arca dicitur c. 8. *Requieuit menſe ſeptimo, vigeſimo ſeptimo die menſis ſuper montes Arabiæ*, ſeu *Arat*: de qua regione ſic exſcribit D.Hieron.ad c.38.Iſa. *Arat regio in Armenia campeſtris eſt, per quam Araxes fluit incredibilis vbertatis ad radices Tauri montis, qui vſque illuc extenditur*. Igitur ceſſante diluuio, non generaliter ad montes Armeniæ delata eſt arca: ſed ad montem Taurum altiſſimum, qui Arat imminet campis. Etenim arca (vt dixit Richar. Ambroſ. ſerm. de Natiuit. B. MARIÆ) ipſam B. Virginem deſignabat, quæ carnem habuit ex ſe vermibus obnoxiam; ſed poſt diluuium paſſionis filij ſui, poſt exactam huius vitæ nauigationem, in qua Virginalis anima ad filium iam in cœlo perenniter regnantem aduolauit, tandem vt deſiderijs quibus angebatur, & debito filiationis ſatisfaceret,corpore,& anima exurgentem matrem ad altiſſima ſupernæ patriæ faſtigia leuauit, quia non aliud patiebatur iuſtitia. Sic vbi latro ille Chriſtum Dominum in cruce confitetur, quando vel amici abnegabant: *Domine memento mei; dum veneris in regnum tuum*. Lucæ 23. v. 42. ſtatim audiuit: *Hodie mecum eris in paradiſo*. Si tantùm latro po-

poſtulat ſui memoriam, cur ad paradiſum ſtatim defertur? D. Ambroſ. in comment. huius loci. *Ille rogabat vt memor ſui eſſet Dominus, cum veniſſet in regnum ſuum: Dominus autem ait illi: Hodie mecum eris in paradiſo.* Quaſi dicat Ambroſ. Ex eo quod Dominus regno ſuo potiretur, conſequenter latronem debuit ſecum adducere: nam non illi eſſet plena felicitas, niſi obligationis ſtatim ſatisfaceret: non plenè beatus videretur, niſi matrem, quæ tot ipſum deuinxerat beneficijs, ſociam haberet in patria.

3. Abſoluta primi hominis creatione, ne ſolitudine tabeſceret, comitem mulierem creauit Deus. *Dixitque Dominus Deus: Non eſt bonum hominem eſſe ſolùm; faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Gen. 2. verſ. 18. Chaldæus vertit: *Suſtentaculum, quod ſit penes eum.* Quaſi conſortio viduatus Adamus, & ſolatio & ſuſtentaculo careret. Locuples Interpres Benedictus Ferdinandez glorioſam Deiparæ in cœlum aſſumptionem, vbi lætitiam, & ſolatium filio detulit, hic præuentam agnoſcit. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolùm, ſcilicet in cælo, vbi regnat beatarum mentium, & Angelorum caput, atque primogenitus omnis creaturæ ad dexteram Dei Patris ſedens: quamobrem ſtatutum eſt vti Virgo Sanctiſſima in ſua aſſumptione enixa ſuper dilectum ſuum iam per reſurrectionem corpore; & anima immortalis, & glorioſa cæleſti patriæ Regina inferretur.* Vt haberet Dei Filius, & homo Deus in cœlo naturæ ſuæ corporeæ conſortem, matrem ſecum aduexit, quod vnicum erat, & ſimile ſibi adiutorium, vtque eſſent in cœleſti paradiſo vir & mulier, nouus Adam, nouaque Eua, Deus homo, denique mater Virgo. Sed preme illud: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolùm, ſcilicet, in cælo,* Nihil magis ſimile filio, quam genitrix ex creatis, fateor, ſed æternus Pater ſimillimus Filio eſt; cur ergo non erit congruum Filium in cœlo eſſe, vbi Patrem ſimillimum ſibi habet? At etſi Filius in cœlo conſortem haberet in natura Diuina, vt ſimiliter adiutorium ſibi in natura haberet humana, oportuit matrem ſuam anima, & corpore glorioſam ſecum deferre: quia quandò Verbum æternum ſinum paternum, ac cœleſtem patriam reliquit, deſcenditque in terram, & adhæſit Virgini matri, tam arcta, & indiſſolubili coniunctione ipſi fuit vnitum, vt illius verus eſſet filius, carne aſſumpta ex illius carne, Perſonæque ſuæ, ac Diuinitati ſic matris participatam ſubſtantiam adiunxit, vt Deus fieret homo, & quod ſemel à matre accepit, nunquam dimitteret, vti ex Damaſceno celebratur inter Theologos, exindèque comes inſeparabilis matris eſſe voluit, non ſolùm in terra, ſed etiam in cœlo, ne indecenter cum matre agere crederetur. Meritò dubitant Interpretes ad cap. 26. Geneſ. verſ. 2. cur Deus prohibuerit Iſaac ad Ægyptum deſcendere. *Ne deſcendas in Ægyptum; ſed quieſce in terra, quam dixero tibi.* Nam ſi id ob terræ, & habitantium malignitatem inhibebat, facilè Deo erat Iſaacum ab omnibus periculis eruere, ità vt illi nocuiſſet nemo: quod quidem ad oſtentationem Diuinæ potentiæ conducebat, ſicut conduxit parentem eius Abraham in Ægyptum deſcendentem à periculis, quæ paſſim occurrebant, liberare. Cur ergo, quod patri conceditur, prohibetur filio? Lyra optimè difficultati occurrit: *Noluit* (inquit) *Dominus, quod deſcenderet in Ægyptum, quia Iſaac fuerat Domino conſecratus, quando fuit oblatus in monte: & ideò non erat decens, quod exiret terram promiſſionis.* Alienum enim videbatur, & à iuſtitia, & ab æquitate, quod qui ſemel in vita Deo fuit conſecratus, in Ægypto, & inter prophanas gentes vitam degeret: ſed in promiſſionis terra, quam Deus electis viris præparauerat. Volebat ſacratiſſium MARIÆ corpus naturaliter in Ægypto manere ſepultum, cum iam eius anima promiſſionis terram inuiſerat, in gloriaque requieſcebat: ſed occurrit Deus præcipiens. *Ne deſcendas in Ægyptum:* Aſcende ad terram omni ſuauitate refertam, ad promiſſionis glorioſam manſionem, quandoquidèm in vita mihi conſecratum extitiſti, mecum in conſortio animæ aſcende, ne indecentia mihi objiciatur, vt in æternum viuas tanquam mihi ſacrum altare.

4. Exod. 20. verſ. 24. tradit Deus poſt decalogum Moyſi intimatum formam fabricandi altare, vbi victima, & holocauſta ipſi erant offerenda, & inter alia hæc iniungit: *Altare de terra facietis mihi: quod ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus: ſi enim leuaueris cultrum ſuper eo polluetur.* Præceptum hoc ad tropologiam, & allegoriam ferè omnes Patres exponunt: ſic Gregor. in Pſalm. 7. pœnitentiæ. Rupertus hic myſterium incarnationis agnoſcens, ſicut & Gregor. 3. Moral. c. 20. *Per terram* (inquit) *mediationis incarnatio deſignatur.* Altare ergo terreum, in quo filius ſeipſum obtulit hoſtiam Deo Patri gratiſſimam, B. fuit MARIA, in cuius viſceribus carnem aſſumpſit, illamq; in ſacrificium libauit. Hoc igitur intemeratum altare anima, & corpore terreno, vndè fuit compactum, in cœlo filius collocauit, vt iugi ſacrificio victimam offerat Deo Patri. Quod ſatis venuſtè liquet ex iniuncto poſteriori præcepto, quod ſi altare lapideum feceris mihi. *Non ædificabis illud de ſectis lapidibus: ſi enim leuaueris cultrum ſuper eo, polluetur.* Et cur quæſo altare ſibi ex lapidibus dolatis ædificari prohibet? Nonnè decentiùs videbatur lapides elaborari, & poliri, antequam ponerentur in altari, quam ex illis conſtrui impolitis? Cur artis perfectionem, & ædificij pulchritudinem ab altari arcet? Plures huius legis cauſas ex diuerſis Auctoribus affert Cornelius in comment. huius loci, ex

qui-

Digitized by Google

quibus quam tradit ex Rabbi Abraham, optimè noſtro inſtituto congruit. *Deum* (ſcilicet) *lapides altaris læuigari, aut poliri, & omninò attingi ferro vetuiſſe: quia nefas erat, eorum lapidum, qui ad rem tam ſacram erant adhibendi particulas ſcapello abraſas in terram, aut ſterquilinium decidere.* Quantò honorabiliùs altare illo materiali debuit eſſe corpus B. Virginis? Quantò venerabiliùs caro & oſſa eius, quæ lapides fuerunt, ex quibus altare illud ſacrum fabricatum fuit, in quo Deus homo per nouem menſes habitauit? Non ergo decens videbatur, vt hoc ſacratiſſimum, & impollutum Altare corrumperetur, aliquaue diminueretur parte: ſed quod integrum, & illæſum ad gloriam cum beatiſſima anima aduolaſſet. Noluit Deus, vt particulæ ex lapidibus, quibus exſtruebatur altare, abraſæ in ſterquilinium deciderent, quia coniunctæ fuerant lapidibus ipſi ſacratis: & vellet, quod corpus ſacratiſſimum Virginis, in quo per nouem menſes habitauit, corrumperetur, & in ſterquilinium decideret? Apage. Hoc inquam maximè ipſius gratitndini, & decentiæ derogaret.

5. Sed meritò ambiges, cur Dominus in cœlum aſcendens non ſecum matrem detulerit, & qui ſemper anteà matri adhæſerat, matre in terris derelicta, deceſſerit: nam pro quocunque tempore filiationis debitum vſque nunc expenſum inſtabat: Vt imperiali pompa, & nobiliori triumpho MARIA exciperetur in cœlo, præceſſit filius: ſubindèque glorioſior eius aſſumptio, quam filij fuit aſcenſio: quia ad occurſum filij cœleſtes ciues: ad MARIÆ verò occurſum, & ipſi, & filius egrediuntur. Sic enim viſa fuit à Ioanne in æthéream omnipotentis Olympi domum aſcendens. *Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam deſcendentem de cœlo, ſicut Spouſam ornatam viro ſuo.* Apocal. 21. verſ. 2. Cœleſti agmine cinctus lętus adeſt filius, vt matrem, & Angelorum Reginam auguſtiori plauſu ſuſcipiat. Quod expendens D. Ildephonſus ſerm. 2. de Aſſumpt. aiebat. *Ideò decorata deſcendit, vt Reginam mudi B. ſcilicet MARIAM eueheret ad ſublime, & collocaret in throno Regni, alioqui officioſiſſima prætextata non occurreret, niſi feſtiuitas magna eſſet.* Exultat filius, & lętabundus matrem in empyrio collocat: gaudent Angeli Dominam excipientes lętantur homines ſuam in Virgiue naturam ſupra Angelicos ciues exaltatam aſpicientes. Vndè D. Bernard: ſerm. 4. de aſſumpt. dicebat: *Tempus loquendi eſt omni carni, cum aſſumitur incarnati Verbi mater in cœlum: nec ceſſare debet à laudibus humana mortalitas, cum hominis ſola natura ſupra immortales ſpiritus exaltatur in Virgine.* Pende illud *omni carni*. Quaſi anteà ſoli ſpiritus Angelici, & ſpirituales ſubſtantię poſſent loqui: nunc verò poſt aſſumptionem Virginis omnis caro abſque verecundia, & pudore loquatur. Et quid? Nonnè tempus erat loquendi, quandò Chriſti humanitas ſuprà cœlos euecta fuit, atque in dextera Patris collocata? Nunc (inquit Bernard.) tempus loquendi eſt omni carni: Vtique, quia cum Perſonalitas, quæ humanitatem Chriſti terminabat, Diuina eſſet, & increata, non propriè, & cum veritate dici poterat, neque ſpiritus Angelici id admitterent, quod ſuper illos perſonalitas aliqua humana eſſet, neque ad Patris dexteram: at in MARIÆ aſſumptione cum natura humana propria, & humana perſonalitate terminata aſcendat ſuper omnes cœlos, iam verùm eſt dicere, naturam humanam ſupra omnes Angelicos ſpiritus eleuari, & conſequenter iuſtum, vt homines liberè, & abſque pudore loquantur. *Tempus loquendi eſt omni carni. Ia pueden hablar los hombres alto.* Natura enim humana in Chriſto non fuit euecta cum proprio complemento creato: benè tamen in Virgine. *Cum hominis ſola natura ſupra immortales ſpiritus exaltatur in Virgine.* Non ſolùm ergo filio matrem in corpore aſſumere expediebat, vt maternitatis officia rependeret, & grato animo non derogaret: ſed & humanę naturę, quę in Virgine Angelicos ciues ſuperauit, & ſupra ipſos exaltata exultat.

DISCVRSVS XIX. MORALIS.

Vt neceſſitates noſtras proſpiciat; MARIA in cœlum erigitur.

1. Licèt in aſtra Virgo aſcenderit, nos tamen in huius vitę mari fluctuantes non deſerit: quin potiùs vt manum porrigat, & ad patriæ littus tandem deducat cœlos ſcandit: eo quidem ingenio, quo aquila in ſublime volata, cœloq; propinqua piſciculos in æquore videt, ad quos deſcendit, & in prędam captos ad littora pertrahit. Non ſecùs beatiſſima Virgo, cum ad cœlos euehitur, non filiolos deſpicit, qui veluti piſciculi cum vndis humanę vitę reluctantur: ſed de tanta ſublimitate piſciculos videt, pauperculos proſpicit, ipſoſque aut pennis ad littus pertrahit, aut à malis eripit, & protegit, elationes huius maris còmprimens. Ad hoc (inquam) in cœlum eleuatur, vt opportuniùs nobis naufragantibus accurrat, & magis perſpicuè noſtras neceſſitates proſpiciat. Sic poſtquam Dauid Chriſtum triumphali gloria regnaſſe dixit: *Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute.* Pſalm. 92. verſ. 2. ſtatim ſubijcit: *Eleuauerunt flumina fluctus ſuos, mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Poſtquam in

in cœlum glorioſus aſcendit, ſolo oculorum nutu elationes maris compreſſit. Hoc ipſum & B.Virgo efficit: nam gloria in. uta, etſi turbulenti matis æſtus efferantur, noſque vndiq; vndę euomant fluctuantes, adeſt in cęlo B.Virgo, quę ſolo oculorum intuitu procellas comprimit, fluctus ſedat, & coercet. Nunquam beatiſſima Virgo hominibus magis proficua, quam cum ad cœlos aſſumitur, vt exindè ſæuientis maris procellas comprimat, & commune ſit omnibus propitiatorium, vt dicebat Andreas Cretenſ. orat. 2. *Quamdiù quidem, ò Virgo, verſabaris in terra, te habuit parua terræ portio, ex quo autem translata es è terra, te vniuerſus mundus continet commune propitiatorium.* Quo magis à terra elongatur, eo efficacior ipſius pietas in terra ſentitur. Dum in terra erat paucis vicinis accurrebat: at ſuper omnem creaturam eleuata omnium patrocinium ſuſcepit, ad omneſque ſuam extendens pietatem, tempeſtates huius vitæ compeſcit. Ideò Lunæ meritò comparatur Cantic.6. *Pulchra vt Luna*, ait Albert. Magn.lib.1. tract.2. cap.4. de proprietate element. *Luna vocatur Regina cœli, quia regit humiditates corporum inferiorum.* Ità ergo humanę vitę dominium habet MARIA, illiuſque tempeſtatibus, quę inſtar fluctuum ſæuientium nos agitant, imperat: nam vt dixit D. Thom. lect. 24. de generat. & corrupt. *Lunæ ſphæra nata eſt mouere aquam.* Vorticoſos igitur fluctus, & multiplices aduerſitatum nos infeſtantium vndas vna MARIA tanquam Luna ex olympo compeſcit, & in placidam tranquillitatē reducit. Vndè B.Proclus orat.1. *En terra, & mare ſatellitum more huic ſubſeruiunt Virgini: hoc quidem placida ſua nauigantibus dorſa ſubſternens; illa verò viatorum veſtigia expeditè deferens.*

2. Sic creationem lucis Hiſtoricus narrat ſacer in primo conditionis die: *Dixitq; Deus: Fiat lux. Et facta eſt. Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris, appellauitque lucem diem.* Geneſ.1.verſ.4.Poſteà verò quarto creationis die hanc ipſam lucem iam Solem factam in firmamento collocauit, vt diem diuideret à nocte: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram.* Ibi.verſ.14. Ad quid Sol eleuatur in poteſtatem diei, & vt luceat ſuper terram, ſi lux illa primo die facta diei faciendæ ſuffecerat? Dies enim primò illa vocatur, *Appellauitque lucem diem.* Vt quid igitur dies iam ſemel beneficio lucis effectus Solis illuminatione iterum efficitur? Auſculta D.Auguſt. lib.1. in Gen.cap.11. *Poteſt & hoc diei auctum eſſe fulgorem diei Sole addito, vt per illam lucem minùs fulgens dies, quam nunc eſt, fuiſſe credatur.* Lux illa ad cœlum aſportata magis ſplendeſcens, & terram magis illuminans, quam dum in terra erat, apparet. Minùs fulgens primus dies fuit viſus, in quo lux in terra creatur: at poſtquam ad firmamentum fertur, micantiùs ſplendet, & terram fouet, & illuminat. Non aliter B.Virgo ad cęlos aſſumpta magis, quam cum in terra morabatur, ſuos clientes tuetur, & vberiori virtute auxilium terrę pręſtat, quam in ſuum patrocinium ſuſcepit. Sic de illo perenni paradiſi fonte dicitur (Geneſ. 1. verſ.6.) quod de terra aſcendebat, vt terram irrigaret: *Sed fons aſcendebat è terra irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ.* Si fons ad id fluit, vt terram irriget, vt quid aſcendit? Etenim hoc contra naturam eſſe videtur, nam aqua irrigans naturaliter deſcendit, & per decliues traduces deorſum labitur: fluit vbi deſcenſum inuenit: at vbi aſcenſus obſiſtit, ſiſtitur, & retrocedit. Cur igitur fons ad irrigandum aſcendens perhibetur? Bellè Abulenſ.hic: *Aſcendens de terra irrigabat loco pluuiæ.* Pluuia ſurſum veniens omnia irrigat, omnia humectat, & ſublimiorem montem, & profundiorem vallem. Vt ergo omnia irrigaret, paradiſi fons è terra aſcendebat, nam per terram ſerpens non omnem illam poſſet irrigare. Sic beatiſſima Virgo fœcundiſſima nubes idcircò è terra aſcendit in cœlum, vt ſuper omnes pietatis munera ſtillet, omnes creaturas protegat, & defendat, atque inceſſanter omnes ipſius patrocinij pluuia fruantur.

3. Sic aſcendentem in cœlum Sponſam ſalutabat Sponſus, Cantic.4. verſ.2. *Capilli tui, ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.* Cur non potiùs ſplendenti nubi, phoſphoro matutino, aut aſcendenti nubili illam comparat: ſed capris ad cacumina Galaad aſcendentibus, ad pręruptaque ſaxa pergenti gregi? Non grex vagatur in monte, quin ſoboles parua in valle relicta ſuſtentetur: quin potiùs vt vberiùs lac meliori nutrimēto acquirat, pręexcelſa loca conſcendit. Altitudinem cœlorum tenet B.Virgo: ſed cum onere, vt filijs ſuis alimenta prębeat: non enim aſcendit, vt ſobolis in terra relictæ obliuiſcatur: ſed vt diſtenta miſericordię vbera affluentiùs porrigat, vt nos vberiori lacte alat, & ſuſtentet. Vndè de ſe ipſa opem, & auxilium omnibus per huius vitę deſertum gradientibus præſtante dicebat: *Ego in altiſſimis habito, & thronus meus in columna nubis* Eccleſiaſt. 24. v.7. Habitatio mea (inquit) in eminentiori cœli loco exiſtit: ſed eſtò thronus meus ſublimis ſit, non alterius eſt conditionis, quam columna illa nubis, quę antiquitùs Iſraelitarum populum ductabat. At cur nubi protegenti populum in deſerto ſe confert B.Virgo? Hug. Card.exiſtimat, quia columnę illius illuminatione populus requieſcebat in lucis ferarum incurſionibus non obnoxijs. *Sic B. Virgo* (inquit) *vbi locus eſt aptus, quieti populi Chriſtiani, vbi ſcilicet non ſunt Leones, neque ſerpentes; ſed fontes, & prata, & arbores.* In ęthere columna illa nubis eminebat, & exindè ſecuram

viam

viam populo demonſtrabat: ſic & MARIA è throno ſublimiori glorię facta eſt columna, quæ nos ducit, & ſecuriorem viam oſtendit, vbi non ſunt ferę, ſed amęniſſima prata, dulciſſimi fontes, & ſalutiferę arbores. Quò magis ſublimatur, eò vberiùs nobis pręſtat auxilium, & illud ipſum quod de filio dixerat Dauid Pſalm. 90. *Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei Cæli commorabitur*, ad matrem non idoneè inflectit Guarricus Abbas ſerm. 2. de aſſumpt. *Et nunc quidem* (inquit) *ſi habitemus in adiutorio altiſſimæ matris, in protectione ipſius commoramur, tanquam ſub vmbra alarum eius*. De excelſo enim habitaculo ſuo nos reſpicit, & illuminat, & quaſi matutina ſtella, & ſplendidiſſima aurora aduentantis Solis pręnuntiat luces. Vndè Cantic. 6. dicitur: *Quaſi aurora conſurgens*. Nam quemadmodum Solis ortum anticipata feſtinatione aurora pręcurrit, quo mortalibus inter noctis deliteſcentibus tenebras optata lux irradiat: ita beatiſſima Virgo Solis iuſtitię maturat anteuertere auxilium, vt ſuos clientes in tenebris conſtitutos protectionis ſuę ſplendore illuſtret, filiumque ad ſubueniendum miſeris pręcurrat, ſicut aurora Solem.

DISCVRSVS XX. MORALIS.

Æqualitas præmij excidium Reipublicæ.

1. MAgnum, & mirabile beneficium auguratur Vates, Deum populo præſtitiſſe, eo quod dimicante Ioſue, non ſolùm ſoli, ſed, & lunæ curſus etiam eſſet inhibitus. *Sol, & Luna ſteterunt in tabernaculo ſuo*. Hic. verſ. 11. Et quidem ſolis duntaxat lux ad pugnam erat neceſſaria, vt quid igitur, & luna ſiſtitur, vbi eius præſentia non proficit? Exiſtimo ſic contigiſſe, quia ſi ſol tantùm ſiſteretur, & luna pergeret, ſol retrò maneret, ipſumque luna præiret, exindèque dignus pręcederet digniorem, quod gubernatione Dei, & politia cęleſti indignum videretur: ibi enim luminare minus lucens curſum non peragit, nobiliori retrò ſtante. Luna à ſole lucem participat, & iniuſtum eſt, quod qui ab alio ſplendorem habet, illum deſpiciat; & retrò manere cogat: merita enim vbi ratio viget, penſanda ſunt, & vbi illorum inæqualitas vrget, præmia, & honores inæqualiter ſunt conferenda: nam honor in republica ſtrenuos alit, & multiplicat viros (vt rectè expendit Caiet. ad illud Pſal. 138. verſ. 17. *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum*.) Vbi optimi Regis partes deſcribuntur, & præcipuè, quod magni pendat iuſtos propter Deum, & iuſtorum Primates efficiat potentes: ex hac enim iuſta remuneratione ſequitur eorum multiplicitas. *Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabantur*. Vbi Caieta. *Sic eſt: quoniam vbi fortes honorantur, ibi multiplicantur fortes: & vbi docti honorantur, ibi multiplicantur docti: & vbi iuſti honorantur, ibi multiplicantur iuſti*: Ad menſuram enim meritorum munera ſunt largienda: nam vbi æqualiter honorantur omnes languet virtus, deficit fortitudo, & ſtatus reipublicæ euertitur, quia vigor iuſtitiæ vnicuique, quod ſuum eſt tribuentis diſſoluitur.

2. Pro conſeruatione Eccleſiæ, ipſiuſque perpetuo incremento ſic Chriſtus Dominus Patrem exorauit. *Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut, & nos*. Ioan. 17. verſ. 11. Non leuis hinc oritur difficultas: nam quomodò Eccleſiæ membra ad illam poſſunt eleuari ineffabilem vnionem, quæ verſatur inter Patrem, & Filium? Toletus exponit vt ſint concordes, vnanimes pacifici inter ſe, in vno ſpiritu, vna fide: hæc namque quam Chriſtus poſtulat, ſimilitudo, eſt non æqualitas: nam Filius, & Pater vnum ſunt, quia vna eſt ſubſtantia numero eademque voluntas: at fideles non hanc poſſunt habere vnitatem, ſed, ſimilem, vt idem velint, & idem nolint, concordeſque ſint vno ſpiritu moti, & gubernati. Si ergo vnionem ſimilitudinis tantùm poſtulat, cur ad illam naturalem recurrit vnionem, quæ inter Perſonas Diuinas reperitur? Pulchrè Card. Toletus ad diſtinctionem accommodat, quæ inter perſonas in Eccleſia debet reperiri, vt in ſuo gradu quiſque exiſtimetur, quæque charitatem non dirimit, ſed iuxta rationis regulam ordinatam agnoſcit. *Alind etiam* (inquit) *hac ſimilitudine inſinuari videtur, vt quemadmodum vnitas Trinitatis non confundit ordinem, ſed vnus eſt Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, Filius à Patre, Spiritu Sanctus ab vtroque, Pater à nullo procedit: ita hæc vnio charitatis non confundit ordinem Eccleſiæ: non enim omnes paſtores omnes prælati; ſed vnus eſt paſtor, alius auditor*: Reſpublica enim, vbi merita aut inpræmiata, aut æqualiter ſunt remunerata, ordinem à ratione præſcriptum excludit, confuſionem fouet: quia chatitas non agit perperam, non gradus præeminentiæ excludit. D. Thom. 3. par. quæſt. 4. art. 6. quæſtionem mouet, vtrùm Verbum Diuinum naturam humanam aſſumere debuerit in omnibus indiuiduis, illamque neganter ſoluit: cuius ratio ad noſtram theſin maxime conducit. *Quia* (inqnit) *hoc derogaret dignitatis Filij Dei incarnati, prout eſt Primogenitus in multis fratribus ſecundum humanam naturam, ſicut eſt Primogenitus omni creaturæ ſecundum Diuinam: eſſent enim omnes homines æqualis dignitatis*. Si verbum Diuinum omnes in indiuiduo naturas humanas aſſumeret,

omnes

omnes eſſent æquales, nulluſque eſſet præſtantior alio: hoc autem (inquit S. Doctor) magna eſſet confuſio, & deordinatio. Qualis? Quod æquè dignus vnus ſit, ac alter: quod æquali omnes homines præmio potirentur: quod nullus alium in honore, & dignitate antecelleret, quo nihil monſtroſius in republica eſſe poteſt, & quod magis in eius excidium, & ruinam vergat: *Eſſent enim omnes homines æqualis dignitatis*. Nulla enim diſciplina poteſt ſeruari, vbi omnes æquali præmio honorantur, nulluſque alium præcedit. Hoc (inquam) charitas abnuit. Vndè dicebat de illa Apoſtolus. 1. Corint. 14. verſ. 40. *Omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant in vobis*. Ad quę verba D. Chryſoſt. hom. 38. pulchrè commentatur. *Nihil æque ædificat, vt ordo rectus; ſicut etiam contrarius diruit: ſiue in choro, ſiue in nauigio, ſiue in curru, ſiue in caſtris ordinem confundas, & maioribus ſuo loco eiectis, in illorum ordinem minora induxeris, omnia corrumpis, & ſic quæ ſunt ſuprà fiunt infra*. Vndè Sponſa de hoc maximè gloriabatur, quod omnia ordinata haberet charitate. *Introduxit me Rex in cella vinaria, & ordinauit in me charitatem*. Cantic. 2. verſ. 4. Quæ (inquiro) hæc fuit ordinatio? Auſculta D. Bernard. ſerm. 10. *Etenim in benè effecta mente non dubium, quin dilectioni hominis Dei dilectio præponatur, & in hominibus ipſis perfectiores imperfectioribus: cęlum terræ, æternitas tempori, anima corpori &c.* Summa enim æquitas non æquitas, ſed iniquitas eſt: ſumma iuſtitia iniuſtitia ſumma: nam pro inæqualitate meritorum præmia largienda, & menſuranda ſunt.

3. Exijt Agar triſtis è domo domini ſui Abraham ad viam, & exilium male parata, quandoquidèm panem tantùm, & aquam ſecum deferebat. *Tollens panem, & vtrem aquæ* inquit text. Gene. 21. verſ. 14. Si Patriarcha diues erat valdè, cur ſic è domo abire ſiuit ancillam? Nonnè pium erat, vt aliquid tribueret, quo peregrinationis triſtitia dulceſceret & mœrorem abſentię temperaret? Rectè D. Maximus (homil. in illud Iſai. cap. 1. *Caupones tui &c.*) huius euentus aſſignat cauſam. *Rectè vitæ ſynagoga alimenta non accipit: quia vitam, quæ eſt Chriſtus, ignorat*. Gerebat Agar ſynagogæ figuram: & cum hæc adeò ſit cæca, vt Chriſtum non agnoſcat, non æquum eſt, vt delicioſæ epulæ, quibus viuat, ipſi tribuantur; quia non magis meretur quam panem, & aquam, non ampliùs illi concedatur, Vitam ignorabat, & vbi ignorantia viget, exiguum eſt meritum, proindeque exiguo munere recompenſandum: hoc enim charitas exigit, expoſcit ratio. Cum ſingula à ſe creata expenderet Deus ſingula quidem bona eſſe vidit. *Et vidit Deus quod eſſet bonum*. Geneſ. 1. verſ. 13. At perfecto, abſolutoque ſex illorum dierum opere, cum ſimul cuncta compoſita, ac debito ordine diſpoſita aduerteret, ea non bona duntaxat, ſed valdè bona eſſe reputauit. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*. Ibi cur quæ in ſua ſpecie bona tantùm videbantur, in aliorum conſortio valdè bona videntur? Quia videlicet in omnibus Dei operibus ordo quidem, ac diſpoſitio mirabilem continens pulchritudinem, & ornatum elucet: nam cœleſtia corpora, vtpotè perfectiora, ſupremam mundi ſedem occupant: terra quia inter elementa dignitate eſt inferior, in infima totius vniuerſi regione ſubſedet: aqua quia minus rudis, præſtantiorem habet locum: tertiò ſequitur aer duobus prædictis elementis excellentior! tandem ignis omnium elementorum perfectiſſimus ſupremum locum iuxta cœleſtem ſphæram ſibi meritò vendicauit. Hinc mirabilis vniuerſi reſultat pulchritudo: quia niſi cuncta ſuo ordine conſtarent, non niſi confuſum chaos appareret: nam vbicumque inferior æquat, aut præponitur ſuperiori, tota inuertitur politia, & rationis dictamen confunditur. Hinc vbi in Thabor exundanti gloria allectus Petrus dixit: *Faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum*. Marc. cap. 9. v. 5. addit Euangeliſta: *Neſciebat quid diceret*. verſ. 5. In quo Petri fuit ignorantia, vt palam de illa reprehendatur? D. Chryſ. hom. 10. in Mar. *Non enim ſciebat quid diceret, cum Dominum cum ſeruis æqualiter honoraret*. Et Paulò ante. *Quando inæquales æqualiter honorantur, maioris iniuria eſt*. Præſtaret potiùs beneueritos impræmiatos relinqui, quam indignos cum ipſis æqualiter honorari: quia hoc in totius reipublicæ redundat perniciem, & in meritorum iniuriam. Præſagiens Iſaias ſtabilem Eccleſiæ fortitudinem aiebat cap. 60. *Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent*. Cur filiæ in ſino fouentur, & honorabiliùs quam filij tractantur? Optimè ibi Oleaſt. *Docet in Eccleſia non omnes eodem modo eſſe tractandos; ſed vnumquemque iuxta vires ſuas: filij enim de longè veniunt, neque tam delitioſè portantur: ſed filiæ in ſinu, & abſque vlla moleſtia à matribus deferuntur*. Qui à matre nunquam receſſit, ſed obſequia, & ſeruitia præſtans ſtetit à latere, magis honoretur, quam qui à longè venit. Qui pro bono Reipublicæ. communitatis, aut Religionis indefeſsè continuò laborat, æquum eſt, vt præſtantioribus potiatur honoribus. Hoc (inquam) artificium eſt amplificandi poteſtatem munera largientibus. Multoties Deus Deus Abraham, Deus Iſaac, & Iacob nuncupatur. Sic ad Moyſem Exod. 3. verſ. 6. *Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob*. Et ſimiliter Lucæ. 20. Vbi dubitat D. Chryſ. an hæc ſpecialis nuncupatio, & inclinatio Diuinæ voluntatis, quæ Deum ſingulariter attrahit ad vnam gentem, illum faciat ab alijs alienum. Valdè reſtringitur, Dei principatus, valdè eius dominium minuitur, ſi ad Hebræam tantùm

tùm

Digitized by Google

tùm gentem vnicè eſt addictus; imò verò eo ampliſſimè quaſi dilatatur eius poteſtas. Bellè Chryſoſt. *Sic et Deus ſpecialiter ſe horum Deum dicebat, non coarctando eius dominium, ſed ampliando.* Superioris namque ſpecialis gratia plus merentibus impenſa ingenium eſt amplificandi principatum, & artificium dilatandi dominium. Vbi merita ad bilances deueniunt, & pro inæqualitate meritorum remunerationis inæqualitas videtur, nulluſque conqueritur, aut de non ſibi collato munere, aut de exhibito non merenti, non ſolùm roboratur ſtatus reipublicæ, ſed ampliatur remunerantis dominium.

DISCVRSVS XXI. MORALIS.

Non Deus punit, vt interimat: ſed vt illuminet.

1. VBi noſtra Vulgara hic verſ. 12. habet: *In luce ſagittarum tuarum ibunt.* 70. vertunt. *In luce iacula tua ibunt.* Quæ Hieronym. rectè expendit. *Iacula Dei, id eſt, ſagittæ euntes, atque pergentes non ad hoc mittuntur, vt interimant, ſed vt illumineut.* Flagella, quibus verberamur, non in vitæ detrimentum, ſed in animæ vtilitatem nos vexant; non ſanguinem, ſed lucem afferunt. Vndè Seneca congratulabatur Marciæ, quod aduerſas fortunas, & calamitates, quas Scipiones fortiſſimi fuerunt perpeſſi, in ſe ipſa experiretur. *Iam tum fortuna in gratiam Marcia reuerteris: ſi tela, quæ in Scipiones, Scipionumque matres, ac filios egit, quibus Cæſares petijt, nec à te quidem continuit.* De conſolat. ad Marciam cap.16. Quod ſi infortunia perpeti beneficium eſt: quam maximum erit beneficium manum Dei flagellantem ſuſtinerei Quandòquidem ex illa lux oritur, & mentis tenebræ relegantur. Sic poſt impendentiam ſuppliciorum ruinam, quibus populum ſuum minitabatur Deus, concludit. *Et ſcient, quia ego Dominus.* Ezechiel. 7. verſ. 7. Cur non ipſos ſuppliciorum pondere obruere, & in nihilum redigere minatur, vt formidine ſaltem pœnæ metuerent peccare? Quid quod Deum poſt inflicta verbera agnoſcant? Hoc, inquam, ait Hieronym. Deus ex fulminatis prætendit ſupplicijs. *Et ſcient, quia ego Dominus. Qui verſiculus frequenter in hoc Propheta ponitur, eo quod ſupplicia atque cruciatus ſequatur ſcientia Dei: vt quem non intelligebant per beneficia, per tormenta cognoſcerent. Et ſcient, quia ego Dominus.* Non enim Deus percurit, vt percutiat, ſed vt ipſo percuſionis ictu excitentur, & inuigilent, qui vitiorum ſomno torpentes ipſum ignorabant: fulgura quæ mittit: vulnera afferunt, & lucem, vulneratque non vt ſauciet, ſed vt tenebras cordis abſtergat.

2. Semel, & iterum ex parte Dei admonitus Pharao, vt populum dimitteret, arroganter dicebat; *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.* Exod. 5. verſ. 2. At poſtquam plagis, & calamitacious fuit percuſſus, larentem Dei manum agnoſcens dicebat ad Moyſem. *Ego dimittam vos, vt ſacrificetis Domino Deo veſtro in deſerto verùmtamen longiùs ne abeatis, rogate pro me.* Exod. 8. Cui res ſecundæ ſenſum ademerant, aduerſæ adeò reddiderunt, vt perfectus in Dei cognitione euaſetit: quod proſpera fortuna obcæcauit, illuminauit aduerſa. Quod pulchrè annotauit Origenes hom. 3. ad præcit. verba: *Ecce Pharao duriſſimis proficit verberibus. Antè verbera Dominum neſcit, quia ait. Neſcio Dominum; verberatus pro ſe rogat ſupplicari, & proficiens in pœnis, ſcit agnoſcere, cur puniatur.* Quod pulchrè ponderauit Theodoret. ad verba Danielis 4. *Senſus meus reuerſus eſt ad me.* Ad quæ ſic exſcribit. *Tantùm vtilitatis ex calamitatibus percipit, vt Prophetæ inſtar de Deo ſentiat, & loquatur.* Ita oculorum animi aciem cruciatus exacuit, vt ſenſum, quem in delicijs perdiderat, verbera reſtituanr, & perſpicuè ipſum percutientem agnoſcat. Haud aliter dæmon aliqualiter æternis cruciatibus emendatus Dei Filium agnoſcebat Chriſtum Dominum. *Tu es Filius Dei viui.* Marc. 5. verſ. 12. vbi Origenes. *Nemo igitur ita ineruditus ſit Diuinæ diſciplinæ, vt flagella Diuina perniciem putet, & pœnalem interitum.*

3. Auarus ille Epulo medijs conſtitutus in flammis validiſſima voce clamabat ad Abrahã. *Pater Abraham mitte Lazarum &c.* Luc. 16. verſ. 12. Abrahamum à longè Lazarumque proſpexit, quem propè in menſa atque in delicijs non agnouerat. Quo pacto quem vix inſenſis oculis in terra iacentem inſpexerat eleuatum in cœlis, & in ſinu Abrahæ recumbentem ad tam longum interuallum agnoſcit? Rectè Euthymius. *Vide quomodò eum ſapere fecit cruciatus: quem enim ipſe propè iacentẽ deſpexerat, hunc cominùs acutè videt.* Quem liuor inter delirias, & guloſas dapes obcæcauerat, vexario excitauit, & acutiſſimos ipſi lyncis oculos præſtitit: enimuerò Dei ſupplicia oculatiſſima, & lucidiſſima ſunt, palpebrarumque impedimenta abſtergunt. Vndè ad meliorem frugem miſerum illum debitorem reduceret, qui decem millia talenta debebat cum rationem redderet infidelem, *Iuſſit eum Dominus venundari.* Matth. 18. verſ. 25. Cur potentiſſimus Dominus in hunc miſerum tanta ira excandeſcit, vt ipſum, ac liberos, & mulierem venuudari præcipiat, vt quod fraudulenter ſubripuerat, ſoluat? Auſculta D. Chryſoſt. *Non ex crudelitate, ſed ex incredibili in eum cura: volebat enim eum huiuſmodi terreri minis, quò ad ſibi ſupplicandum excitaret.* Magna erga ipſum vſus eſt pietate, vt quod indulgentia ipſi offecerat, pœna curaret.

4. Inter

4. Inter alia, quæ Chriſtus Dominus diſcipulis ſuis prædicaturis præbuit ſubſidia, illud mirabile eſt, quod ipſos tanquam oues inter lupos mittat. *Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum.* Matth. 10. verſ. 16. Qui de ſe ipſo dixerat Ioan. 10. *Ego ſum paſtor bonus*. Quomodò ſimplices oues inter truculentos lupos mittit? Vt quid ſe bonum paſtorem prædicat? Nam bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis, dies noctesque excubat, ne mala beſtia in gregem irruat: quod ſi irruat, inuadit ipſe alacer, & proprio periculo redimit ouium diſcrimen. Quandò bonus paſtor oues dimittit lupis, vt ex commiſſo ſibi grege exubias referant? At ea eſt perſecutionis, & calamitatis ſecuritas, & vtilitas vt verè bonus paſtor Chriſtus periculis paſcat, & ſaginet gregem ſuum, perſecutionibuſque felicitet, & vel ipſis lupis ſeruet incolumem: nam calamitas ſecurior tutela eſt, quia peccata expellit, ſanctitatem conciliat, & homines ad Deum traducit. Vndè ipſe Dominus hoc artificio illos ad ſe reuocare gloriabatur. *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis*. Oſeę 11. verſ. 4. id eſt, in doloribus, & afflictionibus, quas à parente ſuo Adamo hæreditarunt. Hi enim ſunt mei erga illos amores, hæc vincula, quibus ſoleo ad me illos allicere. At quinam illi fuerunt funiculi, quibus Deus Adamum deuinxit? Crediderim inflicta poſt peccatum flagella: ipſum enim poſt commiſſum crimen à paradiſo voluptatis eiecit, vt ſuæ emendationi conſuleret. *Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis*. Geneſ. 3. verſ. 23. Magna Dei fuit miſericordia hominem lapſum à loco delitiarum extrahere, atque laboribus, & ærumnis addicere: nam in ipſo voluptatis loco nunquam pœnitentiam ageret. *Vtiliter ſepè deſerimur, & dum corripimur emendamur. Acturus pœnitentiam de loco voluptatis Adam educitur. Quia voluptas, & luctus non benè cohabitant, nec delitię, & religio ad inuicem complectuntur*: ità ponderauit Arnold. tract. de oper. ſex dierum. Similes Ioab ſumus, qui non niſi ſuccenſo eius agro Abſalonis imperium accedere voluit: aut infirmis, qui non niſi vrgenti febri medicum aduocant. Ex ſupplicijs enim ſemper proficimus, & ad meliorem fortunam traducimur. Idque nobis accidit quod dicebat Seneca Epiſt. 91. *Sæpè maiori fortunæ locum fecit iniuria: multa ceciderunt, vt altiùs ſurgerent, & in maius. Timagenes felicitati vrbis inimicus aiebat: Romæ ſibi incendia ob hoc vnum dolori eſſe, quod ſciret meliora reſurrexiſſe, quam arſiſſent*. Etenim ex liuore fratrum contrà Ioſeph, & perſecutione ipſe ad altiorem fortunam fuit euectus: labores enim, & calamitates vehunt, dum vexant, & quos percutiunt illuminant: quia Deus non ipſorum ruinam, ſed emendationem intendit.

DISCVRSVS XXII. MORALIS.

Superiorum vita adeò eſt detractionibus obnoxia, vt omnium oculi ad ipſorum manus attendant.

1. NOn ſolùm magna ſeruitus eſt magna fortuna, ſed & miſeria magna: nam nihil Superiori licet. Vndè dicebat Seneca de conſol. ad Polouium cap. 26. *Cæſari quoque ipſi, cui omnia licent, propter hoc ipſum multa non licent*. Omnium cenſuræ obnoxia dignitas eſt, omniumque Superior ſubditorum oculos in manibus portat, quia omnes attentè illas reſpiciunt, vt ipſorum defectus detractione commaculent. Chiromantici omnes ſubditi videntur, dum manuum inſpectione Præſulis inclinationes rimari procurant: quare ipſas habere mundas oportet, vt inferiorum præcaueatur malitia, ne eorum lingua pruriat, vel leuiſſima negligentia, & vt aſſolent, manuum motus inique iudicent malitioſa curioſitate, & perſpicaci ſagacitate eas obſeruent, ac venenoſo dente mordeant, & lacerent criminosè obmurmurantes. Multi ipſorum per commendabilia non attendunt: at errores nullus non obſeruat. Mille oculis, & totidem auribus ſe parat curioſitas, vt vel ſecreta penetret cordis. Meritò petra illa quam vidit Zachar. cap. 3. verſ. 9. oculis plenam, Superiorem deſignabat. *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt*. Omnium ſubditorum oculos ſuper ſe portat Superior, cuius manus muſicæ regimen fert, & niſi concinnè ſignauerit, diſſonantiam omnibus erit nota, quia omnes motibus manuum attendunt: exindèq; illas expedit habere mundas. Præcepit Deus Moyſi (Exod. 3.) Ægyptum adire, vt populum à dira captiuitate liberaret: eum Principem, imò & Deum Pharaonis conſtituit: excuſaut Moyſes, & ſigna Deus tribuit, vt legationem non formidet. Primò virgam in terram proiecit, quæ in colubrum verſa, cum eam reaſſumeret, in virgam reuerſa eſt. Secundò manum in ſinum mittit, eamque leproſam extraxit, quæ ad ſinum reuerſa mundata eſt. *Mitte manum tuam in ſinum tuum: quam cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis. Retrahe* (ait) *manum tuam in ſinum tuum: retraxit, & protulit iterum, & erat ſimilis carni reliquæ*. Exod. 4. verſ. 6. Tertiò aquas virga tetigit, & in ſanguinem conuertit. Pergit Moyſes in Ægyptum his ſignis munitus, & cum ad Pharaonis præſentiam deueniſſet, primum fecit miraculum, virgam in ſerpentem conuertens, & omiſſo ſecundo, tertium operatur, aquarumque fluenta in ſanguinem tran-

tranſmutat ? Iam ergò dubitabis, cur ſicut Deus præceperat, non manum mittit in ſinum, vt eam priùs leproſam oſtendat, & poſteà à lepra mundatam? maximè cum Pharaonis peruicacia repetita poſtularet portenta, vt populum dimitteret ? Fortè inſtructionem deperdit Moyſes, aut illius non recordatur, quod iniunctam ſibi miraculorum ſeriem peruertit ? Non (inquam) ait Abulenſ. ſed ſolerter, & ſtudiosè ſignum lepræ manus omiſit. Quare: cum in illo maximè omnipotentia Dei oſtendatur, & ipſius authoritas commenderur? *Ne leproſus videretur* (inquit Abulenſ.) Præſul. Quaſi dicat? Agnoſcebat ſe Moyſes Principem, & Superiorem Pharaonis conſtitutum, ſciebat ſubditorum eſſe vitium, Superiorum manus attentè inſpicere, & malitiosè inueſtigare: igitur manus leproſa non appareat: nam quid manus non munda exiſtimationis Superiori poteſt afferre? Prudenter ergo caüet Moyſes, ne dum mandata Dei exequitur, perſonalem authoritatem, & honorem amittat, qui ſuo muneri neceſſarius erat: nam puritas manuum, in quibus integritas morum adumbratur, à Superiore non debet recedere: quandoquidem ſubditorum oculos in manibus portant, qui ipſas malitioſo intuitu ſunt intenti: hæc enim eſt miſera Prælatorum conditio, omnium oculos ad ſe inflectere, & omnium curioſitati exponi.

2. Cum Chriſtus Dominus deuicta morte ad cœlos remeaſſet nobili triumpho coronatus, quaſi ignotus Rex à cæleſtibus aulicis excipitur. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Pſalm. 23. verſ. 10. Ac ſi naturam ignoraſſent, in qua aſcendebat, & vulnera, quæ in certamine inito cum callido hoſte acceperat, ſic ipſum interrogant Zachariæ 13. verſ. 6. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Non vacat myſterio, quod cum Chriſtus Dominus vulnera non tantùm in manibus, ſed in latere etiam, & pedibus detuliſſet, de plagis dumtaxat manuum admirentur, & interrogent: quaſi hæc ſola vulnera aduerterent, & de illis doluiſſent. Non hæc Angelorum ignorantia cenſenda eſt, ſed more ſe geſſiſſe humano credendum: videranr enim ſuum Principem ad propria reuertentem, & cum primò eum tanquam Regem ſalutant, & excipiunt, vt ſubditos ſe fateantur, manus attentè inſpiciunt, nam hoc ſubditorom ingenium eſt, Superioris manus ſolicitè ſpeculari. Licet Chriſtus Dominus alia ſecum vulnera detulerit, illaque præ oculis haberent, ea vidiſſe tacetur, quaſi omnium oculos, & attentionem manus tantummodò rapuiſſent: quia ille eſt ſubditorum mos, oculis vigilantibus dominantis manus ſcrutari. Semel Scribi, & Phariſæi legis, & obſeruantiæ zelo armati ad Chriſtū acceſſerunt (Matth. 15. verſ. 2.) & vaferrimè interrogant: *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Non enim lauant manus, cum panem manducant.* Leuiſſima tranſgreſſio (ſi fortè tranſgreſſio dicenda eſt) ritum amittere, qui in deſuetudinem abierat: & ſuperflua (inquit Chryſoſt.) illa, quam diſcipulis obijciebant. *Ideò autem diſcipuli non lotis manibus manducabant, quia iam ſuperflua deſpiciebant, ea ſolùm quæ ſunt neceſſaria attendentes.* Et nihilominùs quamuis Chriſtus Dominus doloſam Iudæorum intentionem argueret, non tamen approbat, quod diſcipuli illotis manibus comedant, neque apologiam pro ipſis facit. Quare? Quia ipſos Prælatos conſtituere decreuerat: vt autem cautiores fierent, & ſubditorum ingenia vehementer ad Prælatorum manus attendentia, & minutiſſimos motus obſeruantia oſtenderet, manus illotas in diſcipulis non approbat: ſed tacitè quaſi conſentit accuſationi, vt deinceps cautelosè procedant, arbitrantes manus omnium oculis obnoxias habere, quandoquidem cęremoniali lotioni vſu abrogatæ, & nollo præcepto iniunctæ non parcunt: ſed criminosè eos inſimulant. Fortè Cherubini Ezechieli demonſtrati, qui currum gloriæ Dei deferebant, & Superiores adumbrabant, cautè manus ſub alis abſcondunt, ne cenſuræ pateant, ſed murmurationem ſubterfugiunt.

3. Poſtquam Chriſtus Dominus in nocte cœnæ Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, diſcipuloſque Sacerdotali dignitate inſigniuit, vt infandum proditoris facinus aliquo modo demonſtraret, dicebat: *Veruntamen manus tradentis me mecum eſt in menſa.* Lucæ 22. v. 21. Mirùm eſt, quod vt perfidum diſcipulum deregat, ad ipſius manus tantùm attendat. Nonnè proditoris totum ibi corpus aderat? Cur tantùm de manibus illic eſſe affirmat? Fortè, quia non totus Iudas ibi aderat: cor enim, vt Magiſtri traditionem moliretur abſens erat: quod non paucis accidit, nam ſæpè eos alunt, & inuitant, qui corda in eorum proditionem trahunt, cum manus duntaxat ad menſam, vt potiorem prædam accipiant, habeant. Cur igitur Dominus manus Iudæ tantùm in menſa adeſſe affirmat, cum & ipſe totus ibi extitiſſet? Ingeniosè Theodor. *Vt oſtendat proditoris nequitiam, qui & conuiua fieri non erubuit.* Quaſi dicat: Licet Chriſtus ſcientia infallibili Iudæ proditionem agnoſceret, vt experimento tamen humano id etiam didiciſſet, & diſcipulis innoteſceret, ad eius tantùm manus attendit, & prodirorem eſſe, atque à Sacerdotali, & Apoſtolatus dignitate, quam poſſidebat, aberraſſe perſpicuè deprehendit: ea enim conſuetudo hominum eſt, manus dignitatem habentis inſpicere, & ſecreta cordium rimari. Quod & ipſe Dominus iterum repetiuit, dum ait: *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet.* Matth. 26. verſ. 23. Vt diſcipuli proditoris ſigna daret, ad ipſius manus attendere ſuggerit, quod fuit quaſi digito eum demonſtrare, & manuum aſpectu eum detegiſſe: quia in ipſis vel minimos de-

Zzz ſectus

fectus ſubditi agnoſcunt, & criminosè culpant. Vndè Sol, qui viua Superioris eſt imago, miraculosè hic ſtetiſſe dicitur, vt omnium oculos in admirationem raperet. *Sol, & Luna ſteterunt in tabernaculo ſuo*. Hic verſ. 11. Sic etiam cum ipſe Sol eclipſim patitur, quia defectus quidam eſt, etſi inculpabilis, omnes illi attendunt, omnium oculos ad ſe aduocat, & quæ beneficum, & recta operantem vix in vitæ curriculo aſpiciunt, deficientem, & eclipſi laborantem aſſiduè intuentur, vt ipſius notent defectus: quod pulchrè obſeruauit Seneca. *Nemo reſpicit Solem, niſi cum deficit*.

DISCVRSVS XXIII. MORALIS.

Obduratio peccatoris Deum quodammodò fatigat.

1. NOn ſolùm malitia humana cum Diuina bonitate audet contendere, ſed ipſam ſuperare ſatagit. Obſtinatus in parcendo Deus, obſtinatus in delinquendo homo decertant, & impotenter humana temeritas Deum fatigare procurat, & ſua imbecillitate vires Diuinas frangere tentat, & quodammodò illas fatigat. Poſt viſibilis vniuerſi conditionem, quam Deus ſex dierum ſpatio perfecit, ſeptimo ab opere iam concluſo quieuit. *Requieuit Dominus die ſeptimo ab omni opere, quod patrarat*. Gen. 2. verſ. 2. Quid? Creationis opus Deum fatigauit, quod ab illo quieſcere opus fuit? Qui ſolo oculorum nutu cuncta indefeſsè creauerat ex nihilo, quiete indiget, & leuamine, quaſi humanæ imbecillitatis infirmitatibus eſſet obnoxius: Pręterquamquòd ſi quieſcere erat neceſsè, prętaret interpoſita mora labori, ad cuiuſcumque diei opera, & exercitium aliquantulum quieſcere. Vt quid igitur requiem in diem ſeptimum diſtulit? Eximiè D. Ambr. hic. *Fecit Cælum, & non lego quod requieuit: fecit terram, Solem, Lunam, & Stellas, & non lego quod requieuerit; ſed lego quod fecerit Hominem, & tunc requieuit, habens cui peccata remitteret*. Indefeſsè Deus cuncta condiderat, quę ſextum creationis diem pręceſſerant: at ſtatim, ac hominem creauit, leuamine indiguit, quia iam habebat concertatorem, & cui peccata remitteret: obduratio enim, & hominis peruicacia remiſſioni, & indulgentię Dei, in qua ipſe requieſcebat, ſeſe quodammodò opponebat, & delinquendi audacia ipſum fatigabat, ità vt requieſcere eſſet opus. Eo modo, quo requies in Deum metaphoricè cadit, & fatigatio etiam cecidit: quia vltrà vires audet humana malitia, & quaſi ab imbecillitate vires mutuatur, quibus Diuinam bonitatem ſuperare tentat. Vndè Eccleſiaſt. 39. verſ. 24. monens Deus peccatorem obſtinarum dicebat: *Miſerere animæ tuæ*. Quæ verba egregiè Saluian. expendit: *Miſerere* (inquit) *animæ tuæ, & miſerere etiam illius cuius vides miſeratione me frangi: miſerere illius tandem, cuius miſereor ego ſemper: miſerere tuæ animæ, cum miſereri me cernis alienæ*. Quaſi dicat: Si non miſereris animæ tuæ, miſerere ſaltem laborum, diligentiarum, ac fatigationum, quas ſubit Deus, vt te à peccatis reducat: ne temerè, & malitiosè me ęmuleris, & fatigare prætendas. Vel mihi parce labori ſuccumbenti: ne vltra id, quod potes, Audeas.

2. Lucæ 15. verſ. 20. ad domum patris reuertitur filius ille nequam fame, & nuditate compulſus, & quem ſaturitas à paterna domo eiecerat, inedia reuocat: exit in occurſum pius pater, & redeuntem filium in ſinu fouet, & perhumano excipit hoſpitio. *Cum adhuc longè eſſet, vidit eum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum*. Non miror, quod Deus peccatorem contritum recipiat, & amplectatur; ſed valdè miror, quod ſuper peccatoris collum cadat: hoc enim imbecillitatis eſt argumentum. D. Auguſt. lib. 2. quæſt. in Euang. cap. 32. ſic euentum exponit. *Quid eſt ſuper collum cadere, niſi inclinare, & humiliari in amplexum eius brachium ſuum, quod eſt Chriſtus*? Optimè hic Incarnationis Sacramentum rimatur Auguſt. Sed magis nunc arridet mens D. Chryſoſt. hom. de 2. filijs: *Venientem filium* (inquit) *clementer ſuſcipit pater, & accurrens ſalutat, & gratulans oſculatur, & incumbens requieſcit*. Preme hæc vltima verba, *Et incumbens requieſcit*. Putaſne, filium, qui pedibus, & famelicus veniebat, potiùs requie indigere, quam patrem? Falleris: magis enim pater requie indigebat. Magis Deus fatigatur, vt nos ad ſe reducat, quam nos, dum ad illum pergimus. Peccatoris obſtinatio vires Deo laſſat, quia ipſum irrequietum reddit, vndè ſupra collum ad ſe venientis filij cadit, vt à labore requieſcat, vireſque reaſſumat. Temerario auſu cum Diuina pietate filij deperditi impietas decertabat, ipſiuſque peruicax obſtinatio patris vires fregerat, & ipſe, quem recipit, filius patris reclinatorium eſt, vbi accumbens requieſcit. Sic Ioan. 4. Samaritidem inſectans fatigatur Chriſtus, & feſſus recumbit. *IESVS ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem*. Vbi D. Chryſoſtom. in Catena adductus *Seſſio propter laborem facta eſt*. Ob peccatricis obſtinatam proteruiam ſic laborauit, vt labore laſſus, & quaſi deficiens ſederet ſupra fontem. O ſi à peccatis abſtineremus, vel vt Deus aliquo modo requieſcat. Ne ſaltem Deus inſudet, & labore fatigetur, à peccato ceſſare debet homo.

3. Malach. cap. 2. verſ. 18. iniquitatem populi,

puli, & peruicaciam reprehendens dicebat: *Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris.* Id ipſum Iſaias dixerat c.43.verſ.24. prçclarè vertunt, *In peccatis tuis Hyparas piſtes tuus fui.* Hyparas piſtes propriè eſt ſatelles, & propugnator, qui obiecto clypeo alium tegir in periculo poſitum, & laterum ſuorum expoſitione; defendit. Ait ergo Malachias: *Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris.* Hactenùs beneuolentiæ ſuæ ſcuto, & miſericordia vos defendit, & oppoſuit ſe fulminantis vibrantiſque iuſticiæ ictibus, vt tela in ſe contorta ſuo corpore exciperet, ac retunderet; nunc verò *ſermonibus veſtris* in horrifica illa blaſphemia, qua Diuinæ Maieſtatis gloriam petulanter minuiſtis, laborare feciſtis illum: vel vt Atias Montanus vertit: *Fatigaſtis, & delaſſaſtis Dominum.* Tanta eſt ſceleris magnitudo, & obduratio, vt laſſus in protegçudo laboret Deus, iamque illi clypeus de manibus fluat, voſque nudos, & deſertos relinquat ſupplicijs immanibus obiectos. Sic vobis vires auget diabolus, vt ſaltem in vobis ſuam pertinacem contumaciam exequatur: nam criminoſus homo diabolicam audaciam adimpler. Vndè S.Greg.Nazianz.or.1.de Iuliano Apoſt. dicebat: *Nec verò ſupremum bellum extimeſco, nec belluam illam aduersùs Eccleſias excitatam ſpiritus impuri ſupplementum.* Flagitioſum hominem (qualis erar Iulianus) dęmonis ſupplementum vocat Nazianz.quaſi homo peccator ſuppleat vires ſpiritualis nequitię, & quod diabolus non prçſtitit, quia vires protegentes Diuinas non potuir conterere, prçſtet criminoſus homo, qui Deum fatigare auder, & arroganti temeritate cum Diuina bonitate decertar, ita vt Deum à labore quieſcere opus ſit. Vndè quaſi Sol Diuinitatis imago, qui irrequieto motu terras luſtrar, & peccatoribus oritur, requie indigeret, ſiſtitur, vt à quotidianis curſibus aliqualiter quieſcat. *Sol, & Luna ſteterunt in tabernaculo ſuo.* Hic verſ.11.

DISCVRSVS XXIV. MORALIS.

Eccleſiæ Catholicæ fortitudo ſemper inuicta, eo quod vnico eius innitatur Sponſo.

1. SOlemne eſt in ſacris litteris Catholicam Eccleſiam Lunæ conferre: vndè meritò ſtante Sole, in quo Chriſtus perhibetur, Luna etiam ſiſtitur, & ſtat. *Steteruntque Sol, & Luna in habitaculo ſuo.* Hic v. 11. quia à conſortio Chriſti Eccleſia ſtabilitatem, & fortitudinem mutuat, neque ipſi innixa vnquam poterit vacillare. At cur in Luna, quæ menſtruis modularionibus, quotidianiſque incrementis, & dęcrementis variatur, fortitudo Eccleſiæ, quę columna, & firmamentum veritatis à Paulo nuncupatur (cap.1. epiſt. ad Timoth.) figuratur? Auſculta D.Auguſt. tom.6. cap.27. *Eccleſia* (inquit) *Lunæ ſimilis eſt: ſi quis nouam Lunam primo, & ſecundo die non vider, dignus eſt venia; qui autem iam plenam non vider, cæcus eſt.* Sicut enim Luna, quæ initio tenuis, & exigua apparet, in dies creſcit, quouſque plena ſit, ſic Eccleſia initio quidem exigua fuit (vt patet Actor.1.) tota ferè intra cęnaculum continebatur, nec dum infra fines vnius ciuitatis: ab his autem egreſſa anguſtijs ita creſcere cœpit, & ita propagata eſt, vt à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis rerrarum iam ſit extenſa. Qui exiguam illam, & orientem non videbant, aliquali erant venia digni; qui plenam, ſanè cęci, & ſine menre ſunr. Sed ad noſtram theſim egregiè D.Ambr. (ad illud Geneſ. 1. *Fiant luminaria magna &c.*) Eccleſiam inconcuſſam, & indeficientem ſtabilitatem in Luna agnoſcit. *Meritò* (inquit) *Eccleſia Luna comparatur: nam ſicut Luna luminis imminutionem habet, non corporis, ita vt videatur deficere: ſed non deficiat: ſic & Eccleſia tempora ſua habet perſecutionis, & pacis: obumbrari poteſt, deficere non poteſt: aliquorum quidem in perſecutionibus diſceſſione minuitur: ſed in Martyrum confeſſionibus impletur, & maiora deuotionis, & fidei toto orbe lumina effundit, effuſo proximo ſanguine, clarificatæ victorijs.* Chriſto enim innixa nulla perſecutione, nullaue procella poteſt concuti, quia omnes in hoc vnico fundamento frangunrur, & ædificium ſupra illud extructum firmiter ſtabilitur. Vndè de ſeipſo dicebat. *Me inſulæ expectabunt, & brachium meum ſuſtinebunt.* Cur non dixit Sponſus. Me Eccleſia, aut gentes expectabunt, quandoquidem omnes ipſius flagrabant deſiderio: ſed *Me inſulæ expectabunt*? Cajet. tractans de indulgentijs ſcitè paritèr, & acutè Chriſtum Dominum Eccleſiæ Catholicæ ſuppoſitum appellauit, quoniam ſicut ſuppoſitum ſuſtentaculum eſt naturæ, illamque reddit alijs ſuppoſitis incommunicabilem: ſic Chriſtus Eccleſiam ſibi dilectam ſuſtentat, illamque incommunicabilem alijs ſuppoſitis reddit: quia nullus error in illam poteſt irrepere: proindèque firmam, & ſtabilem, velut inſulam, quæ nulli alteri adiacet terræ, eam ſuſtentat.

2. Eadem ratione inſulis comparatur Eccleſia Iſaiæ 41.verſ.1. *Taceant ad me inſulæ.* Et Pſal.96.verſ.1. *Lætentur inſulæ multæ.* Sic prçcitata loca interpretantur D. Auguſt. D. Hieron.Cyrill. Theodoret.Procopius, & alij. Vbi meritò ambiges, cur non potiùs cum firma, & ſtabili terra conferatur Eccleſia, quàm cum inſula, quæ maris fluctibus continuò expoſita ſemper ipſius inconſtantiam patitur. Concinit

D. Hieronym. exiſtimans ſicut inſulas in medio mari, ita Eccleſias in medio ſęculo poſitas eſſe, & ſicut illas fluctibus, ita has perſecutionibus agitatas. *Verum* (inquit) *iſtæ inſulæ tunduntur quotidiè, ſed non ſubruuntur: quia habent fundamentum Chriſtum, qui moueri non poteſt.* Quò plus infideles blaterantes larrant: eò magis illuſtratur, & ſtabilitur Eccleſia. Sic vbi Iudæi paralyticum portantem lectum viderunt, Sabbatum violare accuſabant. Ioan. 5. verſ. 10. *Dicebant ergo Iudæi illi, qui ſanatus fuerat. Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Cur permittit Chriſtus hanc Iudæorum reptehenſionem, neque eorum obrundir ora? Optimè Maldonat *Fecit enim ſtulta reprehenſio, vt miraculum, quod paucis videntibus factum fuerat, in totam, dum reprehenditur, ciuitatem diuulgaretur.* Sic quò magis hæretici, quò magis inuidi Eccleſiam, & ejus doctrinam obſcurare nituntur, eò magis nolentes exaltant, & abnuentes illuſtrant: quia Chriſti firmata fortitudine nullo poteſt impetu quaſſari.

3. Præclarè hanc Eccleſię firmitatem oſtendit Deus Iob cap. 38. verſ. 31. vbi inter alia, quæ ſoli Deo reſeruantur, hoc ipſum rogat. *Nunquid gyrum arcturi poteris diſſipare?* At cur potiùs arcturo, quam cæteris empyrei ſtellis Eccleſia comparatur quandoquidem omnes in ſuo ordine, lucent, & ex illarum numero plurimæ arcturum in ſplendore ſuperant? Opinor, quia reliqua ſidera mobilia in firmamento ſunt, & quotidianis cœli curſibus oriuntur, & decidunt, ortum, & occaſum recognaſcunt: at verò arcturus fixus ſemper permanet, nunquam ad occaſum pergit, & immobiliter ſupra ipſum tota cœli machina voluitur. Vndè Poeta 2. Georg. immortalem ipſum nominauit. *Axis inoccíduus &c.* Omnes ſectæ vel extinguuntur, vel mobiles, & variæ ſunt, & randem extinguendæ; Eccleſia verò Catholica veluti arcturus immobilis irradiat: & irradiabit ſemper. Vndè elegantèr D. Hilar. de Trinit. *Hoc Eccleſiæ proprium eſt, vt tunc vincat; cum læditur: tunc intelligat, cum arguitur: tunc obtineat, cum deſeritur. Dum opprimitur, creſcit: dum contemnitur, proficit: dum læditur, vincit? Dum arguitur: intelligit: tunc ſtat, cum ſuperari videtur.* Vel ab ipſo periculo ſecuritatem mutuat, ab ipſa mutatione firmitatem: ipſos offenſores lacerar, & repercutir. Idcircò Moyſi in deſerto degenti *apparuit Deus in flamma ignis in medio rubi.* Exod. 3. verſ. 2. Rubus, qui Dei habiraculum eſſe promeruir, & in cuius centro Diuinitas aderat, Eccleſiam referebat, cui Deus perpetuò aſſiſtere fuit pollicitus. Si autem inquiras, cur Eccleſia adumbretur in rubo: accipe Oleaſt. *Vt oſtendat, omnes, qui tetigerint eam, à ſpinis eius pungendos: nullus enim cuiuſcumque potentiæ, aut conditionis ſit, eam vnquam læſit, cui non maximas, & grauiſſimas pænas daret.* Hinc videns Moyſes, quod rubus inter flammas non comburebatur, & viriditatem ſeruabat, dixit: *Vadam, videbo viſionem hanc.* Quid miraris Moyſes? Deus intra arborem adeſt: idcircò licet igne ſit circundata, conſumi, nequaquam poteſt. Sic in medio Eccleſiæ adeſt Chriſtus, ſubindèque etſi ignis hęreticorum fremat, etſi infernales flammæ crepitent, ſemper viridis apparebit.

DISCVRSVS XXV. MORALIS.

Nihil gratiùs dulciùſue nboili Matronæ, quam in domo ſponſi ſui permanere.

1. IN ſolis habiraculo, & ſtarione luna cum ipſa ſtetir, ne ab iilius conſortio ſeparetur. *Sol, & Luna ſteterunt in tabernaculo ſuo.* Hic verſ. 11. quia ſole maritatam non decerer intra cubiculum cum ipſo non manere: nihil enim delectabiliùs ducit ducta vxor, quam intra domum ſponſi ſui adeſſe. Huc ferè omnium gentium collimauit mens, & ſtudium, vt mulieres domi continerent, à noxiaque euagatione reuocarent. Apud Synas etiam hodie neruus pedis elidirur puellis, ne à domo exeant,. & vagentur. Nicolaus Trixantins (de expeditione Chriſti) addit arctiſſimè faſcijs mulierum pedes obuolui, vt truncæ videantur, factumque eſſe, ne hùc arque illùc curſitarent. Hùc ſpectauit, & Phidias cum Helienſibus Venerem elaborauit, quæ teſtudinem calcaret, innuens mulieribus eſſe domum, nec vndique diſcurrere ipſis licere. Quod refert Cœlius Rodiginus lib. 10. lect. antiqu. cap. 3. his verbis: *Mulieres ſilentium, & domus cuſtodia decet: itaque Helientibus Phidias Venerem fecit, quæ teſtudinem calcaret, apertiùs implicantiùſque commonſtrans, eſſe mulieribus decoris, ædes cuſtodire, ac ſilentium: vxorum quippè ornamentum eſt, aut cum marito, aut per maritum loqui.* Idem, & Ægyptiorum more confirmat: ſubdit enim: *Nam, & Ægyptijs mulieribus inde vti calceis non fuit patrij moris, vt ita ſe domi continere quodammodò cogerentur.* Quod argumentum ex ſacris paucis illuſtro.

2. Cum Iacobus tabernaculum fixiſſet in terra Chanaan, nimia curioſitare ducta. *Egreſſa eſt Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius.* Geneſ. 34. At quid obſecro ex hac à paterna domo egreſſione reportauit? Sibi quidem ſpiritualem mortem Sichimitis verò etiã temporalem, & paternæ domui ingenrem iacturam: nam ea viſa, Sichen filius Hemor adamauit illam, & rapta, dormiuit cum ea, vi

oppri-

opprimens virginem, vndè bellum implacabile excitauit inter Iacobæam, & Sichimitam gentem. Pulchrè D. Hieron. hoc exemplo Virgines vrget ad manendum in ſecretiori domus cubiculo. *Semper* (inquit) *te cubilis tui ſecreta cuſtodiant, ſemper tecum ſponſus ludat intrinſecus: caue ne domum exeas, & velis videre filias regionis alienæ Dina egreſſa corrumpitur. Nolo te ſponſum quærere per plateas, nolo te circumire angulos ciuitatis. Zelotypus eſt IESVS, non vult ab alijs videri faciem tuam*. Pergit S. Pater, & Virgines prudentes a ſtultis euagatione diſcriminat. *Foris vagentur Virgines ſtultæ: tu intrinſecùs eſto cum Sponſo*. Etenim in Virginum parabola (apud Matth. 25.) Virgines fatuæ dum extra domum vagantur, & errant excluduntur a Sponſo: prudentes verò, quæ ciuitatem non inuiſere, olei venditores adeuntes, admittuntur ad nuptias, qui a vxor nunquam àlatere ſponſi debet recedere, ſi non vult miſerè periclitari.

3. Diuerſis planè vocabulis hominis, & mulieris ſtructuram ſignificauit Moyſes: nam homo formari dicitur: *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ*. Geneſ. 2. verſ. 7. Mulier verò ędificari: *Ædificauit coſtam in mulierem*. Verſ. 22. Ibid. Cur in mulieris fabrica ædificandi verbo potiùs, quam formandi, vtitur Hiſtoricus ſacer? Nonnè eadem manus, eademque potentia vtrobique operatur? Rectè Caiet. rationem indigitat. *Significat mulierem ad hoc feciſſe, vt ſit ædificium hominum.* Vt enim ædificium immobile eſt, neque huc atque illuc circumuagatur, ita, & fœmina liberè diuagari non debet, ſed eodem tecto ſemper contineri, vt non tam incola ædificij, quam ipſum immobile ædificium videatur. Ædificium, quod huc, atque illuc mouetur, totius domus ruinam comminatur: ſic multiuaga mulier ruinam honoris, exitium maritalis domi, totiuſque generis minatur, ſeque præcipiti exponit periculo. Ambigit Rupertus, quo pacto ſerpens adoriretur Euam, an ſcilicet intra paradiſum, an extra? & arbitratur ſerpentem extra paradiſum extitiſſe, cum præuaricationem ſuggeſſit: quoniam paradiſus propria hominis erat habitatio, eique pro magna gratia Creatoris exhibita: quod non ita foret, ſi ſerpentibus, ſimilibuſque animalibus noxijs eſſet communis. *Non igitur* (inquit) *Serpens præſertim à diabolo corporaliter inuadente, poſſeſſus in Paradiſo fuit: ſed mulier corpore, & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, fortè proſpectans, qualis extra Paradiſum mundus eſſet, & dum ſerpens vtpotè aſtutus, dulcedinem terræ illius propriùs, & ambitioſiùs inhiat, locus diabolo datus eſt, & occaſio breuiter porrecta, vndè tentaret Euam*. Et licet ferè omnium Patrum, & Theologorum ſit ſententia ſerpentem intra paradiſi ſepta extitiſſe, cum doloſo aſtu mulierem in fraudem allexit, & Rupertus, lib. 3. in Gen. cap. 2. mentem ad litteram non approbent: in re tamen morali optimè probat mulieris caſum, & ruinam ex diuagatione, & ſuperflua curioſitate proueniſſe: quandoquidem paradiſum vndique luſtrans, & abſque neceſſitate diſcurrens oculos extra ipſum adiecit, & exindè venenum traxit, quod delicioſam, & innoxiam illam manſionem infecit: ex frequenti enim mulierum extra domum vagatione, non niſi honoris ruinam in domum reuertentes reportant.

4. Exod. 24. verſ. 23. ter in anno præcipiebat Dominus Iſraelitis, omnes virilis ſexus in templo apparere, vt grates pro beneficijs acceptis rependerent. *Tribus temporibus anni apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu omnipotentis Dei Iſrael*. Mirum eſt, quod hæc lex, quæ ad Dei obſequium, & cultum reſpiciebat, propter viros tantùm fuiſſet lata, illoſque dumtaxat cogeret ad obſeruationem. Cur fœmina non ſimiliter ſiſtitur in conſpectu Domini, quandòquidem, & ipſa eiſdem beneficijs erat deuincta? Accedit, quod dum lex templum non crebrò inuiſere præcipiebat, ſed ter tantùm in anno, neque indecens, neque difficilè eſſet mulieribus ad ipſum accedere. Auſculta Oleaſt. fœmineam circumſpectionem hinc vrgentem, & licentiarum prætextus cohibentem. *Fœminarum genus decet non hinc indè diſcurrere, etiam pietatis aut religionis prætextu: amat hoc genus exire, amat hinc inde diſcurrere, & quia à viris ſæpius arcentur, cauſam religionis, aut pietatis mentiuntur; vt ergo licentioſum genus teneret officio, occaſiones vagandi præcluſit*. Præcauens lex cauteloſum mulieris genium, & vagandi licentiam vndequaque coercens, eas à Diuinis arcet, ne pietatis cauſa cum ingenti pudoris periculo à proprio domicilio egrediantur: ibi enim domeſticam curam perficiunt: extra proximo diſpendio exponuntur. Hinc Iudic. 5. verſ. 24. magnopere laudatur Iahel. *Benedicta inter mulieres Iahel, & benedicatur in tabernaculo ſuo*. Cur in tabernaculo benedicenda eſt fortiſſima mulier, & non extra? Abulenſ. quæſt. 9. ad præcit cap. *Quia tantùm tum ipſa egit in tabernaculo, ſicut bellatores in pugna: quia in domo ſua occidit Siſaram*. Imò, & plus fecit, ſiquidem Siſaram viriliter interfecit, quem bellatores omnes non occiderunt. Vndè de viro illo, qui fortem, & circumſpectam habebat vxorem, dicitur Prouerb. 31. *Et ſpolijs non indigebit*. Quia vxor, quæ domum curat, & intra ipſius continetur cancellos, plures victorias, pluresque domi refert exubias, quam vir ex bello: victoriæ illi atque ſpolia domi naſcuntur: extra impudicitiæ expoſita honoris maximam timeat iacturam: quia rarum erit, vt ibi ſtet, vbi cæteræ cadunt. Exindè afflicta illa mulier Chananæa propter filiam à dæmone vexatam dicebat Domino Matth. 15. v. 22. *Miſerere mei Domine, fili Dauid: filia mea malè à dæmone vexatur*. Notabilis, inaduertenria

tia (inquit S. Baſil. de Seleuc. orat. 20.) Fortè dæmon benè torquere poteſt? Quomodò malè afflictam filiam à dæmone affirmat, quandoquidem nullus benè ab ipſo tractatur? Quid immaniùs hic agit dæmon, quod de illo irregulari ſtylo conqueritur? Audi Baſil. Chananeæ nomine conquerentem. *Quomodò reigrauitatem efferam? Quomodò malum prædicabo? Non ipſius aſpectus difficultatem fero, domo exiliens vrbem peruagatur.* Non hic dæmon filiam intrà domum permittebat: idcircò prudens Chananæa illum malum vocat dæmonem, & quod malè filiam vexabat, vehementer dolebat: ſiquidem, & vexabat vt dæmon, & inſuper torquebat periculo mulieris, quæ è domo exire deſiderat. Non tam dæmonis cruciatus ſentiebat, quam quod filiam ad exeundum per plateas incitaret: quia ex dæmonis crudelitete dolor, & vexatio: at ex filię vagatione honoris iactura imminebat.

DISCVRSVS XXVI, MORALIS.

Non minus ægrè Deus fert, vt illum tepidè quæramus. Quam quod auertamur ab ipſo.

1. SOlicitè cum Deo expedit ambulare, & ſtatim ac illum offendimus, ſupplices, & feruentes effundere preces, contritaque corda exhibere quoniam non minus dolet, quod ab ipſo diſcedamus, quam quod ipſum pigritia torpentes per pęnitentiam quęramus: nam effręnatio in offenſis indicat nos fragiles, & ad culpam eſſe procliues; tepiditas verò ſegnities, & frigiditas, qua ipſum confitemur, & ad remedia opportuna pergimus, iudicium eſt paruę exiſtimationis: undè arguitur pro nihilo nos habere, benè vel malè cum eo eſſe. Hęc (inquam) pigritia, quę ex contemptu oriri uidetur, maximè Deum exacerbat. Ob plurima, eaque grauiſſima flagitia, ranarum plaga inter alias percuſſit Deus Pharaonem, quam pręe importunitate, & moleſtia ferre non potens rogauit Moyſem, vt Deum exoraret, quatenùs ab ipſo importunam ranarum garrulitatem auferret. Cum autem Moyſes polliceretur Regi ranas abigere ſtatuto ab ipſo orationis tempore. ſuper ipſo Regem interrogauit, qui reſpondit *Deprecamini cras.* Exod. 8. verſ. 10. Plagam fugauit Moyſes: at Pharaò induratus adhuc promiſſis non ſtetit, & obſtinatus permanſit, pertinaci peruicacia populum opprimens, vſque dum Deus eum aquarum fluctibus ſubmergit. *Inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.* Quęrit D. Ambr. propter quod criminum, quę Pharao perpetrauerat, Deus ipſum obruerit, ſibique obijcienti ſatisfacit. *Dicenti Moyſi: Conſtitue mihi, quandò pro te orem, & pro famulis tuis, & pro populo tuo, vt exterminet Deus ranas; cum debuerit intanta poſitus neceſſitate rogare, vt iam oret, nec differret: reſpondit, Craſtina die, otioſus, & negligens moræ pęnam Egipti ſoluiturus excidio.* Difficilis planè videtur Ambroſij mens: etenim Pharao plurima, & horrenda commiſerat flagitia. Nili vndis penè infinitos ſuffocauit infantes, quos hoſpites receperat Hebręos vt ſeruos, & vilia mancipia tractauit, manuj Dei ipſum vexanti pluries reſtiterat. Quomodò ergo, cum tot delictis mortem mereretur, inquit Ambroſius, aquis obrui, eo quod die vna Moyſis orationem diſtulerit? *Otioſus, & negligens moræ pænam Ægypti ſoluturus excidio.* Hęc enim etſi culpa eſſet, cętera crimina non ęquabat, nam in ipſis plus bellua quam homo videbatur. Ità eſt (inquit Amb. Pharao tanquam fera naturam proſequebatur odio, & ad vſuram lucis nondum ortas ſuffocauit vitas, atrocitatis extitit exemplum dura Iſraelitas captiuitate opprimens, at dum Moyſis orationem differt, Dei amicitiam contemnit, nec curat ipſum, quem offenderat, habere placatum, dum plagis percuſſus ad Deum aliquomodo conuertitur, tepidè, & moroſè illum quęrit, in craſtinum orationem differens, & propter hoc vnum delictum, qui alia commiſerat attrociſſima, plectitur: quia in reliquis humana fragilitas ſuffragabatur ipſi: at in hoc nullam excuſationem habebat, quandoquidem ex Dei contemptu peccabat. Caueant, qui non vno die, ſed pluribus menſibus, & annis pœnitentiam differunt, aut de ipſa tepidè, & moroſè tractant: hi enim maximè deplorandi ſunt, quia ipſis remedij malè adhibitis, & ſine feruore ſuſceptis, magis languent. Accepta mortis Lazari notitia exultauit Chriſtus Ioan. 11. verſ. 14. *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos.* Ac ad ipſius domum accedens, pergenſque ad tumulum, vt illum ad vitam reuocaret, *Lacrymatus eſt IESVS.* Cur lacrymis, & lętitię abutitur, gaudetque de morte, & de reſurręctione lacrymatur: cum potiùs mors funerales expoſceret lacrymas, reſurrectio verò exultationem, & lętitiam? Quia in Lazaro, qui peccatoris ſymbolum extitit, tepidam quorundam pęnitentiam reſpexit Chriſtus, qui ſic remiſsè anteacta crimina retractant, & ad Deum conuertuntur, ac ſi velut Lazarus à ſepulchro peccatorum vincti exirent. Vitæ ſpiritum cum refundit, lacrymas fundit: quia non minus de morte peccatoris dolet, quam de tepida reſurrectione.

2. Fatuæ illæ Virgines, cum oleum in lampadibus non haberent, petitumque à prudentibus negaretur, eunt emere aſt ipſis abſentibus venit Sponſus ad nuptiaſque cum prudentibus ingreditur, & ſtatim clauſa eſt ianua:

nouiſ-

nouiſſimè verò veniunt fatuæ, pulſantes validiſſimis vocibus inclamant. *Domine, Domine, aperi nobis*. Matth. 25. verſ. 11. Quibus Sponſus. *Neſcio vos*. Rigore, & acerbitate plena hæc repulſa videtur: enimuerò licet negligentes Virgines oleum ad nuptias non præparaſſent, otioque ac quieti eſſent deditæ, ex alio capite excuſatione indignæ non videntur, perrexerunt enim ad emendum oleum, vt quam citiùs reuerterentur de præcedenti otioſitate contritæ: Dominus autem omni pulſanti aperire pollicetur Matth. 7. *Pulſate, & aperietur vobis*. Cur ergo illis abeuntibus, vt tempus redimerent, & feruore (vt ex geminatis vocibus apparet pulſantibus portę non reſerantur, & miſeram repulſam patiuntur? Audi D. Auguſt. ſerm. 120. de temp. *Pulſate* (inquit) *& aperietur vobis cum tempus erit iuſtitiæ*. Promiſit quidem Deus aperire volentibus intrare opportuno tempore, Virginum verò defectus fuit, quod ſerò ingredi voluerunt. *Nouiſſimè verò veniunt, & reliquæ Virgines*. Solicitudine, & feruore poſtpoſitis ad nuptias accedunt, non promptè, ſicut prudentes, Sponſo placere ſtudebant: meritò ergo excluduntur, quia non minus Deus tepore, quam culpa offenditur. Qui tempore opportuno pigreſcunt, & nihil non niſi ſerò faciunt, nunquam ad ipſius gratiam admittuntur.

3. Lucæ 15. verſ. 20. è domo patris peregrè proficiſcitur filius ille nequam, & luxuriando paternum inſumit cenſum. Ærumnoſa egeſtate admonitus ad patriam domum redire cogitat: ſed vide quo fine: vt habeat victum ſicut vnus de mercenarijs paternæ domus. Redit, & in occurſum miſericors accurrit pater. *Cum autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum*. Cur dicitur pater miſericordia motus, lacrymis ſuperfuſum nonnulli interpretantur. At quis non miretur, quod cœleſtis pater luxurioſum filium, non quando recipit, tunc deploret, cum potiùs ingentioris gaudij, & exultationis eſſet occaſio? Importunus videtur luctus, vbi lætitiæ cauſa inſtat. Verùm prodigus adoleſcens non paternæ reuerentiæ violatione tactus ad patrem redit, ſed inopia oppreſſus: indè pater etſi lætus de filij reditu, de tepida, licet congrua, filij pœnitentia ſolicitus obortis lacrymis filium non lacrimantem excepit, vt cœleſtis pater ſuis oculis ſuppleat lacrymas, quæ reduci, ſed non lugenti filio deſunt, & ſua ſolicitudine filij rependat ſegnitiem. *Miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius*. Optimè, ne periculoſiùs morbi remedijs, quam ipſo morbo ægrotes. Caue, ne pro antidoto venenum exhaurias, lacrymarum naufragio peccata pereant ob Dei reuerentiam: ſtatim ac peccaſti, ad eum conuertere, & exundantibus lacrimis appone piaculum, vt ipſum exultare facias: nam eo modo, quo tepida pœnitentia Deum plorare cogit, ſolicita exhilaratum reddit: eamque affluentiſſimè remunerat.

4. Optauerat vehementer Zachæus Chriſtum videre: quod cum obtinere non poſſet, quia ſtatura puſillus erat, & maxima populi multitudo ad ipſum concurrerat, qua præpeditus accedere non valebat, feſtinè ad vicinam arborem cucurrit, ipſamque ſcandens Chriſtum vidit tranſeuntem: cui Dominus vt præproperam conuerſionem rependeret, ait *Zachæe, feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et feſtinans deſcendit*. Luc. 19. verſ. 5. Statimque ac Dominum excepit hoſpitio, ipſius conditionis inueſtigator dixit: *Domine ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum*. Quibus auditis, & ſalutem ipſi pollicetur, & de Abrahæ generoſa proſapia, & filiatione ipſum laudat. Vndè hæc ſubita mutatio? Vt qui aliorum bonorum erat nimis auidus, & tenax, nunc de proprijs facultatibus liberalis exiſtat diſpenſator? Et qui lucris, & vſuris erat implicitus beneuolentiam Domini affluentèr mereatur? Pręclarè D. Chryſoſt. rem dirluit. *Vndè hæc ſubitò exorta mutatio? Ex pœnitentia improuiſo accelerata, vndè feſtinans vocatur, feſtinans deſcendit, & idcirco ſalus huic domui facta eſt*. Vbi Chriſtus vocauit, continuò feſtinauit deſcendere: non pigrè moratur, non cunctanter reſiſtit ſed celeri alacritate deſcendit, & quidquid defraudauerat, reſtituit, ex hac ergo ſolicita promptitudine gratus adeò extitit Chriſto, vt domum quam à lucris vacuauerat, gratijs, & exultatione repleret: quia nihil tam Deum exhilarat, quam feruoroſa, & ſolicita conuerſio, & in his, qui feſtinanter ad ipſum accedunt, maximè complacet. Vndè de comitantibus ipſi feſtiua alacritate dixit Vates noſter: *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ*. Hic verſ. 11. Quia iactata ſagitta, ſau haſta non demoratur in curſu: ſed celeri motu ſcopum attingit.

DISCVRSVS XXVII. MORALIS.

Summa dementia, & infelicitas, eſt à virtutis tramite recedere.

1. SVnt quamplurimi, qui exultantes ſemitam virtutis arripiunt, & poſteà otio torpentes à propoſito fine deſiſtunt: de quibus maximè dolendum eſt, quia vt dixit D. Hieron. Epiſt. ad furiam. *Non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed fines: Paulus malè*

malè cæpit, ſed benè finiuit: Iudæ laudantur exordia: ſed finis proditione damnatur. Quid prodeſt cum feruore inchoare, & in fine deficere: niſi ad vehementiorem de bonis operibus fruſtra actis doloris ſenſum excitandum? Inſania planè eſt, fines non reſpondere principijs. De Enoch Deo grato ſemel, & iterum cum Deo ambulaſſe dicitur: ſic enim habes Gen.5. *Ambulauit Enoch cum Domino*. Deindè verſ.24. idipſum repetitur. *Ambulauitque cum Domino*. Cur bis idem iteratur? Sufficere videbatur ſemel dixiſſe Enoch cum Deo ambulaſſe, vt de illius iuſtitia, & ſanctitate conſtaret. Ad quid huiuſmodi redundantia apponitur? Audi D.Ambr. ſerm.de confeſſ.pontific. *Lauda* (inquit) *nauigantis felicitatem, ſed cum perueniret ad portum. Lauda ducis virtutem, ſed cum perductus eſt ad triumphum*. Quaſi dicat: Ideò Enoch gemina laude extollitur, præcipuè cum rapiendus eſt in paradiſum, quia tunc maximè quis laudandus eſt, cum in virtute perſeuerat, optatamque attigit metam: nam in portu naufragium facere magna nauigantium infelicitas eſt, magnaque dementia crederetur in eo, qui maris procellis ſuperatis in portu excidium quæreret. Non fruſtra bis dicitur, quod Enoch ambulauit cum Deo; etenim cum primò id affirmatur, initia vitæ oſtenduntur: cum verò ſecundò refertur, perſeuerantia vſq; ad finem pertingens denotatur. Vndè eius felicitatem licet augurari, quoniam ſumma infelicitas eſt, ab incepto virtutis itinere recedere, nam tota vitæ ſpiritualis proſperitas in perſeuerantia conſiſtit. Sic vbi primò Deus lucem creauit, eam commendat, & à tenebris diuidit, vt dies noctesque diſcriminarent. *Appellauitque lucem diem. & tenebras noctem, factumque eſt veſpere, & mane dies vnus*. Gen.1. verſ.5. Non parua hinc oritur difficultas, cur ſcilicet in narratione diei veſpere Deus prætulerit, & antè mane de ipſo mentionem fecerit: enim verò naturæ ordo aliud expoſcebat: nam à manè dies incipit, ad ipſumque veſpere ſubſequitur. Præterquamquod non parum derogatur dignitati diei, ſi matutinum tempus, vbi illuceſcere incipit, veſpertino poſtponatur, vbi tenebris iam dies immergitur. Præclarè D.Ambr.in examer. noſtram hinc in virtute perſeuerantiam erudit. *Quærunt aliqui, cur priùs veſperum, poſteà manè ſcriptura nominauerat, ne fortè noctem priuſquam diem ſignificare videatur. nec aduertunt, quod veſper finis diei ſit, & manè finis noctis. vt ergo prærogatiuam, & primatum natiuitatis diei diceret, priùs finem diei ſignificat*. Primatus, & felicitas diei non à lucendi initio, ſed à fine, & perſeuerantia in luce cenſetur. Non mane præponitur, quia in mane incipit eluceſcere: ſed veſpere, vbi curſum, & lucem perficit: quia nihil currendi initium profuit, niſi curſus conſummetur. A fine felicitantur principia: nam qui in virtutis curriculo finem non perficiunt, fatuè deſipiunt, & in miſeram infelicitatem incidunt.

2. Felicitatem, & pulchritudinem populi Hebræorum prędicans Balaam dicebat, Num. 24.verſ.5. *Quam pulchra tabernacula Iacob, & tentoria tua Iſrael*. Meritò miraberis, quod laudaturus ſecundam Hebręorum fortunam ex habitaculis, non domos laudet, vbi permanenter habitabant: ſed tentoria, in quibus iter facientes obtegebantur: hęc enim, quæ ad paucas ſtationes inſeruiebant, non videbantur laude digna quandoquidem nulla ex illis orta felicitas erat permanſura. Felicitatem populi augurans non domos laudat, in quibus permanenter habitabant, ſed tabernacula, in quibus ſemper proficiebant, nec ab incepto itinere ceſſabant. Quia ille feliciter iter conficit in virtutis via, qui indefeſsè ambulat, & nunquam ſiſtitur: nam à fine omnia fauſta redduntur, & in illo non obtento nullus laude dignus videtur. Sic poſt longam in deſerto peregrinationem, pręcepit Deus Moyſi Num.1.verſ.21. principum, ac fortium bellatorum cathalogum conficere. *Tollite ſummam vniuerſæ congregationis filiorum Iſrael per cognationes, & domus ſuas, & nomina ſingulorum*. Cur tam multis poſt egreſſionem ab Ægypto annis, & non anteà ſtrenui milites recenſentur, & ad numerum fortium bellatorum, qui laudem merebantur, rediguntur? Iam enim manus conſueuerant cum Amalech, ipſumq; expugnauerant, alioſque hoſtes deuicerant. Egregiè Rabbanus Maurus ad mores retardatam militum laudem inflectit. *Nondum enim tentati erant, nondum ab hoſtibus impugnati, confligunt cum Amalech, & vincunt: ſed nec tunc quidem numerantur: non enim ſufficit ad perfectionem tendenti vna victoria*. Finis laude coronat opus: & quamuis ouantes ab inimicis referebant palmas, quia nondum vltima certamina inierant, gloria fraudantur: quia hęc nonniſi finali perſeuerantia obtinetur.

3. Eleganter expendit Diu.Auguſt.lib.17. de ciu.c.4. illud Cantici Annæ. *Dominus iudicabit fines terræ*. 1.Reg.2. verſ.10. Quod ita legit: *Dominus iudicabit extrema terræ*. Quæ namque illa ſunt terræ extrema, quę ad tribunal Dei iudicanda ſiſtuntur? Fines hominis, & vitę terminus. Quid? Nonnè Deus iudicabit initia, & media humanæ vitę? Maximè. Quomodò ergo fines tantùm, & extrema iudicari dicuntur? Audi Auguſt. *Sed meliùs intelliguntur extrema terrę extrema hominis: quoniam non iudicabuntur, quæ in meliùs vel deteriùs medio tempore commutantur, ſed in quibus extremis inuentus fuerit, qui iudicabitur. Proptereà dictum eſt*. Matth.10. *Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit*. Quaſi dicat: Deum non ita inſpicere principium, & medium vitę hominis, ſicut finem, nam à fine bonitatem, vel malitiam omnia eius opera mutuabunt. Si malè finierit, nihil proderit

benè

benè vixiſſe: at ſi in iuſtitia perſeuerans debitum finem ſit aucupatus, non officiet inter media opera praua extitiſſe: quia à fine omnia digna laude videntur. Vndè Iob rogabat Deus cap. 38. *Vbi eras, quandò ponebam fundamenta terræ, & me laudabant aſtra matutina?* Cur de cantico, quod in ipſius laudem matutina aſtra concinunt, ſe Deus iactat: & non potiùs de nocturno ſiderum concentu, cum in nocte ſidera magis niteant, & micantioribus radijs ipſum extollant? Crediderim, quia matutina aſtra vſque ad tumulum lucere non deſinunt: hanc ergo flecti neſciam perſeuerantiam vſque ad poſtremum vitæ ſpiritum exambit Deus, & de illa maximè gloriatur.

4. Pulchrè huiuſmodi in obſeruanda vſque ad finem virtute auiditatem deſcriptam inuenies Cantic. 5. verſ. 15. vbi de Sponſi ſtructura Sponſa dicebat: *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas.* Et rurſus de capite ait: *Caput eius aurum optimum.* Non aptè materia eadem in caput, & pedes quadrat. Si pedes viliores ſunt corporis partes, & nobilior caput: cur ex eodem metallo pedes fabricantur & caput? Quod humi ſerpit, & terram tangit, æqualis pretij cum ſuperiore parte exiſtit? Maximè: quia completa hic perfectionis figuratur vita, in qua maxima felicitas eſt, & quæ Deo plurimum arridet, finem reſpondere principio, pedes capiti: etenim niſi ità contingat, ſi benè incœperis, & vſque ad finem eodem tenore non perſeueraueris, minimè concinnas habebis partes, neque illarum aliqua erit in pretio, nam capitis aurum, niſi aurei ſint pedes, in viliſſimum metallum degenerat, & qui fines principijs non aptat, nullam elegantiam præfert, ſed ſimilitudinem refert infelicis Nabuchodonoſoris ſtatuæ, quæ (vt dicitur Daniel. 2.) caput habebat aureum, ſed per intermedia membra ſenſim degenerans, tandem in pedes luteos deſinebat. Quid enim inualidiùs, & ſtultiùs eo, qui ptima virtutis tyrocinia aurea collocauit, ſed in luteos apices miſerabiliter receſſit? Qui ſpiritualia exordia carnalibus operibus concludit? Quales fuerunt Galatæ, in quos meritò inuehitur D. Paulus cap. 3. *Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſumamini.* Summa enim videbatur inſania, & infelicitas, à via ſpirituali, quam feliciter arripuerant, ad carnalem, in qua miſerabiliter periere, deflectere: quoniam Deus nihil magis optat, quam ſeruos ſui propoſiti tenaces, nihil magis in eis, quam firmitatem in Diuino obſequio requirit. Hinc in nuptijs Cana Galilææ (Ioan. 2.) erant lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum Diu. Bernard. (ſer. 12. ex paruis) inquirit cur potiùs lapideæ fuerunt, quam ligneæ hydriæ, in quibus vinum ſeruabatur? Et congruè reſpondet. *Lapideæ dicuntur propter fortitudinem, ne facilè frangantur; aut diſſoluantur, & effundatur liquor gratiæ, qui in eis continetur.* In hydrijs Diuinæ legis obſeruantiam intelligit Bernardus, ideòque ex lapidibus erant extructæ, quia flecti neſciam fortitudinem in ſuis aſſeclis exquirit Deus ne gratiæ liquor ſemel infuſus perfluat: & lucrum ex bonis operibus reportatum propter finis imbecillitatem inutiliter euacuetur. Hæc enim ſumma infelicitas eſt, de qua Dominus in populo ſuo maximè angebatur Michææ 6. verſ. 15. *Tu ſeminabis, & non metes: tu calcabis oliua, & non vngeris oleo, & muſtum, & non bibes vinum.* Quia quod Dei amore inceperant, humano metu poſteà, aut deſidia relinquunt: fit enim ſæpè, vt incipientium labor fructu priuetur, vt vſu venit ſeminanti, & non metenti, cui fructus diù ſperatus, & qui iam penè erat in manibus, ſubitò euaneſcit, aut intercipitur. Hoc (inquam) infeliciſſimum eſt, ſicuti oleo non vngi: qui oliuam calcat: oleum quippè gaudium ſpecialium donorum ſignificat, vt Pſal. 44. verſ. 8. *Proptereà vnxit te Deus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Oliuam calcant, qui ſe illis operibus exercent, quæ hæc dona conſequuntur, vt pœnitentia, oratione, cæteriſque pijs virtutum exercitijs: ſed quia cum iam proximus erat fructus, deficiunt, & vehementi aliqua tentatione ad intermiſſas voluptates rapiuntur, non illa ſpeciali pinguedine fruuntur, quia non ad finem debitum peruenire. Non de his, ſed de perſeuerantibus vſque ad finem loquitur noſter Vates, dum ipſos ſagittis curſum ſine aliqua intermiſſione, aut obliquitate agentibus comparat, quo ſcopum rectè attingunt, & prætenſum ictum exequuntur. *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* Hic verſ. 11.

Digitized by Google

Verſ. 13. Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo. Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum eius vſque ad collum.

ANNOTATIO IX.

Expoſitio Litteræ.

1. SEnſus litteralis, & hiſtoricus peruius eſt: alludit enim Propheta ad illud Iſaiæ cap.45.verſ.1. Vbi Deus apprehenſurum Cyri manum, quem Chriſtum vocat, pollicetur, vt profligato Chaldæorum imperio Iudæorum populum in libertatem ducat. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubijciam ante faciem eius gentes &c.* Senſus ergo eſt: Egredieris, ò Deus, in ſalutem populi tui cum Chriſto tuo, ideſt. Cyro, quem ducturus eſt, & cum quo amica fœdera facies, vt medio ipſo debellentur inimici populi tui, & caput de domo impij percutiatur. *Percuſſiſti caput de domo impij.* Per iniquitatis domum Babylonia hic accipitur, quam Dominus per Cyrum euertit, & ab ea caput (nempè Balthaſarem) præcidit, ſubactoque regno Chaldæorum, ipſum tranſtulit ad Perſas: ſic exponunt Lyra, Hug.Card.Mariana, Ianſen.Caſtrus, & Sanchez. Alij cum Gueuara, & Palatio Moyſem, & Aaronem in Chriſto intelligunt, cum quibus Deus fuit egreſſus. Sed prima ſententia magis placet.

2. *Denudaſti fundamentum eius vſque ad collum.* Variè ab Interpretibus hæc metaphora accipitur, veroſimilior videtur, quæ ab ædificijs funditus euerſis ſumitur: nam vbi fundamentales eruuntur lapides, & euacuantur foſſæ, in quibus prima iactantur fundamenta, neceſsè eſt, vt tota machina ædificij corruat amotis fundamentalibus lapidibus, quibus inſedebat. Haùd aliter de euerſione Samariæ dicitur Michææ cap.1.verſ.1. *Ponam Samariam ſicut aceruum lapidum &c. Et reuelabo fundamentum eius.* Non abnuam ſimilitudinem aſſumptam ab ijs, qui in aquis demerguntur, quibus proximum imminet periculum, cum aquæ ad collum deueniunt, & tantùm extrà ipſas extat caput, quique in proximo ſunt, vt ipſis reſpirandi facultas deficiat. Hac ipſa metaphora vſus eſt Iſaias cap.8. *Ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Aſſyriorum &c. Et ibit per Iudam inundans, & tranſiens vſque ad collum veniet.* Quod quidem ad anguſtias temporis, de quo loquitur Vates, non inuenuſtè poteſt referri: nam cum rerum deſperatio ſic inſtat, vt nulla affulgerat ſpes euadendi mortem, tunc qui ipſam impendentem formidat, ad reſtim dicitur adductus: quia cum extremum vrget periculum, fauces quaſi ſtringit, & reſpirationem præcludit: quod in prouerbium apud Latinos abiuit. Sic Terent. in Phormione.

Opera tua ad reſtim, mihi res redijt pleniſſimè.

Et Iuuen.Satyr.6.

Ferre potes Dominam ſaluis tot reſtibus vllam?

Idem autem eſt rem eſſe reductam ad collum, & ad reſtim, atque ad ineuitabilem mortem, & excidium: quod non in idoneè Chaldæorum principi in illo rerum diſcrimine congruit. Verùm in prima metaphora perſiſtendo, nudare fundamentum Balthaſaris, & regni Chaldæorum nihil aliud eſt, quam illud auertere, & penitùs vaſtare. Vt enim arborum radices, quibus terræ adhærent, ad capitis in animantibus vicem accedunt, & quæ his radicibus continua eſt trunci pars, collum refert: vtraque autem hæc ſi præcidantur, & circumducta terra nudentur, arborem perire neceſsè

Digitized by Google

neceſſè eſt: ità ſi quis maximarum ædium fundamenta à primis firmitudinis initijs ad collum vſque, hoc eſt ad eam partem, quæ ad pauimentum vſque pertinet, diruat totius ædificij ruinam ſequi promptum eſt.

3. In ſenſu autem allegorico explicatio difficilis non eſt, præcipuè ſi Dei cum Chriſto ſuo egreſſionem ad illam, quam fecit, vt populum à ſeruitute Ægyptiaca liberaret, referatur: nam IESV comite illam Deus operatus eſt, vt habetur epiſt. Iudæ verſ. 5. *Commonere autem vos volo ſcientes ſemel omnia, quoniàm IESVS populum de terra Ægypti ſaluans, ſecundò eos qui non crediderunt, perdidit*. Periphraſis ergo erit: Tu Domine egreſſus es de Ægypto ducтans populum tuum, egreſſus (inquam) es cum Chriſto tuo ad ſalutem populi tui, atque tunc percuſſiſti caput, ideſt Pharaonem de domo impia; iacuit enim ſuffocatus in mari: tunc denudaſti Pharaonem, & exercitum eius à fundamento, & baſi vſque ad collum: ideſt, totum funditùs exercitum Ægyptiorum deleuiſti, ab infimis, qui ſunt velut ima fundamenta, ad principes, qui ſunt vt collum regis, qui eſt caput proximum, ſimul cum ipſo capite, ideſt, Rege. Lyra, Hieronym. & alij per hunc impium, quem Dominus percuſſit, Antichriſtum intelligunt, quem, poſtquam trium menſium, & dimidij ſpatio crudeliſſimè vexauerit Eccleſiam, Dominus percutiet, illiuſque fundamentum vſque ad collum nudabit: quia prorsùs eius nomen extinguet. Alij diabolum accipiunt, quem Dominus contriuit, ipſumque infirmis vinculis alligatum infantibus tradidit, vt ludibundi, & ſine metu in peſtilentiſſimi huius draconis foramen manum intromittant.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Pugnare cum Deo vincere, ſine Deo vinci eſt.

1. EGreſſus eſt Deus cum Chriſto ſuo, id eſt, cum Cyro cum quo ſociale fœdus inierat, tum vt ſaluaret captiuos, & oppreſſos Iudæos, tum vt flagitioſiſſimos Chaldæos puniret: conſequens enim erat, vt adeò prodigioſam libertatem, & victoriam reportaret, qui ſecum Deum ad bellum adducebat, nam ipſius auxilio fretus nullum non poterat profligare inimicum. Sed quoniam Cyrus (vt aduertit Lyra) non dicitur Chriſtus niſi in figura; vndè etiam literaliter Chriſtus ſignificatur, vt placet Hieronym. *Egreſſus es, vt ſaluares populum tuum per IESVM Chriſtum tuum*. Perſpicuè deducitur, eos in bello eſſe victuros, qui Chriſtiana profeſſione lætantur, ſecumque auxiliares Chriſti vires deferunt: & eos fore vincendos, qui relicta hac ſalutifera protectione ſceleribus adhærent. Non enim hoſtes infideles noſtras vrbes expugnant, & de noſtris armis victoriam reportant quandoque id contingit, nos illis arma porrigimus flagitijs noſtris, quę in nos intorquent, quia Deo derelicto inermes ad bella pergimus. Furore maximo exardebat Holofernes, eò quod alijs ſubactis nationibus, quæ illi parebant, filij duntaxat Iſrael ad reſiſtendum ſe præparabant, cuius fiduciæ cauſam perquirens Achior Ammonitarum princeps illam exponit. Iudith. c. 5. *Vbicumque ingreſſi ſunt ſine arcu, & ſagitta, & abſque ſcuto, & gladio, Deus eorum pugnat pro eis, & vicit, & non fuit, qui inſultaret populo iſti, niſi quandò receſſit à cultu Domini Dei ſui*. Sed planè deſipit Achior: nam Iſraelitæ ſemper cum armis ad bella proceſſerunt, ipſiſque dimicantibus, victorias reportarunt. Quo ergo pacto ſine armis pugnauiſſe affirmat? Auſculta Lyram. *Quia licet pugnauerint cum armis, tamen non habuerunt victoriam per arma, ſed virtute diuina*. Verſ. 24. Proſequitur Achior, & conſulens Holoferni addit: *Nunc ergo mi Domine perquire, ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum aſcendamus ad illos, quoniam tradens tradet eos Dominus eorum tibi, & ſubiugati erunt ſub iugo potentiæ tuæ; ſi verò non eſt offenſio populi huius coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus in opprobrium vniuerſæ terræ*. Dei auxilio freti inſuperabiles prorſus ſunt, & nullatenus potetuit expugnari: at ipſo abſente facilè illos ſuperabis.

2. Gedeoni de fuga cogitanti, & de victoria deſperato apparuit Angelus, vt certum redderet de inimicorum expugnatione, ſic ipſum alloquitur, Iudic. 6. verſ. 14. *Dominus tecum, virorum fortiſſime: Vade in hac fortitudine tua, liberabis Iſrael de manu Madian*. Intempeſtiuè Angelus fortiſſimum vocat Gedeonem, cum iam iam ſe ad fugam præparaſſet. Qui manus cum inimico conferere formi-

Digitized by Google

dabat, cur fortiſſimus nuncupatur? Enimuerò etſi aliàs fortiſſimus eſſet Gedeon, hoſtis excurſionem expaueſcentem nullatenus tali debuit nobilitate vocabulo. At hæc fortitudo (inquit Lyra) non præterita geſta, neque præſentem metum reſpiciebat, ſed futuram, quam de hoſte Dei interueniente auxilio, reportaturus erat victoriam. Quoties Deus dilectum habebat populum, ingens præſtabat auxilium, quo profligabat inimicos, & quoties ipſum habebant infenſum, ipſius adiutorio deſtituti in hoſtiles manus incidebant. Vtrumque in præcitato cap. inuenies, vbi, & flagitijs oppreſſi vincuntur, & pœnitentes victores euaſerunt. *Fecerunt autem filij Iſrael malum in conſpectu Domini, qui tradidit eos in manu Madian ſeptem annis, & oppreſſi ſunt valdè ab eis.* Et ſtatim. *Humilituſque eſt Iſrael valdè in conſpectu Madian, & clamauit ad Dominum poſtulans auxilium contrà Madianitas.* Vbi Procopius adductus à Gloſſa. *Non dicitur inualuiſſe ſuper populum Dei, dum præcepta cuſtodiuit: cum ergo negligere cœpit, mox inualuit hoſtis.* Annuit Lyra. *Quandò filij Iſrael peccabant affligebantur; & quandò pœnitebant liberabantur.* Aduerſa enim vel ſecunda fortuna non exercituum robore aut infirmitate obtinetur, ſed iuſtitia, qua placatus Deus opem, & auxilium præſtat, aut iniuſtitia, propterquam nos deſerit imparatos. Sic Num. 31. verſ. 7. vbi Moyſes duodecim millia hominum ſelegit ad pugnandum cum Madianitis: adeò viriliter dimicarunt, vt quinque principes cum omnibus eorum militibus occiderent. *Cumque pugnaſſet contra Madianitas, atque viciſſent, omnes mares occiderunt.* At ſexcenta millia hominum demptis pueris (vt conſtat ex cap. 12. Exod.) victi, & fugati ſunt a Madianitis. Mira rerum commutatio. Cur ſexcenta millia hodie eiuſdem populi profligati ſunt, & heri duodecim tantùm millia victores euaſerunt? Non arma, non naturale robur tanti diſcriminis cauſa extitit nam vtrobiq; eadem gens eadē arma pugnarunt. Auſculta Origen. hom. 25. in Numer. *Vt ſcias, quia non in multitudine, nec innumero militum vicit: ſed iuſtitia, & pietas Iſrael eſt in eis, qui vincunt.* Sine Deo comite, quia ab ipſo receſſerant per peccatum, ſexcenta millia profligantur: at duodecim millia confeſſione ceremoniali reconciliati victores exultant. Accinit Gloſ. ibi. *Aduerte Diuinæ virtutis magnificentiam: filij Iſrael dum ſexcenta millia fuerant armatorum, omnes victi ſunt, quia erat in eis peccatum; nunc verò duodecim millia victores vincunt, quia non in multitudine vincit Iſrael, ſed iuſtitia, & pietas eſt in eis qui vincunt.*

3. Antequam ad regnum eueheretur Saul, ſtrenuum, & animoſum ſe militem oſtenderat, primuſque periculo exponebatur, ita vt à Philiſtæis populo ſuperato, tempore Heli, ex conflictu ſciſſi veſte apparuerit. 1. Reg. 4. v. 12. *Currens vir de tribu Beniamin ex acie venit in Silo die illa ſciſſa veſte.* Hic autem (ex traditione Hebræorum, quam refert Lyra) fuit Saul, qui cum arcam captam vidiſſet, & Goliat ex ea legis tabulas abſtuliſſe, zelo Dei motus illum fuit adorſus, & tabulas legis è manibus eripiens fugit vſque ad Silo. Hic ergo, qui adeò fortis, & intrepidus pro Dei honore pugnauit, poſteà quadraginta diebus blaſphema, & contumelioſa verba à Goliath audiuit, quin auderet cum ipſo pugnam conſerere. Quæ tanti diſcriminis cauſa extitit, vt ex fortiſſimo milite Rex adeò timiditus euaſerit? Dubio abſque conſcientiæ ſtatus: quia quandò miles, innocens erat, ſicut puer vnius anni vt intelligit D. Hieronym. in quæſt. Hebraicis illud 1. Reg. 13. *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet.* *Sic* enim ait Hieron. *Erat innocens, quandò regnare cœpit ſicut filius vnius anni.* At poſteà ad immania flagitia fuerat prolapſus: exindèque ſeruata innocentia fortis, & animoſus apparuit; illa verò amiſſa timidus, & pauidus extitit; quia nihil niſi innocentia, & Dei amicitia præſtat ad bellum. Sic vbi Iudæi ad Chriſtum Dominum acceſſerunt, vt ipſum apprehenderent Matth. 25. v. 51. *Ecce vnus ex ijs, qui erant cum IESV extendens manum exemit gladium ſuum, & percutiens ſeruum principis ſacerdotis amputauit auriculã eius.* Et ſtatim. *Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerunt.* Cur Petrus, qui paulò ante adeò impauidus, & animoſus extitit, vt integram cohortem non formidaret, quin potiùs prouocaret temerè, vt Magiſtrum defenderet: nunc timidus, & toto animo deiectus aufugit, & in diſcrimine poſitum Dominum relinquit? Tam citò deficit, qui ſtrenuo ardore pericula deſpiciebat? Bellè Simon de Caſia cap. 57. *Quia reliquerunt, fugerunt: quia fugerunt, reliquerunt hæc enim ſe inuicem cauſant. quia relinquens Deum relinquit ſecuritatem: ideò agitur in timorem, ideò fugit.* Qui à Deo ſeparatur, toto animo deficit, & ad quodcumque periculum imparem ſe viribus agnoſcit. Quando Petrus erat cum IESV, animoſa fortitudine hoſtes non horrebat. *Vnus ex ijs qui erant cum IESV.* Quando verò eum dereliquit, *relicto eo*, pauidus, & timidus aufugit: nam Deus eſt, qui animum infundit, & qui victorias parat. Ideò Ioſue aduerſus vrbem Hai pugnanti præcepit Deus, Ioſue 8. *Leua clypeum, qui in manu tua eſt contrà vrbem Hai quoniam tibi tradam eam: cumque eleuaſſet clypeum ex aduerſo ciuitatis, inſidiæ, quæ latebant, ſurrexerunt confeſtim: Ioſue verò non contraxit manum, quam in ſublime porrexerat tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai.* Mirùm eſt, quod vbi perſtrepit armorum fragor, & inſtat certamen, fortiſſimum ducem Deus à pugna cohibeat, & veluti ad protenſum clypeum alligatum inſiſtere vno loco otioſum velit. Cur non ipſum pugnare ſinit, vt, & militibus infundat animum, &

par-

partem ſibi victoriæ arroget? Crediderim, vt oſtenderet Deus magna ducem, in bello non propria virtute patrare, ſed Dei ſuffragante auxilio. Feriatus Ioſue à pugna manum verſus vrbem Hai protendens, veluti digito præſentem Deum oſtendebat, cuius protectione res bellica feliciter conficiebatur: non enim armorum ſtrepitu, & fortitudine vincitur hoſtis: ſed Dei aſſiſtentia, & auxilio.

4. 4. Reg. 6. verſ. 17. legitur ſurrexiſſe mane miniſtrum Eliſei, & egreſſum vidiſſe exercitum ambientem ciuitatis muros, & equos, & currus: at poſtquam ad preces Prophetæ aperti ſunt oculi eius. *Aſpexit* (inquit textus) *& ecce mons plenus equis, & quadrigæ ignea in circuitu Eliſei.* Diligenter attende (ait D. Hieron. quod equi videantur, & currus, & tamen in tantis millibus equorum, & curruum nullus aſcenſor. Si phalerati videntur equi, quomodo non ipſis inſidet? Quis equitat in tot ad bella paratis equis? Audi Hieron. ad cap. 3. Habacuc. *Horum equorum ille erat auriga, & ille rector, de quo Pſalmiſta canit Pſalm. 79. Qui ſedes ſuper Cherubim.* Deus namque eſt, qui equitat, qui manus docet ad prælium, qui pro ſuis pugnat, & victoriam reportat. Idcircò vigintiquatuor ſeniores, quos Ioannes in ſua Apocalyp. c. 4. verſ. 11. adorantes in ſæcula ſæculorum viuentem vidit, mittebant coronas ſuas ante thronum dicentes: *Dignum es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* Quod rectè commentatur Card. Hugo. *Mittebant coronas ſuas, victorias ſcilicet, quas de diabolo, & peccato per ipſum obtinuerant, ipſi attribuendo, & quidquid boni habent, ad ipſum retorquendo: vtrumque enim ſignificatum per coronas, ſcilicet victoria, quia corona non datur niſi victoriæ. Interpretatur autem id quod dicebant: Dignus es Domine, Tu es, qui dignos nos facis.* Vbicumque ſecundi euentus ad Deum referuntur, pro ipſiſque debitæ rependuntur grates, ipſum vt deinceps noſtra arma, & victorias foueat, deuincimus: illo comite ſecuri ad bella pergimus.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Plus Deus noſtræ ſalutis ſolicitus eſt, quam nos.

1. PRo populo otio, & diffidia torpente egreditur Deus cum Chriſto ſuo, vt in ſalutis portum ipſum deducat. *Egreſſus es in ſalutem populi, in ſalutem cum Chriſto tuo.* Hic v. 13. Quia flagranti deſiderio, quam nos deſpicimus, ſalutem Deus nobis requirit; quandquidem renuentem populo ad ipſum ingredi, egreditur Deus, vt ipſum deducat: quod optimè hic ponderauit D. Hieron. *Quia hi, qui indigebant ſalute, ad eum intrare noluerunt, ipſe egreſſus eſt de maieſtate ſua, & de loco ſuo, vt eos, qui foris erant, duceret in terram manſuetorum, regionemque viuentium.* Mira enim charitas eſt de illo diſcrimine vehementer dolere, de quo ipſi expoſitus nihil dolet. Huſcuſque Dei amor progreditur, vt de ſalute noſtra, quam parui pendimus, diligenter ſit ſolicitus, & animam pro nobis ponere non dubitet. Hanc Dei erga noſtram ſalutem curam mirè ponderauit D. Paulus ad Roman. 8. verſ. 31. *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Enimuerò tam efficaci noſtræ ſalutis deſiderio Deus Pater Filium ſuum pro nobis tradidit, vt quantum eſt ex ſe, etiam vt Deus eſt, mortem obire decreuerit, & niſi obſtaret Diuinitas, morti eum tradere non dubitaret. Quod pulchrè, & ponderosè dixit Ambr. lib. 1. de Iacob, & vita beata cap. 6. præcitata verba Pauli expendens: *Pulchro verbo* (inquit) *vſa eſt Scriptura vt Dei Patris erga te pium propoſitum declararet: qui morti pro te totum obtulit, quod in plenitudine Diuinitatis nihil ipſe amiſit, & ſe redimit conſidera affectum patrium, quod pietatis eſt quaſi morituri filij ſuſcepit periculum, quaſi orbitatis hauſit dolorem ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit Domino ſtudium tuæ ſalutis, vt prope modum de ſuo periclitaretur, dum te lucraretur. Ille pro te diſpenſas ſuſcepit, vt te diuinis inſereret, cæleſtibus conſecraret. Mirè etiam addidit: Pro nobis omnibus tradidit illum vt oſtenderet, quod ità omnes obligat, vt dilectiſſimum filium pro ſingulis traderet.* Verba ſanè ponderatione, & energia plena; nam piè audet Ambr. dum Patrem ex ſe filium morti offerentem, vt noſtræ prouideret ſaluti, introducit. Nec Diuinitati quidem quantum in ipſo eſt, pepercit: quin potius affectiuè ſic Filium morti tradidit, vt quodammodò orbitatis hauſiſſet dolorem, mortui Filij ſuſcepiſſet periculum. Quo nihil exaggeratius dici, excogitariuè potuit.

2. Vt autem Filius non impar in dilectione erga homines Patri videretur, etiam quantum in ſe fuit, morti etiam vt Deus ſe obtulit, & quodammodò defraudatis deſiderijs diſceſſit, quia mortem in ipſa Diuinitate ſubire non poterat. Mœrore confectus, qui ex humana infirmitate procedebat, orauit ad Patrem, vt paſſionis calicem à ſe auerteret, mortiſque euaderet cruciamenta. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*, Matth. 26. verſ. 39. at verò eodem calice iam in cruce ebibito, æſtuanti ſiti iterum ipſum bibere exambit. *Sitio.* Ioa. 17. verſ. 28. Quid eſt hoc (inquit Bern. de paſſ. Domini cap. 13.) antequam calicem deguſtes, ò bone IESV, ipſum auertere ſatagis, atque obnixè oras, vt tranſeat: & poſtquam bibiſti, ipſum rurſus bibere concupiſcis? Vt

videó

videò mirabilis hæc cupiditas eſt : nam mortis hauſta tota ardentioris charitatis ſitis extinguitur. Quid vltra bibere cupis, quandoquidem vltrà progredi nequis? At in hoc magnum latet ſacramentum, quia nondum magnitudinem ſuæ charitatis impleuerat: etenim quantum in ipſo erat, non tantùm humanitatis, ſed, & Diuinitatis mortem affectabat, & niſi illius immortalitas repugnaret, per ipſum non ſtaret. *Quandò autem* (inquit Bern.) *paſſionis calicem, quem antea rogaueras auferri iam exhauſiſti: ſitio, dilectiones erga nos tua magnitudinem Commendaſti*. Perpeſſa morte adhuc dilectionis iuſtat ſitis, quia eius amor non ſolùm humanam vitam ponere cupiebat, ſed, & Diuinam etiam, ſi mortis eſſet capax. Commendat ſuam erga nos dilectionem ſuperſtiti morte ſubaſta ſiti, quia mortis Diuinitas manebat expers: vita fructus, adhuc charitas inſtat, quia Patris voluntas de morte in ipſa Diuinitate ſubeunda (ſi ipſa pateretur) nondum erat adimpleta. In tantùm de hominis ſalute, & redemptione exultat Chriſtus Dominus, vt nihil reputet, quod pro ipſis pertulit, ſed videatur eos ſibi potiùs habere in munere, quam emptos pretio, vel recompenſatione, quos honore, vita quiete, anima, & corpore emit: vndè nos meritò venundatos nuncupat Apoſtolus. 1. Corinth. 6. verſ. 20. *Empti enim eſtis pretio magno.* At ipſe Dominus gratis à Patre datos homines vocat Ioan. 17. verſ. 6. *Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi do mundo*. Quomodò gratis liberaliter datos reputat, quos ingenti ſui ſanguinis pretio emit? Suis planè meritis derogat, eos non mercedis, ſed liberalitatis titulo accipiens, quos infinito redemit pretio. Optimè Hugo de S. Victore in Cantic. *Charitas circa eorum ſalutem tanta fuit, quod cum eos pretio ſuæ mortis redemiſſet, non tam redemptos à ſe, quam à Patre ſibi datos commemorat quodam loco dicens; Pater quos dediſti mihi*. Ac ſi ſpontè eſſent oblati, eos exiſtimat, quia tali auiditatem eorum ſalutis flagrabat deſiderio, vt non tam pretio redemptos, quam ex gratia exhibitos reputet: ideòque quaſi eorum ſalus ſua eſſet, de illa maximè gloriatur. Inuenta oue, quæ per inuiam, & ſenticoſam terram errans perierat, aiebat paſtor ille, qui illam quærere aduenerat Lucæ 15. verſ. 6. *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat*. Si vtilitas ouis eſt, cur non ipſi gratulandum, ſed paſtori, qui potius laborem in reducenda oue, quam vtilitatem aliquam adinuenit? Rectè D. Greg. hom. 34. in Euang. *Notandum, quod non dicit congratulamini inuentæ oui, ſed mihi: quia ſcilicet eius eſt gaudium vita noſtra, & cum nos ad cœlum reducimur, ſolemnitatem lætitiæ ipſius implemus*. Quaſi non hominibus, ſed ipſi eſſet exhibitum redemptionis beneficium, ſibi arrogat exultationem, & lætitiam indè prouenientem, quia plus ipſe, quam nos de noſtra gloriatur ſalute.

3. Pergebat Chriſtus Dominus ad conſummandum per paſſionē redemptionis opus, iamque diſcipulis prædixerat, quanta mala in Ieruſalem à ſcribis, & ſenioribus paſſurus erat, & alacriter præcurrebat ipſis, ſequebantur illi timore correpti. *Et præcedebat illos IESVS, & ſtupebant*. Marc. 10. verſ. 32. De quo ſtupent Diſcipuli, cum non ipſis immineret periculum? Non enim ipſos, ſed ſe morti obuoxium prædicaret. Venuſtè Caiet. *Non mittebat diſcipulos ante ſe, quaſi timens, ſed antecedebat monſtrans per hoc ſe ſpontè ad paſſionem, & mortem progredi: propter quod ipſi diſcipuli ſtupebant videndo tam promptè ire ad locum paſſionis, & mortis*. De mira alacritate, qua ad mortem pergit, ſtupent: nam ſufficiens amoris argumentum eſt, mortem pergit, ſtupent: nam ſufficiens amoris argumentum eſt, mortem illatam alacriter perferre: de quo omnes Martyres gloriantur, nam illi non vitam poſuere, ſed ablatam liberè obtulerunt: at Chriſtus Dominus vitam poſuit, quia libenter ad mortem iuit, ipſoſque, pro quibus illam offerebat, præcurrit, & ipſos timentes anteceſſit. *Vt oſtendat* (inquit Theophilactus) *quod ad paſſionem præcurrit, & quod non refugit mortem pro noſtra ſalute*. Diſcipuli etiam ſcientes ſe non eſſe paſſuros, pro ſalute ſua tardiores ibant: Chriſtus verò viam carpens præcucurrit, vtpote qui magis noſtræ ſalutis ſolicitus eſt, quam noſmetipſi.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Gloriatur Deus de animæ deperditæ conuerſione.

1. EGreditur Deus in ſalutem populi ſui, & vt prædam ab inimico eripiat: caput percutit impietatis, & ſubacto ipſius imperio in libertatem gentem ſuam redigit, nam hoc maximè ſtemmate gloriatur, vt D. Hieron. in expoſitione noſtri Vatis expendit. *Percuſſiſti caput de domo impij*. (vt dixi) *principem huius mundi accipiamus, & domum ipſius mundum, omnemque animam peccatoris, in qua diabolus habebat hoſpitium. Idcircò autem percutitur caput in domo impij: vt illo percuſſo, atque eiecto fiat domus Dei, & habitet ibi iuſtitia, & ambulet in ea, & hoc dignum eſt ſentire de Deo, qui egreſſus aſt in ſalutem populi ſui cum Chriſto ſuo, vt percuſſo huiuſcemodi capite, ille fiat in nobis caput, qui eſt omnis viri caput, & Eccleſiæ ſuæ*. De hoc (inquam) inter eius facinora maximè gloriatur, hoc eius

tro-

trophæum eſt, animas in peccatis inueteratas è faucibus dæmonis eruere, & ſuper ablatam prædam exultare. Sic vbi iam morti proximus latronem exaudiuit obnixè deprecantem. *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Lucæ 23. verſ. 42. ſtatim ipſi beatitudinem pollicetur. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Cur tam præceps gloriæ repromiſſio ei, qui nuper cum commilitone nequam adijciebat conuitia? liquet ex Matth. cap. 27. & annotauit D. Ambroſ. commentat. in Lucat. *Sed, & illud ſoluendum, quod alij (ſcilicet Matthæus, & Marcus) duos conuiciantes inducunt latrones, iſte vnum conuitiantem., vnum repugnantem: fortaſſè, & iſte prius conuitiatus eſt: ſed repentè conuerſus eſt.* Quid ſubitò adegit in fidem flagitioſiſſimum hominem? Vt quid prodigioſam conuerſionem operatus eſt Chriſtus, & tam citò ei beatitudinem ſpoſpondit, qui paulò antea ipſum conuitijs impetabat? *Hodie* (inquit) *mecum eris in paradiſo.* Cur non procraſtinat donum, non moratur regnum: ſed abſque vlla cunctatione inſtantaneæ fidei fiduciam remunerat? Bellè Theophil. id ponderauit. *Et quemadmodum quiſque Rex victorioſus redens ex triumpho, optima prædarum fert ſecum; ſic, & Dominus prædatus portione diabolicarum prædarum, ſcilicet latronem, ducit ſecum in Paradiſum.* Inter exubias, quas Dominus reportauit, & à faucibus dæmoni eruit, optima prædarum fuit latro, quam ſecum victorioſus detulit, vt hac mirabili conuerſione triũphum adimpleret, & nobiliori victoria in cœlum ſcanderet: quia nihil tam ipſi blanditur, quam ſpolia, quæ radicitùs in poſſeſſione hoſtis erant, eripere, & inſignes peccatores emollire.

2. Arcanè ſatis hoc ipſum de Deo prædicabat Dauid Pſalm. 147. verſ. 17. *Qui dat niuem ſicut Lunam, nebulam ſicut cinerem ſpargit: mittit criſtallum ſuam ſicut buccellas* Caſſiod. Hug. Card. & D. Auguſt. de mirabili inueterati peccatoris conuerſione, in qua Dei potentia maximè elucet, illiuſque bonitas gloriatur, hæc verba accipiunt. *Quid eſt* (inquit Auguſt.) *ex niue veſtem laneam efficere? Quam de iſtis adhùc incredibilis, & frigidis ſpei veſtem charitatis, & pænitentiæ alijs efficere.* Et Hug. Card. *Eſt ſenſus, quod Deus facit per verbum ſuum de prædeſtinatis peccatoribus ſibi veſtem ad ornandam Eccleſiam, & calefaciendum frigidos flamma verborum ſuorum.* Quid enim mirabiliùs, quam ex ipſamet niue, ex qua frigus vehementiùs oritur, & quæ ſi corpus attingat, ſtatim rigeſcet, veſtem efficere ad arcendum frigus, quæ inſtar lanæ corpus foueat, & calefaciat? *Mittit criſtallum ſuam ſicut buccellas.* Quid etiam monſtruoſiùs, quam ex duriſſima criſtallo, quæ vix ferro ſecari poteſt, panem ſuauiſſimam alijs conficere? *Quid eſt criſtallus* (ait Auguſt.) *niſi nix multorum annorum tempore obdurata?* Quid idem peccator longo annorum numero peccatis adhærens, & obdureſcens, quam quædam criſtallus? Ex hac igitur criſtallo panem Deus mirabiliter efficit, ex quo aliorum vita ſuſtentetur: nam flante eius ſpiritu, quæ obriguerant, aquæ fluunt. *Mittit Criſtallum ſuam ſicut buccellas. Ferunt aliqui* (pergit Auguſtinus) *nimis duri, non iam niui, ſed criſtallo comparandi: & ſic ipſi prædeſtinati ſunt, & vocati: & quidam eorum ita vt paſcerent alios, & eſſent vtiles alijs. Criſtallus erat Paulus, obſtinatus, ſpirans minarum, & cædis: qui deindè factus eſt panis, niue, nebula, & criſtallo ſalutis à Deo. Emittet verbum ſuum, & liquefaciet eá.* Etſi nullus poſſit per ſe ſubſiſtere ante faciem frigoris eius, non tamen deſperandum eſt: quia emittet Dominus verbum ſuum carne aſſumpta, & duriorem liquefaciet criſtallum. Criſtallus quidem erat Paulus, criſtallus latro, criſtallus Magdalena, de quorum conuerſione plurimum Chriſtus fuit gloriatus. At non vult, vt ex illis ſumpta occaſione perſeueremus in peccatis, quia in ipſis ſe habuit, vt egregius pictor, qui ad portam imaginem ſtatuit, in qua artis potentia elucet, non vt ipſam vendat, aut alijs porrigat, quamuis id in ſua ſit poteſtate: ſed vt artis, & manus oſtentationem faciat, & ſic peritus in ipſa agnoſcatur, atque gloria ex ſuis operibus reſultante potiatur, in ipſiſque complaceat. Vbi autem opinionem eſt aucupatus, à ſtudio, & opere ceſſare ſolet, & raro, aut pro magno pretio labori incumbit.

3. Vbi Chriſtus Dominus primò mirabilitèr operans apparuit, quoſcunque ægrotos ſibi oblatos ad ſalutem reſtituit. Sic habes Matth. 4. verſ. 24 *Obtulerunt & omnes malè habentes, varijs languoribus, & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & curabat eos.* Myſterio non vacat, quod cum primò Chriſtus Dominus in terram venit, omnes ægrotos indiſcriminatim ſanauerit, omnibuſque beneficia contulerit nullo præmio, merito, prærequiſitaue diſpoſitione: deindè aliquid requirebat ab hominibus, vt ipſis ſalutem præſtaret, videlicet, fidem, & deſiderium conſequendorum bonorum, Sic Matth. 9. verſ. 29. *Fiat ſecundum fidem tuam.* Et ſępè alias. Cur qui tam liberalitèr primò conferebat beneficia, quin ex parte recipientis aliquid exigeret: poſteà decurſu temporis non niſi expectata, & cum magna fiducia petita illa conferebat? Non parùm ſuæ liberalitati derogare videtur expectans indigentis deſiderium, & fidem: nam generoſa beneuolentia præces anteuertit neceſſitati occurrens. Pulchra ſimilitudine Imperfectus huius diſcriminis tradit rationem. *Sicut nouitius Medicus* (inquit) *intrans in ciuitatem, & volens oſtentationem dare artificij ſui, omnes venientes ad ſe curat, & non tantùm cogitat de mercede accipienda, quantùm de opinione ſua commendanda: cum autem manifeſta fuerit fama eius bona, tunc ſecundum*

eundum laborem ſuum incipit exigere mercedem: Sic & Dominus incipiens prædicare, non ſecundum iudicium quoſdam, ſed omnes indifferenter ſanabat; poſtquam verò illum omnis Iudæa cognouit, beneficia ſanitatem digno pretio fidei venundabat dicens vnicuique: Fiat tibi ſecundum fidem tuam. Ne gloriam ex conuerſione gentium ipſi reſultantem amitteret, nullo vel fidei pretio miracula patrabat, quo tandem homines alliceret, & ad ſequelam inuitaret, quandoquidem gloria ſumma, & illuſtris fama in ipſum redundabat, nobiliùs ab inimico trophæum reportare ſatagebat. Quapropter annotauit Chryſoſt. quod de vocatione duntaxat Matthęi, Petri, Andręę, Iacobi, & Ioannis apud Euangeliſtas fit mentio, non verò de aliorum Apoſtolorum vocatione. Cur ita? Nonnè omnes ſaltem interiori illuſtratione fuerunt vocati? Cur igitur de his tantùm id exprimitur? Audi D.Chryſoſtom. *Quid eſt autem quod de alijs Apoſtolis nobis non dicitur, qualitèr, & quandò ſunt vocati, niſi de Petro, Andrea, Iacobo, Ioanne, & Matthæo? Hi enim maximè erant in conuenientibus, & humilibus ſtudijs: nec enim telonij officio eſt aliquod deteriùs, neque piſcatione viliùs.* Vt excitantis gratiæ Chriſti magis energia eluceſceret, à deterioribus officijs vocat Apoſtolos, & de vocatione horum, qui ex infima plebe, & vilioribus ſtudijs aſſumuntur, maximè gloriatur: quia ibi eius potentia magis oſtenditur, vbi naturę conditio, & occupationis abiectio magis obſiſtebant.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Aberrat, qui per virtutis viam abſq; Ductore incedit.

1\. PLanè deſipit quiſquis in re virtutis abſque magiſtro ſapere præſumit. Vitium vel abſque præceptore docente facilè percipitur: virtus, quæ non naturæ, ſed gratiæ opus eſt, difficultèr addiſcitur, niſi præambula erudientis lux antecedat. Vndè eleganter Seneca lib.6. natural. q. cap. vltimo: *Virtus difficilis inuentu eſt, rectorem ducemque deſiderat: etiam ſine magiſtro vitia diſcuntur.* Virtutis verus amator abſque ductore non arripit viam: quia procliuis valit ad lapſum, qui per ignotas vias abſque duce incedit: per arduas ſemitas iturus eius indiget ductamine, qui iam illas calcauit. Mulier illa, cui Eliſeus multiplicauit cenſum, vt creditoribus ipſam agitantibus ſatisfaceret; cum iam vaſa quæ mutuò petierat, oleo redundarent, adijt Prophetam, vt quid agere teneatur ipſam doceat; ſic enim habes. 4. Reg. 4. verſ. 7. *Venit autem illa, & indicauit viro Dei: qui ait: Vade, vende oleum, & redde creditori tuo, & tu, & filij tui viues de reliquo.* Ad quid mulier Prophetam auſcultat, poſtquam repleta ſunt vaſa? *Ad regratiandum ſibi* (inquit Lyra) *ne ingrata videretur, & ad quærendum conſilium, quid faceret de oleo: quia nolebat agere, niſi ſecundum diſpoſitionem Eliſei.* Quod Prophetam petat, vt pro beneficio exhibito agat gratias, non abnuo, hoc eſt enim rationi conſonum: aſt ad petendum conſilium, vt de oleo diſponant, ſuperuacaneum videtur, cum ipſa optimè ſciret, quid creditoribus deberet, & conſilium non niſi de arduis diſquirendum ſit. Vt quid igitur fruſtrà demoratur in debitorum ſolutione, & non niſi præuio vatis conſilio de oleo diſponere audet? Gratiam, & ſupernaturalia dona in oleo agnoſcit Gloſa Moral. Ergo in eo piæ mulieris elucet ſanctitas, & probatur virtus, quod inconſultò Dei viro non audet vti huiuſmodi gratia, & dono Dei: verebatur enim niſi eruditionis auctuarium conſuleret, à recto virtutis tramite aberrare. Eruditionem vatis requirit, vt ipſius ſequela, & depoſito proprię pręſumptionis ſaſtu ſincera virtutis videatur amatrix. Egregiè periculum ſine duce currentis agnouit Iſaias c.53. *Omnes nos quaſi oues errauimus.* At vndè communis error, de quo tantùm dolet, & mæret Propheta? Iam enim indigitat. *Vnuſquiſque in viam ſuam declinauit.* Omnes à via aberrauerunt, nulluſque debitam metam attigit, quia vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, nulluſque alio præeuntę inceſſit, ſed adhæſit proprio iudicio. Optimè peccatores, qui à lege, & voluntate Dei receſſerunt, errantium ouium quæ nec paſtoris vocem audiunt, nec veſtigia ſequuntur, ſimilitudine notantur: quia diſperſus grex abſque duce errans per abrupta ſaxa ſe dat præcipitem. Vndè monebat D. Hier. epiſt. 4. ad Ruſticum, nec lato vngue a Magiſtro diſcedere: *quia nulla ars* (inquit) *abſque magiſtro diſcitur, etiam muta animalia, & ferarum greges ductores ſequuntur ſuos* (& paulò antè:) *Nec ipſe te doceas, & abſque doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingreſſus es, ſtatimque tibi in partem alteram declinandum ſit, & errori pateas.* Nullus ergo virtutis viam tuto aggreditur, niſi præeuntem inſequatur magiſtrum.

2\. Saulo cœlitus vocato apparuit Dominus, non tamen de rebus agendis in prima conuerſione ipſum pleniùs informauit, ſed ad Ananiam informandum remiſit. *Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Actor. 9. verſ. 7. Cur Dominus non per ſemetipſum ad pietatem Paulum inſtruxit, quem per ſemetipſum ab impietate reuocauit? Hoc enim eruditionis officium præcipuè ipſi competebat, vt opus inceptum perficeret, & gentium Doctor non niſi à ſapientię

pientiæ edoceretur fonte, ibique ſalutatem alijs propinandam ebiberet doctrinam. Pulchrè Abbas Moyſes apud Caſſianum Collat. 2. cap. 24. difficultati occurrit. *Mittit* (inquit) *hunc ad ſeniorem, eumque illius potiùs doctrina, quam ſua cenſet inſtitui, ne ſcilicet, quod rectè geſtum fuiſſet in Paulo poſteris malum præſumptionis præberet exemplum, dum vnuſquiſque ſibimet perſuaderet ſimili modo quoque debere ſolius Dei magiſterio atque doctrina potiùs, quam ſeniorum inſtitutione formari.* Vt aditum præcluderet, ne quiſquam præſumeret à Deo immediatè in virtute inſtrui, Saulum ad magiſtros remittit, vt innuat nobis in virtutis ſchola magiſtro opus eſſe, qui caliginem abſtergat, & per tutas atque erroris alienas vias manu ducat: eſſet enim pernitioſa præſumptio abſque magiſterio humano Dei ducatum per arduas, & difficiles ſemitas tantùm requirere. Quò ſpectat D. Bern. in declamat. *Alius ſine duce, & præceptore ſpirituali remedium apprehendere facilè cogitans, ambulat in magnis, & mirabilibus ſuper ſe, vt vulgò dicitur, ſaliens antequam videat, caſurus antequam debeat.* Magno diſcrimini exponitur, qui ſcientiam virtutis ſibi arrogat, & ab alio ediſcere negligit. Hinc cœleſtis Sponſa ſcire cupiens ab ipſo Deo, vbi paſcat, vbi requieſcat in meridie, vt ſociam ſe ipſius præbeat, ad paſtores, & legis magiſtros remittitur conſulendos. Cantic. 1. v. 8. *Abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Quaſi dicat: Scite cupis, vbi ego inueniar, paſtoritia tabernacula tibi eſſe poterunt diuina tabernacula, ex quibus quidquid deſideras, ſi non feliciùs quam ex me, humiliùs tamen ediſces, & proindè tibi auſcultes, & iuxta ipſorum monita ages.

3. Ex diſcipulis Domini primus, qui Ioannem audierat, Andreas nempè, Simonem fratrem vocauit. *Et duxit eum ad IESVM: intuitus autem eum IESVS dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ioan. 1. verſ. 44. Statim ac Chriſtus Dominus Simonem vidit Andream ſequentem ipſum Petri nomine inſigniuit, quod præſagium fuit ſummæ dignitatis, ad quam poſteà erat ſublimandus, & ex tunc iam ipſi primatum Eccleſiæ pollicetur. At cur non Andream, qui in collegio Apoſtolico erat prior, fratriſque Simonis magiſter, ſiquidem illum ad IESVM adduxerat, delegit ad Eccleſiæ apicem: ſed Petrum denuò vocatum, & quem non tam expertum habebat. Cur Petrus faſtigium tenet: poſtpoſito eius magiſtro? Venuſtè Alcuinus ibid. electionis motiuum rimatur. *Adduxit eum ad IESVM, & dixit: Tu es Simon. Ioanna gratia, Iona columba. Quaſi dicat: Tu es obediens filius gratiæ, vel filius columbæ, ideſt, Spiritus Sancti, quia humilitatem de Spiritu Sancto accepiſti, vt vocante Andrea, videre me deſiderares. Non enim dedignatus es maior minorem ſequi.* Confeſtim vt Chriſtus vidit Petrum Andream ſequentem, illum deſtinauit in Eccleſiæ caput, & futuri principatus nomen impoſuit, quia magiſterium fratris non recuſauit: ſed ducente Andrea, qui minor erat ætate, vt tenent Beda, Alcuinus, & alij, ipſum fuit inſecutus. Sic enim gratum Deo eſt, & nobis vtilè, magiſtrum præeuntem ſequi, vt, & huiuſmodi ſequela ad dignitatis faſtigium Petrus ſublimetur. *Non enim dedignatus es maior minorem ſequi.* Nam nihil Deus magis curat, quam vt intelligamus, quam nobis ſit proficuum ſpiritualibus vti magiſtris, qui probata dexteritate in virtutis via nos erudiant.

4. Primas ſedes duobus filijs filiorum Zebedei mater ambibat, pro ipſiſque aſſequendis obnixè deprecatur. Matth. 20. v. 21. *Dic, vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Filiorum ſuggeſtione mater poſtulabat. At cur Deus permiſit, in tam fœdum ambientium errorem huiuſmodi diſcipulos doctrina, & ſanguine cognatos collabi? Cur patitur tam execrabile vitium in ſuos aſſeclas, & clientes ſerpere? Auſculta Imperfectum: *Frequenter Dominus patitur diſcipulum ſuos aliquid non rectè, aut dicere aut agere, aut cogitare, vt ex illorum culpa occaſionem inueniat docendi, & exponendi regulam pietatis, ſciens, quia ipſe error eorum non nocet præſente Magiſtro, & omnes non ſolùm in præſenti, ſed etiam in ſuturo doctrina eius ædificat.* Vt vis, & efficacia Diuini Magiſtri clareſceret, permiſit, vt in errores quandoque laberentur diſcipuli, quia ipſo præſente, & doctrinam miniſtrante nullus error efficiebat: hoc, enim ſapientiſſimè curat Deus, vt intelligamus, quanti debeamus habere ſpirituales vitæ magiſtros: hæc enim eſt Diuini magiſterij vis, & efficacia, vt ex fœdiſſimis erroribus vtilitatem nobis acquirat. Deplorandi ergo plures, qui dum ſpiritualem vitam inſtituunt, magiſtrum reſpuunt. Hi quidem etiam dum ſibi de virtute blandiuntur, iacent vitijs implicati: cum è contrà vbi adeſt Diuinum magiſterium, etiam dum miſerandos lapſus deflemus, vtilitates debeamus ſperare quam maximas. Quanti ergo habenda eſt res illa, qua exulante virtutes labuntur, qua præſente etiam vitiorum lapſus nobis ſtatuunt conſtantem, & felicem fortunam? Vndè Deus in ſalutem populi ſui egreſſus perhibetur. Hic verſ. 13. *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.* Vt ipſum ductaret, & erudirent, abſque duce, & magiſtro paſſim aberraret.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Malorum contagium vel Sanctos lædit.

1. IMpiorum ſocietas ingenuam virtutis indolem facilè corrumpit, & in ſeruiles vitij mores degenerare facit. Malorum conuictus oculos vrtutis faſcinat, & malitiam affricat, contagium exhalat, quod vel ſanctiſſimam vitam inficit. Vbi Deus Moyſem ad Pharaonem mittere decreuit, inter alia, quæ ipſi tradidit ſigna in Ægyptiorum conſpectu patranda, manum in ſinum mittere præcepit, quæ lepra candens egreſſa apparuit. *Mitte manum tuam in ſinum: quam cum tuliſſet, protulit leproſam.* Exod. 4. 6. Cur vt manus langueat, & inficiatur lepra, ipſam in ſinum mittere iubet, & ab illo egreſſa infirmitatem contraxit? Numquid ægritudinem à pectore hauſit, quod ipſum inuiſere fuit neceſsè, vt exindè contagium in ipſa ſerperet? Sic enim capiendus videtur Theod. quæſt. 10. in Exod. *Quid ſignificat quod manus Moyſi reddita eſt leproſa? Familia Iacob in pietate educata eſt: profecta eſt in Ægyptum: ſed illic impietatem Ægyptiorum didicit, & quaſi leproſa facta eſt. Vix fieri potuit, quod diù maneas apud impios, quin illorum inficiaris malitia.* Generoſa Moyſis familia in pietate educata, apud Ægyptum degens illius ebibit errores, & malo exemplo illuſtris illius ſanctitas imbecillè degenerauit; quia conſtantior virtus à praua ſocietate impotenter examinatur, & pietas ſenſim in impietatem tranſit. Ideò hoc noxium conſortium expertus Moyſes ab Ægypto egreſſurus dixit ad Pharaonem: *Cuncti greges pergent nobiſcum, præſertim cum ignoremus, quid immolari debeat.* Exod. 10. verſ. 26. Num ignorabat Legiſlator ex mundis animalibus victimas, & holocauſta fieri debere, quod ſe, & populum id ignorare affirmat? Quis in obliuionem adegit firmam illam præceptorum notitiam, quæ apud pium populum vigebat? Auſculta eundem Theodoret. in Catena Græca. *Quid mirum, ſi tamdiù verſati inter Ægyptiorum ſuperſtitiones Hebræi ſuos ritus erant obliti?* Solerter Moyſes cuncta pecora ſecum adducere ſatagebat, quia diù populus inter Ægypti ſuperſtitiones commoratus, ſacrorum rituum erat oblitus, & cæremoniæ ipſi traditæ per diſſuetudinem inoluerant, atque in prophanos cultus degenerauerant. Sic malitia peſtilens ſerpit in proximos, vt infectos Ægypti erroribus omnis Dei cultura langueſceret. Sic malum exemplum præualet, vt, & mortuos ab eo infici timeatur: ideò enim Ioſeph oſſa ex Ægypto ſecum tulit Moyſes, vt habetur Exod. 13. verſ. 19. *Tulit autem Moyſes, oſſa Ioſeph ſecum.* Vbi ponderosè Oleaſt. *Non æquo animo ferebant ſancti inter impios requieſcere, neque cadauera ſua permittunt inter impios haberi.* Veritus Moyſes ne idololatrarum commercio prophanarentur oſſa Ioſeph, ipſa ab Ægypto eruere curauit: tantopere impiorum conſortium vitandum eſt, vt, & mortui ab illorum conſortio exulent, ne illis peſtem vicinitate allinant.

2. Iſaiæ 9. verſ. 5. de ſuis ſordibus conqueritur Vates. *Væ mihi, quia vir pollutus labijs ego ſum.* Vndè hæ labiorum ſordes ſanctiſſimo Prophetæ adhæſerunt? Ipſe iam indicat. *Et in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Ex malorum contubernio pollutus euaſit Propheta, ac ſi originale eſſet populi delictum, quod in vicinos omnes ſerpit, quandoquidem neque pietati viri ſanctiſſimi pepercit. Quod optimè hic ponderauit D. Hieron. *Plangit ſe Propheta, quia non fuit dignus laudare Dominum Sabaoth cum Seraphim. Non fuit autem auſus laudare Dominum, quia labia habebat immunda: & propterea labia habebat immunda, quia cum peccatoribus ſimul verſabatur.* Familiare cum peccatoribus commercium ipſam ſanctitatem commaculat, & patrandorum ſcelerum fomes eſt: proindèque nullus huius veneni conſcius ipſum non formidat. Ad eundem Prophetam mittitur Seraphim, vt labia, de quorum pollutione querebatur, purificet. At non manu tangit, ſed forcipe cauterium affricat, vt notauit idem Hieron. *Mittitur vnus de Seraphim, qui non manu, ſed forcipe & carbone tangat os eius, & iniquitatem auferat.* Cautè Angelus inquinatum hominem tangere non audet, quaſi à malitiæ contagio; vel Angelo timendum fuerit. Sic Matth. 17. verſ. 17. narratur, Chriſtum Dominum lunaticum puerum ſanaſſe, quem diſcipuli curare non potuerant, ſic enim eius parens dicebat, *Et obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum.* Cur diſcipuli ægrotum curare non valent. An neceſſaria illis ad miraculum efficiendum non ſuppetebat fides? Ita planè D. Hilarius. At vndè huiuſmodi defectus oriebetur? *Crediderunt* (inquit Hilar.) *Apoſtoli; ſed nondum erant perfectæ fidei, nam Domino in monte demorante, & ipſis cum turbis reſidentibus, quidam torpor eorum fidem relaxauerat.* Ab imperfectorum hominum conſortio diſcipulorum languebat fides: quia nulla eſt ſanctitas, quam non inficiat peſſima peccatorum ſocietas.

3. Adeò impiorum praua conuerſatio ſanctitatem prophanat, vt & ipſum Dei ſanctuarium illorum vicinitate reddatur immundum: quare Deus quot annis illud expiari iubebat Leuitic. 16. verſ. 26. *Expiet ſanctuarium ab immunditijs filiorum Iſrael, & à præuaricationibus eorum, cunctiſque peccatis.* Vbi grauitèr Caiet. noxium pranorum commercium ponderat: *Tanquam pollutum non ſolùm ab immunditijs legalibus, ſed à grauioribus peccatis reputat*

tat

tat Deus ſanctuarium ſuum ex hoc, quod eſt in medio eorum, tamquam immunditia, & peccata filiorum Iſrael redundauerint in domum Dei: proptereà enim ſemel in anno ſtatuit, mũdandam domum ſuam, ità quod nihil exemptum à contradictione immunditiæ relinquebatur in veteri lege. Sed non ſolùm immundabantur inanimata, & animalia, & homines, ſed etiam ipſum Dei templum immunditiam contrahebat, ità vt ſemel in anno egeret mundatione. Quin & ipſemet Deus coinquinari ſe dicit malorum ſocietate. Sic Ezechiel.22.26. *Coinquinabar* (inquit) *in medio eorum*. Tam potens eſt colludentium malitia, vt à conſortio prauorum Prophetarum, & ſacerdotum Deus quodam modò inquinetur, vt exponit Diu. Hieron. *Inter tales Prophetas, & ſacerdotes medius Dominus inquinatur*. Quid mirum, quod homines timeant, Angeli vereantur peſtilentes mores prauorum contrahere? Fortè hùc reſpicit, quod Chriſtus Dominus de Angelis humilium tutelaribus locutus dixit Matth.18. v.10. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt*. Num Angeli, qui in cuſtodiam peccatorum deputantur, Deum non vident, quod tantùm id de patronis iuſtorum affirmatur? Enimuerò dubio abſque ipſum intuentur, cum ſint beati. Cur igitur non de ipſis dicitur, quod Deum videant? Præclarè Theophil. *Apparet autem ex hoc, quod licèt omnes Angelos habeamus; peccatorum tamen Angeli, quaſi propter nos confuſi minùs fidentes ſunt, neque ipſi poſſunt tam liberè videre faciem Dei*. Id à peccatore quaſi accipit Angelus, quod à culpa peccator, verecundiam ſcilicet, confuſionem, ac metum. Hinc ex illorum conſortio non tam liberè audet videre Deum, etſi ſemper, vt potè beatus, illi aſſiſtat: quia culpæ reatum ex peccatoris ſocietate, quam ex munere habet ſibi quodammodò affricat. Vt vel hinc diſcamus, quam longè ſit impiorum commercium fugiendum, quippè quod Apoſtolicam, & Angelicam ſanctitatem, imò & ipſum Deum aliquo modo inquinat, & inficit. Vndè comitem plebis ſuæ ſe ſe Deus præbet, vt ipſam erudiat, ab illaque omnem noxiam ſocietatem exterminet. *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo*. Hic verſ.13.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Neque nimio timore, neque ſpe nimia ad cœlum itur.

1. GRauiùs nocere ſolet, quod inexpectatum accidit; periculoſum ergo eſt aduerſum non timere euentum. Verùm & timor pariter periculoſa res eſt, nam animum eneruat, & proſternit. Ergo vtrumque neceſſarium eſt, & Diuinus timor, & ſupernaturalis ſpes: nam ab hac animus erigitur, & ab illo robur excitatur: nam vt ſententioſè dixit Seneca. *Animus vereri, qui ſcit, ſcit tutò aggredi*. Timor ſi nimiùs non ſit, fortitudinem ingerit; ſi nimia ſit ſpes, imbecillitatem, & inertiam; quia nimis audax fiducia infirmitatis eſt argumentum; vtriuſque autem extremi expertum eſſe oportet, qui ad cœlum tendit, dixit Philo lib. de Abraha. *Nullæ res tam infeſtæ ſunt ad inuicem, quam timor & ſpes: tamen hæ duæ conuenire debent inter ſe in eodem homine, vt ſatis remedium habere poſſit*. Ex optimo timoris, & ſpei temperamento optima diſpoſitio animæ reſultat. Otiatur laxior ſpes, vbi vacat timoris anguſtia: & depellitur timor, vbi nimis audax inuenitur ſpes. Quem ſpei armatura firmat, infirmum reddit timoris abſentia. Timendus ergo Deus eſt, ſed non ità, vt in deſperationem declinemus: neque illi ità fidendum, vt in perniciosa ſecuritate naufragium faciamus. Sic Cain, quem perpetuò formidabat, perpetuò fugiebat: neque vnquam metu perculſus, & exanimatus ad Deum, à quo fugerat, fuit reuerſus. Sic pariter tremuit vniuerſa terra ad conſpectum Dei in carne crucifixi: tremuit, & ſtetit, & quandò timebat, ſuis viſceribus ipſum damnatorum infernum amplexabatur; nec tamen dum tota ad conſpectum Dei patientis tremens quatiebatur, è corde ſuo damnatos ſpiritus euomuit: ſed frigido timore rigeſcens arctiùs retinuit. Huius pernicioſi timoris ſymbolum extat octauus orbis, qui perpetuò ſuper arietem, & libram agitatur, vt aduertunt Aſtronomi, ſed nondùm ab orbe condito conuerſionem integram effecit, nam in medio curſu identidem reuocatur: vndè idoneæ trepidationis motus dicitur. Sic ergo ea anima, quę timore ſolùm carpitur, & obruitur, omnem penitùs ſpei aditum intercludit: dum aduertit ad Diuinam iuſtitiam, & ſua grauiſſima ſcelera continuò librans temefacta contabeſcit, contremeſcit, perpetuoque pauet, neque vnquam reuoluitur, vt ad Diuinam miſericordiam recurrat, eamque deprecetur. Spe ergo attemperandus eſt timor, fiducia reſpirans peccator aſpiret ad patriam.

2. Vt in deſerto Dominus populum ad promiſſam terram ductaret, columnam prębuit itineris ducem, quæ alterna viciſſitudine nubis vmbraculum erat in die, & fax illuminans erat in nocte. *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis*. Exod.13. verſ.21. Diuerſa munera obibat: nam in die obumbrans mulcebat; in nocte verò ignis ferocia terrebat populum. Haud aliter qui ad promiſſam patriam pergit, inter vtrumque lucis, & ignis, timoris, & ſpei affectum debet ver-

 ſari,

ſari, vt vires timore laxatæ ſpei dilatatione reficiantur. Sic de columna illa philoſophatur Clemens Alexan. orat. ad gentes. *Multiplices habet Seruator voces ad ſalutem, multiplices modos: & igne terret homines ex columna flammarum accedens, quod eſt ſimul gratiæ, & timoris indicium. Si obedieris, lucem: ſi non obedieris, ignem.* Vtrumque enim vna eademque columna pollicetur, & ſupplicium, & remedium lucens; ſupplicium ardens; ſic namque cœleſte nobis monſtrat iter quia lucens nobis manifeſtat Diuinæ omnipotentiæ maieſtatem, vt ab illa ſperemus: & inſuper ardens flammas inferni minatur, vt timeamus. Porrò qui timore tantùm exagitatur, debilis, & infirmus expalleſcit, & corruit, is autem ſpe indiget, vt animum fiducia erigat: qui autem nimia ſpe otiatur, & timore vacuus exiſtit, ipſo indiget, vt maſculam fortitudinem aſſumat, & audacior ex timore euadat.

3. Hoc timoris firmamentum optimè in viro iuſto percalluit Salomon, cuius fiduciam coninam nuncupat Prouerb. 28. verſ.1. *Iuſtus quaſi leo confidit*. Quid leo commune cum iuſtis habet, vt ipſi conferantur? Leo (inquit Pierius lib. 1.) maxima febri continuo cruciatur, illique obnoxius eſt, & vt plurimi annotarunt, ita febricitat, vt febrem antecedat tremor frigidus, ſicut in tertianis ſolet contingere, vel ipſam comitetur, eo quod leonis inferior pars terræ frigiditatem participat. In quo mire denotatur iuſti confidentia, qui ita in Dei miſericordia confidit, vt pariter timeat & contremiſcat, Dei iuſtitiam contemplatur; proindeque inter Dei timorem verſatur, & ſpem. Animoſior bellua (qualis eſt leo) mixturam habet timoris, vt eius ferocia cortigatur, & vel ipſo timore, cui febricitans ſubijcitur, non pluſquam par eſt, ſit animoſus: quia timor non animi eſt expers, quin potiùs vires adminiſtrat. Vndè audito quod Lazarus languebat in Bethania, & ad ipſum ire decernente Chriſto Domino, cæteriſque reluctantibus diſcipulis, timore ſolicitis, ſolus Thomas animosè ire non formidat. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos: Eamus, & nos, & moriamur cum eo*. Ioan.11. Vndè Thomæ tam audax reſolutio, vt cæteris nutantibus, ipſe periculum appetat, & mortem parui pendat? *Eamus, & nos, & moriamur cum eo. Relequis erat infirmior*, At vndè colligit Thomam infirmiorem eſſe, quandoquidèm metus, qui alios inuaſerat, ipſum non tetigerat? Verum vndè huiuſmodi infirmitas, niſi ex metu? Quia meticuloſior, & infirmior omnibus erat, ideò præ omnibus ſtrenuè audet; infirmitas enim timoris audaciam gignit, quia timoris defectum animoſa ſupplet ſpes: Audacter timet, qui pauorem ex infirmitate deponit; maiori enim quam cæteri, Thomas concutiebatur timore, & ideò pluſquam cæteri audet: quia in ſalutis via timor temperatus ſpe generoſos ſpiritus gignit. Ideò ne populus timore deficeret, ſe ipſius comitem Deus præbet. *Egreſſus es in ſalutem populi tui*. Hic v. 13. Et ne plus æquò ſperaret, arrogantis impietatis caput, contriuit, vt in ipſo populus periculum faceret, & timore, atque ſpe pariter fulciretur, *Percuſſiſti caput de domo impij &c.*

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Ignobilium proprium vitium eſt detractio.

1. ETſi noſtræ inſita ſit alienæ laudis auaritia, tamen hoc vitium in hominibus infimæ ſortis maximè ſolet regnare qui facilè aliorum calumniæ acquieſcunt, & præcipites in detractionem feruntur; ad quemcumque enim proximi defectum eorum lingua prurit, & procliues ſunt ad denigrandum murmurationis næuo aliorum honorem, & famam. Vndè dixit D, Hieron. *Vilium ſatis hominum eſt, & ſiccam laudem quærentium detractio, alios viles facere, quia alterius vituperatione ſe laudari putant, & qui ſuo merito placere volunt in comparatione malorum*. Inter alias plagas, quibus Deus percuſſit Ægyptum, ſciniphes Deus immiſit, qui continuò homines, & pecora agitabant. *Percuſſit puluerem terra, & facti ſunt ſciniphes in hominibus, & iumentis*. Exod. 8. verſ. 17. Orig. pulchrè huiuſmodi ſciniphes cum detractoribus dialecticis comparat. *Hoc animal* (inquit) *pennis quidem ſuſpenditur per aera volitans: ſed ita ſubtile eſt, & minutum, vt oculi viſum niſi acutè cernentis effugiat: corpus tamen cum inſederit, acerbiſſimè terebrat ſtimulo, ita vt quem volitantem videre quis non valeat, ſentiat ſtimulantem*. Sic detractor viliſſima, & abiectiſſima recula, quæ vt ex puluere orta vix videri poteſt, ſubtiliùs verborum ſtimulis animam terebrat, & tanta calliditate circumueuit, vt qui pungitur deceptus, neque videat, nec intelligat vndè decipitur. Plaga hæc omnes reſpublicas peruadit, in quibus ij, qui ex terræ puluere ſurgunt, haud aliter quam ſciniphes nemini parcunt, & ex terræ putrefactione geniti nouniſi cum ſtimulant, cognoſcuntur; niſi cum famam lædunt, & honorem rodunt, à nemine videntur: & vt in pretio habeantur, alios vituperant, & propriam vtilitatem aliena honeſtare prætendunt. Inuiſus inuolat, qui alteriùs honori inſidiatur, vt ex inexſpectato ſpicula figat.

2. Voluit Moyſes populum excitare ad reuerentiam, & obſeruantiam legis per benedictionem obedientibus cōferendam, & tranſgreſſores maledictionibus mulctare. *Præcepit*

(inquit

(inquit text. Deuter. 27.) *Moyſes populo in die illo dicens: Hi ſtabunt ad benedicendum populum ſuper montem Garizim, Iordane tranſmiſſo, Simeon, Leui, Iudas, Iſſachar, Ioſeph, & Beniamin: & è regione iſti ſtabunt ad maledicendum in monte Hebal, Ruben, Gad, & Aſſer, & Zabulon, Dan, & Nephtali.* Non parua hic excitatur difficultas inter Interpretes, cur ſcilicet primas tribus deſignauerit Moyſes, vt benedictiones, & laudes intonarent; ſecundas verò, vt maledicta, & vituperia iactarent? Quid primæ meruerunt; quid demeruere ſecundæ, vt tam diuerſa, & oppoſita munera ipſis commendaret, & alis ad benedicendum deſtinatis, alias ad maledicendum deſtinaret? Egregiè Theodor. quæſt. 34. in Deuter. quæſtionem dirimit. *Notandum eſt* (inquit) *benedicendi facultatem conceſſiſſe tribubus ex liberis oriundis; ad maledicendum verò ſeruis ſeruos conſtituit.* Tribubus ex ingenuis ortis parentibus, vtpotè quæ nobilitate præfulgebant, benedicendi facultatem impertiuit, quia nobilium eſt laudandi ardore flagrare, & in aliorum laudes effundi, ac de nemine verbum malum profari; iis verò tribubus, quæ ex ſeruis, & mancipijs ortum ducebant, liberam maledicendi conceſſit facultatem, quia ſeruorum, & ignobilium atque ex infima plebe natorum proprium vitium, & ingenium eſt detrahere, maledicere, & noxia linguæ garrulitate aliorum famam, & honorem maculare, atque non aliter quam ſciniphem pungere, quem (vt dixit Orig.) volitantem videre quis non valet, & ſentit ſtimulantem. In tenebris enim huiuſmodi ſciniphes è puluere eleuati deliteſcunt, vt ſecuriùs lædant, & à nemine videantur: his equidem meritò maledicendi poteſtas conceditur, quæ cum ſua natura, & propenſione optimè congruit. Solerter Moyſes munera adaptauit ingenijs benè moratis atque nobilibus tribubus benedictionem commendauit: ſeruilis verò conditionis genti maledictionem, vt vehementiùs vtramque imperrirent: exultans enim & libenter ad laudes fertur generoſa indoles: & ad maledictionem obſcura, & ignobilis: vndè S. Paulinus epiſt. 1. dixit: *Calumnia eſt importunum vacui culicis murmur.* Et Sineſius detractionem *Cynædorum ſuſurrum* vocauit: putat enim eſſe ignauiſſimum hominum genus, quod de vita moribuſque aliorum detrahit, & calumniatur, quamdamque illis ineſſe inclinationem ad murmur, & quoddam fatum, vt Cynædorum gregi adſcribantur, veluti fæces & periſpema reipublicæ. Indè Dominus iudicaturus mundum benedictionem iuſtis imperriendam à ſeipſo confert. Matth. 25. verſ. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Maledictionem verò ſuper impios fulminandam, non ſibi adſcribit, ſed imperſonaliter de illa loquitur. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Ibid. Vt quid benedictionem ſibi arrogat: maledictionem verò renuit? Nonnè idem ipſe eſt, qui ſupplicia confert, & præmia? Vtique. At maledictionis non vult Author videri, ne maledicentis notam ſubeat, & à nobiliſſima ſua natura non ad vituperia, ſed ad laudes prona degeneret: ignobiles enim, & nullo ſtemmate decorati ad maledicentiæ vitium facillimè feruntur.

3. Narrat latenter Hiſtoricus ſacer peſſimum crimen, quod filij Iacob ex concubinis Bala, & Zelpha procreati perpetrarunt, quodque Ioſeph poſteà apud patrem accuſauit. Gen. 37. v. 2. *Ioſeph, cum ſexdecim eſſet annorum paſcebat greges cum fratribus ſuis adhùc puer, & erat cum filijs Balæ, & Zelphæ vxorum patris ſui.* Conueniunt Interpretes huiuſmodi vxores, cum quarum filijs conuerſabatur Ioſeph, ancillas fuiſſe Iacob: aſſociabatur autem illis, quia cum filij Liæ ex libera eſſent, maiorem in paterna domo habebant exiſtimationem, ac proindè ægrè ferebant, quod pater fauoribus proſequeretur Ioſeph, quem iam deſpiciebant, quia mortua iam eius matre Rachel, Lia tantùm dominabatur, vt aduertit Lippoman. in Caten. *Ioſeph ergo iam mortua matre ſociabat ſe filijs ancillarum, videlicet Dan, & Nephtali, Gad, & Aſſer, qui à Lia ſola dominante forſan deſpicabantur.* Hi autem concubinarum filij flagitium commiſerunt, de quo Ioſeph ipſos accuſauit: quodnam autem illud fuerit, ſcriptura non exprimit, ſed tantùm indigitat infamiam indè reſultantem, quæ Ioſepho innotuit, ex eo quod comes illorum erat: ideòque ignota manet ſpecies criminis, genus autem ſcitur, & quod peccatum infamè eſſet, & tantùm vili mancipio dignum. At vndè id colligitur? Auſculta Caier. *Et ſcitur, quod non omnes fratres, ſed filij autem tantùm concubinarum delati ſunt: proptereà enim Moyſes verſatum Ioſeph inter illos narrat.* Aliqui exiſtimant, hoc crimen peſſimum fuiſſe: ſodomiam probabiliùs arbitratur Marius, cui adſtipulantur nonnulli, murmurationem fuiſſe filiorum Iacob aduerſus patrem, eo quod præ cæteris filijs diligeret Ioſeph. Verùm cur filij duntaxàt ex ſcorto, & illicito ancillarum concubitu nati patris famæ inſidiabantur, ipſiſque detrahebant? *Filij tantùm concubinarum delati ſunt.* Ob id ſanè: nam ignobiles, & infami natali procreati procliuiores ſunt ad inuerecundè loquendum, & vel de ipſo patre murmurandum: nobiles verò, & ingenui ad laudes faciles, & ad honorandum propenſi. Deſpecti ancillarum, & concubinarum filij, vel patrem dehoneſtare non verentur: at generoſus Ioſeph ex nobili matre ortus non ſolùm detractioni non conſentiebat, ſed etiam ſeruile fratrum ingenium abhorrens, crimen apud patrem accuſauit. Ideòque meritò in ſeruitutem redigitur Chaldæorum princeps, qui malè de Deo locutus, & Di-

& Diuinitatem ſibi arrogans ſeruilem conditionem oſtendit. *Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum eius vſque ad collum.* Hic verſ.15.

DISCVRSVS VIII. MORALIS.

Munera cum diſcretione conferenda.

1. NOn temerè, ſed magna prudentia officia, & honores ſunt conferendi. Liberalitas, & munificentia accuratè merita candidatorum debet trutinare, atque ponderere, & menſura præmia diſtribuere: nam ſine delectu, & ordine porrigere ipſum deuenuſtat largitorem: quia ſine diſcrimine omnia præſtare diaboli eſt, qui cuncta Chriſto Domino fuit pollicitus. Matth.4.verſ.9. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Qui omnia porrigit, oſtendit ſe illa non meruiſſe, & indignè eſſe in ſua poſſeſſione: quod pulchrè annotauit Chryſolog. inordinatam Herodis prodigalitatem reprehendens. Vidit ille fallacem fœminam inhoneſtè tripudiantem, & illius impudicitia allectus dimidium regni, ſi ipſa expoſcat, pollicetur. Marc. 6. verſ.23. *Etiam ſi dimidium regni mei petieris, dabo tibi.* Miratur Chryſolog. quod non iam integrum ipſi promittat regnum: nam regno, & poteſtate erat indignus, qui ità præceps ad ſaltationem laſciuienris puellæ dimidium regni obtulit. *Et quare ſibi partem ſeruauit, qui eſſe, & viuere non debebat?* Neſcio quomodò non integrum regnum promiſit, qui, aut quia neſciebat largiri, aut quia prodigus videri cupiebat, propter nullũ meritum regni dimidiam partẽ obtulit. Satis ſe regno indignũ oſtendit, qui quod habet largiendum, in vno tantùm accumulat.

2. Dauid habenas populi Iſraelitici moderante, prolixa fame, quæ ad ſpatium trium annorum fuit prorogata, Iſraelitas Deus percuſſit, & crudeli plaga cruciauit: ſic enim habetur 2.Reg.21. verſ.1. *Facta eſt quoque fames in diebus Dauid tribus annis iugiter.* Diù cruciauit Expoſitores cauſam huiuſmodi ſupplicij inquirere: nam Dauid gratus Deo erat, in ipſius obſequio ſemper perſeuerans, & populum in legis orbitam rectè continens: vndè non apparet, quod propter delicta Regis, aut populi fames ingrueret. Abulenſis huius euentus rationem inueſtigans, quamdam Rabbi Salomonis expoſitionem affert, quam ipſe non improbat: ille enim tradit, Dauid quemdam habuiſſe priuatum hominem Vra vocatum, qui erat ſacerdos, & quem maximis fauoribus proſequebatur, ità vt ferè, omnia regni munera, & officia in hoc vno homine cumularet: ſacerdos enim in ſacris litteris idem valet, ac qui præualet in gratia Principis, & ad cuius voluntatem cuncta efficiuntur: ſic enim vbi 2.Reg.cap.8.verſ.18. dicitur. *Filij Dauid erant ſacerdotes.* 1. Paralip.cap.18.verſ.17. idipſum hiſtoria referente habetur. *Porrò filij Dauid primi ad manus Regis.* Huic ergo ſacerdoti omnia regni emolumenta indiſcriminatim largiebatur Dauid: & quia propter huiuſmodi diffuſam largitatem Regem eſſe demerebatur, percuſſit eum Dominus vaſſallos ipſi auferens fame interſectos. Subijcio verba Abulen. *Quæritur, quare accidit iſta fames? Reſpondet Rabbi Salomon, quod ponitur hìc de iſta fame, quia ponitur ſupra de Vra Sacerdote Dauid. Et accidit, quod quandocumque aliquis dat omnia munera ſua vni Sacerdoti, inducit famem ſuper Orbem.* Rex munera, & officia in vno tantùm coaceruans, exacerbat Deum, & ſe regnandi munere indignum manifeſtat: ideò enim Deus ab illo ſubditos aufert, & fame perire decernit, vt contigit Dauid: quia vnius compendium multorum eſt diſpendium, & ab hoc vno negotio diſtribuendi cum attentione, & habita meritorum ratione munera, totius reipublicæ felicitas dependet, quandoquidem, vt nos erudiat, licet omnium dominorum Deus Dominus ſit, ea tamen ordinatè, numeroque, & menſura diſtribuit. Hoc primum eius elogium prædicat Paulus ad Roman. cap.13. verſ. 1. ſcribens: *Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt.* Vbi ſubtiliter annotauit S.Ambroſ. dona Dei *non data, ſed ordinata* dici: imò nec dona nominantur, ſed ordines. At cur beneficia Dei non gratiæ, ſed ordinationes vocantur? Quia idem eſt Dei dare, quomodò, quandò, & cui meretur, & expedit. Hinc eſt, quod loquens idem Apoſtolus (1.Corinth. 12. verſ. 11.) de donis, & chariſmatibus à Spiritu Sancto præſtitis dixerit, quod non omnia vno conferebat, ſed ſingulis, ne dæmoni in hac inconſiderata liberalitate ſimilis videretur, qui Chriſto Domino dixit: *Cui volo, do illa.* Nam voluntate, non ratione porrigere dæmonis eſt: & addiderit, omnibus, vt volebat, tribuere. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidens ſingulis, prout vult.* Dare autem pro ſolo voluntatis arbitrio, & rationabiliter dare, tantùm in Deo reperitur, nam eius velle idem eſt, ac ipſius intelligere. Vndè Apoſtolus rectè probat Spiritum Sanctum eſſe Deum: nam non vni tantùm, ſed omnibus præſtans, voluntate intelligenti confert, & intellectu benefico. Intendit Apoſtolus probare Spiritum Sanctum eſſe Deum, & id conuincit, quia vt ipſi libet, porrigit, nam eius voluntas eſt ipſamet ratio, ipſeque intellectus, nam velle, & ſapere tantùm in Deo identificantur. Et infra Deum quiſ-

quis,

quis, pro ſua voluntate tantùm largitur, irrationabiliter præſtat: quia abſque rationis regula munera diſtribuit: vndè perniciosè res ſe habent, cum officia neque meritis, neque congruentia menſurantur.

3. Pulchrè Spiritus S. dignitatem conferre, vxorem ducere nuncupat Prouerb. 3. v. 7. *Noli probibere benefacere eum, qui poteſt.* Batab. ex Hebræo legit: *Ne arceas beneficium à Domino ſuo*. Quaſi dicat: Honorem, dignitatem, & officium non auferas ei, qui illius habet dominium. Et explicans quis ſit munerum Dominus, & proprietarius, ait: *Ab eo, qui beneficio eſt dignus*. Qui officia meretur, illorum habet dominium, ac proindè qui ea ab illo aufert, violentiam efficit, & furtum cōmittit: & qui dignitatem immeritò habet, nullo titulo illam poſſidet, neque illius eſt Dominus, quia directum dominium apud benemeritos eſt. At verbum Hebraicum hic appoſitum *maritum* ſignicat, ideòque nonnulli legunt: *Noli arcere gratiam, vel donum à coniuge ſuo*. Ne à benemerito dignitatem, & præeminentiam auertas: qui ipſi maritatur, vt eam ſpondeas indigno, nam ſi ità feceris, & ipſe, & illa in malo conſcientię erunt ſtatu: non aliter ac qui vxorem à proprio marito aufert, & ſibi in concubinam aſſumit. Vndè S. Maximus (ſerm. 8.) refert, quod Democritus hominem videus gratiam, & beneficia conferentem omnibus indiſcriminatim, & abſque vlla perſonarum exceptione, ſic ipſi imprecatus eſt. *Malè pereas, quia charitatem virginem meretricem feciſti*. Nihil tibi ex voto accidat, quia munera parui pendis, & dehoneſtas: quia cum ipſa virgines ſint ad nuptias, & honorem reſeruata, ſi, vt par eſt, diſtribuerentur, ex quorum coniugio benemeritis deſponſata pręclara opera in Dei, regis, & reipublicæ ſeruitium otirentur: immeritis tributa in pernitioſo ſunt ſtatu, & prauo conſortio, vbi impudicè, & cum nullo decore viuunt. Munera enim in vxores benemeritis ſociata filios procreant, & in magnam reipublicæ vtilitatem redundant. Non ergo ex mero libito, aut propter occultam ſympathiam, & ſiderum influentiam conferenda ſunt ſed meritorum habita ratione. Nuper nati in Bethlehem Regis ſignum Magi referunt, nempè quod ſtellam eius viderint Matth. 2. v. 2. *Vidimus ſtellam eius in oriente*. Enimuerò cœleſtis Regis erat ſtella, non ſtellæ erat ipſe Rex: illa ipſi famulabatur: non Rex ipſe inſequebatur illam, vt optimè ibi ponderauit S. Greg. Magn. eos carpens, qui neceſſariò ſidera influere arbitrantur. *Dum non puer ad ſtellam, ſed ſtella ad puerum cucurrit, ſi dici liceat, non ſtella fatum pueri: ſed fatum ſtellæ is, qui apparuit, puer fuit*. Ortus Rex regum politiam inſtruere naſcebatur: diſcant ergo ex illo omnes Principes non naturali affectu voluntate, & ſympathia, ſed maximo iudicio, & conſideratione munera, & officia conferre. Sui ipſius ſit Princeps huiuſmodi negotio, non ſtellarum miniſterio munera diſtribuat: ſtellæ ipſi videantur addictæ, non ipſe ſtellis: fatum ſit, & fortuna recipientium meritum, & virtus: non aulicorum ſtella, aut ipſius largientis voluntas. Si fortè ſidera influunt, ipſorum inclinationem cohibeat, præcipuè (vt obitèr id attingam) in dignitatibus Eccleſiaſticis prouidendis, in quo magna ſolertia eligendorum merita ſunt trutinanda, ne ipſis competat vſurariorum intemplo vendentium conditio quorum cathedras Chriſtus euertit, ipſorum auarā rapacitatem deteſtans. *Cathedras vendentium columbas euertit.* Matth. 21. v. 12. Quod ad indebitam Præſulū electionē inflectit Orig. hom. 15. *Arbitror conuenire verbum de venditoribus columbarum electionem eis, qui tradunt Eccleſias auaris, & tyrannis, & indiſciplinatis, & irreligioſis Epiſpopis aut presbiteris.* Non leuem ſuſpitionem ſimoniacæ infectionis incurrit Princeps, qui indignis tradit gubernandas Eccleſias, vel ad minùs inconſiderati, & effrænis non aufugiet cenſuram nunquam enim licet immeritis publica munera impertiri, & ſemper licebit non benè adminiſtrata corrigere, & ab illis, ſi fieri poteſt, deponere indignos, Dei regimen imitando, qui Babylonicum Principem, quem ipſe eleuauerat, & cuius poteſtati Iudæorum populum ſubiecerat, ab ipſomet imperio indebitè adminiſtrato depoſuit. *Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum eius vſque ad collum.* Hic verſ. 13.

Verſ. 14. Maledixiſti ſceptris eius capiti bellatorum eius venientibus vt turbo ad diſpergendum me. Exultatio eorum, ſicut eius, qui deuorat pauperem in abſcondito.

ANNOTATIO X.

Expoſitio Litteræ.

1. DIu.Hieron. Hugo, Lyra, Haym. & Pagnin. quos ſequitur Sanchez, & Recentiores nonnulli de Nabuchodonoſore, & Babylonico imperio hæc verba literaliter interpretantur: licet Gueuara, Albert. Palatios, & alij de Pharaone ea accipiant. Igitur oſtendit Vates imbecilles futuras Chaldæorum vires, ſtulta, & vana conſilia, vbi Deus cum Perſis contrà ipſos pugnare aduenerit: illo enim auſpice omnia ſucunda, & proſpera Perſarum gentibus euenient. Quod in maledictione, quam aduerſus Chaldæos fulminauit, ſatis exprimitur, nam horribilia cuncta quæ vexare ſolent infortunatos, in maledictione Dei includuntur: quare à Deo auerſi, etſi ad pugnam armis roborati, & munitionibus inſtructi exeant Chaldæi, omnia illis miserè, & infelicitèr eueniunt, nihilque, vt deſideratur, continget: nam omnibus eorum armis maledixit Deus, & capiti omnium bellatorum, ideſt, duci, qui ad diſperdendos veniebat Perſas cum exultatione, & lætitia, qualem prædo ſolet habere, cum in abſcondito incidit in hominem miſerum defenſore carentem.

2. *Maledixiſti ſceptris eius.* Ideſt funditùs omnes Principes, & primates Chaldæorum perdidiſti: per metonimiam enim *Sceptris* pro *Princip bus* poſitum eſt, quoniam olim Reges, & Principes ſceptra gerere ſolebant: vndè indifferenter in ſacra pagina principatus pro ſceptro, & ſceptrum pro principatu frequenter ponitur. Vndè Iſaiæ cap. 9. verſ. 6. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Quod ideò dictum eſt, quia, vt aduertit Gueuara, dum ſceptrum manu geſtabant Principes, humero applicari conſueuit. Pro *maledixiſti* vertunt Pagnin. & Tygurina, *perforaſti*. Quod à maledicendi ſignificatione non diſtat iuxta illud Iob. 30. *Nocte os meum perforatur doloribus.* Id eſt, excruciantur, & conteruntur doloribus maximis oſſa mea: quod enim perforatum eſt, cum ſecundum externam ſpeciem firmum videatur, impulſu tamen leui corrui. Sic Chaldæorum imperium Diuina maledictione confixum facilè erat ruiturum. Significat ergo Vates nihil ferè in Chaldæorum imperium Rege, & in toto illius exercitu non eſſe perforatum, cum ſuprà ſe portarent Diuinam maledictionem, quæ vires frangit, omnia perfodit, atque euanida reddit, & ab ipſomet apparatu, à quo væſano conſilio omnia ſibi ſecunda Chaldæi promittebant, eius imminebat ruina.

3. *Venientibus vt turbo ad diſpergendum me.* Agit hic Propheta totius ſui populi perſonam, & periculum, quod ſuis conciuibus imminebat, contra ipſum impendere affirmat: quod dubio abſque ingens erat, turbini venuſtè aſſimilatum, nam violenter inuertit omnia, & eum vehementiùs incumbit, à fundamentis plerumque ædificia diruit, & à radicibus arbores euellit, tamen illi regulariter ineſt vis ad diſpergendum. Haud aliter ac turbo in Iudeæ gentes irrupere Babylonij, vt noſter Vates ponderoſis verbis expreſſit cap. 1. verſ. 7. Et non ſecùs in varias mundi plagas diſperſi à Chaldæis fuerunt Iudæi, quam leuis ſtipulæ, & aridæ frondes à turbine rotantur.

4. *Exultatio eorum, ſicut eius, qui deuorat pauperem in abſcondito.* Putabant impij Iudæos

Iudæos ab illis eſſe conſumendos atque delendos, & ità exultabant non alitèr, ac diues, cum pauperem ſpoliare vult, qui, & viribus inferior eſt, & neminem habet cuius ope potentiæ diuitijs reſiſtat, idque in abſcondito facit, vbi nemo videre, & pauperi auxiliari poſſit. Ad prædam properabant Babylonij in turbinis modum, ipſamque iam ſpe deuorauerant, quia Iudæorum exubias iam poſſidebant, ſed illorum lætitiam, & exultationem turbauit Perſarum potentia, qui è manibus prædam arripuerunt, & vbi ſe tutos Iudæos ſpoliare arbitrabantur, Dei auxiliarem manum ſenſerunt.

5. Allegoricus ſenſus peruius eſt ex ijs, quæ dicta ſunt, ſi Babylonicum hoſtem ad diabolum, & catholici inſtituti inimicos referamus, quorum Deus extirpauit, & perforauit vires, & ſua maledictione transfixit. Hi enim dæmones, & Chriſtianæ religionis hoſtes exultabant, quia nouas exubias, & prædas ex Dominico grege reportabant, nullus enim illorum gaudium turbabat timor, quia maiorem potentiam non formidabant: ſed planè fallebantur, quia erat Deus, qui videret, quam liberè ſuas poſſeſſiones diripuerunt, & qui ablatam poſſeſſionem repeteret, quia ipſi facilè eſt omnia illorum infirmare ſubſidia, quia neque militaris vis ipſi deficit quam per Apoſtolos, & Doctores ſic exercuit, vt prædam ex faucibus inferni eriperent, & firmiſſima conſtantia omnes inimicos debellarent.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Proximorum lapſus ſuos iuſti reputant.

1. PErſonam populi aſſumit Vates, & malum, quod contrà contribules ſuos moliti ſunt Chaldæi, conttà ſe ipſum dicit eſſe comparatum. *Maledixiſti ſceptris eius, capite bellatorum eius, venientibus vt turbo ad diſpergendum me*. Hic verſ. 14. Quia timorati viri, & qui feruida charitate proximorum curant ſalutem, illorum mala ſua reputant, & de illis tam vehementer dolent, ac ſi ipſis acciderint. Perſequebatur Dauidem Saul in deſerto Maon, ipſumque vndique cinctum militibus habuit, ita vt nulla euadendi affulgeret ſpes. *Et ibat Saul* (inquit text. 1. Reg. 23. v. 36.) *ad latus montis ex parte vna: Dauid autem, & viri eius erant in latere montis ex parte altera: porrò Dauid deſperabat ſe poſſe euadere à facie Saul*. Num illa firmiſſima ſpes, quam Deus ſpoponderat Dauid de adipiſcendo regno, defecit, quod à manibus hoſtis effugere deſperabat? Nonnè ex reuelatione Diuina acceperat certitudinaliter ſe Regem fore in Iſrael? Quo ergo pacto de huiuſmodi veritate non ſolùm hæſitauit: ſed, & certo habuit in hoſtiles manus incidere? Fortè deluſum ſe credidit, & Deum non ſtare promiſſis? Appage. Lyra difficultatem expeditè extricat. *Dicendum quod non deſperabat euaſionem pro ſua perſona, qui certus erat de impletione diuini promiſſi; ſed deſperabat, ſe poſſe euadere abſque bello cum Saule: quod quidem bellum horrebat, quia horrebat de morte virorum ſuorum, & aliquorum qui erant cum Saule, eum ſequentium in hoc magis inuoluntariè, quam voluntariè*. Licet certus de Diuina eſſet promiſſione, ſibique agnoſceret non imminere fatale periculum: deſperabat de ſuorum ſalute, quam maximè, & æquè ac ſuam diligebat, ipſoſque horrebat in bello cadere, ac ſubindè deſperauit ſe poſſe euadere à facie Saul, quia timebat in pugna ſuorum, & Saulis militum aliquos obituros, quos velut ſeipſum amabat, & quorum ruinam, & exitium ita vehementer ſentiebat, vt ſe putaret in illis obrui, proindèque cum illis charitate, qua erat deuinctus, occumbere. Haud aliter Noemo accidit, quem Deus incluſum in arcam futuræ propagationis auctuarium à foris clauſit, & clauem ſecum detulit. *Et incluſit eum Dominus de foris*. Gen. 7. verſ. 16. Non leuis eſt difficultas, cur Deus Noemum forinſecus clauſerit, & non ipſi reliquerit ianuam intrinſecus claudere, aut bitumine quaſcumque arcæ obturare rimulas. Cui concreditur vniuerſi reſtauratio, clauis arcæ denegatur? Num Deus timet, quòd in diluuij aquas ſe det præcipitem? Quid tunc ad huiuſmodi temeritatem ipſum incitaret? Non morientium clamor, non cadauerum ſupernatantium horror, non formidandum naufragium. Prætereà nullus erat in arca, qui eum impelleret ad ruinam: animalia pacatè habitabant, ab vxore, & vxoratis filijs tale facinus non erat ſuſpicandum. Vt quid igitur Deus ipſum à foris clauſit. Optimè D. Chryſoſt. hom. 25. in Geneſ. *Clauſit* (inquit) *Dominus forinſecùs illius arcam, vt doceat, quod ſecurum fecerit iuſtum. Quod autem adiecit forinſecùs, ità vt non poſſet videre iuſtus, generalem omnium interitum, qui fiebat, & ma-*

iori dolore conficeretur, & ſpectaculi triſtis aſpectu magis cruciaretur. Ne iuſto pateat miſera orbis ſtrages, ianuam arcæ foriuſecùs Deus obſerauit, ſciens non minùs fore cruciandum proximorum ingentem calamitatem aſpicientem, quam ſi ipſe in eorum conſortio naufragaret. Ne miſera fortuna Noemum etiam infelicitaret, vel aſpectum morientium inhibet, vt ipſorum periculum à iuſto auertat, qui aliorum proprium ſibi facit.

2. Reuelauit Deus ſupplicia, quæ populo Iſraelitico erant ventura, Ezechieli Prophetæ: & ille anxius prædictione, quam acceperat, inclamat cap. 6. *Heu, heu, Domine Deus, ergo ne diſperdes omnes reliquias Iſrael?* Quid hoc eſt, vir Dei (inquit D.Chryſ.) Cur doles & affligeris? Fortè impendentia ſupplicia ad te venient? Cur ergo doles, qui iuſtiſſimè propter ſua flagitia ſupplicia merentur? Cur ad præueutas pœnas tabeſcis certus, quod innoxius ab illis euades? *Ezechiel.* (ait Chryſoſt. lib. 2. de prouident.) *cum iuſtus eſſet, ſciretque Iſraelitas iniquiſſimos ex omnibus; videns tamen illos ingulari, & corruere, hoc idem paſſus eſt*. Etſi Propheta non eſſet conſors, pœnæ tamen non fuit expers, quia quam Deus populo minitabatur, iam in ſe exercitam ſentiebat. Charitas enim, qua populo afficiebatur, communem ſuppliciorum ſenſum effecit, & ſibi putat nocumentum inflictum, quod populi peccata exigebant, populi ſupplicia in ſe retorquet, & de alieno exitio quaſi proprium eſſet, conqueritur. Hoc ipſo charitatis ſtimulo, & compaſſione puncta Eſther infenſo Regi Aſſuero pro populo Hebræorum deprecabatur c. 7. v. 3. *Si inueni gratiam in oculis tuis, ò Rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obſecro*. Præceperat Rex omnes de populo Hebræorum interfici propter verſutiam Aman: at pulcherrima Eſther, vtpotè regina, in edicto non erat comprehenſa. Cur igitur pro ſua immunitate rogat, & animam ſuam eripere conatur, cum nullo eſſet periculo obnoxia? Regis preceptum in ipſa non erat exequendum, & tamen de vita ſolicita obſecrat, vt ipſam tueatur. Cur ita? Hug.Card. *Quod enim ſuis fiebat, ſibi factum reputabat*. Populi periculum ſibi imminere rata, pro ſe ipſa exorat, quia non alienum, ſed proprium reputabat. Etſi ipſa eſſet innocua, tamen ſuorum mortem ſibi imminere credebat, & à lege immunis compatiebatur ſuis: quia vt dixit Paulus 1. Corinthh. 13. charitas non ſua, ſed aliena curat. *Charitas non quærit quæ ſua ſunt*. Vbi D. Tho. lect. 3. *Qui diligit alios ſicut ſe ipſum, bona aliorum quærit ſicut & ſui ipſius*. Sua, quæ ſunt proximi mala, charitas exiſtimat, etiam mala culpæ, in quo maxima vis amotis oſtenditur.

3. Præcipiebat olim Deus (Numer. 6. v. 1.) quod ſi coram Nazaræis ſubitò aliquis moreretur, ipſi reputarentur immundi: ad quorum purificationem plures cæremoniæ, & ſacrificia exigebantur. *Quia* (vt inquit text.) *peccaui ſuper mortuo*. Q[illegible]d à ratione videtur alienum: nam quo pacto culpam incurrat Nazaræus, vbi ad mortem non concurrit, & caſualitèr in eius præſentia contingit? Num ad culpam imputabitur, quod ſine culpa, & deliberatione euenit? Sufficeret immeritò pœnam incurrere, qui neque opere, neque conſilio cucurrit ad culpam. Vt quid igitur crimen, quod non patrauit, Nazaræo imputatur? *Quia debet imputare peccatis ſuis talem caſum impedientem ipſum*, inquit Lyra. Non ſat eſt, quod religioſa gens, quæ populi cauſam ſuſcepit vt iugiter preces fundat, quibus placetur Deus, compatiatur, populo, niſi etiam ipſius peccata ſibi attribuat, & mala culpæ, quæ in ipſum irrepſerunt, ſibi imputet. Sic accipit Andræas Cæſarienſ. illud Apocalypſ. 6. verſ. 5. *Ecce equus niger, & qui ſedebat ſuper eum, habebat ſtateram in manu ſua*. Per *ſtateram* examen peccatorum accipit, vbi ipſorum malitia trutinatur, quam quidem iuſti altè ponderant, vt peccata populi deplorent, pro ipſiſque meritas, pœnas ſoluant, & Deum reddant placatum. At quid eſt, quod equo nigro inſideant iuſti, quandoquidem alibi dealbati perhibentur? Audi præfatum Archiepiſcopum. *Per equum nigrum denotatur mæror, & luctus ille, qui, vt credi poteſt, apud iuſtos de illis orietur, qui propter ſuppliciorum immanitatem, à fide, quæ eſt in Chriſto deciſcent.* Peccatorum populi nigredinem, & turpitudinem ſibi quodammodò iuſti affricant, quia peccata populi ſupra ſe portant, & non modò pœnam ipſis debitam, ſed culpam propriam reputant: qua propter nigredine ſordidati apparent.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Grandis poteſtas timeat: humilis à timore eſt ſecurus.

1. PEt ſceptra, quæ Deus hic maledictione contriuit (*maledixiſti ſceptris eius*. v. 14.) ſuperbus hominum principatus, & ambitioſa potentum dominatio intelligitur: ſceptrum enim olim, & nunc regiæ dignitatis inſigne fuit, & honore præcipuo colebatur antiquitùs, quandoquidem per ipſum intrabant promiſſa adimpleturi: & Cheronæi Agamenonis ſceptrum venerabantur, imò Iacob adoraſſe legitur virgam Ioſeph, Eſther extremitatem regij baculi ab Aſſuero porrecti occulta-

exaltata eſt, vt conſtat ex eius hiſtoria c.5.Deus ergò, qui ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam, ſceptris ſuperborum maledicit, qui ſibimet regiæ faſtigium dignitatis arrogant, qualis fuit ventoſiſſimus Nabuchodonoſor, quem è regno detrudit, & è culmine ad ima deiecit. Hæc eſt fortuna ſublimem locum occupantium: nam altiores montes fulmina feriunt, humiles valles tutiores ſunt, & pericula ipſis parcunt. 1.Reg. 4. verſ.12. terga vertunt Hebræi victricibus Philiſthinorum phalangibus, & cæſis triginta millibus Hebræorum Dei arcam captiuam referebant barbari cum magno populi dedecore, & confuſione: elabitur è prælio quiſpiam Beniaminita, qui ſummo ſacerdoti Heli renunciauit, Dei arcam captam eſſe ab inimicis. *Currens autem vir de Beniamin ex acie, venit in Silo in die illa ſciſſa veſte, & conſperſus puluere caput.* Hic autem mira audacia Philiſthæos inſequens arcam è manu Goliath arripuit, & cum ingenti populi exultatione, & lætitia in Silo repoſuit. Quærunt Interpretes, qui fuerit iſte vir de tribu Beniamin qui tam illuſtre facinus perpetrauit? Lyra ex Hebræis Saulē fuiſſe exiſtimat. *Dicunt Hebræi, quod fuit Saul, qui capta arca videns tabulas teſtimonij in manibus Goliath, quas ex arca acceperat, abſtulit de manibus eius, & fugiens reportauit eas in Silo.* Miraberis meritò, quod Saul, qui cum priuatus eſſet homo, ità fuit audax, vt non tantùm Goliæ reſiſtere, ſed de victricibus eius manibus auſus fuit legis lapideas tabulas viriliter extrahere, iam rex electus à Domino, & propterea ad maiorem gloriam adipiſcendam adſtrictus, ad einſdem Goliæ occurſum muliebriter expaueſcat, & per quadraginta dies maledicta, & improperia, quæ in populum ſuum iactabat, tremens ſuſtineat, vt habetur 1. Reg. 17. Vndè ſtrenuam, & militarem fortitudinem depoſuit, & ità puſillanimis apparet ille ipſe, qui temerario auſu ſuperbiſſimum non formidauit gigantem? Qui priuatus talia perſecerat: quomodò effæminatus ad dignitatem regiam euectus pertimeſcit? Crediderim ſceptro puſillanimitatem hauſiſſe, quia iam regnum timebat amittere. Qui perſonam priuatam agens magnanimus apparuit, publicam induens ad conſpectum inimici expaueſcit: quia probè ſciebat, quam ſit periculis obnoxia ſuprema poteſtas; quam ab illis ſecura humilitas in angulo latens: antequam aſcenderet ad regnum, ſua humilitate ſe tuebatur, quæ raro periclitatur: poſtquam verò apicem dignitatis obtinuit, ſcitè ſe à nocumento impendente ſubtrahit, quia fortuna non arma vibrat, niſi vbi glorioſas exſpectat exubias.

2. Chriſtus Dominus de ſuorum ſecuritate ſolicitus, ſic ipſos armat. Lucæ 22.verſ.36. *Sed nunc qui habet ſacculum, tollat, ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Fruſtra armantur, qui nihil habent defendendum. Cur qui adeò eſt pauper, & abiectus, vt nec ſacculum habeat, nec pauculos ad vitæ ſuſtentationem nummos, iubetur, vt tunicam vendat, quò emat enſem? Ad quid pacificus Magiſter arma ſuis portare præcipit, quandoquidem vti armis inhibet? An quia vilis paupertas obnoxia iniurijs eſt, & ideò qui illa laborat, armari debeat contra potentiorum audaciam? An fortè Chriſtus pauperes, & inualidos diſcipulos armat, quia plus valent ad rem bellicam, qui minùs valent in re honoris, & diuitiarum? Fortè ità: nam profectò intrepidus fertur ad pericula, qui nec tunicam poſſidet, quam amittere poſſit. Neminem timebit, qui nihil habet, quod perdat: qui autem multa habet, multa timet, quorum amittendorum metus ſæpè exarmat fortitudinem, quam viribus, & induſtria armauit ars, & natura, Humilitas, & paupertas ſolet eſſe pugnandi vigor. Vbi Saul priuatam vitam agebat, vel ipſa pericula prouocabat; vbi autem regno potitus pericula vidit, exanimis, & euigoratus paueſcit: quia ſecundam fortunam timebat amittere, & aduerſæ ictus non niſi in magnam potentiam exerceri certò ſciebat.

3. Mirabilem Dei protectionem, & prouidentiam, quam erga homines habet, exaggerans Dauid dicebat Pſ.90 verſ.3. *Ipſe liberauit me de laqueo venantium, ſcuto circumdabit te veritas eius.* De Chriſto Domino dæmonem in deſerto debellante hæc verba accipit Euſeb. vbi ponderat, quod tanquam priuatum hominem dæmon Chriſtum Dominum ſit adorſus, à cuius verſutia ſe fuiſſe liberatum exultat, & grates rependit. *Liberatus eſt* (inquit Euſeb.) *olim de laqueis aduerſantium poteſtatum, quæ venatores hoc loco appellantur, cum inſtar cuiuſdam hominis ductus eſt in deſertum, vt tentaretur à diabolo.* Preme illa verba *cum inſtar cuiuſdam hominis.* Nonnè verus Rex in ſede Dauidis erat Chriſtus? Nonnè ſecuritatem ſui principatus, & poteſtatem habet inexpugnatam? Cur ergo in deſertum adducitur, vt ſe in bello tanquam vulgarem exerceat hominem? Cur dicit ſe liberatum, ſicut cæteri homines, qui armis non eget ſe ipſo protectus, & à nullo expugnabilis? Vt innuat periculo poteſtatem, ſecuritati humilitatem eſſe addictam: enimuerò dum inſtar vulgaris hominis ad certamen accedit, ſe liberatum agnoſcit. Non Chriſti cautela fuit regiam maieſtatem deponere, vt cum callido hoſte dimicaret: ſed noſtra eruditio, vt quam poteſtas in lubrico: quam in tuto humilitas verſetur, oſtendat, quamque crebrò ſuprema faſtigia fortuna fatiget. Antequam Dauid ad regalem thronum eueheretur, expers prorſus timoris proponitur Vrſum enim, & Leonem viriliter interfecit, ſuperbiſſimum profligauit gigantem, impauidus nullum horrebat, periculum: is autem iam regno proximus timidus à facie Sau-

I is fugiſſe videtur, & in tutelam, ac fidem Regis Moab cum filijs, & parentibus ſuis ſe recepit vt habetur 1.Reg.22.verſ.3. *Maneat; oro, pater meus, & mater mea vobiſcum, donec ſciam, quid faciat mihi Deus*. Et ſtatim additur Dauid Prophetæ Gad monitu fugam iterum cōtendiſſe. *Noli* (inquit) *hic manere: proficiſcere, & vade*. Vndè non vulgaris oritur difficultas: nam ſi Dauid non ſatis tutam ſibi Regis fidem putabat, cur apud eum ſuos permittit parentes morari, quin à mortis periculo illos ſubducat: ſi autem Regis probatam habebat fidem, cur apud ipſum cum ſuis non remanet: ſed ſibi arbitratur fugam eſſe arripiendam, & Vatis ſuggeſtione in terram reuertitur Iſrael, vbi periculum ipſi imminebat, quandoquidèm ad offenſiſſimum ſibi Regem redibat? Aptè Dionyſ. Chartuſ. *Iubetur abire, vt perſecutionem ſuſtineat, & vt in terra ſua Iudæa laboribus exerceatur, eiſque perferendi aſſueſcat, minimè commoueri, aut perturbari*. Ad regnum Deus præparabat Dauidem, ideòque illum laboribus, & perturbationibus obijcit, vt aſſueſcat minimè periculis imminentibus commoueri. Adeò poteſtas timiditati, ruinæ, & perturbationibus eſt noxia, vt neceſsè ſit in timoribus eſſe verſatum, ne poſteà ex improuisò ipſum adoriantur, & non ſpectatis malis malis ſuccumbat.

4. Cum arca Dei Dauidis iuſſu in Ieroſolymam duceretur, & bouum calcitratione declinaret, Oza ſacerdos, qui ibi aderat, extenſa manu eam tenuit, vt ipſius caſum euitaret. Quid tunc? Auſcultа 2. Reg. 6. verſ. 7. *Iratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate: qui mortuus eſt ibi iuxta arcam Dei*. Quærunt Interpretes, cur Deus Ozam tantùm percuſſerit, & non Ahio eius fratrem, qui ibi etiam aderat: *Ahio præcedebat arcam Dei*. Et veriſimile eſt fratrem coadiuuaſſe, ne arca rueret: enimuerò vtriq; arcæ cuſtodia erat commendata: Audi Caietan. *Deſcribitur enim, quod Oza ſemper ibat ad latus arcæ tanquam principalis ad curam arcæ in itinere; vt hinc intelligamus non eſſe mirandum, ſi ipſe qui caput erat, percuſſus poſteà à Deo eſt, fratre eius nihil mali paſſo*. Vbi ſatis innuit fratrem Ozæ etiam ad ſubleuationem arcæ concurriſſe: & tamen quamuis in temeritate eſſent fratres, & ſimiles, in pœna diſpares, & diſſimiles euaſerunt: quia Oza vtpotè caput, & principalis morte percutitur; frater autem nulla pœna mulctatur. Ecce in poteſtate Ozę periculum. Ecce in humilitate fratris ſecuritas. Quaſi nullum nocumentum faſtigium occupantibus parcat: nullumque in humilitate iacentium recordetur. Adeò qui in ſublimitate ſunt, diſcrimini obijciuntur; adeò beati, qui priuata vita potiuntur.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Lex non multiplex debet eſſe.

1. IMpediunt ſe vndique leges: & ſi plures ſint, ſeſe vndique lædunt: perturbant coaceruatæ ſtatum reipublicæ, & licentia exlex ex multiplici lege naſcitur. Si ſebris multis credatur Medicis, nunquam curabitur æger. Centipes, brutum ambulans omnibus eſt tardius, & breuiſſimum præ omnibus agit iter. Vbi vigent plurimæ leges, cum vix omnes poſſint obſeruari, omnes violantur, & à remedijs reſpublica ægrotat. Ideò Dauid Pſalm.118.verſ.111. legem Dei amabilem, & proficuam eſſe prædicabat, quia perſpicua, & breuiſſima eſt, præciſiſque ambagibus rectè dirigir. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi*, ex Hebræo vertitur. *Ramos odio habui, & legem tuam dilexi*. Nomen enim *Scaphim*, quo ibi vtitur Pſalmographus, iniquos, & ramos æquè ſignificat, vt aduertit Pintus in cap.2.Daniel. ſi autem inquiras, cur humanas leges ramos dicat? Reſpondet pręcitatus Author, quia à Diuina lege tanquam rami ab arbore deriuantur. Sed reor idcircò ramos appellari, quia eo modo, quo vt arbor ſit frugifera, & vberrimos fructus ferat, agricola plures ab arboribus præcidit ramos, qui inutiliter earum virtutem extenuant: condere ſic paucas leges neceſsè eſt, vt populo ſint proficuæ, & vnam tantùm, ſi fieri poteſt, eſſe oportet, ſicut Dei lex vna eſt, quę propterea à Dauide diligitur. At multiplices humanas leges odio habet: quia non exactè poſſunt obſeruari, & ſpretæ quędam tacita licentia ſunt delinquendum. Pręterquamquod alię alijs contradicunt, & locum prębent malitię interpretanti, vndè varietas oritur opinionum, & exindè lites, & diſſenſiones in republica. Nec minùs confuſa legum ſylua laborat, quam vitijs. Propter grauiſſima populi flagitia minatur Deus ipſi leges nouas condere, & iam latas multiplicare. *Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum, factæ ſunt ei aræ in delictum, ſcribam ei multiplices leges meas*. Oſeę 8. v.11. Nunquam ſine periculo innouantur leges: nam quot conduntur tot ſomites ſunt improbis ad violationem.

2. Deuter.4.verſ.2.exhortatur Deus populum, vt pręcepta ſeruet, & vt ipſius obedientiam negotietur, ſic ipſi per anticipatam veniam inhibet. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor: nec auferetis ex eo: cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis*. Nullam promulgatis legibus additionem faciatis, *vt cuſtodiatis præcepta Dei veſtri*, legit Oleaſt. At cur non addendum legibus, vt obſeruentur? Quod nihil adimatur ab ipſis,

ęquum

æquum eſt, nam quas Diuina prouidentia ad regimen populi congruas iudicauit, dubio abſque neceſſariæ ſunt, nec licebit ab illis aliquid detrahere. Verùm quod denuò condantur leges, fruſtra prohibetur, nam id adſtrictiorem populi diſciplinam pertinebat. Cur neque ex ſupererogatione licebit populo noua præcepta addere, ex quorum obſeruantia non leue reſultaret emolumentum, quandoquidèm id in maiorem populi vtilitatem, & perfectionem redundabat? Eximiè Oleaſt. in annotat. moral. huius prohibitionis rationem verſat. *Et conſidera* (inquit) *quam pulchram textus rationem afferat non multiplicandi præcepta, neque addendi ad legem. Vt cuſtodiatis, inquit, præcepta Domini Dei veſtri. Si præcepta in immenſum multiplicantur, ſeruare ea nequeunt homines: ſi verò pauca, facilè ſeruantur. Vt ergo ea ſeruetis, nolo ad ea addatis, aut minuatis: qui enim addunt, inſufficientiæ Deum arguunt: & qui minuunt ſuperfluum eum, aut nimium fuiſſe oſtendunt*. Sic obſtrepit longa legum ſeries moribus ſubditorum, ſic obedientiam retardat, vt quamuis ex legibus vltrò faciendis aliqua in populo ſequeretur vtilitas, id Deus prohibuerit: quia etſi probis id eſſet proficuum: improbis erat valdè nociuum, qui periculo delinquendi paſſim exponebantur: ideòque ſuccinctam voluit eſſe legem ad expeditum obedientiæ curſum: nam profuſa potiùs ad caſum, quam ad obſeruantiam diſponit, eo modo quo longa nimis veſtis pedibus intercepta curſorem intercipit, & retardat, & calcandam ſe ſe paſſim offert.

2. Mundo ſceleribus immerſo, ea euertendi ſolicitus, traditurus Deus formam, ſic lamentationem exorditur Iſaiæ 10. verſ. 1. *Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt, vt opprimant in iudicio pauperes*. Et poſt plurima alia, vbi de eorum remedio agitur, ſubiungit. *Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam: conſummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ*. Ibid. 70. legunt. *Verbum conſummans, & abbreuians iniuſtitia, quoniam ſermonem breuiatum faciet Dominus in toto orbe terræ*. Quaſi breuis, & ſuccincta iuſtitia legum iniquitati oppoſita mundi ſit inſtauratio quia præſtigia, & verſutias, & legum multiplicitatè ortas eneruat, & euertit. Hoc vnum labenti mundo extat remedium, confuſum legum vulgum relegare, nam eis diripiuntur populi, & pauci boni peſſimos multos alunt, Nam tribunali innumeris legibus implexa Piratarum ſunt maria, & prædonum ſyluæ. Qui plurimas leges condit, totidem ſpargit ſpinas, vbi omnes impingant, & lacerentur. Hùc reſpicit, quod Regi Dominus præceperit (Deut. 17. verſ. 18.) exemplar legis propria manu conſcribere, & apud ſe ſeruare. *Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus*. Legis exemplar propria Regis manu exarandum præcipitur, vt tenaciùs eius animo infigatur. Quod optimè notauit Philo in lib. de creatione Principis. *Poſt acceptam poteſtatem iubetur Deuteronomium, hoc eſt, legum compendium deſcribere manu propria, quo magis ea præcepta inhæreant animo: nam legentibus elabuntur ſententiæ, quod lectio moras non patitur: qui autem ſcribit, per otium imprimit, & infigit menti ſingula fideliter non in tranſcurſu animaduerſa, ſed cunctantèr: non priùs cogitatione tranſeunte ad ſequentia, quam benè penſatis, quæ præceſſerant*. Pulchrè obligationem obſeruandæ legis, & eam animitùs amplexandi Principibus intimat Philo, & quam ſolerter eam trutinare, & meditari debeant. At cur tranſumptum apud Regem ſeruandum ab exemplari ſacerdotis præcipitur tranſcribendum? Nonnè Rex aliundè illud habere poſſet? Congruè iniunctum, inquit Moral. Gloſſa. *Ne ad voluntatem ſuam faciat: ſed ſecundum Diuina præcepta*. Poſſet enim accidere, vt Rex ſua abutens poteſtate aliquid præſcriptis legibus adderet, vt effræni dominationi nouis legibus, & pragmaticis populum grauaret. Cautè ergo inhibetur, vt non niſi iuxtà exemplar ab originali per manus ſacerdotis tranſcriptum conſcribat tranſumptum, vt cupiditas ampliandi leges, & magna indè pernities populi proueniens præcidatur. Etenim quam malè ſe habeat populus plurimis legibus, obnoxiùs, & quam acerbè fetat ipſarum multitudinem, optimè ponderauit Saluianus (lib. 1. de gubernat. Dei) minas, & terrificum apparatum expendens, quibus Deus promulgaturus legem in monte Sinai apparuit. Totus mundus conturbatur, cum legem Dominus promulgaturus aduenit, & quaſi non patitur tota natura hominem lege domari: cum tamen breuiſſima eſſet: nam (vt annotarunt Lippom. Abulenſ. & Hugo) in prima tabula præcepta ad Deum ſpectantia, quæ tria ſunt: in ſecunda verò ſeptem ad proximum pertinentia conſcripta erant. In vtraque autem (vt annotauit D. Hilar. exponens illud Matth. 25. *Tunc ſimile erit regnum cælorum decem Virginibus*,) & boni, & mali, & qui ad dexteram, & qui ad ſiniſtram collocabuntur, exprimebantur. *Moyſes decem verba duabus tabulis conſcripta acceperat: neceſsè enim erat omnia ea in vtraque conſcribi, & duplex pagina inter proprietatem dexteræ, & ſiniſtræ diuiſionem ſub vno licet teſtamento bonorum malorumque ſignabat*. Lex in duabus tabulis diuiſa, & obſeruantes, & tranſgreſſores ſignificat, vt quodammodò innuatur, quod qui leges condit, non ſolùm ad obſeruantiam inſtruit: ſed etiam inobedientiam fouet. Vel ſuccincta, & breuiſſima lex (qualis diuina erat) ad decem præcepta tantùm redacta, obedientes pariter, & inobedientes ſignat. Quid non cauendum erit à confuſanea legis multitudine? Quandoquidèm

fomi-

fomites ſunt ad delinquendum: & vbi plurimę agglomerantur, ibi peccata, & tranſgreſſiones abundant, non præceptorum vitio: ſed quia lex occaſio, & incentiuum eſt ad præuaricationem, quia rei prohibitę quædam eſt in hominibus naturalis cupiditas, & maiori impetu irruunt, vbi maior obſiſtit vis. Non aliter Chaldæi, quibus Deus leges, & modum præſcripſerat ad debellandos Hebræos, immania prohibens, & atrocia, furore quodam prohibita fuerunt aggreſſi, & rationis limites effręnati calcarunt: de quo pulchra ſimilitudine conqueritur Vates noſter. *Maledixiſti ſceptris eius, capitl bellatorum eius, venientibus vt turbo ad diſpergendum me.* Hic verſ. 14.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Simulationem, & hypocriſim toto animo Deus abhorret.

1\. CONqueſtus Propheta de ijs, qui in occulto praua opera perficiunt, ne in publico praui videantur (*Exultatio eorum ſicut eius, qui deuorat pauperem in abſcondito.* Hic verſ. 14.) illos carpit, qui ouina pelle induuntur exteriùs: intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces: qui virtutem ſimulãt, vt commodiùs vitio inſeruiant: de quorum numero erat Anthipater, de quo dixit Alexand. *Foris Anthipater albo vtitur pallio: intùs verò totus eſt purpureus*: Puta, propter ambitionem, qua purpuræ inhiabat: ſic refert Plutarch. in apoteg. Hos inquam, ægrè Deus fert, non ſecùs ac ferre non potuit Diogenes quemdam effæminatum ac imbecillem Herculis exubias perferentem: cui propterea exprobans dixit. *Nunc tu deſinas virtutis ſtragulas pudefacere.* Et Horatius in alium hypocritam inuehens. *Introrſum turpem, ſpecioſum pelle decora.* Solemne eſt in Scriptura hos ſimulatos homines vulpium nomine notari. *Dicite vulpl illl.* Lucæ 13. v. 3. Cuius rei cauſam congruentem reddit D. Ambr. ſerm. 2. in Pſalm. *Beati immaculati. Ceruorum curſus directior: vulpeculæ flexuoſus.* Cætera animalia curſus ſuos faciunt directos, & per veſtigia facilè inueſtigari poſſunt: non ſic vulpes, quia dum ambulant ex vna in aliam partem, obliquis motibus inſiliunt, ne per veſtigia cauernæ, & antra, quæ ingrediuntur, agnoſcantur, & poſſint à venatoribus capi. Non ſecùs hypocratæ recto non incedunt itinere, quo grex catholicus ad Chriſtum tendit: ſed inflexo, & tortuoſo, ex operibus, quæ ſancta videntur, in alia quæ euidenter praua ſunt. Si hic orant, illic rapiunt: ſi ieiunate indicant faciem extenuando artificioſè: ſine moderatione edunt: æqualem viuendi modum nunquam habent: proindèque nihil deteſtabiliùs Dei, quam ipſi, nihil Diuinæ eſſentiæ diſſimilius. Dei namque natura (vt docent Theologi 1. par. quæſt. 3.) infinitè ſimpliciſſima eſt abſque vlla prorſus compoſitione: quapropter eos diligit, qui in ſimplicitate, & animi candore ipſi aſſimilantur: plurimumque odit quidquid compoſitionem, & duplicitatem redolet.

2\. Quærit D. Thom. 3. part. quæſt. 37. art. 7. in corp. vtrum columba illa, quæ in Iordane apparuit ſuper caput Chriſti Domini dum baptizaretur à Ioanne, vera fuerit, an ficta? Et concludit veram, & realem fuiſse columbam: cuius rationem eſſe credit ſatis efficacem. Spiritus enim veritatis nullatenus decipere poterat. Nec veriſimilè eſt Deum ad res ſimulatas, & fictas ſe poſſe accommodare, quandoquidem illis aduerſatur, & quidquid aliter, ac eſt, apparet, longè à ſe relegat, quia eius ſimpliciſſimæ opponitur naturæ. Idem 3. par. quæſt. 3. art. 1. Angelicus Præceptor ambigit, an quælibet ex Diuinis Perſonis carnem potuerit aſſumere, ſicut de facto Perſona Filij naturam aſſumpſit humanam? Et quamuis affirmatiuam teneat ſententiam: tamen D. Anſelm. de incarnat. verb. cap. 4. oppoſitam tuetur, pulcramque ad noſtram theſim rationem adducit. *Si Spiritus S.* (inquit) *incarnatus eſſet, ſicut Filius eſt incarnatus, eſſet Spiritus Sanctus filius hominis: eſſent igitur duo filij in vnitate Dei, ſcilicet Filius Dei, & filius hominis: vndè quædam naſceretur dubitationis confuſio, cum de Dei Filio loqueremur: vterque enim eſſet Deus, & filius, quamuis alter Dei, & alter hominis.* Quaſi dicat: Quia tunc foret ad extra, quod non erat ad intra, nam Spiritus S. ad extra eſſet filius, & ad intra characteriſticam Perſonæ proprietatem retineret filiationi repugnantem, idemque de Patre dicendum eſſet: ideò impoſſibilè apparet, quod aliæ Perſonæ præter Filium carnem aſſumere poſſent: nam Filius vtrobique idem eſt: in Deo autem quod non eſt, nequit apparere, ac ſi verè eſſet, nam omnia ſibi mutuò correſpondent, & ex prædicatis ad intra nullum ad extra aliter ac eſt, apparet. Tantopere ipſi diſplicet fictio, & hypocriſis, vt repugnantiam inuoluat Spiritum S. carnem aſſumere; quia tunc cum ad intra non eſſet filius, filius eſſet ad extra, & interiora exterioribus non reſponderent.

3\. Propter hanc, quam cum ſimulatione Deus habet repugnantiam, Cignum prohibuit ſibi in ſacrificium offerri. Quod ſi inquiras: cur Deus auem adeò pulchram aſpectu, & cantu canoram exoſam habuerit? Auſculta Origen. hom. in Numer. *Probibetur inter alia animalia cignus Iſraell, qui cum albus ſit foris, intus nigerrima carne cooperitur: quia hoc ſolemne hypocritis eſt, qui dum caſtitatem exteriùs præ-*

Digitized by Google

prædicant, intùs teterrima tabe luxuria maculantur. Auſteritatem præferunt hypocritæ, vt bona temporalia, gloriam vanam, & honorem captent, cum tamen interiùs carnis illecebris non parcant, ſed ad illas auidiùs ferantur, quod maximè Deus detrectat. Sic cum Chriſtus Dominus ex Bethania remigraſſet, videns ficulneam, quæ non habebat niſi folia, illam maledictionibus impetiuit, quæ confeſtim aruit. *Et areſacta eſt continuò ficulnea.* Marc. 11. verſ. 20. Si autem tempus huius maledictionis auſcultes, iuuenies non fuiſse tempus ficorum, quod, & Euangeliſta expreſsè tradidit. Cur igitur ipſi imputatur ad culpam, quod fructum non haberet, & mulctatur propter ipſius carentiam? Sic enim ex textu liquet. At Ceſarius Arelatenſ. in expoſitione huius loci maledictam credit, non quia fructum non habebat: ſed quia quando illum poſſidet, hirſutis folijs illum diſſimulat. *Arbori fici* (inquit) *maledixit Dominus, quia ſimulantium hominum repræſentabat imaginem: intùs enim dulciſſimus fructus producendi virtutem retinens, rigida, & cineritia in cortice apparet.* Nulla inter omnes arbores viuacior hypocritę figura eſt, quam ficulnea: etenim truncus, & rami eius cinere videntur operti, folia tactui rigidiſſima ſunt intus tamen nulla arborum eſt, quæ dulciores ferat fructus. Non ſecùs hypocritæ exteriùs pallidi, macilenti, & cinere conſperſi apparent, deſpecta, & rigida veſte induuntur: cum tamen interiùs delicientur, epulis fruantur iucundioribus, & ad carnis quaſque illecebras ſint dediti. Meritò ergo Chriſtus arborem, quæ horum imaginem referebat, areſecit, vt oſtenderet quam ipſi diſpliceret fallax apparentia, & doloſa hypocritarum ſpecies, quandoquidem neque ipſius vmbræ pepercit.

4. Venuſtè Ioannes (Matth. 3. verſ. 7.) hypocritas viperarum progeniem nuncupauit. *Progenies viperarum*. Quid commune cum hypocratis habent viperæ, vt ad illas referantur? Egregiè id tradidit author Imperfecti in c. 3. Matth. hom. 3. quę inter opera D. Chryſoſt. verſatur. *Viperæ à foris ſpecioſæ ſunt, & quaſi pictæ: ab intùs autem veneno plenæ ſunt & hyppocritas viperarum genimina appellat: quia hypocritæ pulchritudinem Sanctitatis oſtendebant in vultu, & venenum malitiæ portabant in corde*. Decoram virtutis faciem oſtendunt, & vitiorum venenum latenter in pectore portant, ambiuntque à nemine videri, vt omnium negotientur æſtimationem. Ideò autem ab ipſorum negotioſa fallacitate pollicetur Deus iuſtum liberare Pſalm. 90. verſ. 7. *Ipſe liberabit me de laqueo venantium, à negotio perambulante in tenebris*. Dubitat Bern. (ſerm. 5. ſuper Pſalm. *Qui habitat*) quodnam ſit hoc negotium in tenebris latens. Quis vnquam id quod ipſi expedit, & deſiderat, in tenebris negociatur? Quis clàm, & inter noctis caliginem ſua curat, & ſolicitat? Audi Bern. *A negotio perambulante in tenebris, ideſt, hypocriſi: etenim iſta de ambitione deſcendit, & in tenebris habitatio eius: quippè abſcondit quod eſt: & quod non eſt mentitur. Negotiatur autem omni tempore*. Quaſi dicat: Omnis hyppocrita ambit ſanctus reputari, in tenebris venit, quia ne agnoſcatur, ſeſe occultat, vt omni tempore ſub pallio virtutis negotietur. Nulli æquè negotiatores ſunt, ac hypocritæ: omnis eorum intentio diù noctuque ad negotiandum tendit, mundumque ſub cœli ſpecie cupiunt poſſidere. Quos Deus maximè deteſtatur: nam quod in cordis ſecreto latet, in facie videri vult. Hinc primum hominem conditurus, vitæ ſpiritum, quem iuſundebat, inſpirauit in faciem. *Creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*. Geneſ. 2. verſ. 9. Nonnè totam corpori molem viuificaturus erat ſpiritus? Vt quid igitur in facie tantùm infuſus perhibetur? Eſt qui exiſtimet, taliter Deum ſpiritum dediſſe Adamo, vt ipſe ſpititus in facie hominis videretur, innuens ſic concupiſcere animam à fictione aliena, vt qüidquid in ipſa eſt, in facie cordis ſimulacro videri voluerit: vt de B. Virgine dixit D. Ambroſ. lib. 2. *Ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, figura probitatis*.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Tametſi Deus pientiſſimus ſit, in publica ſcelera maximè excandeſcit.

1. ADeò alienum, & peregrinum à Deo eſt ſupplicia hominibus inferre, vt vel ipſoſmet damnatos conuincat non à ſe, ſed ipſorum ſceleribus damnari. Quod eleganter annotauit Ambroſ. cap. 15. in Examer. *Deus enim operatur, quod bonum eſt, non quod malum, ergo doceant te verba Diuina, quia operatur gloriam, pœnas reliquit. Honorificantes me* (inquir 1. Reg. 29.) *honorificabo, honorem bonorum operationis ſuæ eſſe deſcribens. Et contemptores* (inquir) *mei non dixit, honore priuabo: ſed honore priuabuntur, non ſua operationi deputans eorum iniurias, ſed quod futurum erat oſtendens*. Tametſi hoc ita perſpicuum ſit, vt longiori probatione non indigeat ſic Deo diſplicent publica flagitia, & quæ impudenter patrantur, vt in illa maximè excandeſcat, & de illis celerem ſumere vindictam non dedignetur. Quæ cauſa fuit, vt tot feuera ſupplicia in vtrumque populum immiſerit, eo quod effræni licentia delinquebant, & om-

nium

nium ſcelera omnibus erant peruia in magnum Dei contemptum. Vt eleganter dixit D. Bernat. in Declamat. *odibilis planè Deo frontoſa temeritas, & impudentia execranda: propter quid enim irritauit impius Deum, exacerbauit Dominum peccator, vt ſecundum multitudinem iræ ſuæ non requirat. Pſalm. 9. Num. propter fornicationem, inceſtum, aut Sacrilegia? Nihil enim Propheta memorat; ſed quod in corde ſuo dixerit: Non requiret. Sermo cordis affectio eſt: corde enim dicere. Non requiret, eſt non expaueſcere exquiſiturum.* Non tam Deum ad iracundiam prouocat eſſentialis peccatorum malitia, quã effrænata in peccando licentia, ſine vllo pudore, imò cum magna impudentia crimina committere: quia in ipſis deſpectum, & in magnam populi redundat perniciem. Vndè aggrauans Scriptura prophanum cultum, quem Salomon idolis exhibuit, nolens ſuas offendere vxores. *Ædificauit* (inquit textus 3. Reg. 11. verſ. 7.) *Salomon phanum Chamos idolo Moab in monte, qui eſt contrà Ieruſalem, & Moloc idolo filiorum Ammon.* At crediderim crimen Salomonis non modò non exaggerari extructo extra ciuitatem phano ad idololatrandum, ſed potiùs minui: pernitioſius enim intra ciuitatem eſſet altare, vbi incenſum adolebat, nam prauo exemplo idololatria vehementiùs ſerperet in proximum populum. Id ad minùs crimen non habuit noxium, quod extra ciuitatem committeretur: verùm id magis noxium habuit. Non fruſtra Scriptura montis meminit, qui erat contra Ieruſalem, vt exindè omnibus habitantibus ciuitatem notum eſſet flagitium in publico, & eminenti loco, vbi ab omnibus proſpiceretur, & abſque vlla verecundia perpetratum. Auſculta Lyra. *In monte qui eſt contra Hieruſalem. Ideſt in monte oliueti: & ideò cultus idolatriæ de tota Ciuitate Hieruſalem poterat videri, quod erat magnum incitamentum ad idolatriam, ad quam populus erat pronus.* Non tam ſe Deus infeſtum manifeſtat Salomoni propter execrandũ idololatriæ delictum, quam propter circumſtantiam impudentiæ, qua in ſua malitia gloriabatur, & propinandum omni populo idololatriæ porrigebat venenum.

2. De duabus filiabus Loth, quæ ſe temulento patre impudicè immiſcuerunt, inquit text. ſacer. Geneſ. 19. verſ. 37. *Peperit maior filium, & vocauit nomen eius Moab: minorque peperit filium, & vocauit nomen eius Ammon.* Conuenit inter Interpretes impudentiorem fuiſse maiorem filiam, eiuſque peccatum grauius, & exitioſius. At vndè id colligitur? Nam vtraque concepit, & vt apparet, minor magis culpabilis videtur, quia in ſorore edocta occaſionem criminis potuit effugere. Verùm culpę malitia ex circumſtantijs metienda eſt, ex ipſiſque liquet, maiorem filiam inuerecundiorem fuiſse, quia turpitudinem ſuam expoſuit, crimen reuelauit oſtendens quod ex patre conciperet: quapropter Moab filius nuncupatur, qui idem ſonat, ac *Ex patre*: & dum ſine pudore de crimine gloriabatur, flagitioſior ſorore euaſit. Quod optimè ponderauit Oleaſter. *Peccatum ſuum prædicauit quaſi Sodoma. Non æquo animo Deus vnquam tulit eis, qui peccata prædicant aut iactant. Legimus enim quam ægrè tulerit Dauid Ioab ſanguinem Abner in calceis ad iactantiam poſuiſſe, & in cingulo, quod culpam vehementer auxiſſe videtur.* Contrà hoc inuerecundum peccatorum genus inuehitur Dauid (Pſalm. 58. verſ. 6.) Deum obſecrans, vt non miſereatur peccatorum, quos peccauiſſe non pudet. Quaſi venia reddantur indigni, quia vlteriùs malitia progredi non valet. *Non miſerearis omnibus operantibus iniquitatem.* Quænam illa iniquitas eſt, pro cuius ſupplicio tam auidè exorat pientiſſimus Vates? Arbitror peccatum eſſe ex impudentia procedens, Deumque deſpiciens, nam de commiſſo crimine ſibi blandiri, ipſum eſt tanquam honeſtum defendere, atque auerſione, & odio erga Deum gloriari: id enim ſubindicat verbum *operantibus*, quo eos carpit Propheta, qui quaſi ex officio iniquitatem operantur, ſeque de illa iactant. Ad eum planè modum, quo ſtrenui artifices de ſubtilitatibus artis gloriantur laude ſe dignos exiſtimantes: ſic qui petulanter peccant, optimos ſe reputant peccandi artifices, & de malitia ſua gloriantur, tenentes illa celeberrimos, & laude dignos effici: quibus imprecatur Dauid Deum ad vindictam ſtimulans, ne impunita remaneat horum frontoſa malitia. De quorum numero erit ille peſſimus Eccleſiæ hoſtis Antichriſtus, qui peremptis Enoch, & Elia eos omnium oculis exponet, quaſi de ſua malitia glorietur, vt habet Apocalyp. 11. *Et videbunt de tribubus populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies, & dimidium, & corpora eorum non ſinent poni in monumentis: & inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos, & iucundabuntur, & munera mittent ad inuicem: quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos.* Ad quæ verba Rupertus lib. 6. in Apocalyp. inter atrociſſima Antichriſti crimina hoc vnum agnoſcit iram Dei vehementiùs prouocare, quod, ſcilicet, de malitia ſua glorietur impius, & deſpecto Deo flagitia ſua quaſi virtutem exaltet. *Peccatum* (inquit) *peccatorum omnium deterrimum eſt impios lætari, cum malè fecerint: & meritò talibus multus, & inexhauſtus theſaurus repoſitus eſt iræ Dei viuentis.* Tam vehementer Deum exacerbat in commiſſo crimine lætari, vt in ipſo totum, & inexhauſtum iræ ſuæ theſaurum reponat, quaſi nihil iracundiæ non abſorbeat inuerecundia in peccando licentia. Eos maximè abhorret, qui non reputant crimen commiſiſſe, aut falſa vitiorum delectatione fuiſſe potitos, niſi id omnibus notum fiat, & quam Deus parui pendatur ab ipſis. Id ſaltem à delinquentibus propter

fragi-

fragilitatem exquirit, vt malè agentes non mali videri ambiant hæc enim cautela non parum crimina minuere videtur.

3. Iſaiæ 2. verſ. 20. pollicetur Deus idola proſternere, & penitùs ad præſentiam ſuę maieſtatis euerti. *In die illa proijciet homo idola argenti ſui, & ſimulacra auri ſui, quæ fecerat ſibi, vt adoraret talpas, & veſpertiliones: & ingredietur ſciſſuras petrarum, & in cauernas ſaxorum à facie formidinis Domini, & à gloria maieſtatis eius, cum ſurrexerit percutere terram.* De conuerſione Gentilium hæc accipit D. Baſil. (comment. in Iſaiam) qui adeò à dæmonis tyrannide erant poſſeſſi, tantaque ſtoliditate obcæcabantur, vt non ſolùm beſtiolas has, & hiſce ſimiles, verùm etiam, & cœpas adorarent, vt ſcribit Plinius. lib. 19. cap. 6. At quænam illæ ſunt petrarum ſciſſurę, quas Gentiles idolis abiectis ingreſſuri erant? *Latera* (inquit Baſil.) *& foramina Redemptoris noſtri.* Verùm vndè gens illa perdita, & tot idolatriæ erroribus immerſa tantùm felicitatur, vt ad foramina ſalutis confugiens tanta ipſius vtilitate excipiatur? Quodnam meritum, & morum congruitas ad tàm ingentem proſperitatem eam adduxit? Audi Baſil. *Sententia ſuperior indicabat, idola in arcanis locis recondi: præſens ſermo eadem reijcit quod mendacium priùs conueniat pudore aſpergi, deindè à corde eſt exulandum.* Quaſi dicat: Pudor, & verecundia, qua peccatum committitur, in cauſa eſt, vt à corde citiùs exulet. Peccabant enim ethnici idola venerantes, & quanquam Deos orbatos oculis habebant, eorum ſimulacra in arcanis recondebant locis, vt ibi idololatriæ quaſi pudore ſuffuſi inſeruirent. Crimen autem, quod aliqua verecundiæ ſpecie committitur, quamuis grauiſſimum ſit, aliquam timoris Dei ſpeciem præſefert: vndè non mirum, quod ipſo auxiliante à corde euacuetur: nam vt dixit Cyprian. *Benigno Domino ſufficit vindicta pudoris.* Qui modeſtia, & verecundia delinquit, veniam aliquomodò meretur, quia Dei, & ſuæ exiſtimationis ſtudioſus videtur. Huiuſmodi in peccandi cautelam optimè ponderauit D. Anſelm. ad cap. 29. Matth. id expendens, quod Iudas palam tradere militibus Magiſtrum noluit, ſed quodam ſigno, & pacis oſculo. *Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.* Matth. 26. verſ. 48. *Habet adhuc* (inquit Anſelm.) *de verecundia diſcipuli, qui non eum palam tradidit perſecutoribus, ſed per ſignum oſculi.* Quaſi dicat: Adhuc in modo, & ſagacitate, quam Iudas in tradendo Magiſtro obſeruauit, doctrinam, quam in eius ebibit ſchola, indicauit, qua edoctus, eſtò illum tradere decreuerit, id tamen facere cum aliquo aſtu, & verecundia tentauit. Pudorem, quem à conſortio Magiſtri affricauerat ſibi, in crimine oſtendit, & id minùs malitiæ flagitium habuit. Sic enim vt culpam, quam perperrauit Noe, aliquomodo Scriptura minueret, id aduertit, quod *nudatus eſt in domo ſua.* Geneſ. 9. verſ. 48. Vndè monet D. Ambr. (ad prædicta verba) peccata in occulto, & cum verecundia commiſſa minùs atrocia eſſe, quam quæ mundi oculis exponuntur. *Cautus eſt, quia etſi nudatur, in domo ſua nudatur, vbi operimenta non deſunt, vt vitia ſua norit abſcondere.* Hanc reor fuiſſe cauſam, cur Chriſtus Dominus ſuſcitaturus archiſynagogi filiam. *Non permiſit intrare ſecum quemquam, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ.* Lucæ 8. quibus ne miraculum reuelarent maximè commendauit: ad Lazari verò ſepulchrum adueniens tantam accedere voluerit multitudinem, quibus adſtantibus, & voce magna clamans: *Lazare veni foras.* Ioan. 11. verſ. 43. ligatum eduxit à tumulo, & cum ſudario cunctis intuendum propoſuit. Cur in occulto puellam ſuſcitauit, & tanta Lazarum publicitate? Auſculta Bedam ſup. cap. 8. Lucæ. *Sed, & hoc notandum, quod quia publica noxa publico eget remedio, leuia autem peccata leuiori, & ſecreta quærunt pænitentia deleri, puella in domo iacens paucis arbitris exurgit, eiſdemque ne miraculum vulgarent, indicitur.* Iacebat extra domum Lazarus intra domum puella iacebat: & aliter obiurgandi ſunt, qui peccant in foro: aliter, qui in ſecreto quia aliter, & diſpari malitia vtrique peccant. In reſurrectione Lazari, qui publicum peccatorem referebat, ſemetipſum turbauit IESVS. *Infremuit ſpiritu*, & lacrymas fudit, quia in publica peccata maximè excandeſcit, & ad velocem, & publicam prouocatur vindictam. Vndè ipſum Nabuchodonoſori infenſum, & ad vltionem paratum exponit Propheta, quia nota illius ſcelera, & in delinquendo impudentia ipſum cogebant ad vindictam. *Maledixiſti ſceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad diſpergendum me.* Hic verſ. 14.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Criſpati, & comati molles, & effœminati ad bellaque inepti.

1. TAm ſunt à fortitudine alieni, qui prolixas comas nutriunt, nutritaſque calamiſtro artificioſè criſpant, vt dixerit Seneca. Lucillum vrgens, vt ab huiuſmodi ſeſe abſtrahat fœminarum ſtudio. *Noſti complures iuuenes barba, & coma nitidos, nihil ab illis ſperaueris forte, nihil ſolidum.* Quaſi iuuenes noſtri æui indigitarer, qui toti ſunt in colendis crinibus, ipſiſque protrahendis, vt fœmi-

mineam referant imbecillitatem. Quibus mitè congruit, quod Ælianus lib. 4. cap. 33. de leonibus tradidit: ex quibus qui profuſiores criſpioreſque iubas habent, pugnæ ſunt inepti, timore frauguntur, & à naturali leonum generoſitate, & fortitudine degenerant: qui verò ſimplices habent pilos, rectos, & minimè tortos, reliquos viribus præſtant, & facilè ſuperant. *Leo qui habet criſpiorem iubam ignauior eſt, & imbecillior; qui verò procerior, piloque recto, & ſimplici, generoſior, & maiori animi robore prædiens*. Adeò natura docuiſſe videtur in criſpo illo apparatu volitantium cincinnorum non leones ignem ſpirantes, ſed meticuloſos lepores: non viros ſed elumbes, delicatos, atque fractos: non fortis animi excellentiam, ſed aſſimilem fœminis mollitudinem inueniri. Quapropter viri omni exceptione maiores hanc capillorum curam vt honeſtiſſimis viris indignam, abijciendam putarunt, probè ſcientes, Deum maximè abhorrere, quod homines mulieribus vtantur ornamentis. Vndè dixit Deuter. 22. verſ.5. *Maledictus omnis, qui muliebribus induitur*. Ad quę verba grauiter Tertullian. lib. de idola c.16. *Nullum denique cultum à Deo maledictum inuenio, niſi muliebrem in viro*. Et D. Hieron. calamiſtratas comas opponit ex aduerſo pudicitiæ, quaſi illa duo ſimul in eodem eſſe nequeant: Et Clemens Alexand. lib. 3. meritò in viris reprehendit huiuſcemodi capillorum ornatum, illum vocans: *Illiberalium ſexum, ac meretricium*. Quibus conſonant S. Baſil. hom. 24. *Cincinnatum, & comptum eſſe, atque appellari, æquè turpè cenſendum eſſe ac impudicum eſſe*. Vndè vetus, & commune prouerbium ortum habuit. *Nemo comatus, qui Cinædus non ſit*. Vel vt ex Græco profert Sineſius. Epiſt. 104. *Nullus capillos, quin Cinædus ſit, ſouet*. Optimè hos capillorum amatores, & cultores carpit Seneca cap. 12. de breuit. vit. quam reipublicæ ſint nociui oſtendens, & eorum inutile ſtudium reprehendens. *Quis eſt iſtorum, qui non malit rempublicam turbari, quam comam ſuam? Qui non ſolicitior ſit de capitis ſui decore, quam de ſalute? Qui non comptior eſſe malit, quam honeſtior?* Concinnata, & adamuſſim compoſita capillorum fila ità curant, vt ne vnus extra ordinem vagetur, totam rempublicam inordinari permittant. Piè ergo conſulebat Tertullian. lib. de Virgin. cap. vltimo. *Si Deus fuerit in pectore, cognoſcatur, & in capite*. Nunquam Deus fertur capillis: imò vbi eorum minor eſt cura, certior adeſt, ex capiteque agnoſcitur, an ſit in pectore. Et ibid. ipſe Tertullian. cap. 12. reputat huiuſmodi criſpatos homines. *Apertam profiteri mulieritatem*. Cui conſentit D Cyprian. de ieiunio, vbi in illos inuehitur, qui capillis muliebribus ſe in fœminas transfigurant. Vndè Creſſus (vt refert Herodot.) conſuluit Cyro Lydis præcipere, vt filios inſtrumenta muſica pulſare, delitioſè pſallere, & reliqua, quæ muliebrem imbecillitatem redolent, docerent, vt ex viris in mulieres degenerantes nunquam arma contra ipſum auderenr arripere. *Impera, vt liberos cytharam pulſare, pſallere, cauponari doceant: & mox comperies, ò Rex viros in mulieres degeneraſſe, nilque metuendum, ne rebelles à te vnquam deſciſcant*. Summo dedecori olim erat virum muliebrem ornatum portare. Vndè Iulian. Imperator hoc ſupplicij genere terga vertentes milites mulctabat. *Deſertores amictos veſte muliebri per caſtra duxit diſtrahendos, ratus militibus, qui viri eſſent, huiuſmodi pœnam, & ſupplicium morte grauiùs futurum*. Quid non erubeſcere debent noſtri temporis milites, qui ad bella procedunt muliebribus ornamentis, prolixa, & culta coma, quaſi ſuæ timiditatis ſupplicia iam deferant, & ſigna?

2, Terga vertit Abſalon exercitus patris ſui phalanges expaueſcens: non audens cum illis manus conſerere, indecorèque fugam arripiens, quem cum inſequeretur Ioab, pendulus è quercu nodatis crinibus manſit, muloque pertranſeunte lancea ter transfixus interijt. *Cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum, & magnam, adhæſit caput eius quercui, & illo ſuſpenſo inter cælum, & terram, mulus, cui inſederat, pertranſiuit*. 2. Reg.18. verſ.9. Cur ſuſpenſus crinibus perit, qui ne crines perderet, pendebat: Laqueum mors armauit in capillis, quos tantò ſtudio, & diligentia curauit, comptèque nutriuit? Ità equidem & meritò ait Oſtienſis Draco ſerm. de ſacram. Dominicæ Paſſionis. *Crines ſuos ponderat pondere publico ducentis ſiclis: in eodem crine ſuſpenſus ad arborem interijt*. Ità equidèm, & meritò. Qui crines tanta affectione curabat, criſpatos ferro: pectine compoſitos, tamque profuſos habebat, vt quotannis eſſet neceſſè eos tondere, quia prolixa eum grauabat Cæſaries (vt habetur cap. 14. eiuſdem lib.1. Reg. v.26. *Semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæſaries*) non potuit non effœminatè terga vertere in bello, & muliebriter fugam arripere. Meritò crine ſuſpenſus interficitur, qui fractus animo, & effœminatus crinibus reddebatur ad bella. Exanimis ad hoſtis conſpectum expauit, quia comatus miles nihil generoſum audet, & indecorè certamen refugit. Dedecet enim virum fortem, & ingenuum hæc ſuperflua capillorum cura, ideòque illorum parcitas tam commendata eſt apud Patres, tamque venerabilis apud cordatos viros.

3. Nec Deus modtrationem in capillis nutriendis monere neglexit, nam pro illa extat lex. Leuitic. 19. verſ. 27. *Neque in rotundum (inquit) attondebitis comam*. Ex Hebræo legit Caiet. *Nec in gyrum attondebitis angulum capitis veſtri*. Angulum autem capitis vocat demiſſas è temporibus comas, quæ hinc indè pen-

Digitized by Google

pendebant. At cur calamiſtratos, & criſpos capillos prohibet, illoſque arte, & induſtria habere decoros? Auſculta Oleaſtrum. *Voluit Dominus, vt quemadmodùm ipſe hos hominis, & faciem diſpoſuerat, ità ipſi diſponerent, atque collocarent capillos ſuos: vt ſcilicet ſuper frontem totam eſſet vna inciſio, & in circuitu capitis alia, aut voluit eos eſſe omninò atonſos, quemadmodùm nunc noſtri incedere ſolent.* Et in Annotatione morali id magis expendens ait, *Quid tibi Domine, & capillis noſtris? Quid ſi in circuitu, aut quadrangulariter capillos incidamus? Noluit te deſtruere in facie figuram, & diſpoſitionem, quam fecerat ipſe, & faciei tuæ decorem, & pulchritudinem curauit. Capilli* (inquit) *capitis veſtri omnes numerati ſunt.* Quaſi dicat. Creauit te Deus cum pulchritudine hominis, non vult, vt te in fœminam transformes: quod quidem efficies, ſi faciem crinibus operueris, ſubindicans primò Deum hominem moderata coma, & vndequaque quaſi tonſa creaſſe. Iniquè fert virum propter affectaram capillorum multitudinem in mulierem degenerare: hoc enim & ipſum Creatorem deuenuſtat, quandòquidem eius opera imperfectionis arguunt illa emendantes: & probos viros maximè dedecet. Vndè dicebat Paulus (1. Corinth.11. verſ.14.) hunc muliebrem ornatum magnam viro eſſe contumeliam: quia ipſum imbecillem, fractum, & nullius valoris conuincunt. *Ipſa natura docet vos, quod vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: mulier verò ſi comam nutriat: gloria eſt illi.* Vbi Caiet. *Apparet enim, quod mollis, quod muliebris ſit vir comatus, vtpotè prolixo, ac fulto capillo more mulierum.* Coma mulieres decet, quia in ſacris velatæ coma apparebant: at viro indecens, & ignominioſa eſt, non ſolùm quia capite detecto ſacris aſſiſtebat, ſed quia muliebrem in ipſo imbecillitatem arguit. Mulierum non hominum corda habent, qui longas nutriunt: & ponunt in ſtatione comas. Fortè ad capitis ornatum, & ſuperfluam capillorum congeriem, quæ maximè milites decet, reſpexit Propheta, vbi Deum bellatorum capiti inſenſum introducit: nam apud Chaldæos, de quibus loquitur, ſolemne fuit profuſiores nutrire capillos. *Maledixiſti ſceptris, eius capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad diſpergendum me.* Hic verſ.14.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Malus ſuperior impios: Bonus pios iuxtà ſe habet miniſtros.

1. QVi non Dei gloriam, ſed ſua emolumenta quærunt Principes, miniſtros ſæpè eligunt, qui nec debitam ſeruant fidem in ſuo adminiſtrando munere, nec recta ſuadent: iuſtoque Dei iudicio fit, vt apud eos maxima polleant authoritate effœminati homines, turpes, cupiditatis ſerui, adulatores, & nebulones, qui eos continuò decipiant in magnam populi perniciem. Principes verò, qui non ſuam, ſed Dei gloriam ambiunt, veraces viros, & benè moratos ſibi aſſociant cum magna populi vtilitate, ità vt ex miniſtrorum probitate liceat arguere Principis generoſam indolem: & qui eis caret, meritò an ſit bonus dubitatur. Quod eleganter dixit D. Bernard. lib.4.ad Eugen. *Veniamus ad collaterales tuos. Hi ſi boni ſunt, ſibi potiſſimùm ſunt: ſi mali, æquè plus tibi: nec te dixerim ſanum dolentem latera.* Hoc eſt: Non te bonum reputem malis innitentem miniſtris. Et paulò infrà: *Nec tuta tibi tua bonitas obſeſſa malis: non magis quam ſanitas vicino ſerpente.* Vbi rectè prauum venenato ſerpenti comparat ſocium: quia ſicut ille corpori, ità & iſte animo inſidiatur.

2. Præcepit Moyſes Ioſue bellum inire cum Amalecitis, pro cuius proſpero euentu leuatis ad cœlum manibus preces fundebat: quæ quidem leuatio ità erat efficax, quod *Cum leuaret manus Moyſes, vincebat Iſrael: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec.* Exod. 17.verſ.11. At quoniam longæue ætatis pondere Legiſlatoris manus iam grauabant, illas ſuper Aaronem, & Vr poſitas habebat, ità vt appareret, quod non ſolùm Moyſis oratione de inimicis reportaretur victoria, ſed etiam Aaronis, & Vr adiutorio; quibus ad manus eleuandum vtebatur: etenim ſi pauculum fulcrum deficiebat, præualebat inimicus, & vincebatur Ioſue. Quem quidem euentum optimè verſat Philo id expendens, quod ex illis duobus viris, quibus innitebantur manus Moyſis, *Aaron ratio interpretatur, & Vr lumen, ſeu veritatem ſignificat. Vult ergo* (proſequitur Philo) *Scriptura figuratè docere te, actiones ſapientis neceſſariò fulciri ratione, & veritate.* Eſtò Rex iuſtus ſit, & deuotus, omnique virtutum exornetur apparatu; ſi tamen manus, quibus operatur, quæ eius ſunt miniſtri, & munera obeuntes, rationi, & veritati non adhæreant, non eſt cur in bellis victoriam expectes: time potiùs vltimam calamitatem: neque in pace, quidquam boni agendum erit, nam Princeps ad inſtar horologij, quod horas foris ſignat, & ſonitu euulgat; occultæ autem, quæ intus latent, rotæ in cauſa ſunt, quod inordinatè, vel ordinatè pulſet: ſic Princeps licet omnia præſtet, eorum tamen, quæ rectè, vel inordinatè agit, conſiliarij ſunt miniſtri, quandoquidem reſolutiones ab eorum fatuo, vel prudenti conſilio dependent. Non ſecùs ac horologium tunc creditur interiùs concinnatè diſpoſitum, cum rotæ in ſuis deambulationibus neque præcurrunt, neque retardantur: Prin-

ceps tunc bonus reputatur; cum conſiliarios habet, & coadiutores, qui eum rectè dirigunt, & à iuſtitiæ orbita non diſcedunt. Magna ergò ſolertia illi ſunt deligendi, à quorum opinione Principis opinio deſumitur. Pergentibus aduerſus Moab tribus illis Regibus, de quibus agitur 4.Reg.3. verſ.11. cum in deſerto Idumææ aqua deficeret, & æſtuaret exercitus, quæſiuit Ioſaphat, an ibi eſſet aliquis Propheta Domini, qui preces funderet ad Deum pro obtinenda aqua: ſerui Regis Iſrael nunciauerunt ipſi adeſſe Eliſeum, qui aquam ſuper manus Eliæ ſolitabat fundere. *Eſt hic Eliſeus filius Saphat, qui fundebat aquam ſuper manus Eliæ.* Ad quid vbi populus ſiti cruciatur, & de illius agitur remedio, Eliſeus deſcribitur aquam ſuper magiſtri manus diffundens? Congruè Caier. *Ab hoc officio deſcribitur Eliſeus domeſticus miniſter Eliæ: vt hinc crederetur, quod nonniſi vir ſanctus eſſe poſſet tam domeſticus Eliæ.* Vt ſanctitatem Eliſei commendarent, ſat ipſis videbatur, ſi oſtenderent, ipſum Eliæ fuiſſe miniſtrum: nam optimus Præſul, qualis erat Elias, & zelo iuſtitiæ inardeſcens, nequiret nonniſi optimos, & eiuſdem ſpiritus participes iuxta ſe habere, quandoquidèm boni Principes, & cauſæ publicæ ſtudioſi nonniſi eiuſdem ſpiritus miniſtros eligunt.

3. Hoc inquam documentum maximè Chriſtus Dominus docere voluit, & in ipſo magnopere commendauit Iſaias cap.11. *Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.* Ideſt, pro cingulo regio auro, gemmis, & vnionibus pretioſis inſignito, iuſtitia, & verit te erit ſuccinctus, vt explicat Procop. Quia ſicut cingulum veſtes continet, & corpori applicat, ne fluant, & pedibus calcentur: ſic veritas, & iuſtitia rempublicam ſuſtentant, & fulciunt; nam vt dixit Cicero in paradox. *Ius & æquitas vincula ciuitatis ſunt.* Sed ad noſtrum inſtitutum Chaldæus accommodatè vertit. *Et erunt iuſti circa eum, & fideles, ſeu veritatem appropinquabunt ei. Ideſt, cuiuſcunque gentis fuerint, illi familiariter adhærebunt, & inſtar cinguli, quo lumbos præcingimus.* Quaſi dicat: Ea erit Principis, quem expectamus, præcipua laus, quod amici, & priuati, qui ad eius latera ambulabunt, & in ipſius gratia præualebunt, fideles erunt, & iuſti: imò ipſa iuſtitia, & veritas, omneſque & ſoli illi, qui his virtutibus decorati fuerint, munera obibunt: vndè eius bonitas, & egregia laus palam nobis innoteſcet: ſiquidem perfectus Princeps eximios apud ſe habet miniſtros, deceptores autem, & fallaces à ſe longè abigit. Hinc eſt, quod primis Eccleſiæ Paſtoribus dixerit Chriſtus. Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi.* At quid lux ſpecioſitatis habet, vt optimum indicet Paſtorem? D. Tho. hic. *Lux eſt delectabilis, aues garrire, beſtias latere facit.* Quaſi dicat: In eo eximius dignoſcitur Princeps, qui lucis refert naturam, quod aues, ideſt, benemeritos, & ingenuos viros exhilarat, & garrire facit, munera publica ipſis commendans, beſtias autem, ideſt, bruteſcentes homines, aut propter naturalem ſtoliditatem, aut propter deprauatam indolem latere compellit, illos à regimine arcens: etenim dum dies eſt, dum lux ſplendeſcit, feræ & inſecta latent. Vndè dixit Dauid Pſal.103. verſ.22. *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur.* Adueniente nocte è cauernis, & antris egrediuntur, & inſurgunt ad prædam, vt præmiſerat Propheta. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ.* E' contra verò homines in die apparent, & obteguntur nocte. Sic vtique quando ſtrenuus regnant Princeps, virtute præditi, veraces, & fideles homines euehũtur ad regimen, apparent in luce, & in ſuo ordine vnuſquiſque garrit: noxia animalia, homines videlicet inepti, deceptores latitant, & longè relegantur ab ipſo. E regione verò iniquus Princeps, qui non lucis, ſed tenebrarum habet imperium, præſtantiſſimos viros à ſe abigit, & peſſimos ad prædam, & direptionem populi inſtituit.

4. Cum cognouiſſet Ioathan Sichimitas peſſimum Abimelech in Regem conſtituiſſe, parabolam arborum illis propoſuit, quæ cum Regem ſibi quærerent, nullaque imperium vltro oblatum acceptaret, rahmnus libentèr muneri ſeſe obtulit: *Dixerunt omnia ligna ad rahmnum: Veni, impera ſuper nos,* Iudic.9. In rahmno iniquũ Regem Abimelec indigitauit, qui inter omnes fratres peſſimus fuit, populumque ſubiectum tyrannica dominatione ſuccendit. At cur pernicioſus Princeps, qualis Abimelec erat, potiùs per rahmnum, quam per aliam arborem Ioathan tradidit agnoſcendum? Arbitror, quia rahmnus ſolùm venenatorum inſectorum habitatio eſt: lacerta, angues, & id genus plura rahmnum habitant, ad illamque habent acceſſum quin ipſius ſentibus pungantur, ſi verò appropinquent homines, illos lacerat, aduncat, & ferit: ſic ad peſſimos Principes tantùm peſſimi miniſtri ingrediuntur. Lacerta, & noxia quæque animalia recipiunt, & protegunt, homines verò ingenuos, virtute præſtantes lacerant, & pungunt, atque à ſe longiùs relegant, Cuius cauſam tradit Philo lib. de ſacrificio Abel & Cain. *Rectam enim rationem gubernare ſolitam, ac præcipere odit omnis amator affectuum: ſicut deterrimus quiſque puer odit præceptores, ac pedagogos, & omnem bonum monitorem, caſtigatoremque.* Præſtantiores, & benè morati viri iniqui Principis mores, & inclinationes tacitè reprehendunt, ipſiuſq; praua conſilia auertere ſatagunt: quapropter eos habet exoſos, & à ſe relegare ſtudet; in ipſorumque locum miniſtros ſibi ſimiles, & ſuæ prauæ indolis conſortes introducit. Quod quidem agnouit

Pro-

Propheta in turba Nabuchodonoſorem comitante, & ipſius impietatem per omnia exequente; cui Deus meritò maledixit, vtpotè ſuo rectiſſimo regimini contrariæ. *Maledixiſti ſceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad diſpergendum me*. Hic verſ. 14.

DISCVRSVS VIII. MORALIS.

Humilis in dignitate aſper, & ſuperbus: Nobilis blandus, & humilis.

1. ASperius nihil eſt humili ſurgente in altum. Cautè timet, qui ſuam abiectionem agnoſcit, ne quid ab ipſo dignitatis, quam non meretur, adimatur. Nihil ethereæ blandius in ſolo eſt, at cœlo furit, indèque fulmina iacit. Vndè D.Chryſoſt.hom. 30.in Io. *Illud non ignoratis, quod quantò quis humiliori gradu ad dignitates aſſumitur, faciliùs in ſuperbiæ inſaniam effertur, vtpotè qui expers ſit repentini, & inſperati honoris*. Cupit arroganter priſcam denegatæ nobilitatis obliterare notam, qui iam fortuna auſpice aſcendit ad ſumma, & ſuperbiſſimè turget, vt innata illiberalitas non agnoſcatur, efferturque inopinati honoris culmine. Vndè cecinit Claudian.lib.1.in Eutrod.

Aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum,
Cuncta ferit, dum cuncta timet, deſæuit in omnes.
Vt ſe poſſe putet: nec bellua tetrior vlla eſt,
Quam ſerui rabies in libera colla furentis.

Dum dignitatem exambit, ad humiliora deſcendit officia: at ſupremo potitus, tumido ſupercilio in omnes inuehitur. Quid humilius, & blandius, quam Abimelec principatum ambiens? Audi illum contribules ſuos allicientem Iudic.9. verſ.2. *Loquitur ad omnes viros Sichen: Quid vobis eſt meliùs, vt dominentur veſtri ſeptuaginta viri, omnes filij Ierobaal: an vt dominetur vnus vir? Simulque conſiderate, quod os veſtrum, & caro veſtra ſum*. Sic callidè lenitatis ſpeciem præferens ad fratres matris ſuæ allocutus eſt, qui decepti ipſum Principem conſtituerunt. Sed quid poſtquam ad regiam dignitatem fuit euectus? Auſculta textum. *Et venit in domum patris ſui in Ephra, & occidit fratres ſuos filios Ierobaal, ſeptuaginta viros ſuper lapidem vnum*. Ibid.verſ.5. Vix regnum obtinuit; cum faſtuosè turgens, & deſæuiens nobiles interfecit omnes, & ſeſe cum Perſis colligauit. *Conduxit enim viros inopes, & vagos, & ſecuti ſunt eum*. Hæc enim ſunt vilis ambitionis facinora, & ſublimatæ humilitatis conſequentiæ. Vndè meritò ipſius frater Ioathan volens inſolentiam, & ferociam Abimelec oſtendere, & quam degenerauerit, poſtquam principatum fuit adeptus, ipſum in rahmno Sichimitis expoſuit: quia, vt inquit S. Antoninus, *Rahmnus eſt genus rubi aſperum nimis, in principio molle, poſteà indureſcit*. Sic infimæ ſortis homines dignitates ambientes primò molles videntur, itá vt nihil ipſis dulciùs, nihil deſiderabiliùs appareat: & negotiata fortuna obtenta ſuperbiæ impetus in pectore latentes manifeſtant, & magna ferocia, & crudelitate ſubiectum populum adoriuntur. Pulchrè hos agnouit D.Gregor.in igne de cœlo deſcendente, & familiam Iob, omnemque eius ſubſtantiam deuorante. *Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oues, pueroſque conſumpſit*. Iob 1. id expendens, quod non ſolùm oues, ſed pueros etiam conſumpſerit. *Quia dum mali Præpoſiti* (inquit) *ſuum contra veritatem honorem exigunt, ob omni rectitudine corda ſequentium ſubuertunt*. Qui in dignitate, ſuæ indignitatis ſunt conſcij, inaniter ſuperbiunt, & nihil in republica non euertunt: in munere abſq; ratione conſtituti abſq; ratione operantur, & elatio in ipſis excreſcit intolerabilis ſuperbiæ faſtus.

2. Chriſtus Dominus edocturus Diſcipulos ſuos non ſolùm verbo, ſed etiam exemplo, humilitatem, quam obſeruare expediebat, exercuit, ipſorum pedes lauat in vltima cœna, vt hoc eximium humilitatis ſeruitium doctrina ſit ipſis ad ſimilia patranda. *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodùm ego feci, itá & vos faciatis*. Ioan.13. verſ.15. Humilitatem, quam ipſis prædicabat, priùs opere complebat, vt intimiùs eam affricaret Diſcipulis. At cur ſuperbirent, qui ex ignobili fortuna aſſumpti ad dignitatis infulas aſcenderant? Cur Chriſtus Diuinitatem demittit, vt naturæ vitium cohibeat in Diſcipulis, & depoſita ſuperbiæ arrogantia ſeruorum more miniſtret? Crediderim, quia, vt dixit Apoſtolus Paulus 1. Corinth. 1. verſ. 25. *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia*. Sciebat quam proximo periculo ſint expoſiti ignobiles ad dignitatem euecti, vt in ſuperbiam labantur: idcircò eos tam officioſo ſtudio præuenit, ne ab humilitate excidant, fomitem enim, quem ab ipſis incunabulis traxerunt, extinguere ſatagebat, agnoſcens quam ſit difficilè non ſapere abiecta naturæ principia. Miniſterium ſeruitutis exhibet, vt in Diſcipulis ex fœce plebis allectis naturalem ſuperbiendi appetitum comprimat, ne immoderatè propriæ vilitatis immemores efferantur: naturaliter enim in huiuſmodi ſuperbiæ ſtimulos incidunt, qui de humili genere, & fortuna ſurgunt in altum. Sic Saul, qui antequam eligeretur in regem, ſe rantopere deſpiciebat, vt ſe abſconderet, ne regnaret propter humilita-

litatem : poſteà tam degener in regno apparuit, vt plurima inmania tentaret flagitia, & egregium virum (qualis erat Dauid) gliſceret occidere. Ipſeque Dauid, antequam regnum eſſet aucupatus, humilitèr ſe geſſit: poſteà verò elatus ſuperbia populum numerauit. Sic Agar, poſtquam de Domini concubitu concepit, ità ſe inſolentèr extulit, vt dominam ſuam parui penderet: *At illa concepiſſe ſe videns deſpexit dominam ſuam*, inquit text. Geneſ. 16. v.4. Mirûm eſt, quod vilis, & abiecta ancilla ſic dominam contemnat, & mirabiliùs, quod ope, & conſilio eiuſdem dominæ ad dignitatem aſcenderit, atque ex Abraham conceperit, & poſteà ipſammet dominam, cui erat deuincta, æſtuoſa ſuperbia deſpiceret. At ex vili mancipio, & ignobili ancilla quid, niſi huiuſmodi ſuperbiæ faſtus, erat expectandum? Plus ſuperbiendo præſumit, qui minùs habet vndè ſuperbiat: ideòque cautè ſeruilis conditionis hominibus beneficia ſunt conferenda. Quia (vt dixit Orig. in Catena Græca) *Non enim cuiuſuis eſt meliorem benè ferre fortunam, aut ex humili euecti non ſuperbire*. In ſatis enim ſpicæ, quæ ob leuitatem ſurſum eleuantur, inanes, & euanidæ cenſentur: ſic qui in dignitate turgent, & eriguntur, nihil nobilitatis, nihil ſolidæ virtutis præſeferunt.

3. Alitèr nobiles in dignitate conſtituti facillimè à ſublimitate deſcendunt, & in ipſa deiectione generoſam naturæ indolem oſtendunt. Quod pulchrè annotauit D. Chryſoſt. hom.9. ad populum Antioch. diſcrimen obſeruans quod inter cœli aſtra, & terrena lumina verſatur: illa etenim ex cœleſti origine procreata ad terras libentèr deſcendunt, & ima vltrò petunt: at lumina terrena ſurſum aſcendere ſemper conantur. *In Sole* (inquit) *totum Deus contrarium fecit: ipſius radios ad terram conuertit, & lucem fecit inferiùs: lucernæ quidem flamma hoc ferre non poteſt, ſidus vero tam magnum ad inferiora*. Enimuerò ſicut Sol, & illuſtriſſima quæque cœli aſtra luces, & radios ad inferiora demittunt, vt infimum locum occupent: viles verò, quæ in terra ardent, flammæ aſcendere ſemper anhelant, & in imò perſtrepunt: ſicut aër in terra blandus, & lenis, cum ad mediam aſcendit regionem, totum orbem conturbat: ſic plerumque nobiles, & de generoſa ſtirpe procreati de ſua innata nobilitate ſecuri ſeſe humiliant, cum ad dignitatem aſcendunt, & ad infima officia deſcendere non dedignantur; ſecùs abiecti, & ignobiles, qui in dignitate conſtituti ſuperbiæ tumore inflantur, & omnibus ſe præbent aſperrimos, & intolerabiles: in faſtigium elati arrogantèr ſe extollunt, & in aduerſa fortuna, quam ferre nequeunt, abiectiſſimè humiliantur; in qua nobiles ſuam generoſitatem magis oſtendunt. Vndè indolem nobiliſſimæ tribus Iuda moriturus Iacob fuit auguratus. Geneſ.49. verſ. 9. *Catulus leonis Iuda, requieſcens accubuiſti, vt leo*. Hebræus vertit. *Genuflexit ſicut leo*. At nihil minùs leoni competit, quam genua flectere, quia de ſtirpe regia gloriatus nullum reueretur. Verùm in hoc nobilius ſtemma Iudæ demonſtratur: nam vbi aduerſam fortunam eſt paſſurus, tanquam leo humiliatur, regalem generoſitatem etiam in aduerſis manifeſtans, non vt canis blandiendo, neque vt ſimia adulando, ſed vt leo, qui ad hujuſmodi indecoras blanditias etiam proſtratus non deſcendit. Id enim proprium nobilitatis genium eſt: ſicut abiectæ conditionis in proſpera fortuna faſtuoſa ſuperbia omnes arroganter deſpicere, & duro ſupercilio vexare. Sic impijſſimus Princeps Nabuchodonoſor ventoſitate veluti turbo furens Iudæos diſperſit, & vbique oppreſſit, quia tam vilis erat conditionis, vt meruerit in ſtolidam belluam degenerare. *Maledixiſti ſceptris eius capiti bellatorum eius, venientibus, vt turbo ad diſpergendum me*. Hic verſ.14.

Verſ.15. Viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum.

ANNOTATIO XI.

Expoſitio Litteræ.

1. NArrat Propheta modum captionis Babylonicæ ciuitatis à Perſis debellatæ, quæ per diminutionem aquarum Euphratis facta fuit, quem quidem Euphratem mare vocat more Hebræorum, qui omnem congregationem aquarum magnam mare vocabant, ſecundum illud Geneſ. 1. *Congregationeſque aquarum*

appel-

appellauit maria. Sic Lyra, & Hugo. Conſequentiùs, quam Sanchez, qui prædicta verba accipiens de expugnatione Babylonis putat hic mentionem fieri de tranſitu maris Rubri, & Iordanis.

2. *Viam feciſti in mari equis tuis*. Sermo eſt de equis Medorum, & Perſarum, quibus ad bellum contra Babyloniam pergentes inſedebant, quique equi dicuntur Dei, eo quod à Deo ſunt directi in executionem Diuinæ Iuſtitiæ. *In luto aquarum multarum*. Quia alueus Euphratis non erat totaliter deſiccatus: vndè in illo lutum aderat derelictum ab aquis multis anteà per ipſum fluentibus. Diuiſum Euphratem ab Ezechiele ſicut olim mare Rubrum à Moyſe, vt captiuus populus hoſtium barbaram captiuitatem effugeret, tradunt Epiphan. lib. de vit. interituque Prophetar. & ex eo Doroth. in Sinopſ. Iſidorus. Chronic. Alexand. verb. Ezechiel. Dicunt enim apertum ab Ezechiele fluuium, quo ſuos eriperet atque ad ſecuram regionem traduceret, & in medijs fluctibus demerſos fuiſſe Chaldæos, qui eodem alueo illos inſequebantur.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Magnis beneficijs ſupplicia Deus compenſat.

1. MVlctauerat Deus Iſraelitas ob grauiſſima eorum ſcelera, adducti erant in Babyloniam, vbi captiui miſeram degebant vitam: ſed quoniam illius mos eſt, poſt inflictas pœnas magna beneficia largiri, quaſi ſupplicia merita eſſent, adducit exercitum Perſarum, & Medorum, & mirabile portentum operatur, vt de ergaſtulo diræ captiuitatis liberentur Hebræi. Cum enim Euphrates non minùs impedimenti eſſet egreſſuris à Babylone Iudæis, quam Iordanis olim in terram promiſſionis ingreſſuris, vel mare Rubrum ex Ægypto egredientibus, profundiſſimuſque alueus quaſi agger eſſet oppoſitus Perſis ad expugnandam ciuitatem, inſuperabilemque tranſitum obijceret: Diuino imperio exſiccatus, & apertus eſt, vt ſuos captiuos ad vlteriorem ripam Deus traduceret, & in fluctibus demerſos Chaldæos relinqueret: nunquam enim Deus, quos vindex viſitauit, poſteà non magna conſolatione viſitat. Vt iras Herodis effugeret, exulabat puerulus IESVS in Ægypto, & cum ipſo pergere admonuit in ſomnis Angelus Ioſeph. *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens: Surge, accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi vſquedum dicam tibi: futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum*. Matth. 2. verſ. 13. Non vacat myſterio, quod potiùs in Ægyptum, quam in aliam regionem fugitiuus cum infantulo pergat Ioſeph, vt terram illuſtret, quæ aduerſus populum Dei ſemper extitit inimica. Nulla ſanè minùs merebatur ipſius præſentiam, quandoquidèm præ omnibus illi erat magis inuida. Cur quam toties percuſſerat propter patrata in populum flagitia, modò non abhorret, ſed ſe illius exoſæ gentis contribulem præbet? Auſculta Authorem Imperf. hom. 2. in cap. 2. Matth. *Sed etiam recordatus eſt Dominus, qui non in finem iraſcitur, neque in æternum indignatur, quanta mala fecerit ſuper Ægyptum: ideò mittit Filium ſuum in eam, & dat illi magnæ reconciliationis ſignum, & perpetuæ amicitiæ pignus, vt decem plagas Ægypti vna medicina ſanaret*. Ægyptum propter eius ſcelera anteà percuſſam, & horribilibus plagis vexatam poſteà ſua præſentia ſolatur, vt pro inflictis ſupplicijs beneficia rependat, ne omninò à pietate videatur alienus. Optimè agnouerat Sponſa Sponſi ingenium, cùm dixit: *Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Vbi Theodoret. *Pro dextera ſupplicium, beneficium pro ſiniſtra intelligimus*. Quaſi dicat Sponſa: Ea eſt dilecti natura, vt cum me pœna afficit, cum ſupplicium eius ſuper caput meum deſcendit, confeſtim beneficijs me repleat.

2. Puniuit Deus Magnum Zachariam vocis ablatione, eo quod non crediderit eius verbis, quæ filium in longæua ætate, & geniali impotentia geniturum pollicebantur: ſic enim Angelus ipſi fatur: *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vſque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo*. Lucæ 1. Tranſacto autem punitionis tempore, non tantùm vox ipſi fuit reſtituta, verùm etiam prophetiæ ſpiritu apparuit exornatus. *Et Zacharias pater eius repletus eſt Spiritu Sancto, & prophetauit dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael &c*. Verſ. 7. ibid. At vndè Zacharias Propheta extitit? Sacerdotem eſſe ſciebam, ſed Prophetam ignorabam; nuſquam enim vſque modò Propheta dicitur. Quis ergo crederet, ex diuturna taciturnitate prophetiæ donum hauſiſſe, & ad loquelam organum euaſiſſe Spiritus Sancti? Amb. id altè ponderauit, & reſultans ex ſup-

plicio

plicio lucrum agnouit. *Bonus Deus, & facilis indulgere peccatis non ſolùm ablata reſtituit, ſed etiam inſperata concedit. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conſcius delictorum præmia Diuina deſperet. Nouit Deus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare delictum, ille ſiquidem dudum mutus prophetizat.* Preme illa verba. *Non ſolùm ablata reſtituit, ſed etiam inſperata concedit.* Quaſi diceret: Non ſolùm Deus ſupplicium pro incredulitate inflictum abſtulit, verùm magno prophetiæ beneficio compenſauit, ac ſi pœnam, & vocis priuationem induceret, non vt affligat, ſed vt occaſio ſit vberioris beneficentiæ. Tam eſt à Deo alienum plectere peccantem, vt non ſolùm reddat, quod puniens abſtulerat, ſed cum ingenti lucro iacturam reparet, quaſi reſtitutionis titulo, & damni emergentis compenſatione, Tam ſunt connexa pœnæ, & beneficia, vt illarum iſta videantur conſequentiæ. Loquitur Iſaias de Aſſur Aſſyriorum Rege, quem Deus in vindicem aſſumpſit ad punitionem populi, & in virgam iracundiæ ſuæ. *Væ Aſſur virga furoris mei*. Iſaiæ 10. verſ. 5. & ſtatim in eodem cap.11. verſ. 1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendat*. Mira hæc virgarum conſequentia: Nam (vt tenent Hieron. Rupert. & alij) hæc ſecunda virga, quæ ad furoris Dei virgam ſubſequitur, beatiſſimam Virginem referebat. Iam ergo meritò ambiges cur vnam cum altera virga coniungat Propheta, cum tam aduerſæ ſint conditionis: nam prima minas, furorem, & ſupplicia fulminat, & Diuinæ indignationis iram exequitur: ſecunda tota pulchra, & ſuauis eſt, pietatem, & miſericordiam exhalat. Quo ergo pacto ferè eadem clauſula vtramque virgam amplectitur? Audi ibi Rupertum. *Optima oppoſitio: ſupra oſtenditur ille ſpiritualis Aſſur virga furoris Domini, & in manu eius baculus indignationis eius: Ecce virga autem gratiæ, virga requiei Domini MARIA, & in illa flos, in quo habitet, ſuper quam requieſcat amoris plenitudo, & Diuinitatis*. Poſtquam ſupplicium per Aſſyriorum Ragem infligendum oſtendit Propheta, ingenij Dei non ignarus magnum Incarnationis indicat beneficium. Furoris virgæ virgam pietatis contexuit, nam ſolitat Deus ſupplicia beneficijs compenſare, ita vt inflicta pœna ſubſequendæ miſericordiæ ſit prophetia, & afflictionis liceat ſolatium augurari.

3. Matth.3. verſ. 15. loquens Euangeliſta de principio prædicationis Chriſti adducit teſtimonium Iſaiæ. *Terra Zabulon, & terra Nephthali via maris, &c.* vt innuat primò in his tribubus prædicationis verbum fuiſſe diſſeminatum. Si autem ſcire deſideres, cur tam magnum beneficium prius Dominus his populis conceſſerit, quam alijs? Auſculta ibi D. Hieron. *Hi primi* (inquit) *audiuere Dominum prædicantem, vt vbi Iſraelis fuerat ab aſſyrijs prima captiuitas, ibi Redemptoris præconium naſceretur.* Beneficia Dei ſupplitijs reſpondent, iracundiæ miſericordia: & cum primò illæ tribus in captiuitatem fuerint redactæ primò Dei miſerentis prædicatione, & doctrina fruuntur: *Quia* (vt inquit Imperfectus) *hæ tribus ante omnes transſmigratæ ſunt in Babyloniam: conuenienter ergo quos ante omnes ira Dei percuſſit miſericordia viſitauit*. Fugienti Agar a facie Sarai apparuit ei Angelus, qui cum interrogaret, vndè veniat, aut quo vadat, illaque reſponderet ſe fugere à facie dominæ ſuæ, iniunxit illi, vt in domum reuertatur. *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius. Et rurſum multiplicans* (inquit) *multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine.* Geneſ. 16. verſ. 9. Autumnat Caiet. perſpicuè hic Deum innotuiſſe, ita vt nullus ancillæ ambigendi remaneret locus. Verùm vndè id colligitur? Audi Caiet. *Hoc enim Dei officium eſt, & in perſona Dei Angelus hoc dixit, adiunxit ſiquidem triſtibus læta: dixerat contraria voluntati Agar, reuertere, & humiliare, & adiunxit concupita, multiplicabo ſemen tuum*. Neſcit Deus triſtitia non lætis admiſcere, ſupplicia non beneficij temperare, & ibi agnoſcitur, vbi quod vna manu fauciatur, altera fouetur; quos pœna aliquòmodo deuenuſtat, fauoribus, & beneficijs poſteà nobilitat, Propheta Deo inobediens, cum ex legatione ad Ieroboam rediret, in manus incidit leonis, qui eum occidit, & poſteà cadauer ſeruauit, ne ab alijs beſtijs deglutiretur. *Inuenit eum leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere: aſinus autem ſtabat: iuxta illum, & leo ſtabat iuxta cadauer*. 3. Reg. 13. verſ. 24. Dubitat D. Greg. cur leo, qui Prophetam occidere fuit auſus, tantopere illum mortuum reuereatúr, vt non ſolùm eum non deuoret, ſed à carniuoris fetis cuſtodiat: & ſibi pulchrè ſatisfacit. *Qui occidendi cauſam habuit, de occiſi cadauere comedendi licentiam non accepit: quia is qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia erat iam iuſtus ex morte. Leo ergo, qui priùs peccatoris vitam necauerat, cuſtodiuit poſtmodum cadauer iuſti*. Vbi ſupplicio expurgata fuit culpa, ſtatim Deus honorificans ad fuit, & cadauer Prophetæ non ſinit offendi, ſed honore, & pietate ipſum proſequitur, quia ipſius punitionis ſequela eſt beneficium, & honor, quibus ſupplicio affectos ſolatur.

DISCVR-

DISCVRSVS II. MORALIS.

Mundialium rerum abdicatio mirabilè Dei opus.

1. DVm Deum introducit Propheta viam equis ſuis ſternentem, inter maris gurgites, inter lutea aquarum impedimenta: *Viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum*. Hic verſ. 15. Iuſtos à cura,& ſolicitudine temporalium rerum Dei ope expeditos indicat, & omnia mundialia bonâ abdicantes, minimèque luto, quod referunt, immerſos. Opes & diuitias ab amicis ſuis Deus ſubmouet, ne rerum affluentia materia ſit delinquendi, & fomes peccandi: voluit enim, vt nullius rei curam, & ſolicitudinem haberent. Vndè addubitat Philo (lib. de opific. mundi) cur vltimo loco in ſerie creaturarum creatus fuerit homo, nam poſtquam omnia à principio condidit, ipſum creauit. Præſtaret præſtantiorem creaturam, quæ omnes in perfectione præibat, præire etiam in conditione. At non ità oportuit (inquit Philo) vt omnia homo recenter creatus haberet parata, & de nullo eſſet ſolicitus. *Mox vt natus eſt homo, paratum inueuit quidquid ad vitam opus erat, vt futura diſceret*. Fecerat Deus hominem, vt in Creatoris mediatione vitam inſumeret, & nulla alia diuerſione deflecteret: ideòque expediens fuit omnia, quæ ad vitam erant neceſſaria, antè ipſum creare, ne alicuius cura ſolicitus à Dei contemplatione diuerteret, & ſtudioſus rerum temporalium diſtraheretur, ab æternis, & illecebra vitiorum indè ſerperet, ſed continuò ad ſuprema mentem eleuaret. Quo reſpicit præcepiſse Deum (Leuitic. 11. verſ. 10.) Hebræis ex piſcibus, qui pinnulas non habent, eos abominabiles eſſe, & neutiquam ex eis comedere licere. *Quidquid autem pinnulas, & ſquamas non habet eorum,quæ in aquis mouétur,& viuunt,abominabilè vobis*. Cur inhibet piſces comedere pinnulis carentes,& pinnatos in cibû approbat? Rectè D.Greg.li.5.Moral.c.8. *Piſces namq;qui habent, pinnulas ſaltus dare ſuper aquas ſolent: ſoli ergo in electorum corpore quaſi piſces tranſeunt, qui in eo quod in imis deſeruiunt, interdum ad ſuperna conſcendere mentis ſaltibus ſciunt, ne ſemper in profundis curarum lateant*. Vult Deus, vt crebrè mentis ſaltibus per contemplationem ad ipſum aſcendamus, & deteſtatur in profundo temporalium rerum luto immerſos. Illos in electorum numero adſcribit, qui lutum diuitiarum excutiunt, & ab illarum ſeſe pondere exonerant, vt abſque impedimento conſcendant ad ipſum: nam maximè illarum ſolicitudine præpediuntur pedes viam ſalutis arripientes.

2. Eſt quidem rerum temporalium abundantia ſeminarium criminum: nam iam auaritiam ſuadet: iam prodigalitatis cauſa eſt: ſtimulat ad venalem luxum: ad lib.dinem irritat: gulæ materiam ſubminiſtrat: iram ſuccendit: furorem in aliquibus excitat: faſtuoſam in alijs ſuperbiam inflat: nullumque vitium eſt, quod diuitiarum copia non vigeat. Vndè ſententiosè dixit Seneca in libel. de paupertat. *Dubitabit aliquis ferre paupertatem, vt animum à furoribus liberet*? Subindicans incitamentum ad quoſcunque furores eſſe diuitias. Vndè auaro diuiti apud inferos cruciato nullam aliam pœnarum cauſam reddit Abraham, niſi quod diues extiterit. *Fili, recordare, quia accepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nunc autem hic conſolatur: tu verò cruciaris*. Lucæ 16. verſ. 25. Quod crimen eſt diuitias poſſidere, quod nihil aliud auaro objicitur,vt gehennalibus flammis meritò crucietur, niſi quod bona accepit? Enimuerò tam ſunt procliues, qui numeroſas opes comparant, ad vitia, vt idem videatur criminoſum eſſe ac diuitem, quaſi diuitiarum ſequela delicta ſint: idem enim fuit dicere, *recepiſti bona*, ac commiſiſti mala. Hoc vnum inſimulatur crimen, quod diuitias poſſedit, quæ fomes ſunt, & incentiuum ad quæcunque opera praua. Vndè Chriſtus Dominus diuitiarum curam, vtpotè æterna impedientium, & opere, & conſilio prohibuit: ſic enim prophanatores templi, & menſas, quæ ad lucra inſeruiebant, ſemel euertit. Ioan. 2. verſ. 15. *Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit dc templo, oues quoque, & boues,& uumulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit*. Vbi Caietan. *Non ſat fuit effundere pecuniam, ſed, & menſas numulariorum proprŷs manibus dignatus eſt euertere*. Nonnè indecorum viſum fuit tantæ Maieſtati, flagello vti, & proprijs manibus pecunias, & menſas euertere? Non ſatiùs eſſet alteri poteſtatem ad id faciendum delegare? Non (inquam) nam difficilè eſſet inuenire, qui argentum deſpiceret, & aurum calcaret: & vlteriùs, vt innuat pecuniam parui pendere, & illius amorem abdicare, proprium ſuæ potentiæ opus eſſe, qui nos ab huiuſmodi pecuniarum affectione ſolutos eſſe ſolicitat, quod opere, & exemplo voluit firmare. Hanc reor fuiſſe cauſam, cur Chriſtus Dominus nunquam dignatus eſt multiplicare pecuniam, ſicut multa alia multiplicauit: imò neque illam manibus tetigit, quia cum omnium vitiorum ſit occaſio, exemplo nos voluit docere illam contemnere, & calcare,& idipſum diſcipulis prohibuit, ne inter pericula verſarentur. Quapropter fideles in primitiua Eccleſia recenter conuerſi venundabant quotquot poſſeſſiones habebant. *Et ponebant ad pedes Apoſtolorum*. Actor.4.verſ.35. cuius rei

cauſā reddit ibi D. Chryſoſ. *Vt ſcirent pecuniā pedibus eſſe calcandā* Vndè cum adeò liberalis cum Petro extiterit, & cum quolibet alio Sacerdote, vt claues cœli ipſis tradiderit (*Tibi dabo claues regni cœlorum*. Matt. 16. verſ. 19.) terræ clauem ſecum ad cœlum aſportauit, ità vt ſi pluuia diſpenſanda eſt vel oriturus ſol, ipſe non hominum, ſed ſuo arbitrio faciat. Cur qui maius conceſſit, id, quod longè minùs eſt, abnegauit? Audi Caietanum. *Tota ergo Petri poteſtas refertur ad regnum Cœlorum, quo fit, vt temporalia non comprehendantur ſub poteſtate Petri, niſi relata ad ſpiritualia*. Cauens Seruator nè ex diuitiarum attrectatione aliqua in ſuos ſerperet vitioſa ſcintillula, ipſarum dominium ipſis denegauit, & quod plus eſt, abdicauit à ſe, quaſi timeret illarum contagio infici, & ad vitium illarum poſſeſſione inſtigari. Sic Deus diuitiarum poſſeſſionem abhorret, ac ſi armamentarium ſit omnium vitiorum, omnium cupiditatum omnium criminum auctuarium.

3. Sed adeò homines huic mundialium rerum luto ſunt irretiti, vt ſupra hominem cenſeatur, qui terrena bona contemnit, & vltrò à ſe relegat. Auidiſſimè ambibat dæmon Chriſti Diuinitatem aliqualiter rimari, quam quidem planè fuit confeſſus Lucæ 8. v. 28. *Quid mihi, & tibi eſt, IESV Fili Dei altiſſimi?* Quid in huiuſmodi confeſſionem callidum hoſtem adegit, vt Deum palam confiteatur, qui iam dudum an Deus eſſet, ambigebat? D. Cryſoſt. (hom. 3. in Matth. ad illa verba: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*) deſpectionem diuitiarum, quas dæmon obtulerat, Diuinitatem ipſi indubiè demonſtraſſe exiſtimat. Superatus enim hoſtis, poſtquam Chriſtus opes deſpexit, iam Deum eſſe habuit compertum: nec poterat ignorare nullum alium, qui Deus non eſſet, terrena bona tam generosè deſpecturum. *Iam igitur* (inquit Chryſoſt.) *victor Dominus auctoritate Diuina comminatus diabolum iuſſit accedere. Vndè non immeritò principe ſuo iam deuicto poſteà clamant dæmonia. Quid nobis, & tibi, Fili Dei altiſſimi? Quid veniſti antè tempus perdere nos? Non enim poterant iam Dei Filium ignorare*. Ex tertio certamine cum Chriſto inito, vbi oblatas opes calcauit, ipſum Deum eſſe certò agnouit. Non hominis, ſed Diuinitatis ſpecimen præbet, qui diuitiarum affluentiam ſpernit. Ecce Deus miſſurus in Ægyptum Moyſem, ipſi pollicetur Exod. 7. *Ecce conſtitui te Deū Pharaonis*. At quo pacto Moyſes Pharaonis Deus creatur? Quæ firma Diuinitatis ſigna ipſi defert, vt colatur tanquam numen, & humanæ naturæ limites tranſcendiſſe credatur? Audi Ambroſ. ſerm. 8. in Pſalm. 118. *Quam magnum contemnere diuitias. Sed quam rarum hoc ipſum. Vtique, & Moyſes potuit Regis eſſe ſucceſſor nutritus à Regis filia: potuit ergo eſſe non ſolùm quaſi Pharao, ſed etiam, & Pharao potuit eſſe, vterque enim homo, ſed omnis potentia hominis in affectu. Moyſes noluit Rex eſſe, cum poſſet: ſed opprobrium Chriſti theſauris Ægypti arbitratus eſt præferendum, ſed fugiendo potentiam potentior factus eſt enim in Deum Regi Pharaoni. Rex erat Pharao, ſed Deus non erat: Moyſes factus eſt illi Deus, hoc eſt Regi ipſi terribilis*. Hucuſque Ambroſ. cui pudet aliquid addere. Sed ò tempora, quam pauci ſunt, qui terrena deſpicientes hominibus terrori ſint, & reuerentiæ: imò quot ſunt, quos, & inſenſibilia reprehendant propter ſuam inexplebilem diuitiarum cupiditatem. *Erubeſce Sidon: ait enim mare, fortitudo maris dicens: Non parturiui, & non peperi, & non enutriui Iuuenes*. Iſaiæ 23. verſ. 4. Quid mare Sidonem improperat? Quodnam vitium in eius habitatoribus reprehendit, vt ad verecundiam prouocet, quandoquidèm ipſum mare ab illo immune audet increpare? Fruere iterum Ambr. de Elia, & ieiun. cap. 19. *Tanquam fatigati elementi vox iſta dicentis eſt. Erubeſce Sidon: hoc eſt, meos fluctus negotiator arguis. cum ſis ipſe fluctibus inquietior, & erubeſce velut pudore, quoniam periculo non moueris. Verecundiores venti ſunt, quam veſtræ cupiditates*. Quid elegantius ad irrequietam diuitiarum ſolicitudinem reprehendendam? Talis eſt hominum cupiditas, vt inſenſibile mare illam arguat, & quæratur, quod ab hominibus perturbetur: nam cum ipſum quandoque quieſcat: nunquam hominum ſolicitudines, quibus inhiant opibus, quieſcunt, ſed in continuò ſunt motu, per vndas vndique velut piſces natantes propter caduca bona quæ flocci pendere debebant.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Quod licet ingratum eſt.

1. INeſt à prima tranſgreſſione naturæ incentiuum ad non conceſſa cupiendum, & faſtidiendum permiſſa. Quod licet omnibus exoſum eſt: vehementiùs guſtum excitat, quod non licet. Selectum deſpicit gallina cibum ipſi obiectum, & putrida grana in ſtercore legit: nauſeat ad ſapidum, & inhiat ad putridum. Quidquid nobis negatur cupimus. Ipſa cura cuſtodiendi diuitias furem aduocat: interdictas aquas appetit æger, & ad prohibita propendet natura: quia non quod vtilius, & ſufficiens, ſed quod nociuum, & ſuperfluum eſt appetit. Quod Sapienter dixit Seneca Epiſt. 90. frugalitatem conſulens, cuius ipſe acerrimus extitit amator. *Sufficit ad id natura quod poſcit. A natura luxuria deſciuit, quæ quotidiè ſeipſam incitat, & tot ſæculis creſcit, & ingenio adiuuat vitia. Primò ſuperuacua cœpit*

con-

Digitized by Google

concupiſcere indè contraria, nouiſſimè corpori animum addixit, & illius deſeruire libidini iuſsit. Receſſit enim ille naturalis modus, deſideria ope neceſſaria finiens: iam ruſticitatis, & miſeriæ eſt, velle quantùm ſat eſt. Illicita homines ſuſpirant, quia ſuperflua ſunt: licitaque faſtidiunt, etſi vtiliora. Sub miſera ſeruitute gementes Hebræi de palearum defectu ad conficiendos lateres, in quorum labore deficiebant, conqueruntur apud Pharaonem, qui deindè paleas porrigere prohibet Exod. 5. verſ. 7. *Nequaquam vltra paleas dabitis populo ad conficiendos lateres.* Cur tam auidè populus paleas deſiderat, quibus deficientibus à labore laterum quieſcebat? Cur Pharao illas inhibet, & populum ſibi infenſum à labore, & fatigatione excuſat, & vterque quod ſibi nocet, tam vehementèr ambit? Eximiè Procopius rem verſat in hunc modum. *Solicitat diabolus eos, qui Deo opera dare ſtudent: difficilem præbet malitiam, ne eius ſatietas faſtidium pariat ſuo cultori. Nitimur enim in vetitum ſemper cupimuſque negata, & quò magis inhibemur, eò magis cupidine ardemus.* Paleæ, quæ vltrò oblatæ moleſtæ erant populo, quandoquidèm ipſum ad laborem adigebant, negatæ ad ipſarum deſiderium prouocant: & diaboli aſtu Pharao illas inhibet, vt auidiùs eas populus exoptet, & faſtidium ex communi vſu ortum in appetitum commutetur: nam ad prohibita ſemper homines anhelant. Plantauerat Deus homini paradiſum voluptatis, in cuius poſſeſſionem eum introduxit, ab illo tantùm exigens pro tanti beneficij compenſatione, vt ex omnibus arboribus comederet, vna duntaxat excepta, cuius fructum prohibitum, & minimè tactum eſſe voluit. *Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas.* Geneſ. 2. v. 16. His aſſentior, qui exiſtimant, hic duo adfuiſſe præcepta, comedendi, & non comendi id enim ſatis perſpicuè ex textu liquet. Quid opus fuit hominem obedientia adigere ad hoc vt ex paradiſi fructibus comedat, vitamque ſuſtentet? Quod vel ſtolida animalia ſapiunt, ipſa natura docente, deſiperet homo, & fructus non caperet, vt ex illis nutrimenta perciperet, niſi mandatum præceſſiſſet, quod ipſi fructus capere præcipitur? Num homo in feliciſſimo illo innocentiæ ſtatu ſic ſpiritu eſſet abſtractus, & diuinis meditationibus intendens, vt neceſſe fuerit corporis alimentum præcipere, ne corporis oblitus ipſum nimis extenuaret? Fortè ità. Sed arbitror, mandatum hoc poſitiuum de comedendo ex omni ligno obſeruantiam alterius negatiui de non guſtando ex ligno prohibito reſpicere: nam tam auidè homo non conceſſum concupiſcit, vt ſi vnum tantùm eſſet præceptum, totus in prohibito illo cibo appetendo eſſet. Habeat homo prohibitam abſtinentiam reliquarum arborum, ne vnicè incumbat deſiderio vniùs fructus, quem habet prohibitum. Non vni duntaxat adſtringatur obedientia mandato, ne penè omnia licita faſtidiat, & vnum non licitum vehementiùs exoptet. Fortè inter plurima mandata verſans ad illud transgrediendum inclinabitur, ex quo non naturæ, ſed perſonę lapſus ſequatur. Tam non conceſſis homines inhiant, vt ſi vnum tantùm eſſet præceptum, certè homo illud tranſgrederetur, quaſi ex prohibitione res venuſtatem accipiant, & ex permiſſione faſtidium.

2. Hic ad non licita appetitus, licet in omni genere vigeat, præcipuè in rebus venereis, vbi etſi pulcherrimæ ſint, propriæ faſtidiuntur vxores, & alienæ, quamuis illiberales, auidè deſiderantur? Dauid enim, & Abimelec licet proprias haberent vxores, non ſuas arripuerunt: & talis libido ingenij eſt, vt ea ipſi gratior ſit fœmina, quæ difficilior. Vndè Salomon (Prou. 9. verſ. 17.) de voluptatibus carnis, & illicito toro locutus dixit: *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior.* Ad aquas alienas raptu hauſtas, & ad panem incluſum arculis ne rapiatur, vehementiùs excitantur vecordes: & aſtuta illa atque libidinoſa fœmina, quæ à Salomone inducitur his ſeruatis ſtudio pignoribus confertur, vt viuaciùs exprimat, quam acrè ſit in voluptate incitamentum ad id, quod non conceditur, aut ſaltem difficulter habetur. Sic enim torpet laſciua Venus, vt aquæ perlucidæ, quæ domi habentur, pro turbidis habeantur, & panis ſuauiſſimus pro hordeo deſeratur; proprias ſiquidem quamplures vxores faſtidiunt, & ad illiberales ancillas oculos adijciunt. Flagrauerat non paucis annis Sara filiorum deſiderio & cum iam ſe ad genialem thorum impotentem agnoſceret, conſuluit Abrahamo, vt cum ancilla ſua concumberet, fortè ex illa ſuſceptura liberos. *Ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam filios.* Geneſ. 16. verſ. 2. Abſtinuerat iam pridem Abraham à coniugali commercio, expertus vxoris ſuæ infœcunditatem. Non miror quod propria vxor, quæ zelare ſolet in marito, ne aſpectus, vel verba cum altera ineat, & ob ſalutatam tantùm rixari ſoleat, ſolicitet ipſum ad venerem cum ancilla: ſed quod Abraham tanto tempore ab vxore abſtinens ad ancillam, quę forma, & ingenio liberalis erat, neque animum, neque oculos ſaltem adiecerit. *Non more* (inquit Procopius) *intemperantium, qui negligentia, & odio ſuarum vxorum ancillas luxurioſiùs contrectant, in ancillæ concubitum ruunt.* Planè libidinis amans amens eſt, quandoquidèm amare neſcit, & elegantiori vxore relicta, ad vilem ancillam diuertit. Vehementer in hanc familiarum peſtem inuehitur ſæpè D. Chryſoſt. cuius illud eſt homil. 4. in epiſt. ad Rom. *Quemadmodum ſæpè fieri videmus, vt qui ciborum appetitionem amiſerint, terram ac lapillos comedant, quique in potenti ſiti correpti*

fuerunt, ij, & cenum quoque nonnumquam ad bibendum appetant; ita, & illi ad illegitimum amorem efferuerunt. Stupidi homines, & prauè ſtolidi venerjs illecebras in alienis mulierculis ambiunt, quæ licet totius pulchritudinis ſint expertes, acriùs ipſos titillant, & ad voluptatem prouocant prohibitionis ſtimulo, relictis proprijs, & ſæpè venuſtiſſimis vxoribus.

3. Sed iuſtiſſimus Iudex Deus, qui omnia iuſtiſſimo penſitat iudicio, æquiſſimè permittit, vt adulter adulteram habeat vxorem: iſta maritum; ille vxorem execretur, totaque familia corrumpatur. Quod arcanè dixit Ierem. cap. 7. verſ. 18. *Filij colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cæli, & libens Dijs alienis, & me ad iracundiam prouocent.* Vbi annotauit D. Hiero. ideò diuerſa officia filiorum, patrum, & matrum, vel vxorum poſuiſſe, Prophetam, vt nulla ſit ætas in familia, quæ ab impietate diſſentiat. Tota domus ad exemplum patris corrumpitur, & vitium in capite vigens ad reliqua membra deſcendit, Vbi fœditate luxuriæ inquinatur maritus, & fidem frangit conſortio debitam, eandem ſuper ſe infamiam ſolitat portare. Vndè congruè huiuſmodi libidinoſos homines in equis luxuriæ luto immerſis notat Propheta, quia huiuſmodi animalia auidiſſimè luxuria ſtimulantur, & cum reliqua determinatum ad coitum tempus habeant, ſola equa ſemper luxuriatur, vt tradit Ariſt. *Viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum.* Hic verſ. 15.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Non niſi Deo auſpice, & acritèr pugnante, importunæ carnis illecebræ ſuperantur.

1. VIam Deus in mari equis ſuis ſternit, & à luto, quo erant immerſi, eruit. *Viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum*, Hic verſ. 15. Quia quos deſtinauit ad gloriam, à carnis libidine eripuit. Sic Moral. Gloſſa. *In luto aquarum multarum, id eſt, carnalium fœditatum.* Eſt enim triumphus Dei virtute dignus, ipſique maximè adſcribendus, à carnalibus illecebris ſemel guſtatis hominem eripere, quæ iure luto comparantur, quia hoc vitium maximæ adhæſionis eſt, & quod homines plurimum infamat. *Los pone de lodo* Hiſpanè dicitur. Rectè de illo cecinit Silius Italicus Punic. lib. 15:

Nec ira Deum tantùm, nec tela nec hoſtes,
Quantum Sola noces animi illapſa voluptas.

Quærit D. Thom. 2. quæſt. 73. an peccata carnalia minoris ſint culpæ, quam ſpiritualia, & affirmatiuè difficultatem ſoluit cum magno Greg. aſſerēte, ſpiritualia peccata longè in malitia ſuperare carnalia. Obijcit ſibi ex D. Aug. (ſup. Leuit.) quod diabolus maximè gaudeat de peccato luxuriæ. Cur ergò ſi de maiori culpa magis gloriatur dæmon, ſenſualis voluptas minus peccatum eſt? Reſpondet Angelic. Præcept. *Diabolus dicitur magis gaudere de peccato luxuriæ, quia eſt maximæ adhærentiæ, & difficilè ab eo homo poteſt eripi, inſatiablis enim delectabilis appetitus*, Blanda tyrannis libido eſt, mollitèr adulatur, & captiuos homines reddit: difficilè eius duræ captiuitatis mites rumpuntur catenæ: adeò, vt D. Auguſt. cum eas ſoluere intendebat, caſtitatis pulchritudine allectus illam à Deo poſtularet, ſed dum vincula frangere conabatur, carnis illecebræ adeò ipſum deuinciebant, vt Deo diceret: *Da mihi caſtitatem, ſed noli modò.* Quapropter viam ab huiuſmodi laqueis emergendi ſibi tanquam mirabile facinus Deus arrogat, & inter hæc luta inoffenſo pede equos ſuos traducere, vt innuat victoriam caſtitatis in declinando inimicam laſciuiam maximè eius auxilio eſſe tribuendam: nam cum hoc vitium immundiſſimum ſit, diuina ope indiget candida caſtitas, ne ipſo maculetur: nam quis lutum manibus contrectabit; quin coinquinatus euadat. Præclarè dixit Tertullian. lib. cont. phyſic. agens de luxuria. *Pudet de eis altercari, quorum nec defenſio verecunda eſt.* Quo nihil exaggeratius dici potuit ad oſtendendam laſciuiæ impuritatem, quando, & defenſio etiam, & excuſatio ſecum aliquid immunditiæ deferre videtur. Vndè D. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 11. refert de quodam ſancto Presbitero, quod cū in extremo, eſſet periculo, fœminam ad ſe propè accedentem hiſce verbis repulit. *Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle.* Quare nullibi Dei virtus tam perſpicuè elucet, ac in fuga illecebrarum carnis!

2. Repetiuit Dauid vxorem ſuam Michol, vt ſociale fœdus iniret cum Abner, & per internuntios hanc legationem miſit ad Isboſet 2. Reg. 3. *Redde vxorem meam Michol, quam deſpondi mihi centum præputijs Philiſtijm. Miſit ergo Isboſet, & tulit eam à viro ſuo Phaltiel filio Lais, ſequebaturque eum vir ſuus plorans vſque Baburin. Et dixit ad eum Abner: Vade, & reuertere.* Caietan. notat ex Hebræo, qui hic vocatur Phaltiel, & Michol erat coniux, antea appellari Phalti, ita vt præcedenti nomini El, quod nomen Dei eſt, fuerit ſuperadditum. Meritò Dei nomine inſignitur: quia maritali toro ſe abſtinuit, deſponſatam ſibi vxorem non tetigit, & à carnis incitamentis euaſit: nam huiuſmodi victoria niſi exuberanti Dei auxilio nequibat obtineri. Lacrymas, quibus

abla-

ablatam vxorem proſequebatur, non mærens, ſed exultans fundebat, eo quod caſtitatem ſeruaſſet, & à feminę conſortio impollutus receſſit: vndè euadens meritò interpretatur, quaſi à neceſſario periculo eriperetur. Non omitt tendus Ruper. lib. 2. in lib. 2. Reg. c. 12. qui pulchrè Deo adſcribit huiuſmodi de carne reportatam victoriam. *Ploraſſe dicitur Phaltiel præ gaudio, eo quod eum Dominus cuſtodiſſet, ne tangeret illam: nam vir (vt Hebræi tradunt) non cognouit eam: quia ſi cognouiſſet eam, nunquam Dauid poſteà eam ſibi ſociaſſet, quia in lege penitùs huiuſmodi prohibetur coitus: ipſe autem legis doctor erat de Bahurim. Et quando à Saule Michol ei datur, Phalti, id eſt, euadens interpretatur. quando verò ab eo eadem Michol aufertur, Phaltiel, id eſt, euadens à Deo interpretatur. Et euadens à Deo dicitur, cuſtodiuit enim eum, ne fieret tranſgreſſor legis.* Quaſi inuideret Deus homini illecebras carnis ſuperanti, proptium ſui nomen indidit, vt ſibi triumphum arrogaret, & ipſi attribueretur victoria. Tam eſt difficile, & quaſi hominum vires excedens, voluptatis vitare contagia, & effrænem luxuriæ domare appetitum, vt Deus inter ſua præclara opera hoc recenſeat, & per anticipatam præſeruationem à ſuis hoc vitium auertat, ne vel leui ipſius attactu inficiantur.

3. Plura Deus reuelauerat caſto Ioſeph, antequam euenirent, adorationem fratrum, venditionem in Ægypto, & alia, quæ poſteà probauit euentus: non tamen ſalacis, & laſciuientis dominæ tentationem detexit, ſed alto ſilentio retinuit. Cur ipſum de futuro periculo non admonet, ne inſpectata pulchræ fœminæ ſuggeſtio illum faciliùs prouocet ad lapſum? Crediderim, ne ex tentatione carnis aliquod ſibi inquinamentum affricaret. Nec per ſomnia caſtum adoleſcentem decebat repręſentationē habere inhoneſtam. Vitę diſcurſus, cæteraque pericula ipſi reuelentur hoc illi prorſus tegatur, ne in laſciuis imaginibus periclitetur illibata caſtitas. Adeò viſcoſæ, & periculoſæ naturæ hoc vitium eſt, vt timeatur ex illo vel in ſomno concepto aliquam laſciuiæ pullulare ſcintillam, & noxium reſpirare contagium. Vndè pulcehrè D. Cyprian. de ieiunio, & tentatione, *Honeſtiùs* (inquit) *cum ſpiritu, quam cum carne luctamur: quia carnis amplexus fœdas exhalans nebulas, eum, qui ſibi adhæſerit, aliqua ex parte contaminat, nec libidinis morſum quiſquam euaſit illæſus. Flatus ille peſtilens etiam longè poſitos inficit.* Quandoque ex brachijs dæmonis egredimur innoxij, ex carnis verò amplexibus plerumque infecti. Ille, etſi inimicus, ſubſtantia ex ſua natura pura eſt, & ſpiritualis, quia eius vitium non naturæ fuit, ſed perſonæ: caro imbecilis infirmitate læthalis contagij, ita vt eos, qui ad ipſam accedunt, aliqua ex parte commaculet, & fera adeò infecta rabie, vt ex eius morſibus rarus euaſerit illæſus. Vndè eleganter Sapiens Eccleſiaſt. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Semel picem vel leuiter attingens, etſi pluries poſteà ſe lauare intendat, vix penitùs mundus erit. Ita luxuriæ dediti, etſi multoties ſe purgare laborent peccata confitendo, & lacrimarum balneo, adhuc maculæ reliquias retinent, & iterum poſt ſe carnis affectus deferunt. Vndè ne Ioſeph ex hoc laſciuiæ toxico inficeretur, pallium, quod laſciuæ manus tetigerāt in ipſis reliquit, ne aliqua ſcintilla in ipſum exindè ſerperet, & totus flagraret, vt optimè dixit D. Hieron. lib. 1. cont. Iouin. *Vndè, & Ioſeph, quia tangere volebat eum Ægyptia, fugit è manibus eius, & quaſi ad morſum rabidiſſimi canis ne paulatim virus ſerperet, pallium quod tetigerat abiecit*, Cui conſonat D. Ambr. lib. de Ioſeph cap. 5. *Contagium indicauit, ſi diutiùs moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiua tranſirent.* Hinc Diu. Paulus Corinthijs permittit cum infidelibus non ſolùm in colloquijs, ſed etiam in conuiuijs conuenire 1. Corinth. 10. verſ. 27. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate*: & eiſdem prohibet cum impuris, & veneri deditis conuerſari. *Si is qui frater nominatur, eſt fornicator, cum huiuſmodi nec cibum ſumere.* Cur à Chriſtianis potiùs fornicatoribus, quam ab infidelibus fideles reuocare contendit? Nonnè ingentius ex infidelium commercio imminebat periculum, quam ex conſortio eorum, qui eandem fidem acceperant? Fortè maius ſed non proximius magis enim declinandi ſunt impuri, quam infideles? quia illorum contagium facillimè ex attactu, ex viſu, ex colloquio, ex quacunque conuentione in adſtantes ſerpit.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Ad meretrices cognoſcendas olim, nunc ad continentes prophetia opus eſt.

1. PVlchrè dixit D. Bern. ſerm. 86. ſup. Cant. *Verecundia ſoror eſt continentiæ*: ſubindèque incontinentiæ ſoror erit impudentia. Et licet vtrumque plerumque verum ſit: pro diuerſitate tamen temporum fraternitas hæc fuit diſſoluta, fuere namque olim plures incontinentes verecundæ: nunc verò continentes inuerecundæ plurimæ, quia eo deuenit motum prauitas, & licentia vt inter pudicas, & laſciuientes fœminas nullum verſetur diſcrimen, adeò vt ſicut olim ad publicas cognoſcendas meretrices opus erat prophetia: nunc opotteat eſſe Prophetam, vt plures caſtæ agnoſcantur. Quandoquidèm ſi quæ ſunt pudici-

dicitiæ cultrices, in ſermonis petulantia, in veſtimentorum prophanitate, in geſticulata libertate impudentes apparent, his ſe partibus nudantes quas neque in cubiculo pudicitia auderet reſpicere, quod planè pudet referre. Loquatur Seneca lib.7. de benefic. cap.9. quod recuſat Chriſtiana modeſtia. *Video* (inquit) *ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt, quo defendi aut corpus, aut denique pudor poſſit: quibus ſumptis mulier parum liquidò nudam ſe non eſſe iurauit*. Immeritò plurimæ caſtæ reputantur, quæ meretricum ornatum, & frontoſam impudentiam præſeferunt, itá vt niſi vaticinio non agnoſcantur pudicæ: quas quidem antiqua circumſpectio, & modeſtia reprehendit, quandoquidèm & meretrices olim pudicæ videri ſtudebant.

2. Longiuſculam conuerſationem habuit Chriſtus Dominus cum muliere Samaritana, & inter alia, quæ ipſi pandit ſecreta, quinque viros habuiſſe, & quidem omnes ſimul (vt annotauit Chryſoſt.) manifeſtat. *Quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir*. Ioan.4. Cui illa: *Domine, vt video, Propheta es tu*. Falleris mulier. Prophetia opus eſt ad cognoſcendam publicam meretricem? Num peccatoris ſtoliditas tantùm deſipit, vt peccata adeò occulta eſſe credat, quòd vbi propalantur, vaticinium intercedere exiſtimet? Eximiè Maldonatus hic. *Cum enim dicit: Video quia Propheta es tu, tacitè confitetur vera eum dixiſſe, ſe in perpetuis adulterijs vitam duxiſſe. Quod qui nemine iudice cognouerit, non poſſe non eſſe Prophetam*. Etſi peccatrix illa fœmina eſſet, ſic impudicitiam occultare ſatagebat, tam verecundè, & modeſtè ſuam occultabat laſciuiam, vt putet nonniſi prophetiam perſpicacia videri. Simile quidpiam habetur Lucæ 7. verſ. 39. vbi ad Chriſtum Dominum acceſſit officia pietatis adimplens celeberrima illa peccatrix, de cuius attactu, & lenocinio miratur Phariſæus, & ſeruatorem prophetiæ expertem credidit: nam ſi ipſo polleret, non ſineret ab impudica fœmina, attrectari. *Videns autem Phariſæus, qui vocauerat eum, ait intra ſe dicens: Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt*. Ignorantiæ perſonę adſcribit Phariſæus, quod attactum impudicę fœminę permittat IESVS, exiſtimans ipſius licentiam cohibiturum, ſi agnoſceret, quanta laborabat infamia. Verùm planè deſciſcit Phariſæus, nam ſi conſtanti opinione meretrix vulgo reputabatur hęc fœmina, & proſtituta impudicè viuens, quomodo Chriſtum non eſſe Prophetam arbitratur ex eo quod eam non agnoſceret? Num ad cognoſcendum publicè peccatricem prophetia opus erat? Itá planè: erat namque huic mulieri talis modeſtia, talis vultus, & oris compoſitio, vt licet impudica foret, nonniſi Vates ipſius agnoſceret laſciuiam. Tantopere curabat honeſtatem vultus, & ornamentorum circumſpectionem, vt pudicitiam mentiretur in facie.

3. Vndè antiquitùs cautum fuit, ne meretrices detecta facie ambularent. omnes enim velatę incedebant, ne libidinis apparatu ſpectantium oculos offenderent. Non eo impudentia deuenerat, vt meretricius, & theatralis Hiſtrionum habitus palam portaretur. Et Iudas quęſtui Thamar acceſſiſſe, fuit ſuſpicatus, quia velato capite ſedebat in via. Gen. 38. *Quam cum vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem, operuerat enim vultum ſuum, ne agnoſceretur*. Is mos fuit non ſolùm Hebręis, ſed etiam alijs nationibus, qui minimè laudabilis videtur: nam non parùm reipublicę, & honeſtati intererat meretrices ex facie, & habitu agnoſci, vt cauta cum ipſis haberetur loquela, & venenum omnes toxicans publicè incedens caueretur ab omnibus. Verùm tanta fuit occultandi impudicitiam cura, vt quaſi pudore ſuffuſa non fuerit auſa palam apparere, ne ſpectantium oculi prophano cultu, & impudico ornatu inficerentur. Quod grauiter dixit Tertull. lib. de cultu fœminar. cap.12. euentum Thamar expendens. *Thamar illa* (inquit) *quia ſe expinxerat, & ornauerat, idcircò Iudæ ſuſpicioni viſa eſt quæſtui ſedere, ideò quia ſub velamento latebat habitus: qualitatem quæſtuariam mentiente, & fecit, vt quæſtuariam, & voluit, & compellauit, & pactus eſt. Vndè addiſcimus aduersùs congreſſus etiam, & ſuſpiciones impudicas prouidendum omninò eſſe. Quid enim caſtæ menti, integritas in alterius inſpicione maculatur? Quid ſperatur in me quod auerſor? Cur non mores meos habitus pronunciat? Ne ſpiritus ab impudentia vulneratur. Liceat videri pudicam; certè impudicam non licet*. Ne intuentium oculi faſcinerentur luxuria, ornamenta, & vultus libidinem ſpirantia ſub velamine recondebatur adeò, vt neceſsè fuerit diuinare, vel linceos habere oculos ad agnoſcendam incontinentiam: & cui ex permiſſu hominum impudicam eſſe licebat, videri iure erat prohibitum, ne halitus peſtilens męchantium totam rempublicam inficeret. Tam cautè tunc veſtium inſignia cauebantur, vt operculi velamento celarentur, & ſolùm prophetię oculos non laterent. Nunc adeò impudenter agitur, vt prophetia opus ſit ad pudicas fœminas agnoſcendas, nam omnes pręſeferunt in habitu meretricum formas, & quę pudicę ſunt, in vultu impudicitiam mentiuntur, ita vt verecundiam exuiſſe videantur. Theogon. apud Stobęum dixit: *Pudorem mulier cum veſte exuit*. Nunc verò impudentiam cum veſte induit. Lacrymabilis dolor, quod vitiorum virtus portet inſignia, & impudicitię ornamentis induatur caſtitas. Nam ſi quę pudicitiam ſeruant, laſciuiam in vultu referunt cum magno ſuę opinionis detrimentnto, nam difficultèr creditur caſta, quę impudica in habitu apparet.

Digitized by Google

ret. Quia vt dixit D.Cypr. de diſcipl. & habitu virginum. *Ornamentorum, ac veſtium inſignia, & lenocinia formarum nonniſi proſtitutis, & impudicis fœminis congruunt, & nullarum ferè pretioſior cultus eſt, quàm quarum pudor vilis eſt*. Et Tertull. vbi ſupra meritò inuehitur in hunc errorem. *Lenocinij formæ*(inquit) *nunquam non proſtituto corpori coniuncta, & debita, etiam ſcripturæ ſugerunt*. Hanc indecoram, & prophanam veſtimentorum pompam à republica relegari oporteret, & duntaxàt illis, quę inpudicę cenſentur, permitti portare habitum laſciuiam redolentem, vt iam pridem cum ingenti laude, & reipublicę vtilitate Lacedęmonij facere. Vt tradit Clem. Alex. lib. 2. Pedagogię cap. 10. *Laudo ego, & admiror veterum Lacedemoniorum Ciuitatem, quæ ſolis meretricibus ſolidas veſtes, & aurum mundum geſtare permiſit, à probis mulieribus mundi ſtudium auferens, quod ſolis meretricibus ſe ornare concederet*. Non ſunt honeſta prophanis admiſcenda: omnia ſint munda mundis: pudeat meretrices videri, quę continentes ſunt, & vbi ſeruatur caſtitas, exulent laſciuię apparatus, & inſignia impudicitię.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Mortis caſtitas, vitæ impudicitiæ expers.

1. NOuam vitę geneſim puritas eſformat, & infœcunda ad prolem caſtitas ad vitam generandam fœcundiſſima eſt. Supra mortem ſe erigit pudicitia, & immortalis à funere euadit. Præcipiebatur olim (Leuitic. 21. verſ. 11.) Sacerdotibus, ne ad funera accederent, & vel à cadaueris intuitu oculos cuſtodirent. *Ad omnem mortuum non ingrediatur omnino, &c.* Et nihilominùs Moyſes a errimus legis obſeruator, & defenſor ſecum aſportauit oſſa Ioſeph, & ex vno in alterum locum transferebat. Exod. 13. verſ. 19. *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph, &c.* Quod valdè demiratur Iſidor. Peluſiota (lib. 4. epiſt. 157.) in viro religioſo, & toto obſeruantiæ zelo inardeſcente. Sic audet Legiſlator legem tranſcendere, & ſummi Sacerdotis oculis cadauer paſſim obijcere contra Dei iniunctum præceptum? Quid ad huiuſmodi legis tranſgreſſionem Moyſes reſpondet, quod ipſum excuſet? Audi Iſidor. illius nomine loquentem. *Non violo, non ſoluo legem ſed per hoc oſtendorem ipſam, quæ per ſcripturam, ac verba legis ſignificatur, diligenter eſſe attendendam: ego enim eum, qui caſtitatem coluit, pro mortuo non habeo*. Dum Ioſeph ſtrenuus miles caſtitatis ſtadium cucurrit, laſciuientem, & impudicam dominam ſuperauit, præſtigia fallacis fœminæ deluſit, de mortis imperio triumphum reportauit, & pudicitiæ methamorphoſi in vitam immortalem fuit transformatus. Non mortuis annumerandus eſt, qui carnis illecebras, & lenocinia illudit: Nec Moyſes præceptum de intuendo mortuo ſuſpicabatur tranſgredi, quandoquidèm illibata Ioſeph oſſa, quæ prærogatiua immortalitatis propter puritatem gaudebant, ſecum deferebat. Vndè de primo caſtitatis cultore, in quem inuidioſa rabie fraternus liuor inſurrexit, mors ambiguè narratur. *Inſurrexit Cain, & interfecit ipſum*, Geneſ. 4. verſ. 8. Vbi Philo (lib. quod deterior potiori inſidietur) ſubtilitèr expendit, quod ly *ipſum* æquè & Abelem, & Cain ſignificat, potiùſque ad fratricidam, quam ad Abelem referri: vt innuatur, quod mortem quam virgini fratri inferre tentauerit Cain, in ſeipſum intorſit: non enim ex vulnere inflicto moritur Abel, ſiquidem poſteà vox eius exauditur. *Vox enim ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, verſ. 10. vocem autem emittere ſignum vitę indubium eſt: quia virginitas, & intemerata caſtitas mortis imperium ignorant. *Prima quidem ſpecie*(inquit Philo) *Abelem occiſum ſubindicat: ſi autem diligentiùs rem expendas, ipſum Cain à ſeipſo. Proindè ſic legendum: Inſurrexit Cain, & occidit ſeipſum. Et meritò quidem: anima enim, quæ ex ſeipſa tollit dogma pium, & virtutis amicum, virtuti eſt mortua. Itaque Abel (quod vix credas) interemptus viuit: exemptus enim ex inſipientis mente, viuit in Deo vitam feliciſſimam. Atteſtatur nobis Diuinum Oraculum, quod vociferari eum ait, & clamare, quæ à malo ſocio paſſus eſt: alioqui ſi non ampliùs erat, quomodò loqui poterat?* In cadauere adhuc non amiſſę vitæ leguntur notę: adhuc mortiferis vulneribus ſaucia inter pallentia labia vox eructatur, quia nondum erat vita functus: caſtitatis priuilegio gaudens, quæ neſcit interitum, & occaſum ignorat, immunis à morte adhuc poſt mortem perhibetur, & vitales functiones neque ipſa mors finiuit, quia virginum prærogatiua eſt mortis dominio non ſubijci.

2. Iudic. 2. verſ. 8. mortem Ioſue ſtrenui populi ducis, ſic narrat Hiſtoricus ſacer. *Mortuus eſt autem Ioſue, filius Nun, famulus Domini centum, & decem annorum, & ſepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ*. Nulli alij funeris apparatus, nulla doloris ſigna in morte Ioſue audiuntur, nulloque planctu ſepelitur: cum tamen Iacob fletu dierum ſeptuaginta, triginta Aaron, totidem Moyſes, Samuel quoque planctu ſepultus (1. Reg. 25.) commemoretur. Cur lacrymis viduatur tanti viri tamque ſtrenui ducis mors, & tam ingloriè moritur, qui tam glorioſè vixerat? Præclarè D. Hieron. lib. 1. aduerſus Iouinian. *Moyſes moriens plangitur à populo Iſrael: IESVS autem*

tem quaſi victurus non plangitur: nuptia enim finiuntur in morte: virginitas poſt mortem incipit coronari, &c. Immortalis eſt enim memoria illius. Auguſta immortalitatis corona redimiti virgines perhibentur, iniurias mortis non ſentiunt, ſubindèque lacrymæ fruſtaneæ eſſent in ipſorum tranſitu: quia ſtudioſus caſtitatis cuſtos, & ipſius nitoris obſeruator non moritur, neque mortis exuuiæ in eius obitu apparent. Vndè & de ipſo Ioſue adhuc poſt mortem vitæ geſta narrantur Iudic. 2. verſ. 6. *Dimiſit ergo Ioſue populum, & abierunt filij Iſrael, vnuſquiſque in poſſeſſionem ſuam, vt obtinerent eam, ſeruieruntque Domino cunctis diebus eius, & ſeniorum, qui longo poſt eum vixerunt tempore.* Ambigunt ſacri Interpretes, cur hic quaſi viuentis Ioſue mentio habeatur, quem iam ſacer Scriptor in ſuperiori libro, vbi ipſius facta narrantur, mortuum deſcripſerit. D. Auguſt. à Gloſſa, quem ſequitur Lyra, per recapitulationem hoc iterari exiſtimat, vt ſæuum populi ſtatum Iudicum tempore deſcribat, & quam benè ſe idem populus geſſerit, Deoque ſeruierit ſeniorum atque Ioſue tempore. Quapropter quamuis in rerum ſerie iam præcedenti libro mortuus Ioſue ſupponatur, iterum ad hiſtoriam reuocatur, vt locupletiori notitia populi ſtatus agnoſcatur: quod quidem literæ congruit. Sed in re morali D. Hieron. (vbi ſupra) priuilegium virginitatis, in qua floruit Ioſue, & immortalitatis indè reſultantis hic agnoſcit. *Cum in ſepultura Ioſue liber, qui ex nomine eius appellatur, expletus ſit: rurſum in Iudicum volumine quaſi viuens, reſurgenſque deſcribitur.* A mortis vultu iterum virgo nouam lucis accipit vſuram: tumulus ipſi vitæ officina eſt: vbi humatur corpus, viuacior exurgit caſtitas, & ſtudioſus illius amator à funere immortalis euadit, & neque in morte lacrymas eruit, neque poſt mortem inter mortuos numeratur.

3. Clamauit populus ad Dominum (Iudic. 6. verſ. 10.) auxilium expoſtulans contra Madianitas: cuius cum Dominus preces exaudiret, vt de victoria redderet ſecuros, miſit ad eos virum Prophetam, qui locutus eſt: *Ego Dominus Deus veſter, ne timeatis Deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis.* Magna inter Expoſitores eſt diſſenſio, quis nam fuerit iſte nuntius, qui Propheta vocatur. D. Auguſt. quæſt. 31. eo magis propendet, vt exiſtimet, hunc Prophetam fuiſſe Angelum, qui mox apparuit Gedeoni: quamuis ſibi obijciat, quod Angeli in Scriptura viri quidem ſæpè dicantur, Prophetæ nunquam: quia licet prophetica cognitio ſit clarior notitia fidei, tamen eſt ænigmatica: cognitio verò Angelorum, qui res cognoſcunt in verbo, clara eſt. & abſque ænigmate. Quare veroſimiliùs exiſtimo, illum, qui vocatur Propheta, hominem fuiſſe, vt tenent Lyra, Caiet. & alij.

Facit autem ad noſtrum inſtitutum quædam diuinatio (quam parodoxam, & incertam vocat Abulenſ. quæſt. 11. in 1. Paral.) Hebræorum aſſerentium, fuiſſe Phineem filium Eleazari Sacerdotis. Verùm cum Phinees Moyſis tempore vixerit, qui potuit ad hæc vſque tempora perdurare? Quomodò qui iam plurimis ſæculis elapſis mortuus fuerat, vitæ functiones valebat exercere? At non ſibi perſuadent Hebræi, potuiſſe mori amatorem, ac vindicem caſtitatis: is enim fuit Phinees, qui Principes populi veneri publicè deditos in patibulo ſuſpendit. Imò S. Petrus Damian. epiſt. 11. cap. 12. illum adhuc viuere exiſtimat, ſic exponens illa verba Num. 25. *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quam ſemini eius pactum ſacerdotij in æternum. Pacem* (inquit) *ſui fœderis illi Dominus dedit, quia ſedata omnis carnis moleſtia viuere illam vſque in finem mundi in paradiſi amænitate conſtituit.* Adduictque in ſuam ſententiam D. Hieronym. in quæſt. Hebraicis ad 1. Paralipom. 9. vbi cum de cuſtodibus tabernaculi ſermo eſſet, additur. *Phinees autem filius Eleazar erat dux eorum coram Domino. Monſtratur* (inquit Hieronym.) *hic Phinees adhuc viuere &c. Iure ergo* (pergit Damianus) *quia mæchis repentinam intulit mortem, annoſa vitæ fortitus eſt longitudinem.* Quidquid ſit de veritate huius ſententiæ quam non approbo, planum ex ea fit, caſtitatis vindices, & cultores dignos eſſe, quod nullo vnquam tempore moriantur. Non parùm ingenia torſit illa Petri ſciſcitatio circa Euangeliſtã Ioannem, cius vitæ euentum ſcire deſiderans, *Domine hic autem quid?* Ioann. 21. quoniam ſatis Petrus nouerat, quid dilecto diſcipulo erat euenturum: dixerat enim Chriſtus, Iam pridem (Matth. 20. verſ. 23.) mortem ſubiturum in calice ſatis expreſſam. *Calicem quidem meum bibetis.* Si ergo. Petrus non ignorabat euentum Ioannis, ſi certum habet fore moriturum, cur non ſolus ipſe, ſed & cæteri diſcipuli arbitrantur à morte immunem iri? *Exijt ſermo inter fratres, quod diſcipulus ille non moritur.* Ioan. 21. verſ. 23. De illo ambigere audent, quod Chriſtus aſſertiuè dixerat? Quid in hanc mentem diſcipulos adegit? Dubio abſque virginalis decor, qui in Ioanne relucebat. Audi D. Hieron. *Ex quo oſtenditur virginitatem non mori, nec ſordes nuptiarum ablui cruore martyrij: ſed manere cum Chriſto, & dormitionem eius tranſitum eſſe, non mortem.* Perennat mortalitatis iniurias neſciens virginitas, valet pudicitia vitam addere, & ſuſtinere. Nec enim ſibi perſuadebant diſcipuli fore moriturum illuſtrem virginitatis cuſtodem: hinc Petrus interrogat, hinc omnes ſuperſtitem Ioannem exiſtimant, qui æternant virginum corpora balſamo caſtimoniæ condita. *Hæc enim eſt* (inquit D. Bernard. epiſt. 42.) *inſtar odoriferi balſami, quo condita cadauera incorrupta ſeruantur.* Vndè qui à luto illecebrarum

rum

rum carnis eripiuntur, à mortis laqueo liberantur, vt noſter prædicat Propheta, *Viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum*. Hic verſ. 15. Qui verò in cœno delitiarum detinentur, mortem ſibi inferunt, vt eleganti metaphora dixit Salomon Sapientiæ 1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, ſed homines impij manibus, ac verbis accerſierunt illam*. Qui aliquem longiùs ſtantem verbo vocat, ſi vocatus audire nequit, manibus ſigna facit, vt accedat. Longè à nobis diſtabat mors, verum illam & voce & opere homines ad ſe vocarunt, præcipuè laſciui, & carnis voluptatibus irretiti, qui magis temperamentum corporis corrumpunt, & ad mortem properant. Quod fortaſsè agnouere Romani, qui (teſte Plutarcho) ad ianuas templi Veneris funera, hoc eſt: mortalia vendebant, vt ſignificarent illam ipſam mortis cauſam eſſe, quæ deliciarum, & voluptatum aduocata eſt. Hinc etiam diuina vltione vitium hoc mundo intulit diluuium, quo vniuerſum humanum genus perijt, octo duntaxat animabus exceptis: ac etiam Sodoma, & Gomorrha cum Ciuitatibus adiacentibus propter hoc vitium interiere.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Commercium viri, ac mulieris, etſi per iocum ſit, reus facti habetur.

1. CAro noſtra ad inhoneſta facillimè dilabitur, & qualibet luxuriæ ſcintillula totus homo flagrat, atque irremediabili incendio decineraſcit. Quare, & à verbis & à factis quomodolibet Venerem redolentibus ſtudioſè cauendum eſt, & parum noſtræ fragilitati, aut leuitati occaſionis fidendum: ſæpè enim emicans ſcintilla ſulphureum fomitem vix attingens, ad fauillas magna ædificia reducit. Viri benè morati nimis ſcrupuloſè ſe gerunt, ne verbum inhoneſtum, viſus incautus, vel quid ſimile fomes ſit ad libidinem, & neque per ludum audent inhoneſta tractare, cum Venere enim iocari periculoſum eſt, nam quod iocantèr incipit, veracitèr concludit, nec in ludo ſiſtere queit: paulatim enim & fraudulentèr ignem excitat, fouet, & nutrit, vſquedum miſero incendio totum hominem exurit: lenitèr, & quaſi per iocum ei blanditur, quem poſteà decepiſſe gloriatur: præceps ludus amoris eſt, & vna forte totus homo deperditur: cautè igitur viuere expedit, ne ab huiuſmodi luto homo illudatur, & reus criminis non præuiſi reputetur.

2. Fame patrium Iſaac ſolùm vexante, ad Abimelec Regem Palæſtinorum pergit, & in Geraris humano receptus hoſpitio commoratur. Cum autem habitatores illius regionis eum interrogaſſent, an ſua eſſet vxor, quam ſecum deferebat, ſororem eſſe reſpondit cauens, ne illius pulchritudine allecti ipſum interficerent, vt à coniugio ſoluta, ea fruerentur. Factum eſt autem poſt longum tempus, vt Abimelec Iſaac vidiſſet cum Rebecca iocantem, & ad ſe vocatum, quod mentitus ſit, reprehendit. *Cumque pertranſiſſent dies plurimi, & ibidem moraretur, proſpiciens Abimelec Rex Palæſtinorum per feneſtram, vidit eum iocantem cum Rebecca vxore ſua, & accerſito eo, ait: Perſpicuum eſt, quod vxor tua ſit. Cur mentitus es eam ſororem tuam eſſe?* Geneſ. 26. verſ. 8. verbaque planè audacia, & temeritate plena, atque regia modeſtia indigna, cuius elogium eſt, non temerè indicare: & magna moderatione loqui. Quid quod Iſaac cum Rebecca iocaret, vt exindè coniugem eſſe arbitretur, & ipſum fuiſſe mentitum, reprehendat? Imò ipſe Rex mentitur, dum à ludo coniugium arguit, & aſſeuerantèr exiſtimat, Rebeccam vxorem eſſe Iſaac, non ſororem, vt ipſe prædixerat: nam ludus inter fratres nulla lege prohibetur, neque ex illo licet commercia thori, & venereas voluptates argùere. Cur igitur Rex nulla coniectura ductus in talem ſuſpitionem inclinat? Verùm in hoc facto mira Abimelec prudentia, & magna in iudicando temperantia elucet: ſciebat enim ſic periculoſum eſſe fœminæ cum viro colloquium, & præcipitem ludum, vt impoſſibilè ſit non vltra progredi, & ad totas libidinis flammas deuenire: ſubindèque cum Iſaac ludentem cum Rebecca proſpicit, non malitioſè, ſed rationabiliter arguit ipſos commercia thori non ignoraſſe: & ne temerè in deteriorem partem inclinet, & fratres impudentèr commiſceri credere videretur, coniuges eſſe abſque hæſitatione affirmat. Quo miram ſolertiam, & ſagacitatem oſtendit, Veneris pericula detegens, & ſuæ modeſtiæ, ac circumſpectioni conſulens. Sic periculoſè libido ſerpit, vt impudicitiæ reus cenſeatur, qui vel per iocum mulierem tractat: vndè Lyra ad prædictum locum tenet ex Hebræo ly *iocantem* æquiuocum eſſe, & æquè vtrumque ſignificare, & iocum, & venerem. *Verbum Hebraicum, pro quo Hieronymus tranſtulit hic iocantem, æquiuocum eſt ad ludum, & coitum*. Cum tamen & ipſe, & omnes Expoſitores pariformitèr teneant, Abimelec tantùm proſpexiſſe amplexantem Rebeccam, & ludentem cum ipſa, indè non fratres, ſed coniuges eſſe intulit: nec fuit deceptus, nam nunquam ſine vltimo periculo vir cum muliere ioculatur, & plerumque venus à ludo incipit, ne caueatur, vſque dum mollis flamma medullas eſt: iocari enim & luxuriari non lato vngue diſtant, quando-

quidèm euidens impudicitiæ argumentum ludus cenſetur.

3. Moyſe in monte moram faciente, populus Aaronem agitat, vt Deos, qui eum præcedant, faciat: quod cum efficeret, poſt holocauſta, & hoſtias vitulo oblatas ad lauta conuiuia ſedit populus, & ſtatim ad ludos conſurrexit. *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Exod. 32. verſ.6. Quinam fuerit ille ludus, non omnes conueniunt. Dionyſ. Carthuſ. exiſtimat à cibo deueniſſe ad ludum, & à ludo ad res turpiſſimas, obſcœnos & impudentes concubitus, à quo non diſſentit Oleaſter. Sed ſi res ita accidit, mirum videtur, quod Hiſtoricus ſacer ſolum luſiſſe depromat (quod ad ſummum venialis culpa ex ſuo genere videbatur) & deteſtabile facinus impudicę conmiſſionis reticuerit cum non ſolùm flagitium eſſet grauiſſimum, ſed ſcandaloſum nimis propter adſtantium multitudinem. Cur igitur ſcelus popularis libidinis ſilet, & leuem noxam ludi exprimit? Fortè infanda videtur luxuria omnes exurens, aut de re inhoneſta agere veretur, ne ſuæ modeſtiæ detrahere videatur, & impudica etiam pudicè verſari recuſat, ne pturitu Veneris depictæ venena libidinis in aures euomat, & aera toxicet laſciuiæ vocabuli? Fortè hoc timet: nam ea modeſtia ſe gerunt, qui lingua Spiritus Sancti loquuntur. At Chartuſianus ſufficienter laſciuam populi licentiam expreſſiſſe putat, dum iocantem fuiſſe declarat, & à ludo inter vtriuſq; ſexus perſonas luxuriam conſummatam conuincit. *Corpore lautè refecto cor mox ad inania relaxatur: ſpiritualia faſtidit exercitia, & interna: fabulari, iocari, & tandem luxuriari delectat.* Quaſi à ioco virili, & fœmineo ad voluptates venereas tranſitus ſit neceſſarius, ſatis ſuperque videtur ludum exprimere, vt laſciuiæ petulantia indigitetur. Sic procliuis ad impudica humana caro cenſetur, vt qui ludere cum muliere incipit, criminis damnetur, & reus facti non leui ſuſpicione credatur.

4. Nimia Suſannæ pulchritudine deuicti, & laſciuiæ ardore deperditi, annoſi Iudices ipſam ambibant: quam cum nec inſidijs, nec alia arte inducere valerent, venuſtiſſimæ puellæ famam commaculare ſolicitæ ſatagunt, & impensè curant, eamque in pomario cum iuuene cubantem accuſant. Adeſt Daniel, & opinionis Suſannæ ſtudioſus fas eſſe eam iuridicè conuinci, & damnari fugerit, ſedenſque vt teſtium depoſitiones audiat, eos ſeorſim iubet accedere, à primoque ſic ſciſcitatur. *Nunc ergo ſi vidiſti eam, dic ſub qua arbore videris eos colloquentes ſibi.* Daniel.13. verſ. 54. Siſte Daniel, ne progrediaris, nam proceſſum aberrare incipis, dum de colloquio teſtes inquiris: accuſatores enim non verba, ſed factum, non ſuſpicionem, ſed euidentiam inſimulant: attende ad delationis tenorem, vt veritatem exquiras. *Et dixerunt Presbyteri: Cum deambularemus in pomario ſoli, ingreſſa eſt hæc cum duabus puellis, & clauſit oſtia pomarij, & dimiſit à ſe puellas, venitque ad eam adoleſcens, qui erat abſconditus, & concubuit cum ea.* Verſ.36. Hoc corpus delicti eſt, de hoc teſtes interrogari debent. Cur dum Suſannæ innocentiæ conſulis, eam defendere aut neſcis, aut non vis, vt deindè accuſatores te iudicem non integrum, ſed ſuſpectum habeant, & recuſent? Fortè times crimen probari, & teſtes procuras ad non delata diuertere, vt inconſequentiæ arguantur? Quid intereſt, quod Suſannam virum alloquentem vidiſſent, vt exindè delictum comprobetur? Quid refert ſolitaria locutio ad incuſatum crimen inueſtigandum? Multum ſanè, ait Carthuſianus: nam firmitèr tenebat Daniel, quod ſi Suſannam de locutione in ſecretiori loco cum viro conuinceret, pœnæ obnoxia, & rea eſſet delicti. Solertèr inquirit non factum, ſed collocutionem, de qua ſi conuinceretur, lis erat finita, & factum comprobatum: colloquium enim maris, & fœminæ reus criminis habetur. Vndè Daniel nimis honeſtè, & iuridicè ſe geſſit, dum obſcœnum cauet nominare factum, & à præcedentibus ſignis illud extorquet. *Caſtiſſimus puer* (inquit Carthuſ.) *de re turpiſſima vrbanè profatur: quia antè copulam ſolent verba præcedere, & ſecretiora loca requiri.* Euidentiam facinoris non ab oculorum euidentia, ſed à collocutione euincere ſatagit: quia palam, & euidenter conuincitur impudicus, qui quomodolibèt cum muliere conuerſatur: quaſi inexcuſabilis culpa ſit quælibet laſciuiæ ſuſpitio. Sic luxuriæ ignis approximatione increſcit, vt quodcumque verbum fomes ſit ad conflagrandum, & qui verbis etiam leuibus, & iocoſis ſe immiſcent, factis ſe immiſcere credantur, & vel iocoſa locutio criminis probatio ſit, & euidentia facti. Vndè miror admirari PP. quod Chriſti Diſcipuli mirentur de ipſius colloquio cum muliere Samaritide, quandoquidèm ſibi perſuaſum habebant, quamlibet hominis cum muliere familiaritatem nimis ſuſpectam eſſe, & ex verbis facta conuinci: quare licet de Chriſti ſanctitate non dubitarent, mirantur meritò, quod periculo inter homines proximo caſui ſe expoſuerit.

DISCVR-

DISCVRSVS VIII. MORALIS.

Timenda cunctis libido, eò quod totam hominis vitam, & ſtudium ſorbet.

1. **R**Ectè dixit Seneca lib.3. de iracundia: *Vacat pudicitia: libido occupatiſſima eſt*. Carnis illecebræ omnia tempora implent, omnem hominem occupant, omnia vitæ ſpatia, vt nihil hominis ad alia hominis miniſteria relinquat. Quare neceſsè eſt, vt totus homo in ipſam inſurgat, ne aliqua ex parte poſſeſſus à reliquis occupationibus abſtrahatur, ſcortationi rantùm vacet. Bello inito inter Hebræos, & Amalec, aſſiduè Moyſes orabat in monte, & armis, quæ ad ſuperandum hoſtem non ſibi ſufficientia videbantur, adiungebat orationem. *Cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec*. Exod.17. verſ.11. Et cur cum contra alios hoſtes ſolis armis pugnabat Moyſes: contra Amalec non ſolùm telorum robore, ſed etiam orationis vi dimicare intendit? Cur hic tam aſſiduè requiruntur preces, vt ſi præ laſſitudine manus cadant, hoſtis vincat, & populus in diſcrimen euadat? Conſule D.Gregor.in lib.1.Reg.12. *Profectò magnum certamen fornicationis oſtenditur, quod tanta virtute, tanta difficultate ſuperatur*. Amalec *populus lambens* à Gregorio interpretatur, qui fornicationis ſpeciem, muliebreſque blanditias ſignificat: his autem, quæ dulcitèr guſtatæ totum hominem occupant, totus debet obſtare homo: non ſolùm viriliter reſiſtere expedit, ſed aſſiduis orationibus, & toto animi, & corporis ſtudio obſiſtere, vt aduerſis occupationibus, ne totus à laſciuiæ voluptatibus præoccupetur, occupetur.

2. Vbi Samaritana mulier Chriſtum audiuit vitæ ſuæ curſum detegentem, & ſcortationem cum quinque viris improperantem, ex ſecreti notione Chriſtum Prophetam eſſe agnoſcens, properat in vrbem, & Chriſtum ſic publicè euangelizat. *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci. Nunquid ipſe eſt Chriſtus?* Ioan. 4. verſ. 29. Fallit mulier, & dum Chriſti excellentiam prædicare contendit, planè mentitur: nam Chriſtus ſolùm incontinentiam, & laſciuiendi licentiam reprehendit, nihil de reliquis vitæ actionibus agens: quo ergo pacto verè dixit, omnia quæcumque fecerat, ipſi reuelaſſe: Argutè Maldonatus nodum ſoluit: *Non dixit illi omninò omnia, quæ toto tempore vitæ ſuæ fecerat: ſed dixerat quę præcipua erant, quęque maximè erant occulta, & mulierem poterant commouere*. Sic dulces illecebræ vitæ functiones, totumque hominem ſibi arrogant, vt nihil hominis ad alia munera relinquant, verèque dicatur omnia dixiſſe, qui inhoneſtam occupationem dixit: nam hæc dulci tyrannide omnia vitę ſpatia, omneſque cogitationes vſurpat. Fortè mulier eorum more locuta fuit, qui cum libidini non inſeruiant, omni ſe prorſus peccato carere exiſtimant, quaſi non alia præter carnis voluptatem ſit peccati materia, & ab illa abſtractis impeccabiles ſe reputent pluribus alijs ſuperbiæ, vanitatis &c. delictis obnoxij vel exiſtimans ſe illecebroſæ carnis libidine, irretitam ad alia crimina non poſſe diuerti: quia ſic luxuria totas hominis potentias abſorbet, vt ad alia reddatur iners, & difficillimè ab ea diuellatur.

3. Ille quondam Samſonis ingreſſus in domum meretricis, qui refertur Iudic.16. Chriſti Domini ad inferos deſcēſum ſignificauit, vt D. Greg.hom.31.in Euang.& D.Aug. ſer.107. de tēp.teſtantur. Si autem inquiras, cur meretricis domus infernus dicatur? Auſculta præcit. Auguſt. *Pro inferis ponitur domus meretricis: quia neminem repellit, omnes intrantes ad ſe trahit, quia ignem inferni habet domus meretricis*. Non aliud niſi ignem; quo cruciantur, damnati cogitant, & meditatione continua verſant: ſic qui libidini indulgent, nihil aliud cogitant, niſi tenaces carnis illecebras. Addiderimque meretricis cubiculum inferno conferri: quia ad ipſum deſcendere facilè eſt: at ab illo eripi impoſſibilè. Secundum illud Maron. 6. Æne.

> . . . . *Facilis eſt deſcenſus auerni;*
> *Sed reuocare gradum ſuperaſque euadere ad auras.*
> *Hoc opus, hic labor eſt.*

Omnes reſurgēdi facultates homo laſciuiæ deditus perdit, in belluamq; degenerat, vt in ipſo Samſone ponderauit Paulin.ep.4.ad Seuer.qui illecebroſus effectus iumēti munus obibat. *Etenim homo in errore poſitus, & à iuſtitia relapſus, iuſtè vt Samſon ſapientiæ pariter, & gratiæ virtute deſertus cæcitate punitur, & mola: quia dignus eſt opere iumentario qui ſemetipſum lumine rationis orbauerit*. O inſanam luxuriæ cæcitatem, quæ extra ſe hominem educit, nec ad ſe redire permittit: ſed inferni inſtar perpetuò retinet, totuſque, ipſius facultates vſurpat. Vndè impudicis imprecatur Dauid Pſal. 54. *Deſcendant in infernum viuentes*. Quaſi dicat: Qui incontinentiæ ſectantur præſtigias, in barathrum detrudantur, ab illoque omnis eorum voluptuoſa vita abſorbeatur.

4. Lucæ 17. verſ. 26. agens Chriſtus Dominus de nouiſſimis mundi diebus, illos diebus Noe, & Lot comparauit. *Et ſicut factum eſt in diebus Noe; ita erit in diebus filij hominis. Edebant, & bibebant, vxores ducebant, & daban-*

Digitized by Google

bantur ad nuptias. Similitèr ſicut factum eſt in diebus Lot, &c. Vbi rectè commentatur Theophilactus. *Inſinuatur per exempla diluuij, quod cum venerit Antichriſtus, illicitæ voluptates in hominibus increſcent, & diſſoluti erunt delitijs vacantes.* At non alia tunc vrgebunt ſceleta, quòd ſola luxuriæ licentia venit arguenda? Planè erunt immaniſſima alia hominum flagicia. Cur ergo ſolius incontinentiæ Chriſtus Dominus mentionem facit? Quia hæc præcipuè Dominum ad vindictam prouocabunt, meritò dixeris. Sed arbitror, huius tantùm flagitij mencionem fieri, quia etſi alia non deſint punienda, hoc vnum incontinentiæ vitium omnes homines poſſidebit, & ita Veneris voluptati erunt addicti, vt in illa occupatione abſorbeantur toti quemadmodum in diebus Noe, & Lot libidini ſe totos dederunt. Sic libido homines occupabit, vt nihil ipſorum extra huiuſmodi vitium videatur iudicandum, taliter, vt non iam homines iudicentur, quandoquidèm commutatis muneribus non caro ſpiritus, ſed ſpiritus carni obtēperabit. Quod in eodem vitio conſtitutus deplorabat Dauid Pſal. 101. v. 6. *A voce gemitus mei adhæſit os meū carni meæ.* Quæ tanta hæc rerum inordinatio, vt longa ſuſpiria, & profuſas lacrymas hauriat? Quid quod oſſa carni adhæreant, vt tam vehementer doleat contritus Rex? Audi Caiet. alibi datum. *Naturalis ordo eſt, vt caro adhæreat oſſi, & oſſa ſuſtentent carnem; iſte autem conqueritur, quod oſſa adhęrent carni, quod oſſa ſuſtententur à carnibus: quod metaphoricè denotat ſolidiorem hominis partem, quæ eſt mens, & ratio adhærere inferiori, & fluidę parti, quę eſt appetitus ſenſibilium, & temporalium bonorum ita quod ſubſtentetur ab illa.* Carnis illecebræ id efficiunt, vt ſuperior hominis pars, anima nempè appetitus voluptati obediat, & mens, qua nobilitatur homo, ad ſeruilia carnis munera deſcendat, & egregiam indolem abſorbeat, inbelluinoſque appetitus degeneret. Reliqua vitia etſi deteſtabilia omninò ſint, aliquam hominis ſpeciem præſeferunt: at luxuria hominem totum alienat ita, vt nihil virile in ipſo appareat, vt dicebat Seneca. *Licet auaros mihi, licet vel iracundos enumeres, vel odia exercentes iniuſta, vel bella, omnes iſti viriliùs peccant: in ventrem ac libidinem proiectorum inhoneſta labes eſt.* Non humanam, ſed ſtolidiſſimam indolem arguit lapſus luxurioſus, hominis genium infamat, qui ab illo miſerè bruteſcit.

DISCVRSVS IX. MORALIS.

Adulterium vel à barbaris deteſtatum in barbariem degenerat.

1. Illicita cum aliena vxore venus, alienus tori concubitus vel ab ipſa natura abhorretur, & non tam coniux, quam ipſa offenditur, ab eaque, & ratione degenerat, qui alterius vxoris admiſcetur conſortio, vt grauitèr dixit Ambr. lib. 5. Examer. c. 7. *Nolite quærere, viri, alienum thorum, nolite inſidiari alienæ culpæ, graue eſt adulterium, & naturæ iniuria: duos primum Deus fecit Adam, & Euam, hoc eſt virum, & vxorem, & vxorem de viro, hoc eſt de coſta Adam, & iuſſit ambos eſſe in vno corpore, & in vno ſpiritu: quod vnum ſeparas corpus, vnum diuidis ſpiritum, naturæ adulterium eſt.* Refert Ælianus lib. 11. naturæ animal. cap. 15. vel bruta animantia illicita thori commercia ſic deteſtari, vt in adulteros lethaliter inſurgant: tradit enim elephantem, cum altoris, & domitoris ſui vxorem alteri viro commixtam vidiſſet, ambos adulteros cornibus transfixiſſe, & reliquiſſe in ſtragulis conſtupratis lecto adulterino iacentes, vt cum primum ſuus rector veniſſet, manifeſtò nefarium facinus, & ſe illius vindicem agnoſceret, cruenta cornua perſpiciens. Similiter prophirionem tradit idem Ælianus, tam acerrima riualitate ardere, vt zelotypia accenſus mulieres, quæ ſunt ſine viro, vigilanter obſeruet, & ſtatim ac ſtuprum fieri cognouerit, ſe ſtrangulet. Vndè D. Ambroſ. lib. 1. de Abraham dixit: *Adulterium etiam feris, ac barbaris deteſtabilè eſt.* Nulla eſt vel barbara gens, quæ tam abominabile flagitium non abhorreat.

2. Patria relicta ingreſſus Abraham in Ægyptum ſororem vocat coniugem, vt ſecuriùs in aliena, & barbara regione degeret. *Dixit Sarai vxori ſuæ: Noui, quod pulchra ſis mulier, & quod cum viderint te Ægyptij, dicturi ſunt: vxor ipſius eſt, & interficient me, & te reſeruabunt. Dic ergo, obſecro te, quod ſoror mea ſis, vt benè ſit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.* Geneſ. 12. v. 12. Planè deſipit Abraham exiſtimans mortem non euaſurum, ſi ipſius vxor ab Ægyptijs agnoſcatur Sara: cum potiùs ex illius noto coniugio plurima commoda ipſi reſultarent, nam propter vxoris pulchritudinem ipſum magnis fauoribus proſequerentur Ægyptij. Vndè igitur mortem formidat, cum plures ſint, qui alienas vxores diligunt, quin maritos interficere moliantur: imò amicos habeant, doniſque

& mu-

& muneribus ipſorũ domus adimpleãt? Optimè Lyra in deteſtationem adulterij commentatur. *Sciebat enim Abraham, nefas eſſe apud Ægyptios adulterium, & morte plectendum, & minùs reputabant homicidium viri, quam accedere ad vxorem alicuius ipſo viuente, & ideò ad hoc periculum euitandum dixit vxori ſuæ: Dic, quod ſoror mea ſis.* Tam immortale odium erga adulterium inerat Ægyptijs, vt nemo illud perpetrare auderet, & minùs deteſtabilè facinus mortem coniugis, quam vxoris ſtuprum iudicaret. Vndè prouidè Abraham mortem ſibi ab Ægyptijs inferri credebat, vt ſoluto coniugij vinculo illa liberè fruerentur: quandòquidèm ipſo ſuperſtite nemo id tentare auderet. Quia vel à barbaris (qualis erant Ægyptij) cum aliena vxore ſcortari deteſtabilè erat facinus: vt vitam tueretur, ſe à couiugio liberum oſtendit, nam magno diſcrimini erat expoſitus apud Ægyptios auidè illius vxorem ambientes, ſi maritali vinculo, quod nefas erat violare, eam impeditam cernerent: veriti enim alienum torum, vt illa potirentur, ipſum de medio tollerent: ſin aliter de Saræ concubitu deſperarent.

3. Pro expianda vxore adulterina labe, aut eius ſuſpitione deturpata, lex extat Num. 5. verſ. 14. *Si ſpiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem ſuam, quæ vel polluta eſt, vel falſa ſuſpitione appetitur, adducet eam ad Sacerdotem, & offeret oblationem pro illa decimam partem ſati farinæ hordeaceæ.* Cur pro ſedando zelotypiæ ardore ex adulterio accenſo non triticum offertur, ſicut mos in alijs erat ſacrificijs, ſed hordeum? Quid hordeum cum ſcortatrice vxore habet affine, vt illo expietur nefaria vxoris infidelitas? Auſculta Abul. hic quæſt. 24. *Iſta farina, quæ hic offerebatur, non erat de tritico, ſed hordeo, quod eſt contra communem legem, aliorum Sacrificiorum, & ponebatur hordeum, quia hordeum eſt cybus beſtiarum: ſic autem inquirebatur hic crimen beſtiale, an ſcilicet fœmina ſequens deſideria beſtialia, declinaſſet ad alium virum.* In ipſa libaminis ſpecie deformitas vitij apparebat: & non triticea, ſed hordeacea materia offerebatur, quæ ſtolida animalia nutrit, vt adulteras fœminas in bruta degeneraſſe agnoſceretur, & quam à natura, & humanitate aberrant, qui hoc vitio deturpantur.

4. Et licèt in quocunque perſonarum genere nefarium ſcelus ſit à coniugis fide deficere: in nobilibus, & qui ſanguinis claritate, ac glorioſis ſtemmatibus excellunt, deteſtabiliùs eſt. Diù profuga Hebræa gens ex Ægypto in terram promiſſionis pergebat: cum autem moraretur in Sethin, inhoneſta labe populus ſe immiſcuit cum filiabus Moab, quod ægrè Deus ferens præcepit Moyſi, vt Proceres ſuſpenderet in patibulo. *Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra Solem in patibulis.* Num. 25. verſ. 4. At ſi omnis populus peccauit, cur non omnis plectitur? Cur ſolis Principibus infertur ſupplicium? Præſtaret aut omnes punire, aut omnibus indulgere, vt æqua lance iuſtitia, aut miſericordia exerceretur. Eximiè Diu. Petrus Damian. lib 11. epiſt. 6. quam ſit inter nobiles exitioſum flagitium adulterium hinc arguit. *Dominus* (inquit) *cum omnis Iſraelitica plebs non diſpari crimine teneretur obnoxia, de populo quidem tacuit: aduerſus autem ſolos Principes in furorem ſe dignæ animaduerſionis erexit: quia reatus adulterij in perſonis clarioribus debet duriùs vindicari.* Vt grauiorem fuiſſe Principum noxam oſtenderet, ipſos dumtaxàt puniri iubet, tum quia impunè impudenti ſalacitate antiſtant, & noxio exemplo ſubditos ſcortatores eſſe, permittunt: tum quia grauioris criminis mutua cum alienis vxoribus commiſtio inter nobiles rea eſt. Vndè à nobilitate abijt, qui tam nefario implicatur facinore, & inſulas dignitatis amittit. Idcircò Dauid antequam adulterium committeret, Rex nominatur 2. Reg. 7. verſ. 1. *Miſit ergo Dominus Nathan ad Regem.* Poſtquam autem Vriæ torum adulterauit, non vltra Rex appellatur, ſed viduato nomine dignitatis perſonæ nomen tantùm auditur. *Miſit ergo Dominus Nathan ad Dauid, qui cum veniſſet ad eum.* 2. Reg. 13. Cur tam diſpari nomenclatura tractatur, niſi quia, & regali honore, & regio nomine iam erat indignus, & in priuatum hominem, imò in belluam degenerauerat, qui honorem Vriæ non fuit veritus? Quare regio diademate ſpoliatus obnixè deprecabatur, vt principali ſpiritu, quem iam perdiderat, confirmaretur. *Et ſpiritu principali confirma me.* Pſal. 50. verſ. 14. Reſtitutionem expoſtulat regalis dignitatis, quam adulterium contrà vicinum perpetratum abſtulerat. Qui alieni honoris thalamum violauit, non modò regnum, ſed & generoſam indolem perdidit: iureque imperium in alios amiſit, qui imperium in alienam vxorem vſurpauit. Vndè meritò obſeruabis, quòd cum ex omnibus ferè tribubus Iſrael aliqui ad regimen euaſerint, nullus ex tribu Ruben, aut Simeon ſupremam poteſtatem obtinuit, vt notauit Lyra ad cap. 72. Reg. Cuius ratio eſſe videtur, quod Ruben patrium cubile inceſtarit. Geneſ. 35. Vnus autem de tribu Simeon nomine Zambri ad pellicem Madianitidem intrauit: tribus autem tali infamia laborantes indignæ videbantur, vt ad regiam dignitatem aſcenderent.

5. Sed ò tempora. O mores. Olim nemo adulterium impunè perpetrabat: nunc tantùm abeſt, vt non adulter puniatur: quod lepidè dixit Seneca epiſt. 97. ſui ſæculi vxoriatas fœminans reprehendens. *Quærebatur, an poſt adulterium aliquis poſſet tutus eſſe? Apparuit ſine adulterio tutum eſſe non poſſe.* Eo deuenit impudens licentia, & infamis ma-

maritorum honoris obliuio, vt ſit, qui non modò ſuam non ſentiat infamiam, ſed qui procuret. Hos pudeat audire Tertullian. in Apolog. cap.39. *Omnia indiſcreta ſunt apud nos præter vxores, in iſto loco conſortium ſol-uimus, in quo ſolo cæteri homines conſortium exercent, qui non amicorum ſolummodò matrimonia vſurpant, ſed & ſua amicis patientiſſimè ſubminiſtrant.*

Verſ.16. Audiui, & conturbatus eſt venter meus, à voce contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat: vt requieſcam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum.

ANNOTATIO XII.

Expoſitio Litteræ.

1. GVeuarra, & alij apud ipſum totam hanc prophetiæ periodum vſque ad finem capitis arbitrantur, lætantis atque geſtientis vocibus, & affectibus eſſe plenam. Sed magis arridet ſententia Ianſen. quam ſequuntur Sanchez, Ribera, & alij, Prophetam ſcilicet præ horrore malorum, quæ euentura Babyloni audierat, adeò grauiter commotum eſſe, vt venter eius conturbatus fuerit, & labia à percepta voce tremuerunt: triſtes enim, & atroces etiam hoſtium caſus naturaliter horrorem incutiunt, præſertim viris ſanctis, & timoratis, qualis erat noſter Vates. Vndè Iſaias Babylonis quoque præuidens ruinam gemebundus affatus eſt cap. 21. *Propterea impleti ſunt lumbi mei dolore, anguſtia parturientis: corrui, cum audirem: conturbatus ſum: cum viderem: emarcuit cor meum, tenebræ ſtupefecerunt me.* Condolet Propheta ſuper Chaldæorum incommodis, affectuque humano, & pio commouetur. Senſus ergo eſt: Te reuelante audiui futuram tam diram calamitatem hoſtium noſtrorum, vt ob eam à me præuiſam præ horrore conturbata ſint in me omnia interiora mea, & propter vocem tuam, quam auribus meis percepi, etiam labia mea contremuerunt, vt ad loquendum inepta ſint facta. At parum eſt, vt nunc ad tempus horrore futurorum malorum grauiter commouear ità, vt veluti putredo ingrediatur in oſſa mea, & ebulliat, atque erumpat ſub me, hoc eſt, vt horror omnia interiora mea depaſcatur, & in exteriora mea erumpat: modò id mihi aliquando detur, vt requieſcam in tempore tribulationis venturæ ſuper impios, qui nos opprimunt, & nunc aſcendere poſſim à Babylone ad populum noſtrum fortem, & bellicoſum, & cum eo rurſum obtinere terram promiſſionis: futura eſt enim tanta terræ hoſtium noſtrorum deſolatio, vt ficus non floreat, & non ſit germen in vineis: fructus oliuæ fruſtrabitur, & illius exſpectatio: agri non producent cibum: auferentur de ouili greges ouium, & non erit armentum in præſepibus.

2. *Audiui, & conturbatus eſt venter meus, à vocè contremuerunt labia mea*, Ventris nomine ſolent Hebræi viſcera ſignificare. quæ in perturbationibus animi commoueri ſolent dolore, & miſeratione: quale eſt illud 3. Reg. 3. *Commota quippè ſunt viſcera eius ſuper filio ſuo.* Vndè perturbari dicitur venter, cum aliquo horum triſtium affectuum concitamur, vt Pſalm. 30, verſ. 10. *Conturbatus eſt intra oculus meus, anima mea, & venter meus:* & ſæpe alibi. Illa igitur ſeuera denuntiatione taliter cohorruit Propheta, vt tunc temporis omnia eius viſcera commouerentur timore conceſſa. Cui conſonat id, quod ſubiungit. *A voce contremuerunt labia mea.* Hoc eſt, propter vocem tuam, quam audiui, ita labia mea præ metu contremiſcunt, vt vix hæc ipſa verba

ba

ba effari queam : quia (vt expetimur) in magno timore vix labia queunt verba efformare, & ad ſummum vocem audimus tremulam, & exilem.

3. *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat.* Cum contemplaretur Vates horrendam Dei vindictam, quam eo tempore de hoſtibus ſuis ſumet, timore commotus orat, vt in ſe mala, quæ audierat, inflectat. *Ingrediatur putredo, &c.* Id eſt, veniant in me omnia mala, ita vt ſi neceſſe fuerit, oſſa mea putredine impleantur, & caro mea vermibus ſcateat, vt tandem requieſcam in die tribulationis, ſeu captiuitatis, vt ex Hebræo transfert Gueuara. Hoc autem ſibi imprecatur, quia hæc grauiſſima plaga eſt, quam magis ſolent horrere mortales. cum lenta tabe talia viua corpora patiuntur, qualia exanimata cadauera, quæ ſanie fluunt, & vermibus ſcatent.

4. *Vt requieſcam in die tribulationis, & aſcendam ad populum accinctum noſtrum.* Videbat Propheta illa omnia non fore perpetua, ſed finem habitura, eumque felicem, & requiem exindè ſibi pollicetur, cupitque ad illum populum aſcendere, vt ſi vnus ex ijs, quos Deus accinxit, & armauit, vt felicitèr aduerſus omnes hoſtes pugnaret. Vndè Hieron. legit: *Ad populum fortem, bellatorem, & pugnacem.* Additque omnia hæc facilè ad vltimum iudicij diem allegoricè contorqueri poſſe.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Maiora mala faciunt, vt minora pro bonis habeantur.

1. FVturas vltimi diei miſerias contemplatus Vates ſibi ipſi imprecatur, & putredinem ac vermium congeriem potiùs eligit, quam in tremendum illum diem incidere, idque requiei loco habiturum inſinuat. *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis.* Hic verſ. 6. Vbi Hieron. *Diem autem tribulationis puto conſummationem eſſe mundi.* Ad ingens illud malum præconceptum mala, quæ ſibi deſiderat, tanquam bona ſibi eligit ſuſtinenda, nam maiora, & grauiora mala minora bona faciunt apparere. *Nemo miſer* (aieba Seneca (*niſi comparatus.* Dixerim ego: Nemo comparatus miſer : vt enim qui cum feliciori ſe confert, ſibi videtur infelix : ſic qui cum infortunato ſe comparat, beatum ac felicem ſe iudicat. Vtriuſque ratio boni, & mali natura eſt : etenim ſicut maius bonum, quod minùs eſt, malùm facit vt appareat, vndè qui minùs habet bonum, comparatiuè ad maius exiſtimatur infelix:ita quod maius malùm eſt, minùs efficit, vt bonum reputetur, & profectò qui illud habet, ſi cum habenti maius malum conferetur, felicem ſe exiſtimabit, idque lætantèr habebit, & libentèr eligit: quemadmodum Propheta mala eligit, & ſibi optat, quoniam comparatione maiorum, quæ in die tribulationis euenient, non mala illi, ſed bona potiùs videbantur. Vtrumque in bono, & malo licet intueri, nam contrariorum eadem eſt ratio. Et primum eleganter dixit Tertullian. lib. de reſurrect. cap. 58. Ionæ profugi euentum expendens *Ionas* (inquit) *deuoratus à bellua maris, in eius alueo naufragia digerebantur : triduo poſt incolumis expuitur.* Premendum illud *naufragia digerebantur*, quod energia plenum eſt. Sic legendum puto : non *dirigebantur*, vt nonnulli legunt. Quaſi ad immane periculum, ad ingens præconceptum nocumentum, ad ceti horribilem deuorationem, quæ vehementiùs terrebat, cætera naufragia digererentur. *No ſolo los tragard, ſi no los digiriera.* Quia prioris diſcriminis magnitudo alia ſubſequentia mala in bona commutauit, & eligibilia effecit.

2. Inſtantèr recuſabat Moyſes Iſraelitici populi principatum, tum propter incredulitem Hebræorum : tum propter durum Pharaonis ingenium. Sed miraculorum patratrice virtute ſibi conceſſa, non erat cur abhorret, tyrrannum : & tamen adhuc renuit principatum, loquelæ tarditatem, & ineloquentiam obijciens, *Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum.* Exod. 4. verſ. 10. Cui Dominus, vt abſque hæſitatione pergeret, expeditam loquelam ſic pollicetur. *Quis fecit os hominis? Aut quis fabricatus eſt mutum, & ſurdum? Nonnè ego? Perge igitur* Planè ſi Dei ratio attentè inſpiciatur, neque intentùm conuincit, neque cum illis, quæ præceſſerant, cohærere videtur : nam Moyſes linguæ impedimentum obiecerat, vt ſe excuſaret. Vt quid igitur Deus, vt ipſum poſſe facere facundum oſtendat, ſe fabricaſſe mutum, & ſurdum, expouit? Cur cum ad vocis impedimentum medela expoſcitur, muti, ſurdi, & cæci mentionem Deus facit? Lyra ibi : *oſtendens, quod poſſet ſupplere eius defectum. Acſi diceret ego qui*

feci

feci os hominis, poſſum tibi dare eloquentiam. Non ſolùm Deus intendit potentiam oſtendere, qua defectum à Moyſe allegatum ſupplere valebat: ſed ſimul de vocis impedimento eum ſolari, & idcircò muti ac ſurdi, qui maiori impedimento laborant, recordatur: quoniam cordato viro nullum in malis eſt ſolatium adeò efficax, quam in laboribus recordari, quod alij alia longè maiora, ac grauiora ſuſtinent. Subindèque cum Moyſes de tarditate linguę quereretur, nullum ei ſolatium ſuauiùs poruit accidere, quam eos in memoriam reuocare, qui penitùs obmuteſcunt, nec loquuntur: nam ingentiùs malum vrget, vt minùs tanquam bonum amplexetur. Hoc enim eſt bonum malorum ingenium, vt quæ grauiora ſunt, leuiora in bona commutent.

3. Refert Baruch Iudęos, qui in Babylone ſub Nabuchodonoſoris tyrannide erant captiui, pecunias Ieroſolymam miſiſſe, vt qui ibi aderant, victimas emerent, & aromata, ſacrificiaque libarent pro ſalute ac vita illorum Principum, qui Babylonicum moderabantur imperium. *Orate pro vita Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & pro vita Balthaſar filij eius, vt ſint dies eorum, ſicut dies cœli ſuper terram, & vt det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos noſtros, vt viuamus ſub vmbra Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & ſub vmbra Balthaſar filij eius, & ſeruiamus eis multis diebus.* Baruch. 1. verſ. 11. Dira atrocitate Iſraelitas vexauerat Nabuchodonoſor, impius in Hebræum populum extiterat, ita vt dixerit Azarias in oratione, quæ habetur Daniel. cap. 3. *Tradidiſti nos Regi iniuſto, & peſſimo vltra omnem terram.* Quare ergo vitam illi longæuam, & ſecundam fortunam exoptant, & pro Principe peſſimo, & tyranno, qui eos retinebat captiuos, eorumque regnum, Principes, & Sacerdotes in miſeram ſeruitutem adduxerat, & templum ſpoliauerat, tam impenſè orant, & ſolicitè illius proſperam fortunam procurant? Exiſtimant nonnulli, metu Regis id feciſſe, nec fuiſſe auſos animi ſui dolorem, & triſtitiam aut loquendo, aut ſcribendo prodere, quod proprium eſt illorum, qui ſeuero aliorum premuntur dominatu: ſic Sanchez. Sed argutiùs commentatur Lyra, id verò animi affectu Hebræos poſtulaſſe exiſtimans: quia (inquit) ex eo pacifico ſtatu dependebat pax terræ Babylonicæ, & per conſequens pax Iudęorum propter quod perebant orari pro vita Regis, & filij eius ſecundum monitionem Ieremiæ 29. *Orate pro ciuitate, ad quam tranſmigrati eſtis, quia in pace illius erit pax veſtra.* Sciebant Regum in deteriorem ſtatum in dies ſucceſſionem ire, vt eleganter deplorauit Horat. lib. 3. ode 6.

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior auis tulit.
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Rogant ergo, & exoptant vitam Nabuchodonoſor, & eius filio Balthaſar, quamuis tyranni eſſent, timentes ne alij ſuccederent Principes, qui peius, & ſeueriùs illos tractent: id enim vt aduertit Lyra denotant verba, quæ ſequuntur. *Et inueniamus gratiam in conſpectu eorum, vt non cogant nos idololatrare: ſed permittant nos Deo pacificè deſeruire.* Quaſi dicant? Hi licet captiuos, & oppreſſos nos habeant, tamen pacificè Deo deſeruire permittunt,& pecunias ad vos tranſmittere ad emenda ſacrificijs neceſſaria: alij fortè venient, qui non ſolùm captiuitate nos premant, ſed etiam penitùs exſpolient, & ad idololatriam compellant, ex quo grauiori præconcepto malo, quod ad præſens vrget, nobis velut bonum apparet, pro quo debetis Deum rogare, ne increſcat alijs peioribus tyrannis ſuccedentibus. Ingentius damnum, quod nobis imminet nos cogit hoc in bonorum locum ſubrogare.

4. Haud alitèr quam maius malum, quod minùs eſt, bonum facit apparere, ingentiùs bonum,quod minùs eſt in malum transformat. Adoleſcentulis ſibi amicitia ſociatis dicebat Sponſa Cantic. 1. verſ. 6. *Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decolorauit me Sol.* Quod expendens Lyra legit. *Obſcura, & abominabilis Deo.* At quo pacto ſic à venuſtate abit, vt abominabilis videatur, quæ tota pulchra, & formoſa alibi deſcribitur? *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*, cap. 4. verſ. 7. de ipſa fert Sponſus. Vndè in tantam fœditatem degenerauit, quæ nullo aliàs apparebat maculata næuo. D. Bern. Serm. 28. in cant. *Decolorauit me Sol, ſui nimirum comparatione ſplendoris, dum approprians illi ex eo me obſcuram deprehendo, & nigram inuenio. Cæterum aliàs quidem formoſa ſum. Quid fuſcam dicitis ſolius Solis pulchritudini ſuccumbentem?* Sanè pulcherrima, & venuſtiſſima erat Sponſa, ſed in comparatione diuinæ pulchritudinis, cum relatione ad ſummum, & ineffabile bonum fuſca, & denigrata ſibi videtur? Nam mente verſans inenarrabilem illam pulchritudinem dum ad ſe ipſam oculos inflectit, non niſi inuenuſta potuit apparere, quandoquidem bonitas excellens inferiorem in malum degenerare facit. Vndè dicebat Æliphas apud Iob cap. 4. *Nunquid homo comparatione Dei iuſtificabitur, aut factori ſuo ſuperior erit vir?* Vbi D. Greg. *Humana iuſtitia Diuinæ comparata iniuſtitia eſt: qua, & lucerna in tenebris fulgere cernitur: ſed in ſolis radijs poſita tenebratur.* Quaſi ab incremento maioris boni decreſcat interiùs, & cum malis naturam mutuet.

5. Qui olim in domo aliqua lepra erant infecti, antequam Sacerdos ad explorandam lepram ipſam ingrederetur, non reputabantur immundi, vt habetur Leuitic. 14. *Si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cuius eſt domus nuntians Sacerdoti, & dicet: Quaſi plaga lepræ videtur mibi*

mihi eſſe in domo mea: at ille præcipiet, vt efferant vniuerſa de domo priuſquam ingrediatur eam, & videat vtrum leproſa ſit, ne immunda fiant omnia, quæ in domo ſunt: intrabitque poſtea, vt conſideret lepram domus. Ad quem ritum ſolertèr inquirit Philo (lib. quod Deus ſit immortalis) cur antè Sacerdotis introitum, quæ in domo erant munda, poſt ingreſſum viri purificati, perfecti, ſolicitique pro omnibus ſacrificare, immunda iudicentur. *Contrarium* (inquit) *videbatur veroſimiliùs, vt ad præſentiam viri ſancti res in meliorem ſtatum mutaretur, & ex impuris pura fierent: at nunc nec in eadem quidèm conditione permanent, ſed ſuperueniente Sacerdote deteriora redduntur.* Difficultati autem quam ſibi obiecerat, perbellè ſatisfacit. *Equidèm incunctantèr dico, nihil eſſe tam conueniens, quam vt ad introitum Sacerdotis contaminentur, quæ in domo ſunt, non contagione moris, ſed euidentia virtutis. Nomine Sacerdotis intelligo non tam eum, qui hoſtiam ſolet offerre, ſed etiam patrem, præceptorem, & quemcumque cui incumbit aliquorum vitia redarguere.* Ità enim ſplendeſcere debet Præſul nitore virtutis vt etiam ij, qui antea videbantur ſancti, impuri in eius conſpectu appareant, & ſola ipſius præſentia ſubditi arguantur. Profectò vt atomi in aere deliteſcentes ad lucis præſentiam conſpiciuntur: ita quæ optima, & præclara ſunt, faciunt, vt mala quæ obtecta erant, innoteſcant; vel quod minus bonum ad maioris conſpectum malum videatur. Sic poſtquam Eliam excepit hoſpitio Sareptæ vidua, poſt filij obitum dixit ad Propheta: *Quid mihi, & tibi vir Dei? Ingreſſus es ad me, vt remorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* 3. Reg. 17. v. 18. Miratur Theodoret. q. 52. quod in ingreſſu Prophetæ vidua conqueratur, eo quod illius defectus detexiſſet, & necaret filium: nam quomodò ad præſentiam Vatis vidua peccata ſua in memoriam reuocanit, & filium amiſit? *Tuo* (inquit Theodoret) *lumine aperta ſunt mea, quæ occulta erant peccata.* Ad ſplendentem Prophetæ ſanctitatem; eiuſque virtutem imperfectiones viduæ, quæ antea erant reconditæ apparuere. Vel minor illius virtus vitium videbatur: nam ingentis boni hoc proprium eſt, quæ minora ſunt, mala reſpectiuè facere, & quæ mala obtegebantur, detegere.

6. Ingreſſus Paterfamilias, vt videret diſcumbentes, quos ad lautum inuitauerat conuiuium, & ſordida veſte hominem indutum aſpiciens, ipſum foras tanquam indignum eijci præcipit. *Amice quomodò huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Matth. 22. verſ. 12. Si imperauit Rex pauperes intrare, & claudos, quid mirum, quod ſine veſte nuptiali aliquem inuenires? Imò mirum eſſet, ſi illam aliquis haberet: pauperes namque, & mendicantes diſſutis veſtibus ſemper incedunt. Cur ergo illum puuit, quem ex conditione ſciebat ſordida veſte indutum aduentutum? Vrgetur difficultas: ſi ille miſer anteà quandò intrauit, veſte carebat nuptiali, & tanto conuiuio digna, impurus, & peccator erat, cur non tunc punitur, & audaciæ pœnas luit, ſed poſtquam accubuit ad menſam; D. Ambroſ. ſerm. 74. *Ligatus in tenebras expellitur non ſolùm, quod peccator erat: ſed quia cum peccator eſſet, ſanctitatis ſibi meritum vendicauit.* A iuſtorum conſortio peior euaſit, quia etſi eſſet malus, tamen bonus ſibi videbatur: at bonorum conſortium ingreſſus, dum locum ſanctitatis ſibi arrogat, non potuit non peſſimus apparere. Non tam iniquus cum ingrediebatur, cenſetur quam cum inter bonos collocatur. Ambigitur ab omnibus, cur Chriſtus Dominus ficulneam illam damnauerit, cuius meminit Lucas cap. 13. *Succidite ergo illam, vt quid terram occupat?* Quæ ratio fuit tam acerbæ ſententiæ, nam aliæ ſunt infructuoſæ arbores, quæ inutilitèr terram occupant, & tamen nulla pœna mulctantur? Gilbert. ſerm. 23. in Cantic. *Forſitan, & ficulneam illam ſterilem, quam Dominus iuſſit ſuccidi, fertiles de vicino plantæ condemnabant.* Frugiferæ arbores ipſi aſſociatæ in cauſa fuere, vt eius ſterilitas peior appareret, & ex aliarum bonitate eius infructuoſa ſterilitas condemnatur.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Pudor eſt pro æterna gloria non præſtare, quod pro peritura facimus.

1. NEmo fuit vnquam ſanorum (inquam) virorum, qui humano gloriæ amore non caperetur. Non ſolùm magni in re militari duces, & egregij in adminiſtratione reipublicæ ciues gloriæ inhiant: ſed etiam Scriptores ferinè omnes hanc gloriam, & immortalitatem veluti præmium vberrimũ ſuarum lucubrationum ſpectare videntur. Quis enim Philoſophorum huius auræ amore vnquam caruit? Quis vnquam ſummus Imperator, aut quis clarus miles extitit, qui gloriæ ambitu, quidquid arduum eſt, non geſſerit, quidquid laborioſum non deſpexerit? Quiſnam Platonem ad tanta, tamque ardua diſcenda animauit? Quis illius diſcipulum Ariſtotelem poſt tam multa; tamque præclara à ſe ferè in omni ſcibilium genere conſcripta, magiſtro, & ei, à quo filij loco, & honore ſemper habitus fuit, contratiari, & magiſtri aduerſari opinionibus coegit, niſi gloria? Inuidit profectò tantus gloriæ zelus ei, à quo ſuperari ſolo illa ætate ſe poſſe ſentiebat.

bat. Quis Diogenem ad tam miſerum vitæ genus perduxit, vt mori potiùs, quam viuere videretur? Quis Epicurum ſummæ, & continentiſſimæ vitæ hominem coegit, quo doctior apparetet, de voluptate itá diſſerete, vt in illa ſummum bonnm eſſe conſtitueret, niſi gloria? Quis Scæbolàm Regis occidendi cupidum, cum in cæde erraſſet, manum vrete perſuaſit? Quis Coclitem victori exercitui ſolùm reſiſtere fecit? Quis Curtium in hiatum ſe proripere? Quis Marium Conſuli, à quo obſetuabatur, inuidere? Quis Syllam aduerſum Matium tanta bella mouere? Quis Cæſarem armis cinctum maximam orbis partem inuadete? Quis illius ætatis Scipionem? Quis Catonem ſibi manus infetre? Quis Hannibalem Alpes tranſire? Quis Alexandrum? Quis Herculem? Quis Cyrum? Quis Perſeum tanta ſubire belli diſctimina, niſi gloria mundana? Hanc ſortunæ, tempori ſubiectam, fluxam, & tragico ſaſtu plenam, & veritate alienam, & quæ (vt cum Chryſoſtomo hom.50.in Geneſ.loquar) *Nihil differat ab vmbris, & ſomnis*, homines tam auidè ambiunt: illam verò gloriam, quæ æ erna eſt, ſecurè, ſolida atque in perpetuam æternitatem duratura, minimè curant: quod ipſos pudere debebat, nam verecundia eſt, pro fulgentiſſima gloriæ corona obtinenda non id præſtate, quod pro peritura diligentiſſimè exſequuntur. Si pro terrena mortem libenti animo pertulerunt: quis non pro cœleſtis regni corona ad exantlandos labores excitabitur? *Tanti vitrum* ((inquit Tertullian, ad Mattytes) *quanti veram margaritam? Quis ergo non libentiſſimè tantùm pro verò habeat erogari, quantùm alij pro falſo?* Quo prouerbio vtitur D. Hieron. epiſt.ad Letam. *Si tanti vitrum, quanti margaritam?* Illudque repetit in epiſt. ad Saluinam. *Si tanti viliſſimum vitrum, quanti pretioſiſſimam margaritam.*

2. Vt noſtram inertiam Chriſtus reprehenderet, noſque ad cœleſtia procuranda vehementèr excitaret, dicebat Matth. 24. verſ.42. *Vigilate ergo, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit.* Et ſtatim verſ.43. *Illud autem ſcitote, quia ſi ſciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique,, & non ſineret perfodi domum ſuam.* Sed quorſum hæc, quæ prapoſito diſſonare videntur? Nam excuſatoria apparent patrisfamilias, & conſequenter noſtri. Si enim illi non imputatur domus expilatio, quia neſcit horam aduentus furis: ſimilitèr & nos excuſabitur, vtpotè qui neſcimus, qua hora filius hominis veniet. Caietan. commentatur: *Parabola hæc affertur ad manifeſtandum periculum noſtrum ex ignota hora, & neceſſitatem continuæ vigiliæ: periculum quidem, quia ſi ſciremus horam, vigilaremus illa hora: ſicut paterfamilias, ſi ſciuiſſet horam, non incurriſſet damnum.* Hoc nos admonet, quanta vigilia expediat nos eſſe ſolicitos, ne ex improuiſo fur adueniat, noſtraque diripiat. Sed D. Chryſoſt. hom. 78. hinc noſtram pigritiam arguit, noſque verecundia ſuffundit. *Ad erubeſcentiam dicit deſidiæ noſtræ, qui vigilantiores ſumus circa fures, quam circa animam.* Si paterſamilias agnoſceret, qua hora fur veniret, exſomnis eſſet, & vigilans pro damno temporali auertendo: & tamen homines ignorantes futuri iudicij, vbi iactura gloriæ imminet, alto ſopore dormiunt, nec parantur, ne æternam gloriam amittant. Tam auidè ambiunt terrenam gloriam, vt ad leuem latrunculi ſuſpitionem inuigilent, ne illam deperdant: & tanta deſidia ad cœleſtia bona torpent, vt neceſsè ſit, vel exemplo, & appetitione terrenarum rerum illos excitare, vt ſaltem pudore ſuffuſi ea requirant. Sic vbi (Lucæ 19.v.24.) homo ille nobilis cęnam magnam præparauit, miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos, qui ſe excuſare cæperunt: alius, eo quod vineam emerat, & neceſsè erat illam adire: alius, quia probare voluit iuga boum, quæ emerat: alius denique, quia vxorem duxerat. Iratus autem Dominus claudos, & cæcos iubet adduci, & iuramento adſtringitur ad excludendum, quos priùs vocauerat, & illos inter reprobos ex tunc numerauit. *Dico autem vobis, quia nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Si autem attentiùs perpendantur occupationes, propter quas ire recuſant, inuenietur, illarum nullam ex ſuo genere fuiſſe malam, aut prohibitam. Cur ergo tam ſeuerè puniuntur, qui malo operi non vacarunt? Acutè Caiet. *Vbi collige, prudens lector, nullum iſtorum trium vacaſſe malo operi ex genere, ſed omnes, & ſingulos prapoſuiſſe ſua (ſcilicet villam, iuga boum, vxorem) conuiuio cœleſti* Perituras res æternis præpoſuerunt, idcircò æternis ſupplicijs mancipantur, vt æterno ſuffundantur pudore. Nam qui terrena bona cœleſtibus præfert, dignus eſt, quia non puduit talia præponere, vt illis, quæ neglexit, perpetuò careat. Neſcio quo innato impetu ad terrena currimus: & ad cœleſtia torpemus, hæc deſidioſè negligentes, illa auidiſſimè deſiderantes, cum fas eſſet commutare affectus.

3. Hanc cœleſtium bonorum auiditatem monebat Paulus 1. Corinth. 9. verſ.25. *Omnis* (inquit) *qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiunt: hi verò incorruptam.* Vndè manifeſtè colligitur, maiori cura, & ſolicitudine incorruptam à nobis coronam eſſe proſequendam, quam terrena ambientes corruptibilem proſequuntur. *Quod eſt* (inquit argutè Lyra) *ſi faciunt hoc propter temporale præmium, multò magis debemus hoc facere propter æternum, abſtinendo ab omnibus impedimentis noſtræ ſalutis.* Quam quidem ſententiam iterùm repetit Apoſtolus ad Philipp.3. verſ.8. *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Vbi D. Chryſoſt. ad-

ductus

ductus à Gloſſa; *Quid hoc* (inquit) *de lege dico? Nonnè bonum eſt mundus? Nonnè bonum eſt præſens vita? Veruntamen ſi abducant à Chriſto, pro damnis habeo.* Omnia enim temporalia æternis ſunt poſtponenda, & nihil beatum credendum, niſi quod in beatitudinem dirigit: nam pro ea aſſequenda, quæ laborioſa videntur, beata reputari debent. Orta fame ſuper terram, poſt ſterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham, pergenti Iſaac in Palæſtinam apparuit Dominus, & ſic affatur: *Ne deſcendas in Ægyptum, ſed quieſce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea.* Gen. 26. verſ. 2. Non parum negotiũ faceſſit huiuſmodi prohibitio: nam vrgente fame tempore Abraham, præcepit ipſi, vt pergeret in Ægyptum, vt conſtat ex cap. 12. verſ. 1. *Egredere de terra tua, &c.* Cur ergo Deus filio inhibet, quod patri imperauerat? Maximè cum non minùs, ſed ingentiùs periculum Iſaac in patrio ſolo permanenti immineret, vtpotè qui locupletiores, quam pater, eo tempore, quo ire in Ægyptum prohibetur, familias haberet, greges & pecora. Si ergo maius periculum timebat Iſaac, niſi transferat in regionem abundantem, qualis erat Ægyptus: cur ipſi prohibetur, quod patri non modo permiſſum, ſed imperatum fuit. *Ex præcepto diuino* (inquit Lyra) *noluit quòd deſcenderet in Ægyptum: cauſam autem huius dicunt Hebræi, quia Iſaac (vt ſupra dictum eſt cap. 22.) fuerat Domino conſecratus, quando fuerat oblatus in monte: & ideò non erat decens, quod exiret terram promiſſionis, & ideò remanſit in Geraris, quia tota Palæſtina continetur intra terminos terræ promiſſionis.* Ægyptus terrenarũm voluptatum vmbram gerebat: terra autem promiſſionis cœleſtem patriam referebat: Iſaac ergo, qui à patre oblatus, & conſecratus fuit, quique quantum in ſe fuit, mortem ſuſtinuit, nec victimam pro Deo eſſe recuſauit, indecens erat, vt in mundò viueret, iam inter beatos, & terræ promiſſionis incolas numeratus. Terrenas Ægypti delitias paruipendat, vt æternis fruatur: nam pro illis omnia ſunt deſpicienda, pro nihilo, quidquid mundus habet, habendum. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*, dicebat Paulus ad Hebræos 11. verſ. 33. epiſt. cap. 5. *Et ait Ioannes, vincit mundum fides noſtra.* Quia æterna bona nobis fides repræſentat, ſpemque excitat ingrediendi promiſſam patriam, & mundi contemptum parit, per quem vincitur: idcircò pro illa gloria in ænigmate oſtenſa ſancti decertant, pro illa diaboli machinamenta, carnis illecebras, & mundi vincunt inanem gloriam, omnia enim deſpiciunt pro gloria adipiſcenda, quam reſpiciunt cœli amatores: at qui rebus terrenis inhiant, non alia curant, & ſimiles ſunt Ægyptijs agricolis. *Quia* (vt inquit Seneca lib. 4. natural. quæſt. in præfat.) *in alijs regionibus agricolæ pluuiam deſiderantes cœlum aſpiciunt: at in Ægypto nemo aratorum aſpicit cœlum, illorum cœlum fluuius eſt.* Ægyptiorum cœlum eſt Nilus, quia non ex cœlo pluuiam, ſed ex Nilo aquarum exſpectant incrementa. Similem in modum cœlum mundi amatorum Nilus quidam eſt, voluptatibus illicitis, diuitijs honoribuſque affluens, horum nemo cœlum reſpicit: cœnum aſpiciunt, ipſius voluptabrum auidè ſuſpirant, anguntur, & euiſcerantur, vt terrena ſequantur bona, de cœleſtibus nihil curantes. E contra ſpirituales viri nihil ſuſtinere recuſant, vt tandem optatis fruantur bonis. Quare Propheta ſibi vltimam plagam, & miſeriam deſiderat, vt in nouiſſimo die cum gloria requieſcat. Sic enim ea verba: *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis*, quæ habentur hic verſ. 16. commentatur D. Hieron. in ſecundo, & breuiori huius loci commentario illis verbis. *Non ſolùm hunc tremorem libentèr patior, verum etiam quod Iob paſſus eſt, hoc libentèr ſuſtineo, ideſt, putredinem corporis, ità vt innumeris ſcateat vermibus, vt ſic à meis expier peccatis, & in die tribulationis requieſcam, & aſcendam ad conſortium eorum, qui in Chriſto præceſſerunt.*

DISCVRSVS III. MORALIS.

Cinis exhomologeſis adiutor, Diuinæ pietatis illex, & validiſſimus hoſtium expugnator.

1. SVa peccata agnoſcens Propheta, & animo pœnitenti atque contrito illa confitens, putredinis, ac cineris recordatur, in quem tandem abiturus erat: iugi meditatione nouiſſima mortis in memoriam reuocabat, & exindè æternam requiem, & auxiliatricem Dei miſericordiam ſibi pollicetur. *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat.* Hic verſ. 16 Nam in puluere, & cinere, quibus damnantur homines in mortem, Dei ſubuenientem dexteram adinueniunt, & in ipſa pœna ſalutis remedium experiuntur: nam Deum, quem timent punitorem, adiutorem habent, & clementem: cineres namque, qui continuò mente verſantur, & perenni cogitatione lambuntur, vberiores pietatis ſunt indices, delitiarum gladij, ac dæmonum expugnatores. Inter alia, quæ Zachariæ Deus oſtenderat, vt in ſpem erigeretur ſeipſum manifeſtat vetuſta, ac ſordida veſte indutum cap. 3. verſ. 3. *Et IESVS erat indutus veſtibus ſor-*

didis, & ſtabat ante faciem Angeli. D.Hieron. (ex Hebræorum ſententia) refert, Sacerdotem hunc, qui Prophetam ſolari aduenerat, ſordida induiſſe veſtimenta: *Vel ob coniugium illicitum, vel ob peccata populi, vel propter ſqualorem captiuitatis.* Sed cur qui preces ad Deum fundebat, vt diuinam miſericordiam mereretur, Deumque populo infenſum placaret, deſpicata, ac ſqualente veſte in Diuino conſpectu apparet indutus? Fruere Tertulliano lib. 9. de pœnitentia egregiè diſſerente. *Is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur, & frequentatur exhomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur, ne quidem vt ignaro, ſed quoniam ſatisfactione confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, conuerſationem iniungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu atque victu mandat ſacco, & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare.* En cineres, quibus Deus ad clementiam flectitur, & hoſtes, qui nos vexant, facilimè ſuperantur.

2. Voraciſſimum illud monſtrum Bel, quod plus ciborum, quam Rex ipſe deceptus, inſumebat, & callidorum ſacerdotum fallacia tot hominum myriades decipiebat, non alio quam cinere per pauimentum templi inſperſo expugnatum fuit. *Factum eſt igitur* (inquit text. Daniel. 14.) *poſtquam ingreſſi ſunt illi, & Rex poſuit cibos ante Bel, præcepit Daniel pueris ſuis, & attulerunt cineres, & cribauit per totum templum.* Non armotum robore non alia arte, ſed cineris exigui appoſitione horrendum monſtrum debellatum euaſit. Quod rectè ponderans Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 69. ait: *Annon ventris appetitus, & carnis deſiderium Belis quoq; cultores, & adoratores per cinerem conuictos ac deprehenſos exitio adduxit.* Ad pulueris iactum iacuit inimicus, quia nullo alio telo tam certo profligatur latens vitium, quam cineris ac mortis memoria, præcipuè gulæ voraciſſimus appetitus, qui ventris ingluuiem ſolicitat: Etenim nullum appetitus efficaciuſue remedium eſt ad expugnandum voracem ventris ingluuiem, cæteraque vitiorum monſtra, quæ nos premunt, ac cœnum, & cinis mente concepta: ſi enim hoc armentur homines telo, facili negotio vitia quæcunque profligabunt. Quo reſpicit ritus ille Leuitic. 1. verſ. 16. vbi iniungitur veſiculam gutturis auis in ſacrificium oblatæ inter cineres, qui ex holocauſtis reſultabant, recondi. *Veſiculam verò gutturis proiiciet prope altare in loco, in quo cineres effundi ſolent.* Nam veſicula (vt aduertit Lyra) illa pars eſt, vbi auis cibum congregat: hæc autem, quæ gulæ vitium ſignificat, cum cineribus meritò adiungitur, vt cineris memoria refrænetur appetitus, & vitiorum illudantur præſtigiæ.

3. Vt nos virtutis curriculum ambulare doceret, ducatumque præbeter Chriſtus Dominus. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Pſalm. 18. verſ. 6. At cur giganteus curſus Chriſto adaptatur? Pulchrè venerab. Beda in hunc locum: *Gigantes ſerpentinos pedes habuiſſe deſcribuntur, in quo terræ adherentes, & humiles, licet ſint fortes, notantur.* Non alia, quam gigantis fuit Seruatoris noſtri exultatio, vt nos doceat giganteam fortitudinem induere in ſpirituali certamine, quibus terra ſuppetias ferebat, & inſtruebat robore. Magna enim hominum erit prudentia, ſi vt ſerpentes terram mediatione lingant, dum vt gigantes pedes eorum humi adhęreſcunt, & infiguntur terrę: ſic enim inſuperabiles, & victores euadent. Fortaſſis alludit Beda ad Anthęi paleſtricę artis exercitatiſſimi, & Herculis luctam, de qua Philoſtr. lib. 2. Icon. *Vincit autem eum de terra tollens: quoniam terra ipſum eleuans, atque erigens cum moueretur, adiuuabat.* Anthęus licet ligatus, & conſtrictus Herculis lacertis, manſit inuictus, vires ſuggerente terra, cui pedes nitebantur, terra ipſum eleuans, & erigens prębebat adiutricem manum. Haud aliter in certamine ſpiritualium hoſtium, qui te à ſalutis ęternę via remouere nituntur, ad terram inclinaueris proſtratus, puluerenque animo comprehenderis, prębebit humus auxiliares copias, quibus aduerſarios ſuperes: nec exiguum erit diuinę pietatis indicium, ſi acerrimos hoſtes viceris. Ergo ob id caput noſtrum ab Eccleſia conſignatur puluere, quo mortalis noſtrę admonemur conditionis, ne theſaurizare videamur ſiue pulchritudinem, ſiue ſcientiam ſiue cogitationes atq; phantaſmata: *Siquidem in capite hominis tanquam in arce, vbi mens, & ſedes animæ creditur eſſe, religio, & quoddam numen eſſe fertur,* vt Author eſt Alexand. ab Alexand. lib. 2. genial. cap. 19. Vndè fortaſſe nota eſt illa opinio ſeu ſuperſtitio apud Scythas, qui eos feliciſſimos optimoſque viros eſſe exiſtimabant, qui in ſui capitis oſſibus aurum multum continerent: quodque magis mirum eſt, ſuis ex capitibus deauratis bibebant, & hæc introſpiciebant, verticem frontemque ſuam manibus attollentes, vt refert Plato. Hoc ergo puluere nos munit Eccleſia, vt mortis recordatione veras diuitias comparemus, & felicitèr noſtros expugnemus hoſtes, vberioreque Dei clementiam experiamur. Ideò vt Paulus miſericordiæ vires acciperet, & ſtrenuus exindè militiæ Chriſtianæ miles euaderet, prius iacuit in terra proſtratus. *Cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi &c.* Actor. 9. v. 4. Puluerem amplexatur, & amico fœdere terram ſibi conciliat, non ſolùm corpore, ſed mente in illius cogitationem cadens, vt indè validiſſimus athleta reſurgat, & cordis ſpatia, quæ vitia impleuerant, mortis occupet mediatio: eo modò quo Ioſias, poſtquam ab idolorum cultu receſſit, ſtatuas illorum euertit, & ne vltra idololatriæ eſſet occaſio: *Repleuit loca*

eorum

eorum oſſibus mortuorum. 4.Reg.23.v.14.Idola namque vitia noſtra ſunt, quæ magno ſtudio à nobis coluntur, & in corde tanquam in altari collocantur, totque ipſis aras erigimus, quot ſunt prauæ noſtræ affectiones, & quæ non poſſumus exterminare, niſi eorum loco mortuorum cadauera ſubintrent, iugiſq; mortis recordatio. Vndè Diu.Hieron. ad præcit. verba. *Quod vnuſquiſque cupit, ac veneratur, hoc illi Deus eſt: altare ergo cordis mortuorum oſſibus replet*. Non alio telo foras eijcitur, & eliminatur hoſtis, niſi cineris iactu: putrida oſſa arma ſunt, quibus à cordis arce remouetur, quibuſque contritus animus victoriam reportat.

4. Debellaturum Deum Gentes introducit Habacuc cap.3.verſ.6. Quodque vt perficeret, prius terram metiri conſpexit. *Stetit, & menſus eſt terram, aſpexit, & diſſoluit Gentes, & contriti ſunt montes ſæculi*. Victoriam canit Propheta in hoc triumphali certamine, quam Chriſtus morte à Gentibus reportauit, ſed tamen cum victoria audiatur, nulla bellica inſtrumenta videntur, non parantur arma, non telorum ſtrepitus reſonat; ſed funes tantummodò videntur extenſi, quibus terram metitur. Quid, quæſo, cum hoſtium ſtrage, illorumque victorijs menſio terræ habet affine, quod nullus alius belli apparatus videtur? Egregiè Rupertus. *Quid enim eſt diſſoluit, niſi ad pœnitentiam emolliuit? Et quid eſt, contriti ſunt montes ſæculi, & incuruati ſunt colles mundi, niſi ad pœnitentiam contriſtati ſunt Principes ſeculi? Metiendo terram aſpexit Gentes, miſertus eſt Gentes*. Quaſi ad menſuram terræ, & cinerum, Gentium miſertus cinerum, Gentium miſertus ſit Deus: nam vbi terram tangunt, & aſſidua contemplatione in mente verſant ab ipſo puluere excitati ſuperbiam deponunt, turgentes ſpiritus deijciens, ac humili confeſſione expiare crimina valent. Hoc ergo puluere Deus Gentes emolliuit, hoc telo mundum ſubiugauit, & ſedulò curat, ne à nobis huiuſmodi cogitatio diſcedat, Vndè Ezechiel 2. verſ. 1. gloria Dei fruituro dicebat Angelus cap. 2. *Et tu fili hominis, &c.* Quod multoties repetit. Quærit D. Greg. in Ezech. cap. 1. hom. 12. cur tam frequenter humanæ fragilitatis Prophetæ fiat recordatio? *Quid eſt enim Prophetæ ad ſpiritualia ſubleuato ſemper fili hominis dicere, niſi ei infirmitatis propria memoriam facere, vt conſcius conditionis infimæ eleuari non debeat de magnitudine contemplationis ſuæ*. Quaſi non alio, niſi recordatione conditionis humanæ tutò victoria fruetetur, quæ quidem in cinere maximè ſolidatur. Vndè dicebat Chriſtus Dominus Lucæ 12. v. 24. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat?* Prò armis ignem vtitur ad debellandum mundum, caloremque fouet in nobis, & feruorem deuotionis, quo ſuam quiſque miſeriam recolat, fragilitatemque expendat, ducta ſimilitudine ab agricolis, qui in agros ſiluis dumiſque horrentes ignem emittunt, vt ſuis obruti cineribus fœcundentur: Quod elegantèr dixit Chyſol. ſerm. 164. *Quatenus ſola longo exhauſta ieiunio, ipſo ſuo cinere ſaginata pingueſcerent, & poſt diuturnam duritiem, tenera redderentur, & mollia, ac ſic euangelico apta cultro, ſemini redderentur commoda*. Vtiliùs homini nihil eſt, quam propriam imbecillitatem, & vltimam reſolutionem in cinerem cogitare. Hoc (inquam) fomentum eſt, & nutrimentum virtutum: valet ad profligandos hoſtes, & ad ingentiorem Dei comparandam clementiam. Nam quemadmodum Abraham Hortel. tradit in teathro, quidam populi non alia vtuntur pecunia, niſi oſſibus mortuorum quibus quæ ad humanam vitam neceſſaria erant, emebant: ſic Dei miſericordia, quæ noſter cibus ſpiritualis eſt, mortuorum oſſibus, hoc eſt, mortis ac cineris memoria comparatur. Vndè dicebat Propheta: *Conuertimini ad me in cinere. & cilicio: quoniam benignus ac miſericors eſt dimittere peccata noſtra Deus noſter*.

5. Hinc S. Mater Eccleſia à Spiritu Sancto edocta impensè curat, & ſolicitè ſatagit, ne vnquam puluis noſtræ mortalitatis à cogitatione excutiatur, & à memoria excidat, illis verbis: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Verùm difficilè apparebit quod homo in virili ætate pulcherrimus, fœmina venuſtate ac prætioſis veſtibus exornata ſe iam puluerem eſſe perſuadeant. Quod futurus ſit puluis, facilè quiſque diſcit experientia, at quod dum viuit, puluis ſit, nemo arbitrabitur. Verùm Diuina veritas ſemper conſtans, & firma erit, non ſolùm enim homo erit, ſed in præſenti temporis differentia puluis eſt: non tantùm reſpectu æternitatis, cui iam coexiſtunt cineres: ſed quia res ex origine nomina mutuant. Sic Exod. 7. ſerpens Aaronis virga nuncupatur, quia ex virga in ſerpentem tranſiuit: ſic homo vocatur puluis, quia ex puluere ortum duxit, illiuſque ſeruat naturam. De illis nefandis ciuitatibus, quas Dominus de cœlo igne ſuccendit, refert Tertul. illo cinere, qui hodie adhuc fumat in teſtimonium ipſarum nefandi ſceleris (vt habetur Sap. 10.) arbores naſci pulcherrima poma deferentes, quæ ſi tangantur, in cineres conuertuntur. *Olet adhuc incendio terra* (verba ſunt Tertull.) *& ſi quæ illic arborum poma oriantur; cæterum contacta cinereſcunt*. Sic humana pulchritudo extima tantùm ſpecie pulchreſcit; tacta verò ad fauillas reducitur. Quo ſpectat id, quod legitur in Græcis apotegm. cum enim quiſpiam irriſor quempiam Philoſophum videret ſubtlitèr de rebus naturalibus diſputantem, quaſi per iocum ille dixiſſe fertur: Ediſſere nobis, quot libras fumi habet hoc lignum: cui feriò reſpondit Philo-

ſophus,

ſophus, & quidem ſapienter: *Expone cineres.* Nempè pondera huius corporis cineres, & reliqua fumus eſt. Quaſi dicat: Nihil ponderis, ſolidum nihil eſt in quouis corpore præter cinerem: cætera vana ſunt, futilia, & inania, fumus denique. Hac ergo cogitatione oportet nos eſſe munitos? vt victoria de hoſte parta Dei miſericordiam conſequamur.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

In morte vel minima peccata nos premunt.

1. SOlent Pictores, dum exercitus eminùs depingunt, cum iuxta artem per diminutionem res pingendæ ſunt penes viſus diſtantiam, pro magno corpore paruum effigiare, pro hominum galeis, armatorum capitibus parua, & minutiſſima pingere capita, cæteraque minuere, ita vt linea ſit pro lancea: at cum iuxta, & ad proportionem pingunt, ita corporum proceritatem extendunt, vt vel depictus, & armatus miles timorem incutiat. Parum nos peccata terrent, dum viuimus, quoniam in animo per diminutionem nobis figurantur; cum illa non niſi à longè proſpiciamus, parua, & exigua videntur: at in mortis hora, cum iam iam extremum inſtat iudicium, nobiſque ex vicino peccata noſtra obijcimus, ſua magnitudine nos terrent, & deformitate conturbant. De elementis diſſerens Philoſophus dixit: *elementa in ſuis locis naturalibus nec grauitant, nec leuitant.* lib. 5. de cœlo. Nullum elementorum graue eſt in ſua ſphera: mergitur natator, & quamuis ſuper ſe vniuerſum Oceanum ſuſtineat, haud ſentit, quia intra illud eſt: ad littus exit, & amphoram aquæ portare nequit. Maximum lignum in mari vel à puero mouetur, quod in littore à pluribus, iiſque valentibus hominibus nequit moueri. Propter conſuetudinem, & quia in naturali loco peccata ſunt, dum homo viuit, ea non ſentit homo: cum ad vitæ littus accedit, & mortis portum ingreditur, vel minima peccata illum opprimunt, maximaque, & importabilia apparent, quæ leuiora cenſebantur.

2. Dauid altè meditatus nouiſſimi diei repreſentationes, dicebat Pſalm. 48. *Cur timebo in die mala, et iniquitas calcanei mei circumdabit me?* Diem malam vocat diem mortis ac iudicij, vt commentatur Genebrad. At quid per calcanei iniquitatem denotetur, non omnes conueniunt. Caietanus leuiora peccata ſignificari autumat, ea nempè, quæ inter cætera longè inferiorem habent malitiam, in calcaneo denotata, quia calcaneus inferiorem corporis locum occupat. Verùm quo pacto his obiectus terretur Vates, & ad illorum conſpectum formidat? Vt exaggeret, quam metuenda ſit illa hora, quandoquidem in ea vel leuiſſimæ imperfectiones, & minima peccata illum timore concutiunt. Venialis noxa, & leuiſſima labes magnum in morte timorem inducent, quia non iam paruæ, ſed maximæ apparebunt, & quæ exigua cenſebantur, ad oppugnandum validiſſima erunt. Quod rurſus contemplebatur Propheta (Pſalm. 108. verſ. 26.) dum dixit: *Sicut vmbra cum declinat, ablatus ſum.* Vel vt Hebræus vertit, *ſicut vmbra inclinata.* Tranſactæ vitę imaginem retrò aſpiciens: veluti vmbram, cum iam ſol ad occaſum pergit, præſentem habuit. At quæ hęc cum vita vmbrę declinatę ſimilitudo. Egregiè D. Gregorius. *Sicut ſol cum inclinat, maiores vmbras facit iuxta id Virgil. Maioreſque cadunt altis de montibus vmbræ.* Quæ nunc vix peccati vmbra videtur, prolixa peccati veritas apparebit. Leuiores noxæ in immenſum protendentur, & quemadmodum vmbrę ad ſolis obitum protrahuntur, & longè maiores, quam in meridie apparent: ſic leuioris defectus deformitas amplioribus lineis diffundetur. Nihil tunc non magnum, & formidabile apparebit. Cum annorum virilitas, & optima valetudo vigebant, vix peccati vmbra videbatur: at veſpere, impremente, & mortem minante infirmitate; & numero, & magnitudine ſupra modum increſcent peccata.

3. Vitæ curſum ad pœnitentiam paratus conſerebat Dauid Pſalm. 50. & primæuæ, ac floreſcentis ætatis peccata recenſens, quinquies peccatum ſingularitèr repetit: *Miſerere mei Deus, dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Et malum coram te feci.* At cum in fine ſeſe agnoſcit, & mortem pulſantem audit, iam non vnum duntaxat, ſed plurima peccata ſibi perpetraſſe videtur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, Libera me de ſanguinibus.* Qui primò vnum tantùm ſibi peccatum obiecerat: & ſemel lapſum quinquies reputabat, vndè iam plurima flagitia exhorreſcit, & ab eis liberari expoſtulat? Quis auxit peccatorum numerum, vt iam multiplex appareat, quod modò pluries vnum videbatur? Propinquitas ſanè ad tumulum: cum enim in medio annorum ſe agnoſcebat, ſemel deliquiſſe fatetur? at ità excreuit peccatum mortis approximatione, vt iam plura videantur, & ea quæ vix imputabilia erant, iniquitates maximæ cenſeantur. Nam quæ vitæ tempore propter affectionem ad terrena confusè intuebatur, perſpicuè in hora mortis inſpecta maxima apparent: tunc enim callidus hoſtis vel exiguas culpæ notas, quas obſeruatas babebit, vaferrimo aſtu magnas, & omninò venia indignas repræ-

repræſentabit. Quod horreſcens idem Dauid obnixè Dei auxilium pro illo certamine petebat Pſalm. 7. verſ.3. *Libera me, ne quando rapiat vt Leo animam meam*. Quòd pulchrè exponit Diu.Baſilius: ait enim generoſos Dei athletas, vbi per omnem vitam ſuam cum infandis inimicis, qui videri nequeunt, colluctati ſatis ſuperque fuerint, poſtquam omnes eorum ſubterfugerint infractiones, propè vitę finem conſtitutos à Principe ſæculi huius. Vndè dixit Diu. Gregor. *Diabolus tantò crudeliùs ſæuit, quantò magis mundus ſeneſcit*. Tunc enim acri immaniſſimi hoſtis certamine noſtri deteguntur oculi, qui vitæ illecebris erant obcæcati. Sic enim refert Ariſtotel.talpam habere oculos, ſed opertos corio, quod ſi quis detrahat, optimè videt. *Quippè eum omninò quidem nec videat, nec perſpicuos habeat oculos: verùm ſi quis prætenſam membranam detrahit, locum oculorum aperit*. Author de mirabilibus Sacræ Scripturæ tanquam quid mirùm refert, quod illud corium, quo clauduntur oculi talpæ, rumpitur præ anguſtia, quando incipit mors, & ſic moriens oculos aperit, quos clauſos in vita habuerat, eaque clarè videt, quæ ignotauerat. Haud aliter quæ noſtris oculis huius vitæ voluptatibus opertis erant occulta, inſtante iam iam vicina morte, perſpicuè videntur. Sic de rotis, quibus celebris ille Ezechielis currus gradiebatur, habes cap.1. *Totum corpus oculis plenum in circuitu ipſarum quatuor*. Vbi multi cum Theodoreto legunt: *Dorſa earum plena erant oculis*. Si autem inquiras, quæ rotarum pars reputanda ſit dorſum, non inuenies, earum aliquam dorſo conferendam: nam cum rotæ ſphericæ ſiut, & vndequaque eadem figura fabrefactæ, nulla alicui animalis corporis parti poteſt aſſimilari, cui non aſſimilentur, & reliquæ. Et adhuc dato quod dorſa in rotis poſſint deſignari: cur oculos gerebant in dorſo, non in facie, vbi natura in viuentibus eos conſtituit? Sanè vt arcanè moneamur, mortem in proximo attactam pupillarum cryſtallum abſtergere, & ad perſpicuè videndum, quæ in vita latebant, diſponere: nam dum rotæ curſu volubili identidem voluebantur ſuper terram, & puluerem lambebant ſtratum, pars rotæ poſterior, quæ à terra ſurgebat puluere conſperſa, oculis apparebat plena: pars verò anterior, quæ nondùm terram attigerat, carebat oculis, aut illos habebat clauſos, & ad videndum ineptos. Sic nobis certè contingit, nam oculi, qui in toto vitæ curriculo obcæcantur mortem in longinquo habentes, vbi primùm eius puluerem prægustant, & vicinam præſentiunt, clareſcunt, vt peccatorum magnitudinem intueantur. Acuit ſenſus mortis acerbitas, & planè apparet noſtrorum delictorum deformitas, atque ea, quæ vix peccata videbantur, horribilem monſtroſitatem præſeferunt. Sic enim Propheta, qui in paruis deliquiſſe creditur, dum ea mortis tempore intuetur; tremore concutitur, quaſi aliam formam ab inſtante mortis tempore mutuent. *Audiui, & conturbatus eſt venter meus, à voce contremuerunt labia mea*. Hic verſ.16.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Ii tantùm cum mortuis aliquo connectuntur vinculo, præſtantioraque miſericordiæ opera exercent, qui ſuffragijs eorum recordantur.

1. SOlemne ſuit apud omnes nationes, viuidis dolorum ſignis defunctorum funera frequentare, quo adhuc amico fædere, aut ſanguinis vinculo teneri oſtendebant. Vndè lucem capit difficilis Michææ locus cap.1.verſ.16. vbi de mortnis pijs officijs proſequendis habetur ſermo. *Decaluare, & tondere ſuper filios delitiarum tuarum*. Conſueuerunt enim olim Gentiles populi oblatam à capite cęſariem in cognatorum atque amicorum ſepulchrum inferre: ſic enim putabant piè defunctorum manibus ſuffragari. Quod à Gentibus ſumpſiſſe Iſraelitas credibilè apparet, cum alia plurima ab Ethnica religione didicerint, longè à patria relegati, & inter alteriùs religionis cultores. Exemplo nobis eſt caluitium, de quo hic loquitur Vates: cum enim prohibitum eſſet Deuterom. 14. verſ. 1. *Non vos incidetis, neque facietis caluitium ſuper mortuo*: id tamen fecerunt Iſraelitę: nec enim credendum eſt, meminiſſe Prophetam caluitij, illudque Samarię commendaſſe(vt aliqui autumant) niſi ea in illo populo eſſent vſitata, & quaſi legitima lugendi forma. Qnod autem Gentes in ſuorum funere detonſam ſibi comam in ſepulchrum intulerint, tam apud Gręcos, quam apud latinos ſcriptores ſrequenter audimus. Homer.lib.23.Iliad.ab Achille detonſam comam in Patruelis rogum coniectam eſſe ſcribit, & Catullus in Argonaut.

Illius egregias virtutes, claraque facta
Sæpè fatebantur natorum in funere matres,
Cum in cinerem canos ſoluent à vertice crines.

Et Ouidius epiſt.Canaces.

Non mihi te licuit lacrymis perfundere iuſtis,
In tua non tonſas (ſed euulſas) *ferre ſepulchra comas.*

Similiter Seneca in Phædra act.5.ſc.1.

Placemus vmbras: capitis exuuias cape,
Laceraque frontis accipe abſciſſa comam.

Qui-

Google

Quibus adſtipulatur Dionyſ. Alicarnaſſeus, loquens enim de funere Virginiæ ait: *Exiliebant ex ædibus mulieres, & Virgines deflentes hunc caſum, floreſque aliquæ, & coronas aduerſus lectum inijcientes, aliæ Zonas, & balteas, aliæque vittas virginalis comæ, & quædam etiam retortos crinium detondentes capillos*.

2. Ad hanc fortaſsè conſuetudinem alludit Propheta, qui ita iubet parentare his, qui aut moriuntur hoſtili ferro, aut eo rediguntur, vt haberi pro mortuis poſſint (cum exules, & qui vitam agunt ærumnoſam, & ſordidam, cenſeri debeant pro mortuis) vt ſingulorum exequijs capillorum aliquam partem impendant. Cum autem ſit mortuorum infinitus numerus, vt ſingulis pars aliqua exigua capillorum impendatur, magna ſit illorum quantitas oportet, atque ideò iubet, vt quidquid in toto corpore capillorum eſt, ad ipſas etiam radices euellatur, vt moneat, quam impensè cura mortuorum viuentibus incumbat. Ergo vt aliqui dicantur defunctorum manibus parentare, expedit, vt capillos, quibus cogitationes frequentèr denotantur, in cognatorum, atque amicorum ſepulchrum inferant, ſuffragiaque ſalutaria ipſius ſubminiſtrent. At qui non ita faciunt, ſed mortuorum obliuiſcuntur, nullo ſanguinitatis, aut amicitiæ vinculo connecti conuincuntur, quos quidem vel ipſa bruta animantia arguunt, quæ ſe inuicem adiuuant, & in neceſſitatibus ſubleuant. Aues enim videntes ſocias ſuas debiles ab æſtu, & calore ſolis terræ proſtratas, opponunt ſe radijs ſolaribus, vt eis vmbram præſtent, donec reſumptis viribus aſſurgant. Illic ergo ſanguinis, vel amicitiæ vinculo cum mortuis connecti cenſentur, qui pro conſanguineis, & proximis in acerbiſſimis purgatorij cruciatibus exiſtentibus, ac maximo pœnarum feruore proſtratis, aſſiduis orationibus, & ſuffragijs apud Diuinam clementiam vmbratiles aliàs extendunt, donec reſumptis viribus, à loco, in quo iacent, pœnarum, & miſeriæ reſurgant.

3. Dauid omni amicorum, & parentum deſtitutus auxilio, vt ſuam orbitatem exaggeraret, dicebat Pſalm. 30. verſ. 13. *Obliuioni datus ſum, tanquam mortuus à corde*. Cur ab amicis, & cognatis oblitus ſe cum mortuis, quorum nullus recordatur, & ab omnium memoria excisis ſe confert? Caietan. *Aduerte comparari obliuionem ſui obliuioni mortui à corde: mortui enim etſi ſint in recordatione noſtra, in lingua, in libris, in laudibus, in ſepulchris: nunquam tamen in corde, vtpotè quibus nulla noſtri cordis affectio vtilis apparet. Et intendit per hoc explicare integritatem obliuionis, vt ſicut mortuus longè eſt à memoria cordis noſtri: ita ipſe totaliter datus erat obliuioni*. At quæ erat hæc Dauidis totalis obliuio, de qua tam vehementèr conqueritur? *Nullus enim* (ait Caiet.) *mittebat ad eum*. Quoniam exterriti amici, & cognati, & Saulis iras formidantes non audebant alimenta mittere ad Dauid extrema neceſſitate laborantem, idcircò dicit ſe ab illis obliuioni eſſe traditũ, tanquam mortuum, qui à viuentium memoria excidit: quaſi amicitiæ, & cognationi renunciaſſet, quandoquidèm hæc pia officia intermittebant, nulluſque ipſi accurrere, & neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem mittere curabat. Haud aliter qui ſuffragia defunctis in extrema inopia conſtitutis quandoquidèm mereri non valent, mittere negligit, nec illorum recordatur, neque parentat illis, amicitiam, & cognationem renunciaſſe conuincitur, præſtantioraque miſericordiæ opera omittere.

4. Super mortem Saulis pia affectione ductus profuſas lacrymas effudit Dauid: cumque audiſſet, quod viri Iabes pias exequias in eius funere effeciſſent, non vltrà ſe continuit, ſed gratias rependere confeſtim miſit. *Et nunciatum eſt Dauid, quod viri Iabes Galaad ſepeliſſent Saul: miſit ergo Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum*. 2. Reg. 2. v. 5. Quid eſt *miſericordiam hanc*? Magnam, ſcilicet, præclaram, & eximiam. At vndè illud opus tam præclara meruit laude celebrari, aliæ enim ſunt miſericordiæ functiones, quæ propter excellentiam obiecti præclariores ſunt? Verùm hæc longè in excellentia aliàs ſuperat. Audi Abulenſ. quæſt. 8. in præcit. cap. *Tuliſti* (inquit) *cadauer illius de terra Palæſtinorum, de muro vrbis Batſan, & cadauera filiorum eius. Erat autem iſta magna miſericordia*. Si eximia miſericordia, & præclariſſimum opus pietatis fuit, cadauera de Palæſtinorum terra terre, quæ ſanè nihil mali ſuſtinere poterant: quanto erit excelſius defunctorum animas à pœnis illis noſtris ſuffragijs eruere quas in purgatorio acerbiſſimè patiuntur, eaſque in glorioſa manſione collocare? Perrexit Ruth conſilio ſoceri in aream Booz, cumque ad dormiendum acceſſiſſet iuxta manipulorum aceruum, abſcondit ſe, & diſcooperto pallio ad Booz pedes ſe coniecit. Et ecce nocte iam in media expauit homo, conturbatuſque mulierem interrogat quænam ſit? Quæ ſic reſpondet: *Ego ſum Ruth ancilla tua, expande pallium ſuper famulam tuam, quia propinquus es*. Cui ille: *Benedicta es à Domino filia, & priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti*. Ruth cap. 2. Non facilè percipiunt Expoſitores, quidnam in hoc loco ſit, miſericordiam priorem poſteriore ſuperare. Priorem miſericordiam vocat, Authore Lyra, quia Ruth benè ſe habuerat ad virum ſuum, dum viueret, & ad ſocrum ſuam, ſicut audierat Booz ab ijs, qui narrauerant vt patet ex cap. 2. eiuſdem libri: ſecundam autem miſericordiam vocat bonum affectum, quem habebat ad ſuſcitandum per ſecundas nuptias nomen defuncti, quod quidem denotant

notant

Digitized by Google

notant verba illa: ***Expande pallium tuum ſuper ancillam tuam*** : *Per hoc* (inquit Lyra) *requirebat deſponſationem : hic enim erat modus tunc temporis, quod ſponſus contrahens ſponſalia ponebat extremum veſtis ſuæ ſuper ſponſam* . At cur maior prima hæc ſecunda miſericordia vocatur . Auſculta Lyram. *Et hæc vocatur maior prima : quia maior miſericordia eſt , benè ſe habere ad aliquem per mortem eius , quandò non poteſt ſe iuuare , quam dum adhuc viuit* . Maior profectò miſericordia eſt , opem ferre defunctis , quam viuis : quoniam illi non ſe poſſunt vltra iuuare , quippè qui extra viam , & ſtatum merendi captiui detinentur . Illis ergo parentat , & præclara miſericordia ſubuenit , qui illorum recordatur , & pia officia erga illos exercet . Vndè ne à defunctorum memoria videretur alienus , illorum meminit Propheta , & pia compaſſione commotus non alitèr quam cum ipſis requieſcere exoptat : *Ingrediatur putredo in oſſibus meis , & ſubter me ſcateat , vt requieſcam in die tribulationis , vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum* . Hic verſ. 16.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Perfecti viri ea eſt conditio , vt quot gradibus fauore aſcendit , tot propria abiectione deſcendat .

1. ANimus verè magnus non elatione comprobatur , ſed humilitate: ab hac enim dimetienda eſt eius ſtatura , vt dum gratia eum extollit , ipſe ſe deijciat , & dum ad ſumma eleuatur , ad ima deſcendat . Curſu retrogrado debet ſe inuertere , & quot gradus gratia , & fauore acquirit , tot propria abiectione humiliari : prudentioris enim iudicij , & ſanctitatis perfectæ pondus ſecuriùs illud eſt , humilitèr de ſe ſentire , & parum ſe exiſtimare , cum in magno pretio ab alijs habetur . Hæc eſt generoſa virtutis indoles, quæ neque fauore extollitur, neque disfauore abijcitur : nam illud ignobile arguit ingenium , hoc autem ſeruile abiectum , vt diſertè dixit D.Gregor. *Sancti viri neque elatione ſunt liberi, nec ex timore ſubmiſſi* . Nunquam ſic efferuntur , vt porrecto pede , ſibi manum aſſumant. Dei legitur ad delegationis,& principatus munus Moyſes , quod inſtantèr recuſans dicebat: *Quis ſum ego , vt vadam ad Pharaonem* ? Exod. 3.verſ.11. Si à munere declinare intendebat, quia ſe imparem viribus, & meritis iudicabat, ſatis erat dicere : Habeas me , obſecro , excuſatum, ego paſcendis gregibus occupor . Cur attonitus ad propriam vilitatem recurrit , & ità ſe incapacem exiſtimat muneri , ad quod aſſumitur ? Quia perfectus vir , qualis erat Moyſes , dum maiori honore afficitur humiliùs de ſe ſentit , & loquitur, inquit Lyra: *Quis ſum ego ? Ponitur his verbis ſtupefactio Moyſis: ac ſi diceret : Omninò ſum inſufficiens ad tantùm officium* . Quantùm electione creſcebat , tantùm ſe indigniorem reputabat .

2. Antequam Dominus Petrum ad pontificatum aſſumeret , varijs monitionibus illum præmuniuit : inter alia autem illud videtur ponderatione dignum, quod paulò antequam eum diligeret Bar Ionam nominauit , quaſi hæc eſſet vltima ad dignitatem diſpoſitio. *Beatus eſt Simon Bar Iona*: Matth. 16. verſ. 17. quod quidem pronomen (vt ferè omnes ſentiunt) filium columbæ, & Ioannis filium æquè ſignificat . Quid ergo voluit Dominus hac geminata ſignificatione docere , niſi enim filium eſſe Spiritus Sancti , qui columbæ ſpeciem præſefert , & Ioannis filium , qui eius pater naturalis fuit ? Cur igitur vno , & eodem nomine vtramq; perſonā comprehendit,& vtramq: Petri filiationem, gratiæ videlicet, & naturæ vno verbo depromit nobilitatemque patris, quem gratia dedit , & humilitatem eius , quem dedit natura (quippè qui piſcator fuit) vna voce comprehendit : niſi vt Petrus excelſum ſtatum, ad quem eum gratia prouexit , non poſſit aſpicere , quin humilitatem natalium intueatur ? Videat , Petrus , eodem vocabulo filium eſſe Spiritus Sancti , vt magnitudinem ſuam poſſit agnoſcere : & humilitatem naturalis originis , vt ſe paruipendat , & gradibus, quibus ſublimatur , deſcendat . Fortè huc reſpicit , quod in ſuperba , & ſumptuoſa machina Salomonis templi , quod quidem miraculum fuit artis , & ſapientiæ trophæum , duæ columnæ æteæ erigebantur . *Statuit duas columnas in porticu templi* . 3.Reg.7.verſ.21. Miſterium autem fuit , ſuper capita columnarum in corona arundinum æris euacuari malogranata inter retia prima arte elaborata oſtentari : *Quaſi in modum retis ſeptena retiacula in capitello vno , & ſeptena in capitello altero* , v.17. Quod retia fuiſſent , quæ malogranata cingebant ; non vacat myſterio , & quidem non minùs pulchrè oculis , & proprietate apparerent in caniſtro perforato , vbi plerùmque fructus aſſeruantur , aut in diſco , in quo illis frequenter vtimur : fructus enim in retibus nunquam reponuntur . Sed videamus , quid huiuſmodi columnis figuretur . Venerab. Beda Apoſtolos in eis ſignificatos exiſtimat . *Apoſtolos namq; ſignificat fortes nimirum fide , & opere* . Malogranata , cum fructus ſint à natura corona redimiti , imperium Eccleſiæ, ad quod Petrus fuit eleuatus , deſignant : retia autem pignora ſunt ſuæ humilitatis , & natiuæ abiectionis, cum ab eis fuerit extractus , vt apicem Eccle-

ſtaſtiæ dignitatis occuparet; adiungere autem malogranata retibus in porticu templi, nihil fuit aliud, quam eum erudire, tot gradibus ſe ſubmiſſurum propriæ vilitatis memorem, quod dignitas eum euexit, atque adeò, quod cum à piſcatore Pontifex efficitur, à Pontifice ſe piſcatorem efficiat. Nam illud eſt argumentum perfectæ ſanctitatis, magnitudinem humilitati conciliare, & à faſtigio ad ima deſcendere.

3. De hoc enim maximè gloriabatur Dauid, nam ad thronum Regiæ maieſtatis euectus, humilitatis priſtinæ, & paſtoritij muneris non obliuiſcitur. *Non eſt exaltatum cor meum, nec elati ſunt oculi mei*. Pſal. 130. Sed agè videamus, quomodò paruitatem primam agnoſcebat. Promiſerat Saul filiam ſui principatus hæredem ei in vxorem porrigere, qui Philiſtæum interficeret, & opprobrium auferret ab Iſrael. Vltrò ſeſe offert Dauid certamini, tentat quamplures Martem induere, & Saulis armis incedere: ſed fruſtra; nam illis omninò ſe præpeditum ſentiebat. Paſtoris tandem armis præuentus certamen aggreditur, lapides in peram paſtoralem mittit, fundam apprehendit, & à brachio experto primum lapidem iactat, Philiſtæum proſternit, caput eius amputat Sauli defert, triumphis coronatur, acclamationibus extollitur, & tandem vxorem ducere filiam Regis, & regno potiri meretur. Indubium eſt, in illius principatus fundatione Monarchiam Eccleſię fuiſſe præuentam, cum Chriſti illius inſtitutoris Dauid geſſerit typum. At quibus fundamentis vtrumque regnum ſtabilitur? Primùm enim Dauidici regni fundamentum fuit, & petra: nam eum in ea parte fundæ, quæ ad modum retis texitur (Hiſpanè *pala* vocatur) petram adaptauit, & eam in Philiſtæum iactauit, ipſum interemit, quo facto principatum promeruit. Similitèr primum fundamentum Eccleſiæ petra fuit. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: Matth. 16 verſ. 18. Et pari modo retia, quandoquidèm eo tempore, quo Petrum in Pontificem aſſumpſit, retia, quæ reliquit, ad memoriam Magiſter reuocat, dum patris piſcatoris recordatur: nec illum piſcationis munus relinquere patitur, ſed illud commutat. *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum*, Igitur Dauidis imperium, & Petri principatus eiſdem fulciuntur fundamentis. Sed quare hoc? Cur Dauidis regnum adeò potens, & trophæis inundans tam ignobili fundamento erigitur? Cur ad Petri principatum ità glorioſum, & penè Diuinum tam imbecillia iaciuntur fundamenta? Crediderim, vt vtrque ad veram, & permanentem magnitudinem atque ſanctitatem deueniſſet, regni enim ſublimitate, & corona multoties tempora intumeſcunt, & elatione turbantur. Maneant ergò in dignitate veſtigia vilitatis antiquæ, & abiectionis priſtinæ: habeat Dauid fundam, & Petrus retia, vt ambo humilitatis principiorum recordentur, & in die, quo ſublimantur, præcipitia infimæ conditionis aſpiciant, quo dilabantur, vt quò magis eos fauor extulerit, eò magis deijciantur. Nouerat enim Chriſtus Dominus Petri conditionem, cum eo tempore, quo omnium Apoſtolorum nomine, quam remunerationem eſſent accepturi, interrogauit, reſpondit: *In regeneratione cum ſederit filius hominis ſedebitis, & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael*. Matth. 19. verſ. 38. Limitatam nimis iuriſdictionem, & paruam præeminentiam pollicetur: nam in ea eos æquauit Reginæ Saba, & Niniuitis; ampliorem autem dominationem Paulo promiſit, vt eius peregrinationes remuneraret: *Neſcitis. Quod Angelos iudicabimus: quantò magis ſæcularia?* 1. Corinth. 6. verſ. 3. Superiorem iuriſdictionem Paulo præ cæteris tribuit, quibus Iſrael tantùm iudicaturos promittit. Cæterùm hic fortaſsè Petro interroganti, & eius humili conditioni voluit ſe Chriſtus accommodare, quod inſinuauit Chryſolog. *Quia eiſdem erant educati legibus, & conſuetudinibus Apoſtoli, & Iudæi*. Quaſi dicat: Ideò Chriſtus ſuos diſcipulos Iudices Iſrael tantùm conſtituit, quia ad hoc magis eorum deſiderium propendebat. At cur ità; præcipuè in Petro, qui omnium gentium caput efficitur? Ob id enim; Contulit illi Chriſtus ſupremam dignitatem, cuius iuriſdictio Diuinam æquat, Petrum aſpicit non elatum, ſed tam præexcelſo honore confuſum, & vt ipſius palato loqueretur, cum eum iudicem facit, Iſraelis tantùm conſtituit, vbi humilem, & abiectam natiuitatem habuit, vt ſedem imperij cum naturalibus conferat, & ignobilis incunabuli recordetur, vt quantùm eum extulerat gratia, tantùm ſui ipſius cognitio proijciat.

4. Pergebat Iacob in Meſopotamiam ita perterritus, vt Deo polliceretur, ipſum in Deum recognoſcere, ſi illi neceſſaria tribueret, & incolumem ſeruaret. *Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum*. Gen. 28. verſ. 20. Valdè fatigantur Interpretes his conditionibus, quas appoſuit Iacob, nam Dominus eas abſolutas fecerat hoc ipſo capite verſ. 15. *Et ero cuſtos tuus, quocunque perrexeris, & reducam te in terram hanc*. Dominus promittit ipſum abſolutè ſeruare: & Iacob adhuc dubitat? *Si cuſtodierit*. Dominus, quod reducet: & ipſe, ſi reduxeris; Dominus, quos dabit, & ipſe, ſi dederit; fortè dubitat de promiſſis, & Deum exiſtimat non ſtare verbis, quod aberrare eſſet in fide? Non ità ait Auguſt. Non ex diffidentia Iacob ita loquitur; ſed ex modeſtia, & humi-

Digitized by Google

humilitate: nam Sancti tam reuerentèr Dei dona accipiunt, quod de illis dubitent, vt non meruiſſe manifeſtent. Potiùs ex illis humiliantur: quam ſuperbiunt. Ex Dei oraculo certam habebat Iacob ſuam protectionem, at ex ſuis meritis de illa dubitabat. Quantùm in gratia creſcebat, tantùm à propria conditione humiliabatur. Varijs Chriſtus elogijs exaltauit Baptiſtam, eò vſque, vt omnibus hominibus eum prætulerit. *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*. Matth. 11. verſ. 11. Verùm alibi ipſum ſic depreſſit, vt omnibus poſtponat cœleſtibus incolis: *Qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo*. Credis hac poſtpoſitione Ioannem deuenuſtari? Credo hoc fuiſſe præexcelſius illius elogium, & reliquorum compendium. Hæc ſumma laus: nam eò ſanctitas eſt præſtantior, quò inferiorem ſe agnoſcit: Chriſtus autem voluit oſtendere Ioannem ſe minorem omnibus ſupernis ciuibus reputare: quia ibi Chriſtus non intendit ſanctitatem Ioannis comparatiuè coarctare, nam impertinens foret, inter Baptiſtæ elogia, & laudes ſuæ ſanctitatis aliam perfectionem obijcere, nulluſque nominatur, qui maior illo ſit. Sed artificioſè Chriſtus illum eſſe præſtantiorem cæteris manifeſtat, & vltimam ipſius prærogatiuam palam oſtendit, eamque conuincit ex eo, quod cum tot tantiſque ipſius fauoribus eſſet cumulatus, tamque ingentia dona accepiſſet, ſe omnibus inferiorem credebat. *Qui minor eſt in regno Cælorum, maior eſt illo*. Quaſi dicat. Eò vſque deuenit Ioannis excellentia, vt cum omnibus ſit maior, minorem ſe omnibus reputet, quod maximè ipſius ſanctitatem commendat: nam ad ſupremos euectus fauores, ad profundiorem ſe demittit humilitatem, quod maximum ſanctitatis argumentum eſt. Huius doctrinæ non ignarus Propheta, vbi ſe Diuinarum reuelationum participem agnoſcit, & Deum ipſi fauſta pollicentem audit, ad humilitatem propriæ, & miſerabilis conditionis confugit. *Audiui, & conturbatus eſt venter meus, à voce contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat*. Hic verſ. 16.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Non fas eſt, ante laborem quieſcere.

1. ORdinatè Propheta priùs ſibi labores, & ærumnas exoptat, & infauſta ſibi imprecatur: *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat*. E poſteà requiem, & exultationem lucroſo commercio exambit: *Vt requieſcam in die tribulationis*. Hic verſ. 16. Nam iniuſtè quis antequam in laborum paleſtra fortitèr dimicet, requiem, & voluptatem deſiderat: otium enim debet præcedere labor, & merita anteire brauium. Moyſes ſuperna loquela afflatus ſic mundi machinam terminauit Geneſ. 2. verſ. 2. *Requieuit Dominus die ſeptimo ab omni opere, quod patrarat*. Cur non ante extremum creationis diem labori aliquantulum Deus parcit, & requiem ſibi deſtinat? Præſtaret, poſt vniuſcuiuſque diei laborem requiem aſſumere: vt ſic fatigatio, & quies quotidiana viciſſitudine alternarentur. At more humano, & diſerta politia Deus ſe geſſit, & tametſi Deo fatigatio non conueniat (quippè qui in ſeipſo quieſcit) tamen Moyſes cum ſex dies enumeraſſet, quibus Deus mundi machinam fuit molitus, quieſcendi verbo vti aptum illi viſum eſt: ſiquidem in ſex præcedentibus diebus tot res in mundi fabrica Deus condiderat, & quaſi immensè laborauerat: vt Dei exemplo nos doceret, non fas eſſe requiem aſſumere, niſi priùs labores, & fatigationes præceſſerint. Sic Oleaſter præcitata verba moraliſſimè verſat. *Eſt tertiò hic, quod aduertas, non eſſe ſcilicet quieſcendum, niſi priùs ſatis laboraueris: quemadmodum & Creator tuus. Super pluribus diebus laborandum paucis quieſcendum: operatus eſt enim rerum omnium Artifex ſex diebus, & vno ſolo quieuit. Quo exemplo eos arguit, qui parum, aut nihil laborantes, quaſi toto tempore vitæ ſuæ otiari volunt*. Qui à fatigatione vacat, indignè ſe otio ingerit, & niſi labores præcedant, immeritò requies poſſidetur: honor namque inquiſitus laborem maximè delectat: ac non meritis ſolicitatus potiùs dedecori, & confuſioni deſeruit.

2. Iacob in patriam redux timore concuſſus, ex itinere laſſus alto ſopore dormit: ſed vide, quo tempore corpori indulgeat. *Cumque veniſſet ad quemdam locum, & vellet in eo requieſcere poſt ſolis occaſum, tulit de lapidibus, qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormiuit in eodem loco*. Geneſ. 28. verſ. 11. Solertèr aduertit textus, quod antequam dormiret Iacob, iam ſol occubuerat. Verùm cur non antè ſolis occaſum quieti indulſit, & fatigata membra ſopori tradidit? Præſtaret enim in die requieſcere, & nocte iter agere, vt fratris inſidias deluderet, & ſecuriori pede viam carperet: per diem enim in antris latere non eſſet difficilè, & nocte difficilè eſſet agnoſci. Fruere Vgone Cardin. Pulchrè ſomnum, & vigiliam alternante. *Nota quod dicitur: cum veniſſet ad locum quemdam voluit quieſcere poſt ſolis occubitum: non in die, quandò laborandum eſt, vt faciunt voluptuoſi; ſed finito labore. Matth. 20. Cum ſerò factum eſſet, dixit Dominus vineæ Procuratori: Voca operarios, redde illis mercedem: Sic debet eſſe poſt laborem requies. Sed Iſaiæ 4. Lucifer antequa*

laboraſſet, dixit: *In cęlum aſcendam, ſuper aſtra cęli exaltabo ſolium meum ſedebo in monte teſtamenti*. Vbi Bernard. *Miſer quid laboraſti, vt ſedere debeas*. Idcircò circumſtantiam temporis, in qua Iacob dormiuit, textus manifeſtat, vt nos doceat, non niſi tranſacto labore quieſcendũ eſſe,& poſt diei vigilias: quod quidem in domo Dei ſolemne eſt; diabolica autem verſutia, ſedem ambire nullo labore præmio, nulla fatigatione præambula. Quo planè reſpicit lex illa lata Leuitic. 12. verſ. 2. Quæ mulieribus partibus fatigatis requiem deſignat. *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, iuxta dies ſeparationis menſtruæ: & die octauo circumcidetur infantulus, ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ: omne ſanctum non tanget, nec ingredietur in ſanctuarium, donec impleantur dies purificationis ſuæ. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menſtrui, & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ*. Cur quæ marem peperit, triginta tribus diebus impura reputabitur, manebitque eo tempore in domo requieſcens: quæ verò fœminam bis totidem? Fortè hoc propter imperfectioris prolis natiuitatem factum eſſe exiſtimabitur. Sed Theodoret. quæſt. 14. in Leuit. propter rationabilem æconomiam, & in ſubſidium ingentioris laboris, cui maior requies debet reſpondere, ſancitum eſſe autumat. *Arbitror legem iubere illam quieſcere, vt quæ modum in mirum laborauerit, & acerbos dolores pertulerit. Diſcrimen autem illum dierum quidam ſic interpretati ſunt: nempè grauiùs laborare mulieres, dum fœminam pariunt; propterea legem duplicatum tempus illis indulſiſſe*. Quietis regula labor eſt: meritò cui plus labori incumbit, plus mercedis, & quietis præſtandum eſt. Propter eaque quem otiari delectat, fas eſt nihil largiri.

3. Filiorum honoris ſolicita acceſſit ad IESVM Zebedæi vxor dexteram, & ſiniſtram filijs expoſtulans: cui Chriſtus intempeſtiuam petitionem faſtidiens: *Neſcitis* (inquit) *quid petatis: Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum*? Matth. 20. verſ. 22. Multa hic agglomerant Expoſitores vt diſcipulorum inſcitiam reprehendant. Rabbanus adductus à Gloſſa ſic ſcitè philoſophatur. *Neſciebant etiam quid peterent: quia ſedem gloriæ à Domino quam nondum merebantur, inquirunt. Delectabat eos culmen honoris; ſed priùs debebant exercere viam laboris. Vndè ſubdit: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum*. Arcanè Chriſtus illorum ſocordiam reprehendit, tentans eos, an ſint laboris ſufferendi capaces: nam ſtultitia ſumma eſt, requiem ambire, ni laboribus eam mereantur. Iure repelluntur à requie, qui nondùm labores guſtauerant. Huic reſpicit, quod Chriſto Domino Regis titulus in cruce affigeretur, & IESV nomen in ligno fuiſſet exaratum, *Hic eſt IESVS Rex Iudęorum*. Matth. 27. verſ. 37. non autem in ſepulchro in quo arma ſolent depingi, & nobilitatis inſignia: imò, & officia eorum qui ibi humantur, lapidibus ſolent inſculpi; ne eorum memoria decidat. Cur præclara Chriſti ſtemmata in cruce portat, nec ad ſepulchrum deſcendunt? D. Hieronym. epiſt. ad Gerunt. *Quid eſt ſepulchrum? Locus quietis, vbi iuxta mundi rationem defunctorum corpora collocantur*. Duo continebat IESV nomen, & gloriam Chriſti, & redimendi debitum: voluit ergo notum eſſe, quam exactè muneri ſuo ſatisfecerit, nolens honorificum titulum in ſepulchro collocari, vbi quieſcebat; ſed in cruce, vbi patiebatur, & laborabat, vt honorem non niſi ex labore oſtenderet: nam vbi iſte inuertitur ordo, miſerrimus candidati exitus comprobatur. Id inprimis inſimulat in diuite illo epulone Euan. (Lucas 16. verſ. 16.) quod purpura, & byſſo indutus incederet: vndè ſuam condemnationem auſpicatur. *Induebatur purpura, & byſſo, & ſepultus eſt in inferno*. Id autem in primis laudat Sapiens (Prou. 31. verſ. 22.) in viro perfecto, quod byſſo, & purpura induatur. *Biſſus, & purpura indumentum eius*. Cur ſi vterq; iiſdẽ vtitur veſtibus, ſaluatur alter, alter damnatur? Aut veſtes neque ad meritum neque ad culpam imputentur; aut quibus eſt earum identitas, eadem correſpondeat merces. Verùm veſtimentorum ſucceſſio tanti diſcriminis cauſa fuit: auarus enim priùs purpura induebatur; poſteà byſſo. *Induebatur purpura, & byſſo*. E contra iuſtus byſſo priùs; & poſteà purpura. *Byſſus, & purpura indumentum eius*. Byſſus autem, ſeu linum, vndè conficitur, vt ait Hugo Carnot. ſerm. de ſignis indumentorum ſacerdotalium. *Multis caſtigationibus, & ablutionibus redditur candidum*. Purpura regalè ornamentum eſt, ac ſubindè felicitatem ſignificat, byſſus verò laboris, & ærumnarum aduerſitatem denotat. Qui ergo priùs in hac vita purpura induitur, in altera byſſo laboris, & miſeriæ induetur; è contra verò, qui labores tanquam linum in hac vita ſuſtinet, poſteà in gloria perpetua felicitatis ęternę purpura indutus coruſcabit quia in domo Dei non niſi poſt laborem datur requies, & otium poſt fatigationem.

4. In ardentiori hora diei laſſus ab æſtu, cum Samaritide locuturus ſedebat IESVS. *IESVS ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem*. Ioan. 4. verſ. 6. Magnam energiam continet illa particula *ſic*. Placet Toleti mens, quæ cauſam ſeſſionis indigitare autumat: quaſi dicat: Propterea ſedit, quia fatigatus erat. Particula enim ergo ex præcedentibus ſeſſionem infert. Sedit, quoniam à primò mane vſque ad ſextam horam fatigatus fuerat. Vndè Chriſoſt. in Catena. *Seſſio autem propter laborem facta eſt*. Ideò ſediſſe dicitur, quia priùs laborauerat: quaſi iniuſtum eſſet, quie-

tem

tem ſibi vſurpare, niſi labor præceſſerit. Hoc autem vt noſtram politiam inſtruat: nam iniuſtè ſibi quis arrogat quietem, & honorem, quem laboribus nō fuit promeritus. In cæteris epiſtolis, quas Paulus diuerſis nationibus ſcripſit, Apoſtolus IESV Chriſti abſolutè nominatur, at Romanis ſcribens non huiuſmodi præſcriptionem apponit epiſtolæ, nec ſe gloriatur Apoſtolum eſſe, ſed tantùm vocari. *Paulus vocatus Apoſtolus* ad Rom. 1. verſ. 1. Cur mutauit ſtylum, & non audet ſe Apoſtolum vocare, quod maximè eius ſcripta commendabat, & maiorem ſuis teſtimonijs conciliabat auctoritatem? Rectè D. Anſelm. hic. *Quia nondùm Romanis prædicauerat*. Quaſi puderet, nomen illud celebre ſibi vſurpare, cum nondum apud Romanos in prædicatione laborauerit. Cauet honorem poſſidere, quem erga Romanos nondum meretur, ne quis velit quieſcere, antequam laboret, præmiumque ſibi arrogare, antequam fatigetur. Hic fuit Petri error (Luc. 9.) Qui antè conſummationem laborum gloriam poſſidere ambibat: vndè meritò reprehenditur. *Neſciebat quid diceret*. Matth. 4. Vbi eleganter D. Leo. *Quia tempora patiendi non poteſt felicitas præuenire regnandi*.

DISCVRSVS VIII. MORALIS.

Præmia alunt virtutes.

1. LAnguet animus, & euigoratur virtutis ſtudium, vbi præclara opera manent impræmiata. Niſi mercedis ſpiret aura, nemo ad vltra merendum accingitur. Sic refert Hecatæus lib. 11. de Animal. cap. 30. cignos dulciſſimè canere, ſed non niſi ſtante Zephiro. Præmia virtutes augent: niſi Mecenatés adſint, deerunt certè Marones: Dulcis hominum pectora ſtimulat honor, ingeniumque acuit, & virtutem fouet. Vndè dicebat Seneca lib. de Vita beata c. 16. *Sed ei, qui ad virtutem tendit, etiamſi multum proceſſit, opus eſt tamen aliqua fortunæ indulgentia adhuc inter humana luctanti, dum nodum illum exoluit, & omne vinculum mortale*. Niſi fortuna rideat in agone certanti, à feruore deſiſtit, & præclara opera efficere negligit. Nemo niſi mercedis ſpe ardua facinora aggreditur. Profuſam hominum liberalitatem erga numinis cultum expendens Iſaias dicebat c. 66. verſ. 3. *Qui immolat bouem, quaſi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quaſi qui excerebret canem, qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſui offerat*. Et planè mirum eſt, quanta homines largitate pecunias ſuas in ſacrificijs, & cultus Diuini ornamentis expendant, & quam auarè in alijs pietatis operibus ſe exerceant: cuius cauſam exiſtimat Oleaſter. *Quia à Deo remunerationem expectant, non à pauperibus*. Venale quidem omne obſequium eſt, & præmio mercedis impenditur. Videas homines erga Deum maximè liberales, qui vel obolum renuunt pauperi erogare: quia à paupere nullam, à Deo maximam remunerationem expectant: mercedis ſpes calcar eſt ad præclara opera perficienda, & exſpectata retributio executionem ſolicitat. Quod pulchrè dixit idem Iſaias cap. 40. verſ. 10. *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram eo*, 70. legunt. *Ecce merces eius cum eo, & opus in conſpectu eius*. Vbi primò Deus cum mercede, & præmio laborum apparet, non dubium, quin opus eius illicò, & confeſtim peragatur: ex parato enim præmio ſic accenditur operis deſiderium, vt ſtatim opus feruere incipiat, & iam perfectum credatur: ad conſpectum enim remunerationis iam opus abſolutum credas, quia expectatio mercedis omnes eius difficultates exterminat. *Ecce merces eius cum eo, & opus in conſpectu eius*. Non eſt cur labor affligat, vbi animus ſpe melioris fortunæ ſuſtentatur. Præmium virtutis illecebra, & ſolatium laboris eſt. Vndè dixit D. Hieron. ad Demetriadem. *Omne opus leue fieri ſolet, cum eius pretium cogitatur, & ſpes præmij ſolatium eſt laboris*.

2. Felicitatem, quam homines in Dei obſequio, & obedientia aſſequuntur, auguratus Dauid dicebat Pſalm. 138. verſ. 17. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum*. Egregiam Diuinæ gubernationis æconomiam commendat ex eo, quod amici, & omni honore digni remunerentur, debitaque mercede afficiantur, atque primates iuſtorum efficiantur potentes. Verùm quid ex hac munerum diſpenſatione ſequatur, attende. *Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur*. Quod feſtiuè expendens Caietan. dicebat: *Verè ſic eſt, quoniam vbi fortes honorantur, ibi multiplicantur fortes, & vbi docti honorantur, ibi multiplicantur docti, & vbi iuſti honorantur, ibi multiplicantur iuſti*. Nulla alia ſemina ad propagandos benemeritos tam fœcunda iaciuntur, ac præmia primis laborantibus collata. Hæc maximè generoſos ſpiritus gignunt, excitant, iacentes, vt ardua quæque aggrediantur. Vt dixit Caſſiod. *nutriunt enim præmiorum exempla virtutes, neque quiſquam eſt, qui non admodum ſumma nitatur aſcendere, quandò in remuneratus non relinquitur*. Inflammat ſpes futurorum animos, guſtus poſſidendi lenocinatur labori operandi, mercedis ſtipendium difficultates quaslibet emollit, & exſpectata voluptate amara quæque dulceſcunt.

3. Angelo Philadelphiæ Eccleſiæ Præpoſito præcipitur Apocalyp. 3. verſ. 11. in virtute

tute

Digitized by Google

tute roborari, vt tandem fiducialiter agat, & ne à virtutis tramite diſcedat, hoc ipſi ſuggeritur. *Ecce venio citò: tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Cur iam in proximo eſſe, & cito venturum pollicetur? Non ſat eſſet de vlti no aduentu reddere ſecurum, quin propinquitatem oſtenderet, vt viriliter in virtute perſeueret, & tentationibus non ſuccumbat? Fortè ſufficeret. At ſciebat, quam ſit efficax proxima remunerationis ſpes ad ardua quæque ſuperanda, & ideò brauium oculis obijcit, vt intrepidè pugnam aggrediatur, & vicina futurę conſolationis ſpe difficultatem agendorum emolliat. Mutuat pręſens calamitas à futura felicitate ſaporem, & iucundum eſt ad mercedis intuitum diſcrimini ſeſe obijcere: propoſito enim pręmio omnia fortitèr ſuſtinentur. Vndè D. Cyprianus lib. de mortalitate aduerſa ſuſtinere vrget, propoſita cœleſtis patrię corona. *Quis peregrè conſtitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad ſuos nauigare feſtinans, ventum proſperum cupidiùs optaret, vt velocitèr charos liceret amplecti? Noſtram patriam paradiſum computamus: quid non properamus, & currimus, vt patriam noſtram videre poſſimus? illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis, & paſſionis victoriam coronatus: ad hæc fratres chariſſimi auida cupiditate properemus, & cum his citò eſſe ad Chriſtum venire contingat, optemus.* Non ſolùm fruenti, ſed etiam luctanti beatitudo dulciter ſapit: nam labore parta gratior, & iucundior eſt ipſam ambienti, & promiſſa omnem terrorem fugat in aduerſis, ita vt auida generoſitate pro illa aſſequenda labores ſuperentur. Vndè cum Dominus Prophetę polliceretur inter diras calamitates ipſum agitantes ſecuritatem, & requiem, hęc certa futurę retributionis ſpes dolorem ſolabatur, omnemque pellebat angorem, ex animo, vt ardua quęque non dubitaret ſuſtinere. *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis.* Hic verſ. 16.

DISCVRSVS IX. MORALIS.

Delitijs, & voluptatibus langueſcunt animi: virtute roborantur.

1. Vitium inimicum fortitudini eſt, carnis illecebræ, & voluptates eneruant vires, eaſque reddunt imbecilles, & à virili fortitudine degeneres. Sola virtus validiſſima eſt, generoſos alit ſpiritus, ad nullumque diſcrimen expaueſcit, omnia vincit, omnia ſuperat, & inſuperabilis ſemper permanet. Hoſtili manu conſerta inter quinque Sodomorum Reges, ſolus Loth captus in bello remanſit, Reges autem Sodomæ, & Gomorrhæ fugam indecorè arripuerunt: *Itaque Rex Sodomorum, & Gomorrhæ terga verterunt.* Gen.14. verſ. 10. Certè ſolus inter Primates Loth fugere recuſauit, & inter triumphatoris exuuias potiùs voluit referri, quam terga inimicis oſtendere. Non cum alijs Proceribus ſibi amico fœdere ſociatis fugam arripuit, ſed dum illi ſuæ indemnitati conſulunt, ipſe in diſcrimine perſeuerat: temerè inimicorum phalanges adoritur: cum tamen ſuperandi non haberet ſpem, & conſultiùs eſſet, inimicorum manus collegarum exemplo effugere, quam periculum laceſſire. At ſolus Loth inter commilitones nefanda non erat labe fœdatus, ideò ſolus ipſe inconcuſſus perſeuerat, cæteris fugientibus quos impuritas ipſa, carniſque voluptas imbecilles, & effœminatos effecerat. Sic Græciæ lumen D. Chryſoſt. hom.35. in Gen. *Quare cum effugerent Sodomitæ alij, ſolus iuſtus Loth in captiuitatem adducitur, non ſimpliciter hoc, neque fruſtra: ſed vt diſcas his euentibus, & Patriarchæ virtutem.* A virtute, qua nutritur homo, talem animoſitatem acquiſiuit, vt in certo periculo perſeueraret, ne indecorè terga vertere videretur. Delitiæ, & voluptates, quibus Sodomitici Reges erant addicti, taliter eos reddidit imbecilles, vt non puderet, ignominioſam fugam capere.

2. Iſraelitico populo in Ægypto degente, & nimis multiplicato. *Surrexit interea Rex nouus, qui ignorabat Ioſeph, & ait ad populum ſuum: Ecce populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis eſt.* Exod.1. verſ 9. Inermes Hebræos formidabant Ægyptij, & ſe illis impares iudicabant. At vndè ſtultus Rex ſibi perſuaſit, que ulibet Hebræum quolibet Ægyptio valentiorem eſſe: quandoquidem vterque ſub eodem degebat cli nate, & robuſtiores ſe exiſtimare deberent Ægyptij, cum ſolidiori vtrentur cibo, quam miſeri captiui, fracti, & imbecilles propter aſſiduos labores? Auſculta Lyram. *Ægyptij* (inquit) *luxurioſi erant, & inordinatè viuentes, & ex hoc debiliores fiebant in corporibus, & minus apti ad productionem prolis, & pauperiores in temporalibus. Filij autem Iſrael contrario modo viuentes, erant fortiores in corporibus, & multiplicabantur in prole, & diuitijs.* Veneri, & voluptatibus vacantes Ægyptij, exanimati de ſua fortitudine diffidebant, & inferiores ſe filijs Iſrael, qui moderatè, & religioſè viuebant, iudicabant. Quia virilis ardor extinguitur, & euigoratur vitiorum illecebris, & voluptatum lenocinio. E contra verò vbi Hebræi voluptuoſis delitijs fuerunt immerſi fortitudinem amiſerunt, in mulieres degenerantes. Quod arcanè Deus dixit (Michææ 2. verſ.1.) Vbi conqueritur de populum Iſraeliticum perſequentibus, & incommodantibus. *Mulieres populi mei eiecistis*

de

de domo delitiarum ſuarum. 70. legunt. *Duces populi mei deijcientur de domibus delitiarum ſuarum*. Quod D.Hieron. exponit de quibuſdam domibus delitijs, & voluptatibus deditis, in quibus populi Principes propter malas adinuentiones ſuas laſciuiebant. Si autem inquiras, cur mulieres appellentur, quos Septuaginta duces vocant? Exiſtimandum eſt, quia ita delitiæ, & impudens licentia peccati eos effœminauerant, vt qui ſtrenui duces populi erant, mulieres iam reputentur, vtpotè quorum voluptas eneruauerat animos bellicoſos, ac viriles extinxerat ſpiritus.

3. Ezechiel 31. verſ.4. Draco ille magnus, qui tertiam partem ſtellarum ſecum trahebat (vt dicitur Apoc.12.) omnes profectò trahere nitebatur. *Riuos ſuos emiſit ad vniuerſa ligna regionis*. Hoc eſt, omnes decipere tentauit, omnes in ſuam ſententiam pellicere voluit, omnes de paradiſo eradicare. Sed quos tandem Angelorum expugnauit, & ad ſuam ſequelam induxit? Auſculta textum. *Æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis*. Ille quidem draco omnia ligna cæleſtis regionis oppugnabat, omnes ſui voti aſſeclas efficere conabatur; ſed tantùm omnia ligna voluptatis expugnauit. Quare cęteris obſiſtentibus, hæc ſola ſuggeſtioni conſentiunt, & voti compotes facillimè ſuperantur? Cur hæc non aliorum exempla ſequuntur; ſed degeneri imbecillitate in peiorem partem feruntur? Quia vbi triumphat voluptas, nulla ad reſiſtendum peſſimis dogmatibus adeſt fortitudo. Quod rectè expendebat Rupertus lib. 1. de victor. Verbi Dei cap.11. *Notandum, quod non ait: Et æmulata ſunt eum omnia ligna regionis: ſed omnia ligna voluptatis: quia cunctos quidem Angelos decipere, & ad ſuum fauorem deducere tentauit: ſed adulati ſunt ei tantummodò Spiritus illi, qui gloriam ſuam quærebant, non Dei, quos delectabat ſeruire potiùs creaturæ, quam Creatori*. Natura ſemel illicebroſis occupationibus tradita armis caret, quibus ſe defendat, & facilè cuicunque perſuaſioni cedit; quia ſola virtus ſemper inuicta gloriatur.

4. Deceptum ſe populus dicebat in deſerto Moyſis inſidijs, & non alio fine, niſi vt moreretur, in vaſtiſſimam ſolitudinem deductum. Nauſeabat ſuper cibo, qui cęlitùs emiſſus omnem ſuauitatis ſaporem referebat, murmure ſuum Principem agitabat. Quamobrèm miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, quorum morſibus plurimi moriebantur: accurrunt autem multi de populo ad Moyſem, vt interpellet pro eis, quod libenter efficiens medelam hanc à Domino accepit. *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, viuet*, Num. 21. verſ. 8. Ad conſpectum autem ſerpentis non ſolùm qui veneno iam erant infecti, ſanabantur; ſed qui innoxij illum aſpiciebant, innocui diſcurrebant à morſibus. Vndè inanimato æris ſimulacro tanta inerat fortitudo, vt veros & ignitos ſerpentes exarmaret, & venena in pectoribus latentia extingueret, confracta eius malitia, ne vltra noceret? Cur non alia, ſed æris materia pro fabricando ſerpente, qui aliorum venena extingueret? Quia ſerpentes noxij, qui prius populum infeſtabant, vitium referebant; qui verò poſte in ſubſidium populi erigitur, virtutem figurabat: hæc autem tam valens eſt, vt facilè inimicas vires eneruet. Hæc ſola ex inſuperabili materia conflatur, armataque incedit: quia ſolus ille pectus habet æneum, quo viriliter dimicet, qui culpæ virus non recondit in pectore. Venenoſæ Dipſæ, quæ peccatores adumbrabant, & peccati toxicum portabant in corde, ad ſplendorem metalli imaginem ſerpentis habentis rabiem deponunt, & non vltrà nocere audent. Vnus autem ſerpens, qui Chriſtum Dominum referebat, & ab omni prorsùs culpa erat immunis, ipſo ſolùm oculorum nixu culpæ virus ſuperauit: quia virtus vel in figura tantùm acritèr pugnat, & glorioſè triumphat; vitium verò inermes, & effœminatos reddit homines. Vndè Vates virtute munitus ardua quæque, & difficilia adoriri non formidat probè ſciens, ex certamine virtutem victoriã, & coronam ſemper reportare, & tantùm audet, vt pericula laceſſire non dubitet. *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum*. Hic verſ. 16.

Verſ. 17. Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis. Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum. Abſcindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præſepibus.

Verſ. 18. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo IESV meo.

Verſ. 19. Deus Dominus Fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem.

ANNOTATIO XIII.

Expoſitio Litteræ.

1. SVpra poſuit Propheta modum captionis Babylonis ex debellatione ciuium: hic idem oſtendit ex defectu victualium, & incommoda proponit, quæ auerſatur vita mortalium: Dominus enim antè aduentum Cyri, & Darij induxit terræ ſterilitatem, ita vt deficerent terræ fructus, atque arborum prouentus, qua induċta penuria fortalitia non potuerint ſufficienter muniri, vt inquit Lyra.

2. *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis. Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum.* Eos fructus recenſet Vates, qui Palæſtino ſolo familiares erant, ficum nempè, oliuam, & vitem. Ficus autem ideò dicitur non florere, quia fructum non afferet, vt transferunt 70. uam ficus inter omnes arbores non floret. Oliua autem mentiri dicitur per tranſlationem: idem enim hic mentiri eſt, ac fallere ſpem deludere, cogitationem, votum, & ſimilia: quod accidit, quandò alitèr res contingit, quam ſperabatur. Promittit ager, imò promittit ſibi aliquis ex agro vberes prouentus; exuſta tamen, aut aliquo alio modo afflicta ſeges ſpem illam eludit, & hiantem deſerit agricolam: tunc ager, aut ſedes mentiri dicitur. Quare oliua tunc mentitur ſuo poſſeſſori, cum ſpem prouentus maximi, aut hoſtium importunus aduentus, aut alia quæuis temporum iniuria præcidit. Quod prophanis vſitatum eſt, ſic Horat. lib. 3. Carm. ode 1.

Non verberatæ grandine vineæ,
Fundusque mendax.

E' contra verò fidelem appellant agrum, qui, quod promiſit, bona fide refert. His conſonat id, quod ſequitur. *Abſcindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præſepibus.* Quod ideò accidit, aut quia defecit herba in arido, atque ſitienti ſolo, aut quia infelici aborſu morrui naſcuntur fœtus, aut quia hoſtes ab omnibus pecudes, & à præſepibus boues abigebant.

3. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo IESV meo.* Gaudere in Domino eſt de illius in nobis imperio, protectione, & gubernatione lætari: quidquid boni lætique interiùs, aut exteriùs nobis contingit, illi antè alios referre, & pro acceptis ab eo beneficijs gratias illi cum iucunditate reprendere. Quaſi dicat Propheta: Omnes

Omnes arborum, & ſegetum fructus, poma omnia, vinum, & oleum genera frumenti vniuerſa, denique cuncta animalia eſui apta, pecora ſcilicet, & armenta ab hominibus deuaſtabuntur, abductiſque ante cæſis agricolis nunquam in poſterum reſtituentur: hæc mala cuncta Chaldæos oppriment, vt gens Iudæorum in libertatem educta cum exultatione, & honore ad amæna Palæſtinæ montana, & ad populum Maiorum ſuorum aſcendat. Quam libertatem à IESV Seruatore ſperabat Propheta, vt D. Aug. lib. 18. de ciuitat. cap. 23. exponit. Vel ſenſus eſt: Triſtentur alij, vbi agrorum, & fructuum ſpem perire vident, pecora abigi, & humanæ vitæ ſuſtentationi neceſſaria diripi, quia in his omnem ſalutis ſpem locatam habent: at ego qui tantùm in Deo ſpem firmam habeo, ab eoq; vnicè dependeo, etiam ſi caream omnibuſq; naturæ ac fortunæ commodis ſim orbatus, cum Deus, & Saluator meus pro me ſteterit, gaudebo, & exultabo: quia facilè ipſi eſt meam inopiam ſubleuare, quandoquidèm potentiam ſuam, & ſingularem prouidentiam iam experior, dum oppreſſam, & profligatam video Chaldæorum audaciam, & Iudæorum ærumnoſam fortunam ad glorioſum ſtatum reuocatam.

4. *Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos, quaſi ceruorum*. Non aliundè ſpero fortitudinem, quam à Domino Deo, qui me fortem efficit, & velocem inſtar cerui. Id eſt, dabit mihi pedes veloces ad ſuperandos montes, qui inter Babylonem, & Ieroſolimam ſunt: ceruinamque (vt ait Euthym. ad Pſal. 17.) cum venatores fugiunt, in excelſos montes properant, & ibi tuti conſiſtunt, atque à timore liberi. Alludit autem Propheta ad illud Pſalm. 17. verſ. 34. *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens me*. Ex Dei enim auxiliante manu alacritas in ſufferendo quæcunque naufragia reſultat, quia etſi deſint vires, Deus ſuorum fidelium robur eſt.

5. *Et ſuper excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem*. Excelſa ſua Ieroſolymam vocat, aut Iudæam, quia regio montuoſa eſt, & idonea ceruorum habitatio, quorum pedes ſibi ac populo ſuo ſperabat Propheta. Deducet autem IESVS populum victor, in quo gaudendum ſibi eſſe Propheta cecinerat: quia licet Cyrus arma tractauerit manu ad profligandos Chaldæos, illius tamen dexteram Deus apprehenderet, in quo Deus abſconditus agnoſcebatur, vt habetur Iſaiæ cap. 45. Tali autem lætitia populus è Babilonia reuerſurus erat in Iudæam, vt ſicut in exitu à patria, & in longa via querelis ac planctu perſonabat: ſic etiam in reditu iubilantium chorus quodam quaſi hymenæo plauſu compleatur. Quare *in pſalmis canentem*, dicit fore populum à Deo victore.

6. Ribera multis probat, legendum eſſe *victori*, & ſenſum reddit: Deus deducet me, id eſt, populum (populi quidem perſonam Propheta agit) in pſalmis canentem aut citharizantem ſibi victori, aut Chriſto ſeruatori, cuius fortitudini ac bonitati id acceptum refero. Sed Vulgatus (cuius lectionem approbat Eccleſia) habet *deducet me victor*. Ita vt ſenſus ſit: Deus qui vicit, reducet me in patriam, illius ſingularem virtutem, ac potentiam triumphali cantico celebrantem. Sic enim tres pueri erepti à fornace grates Deo rependentes cecinerunt: & ſæpè alibi.

DISCVRSVS I. MORALIS.

Iudæorum maxima infelicitas, terram fodere, & fructum ex ea non colligere.

1. TErrę ſterilitatem, quam Dominus erat inducturus Babilonico ſolo, ita vt etſi terram colerent, omnes deficerent ipſius prouentus (*Ficus enim non florebit, &c.* Hic verſ. 17.) ad miſeram Iudęorum fortunam refert Hieronymus in breui huius loci commentario: indèque infelicem eorum ſorte marguit: nam terrę labori incumbentibus, & illius fructibus viduatis, alius colliget victualia indè prouenientia. *Ficus* (inquit) *Vinea & oliua erat ſynagoga Iudæorum, quando dulcedinem bonæ operationis proferebat, ſed Domino ad eam veniente virtutis fructum ferre neglexit. Mentientur opus oliuę: aliud enim promittentis, & aliud facientis dicentis ad Moyſem,* Exod. 34. *Omnia quæcumque dixerit Dominus, faciemus, & nolentis in eum credere, qui à Moyſe prædicatus eſt, abſcindetur. Apud Iudæos ſunt præſepia*

cæleſtium litterarum : ſed quia pabulum cæleſtis intellectus in his non ſapiunt, qui iugum Euangelij baiulent, adſunt. Idem habet latiùs in commentario, & poſtquam probauit ficum eſſe ſynagogam, probat vineam fuiſſe ex pluribus locis, pręcipuè Iſaię 5. verſ. 2. *Vinea facta eſt dilecta, exſpectauit vt ſacere fructus, fecit autem ſpinas*. Propter peccatum ergo crucifigendi Chriſtum exterminauit eam aper de ſylua, & ferus depaſtus eſt eam. *Oliuam* tandem fuiſſe probat ex Paulo ad Rom. 11. ſic inquiens. *Oliuam quoque populo Synagogæ liquidò comprobabit, qui in Apoſtolo fractos oliuæ ramos legerit, & nos de oleaſtro inſertos, vt in ramis intelligamus multituninem Iudaicam fuiſſe ſucciſam, in radicibus Apoſtolorum electiones ſuiſſe ſeruatas, in quibus nos inſerti manebimus, ſi fecerimus fructus, & dicetur de nobis : Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ*. pſalm. 127. Agnoſcit ergo Diu. Hieronym. in verbis Prophetę reprobationem, & pœnam Iudęorum, quam nemo eſt, qui ignoret : propter impium enim occiſionis Chriſti facinus ſinè lege, ſine Rege, ſinè Sacerdote, ſinè templo, ſinè ciuitate : imò (quod omnium malorum caput eſt) ſinè Deo tenebris denſiſſimis obcęcati, omnium Gentium ludibrium, miſeri, vexati, ſerui, ipſis etiam Turcis, ac Mauris miſerandi, in moleſta, ac deſperata iam Meſſię ſpe intolerabilem, omniquè afflictione plenam traducunt vitam, & tandem ad inferni ignem, vbi ęternę perfidię ſuę pœnas luant, puniendi deſcendunt: quorum maxima fuit infelicitas, terram eruere, ex qua vberrimi ſalutis noſtrę fructus emanarunt, & illos non colligere, ſanguinem Chriſti effūdere, & illius effectus eſſe expertes.

2. Satis perſpicuè Seruatoris perſonam agens id prędixerat Dauid Pſalm. 21. verſ. 18. *Foderunt manus meas, & pedes meos*. Vbi adnotarunt Caſſiodorus, & Incognitus, non ſine myſterio dixiſſe *foderunt*, non *fixerunt*, aut *vulnerauerunt*, quę aptiùs cruentam Iudęorum rabiem, & immaniſſimam Chriſti mortem ſignificare videbantur : quoniam ſicut terra foſſa aratro, aut ligone vberiores fructus facit, ſic Chriſti caro vndique vitę optimos germinauit fructus. Vndè alia vertit littera *arauerunt*. Iudęi igitur terram inutilitèr foderunt, vndè alij tulerunt prouentus, & ex illorum labore reportarunt fructus. *Foderunt* (inquit Hieron.) *& fructum magnum inuenerunt, ideſt, ſalutem Gentium*. Id ipſum non inuenuſta metaphora repetit Dauid eodem pſalm. 21. verſ. 17. præcitato de ipſis agens Iudæis: *Quoniam circumdederunt me canes multi*. Iuxta vim Originalis *canes venatorios* legit Hieronymus. Quod mirificè Iudæis competit, qui cum Chriſtum ad crucem vſque fuerint inſecuti, non ſubſiſtunt acclamare, donec vitam exhalent, ad inſtar venatici canis : nam ipſorum populus non præda fruitur, non eam guſtauit, ſed cum ipſam inuenerit, & comprehenderit, Gentibus edendam, & potiendam præbuit.

3. Noſtri Vatis metaphoræ inſiſtens vanum Iudæorum laborem deridet Michæas : c. 6. verſ. 15. *Tu ſeminabis, & non metes, tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo, muſtum, & non bibes vinum*. Iudæos eo tempore, quo apud Babylonios exuiarunt, propheta carpit, illorumque pœnam poſt aduentum Chriſti indigitat. Nam in Babylonica captiuitate detenti cum ſererent, & colerent agros, calcarentque vuas, non ſibi ſed dominis labor ille fructum afferebat, quod vltima laboris exaggeratio eſt. *Grauis eſt dolor* (inquit Sanchez ad prædicta verba) *cum labores noſtros prædantur alieni, & vbi nos eſurimus, alij de manuum noſtrarum labore ſaturantur*. Sanè quaſi grauiſſimum malum, & infelicitatem maximam id ſibi imprecatur Iob, cap. 31. verſ. 8. niſi verùm ſit, quod ipſe de ſe prædicat cap. 31. *Si in manibus meis adhæſit macula, ſeram, & alius comedat*. Hùc reſpicit id, quod præcipitur Deuteron. cap. 20. vbi Deus ædificatores domorum vinearum plantatores à prælio admonendos fore decreuit. *Quis eſt homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam : vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet illam. Quis eſt homo, qui plantauit vineam, & nec dum fecit eam eſſe communem, & de qua veſci omnibus liceat? Vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne fortè moriatur, & alius homo eius fungatur officio*. Si autem huius præcepti motiuum indagare velis, audi Oleaſtrum : *Diſce punitionem Dei eſſe, ſi labores tu, & alius auferat, vt luxurietur in bonis tuis, quibus laboraſti*. Vehementem enim dolorem excitat in bonis labore partis alium luxuriari, & defraudatum ſudorem videre. Maxima namque Iudæorum extitit infelititas, quod ipſi terram coluere, & alij fructus collegerunt, ipſi Chriſtum crucifixerunt, & Gentes illius ſalutiferos fructus comederunt, ieiunis ipſis remanentibus.

4. Elegantèr D. Ambr. lib. 1. de Spiritu Sancto ad inſtitutum noſtrum celebrem proſequitur allegoriam de vellere Gedeonis, mox cœli rore madido, remanente area ſicca, deindè ſicco, tota area rore perfuſa Iudic. cap. 6. verſ. 37. *Ros* (inquit) *in vellere fides erat Iudæa, quia ſicut ros Dei verba deſcendunt : ergo quando totus infructuoſus æſtus Gentilis ſuperſtitionis arebat, tunc erat ros ille cæleſtis viſitationis in vellere : poſteà verò quam oues, quæ perierunt domus Iſrael (vndè puto figuram Iudaici velleris adumbratam) oues, inquam, illæ fontes aquæ viuæ negarunt, vox fidei humentis exaruit in pectoribus Iudæorum, meatuſquè ſuos fons ille diuinus in corda Gentium deriuauit*. Id ipſum præfiguratum agnouit Sophronius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus (orat. 1. de Chriſti natiuit.) in eo quod accidit, cum Dauid aquam optauit de ciſterna Bethlehem,

quæ

quæ erat iuxta portam, quam hianti ore cupiebat 2. Reg. 23. verſ. 15. *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem iuxta portam*. Cum autem aquam attuliſſent tres illi bellatores ſtrenui, qui caſtra irruperunt Philiſtinorum, Dauid noluit bibere, ſed libauit eam Domino. *Aquam* (inquit) *ex ciſterna, quę erat in Bethlehem, deſiderabat, & Chriſtus erat: ciſterna hac ſacratiſſimam Virginem deſignabat, quę, & vtero geſtatura, & Deum paritura erat*. Sed cur noluit allatam bibere? Cur aquam tanto diſpendio partam, tam ingenti labore quæſitam, & tanto ardore deſideratam bibere recuſat. *Quia prophetię lumine illuſtratus*, inquit Sophronius, *fore pręuidebat, vt Iudęi aquę illi viuenti, omniaquè viuificanti, ſecundum carnem è Bethlehem orituræ è lacu virgineo naſciturę, & in lucem proditurę (hoc eſt Chriſto) fidem denegaturi eſſent*. Optauerunt Iudæi aquam iſtam, iugi oratione illam expetebant, Chriſtum ardentèr deſiderabant: apud eos natus eſt, aquam viuam inuenere: ſed illam infelices, bibere noluerunt, & bibendam Gentibus reliquerunt, quod ſumma infelicitas, & infortunium eſt.

DISCVRSVS II. MORALIS.

Plerùmque plebei nobiles in virtute ſuperant.

1. SÆpè ſpica carens granis, & vana ſeſe attollit in altum, depreſſa, & humilis (quia fertilis) ima petit: breuiora gramina in montibus naſcuntur altis: ſata vberiora ferunt conualles: quos non referunt fructus cacumina, humiliora loca offerunt. Sic multoties virtutis meſſe proceriores populi carent: & infimæ ſortis, ac plebei homines vberrimas ſegetes faciunt. Cętera eleméta igni inferiora corpora producũt plurima: aqua, terra, & aer viuentia generant, & nutriunt: at in igne, qui nobilior eſt, naſcitur nihil. Vndè Ariſt. lib. 5. Polit. cap. 1. *Qui reuera boni, & nobiles ſint, nuſquam centum reperiuntur*. Et D. Ambr. lib. de arca c. 32. *Multos ebrios fecere diuitię, nobilitas, & poteſtas ſuperbos*: Et Sydonius Apollinarius lib. 8. cap. 13. miraculi, & portenti loco habet eſſe quempiam genere nobilem, nec tamen ſuperbiæ labe contaminatum, quam laudem ſumma orationis venuſtate Nunchio Epiſchopo tribuit. *Agere narraris ſine ſuperbiam nobilem, ſine inuidia potentem, ſiue ſuperſtitione religioſum, ſine iactantia litteratum*. Ea de cauſa D. Auguſt. ſerm. 127. de temp. malam vocat, atque ignobilem nobilitatem. *Mala nobilitas, quę ſe per ſuperbiam apud Deum reddit ignobilem*.

2. Exod. 6. verſ. 12. vt populum liberaret, ad Pharaonis conſpectum ire præcipitur Moyſes: vt autem ſe à legationis munere eximeret, Deumque à propoſitio reuocaret, ſic ipſum conuincere ſatagit. *Ecce filij Iſrael non me audiunt, quomodò audiet me Pharao?* Non videtur conſequentèr arguere. Fortè ex populi attentione dependebat Regis aſſenſus? Cur non audiet Pharao, tametſi populus non audiat? Audi Oleaſtrum ad hunc locum. *Commune eſt, vt verbum Dei apud populares magis fructificet; quàm apud Reges, & Magnates, & auidiùs audiatur*. Neruosè à maiori ad minùs arguit Moyſes, quaſi dicat: Si plebei, qui procliuiores ſunt ad virtutem, & pietatem, attentiùſque audiunt te, & auidiùs Dei monita exequuntur, ad verba mea aures habent demiſſas: quomodò eas arriget Princeps? Quod Populus deſpicit, quomodò non faſtidient Proceres? Inuerſa argumentatione philoſophatur Ieremias, apud Dynaſtas aſſenſum exquirens, quem non inuenerat in populo. *Forſitan pauperes ſunt, ſtulti facti ſunt. Ibo ad maiores, alloquar eos: ipſi enim cognouerunt viam Domini: ſed ipſi ſimul confregerunt iugum, ruperunt vincula*. Ierem. cap. 5. verſ. 4. Planè le decepit, nam quos ſuæ doctrinæ acquiſcere putabat, magis proteruos inuenit: quia quo maior eſt dignitas Perſonæ, eò maior ſolet eſſe à virtute receſſus. Accipe D. Hieron. *Quos magnos putabam, inuenti ſunt peiores diſcipulis, & quantò maior auctoritas, tantò maior inſolentia Paſtorum*. Magna fortuna aures obturat: minima acuit: vndè validiſſimè inclamat Salomon Prouerb. 8. verſ. 4. *O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum*. Per viros, Proceres, & Magnates populi, ſanguine, aut fortuna eleuatos Salazar intelligit: per filios verò minutiſſimæ plebis, & infimæ conditionis homines. At cur Magnates alta voce clamitat, ad Plebeios autem demiſſa alloquitur? Audi Salazer. *Cum affatur Proceres, atque Principes, vtitur verbo clamito, Hebraicè Krach à verbo Kara, quod eſt vociferari. Cum verò alloquitur obſcuros homines tantummodò dicit. Et vox mea ad filios hominum: hi enim quamlibet etiam demiſſam Dei vocem audire ſolent: illi verò non niſi ad ingentem clamorem intendunt aures*. Non niſi ad tubalem vocem excitantur, qui magna fortuna fruuntur, quia profundè ſuper vtramquè dormiunt aurem: cum ad demiſſam ſolitet inferior turba acquieſcere,

3. Palàm de cœlorum regno cum Nicodemo Chriſtus diſſeruit, viamquè demonſtrauit Ioannis 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritus Sancto, non poteſt videre regnum Dei*. Et tamen ille ignorans remanſit, & dubius ſciſciratur. *Quomodò poſſunt hæc fieri?* Ad mulierculę inſipienti ad hauriendam aquam accedenti vix ſe daturum aquam, quam ſi ſemel bibiſſet, nunquam ſitiret, pollicetur: cum illa altè virtutem illius aquæ agnoſcens, & illius

Digitized by Google

flagrans deſiderio dixit : *Domine da mihi hanc aquam*. Io. 4.v.15.Pulchrè Samaritidis perſpicaciā,& Nicodemi inſipientiam expendit Diu. Chryſ.hom.31 in Ioan.*Credidit continuò mulier longè Nicodemo ſapientior: ille. Quomodò poſſunt hæc fieri inquit, nec manifeſtum ſpiritus exemplum à Chriſto adductum accepit : mulier verò mox non ſpectata confirmatione ad Chriſti ſermonem tanquam certum accipiendum properat* . Erat Nicodemus natura nobilis , fortuna Princeps , erat Samaritana humilis , & de abiecta plebe : idcircò iſta adhuc in metaphoris inſtructa , mox credidit erudienti : ille verò neque perſpicuè loquentem Chriſtum percipiebat: quia tardiores ſunt ad virtutem , qui ſanguinis claritate , aut proſpera fortuna fruuntur . Quos quidem vel ipſa elementa inſenſibilia redarguunt , ſic Pſalm. 113. v. 5. fluenta aquarum alloquens Dauid dicebat : *Quid eſt tibi mare , quod fugiſti , & tu Iordanis , quia conuerſus es retrorſum ?* Ad quę verba hęc ſubiungit Hugo Cardinalis. *Quęſtioni autem huic reſpondet , dicens : A facie Domini mota eſt terra* . Quaſi aquæ dicerent : Si terra , quæ elementum eſt ignobilè, craſſum & infimum , in monte Sinai ad Dei præſentiam in reuerentię ſignum tremuit, & concuſſa eſt , cur aquæ , quæ nobiliores ſunt , non idem faciant , cum æquum ſit , nobiles in virtute , & pietate plebeios antecellere ? Vndè Vates noſter vineæ ſterilitati ficuū , & oliuarum fructuum penuriam adiungit , quia viduatis fructibus minoribus plantis , quæ ſæpè feraciores ſunt,& humiles adumbrant conſequens eſt, vt proceriores fructus non referant , quandoquidem in virtute à plebeis ſuperantur . *Ficus enim non florebit , & non erit germen in vineis . Mentietur opus oliuę, & arua non afferent cibum.* Hic verſ. 17.

DISCVRSVS III. MORALIS.

Anticipata virtutum opera fructus Deo gratiſſimus .

1. NOn pigris animis cęlum præparatur , quia curis , & ſolicitudinibus emitur . Qui negligentia torpet , profuſæ liberalitatis munera non aſſequitur : nam deuotionis anticipata opera illa deferunt : primitias enim diuinæ gratiæ accelerata virtus colligit . Non ſatis eſt rectè facere , niſi etiam prę maturè fiat : maiores enim fructus percipit negotioſa deuotio , virtus pręcoqua muneribus primis coronatur , gaudet , & exultat . Paulò antè ſuam mortem cum eſſet Chriſtus Dominus in Bethania in domo Simonis, acceſſit ad eum Magdalena , & non tantùm pœnitens , ſed liberalis , & officioſa vnxit eius pedes . quod quidem obſequium in tantùm gratum extitit Saluatori , vt immortali fama , & laude glorioſa eam iudicauerit dignam . *Amen dico vobis , vbicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in vniuerſo mundo , & quod hęc fecerit, narrabitur in memoriam eius.* Matth. 26. verſ.13. Superba mauſeola ſolent homines erigere , vt in illis illorum memoria immortalis perennet : cæterum Maria paruo vnguento æternam famam nunquam exciſuram promeruit . Vrget tamen, quod cum Magdalena non minore pietate , & animo obſequioſo multotiès ſit operata , non tali fuit remunerata honore; nunc verò paruo vnguento præmium ita glorioſum obtinuerit : plus enim videbatur meruiſſe, cum relictis mundi illecebris ſua peccata fuit confeſſa : maximè cum , & tunc aromata pretioſa profuderit , dignior videbatur remunetatione illa humilis obedientia , quam cum audiret Magiſtrum in ſuo domicilio excipi , charitate feruida ad eius pedes accubuit : nam tunc locum , quem elegerat , ipſe Dominus approbauit . *Maria optimam partem elegit* , Luc. 20. verſ. 42. Nihilominùs neque feruens oratio , neque prompta obedientia tam glorioſo præmio cumulantur, ac vnctio in Bethania facta . Tanti autem diſcriminis ratio mihi videtur , quam ipſe offert textus , *Pręuenit vngere corpus meum in ſepulturam* . Matth. 26. verſ. 13. Quaſi diceret Dominus: non viuorum cęremonia hęc vnctio debet reputari , ſed pręparatio corporis ad ſepulturam euntis. Fuit enim mos Hebręorum , & aliarum nationum , cadauera aromatibus condire , vt à corruptione liberentur : at huiuſmodi vnctio non corpore antequam moriatur , ſed poſt adhibetur: Maria verò , vt erat animo generoſa , & morę impatiens , anticipata ſollicitudine id pręuenit,& in ſignum ſuę gratitudinis corpus Dominicum , dum adhuc viueret , vnguentis pręparauit ad tumulum . Ideòque hoc inter ſua opera primam exiſtimationem promeruit : quia pręuio obſequio pręoccupauit ſpem recipientis , & id exercuit , quod de generoſo ſpiritu dixit Seneca , lib. 2. benef. *Primum eſt antecedere deſiderium cuiuſque ; proximum ſequi : illud meliùs , occupare antequam rogemur* . Ideòque cum Maria non ſolùm vnxerit corpus Domini , cum iam cadauer extitit , ſed pręuenerit vngere tribus diebus , antequam moreretur , ſingulare pręmium , famę videlicet immortalis , & ęternę memorię hoc opus inter cętera illi promeruit : quia anticipatę virtutis elogium eſt , totam , Dei beneuolentiam allicere . Ideòque pręcepit Deus omnes fructuum primitias illi deferri , quia pręmatura opera virtutum figurabant .

2. Refert textus ſacer Geneſ. 4. verſ. 2. exercitia Cain, & Abel primogenitorum. Adę, quę ſic deſcribit. *Fuit autem Abel paſtor ouium,*

& Cain

& Cain agricola. Ambroſius ad hunc locum, in dubium vertit, cur textus ſacer ordinem naturæ inuerterit, & priùs nominauerit Abel, quam Cain, qui antiquior erat ætate. *Quare non ſit ordo nominum, qui eſt ordo naturæ?* Et ipſemet ſibi reſpondet: *Quia etſi Abel tempore iunior, virtute præſtantior.* Superabat Abel fratrem in virtute, ideòque debuit priùs nominari. Sed qua virtute eum anteceſſuit? Crediderim, feſtinata oblatione: quod idem textus innuit, ſubiungens quod Cain, cum eſſet agricola, de fructibus terræ obtulit; Abel autem, quia paſtor erat, primogenita immolauit de primogenitis gregis ſui. Deuſque ita complacuit in ſacrificio Abel, vt manifeſtis ſignis illud approbauerit; in ſacrificio autem Cain, maximè diſplicet: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem, & ad munera eius non reſpexit.* Cur ita? Si vterque frater de laboribus ſuis ſacriſicia libauit, quarè vnum acceptauit, & alterum abhorruit? Satis perſpicuè textus rationem innuit: licet enim Abel minor eſſet ætate, fuit prior in holocauſto, & obtulit antequam offerret Cain, cuius oblatio ſerotina fuit, moroſa, & negligens. *Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain.* Ibid. verſ. 3. Tardè obtulit, remiſsè, & penè coactus, ideòque ingrata fuit eius oblatio, & plus demeruit, quam obligauit: nam vt dixit Seneca oblatio moroſa, & quæ in manibus tribuentis diù detinetur, beneficij rationem amittit. *Ingratum eſt beneficium, quod inter manus donantis hæſit.* Abel autem ſtatim obtulit, ne tantùm de pretio à ſacrificio adimeret, quantùm de mora accreſceret. *Obtulit de primogenitis gregis ſui.* Ita velox ſe geſſit Abel ita redditione ſacrificij Deo debiti, vt primogenita ab vberibus matris pendentia obtulerit, & à die natiuitatis Deo ſacrauerit; quod quidem Dei beneuolentiam ipſi promeruit.

3. Nouerat Sponſa delitias eſſe Sponſi huiuſmodi feſtinatos fructus, cum dixit Cant. 8. verſ. *Dedi tibi poculum ex vino condito, & muſto malorum granatorum.* Aduerſari ſibi videntur huius hemiſtichij partes: nam ſi Spōſa guſtui adulari deſiderat, ad idque vinum aromatibus præparatum habet: quomodò illud muſto admiſcendum pollicetur, quod maximè guſtum exacerbat? Vinum enim diuturnitate, generoſitatem, & valorem acquirit.

Sic meliora dies, vt vinum poemata reddit.

Dixit Horatius, & Seneca guſtum reprehendens: *Cur apud te vinum ætate tua vetuſtiùs bibitur?* Cur ergò muſti poculum, quod inſuaue, & inſipidum eſt, Sponſa propinat Sponſo, vbi ipſius delitias procurat? Quia probè nouerat ipſius appetitum, potumque illius palato magis iucundum, & familiarem eſſe opera flammantia, non temporis vetuſtate confecta, muſtum ſtatim, ac exprimitur, & à torculari extrahitur, primę ætatis virentes virtutes. Nam & Deitates fabuloſæ non admittebant hoſtiam, quæ non eſſet tenera, & virgo. Vt dixit Mantuanus:

Nunc grege de intacto ſeptem mactare iuuencos præſtiterit.

Fructus, qui iam præ maturitate decidunt, menſæ Dei inepti videntur: abortiua enim plerumque, & præmatura plus placent; ſera diſplicent, & faſtidiuntur. Vndè pigros Iudas (in ſua Canonica num. 12.) arboribus autumnalibus comparauit. *Arbores autumnales,* quæ fructus cum iam faſtidiuntur tribuunt. Vbi Hugo Charenſis ignauos ad virtutem comparandam reprehenſos agnoſcit. *Arbores autumnales vocat, quarum fructus vſque poſt autumnum non colliguntur, quaſi tardi, & hyemales, non primæui, ſed æſtiui: ſic pigri ad bonum in ſtatu vitæ præſentis non faciunt fructum: vndè ſeruantur ad hyemem gehennalis pœnæ.* Sic periculoſum eſt ad vltimum vitæ protrahere virtutem opera, vt timendum ſit, ea tunc deſpici, & nullum fructum nobis allatura. Virgines illæ fatuæ, non quia virtutum oleo carebant, à nuptijs repelluntur; ſed quia pigritia, & ſocordia præoccupatæ ſerò accedebant. Vndè meritò dolet Vates, quod plantæ poſt longam ætatem, & adulta corpora habentes nullos ex ſe referant fructus. *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis.* Hic verſ. 17.

DISCVRSVS IV. MORALIS.

Tanti æſtimat Chriſtus Dominus hominis ſalutem, vt pro illa faciat, quidquid pro ſua faceret, ſi indigeret, & ſuam reputet gloriam.

1. Mira ſunt, vt admirari licet in præcedentibus prodigijs, quæ Deus pro Iudæis à captiuitate Babylonica liberandis patrauit; ſed mirabiliora, quæ pro hominum ſalute reparanda effecit. Tanquam pius pater, maximus hominum æſtimator, illorumque firma defenſio, & munimen, omnibus ſe periculis expoſuit, ne homines indefenſi periclitarentur: noſtras ſuper ſe infirmitates portauit, vt tueretur noſtram valetudinem. Vndè dicebat Iſaias cap. 53. verſ. 1. *Brachium Domini cui reuelatum eſt? Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Cur brachio protegenti Seruatorem confert Propheta, non ſcuto, vbi ictus cum minori diſcrimine excipiuntur? Idoneè Oleaſter,

Digitized by Google

ſter. *Solet enim brachium omnibus periculis, & moeſtis obuium pro ſalute corporis obiectari: ſic & Chriſtus, qui noſtra fortitudo erat, ſeſe languoribus, & doloribus noſtris obiecit, ne ad nos vlla occurrens læſio perueniet.* Ad quoſcunque hoſtiles incurſus brachium ſe ſe offert, vt corpus tueatur: in brachio portatur ſcutum, quo totus homo protegitur, ictuſque recipere non recuſat indemnitati cæterorum membrorum conſulens. Non ſecùs Chriſtus Dominus, vt hominem ſeruaret innoxium, tanquam brachium vndequaque ipſum muniuit, & in ſeipſo priùs impetus ipſum adorientes confregit: tanti enim hominum ſalutem fecit, vt nihil præter ipſam exiſtimaret pretio dignum. Morti iam proximus poteſtatem, quam accepit à patre, prouidè recognouit, fortaſsè vt teſtamentum non inconſideratè conderet, ſed iuxta facultates, quas poſſidebat. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Ioan.13.verſ.3. Quod alibi in Matthæo repetitum inuenies cap.11.verſ.27. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Quid eſt omnia? Valdè ſudant interpretes, vt omnia hæc interpretentur, de quibus hic Chriſtus mentionem facit. Theophilactus ad præcitata Ioannis verba inſolito calamo ſcribit. *Omnia dedit ei Pater in manus: hoc eſt, quod credidiſſet ſalutem fidelium.* Ergo niſi Chriſtus ſalutem hominum fuiſſet operatus, non haberet omnia; imò nihil habere diceretur: nihil enim habet, qui omnibus caret? Si ergò hominum ſalus eſt omnia Chriſto, omnibus caruiſſet, niſi hominum ſalutem fuiſſet lucratus. Hyperbolica exaggeratio videtur, & ipſiſſima veritas eſt: nam cum Chriſtus Dominus decretus ſit, vt ſaluaret homines, & ad hominum ſalutem faciendam Perſonæ Verbi Humanitati ſit vnita, ipſorum hominum ſalute eximiè munerata eſt ſanctiſſima eius humanitas. At quid luculentiùs pro hac re, quam ſic Chriſtum æſtimare hominum ſalutem, vt hominum ſalus occaſionaliter omnia Chriſto dicantur.

2. Ex hac exiſtimatione prouenit, vt quod pro ſeipſo, ſi indigeret, faceret, id totum pro hominum ſalute ſit operatus. Vndè ipſemet Ioann. 9. verſ. 4. dicebat: *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt.* At omnia, quæ Chriſtus operatus eſt in toto curriculo vitæ ſuæ, illum oportebat operari? Nobis ſanè oportebat, ille verò quare? Quoniam idipſum, quod pro ſeipſo liberando, ſi indigeret, faceret, pro liberandis hominibus pertulit, ſuamque hominum redemptionem exiſtimauit. Vndè Zacharias c.9.verſ.9. de Chriſto locutus dicebat. *Ecce Rex tuus venit tibi Saluator.* Vbi quædam Hebræorum Gloſſa pro eo, quod nos legimus *Saluator, ſaluatus* legit: exponens verò huius rei rationem addit: *Salus Iſrael, ſalus Dei.* In tantùm enim noſtram ſalutem curauit, & operatus eſt, ac ſi non noſtra tantùm, ſed ipſius Dei ſalus eſſet, qui ſaluatus dicitur, dum nos ſaluat. Hoc planè ſibi vult locus ille Pſal. 97. vbi de Chriſto dicitur: *Saluauit ſibi dextera eius.* Quæ verba de noſtra reparatione, & ſalute ferè omnes interpretantur. Sed quid eſt, quod ſibi aſſerat attuliſſe ſalutem? Deus nè redemptione indiguit? Audi ibi Theodorum. *Immenſa benignitate vtens, ſuum quæſtum hominum vitam duxit: propterea non dixit: Saluauit ipſum dextera eius; ſed ſaluauit ipſe ſibi.* Quaſi ſalus, & vita hominum, vita & ſalus Dei eſſet.

3. Iam ergo ſi omnia Chriſto fuit hominum ſalus, ſi ſuam reputauit hominum redemptionem: non mirum, quod illam ſuammet reputet gloriam, & beatitudinem: quod perſpicuè dixit D.Paul.ad Rom.3. verſ.23. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Quid eſt gloria Dei? Gratia, & venia Dei dicendum videbatur. Sic D. Hieron. lib. 6. comment. in Iſaiæ, vbi citat hunc locum: ſed emendatiſſimi codices Latini habent *gloria.* Sicque legunt Patres, & expoſitores omnes, non quaſi homines non egeant prædicto gratiæ beneficio; ſed quia dum Deus illud præſtat, ſuam oſtentat, & manifeſtat gloriam. Accipe Carthuſ. *Egent gloria Dei: hoc eſt, miſeratione, diuina videlicet gratia, per quam Deus glorioſus apparet, qui de ſua liberrima voluntate ſaluat electos, & gloriam ſuam oſtendit in noſtra miſeria, ac neceſſitate.* Remiſſionem noſtrorum criminum Dei gloriam vocat Apoſtolus, quaſi noſtra ſalus Dei gloria, & ſalus ſit. Ipſius ergo intererat captiuum hominem à ſeruitute liberare, & impensè illius ſalutem inquirere, quandoquidèm de propria gloria erat ſolicitus. Quod Moyſi multò anteà prædixerat: petijt ille à Deo, vt gloriam ſuam illi manifeſtaret. Exod.33.verſ.18. *Oſtende mihi gloriam tuam.* Cui Deus: *Ego oſtendam tibi omne bonum tibi.* Sic legit Hebræus. Poſte præcipit, vt ſe ſub foramine petræ abſconderet, vt tranſiens illi ſuam gloriam oſtendat. Tranſit, & ad eius conſpectum remuneratus Moyſes dicebat: *Domine Deus miſericors, & clemens, & patiens multæ miſerationis, qui auſers iniquitatem, & ſcelera, atque peccata.* Quibus verbis quod deſiderabat, accepiſſe fatetur: at hæc, quæ Moyſes viderat beneficentiam ergæ hominem oſtendunt, non Dei gloriam, quam Deus oſtendere fuit pollicitus. Quo ergo pacto Dei promiſſio adimpletur in his, quæ viderat Moyſes? Quia certò ſciebat Dei gloriam eſſe hominum liberationem, & miſericordiam, qua eorum peccata condonat: hac enim viſa ſatis ſuperq; ſe remuneratum agnoſcit, & Deum promiſſa adimplere.

4. Poſt ſolemnem in Iordane baptiſmum, quem celebrauit Ioannes, ipſiuſmet Authorem tingens fluentis, Dei gloriam apparuiſſe teſtatur Matthæus cap.3. verſ. 16. *Baptizatus*

autem

autem IESVS, confeſtim aſcendit de aqua: & ecce aperti ſunt ei cæli, Remigius ad prædicta verba quæſtionem excitat: *Numquid tunc primò aperti ſunt ei cæli etiam ſecundum humanam naturam? Fides enim Eccleſiæ, & credit, & tenet, quod non minùs aperti ſunt ei antè, quam poſt*. Si ergò cœleſtes valuæ ſemper Chriſto reſeratæ extiterunt, quomodò tunc aperiri dicuntur, cum à baptiſmo recedit? Auſculta Remigium. *Ideò ergò dicitur, quod aperti ſunt ei cæli. quia omnibus renatis aperitur ianua regni cæleſtis*. Scilicet: tunc maximè dicuntur cœli Chriſto aperti ad videndas beatas Dei glorias, quando renatis à fonte baptiſmatis ianua cœleſtis aperitur: quia ſic hominum ſalutem diligit, vt eorum glorias ſuas reputet. Tunc cœli dicuntur vni Chriſto aperti, cum pijs hominibus panduntur, ac ſi prædeſtinatorum glorijs Chriſtus bearetur. Hæc ſumma Dei gloria, ſumma beatitudo eſt, viam ſternere, vt ad cœleſtem patriam homines, properent. Vndè Dauid cœlos Dei gloriam prædicare dicebat Pſalm.18.verſ.1. *Cæli enarrant gloriam Dei*. Cur non ſicut cœli, elementa Dei gloriam oſtendunt, & illius prædicant beatitudinem? Omnes enim creaturæ veſtigia ſunt, quibus Dei maieſtas, & gloria indagatur. Cur ergò elementa, quæ portiones ſunt vniuerſi principaliores, Dei gloriam non concinunt, & cœlis tantùm huiuſmodi prærogatiua reſeruatur? Crediderim, quia (vt inquit Philoſophus lib.de cœlo) elementa in ſuis motibus bonum particulare vniuſcuiuſque quærunt, non commune: hinc loca ambiunt, quæ meliùs ad ſui conſeruationem aptantur: cœli verò in ſuis circularibus motibus non ad bonum particulare attendunt, ideòque nouum locum nunquam acquirunt, ſed intra ſeipſos mouentur, & ſolum bonum vniuerſi procurant. Cœli ergo Dei gloriam opportunè annunciant, quaſi indigitent, nihil magis Deo eſſe glorioſum, & æſtimabile, quam vniuerſis benefacere, & ſolùm hominum quæſtum gloriam illi eſſe. Vndè parta de Babylonijs victoria tanquam triumphator exultare dicitur, quia in libertate Iudaici populi redemptionem humani generis præuidebat. *Et ſuper excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem*. Hic verſ.19.

DISCVRSVS V. MORALIS.

Ferè omnes temporalium, pauci ſunt, qui æternorum ſentiant iacturam.

1. Naturali propenſione vrgetur homo ad temporalia, & caduca bona adipiſcenda, nullo obice retardatur, vt ea poſſideat, & pari auiditate, ac ea comparauit, dolet, cum amittit: cuiuſque temporariç rei angitur iactura: quæ impensè procurat, amarè perdit, & tota ſolicitudine terrena ſuſpirans, de cœleſtium amiſſione non dolet. Hoc à primo parente vitium emanauit, qui poſtquam nuditatis pœnam incurrit, ſic Deo ſciſcitanti vbi eſſet, reſpondit. *Vocem tuam audiui, & abſcondi me, eo quod nudus eſſem*. Gen.3.verſ.10. Non mærer eo quod Deum haberet offenſum, illius vindictam non pertimeſcit, neque æternorum iacturam, quam ſuo flagititio promeruit, lacrimatur: ſed nuditatem tantùm deplorat, quç quoddam erat temporale nocumentum. Quod ponderans Rupert.lib.4.in Gen. cap.4. *Notandum, quod culpam ſuam tacuit, quæ cauſa erat ſuæ pudendæ nuditatis: ſed quæſtus eſt ſe eſſe nudum, vt Deum potiùs incuſaret, quod talem iacturam hominis formaſſet*. Et paulò infrà. *Timet, ne agricolari ſibi non liceat, ne terram, quam ſolam amat, vel præſentem vitam pro admiſſo facinore perdat*. Non angitur de animç nocumento: timet temporalibus bonis priuari, & corporis operimentum perdidiſſe. De hoc ipſo conquerebatur Sponſa, Cantic.5. verſ.7. *Tulerunt pallium meum*, ideſt, *temporalia bona*, ait Hugo Card. ad cap. 4. Lucç. *Pallium amiſiſſe torquet homines, de tunica, quæ interior animæ habitus eſt, non curantes*. Pauci ſunt, qui de animç nuditate plures, qui de temporalium bonorum amiſſione conquerantur. Duplicem Paralytico Chriſtus contulit ſanitatem, nam & corporis valetudinem reſtituit, & animç: *Remittuntur tibi peccata tua*. Matth.9.verſ.2. & tamen vt aduertit Chryſol, non legitur pro tanto beneficio gratias egiſſe. Quare? Audi Chryſol.ſerm.50. *Audit veniam, & tacet Paralyticus, neque vllam rependit gratiam: quia plus corporis, quam animæ tendebat ad curam*.

2. Paulus cçleſti eruditus ſchola, ſuperna doctrina imbutus dicebat 2. Corinth.12. verſ. 4. *Vidi arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Et quid? Cœleſtis eruditio poterat non eſſe omnibus proficua, quod erubeſcit Paulus eam referre? Multum intererat doctrinæ, quam prçdicabat, narrare, quç in arcano cœlorum gymnaſio ediſcerat. Vt quid igitur refugit, communicata ſibi, aperire myſteria? Acutè D.Ambroſ. *Videte non gratiam loquendi illi homini defuiſſe, ſed his, qui audiebant: & ideò non competere iudicatus eſt, vt loqueretur in terris, quæ audiſſet in cælo*. Quaſi diceret Apoſtolus, ſibi eloquentiam, & facundiam non defuiſſe, vt de ijs loqueretur, quæ in cœlis viderat: ſed auditoribus capacitatem, & diſpoſitionem defeciſſe ad ea percipienda temporalium implicatis deſiderijs: quapropter de æternis bonis, quæ ſolùm æſtimanda ſunt, loqui non licebat ijs, qui terrena ſolùm æſtimant, & toto deſiderio anhelant. Veluti infirmus, qui,

quod

Digitized by Google

quod ſalutare eſt, renuit, & mortiferos, atque noxios cibos magna auiditate appetit: nanſeant ferè omnes ad cœleſtia prægultata bona, & ſtomachantur ſapido cibo: terrena verò: & nociua toto animo ſuſpirant, eum tamen illa ſemper ſint præferenda. Hoc ſanè ſacrificium Cain ingratum reddidit: ſic enim ad ipſum loquitur Deus, Geneſ. 4. verſ. 7. *Nonnè ſi benè egeris recipies: ſi autem malum, ſtatim peccatum in foribus aderit?* Septuaginta legunt: *Nonnè ſi rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccaſti?* Deformitas ergò non in ſacrificio, ſed in diuiſione ſtetit. Quo ergò pacto malè diuiſit, qui benè obtulit? Audi Ambroſium: *Rectè Cain obtulit, quia ablatio inſigne deuotionis, & iudicium gratiarum eſt: ſed non rectè diuiſit, qui antè omnia debuit deferre primitias, vt à gratia inchoaret Authoris: etenim diuiſionis hic ordo eſt, vt prima ſecundis, non ſecunda primis præcurrant, & cœleſtia terrenis, non terrena cœleſtibus præferantur: ſed quia Cain confudit hunc ordinem, dicitur ei peccaſti.* Inordinatè Cain fructus diſtribuit, & priùs ſibi vberiores elegit: poſteà verò imperfectiores libauit, ſeipſum Creatori præponens, ecce ſtibus temporalia. Perniciofus ordo, & qui diù inter homines viget, terrena ambientes, illorum iacturam deplorantes, & pro nihilo, quæ dumtaxat vera ſunt, habentes. Hęc, quę hominess brutis ęquant, praua deſideria arguebat Ioel cap.1.verſ.18. *Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti, quia non eſt paſcua eis: ſed & greges pecorum diſperierunt.* Stolidos hominum conatus carpit, ac terrena, & temporalia bona anhelantes. Sed cur horum lacrymę, ex defectione temporalium brutorum lacrymę dicuntur? Accipe Rupertum ibi. *Brutis animalibus, & gregibus armenti ſimiles eos vult habere, quamuis homines ſint: quia ingemiſcere neſciunt, niſi pro penuria cibi, nullum habentes dolorem de peccatis ſuis, & hoc ſolùm eſſe miſerum, hoc dolendum reputant.* Non alijs, quàm ſtolidiſſimis brutis veniunt comparandi, qui ipſis in appetitione terrenorum aſſimilantur, nihil pręter caduca, & fallacia bona curantes, cœleſtium obliti: cum ea, quę in pretio ſunt poſteriora, in deſiderio etiam debeant poſtponi.

3. Non ſic iuſti, qui pro nihilo terrena habentes, de illorum amiſſione non dolent, quod Parę miaſtes Salomon ſcitè dixit Prouerb.12.verſ.21. *Non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit.* Hoc eſt, nullum temporale nocumentum eum ab interna animi lętitia deturbabit. Sed cur temporale damnum iuſto illatum accidere, dixit Sapiens? Rectè Hugo. Cardinalis: *Sicut accidens adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem: ita præſens proſperitas, & tribulatio viro iuſto adeſt, & abeſt præter eius contriſtationem.* Æternorum tantùm iactura anguſtiatur iuſtus, & contabeſcit, quę temporalia ſunt tranquillitatem animi non conturbant: tam placidè infortunatis ſe accommodant euentibus, quam proſperis. Inundantibus diluuij aquis ſuper terram, vt ſerenitatis, quam exſpectabat Noe, ſignum deferret: *Dimiſit columbam, at illa venit ad eum ad veſperam portans ramum oliuæ, &c. Poſt ſeptem alios dies emiſit columbam, quæ non eſt reuerſa.* Geneſ. 8. verſ. 10. 11. & 12. Quod verſans D. Chryſ. æqualitatem Noe in vtroque euentu optimè expendit: *Vide, quomodò iuſtus in omnibus conſolationis accipiat notam: nam vt bona recreatus eſt, cum redit columba, & oliuæ folium in ore ferret: ità, & cum egreſſa non redit, maximum illud indicium fuit, quod ſufficientem inueuerit refocillationem, & quod aquæ in vniuerſum deſierunt.* Tam in proſpero, quam in aduerſo euentu conſolatur iuſtus: quia ſolùm Dei iacturam ſentit, cætera negligit, & pro nihilo habet: quia nullum aditum ad terrenorum dolorem admittit, hæc cœleſtibus ſemper poſtponit, Chriſti Domini veſtigia retinens, qui cum veniſſet ad ſuſcitandum Lazarum (Ioan. 11. verſ. 21.) & obuia illi eſſet Martha, cum ipſa latè colloquutur: *Domine, ſi fuiſſes hic, &c.* Ad quid venis, ô Domine? Nonnè ad ſuſcitandum Lazarum? Cur ergò cum Martha per otium detineris? Pulchrè Baſilius de Seleucia. *Magis ſpectabatur, vt Martha, & Maria, & cæteri, qui præſtò erant, reſurrectionis myſterium diſcerent, quam vt Lazarus ad vitam rediret: ob id ergo antè excitationis miraculum variè verbis philoſophatur.* Differatur temporale, vt ſpirituali defectui ſuccurratur: plus enim Chriſtus ſatagebat ſpirituale myſterium circumſtantibus docere, quam Lazarum ſuſcitare. Idcircò priùs detineatur in illo edocendo, quam miraculum operetur: nam quæ ad animam ſpectant, temporalibus ſunt præponenda. Ideòque tametſi Propheta videat victualia omnia defectura, terræ, & arborum ſterilitatem, dum modo Dei auxilium, & opem ſibi adeſſe agnoſcit, cum exultatione temporalium iacturam patitur. *Ego autem in Domino gaudebo, & exaltabo in Deo IESV meo.* Hic verſ. 18.

DISCVRSVS VI. MORALIS.

Mali ciues propter lucra fructus abſcondentes, aut inimicis deferentes rerum penuriæ cauſa ſunt.

1. Auaros homines, & qui fructus terræ recondunt, vt penuriæ tempore maiora pretia lucrentur, non immeritò tal-

talpæ ſimiles dixeris, qui terram fodit, vt fructus terrę ibi abſconſas habeat, & in cauſa eſt, vt in republica deficiant: quin potiùs propter auaritiam, & lucrum ad inimicos deferunt, propria patria fame animam exhalante. Nihil proſunt ſegeti maximi imbres, ſi terram talpæ fodiunt, vt labantur vndæ, & terram non fæcundent. Sata ferunt fructus, naturæ neceſſaria largitur, & nihilominùs nullus fructus videtur, quia eos recondunt homines talpæ, vt quæſtum faciant, & ad hoſtes propter lucra indè prouenientia tranſmittunt. De ſecundò ex quatuor Paradiſi fluuijs, qui Phiſon nominatur, inquit textus Geneſ. c. 2. verſ. 11. *Nomen vni Phiſon, ipſe eſt, qui circuit terram Hebilac, vbi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum eſt*. Phiſon idem eſt Latinis, ac *oris commutatio*. Hic ergo fluuius regionem rigat, & fæcundat Hebilac, id eſt, terram aſſut, vbi præcipui hoſtes populi Iſrael habitabant, vt rectè annotauit Oleaſter in comment. huius loci alibi datus: *Vbi, & aliud conſiderat, quod præcipuos hoſtes ſuos priùs irrigat: nouimus, quid populo eius fecerit Aſſur & alij vicini terræ promiſſionis, ad quos Paradiſi flumen tam copioſè mittit*. Meritò ambiges, cur ille fluuius tam abundantèr fluenta mittat ad hoſtes, Deo, & ipſius populo infenſiſſimos, illiuſque ſata priùs irriget, quam cæteras regiones. Auſculta D. Ambroſ. ad pſal. 1. fortè noſtrum inſtitutum reſpicientem. *Meritò os illic commutatur, vt non teneatur promiſſorum fides, ſed ſit in ore dolus, vbi eſt aurum bonum*. Ad terram auro, & argento abundantem, vbi nulla fides ſeruatur, & doloſo commercio homines ſe inuicem decipiunt, fluenta mittit Phiſon copioſa, alijs tegi nibus areſcentibus, quaſi indigitans, auaritiam cauſam eſſe, vt malus ciuis velut Phiſon fidelitatem patriæ debitam rumpat, vt aquatum fructus ad hoſtes mittat, patria fame pereunte. Ad hoc talpa fructus recondit, & in culpa eſt, quod aquarum copia ad ſegetes non accedat, ſed per occultos meatus inutilitèr labatur. Terra, quæ aurum gignit, & argentum, auaritiam prouocat, vt ad illam fructus tranſmittat, ipſis viduata, quæ illos produxit.

2. Non inuenuſtè id ipſum dicebat Oſeas cap. 12. verſ. 1. *Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum, tota die mendacium, & vanitatem multiplicat, & fœdus cum Aſſyrijs inijt, & oleum in Ægyptum ferebat*. Eſt Samaria, quæ Ephraim tribui competit, olei feraciſſima: in oleo autem, vt aduertit Ribera, cæteri terræ fructus, cæteraque munera intelliguntur, vndè explicatiùs 70. lectio, vbi noſter Vulgatus habet: *Oleum in Ægyptum deferebat*, vertit, *Munera in Ægyptum deferunt*. Verùm cur Ephraim frumenta, quæ Samaria abundantèr ſuis incolis offerebat, ad Ægyptios mittit, qui implacabiles hoſtes Iſraelitico populo extiterunt, illumque continuis bellis, & dira capti-uitate vexarunt? Tam infida ſibi illa tribus fuit, vt futuram famem, & miſeram penuriam non præcauens, terræ prouentus ad inimicos tranſmittat? Credo, huius auaræ cupiditatis textum rationem inſinuare, dum Ephraim ventum paſcere, ac ſuſtentare, aut illo nutriri affirmat. *Ephraim paſcit ventum*. Cui ventus eſca eſt, aut ventum alit, qui vanam mundi gloriam, & hominum exiſtimationem ſectatur, nil mirum, quod veluti Ephraim eructet mendacia, quod totus effundatur in dolos, & ſimulationes, quod patriæ fidem non ſeruet, quod fructus terrę fraudulentèr ad hoſtes mittat, vndè aurum captet, ad gloriam, & inanem faſtum conſeruandum, vel obtinendum. *Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum: tota die mendacium, & vanitatem multiplicat, & fœdus cum Aſſyrijs inijt, & oleum in Ægyptum ferebat*. Hic (inquam) qui voluptuoſè, & pompaticè viuunt, reipublicæ proditores ſæpè ſunt, & famelico vulgo pereunte, ſterilitate patriæ ſolùm vexante, fructus aſſeruant, aut ad hoſtes transferunt, vt maiorem indè quæſtum faciant, vndè ventum ſuæ vanitatis paſcant. Idque ſępè efficitur ab ijs, quibus incumbit publicis neceſſitatibus prouidere, & annonam fideliter diſpenſare: vndè non modica laus Caſſiodoro, in formula Pręfecti, viſa fuit cuiuſdam Prętoris, qui ſine quęſtus faciendi cupiditate Romanis ciuibus cibaria diſtribuebat. *Triticeas quidem copias præfectura prætoriana procurat; ſed non minor laus eſt diſpenſationem probabilem facere, quàm frumenta colligere ſic Ceres dicitur frumenta inueniſſe, Pan primus fruges coxiſſe perhibetur*.

3. Imminente futurę famis periculo, quod infructuoſis annis ſuperauerat, frumentum prouidus Ioſeph aſſeruari curauit in Ægypto, ea tamen prouidentia, quod vnaquęque ex principalioribus ciuitatibus ſufficientem ſterilibus annis annonam in horreis reconderet. *Omnis etiam frugum abundantia ſingulis ciuitatibus condita eſt*. Geneſ. 41. verſ. 48. At cur non pręcipit fructus deferri ad Metropolitanas vrbes, ibique ampliſſimis horreis adſtructis aſſeruari, vt ex eis alię ciuitates, & minora oppida neceſſitatis tempore extraherent, ſibique prouiderent? Ad quid omnes vult eſſe pręuentas, & tritico exuberantes, quandoquidèm fructus meliùs diſtribuerentur, ſi per minorem miniſtrorum numerum id fieret? Pręclarè de more Oleaſter ſolertiam Ioſeph hic agnoſcit: *Solent ciuitates aliquandò aliarum cibum comedere, & alia abundant, & quę protulit fame perit: quare conſultum eſſet, vt vnaquęq; Vrbs quæ ſuum eſſet, comederet, & alias de ſuperfluo aleret*. Sæpiſſimè iniquorum ciuium auaritia inſtigante, proprij ciuitatis fructus aſportantur in aliam, & hoſtibus prouidetur, fame pereunte, quæ protulit. Prudentèr igitur Ioſeph pręcauens huiuſmodi artem, fructum vniuſcuiuſque ciuitatis, in ipſa aſſeruari, & neceſ-

neceſſitatis tempore inſumi pręcepit, ne graſſante fame, quę alimento carerent, neceſſaria exceſſiuo pretio emerent, & vacua terrę frugiferę relinqueret horrea cupiditatis rapacitas copiaſque ipſas redderet inopes. Quod vtinam non tam frequentèr eſſemus experti: nam quos natura copioſos fructus porriget, auaritia per occultos meatus abſcondit, & foras mittit, atque ad hoſtes transfert. Vndè meritò conquerebatur Vates, eo quod arua non afferrent cibum: quod quidem non ſolùm ex terræ ſterilitate accidiſſe puto, ſed ex auaritia ciuium, qui terrę fructus aſſeruant, & congregant in horreis, fame republica pereunte, vt ex illis maiora lucra reportent. *Mentietur opus oliuę, & arua non afferent cibum.* Hic verſ. 17.

DISCVRSVS VII. MORALIS.

Sanctorum cum Deo de bonis operibus eſt concertatio, ipſi Deo illa attribuunt, iuſtis Deus.

1. QVidquid pulchrum, & amabile eſt, charitas in re amata vult laudari, & pia largitate propria facinora in alium refundit. Non ſolùm non ſibi arrogat, quæ aliena ſunt, ſed in dilecti honorem, quæ ipſa agit, redundare ſatagit, vndè arcanè dixit Paulus ſe non quærere, quæ ſua ſunt? ſed quæ aliorum: Hinc certamen exurgit inter mutuò ſe, ac perfectè diligentes: nam vterque alteri illuſtriora opera attribuit. Hinc inter Deum, & Sanctos acris concertatio, qua mutuò ſibi ipſis opera referunt. Vtrumque videas in Apocalypſi, vbi Ioannes cœlitùs eleuatus cœleſtem Ieroſolymam, eiuſque præclaros ciues inſpexit: *Vidi turbam magnam &c.* Et paulò infra de Beatis ſermonem inſtituens ſubiungit: *Amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Apocalyp. cap.7.verſ.9. Quod ſplenuida veſte ſuperni ciues induantur, benè eſt: at cur ipſi palmas in manibus deferunt? Si Deus eſt, qui vires, & auxilia Sanctis præſtitit ad expugnandos, & vincendos inimicos: cur Sanctorum palmas collocat in manibus? Qui opem, robur, & arma miniſtrat, ipſe eſt victor, ipſeque victoriæ ſigna debet portare. Congruentior videtur modus loquendi Diu.Pauli, cum de victorijs, quas Chriſtus de inferno reportauit agẽs, ait, ſecum veluti exuuias deferre captiuos, qui ibi detenti erant, ſibique triumphum arrogauit. *Traduxit illos confidentèr palam triumphans illos in ſemetipſo,* ad Coloſſenſ. 2. verſ. 15. Fecit illos triumphatores, ſed in ſemetipſo, non in illis, quia cum illis vires præſtiterit, eius erat victoria, non illorum. Quomodò ergo in cœleſti patria palmis, quæ ſigna victoriæ ſunt, apparent exornati. *Et palmæ in manibus eorum.* Quia in cœlis coronat Chriſtus non tam iuſtorum obſequia, quam ſua auxilia; illi laborem poſuerunt, ipſe cœlum aperuit, ipſe vires præſtitit, & victores fecit, ſed inſtis victoriam tribuit. Paulus verò iuſtorum nomine Chriſto omnem victoriam vult deferendam. Id ipſum reperies in eadem Apocalyp.cap.4. verſ.10. Vbi de viginti illis quatuor ſenioribus, qui adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum, dicitur: *Et mittebant coronas ſuas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noſter accipere gratiam, ac honorem, & virtutem.* Ad quæ verba D. Gregorius lib. 22.Moral.cap.10.congruentèr exſcribit: *Coronas ante thronum Dei mittere, eſt certaminum ſuorum victorias non ſibi tribuere, ſed Authori, vt ad illud referant victoriam laudis, à quo ſe ſciebant accepiſſe vires certaminis.* Ecce Sancti coronas, victorias, & præclara opera ſua Deo attribuentes, quaſi ipſi nihil egerint. At quomodò verùm erit id, quod ait Caius Papa tom. 1. concilior. in epiſtola decretali ad Felicem Epiſcopum de iſto euentu loquens: *Acceperunt iuſti, non dederunt coronas,* quibus verbis Chriſtus viriliter dimicantibus coronas dediſſe, dicitur, quia ipſe eas habet, ac propriè in eis vincit? Vtrunque verum. Chriſtus (Apocal. 19. verſ. 12.) multa habere diademata dicitur: & apud Zachariam cap.6. verſ. 11. plures coronæ in capite Sacerdotis ponuntur: plures ergo habet coronas, vt pluribus eas largiatur; at cum eas tribuit, à Sanctis accepiſſe dicitur: *Mittebant coronas ſuas ante thronum.* Efficit vt Sancti victorias reportent, & ab illis dicit illas reportari.

2. Animaduerſione dignum eſt, quam prolixiùs narret Chriſtus Dominus iuſtorum benefacta in iudicio remuneranda, & in ſingulis immoretur. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me, in carcere eram, & veniſtis ad me.* Matth 25. verſ.34.35.& 36. Orig. (tract. 34. in Matth.) rectè expendit, quam longiùs iuſtorum benefacta proſequatur Chriſtus Dominus: cum tamen reproborum flagitia curſim, & breuiſſimè attingat, & diſcriminis rationem ſubiungit: *Quoniam miſericordia Iudicis erat, benefacta quidem hominum largiùs prædicare, & ampliare, malefacta autem eorum tranſitoriè memorari, & breuiare.* Sed quod difficultatem non paruam ingerit, iuſtorum reſponſio eſt: *Domine, quandò te vidimus eſurientem, & pauimus: ſitientem, & dedimus tibi potum? Quandò autem te vidimus hoſpitem, & colligimus te: aut nudum, & coo-*

perui-

peruimus te? Aut quandò te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Ibid. verſ. 37. 38. & 39. Fortè verbis Domini diſcredebant, quod ignorare manifeſtant id, quod Chriſtus in eorum geſtis laudabat? Abſit. Cur ergò negant ſe feciſſe id, quod Chriſtus ab ipſis factum eſſe affirmat? Rectè Gloſſa. *Quia parum videtur illis omne bonum, quod fecerunt, vnde dicitur* ad Rom. 8. verſ. 18. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, &c.* Non diffidebant de Chriſti verbis, neque ſua opera ab eorum memoria exciderant; ſed propterea laude ſe indignos profitentur, volentes, vt omnis Chriſto tribuatur, qui robur dedit, & auxilium: ipſe verò Chriſtus auxiliorum, quæ ſuppeditauit ad benè operandum, nec meminit, vt omnimodè benè facta Sanctis tribuerentur.

3. Mulieri, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, & à fimbria Chriſti Domini, quam tetigerat, ſalutem fuit aucupata, dixit ille. *Fides tua te ſaluam fecit.* Marc. 6. verſ. 34. Quibus verbis ſalutem mulieris ipſius confidentiæ, ac deuotioni attribuit; cum potiùs ad ſuam virtutem eſſet ferenda, quę miraculum patrauit. Idcircò (Luc. 8. verſ. 46. dixit, ſenſiſſe virtutem de ſe procedentem, & cap. 6. verſ. 18. dicitur: *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Si ergò ſalutifera ipſius virtus valetudinem conferebat, & ęgram ſanguinis fluxu mulierem ad ſanitatem reſtituit: cur non ſuæ virtuti, ſed fidei recipientis ſalutem attribuit? Audi D. Chryſoſt. hom. 6. in Marc. *Videte humilitatem: ipſe ſanat, & illi refert, quod ſanauit: Fides tua te ſaluam fecit, fides tua te ſanauit.* Illa tangit Chriſtum, vt ſalus eius virtuti tribuatur, à qua ſanè proueniebat. Chriſtus ad mulieris fidem ſanitatem refert, vt eius merita eam videantur comparaſſe, vterque pio duello, Chriſtus, & mulier inter ſe concertant, & mutuò ſibi ipſis miraculum attribuunt.

5. Anxiebantur duo illi Pharaonis eunuchi in carcere detenti, timentes ne ſomnia ſua ſigna eſſent maioris mali ipſis futuri: quia incarcerari communitèr formidant, peius eis euenturum, & quoniam ibi incluſi non poterant ad augures, & maleficos recurrere, qui per artem magicam talia ſomnia exponebant: ingrediens ad eos Ioſeph, cum triſtes intueretur propter interpretum defectum, dixit illi: *Nunquid non eſt Dei interpretatio? Referte mihi, quid videritis*, Gen. 9. verſ. 8. Circa quæ verba D. Chryſoſt. addit: *Non de me promitto vobis aliquid me dicturum; Deus eſt, qui reuelat: narrate igitur mihi. Vide intelligentiam, & humilitatis excellentiam, non dixit: ego vobis dico ſomniorum euentus; ſed quid? Deus non eſt ſolus, qui ſomnia reuelat?* Sic Sancti, quę benè operantur, ad Deum referunt, cum quibus Deus pio, ac miſericordi duello contendit, illis egregia ſui facinora adſcribens. Mirùm eſt, quanta manus Moyſis virtute virgę ediderit mirabilia, vt enim illa patraret, præcepto Dei virga ſemper vtebatur. *Eleua virgam tuam, & extende manum tuam*, Exod. 14. verſ. 16. vbi Caietanus, pium erga Moyſem Dei affectum agoſcit, & illius laudis generoſum ambitum. *Poterat Deus conferre Moyſi, vt ſine virga faceret miracula; ſed maluit vt mediante virga illa faceret, ad hoc vt ſenſibiliter cognoſcerent homines, quod ipſe Moyſes faciebat miracula, quandoquidèm eleuata, ſeu applicata virga per manum Moyſis, ſtatim ſequebantur miracula.* Sic Deus generoſam iuſtorum indolem rependit, vt quę ſolus ipſe facit, & ſolus efficere valet, ipſis attribuat, vt talionem reddat Sanctis, qui omnia, quę operantur, in Dei laudem refundunt. Hac mente præditus noſter Vates non ſibi arrogat victorias ab inimicis reportatas, ſed Deo attribuit. *Et ſuper excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem.* Hic verſ. 19. Sic notauit ibi Hieronymus. *Nullam niſi Chriſti habeo virtutem in illo quippè virtutem facere confido, & ſicut cerui ſpinoſa tranſiliunt, ita ego pericula delictorum Domini virtute tranſcendo.*

DISCVRSVS VIII. MORALIS.

Res ſummi doloris eſt, æquales fœliciores contueri.

1. REctè dixit Tacitus lib. 2. hiſtor *Inſita mortalibus natura recentem aliorum fælicitatem ægris oculis introſpicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere, quam in æquo videre.* Nemo eſt, qui iniquè non ferat fortunæ priuilegia, & in paritate meritorum imparem fœlicitatem: licet enim teneant nullam aliena infœlicitate felicem fieri, vt dixit Seneca epiſt. 94. *Non eſt, quod credas, quemquam fieri aliena infœlicitate felicem.* Alterius felicitate infelicitari, qui illius ſe vidit expertem, non eſt dubium. Vndè Ægyptij (vt tradit Pierius lib. 22. cap. 22) patrem æquali lance filios munerantem in hirundine ſignificabant: quia hæc pręreliquis auibus natos ęquat in cibo, ne vnus alteri inuideat, & dolorem excitet, quos pares natura fecit, inęqualiter fouens. *Hirundo mira filios alit æquitate, ſingulis cibus parem impertiens, ea adhibita diligentia, ne qui ſemel accepit, bis accipiat, atque ita, vt par ſit omnibus ſportula, procurat.* Eſt enim ſumma infelicitas, parem in meritis feliciorem in pręmio contueri, & pro æquali labore imparem recipere mercedem.

2. Num. 14. murmurauerat populus ad-

uerſus Moyſem, & Aaronem, exterritus à decem ducibus exploratoribus parant ducem conſtituere, vt remigrarent in Ægyptum: tunc autem Ioſue, & Caleb viri ſtrenui ità ſe populi peruicacię oppoſuere, vt ab illo lapidarentur, niſi in tabernaculo, ad quod confugerant, à Deo protegerentur. Iraſcitur Deus, populum vult penitùs delere, à quo Moyſis deprecatione deſiſtit, ea tamen conditione, quod nullus promiſſam terram ingrediatur præter Caleb, & Ioſue, quorum primum laudibus ſummis ſic extollit. *Seruum meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu ſequutus eſt me, inducam in terram hanc. & ſemen eius poſſidebit eam.* At percontari libet: Si Ioſue pro Dei honore populo ſe etiam viriliter oppoſuit, non minùs quàm Caleb; cur Deus in laudibus Caleb ſe diffundit, de Ioſue verò nec minimum facit verbum, pręter quam de ingreſſu eius in promiſſam terram? Si ęqualis fuit merito, cur in laudibus eſt inęqualis? Egregiè Oleaſter ad hunc locum: *Non meminit Ioſue, ſed ſolius Caleb, quia eum ducem populi futurum decreuerat.* Erat vterque ęqualis meriti, ac virtutis: Ioſue verò ducem populi conſtituerat Deus, vt illum ductaret in terram promiſſam: aptiſſimè ergo Caleb, qui à principatu excludebatur, laudibus honoratur, & extollitur, ne triſtetur ęqualem feliciorem eſſe videns. Dignitatem, quam denegat Caleb, laudibus rependit, vt quodammodò ęquales in remuneratione euadant, ne bene meritus Caleb dolore tabeſcat, ęqualem aſpiciens ad faſtigium eleuatum: quia inferiorem ſe in pręmio pari in merito intueri ſumma infelicitas eſt.

3 Pro conſeruanda prole, & generis ſucceſſione hęc extat lex Deuter. 25. *Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubat alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Iſrael.* D.Chryſoſt.homil.49.in Matth. exiſtimat, hanc legem in fratris mortui ſolamen à Deo conditore fuiſſe excogitatam, vt cum aliqua conſolatione diſcederet. *Intolerabilis* (inquit) *eſſet luctus, & inextinguibilis defuncto, quandò ſine liberis ſecedere videbat, cum liberi tantùm maxima mortis conſolatio ſint.* Quaſi liberi à fratre geniti ſolatium eſſent defuncti, quandoquidem eius nomen in ipſis conſeruari pręcipitur. Sed Tertull.in monolo. c.7. hanc legem non fauorabilem, ſed pœnalem eſſe autumat: quęritque, cur non extraneus, ſed frater deberet eſſe, qui fratris mortui ſemen ſuſcitaret, vxorem ducens, quę defuncti fuit vxor: ſibique venuſtè reſpondet? *Maledicti iudicantur, qui non naturæ reatu, ſed mortis præuentu orbi deceſſiſſent: ideò illis ex ſuo genere vicaria, & quaſi poſthuma proles ſupparabatur.* Quaſi dicat: Si mori abſque liberis erat maledictio, & infortunium, ſicut illos habere ſumma felicitas, & benedictio, ex vxore fratris defuncti relicta frater illos habeat, vt magis maledictio ingraueſcat, dum pares natura, impares in felicitate apparent: quia grauior maledictio, & vltima miſeria eſt, ęqualem videre feliciorem.

4 Matth. 9. verſ.9. Publicani ab Hebręis dicebantur, qui publica pro Principe colligebant vectigalia, auarum hominum genus, & omni odioſum populo; cum Iudæi non ſuæ gentis Regi, ſed Romano Imperatori tributa pendere cogerentur. Vndè illa orta eſt quæſtio, an liceret tributum Cæſari dare, Marc.12.v.14. Publicanos autem pro publicis, & perditis peccatoribus habitos fuiſſe, conſtat Matth. 19. verſ. 9. & ſæpè alibi. Fuit ergo Matthæus aliquando publicanus, & in telonio ſedebat, ſed ex publicano Apoſtolum, & Euangeliſtam Dei gratia fecit: ſic enim narrat ipſe cap.9. *Et cum tranſiſſet inde IESVS, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine &c.* Quod quidem repetentes Marcus cap.2.verſ.14.& Luc.cap5.verſ.27.ipſum Matthæum *Leui* appellant: apparet autem honorificentius fuiſſe cognomen *Leui*, quam nomen Matthæi: nunquam tamen ſe Leui, ſed ſemper Matthæum modeſtiæ, & humilitatis cauſa appellauit, vt obſeruauit D.Hieronym. ipſe autem Matthæus ſuſcitationem filię Princi, is Synagogæ narrans cap.9.verſ.19.inquit. *Et ſurgens IESVS ſequebatur eum, & diſcipuli eius:* Marcus verò cap.5.verſ.37.eundem euentum referens ait: *Non admiſit quemquam ſecum, niſi Petrum, Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi.* Idem habet Lucas. Iam ergò quæres; cur ſi cæteri Euangeliſtæ tres nominatim fuiſſe electos aduertunt ad videndum illud miraculum, id tacet Matthæus? Cur qui in alijs euentibus narrandis prolixior fuit reliquis Euangeliſtis, modò omittit referre, quod alij exprimunt? Auſculta D.Chryſoſt.in caten. *Marcus quidem, & Lucas dicunt, quoniam tres accepit diſcipulos, ſcilicèt Petrum Iacobum, & Iohannem; Matthæum autem non aſſumpſit, ampliorem eius concupiſcentiam ita mittens, & quia imperfectiùs adhuc diſpoſitus erat: propter hoc enim illos honorat, vt alij ſimiles illis efficiantur.* Qui adeò humilis, & modeſtus erat, vt non ſe Leui, ſed Matthæum ſemper compellauerit, honorem, & excellentiam refugiens, cum alios æquales, & condiſcipulos aſſumptos vidit, & priuilegiatos ad inſpiciendum miraculum, tacet, & non illos, ſicut cęteri Euangeliſtæ, nominat, ne ſibi affricet dolorem? Quia maximus eſt, æquales ad feliciorem ſtatum eleuari, & ita acerbiùs, vt modeſtiſſimus, & humillimus Euangeliſta illum vincere non audeat, & recuſet ſibi illum infigere.

5. Poſt glorioſum à funere triumphum apparuit Chriſtus Dominus diſcipulis ſuis, ab-

ſente

Digitized by Google

ſonte Thoma, ipſiſque plagas oſtendit, & myſteria cœleſtia reuelauit. Adeſt poſteà Thomas, cui referunt vidiſſe Magiſtrum: at ille eorum dictis diſcredens: *Niſi videro*, inquit, *fixuram clauorum, non credam*, Ioan. 20. verſ. 25. Et cur Thomas diſcipulorum teſtimonio fidem non adhibet, quos in veritate probatos habebat? Cur apparuiſſe Magiſtrum non ſibi perſuadet, cum euidentia in atteſtantibus? Auſculta Ioann. *Thomas autem cum audiſset, à condiſcipulis ſuis, etc.* vbi pulchrè Gualfrid. in lib. Allegor. *Ex quanta credimus æmulatione illam prorupit in vocem: Niſi videro, non credam.* Fauorem ſuis condiſcipulis exhibitum negat Thomas, ne æqualibus maiorem felicitatem fateatur. Mauult incredulus videri, & pertinax, quam in fortuna inferior, ne ſuper inæqualitate fauoris ſibi dolorem excitet indè prouenientem, quia fortunæ inæqualitas maximè torquet candidatos. Hinc ficu fructibus viduato, & vinea, & oliua, & arua ſterileſcunt in noſtro Vate, quia natura pares, par eſt, vt fortuna pares faciat. *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis. Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum*. Hic verſ. 17.

DISCVRSVS IX. MORALIS.

Qui cadendi occaſionem non aufugit, & ſi non cadat, cecidiſſe videtur.

1. RES periculoſa eſt inimici conſortium. Occaſio proxima ſic crimina ſuggerit, vt pro crimine habeatur. Vndè dicebat Bern. lib. 4. ad Eugenium. *Nec tuta tibi tua bonitas obſeſſa malis, quam ſanitas vicino ſerpente.* Serpit enim in proximos occaſionis virus, & ignem non refugiens, quamuis illæſus euadat, creditur exuſtus. Reus facti reputatur, qui à periculo faciendi non abſtinet. Inter alios, quos Virgilius apud inferos depinxit, illi ſunt, qui ad mortem fuerunt damnati ob falſum teſtimonium illis impoſitum.

Hos iuſta falſo damnati crimine mortis.

Æneid. 6. Mirùm quod inter damnatos numeret illos, qui propter falſam impoſturam condemnati ſunt, & quod boni cum eſſent, tanquam mali puniantur; cum potiùs qui falſum impoſuere teſtimonium, ibi deberent cruciari. Qui innocentes ſunt, cur propter falſa crimina ibi detruduntur? At præclarè Poeta hos apud inferos vidiſſe ait: quia tametſi boni eſſent, cum occaſionem præbuiſſent vt pro malis haberentur, bonorum merita amiſerunt qui enim periculum non vitat, qui peccator poteſt iudicari, peccati non eſt expers, & occaſioni proximus dignus eſt, vt apud inferos torqueatur. Ob ſuſpicionem adulterij nobiliſſimam vxorem Pompeiam repudiauit Cæſar, & cum adulterium probare non poſſet, quærentibus cauſam repudij reſpondit apud Plutarchum in eius vita. *Domum meam volo, & ſuſpicione carere*. Ne malus reputetur Chriſtianus, pericula quæque declinare debet, quia nulla maior eſt impudentia, quam bonum eſſe, ita viuere, vt ipſe ſibi falſa imponat teſtimonia: qui enim eorum motiua non amputat, ſibi imponit, & occaſioni proximus reus reputatur. Cum Moyſe in monte cum Deo moram faciente, legiſque tabulas illius digito ſcriptas recipiente, Aaron vitulum populo adorandum proponeret, admonitus à Deo Moyſes de populi idololatria, ſtatim de monte deſcendens, cum caſtris appropinquaret. *Vidit vitulum, & choros: iratuſque valdè proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis*. Exod. 32. verſ. 19. Mirabilè eſt, quod vir mitiſſimus, & qui modò in monte Dei colloquio profundam ſufferendi ebiberat diſciplinam, ad tantam ſeſe excitauerit iram, vt Dei tabulas, quas vix acceperat, & reuerentèr tractare debebat, confringat, laceraſque ad radicem montis ſpargat. Præſtaret eas incolumes ſeruare, vt ipſarum monitis populum repararet illapſum. Cur ad populi contra Dei tumultuantis conſpectum legis tabulas confregit? Optimè Philo Iudæu lib. de temulentia: *Omnis, qui caſtris propinquat, vitulum videt, & choreas, & mox ipſe quoque commonetur: in typum enim, eiuſque ſpectatores incidimus, quotquot propè corporea caſtra volumus gradum ſiſtere*. Quaſi dicat: Qui propè peccantes moratur, neceſsè eſt, vt tabulas legis Dei frangat propinquitas enim ad idolatriam populi Moyſem impulit, vt tabulas legis laccraret: quia vicina ex aduerſo peccandi occaſio ſic hominum corda inclinat ad flagitium, vt idem ſit in periculo eſſe frangendi legem, ac eam fregiſſe: crimina inſpicere ac ea perpetraſſe. Vndè loquens Chriſtus Dominus cum diſcipulis ſuis de futuro Antichriſto Matth. 24. verſ. 26. dicebat: *Si dixerint vobis, ecce in deſerto, nolite exire*. Cur non conſulit, vt exeant, ac ipſi diſcredant? Nonnè hoc maioris virtutis, conſtantiæ, atque fortitudinis erat argumentum? Quia profectò ſi exeant, ac propè accedant, decipientur: propè fraudem, & ſigna ab Antichriſto patranda exiſtere, decipi eſt, Noluit ergo ſuos huic periculo exponi, quia certò ſciebat caſuros, ſi proximi eſſent caſui: nec ſolùm cadendi occaſionem præſcindere ſatagit, ſed illius memoriam penitùs abolere, ne eius recordatio fomes ſit ad peccatum.

2. Oſeas 2. verſ. 15. Omnem populi idololatriam extirpare intendens, dicebat: *In die illa vocabit me vir meus, & non vocabit vltra Iſrael.*

Iſrael. Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltra nominis eorum. Quorſum hæc profanorum numinum extirpatio, vt nomina etiam eorum obliterentur? Sufficeret idola conterere, & ſimulacra abdicare. Ad quid eorum nomina delentur? Fortè nomen adorationis eſt capax, aut vir, quem adamauit, quod vtrumque Iſrael penitùs aboleri conſpexit (Rectè Hieron. cauſam indigitat: *Ne dum aliud loquitur, alteriùs recordetur, & virum nominans idolum cogitet.* Deo iam ſacri, & ad meliorem frugem redacti omnia veteris vitæ monimenta debent delere ita, vt nec veſtigium, neque nomen præteriri remaneat: ne leuis ſcintillula ignis iam extincti occaſio ſit ad conflagrandum, nec recordari libet eorum, quæ ſemel offendicula fuere. Vndè ſacrificaturus in Bethel ſanctus Iacob, vt antiquæ ſuperſtitionis obliteraret veſtigia, ſimulacra, & eorum ornamenta ab omnium oculis ſubtrahere curauit, Geneſ. 35. verſ. 4. *Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum, ac ille infodit ea ſubter terebinthum.* Cur idola, eorumque xenia, vt planè populus ab idololatria mundaretur, ſub terra abſcondit? D. Ambroſius in Exod. *Vt nullus audiret ſuperſtitionem Gentilium.* Non ſolùm idololatriam, ſed, & periculum, quod in auditu, & viſu ſimulacrorum erat, prudentèr vitate ſatagit, quia probè ſciebat Iacob, cum quanto diſcrimine antiqui lapſus memorentur notæ. Zelo inardeſcens ſolicitè procurat pericula idololatriæ impoſſibilia reddere, recondens ſimulacra, vt nequeant ad idolatriam redire, Dei doctrina eruditus, qui vſque adeò timet ſuos in periculo conſtitui, vt miracula patret, quibus occaſiones præſcindat.

3. Grauis inter Expoſitores verſatur difficultas circà contritionem aurei vituli, vt ſcelus idolatriæ à populo auferretur, quam refert textus ſacer Exod. 32. verſ. 20. *Arripienſque vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem.* Nam aureus vitulus, qualis ille erat, comburi nequibat, quandoquidèm aurum in ingne non comburitur, ſed liquefit, & expurgatur. Abulenſis, quem ferè omnes ſequuntur, exiſtimat, Deum miraculosè vitulum aureum in igne combuſiſſe, ita vt non liquefieret, ſed in cinerem conuerteretur, & puluerem. Verùm exindè non minor inſurgit difficultas: nam miracula ſiuè neceſſitate, & graui vrgente motiuo non ſunt patranda. Quid igitur Deum adegit, vt miraculosè vitulum aureum inpuluerem redigeret? Sufficeret enim, vt populus non vltra ipſum adoraret, malleo conterere, aut fuſorio opere illum conflare, & in aliam tranſmutare formam. At hic energia imminentis periculi latet: non enim ſat videbatur, vt populus ab impio cultu abſtineret, vitulum deformare, lacerum, & confractum oſtendere: nam in illius particulis adhuc erat periculum relabendi: eas aſpicientes Hebræi facilè impellerentur ad cultum. Vt igitur omnis reincidendi præſcinderetur occaſio ſedulò procurabat Moyſes impoſſibilem reddere occaſionem: ad idque adiutricem habuit omnipotentiam diuinam, quæ miraculum efficere non recuſauit, aurum in cineres medio igne redigens, quatenùs impoſſibilem redderet populi relapſum. Tanta enim ineſt vis occaſionibus, vt niſi Deus miraculosè accurat, impoſſibile appareat ab eis emergere. Quod agnoſcens Propheta veloces pedes, quales habent cerui, habere lætatur, quibus occaſiones, & pericula fugiat. *Et ponet pedes meos, quaſi ceruorum.* Hic v.19. *Quia* vt inquit Plin. lib.8.c.33. *Cerui mira ſolertia pericula vitant, & cũ ea approximare ſentiunt quantum pedibus cõtendere valent fugiunt: Vbi ſe præpigues ſenſere, latebras quærunt, fatentes incommodum, pondus, & alia. Semper in fuga quieſcunt, ſtantes reſpiciunt cum propè ventum eſt, virtus fugæ, præſidia repetentes.*

DISCVRSVS X. MORALIS.

Sic cadendi occaſionem pertimiſcere debemus, vt, & impoſſibilem caueamus.

1. IN periculo nemo tutus reputatur: neque cadere formidat, qui offendicula non timet. Qui non ſe ab occaſionibus labendi ſubducit, præcipitijs adulatur. Natura noſtra prona eſt ad malum, neque impulſu indiget, vt ruat, quare ab occaſione cadendi ſtudiosè fugiendum eſt. In hac pugna inter carnem, & ſpiritum non decertando, ſed fugiendo victoria reportatur: nam qui de ſe confidit, ſæpè labitur. Nullum inimicum, etſi imbecillis ſit, paruipendere expedit, quamnis nocere non poſſe videatur: nam quod proprio robore non obtinet, noſtra confidentia aſſequetur. Leuis contempta occaſio potentiorem exarmat. Nihil eſt, quod non ſit cauendum, & non ſolùm à periculo eſt declinandum, ſed ab occaſione remotiſſima, imò impoſſibili fugiendum. Neque hæc cautela hyperbolica videatur, nam quæ olim fuit occaſio peccandi, etſi iam non ſit, illius recordatio maximè lædit: ideòque ab illa recedendum eſt, ne cogitatione vincar, quem realitate non valet.

2. Chriſti miraculis deuictus quidam adoleſcens eum ſequi, & ſectatorem eius doctrinę eſſe pollicetur, quem cum Magiſter inter ſuos annumeraſſet, & ille poſteà deprecaretur, vt ſibi liceret patrem ſuum ſepelire, ægrè auditur, & quod mortuos derelinquat mortuos ſepelire præcipitur. *Domine, permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum. Dixit ei*

IESVS:

IESVS: *Sine, vt mortui ſepeliant mortuos ſuos.* Lucæ 9. verſ. 60. Quæ quidem reſponſio, niſi Euangeliſtæ teſtimonio fulciretur, Saluatore videbatur indigna, & extra omnem ſpem: nam cum ex vna parte ipſe Dominus inter miſericordiæ opera mortuos ſepelire, & eorum cadauera humare memoraſſet: & ex alia naturali debito parentum filij ſint deuincti obſequio: & non credibile apparebat, quod Chriſtus Dominus adoleſcentis orationem repelleret, & illi opus, & ab ipſo, & à natura præceptum prohibuiſſet: maximè cum, & ipſe Dominus in huiuſmodi opus ſic gratum ſe oſtenderit, vt Magdalenam magnopere extulerit, & immortali fama remuneraret, quia eius corpus præuenit vngere ad ſepulcrũ. Cur igitur modò cum adoleſcentem præparatum vidit, vt præceptũ charitatis in patrem adimpleat eũ à tali reuocat propoſito, & patrem ſepelire nõ ſinit? Chryſol. ſer. 19. difficultatẽ attigit, & Chriſti nomine ad obiecta reſpõdit. *Filius fidei ad domum perfidiæ redire non debuit*. Quaſi diceret: Qui ſemel à perfidia, & gentilitate ad fidem Chriſti tranſiuit, ad domum in qua fuit educatus, & Ethnicis erroribus eruditus, redire, non expedit, ne relapſus ad priſtinam cæcitatem trahatur, & patrem videre, à quo fuit edoctus, occaſio ſit reincidendi. At hæc ratio non ſatisfacit: nam quam occaſionem Chriſtus veretur, vt ab ea adoleſcentem auertere procuret? Pater enim, quem cauet, & qui filium in priſtinis erroribus poterat inſtruere, mortuus ſupponitur. Cur igitur cautioni inutili filio patrem humare inhibet? Sanè vt eius ſaluti conſulat, & nos erudiat: licet enim de morte patris conſtaret, & per conſequens periculum relabendi abeſſet: tamen domum redire prohibet, vt ab occaſione reincidendi etiam impoſſibili adoleſcentem auertat: ne dum paternum cadauer contrectat, & aſpicit, primi cultus recorderur, & ab illius memoria vincatur. Propter quod *filius fidei ad domum perfidiæ redire non debuit*. Et vt nos cautè viuamus, & periculum non modò imminens, ſed impoſſibilè declinemus. Audito nuntio, qui tragicam fortunam his verbis nunciabat Iob. 1. verſ. 19. *Filijs tuis, & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris, ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit è regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt*, cap. 1. Magna tolerantia ſuſtinuit, & de ſalute ſpirituali filiorum ſollicitus (ait D. Chriſoſt.) ruinam domus adit, vt filiorum corpora exumaret: *Circumfodit, & quæſiuit liberorum membra*. Mira pietas in liberos inter tot ſtrages, & ruinas cadauera diligentèr inquirere. Et ad quid vir ſanctiſſimus tam ſollicitè filiorum oſſa detegere procurat? Fortè vt exequias funerales, preces & ſacrificia ſuper ea fundat. At non ita, ait Chriſoſtomus, ſed vt membra fœminea lacerata à maſculinis diſcernat, ne miſta permaneant. *Diſcernit liberorum membra, cauens ne fortè maſculinis membris fœminea coniungat*. Magno ſtudio, ac diligenti cura membra confracta minutim examinat, & diſtinguit virorum, ac fœminarum vt ea in tumulo ſeorſim collocet: quaſi periculum commiſtionis vtriuſque ſexus eſſet veritus. At huiuſmodi cautela ſuperflua videtur: quia contactus frigidorum cadauerum nullam libidinis ſcintillulam excitare valet. Quid igitur, quod permiſta remaneant, cum leuis affectus, & gelidus attactus nullum periculum minetur, & occaſio, quam cauet, funere impoſſibilis reddatur? Tamen etſi hæc ita ſint, ſolertia tãto viro digna in hoc facto apparet: nam quamuis morte periculum præſcindatur, & cadaueribus immiſtis nullus fomes peccari remaneat: adhuc fœminea membra à maſculinis diſiungit, & cauet, ne in ſepulchro tangantur, vt ab occaſione etiam impoſſibili declinet, & periculum non futurum effugiat. *Diſcernit liberorum membra, cauens, ne fortè maſculinis membris fœminea coniungat*. Sic ſemper benè morati viri commercium Maris, & fœminæ ſuſpectum habuere, vt magno interuallo illud effugiant, & etiam cum tuti conſiſtunt, ſe non tutos vereantur. Sic cadendi periculum formidabile eſt, vt etiam cum abeſt, metum incutiat, & cautelam armet: quare quæ ſemel fuit periclitandi occaſio, ſemper debet eſſe ſuſpecta, etſi aliàs impoſſibilis reddatur, eamque aufugere prodeſt, nè laceſſere videamur.

3. Fugiens Herodis iras exulabat Ioſeph cum puerulo IESV in Ægypto: Herode verò iam vita functo, Angelus admonuit Ioſeph, vt in patrium ſolùm rediret. *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Ægypto dicens: Surge, & accipe puerum, & Matrem eius, & vade in terram Iſrael: defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri*. Matth. 2. verſ. 19. Qui cum iter faceret, vt Angeli monitis obtemperaret, audiens, quod Archelaus Herodis filius pro eo regnaret, in Iudæam iter contorquet, & ad Galileam pergit, timens, quod patris iras hæreditauerit. *Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Iudea pro Herode patre ſuo, timuit illo ire*. Ibid. At quid timet Ioſeph, cum ab Angelo acceperit præceptum, vt ad Iſrael remigraret? Qui ei exitum ab Ægypto, & ingreſſum in Iudæam conſulit, de ſua indemnitate non erit ſollicitus? Fortè dubitat de Angeli veritate, & ſe deceptum credit? Auguſtinus de controuerſia Euangeliſtarum difficultatem mouet, & dum variè eam diſcurrit, tandem concludit: *Vade in terram Iſrael: ſic intellectum primò à Ioſeph, vt putaret rectiùs eſſe pergere in Iudæam, ipſa enim primitùs intelligi potuit terra Iſrael. Poſtquam verò comperit ibi regnare Archelaum, noluit obijcere ſe periculo*. Quæ ſententia parum tuta videtur: nam quo pacto Angelus Ioſepho ſecuritatẽ pollicetur,

ſi po-

ſi poſteà Ioſeph periculo ſe exponi formidabat? Ant enim Ioſeph de Angeli reuelatione dubitabat: aut mortis formidini non ſubiacebat: nam Dei reuelatio cuiu timnre de oppoſito ſtare non poteſt. Sed ſi Auguſtini mentem intimiùs penetremus, facilè percipitur, huiuſmodi periculum non ex parte rei, ſed ex ſancta Ioſeph ſagacitate oriri: Iſrael eniu locus erat Ioſepho ſuſpectus, vndè periculum euaſerat imminens, cum aufugit in Ægyptum igitur quamuis munitus Dei auxilio, & prnmiſſione reditus in terram illam ſecurus ſit, & à ſuſpicione aliens; tamen vir ſanctus Iudęam adire recuſat, quaſi adhuc ſibi non tuta eſſet: licet enim periculum Dei reuelatione redderetur impoſſibile. *Noluit abÿcere ſe periculo* etiam impoſſibili, & à loco ſibi aliquaudo periculoſo ſe ſubducit, atque ab occaſione olim imminente recedit, ne eam quærere videatur.

4. Populus in vaſta deſerti ſolitudine ambulans ducem habuit columnam nubis ad cuius motum mouebatur, & ſub cuius protectione, & vmbraculo ſecurus incedebat: cum autem Deus iter retorquere voluiſſet, dixit eis Num. 14. verſ. 25. *Cras mouete caſtra veſtra, & reuertimini in ſolitudinem per viam maris Rubri.* Abulenſis ad hunc locum quæſtionem excitat, cur Dominus hic populo retrocedere præceperit, cum ſemper ad motum columnæ mouerentur, & eam dirigere versùs Ægyptum ſat eſſet, vt illuc iter facerent, quin Dei præcepto indigerent: maximè cum vſque tunc nullam populi inobedientiam fuerit expertus, & nubem dirigentem læto animo ſit inſecutus. Si columna adhuc eos conducit, & eius veſtigijs libentèr adhærent; quare Deus illos alloquitur, & viam ſequenti die peragendam demonſtrat? Iudicioſè Abulenſis quæſt. 4. in num. dubitationi ſatisfacit. *Conſueuerant Iſraelitæ antè hoc procedere verſus terram Chanaam; nunc verò nubes egreſſura erat verſus mare Rubrum: & ideò admirarentur Iſraelitæ, & fortè non ſequerentur eam: vt ergo eam crederent motam Dei voluntate, Deus dixit, quod mouerent caſtra verſus mare Rubrum.* Ac ſi diceret. Ægyptus, ad quam modò pręcipit Deus populum ambulare, occaſio fuit ipſi exitialis, nam ibi miſeram ſeruitutem, & calamitatem fuerat expertus: & ſic ægrè ferebat populus ad occaſionem periculi redire vt ſi nubes tantùm eos dirigeret, ire recuſaret; ideòque verbo eos conducere fuit, neceſsè: nam etſi ducti columna nubis eos protegentis, & Dei vicariæ tuti viderentur, & à periculo immunes; tamen periculi occaſionem adhuc timent: & licèt ſub manu potenti periclitandi occaſio ſit impoſſibilis, adhuc nocumentum non futurum formidant, ab illiuſque approximatione recedunt, vt tutiùs ſuæ indemnitati conſulant.

DISCVRSVS XI. MORALIS.

Poſſe, & nolle vindictam ſumere potentiæ ac nobilitatis eſt Apax.

1. QVia ceruorum pedes ſe habere agnoſcit Propheta, ad cœlum ſcandere inoffenſo pede ſibi pollicetur. *Et ponet pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa mea deducet me victor,* Hic verſ. 19. Nam vt aduertit Hieronymus, ceruus quamuis cornua habeat ſublimia, quibus ſerpentes, cum quibus inimicitias gerit, vulneret, non eis vtitur, ſed odore ſuauiſſimo fugat. *Quia ipſe eſt ceruus, mihi quoque docuit, vt ceruus eſſem ſublimis cornibus, cibos ruminans, & ad odorem meum ſerpentes fugás, de quo dicitur in Pſalm. 17. Qui perfecit pedes meos tamquam ceruorum, & ſuper excelſa ponit me. Ponet ergo pedes meos inter cæteros ceruos ſuos, & ad cœleſtia perducet me, vt inter Angelos canam gloriam Domini.* Non armis vtitur ad debellandos hoſtes, ſed aut eos odore fugat, aut ab eis fugiens ad excelſa montium incolumis euadit. Sic, inquam, Chriſtianus, qui viribus pollet, vt vindictam de iniurijs ſibi irrogatis ſumat, & eam remittit, ad cœlum per viam regiam ſcandit: nam vt dixit Auguſt. tract. 47. In Ioan. *A potentia diſcimus patientiam.* Potentiæ inſigne eſt, poſſe, & nolle vindictam ſumere. Et tantùm ille Principis meretur laudem, qui iniurias liberaliter condonat. Vndè dixit Petrus Damian. ſerm. 44. *Poteſtati cedit in gloriam, iniurias vleiſci nolle, cum poſſit.* Huiuſmodi autem homines, qui ceruos imitantur, occaſionem vltionis fugientes, aquilæ generoſitatem æmulari videntur. Hęc enim (vt teſtatur Pierius) conuitiorum eſt contemptrix: vndè nonnulli aquilam ſtatu immobili inſidentem, nulla, pennarum aſperitate terribilem; aut hiatu roſtri minacem figurant, & iuxta eam cornicem ſubſtituunt, eo geſtu, vt, & laceſſere, & conuitia facere videatur: quo hyerogliphico conuitiorum contemptorem referre volunt: cornix enim ſolet aquilam laceſſere, & in certamen quodammodò prouocare; illa verò non plùs cornicis conuitia, & importunitatem facit, quam elephas culicem: quia regalis ac generoſi animi eſt ad iniurias ſilere: imò, & magis egregium fugere, vt ceruus cornibus ſublimis, qui ad parui canis latratum in montana excelſa conſcendit. Sic ille alter imperator, vt ſuam potentiam maximè commendaret, decreuit, quaſcunque iniurias ſibi illatas remittere, & offen-

offenſiones murmurantium ſubditorum condonare. Vt habetur lege vnica. Siquis Imperatori maledixerit. *Quoniam ſi id* (inquit) *ex leuitate proceſſerit, contemnendum eſt, ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum; ſi ab iniuria, remittendum.* Vincere enim inimicum, & iniurias iniurijs commutare indecorum eſt. Vt dicebat Seneca lib. 2. de ita cap. 23. *Non enim vt beneficijs honeſtum eſt, merita meritis repenſare: ità iniurias iniurijs. Illic vinci turpe eſt, hic vincere: Inhumanum verbum eſt, & quidem pro iuſto receptum vltio.* In quam quidem ſententiam latè ſe diffundit, & pulchrè cap. 32. eiuſdem libri. *Magni animi eſt iniurias deſpicere &c. Ille magnus, & nobilis eſt, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum ſecurus obaudit &c. Magna fera minutorum canum latratus deſpicit. Sic magnus vir hominum iniurias contemnit.* Et D. Chryſoſt. homil. 85. præclarum triumphum reputat quem patientia iniurias ſufferendo reportat. *Illa fulgentiſſima victoria eſt, qua inferentem patiendo ſuperamus.*

2. Cauens cum filio manus in prælio conſerere, fugam arripit Dauid lib. 2. Reg. 15. verſ. 14. ſic enim aiebat ad commilitones ſuos. *Surgite, fugiamus hinc: nec enim erit nobis effugium à facie Abſalon.* D. Chryſ. ſuper pſal. 3. expendens titulos quorundam pſalmorum, quorum vnus eſt *Pſalmus, cum fugeret à facie Saul*, & alter *Cum fugeret à facie Abſalon*; mitatus inquit: *Nemo autem fugientem eiuſque, qui bellum non geſſit, deſcripſit imaginem, vt nunc Dauid. Et quandò laude dignus habitus eſt, qui fugit?* Cur ergò Rex benè fortunatus, numeroſa manu cinctus, qui ſecum duces habebat fortiſſimos, non ſe Abſaloni perfidæ rebellionis authori ex aduerſo opponit, cum facillimè debellare poſſet tyronem; ſed fugam æternare vult, cum cæteri duces trophæa ſuis ſ[illegible]ctis erigant, & ægrè ferant, veluti indecoram eorum fugam à memoria non excidere? Audi Chryſoſt. vbi ſupra. *Fugiebat Dauid, non vt qui timeret, ſed vt qui filium caueret occidi.* Poſſe namque & nolle vindictam ſumere, regium ſanè eſt: nec probrum, ſed gloria debet reputari fuga in eo, qui iniuria proſequi valet: nam à charitate erga proximos vinci egregia laus eſt. Vndè D. Ambroſius ſuper pſ. 37. elegantèr de eadem fuga locutus dicebat: *Patriæ finibus pulſus à filio fugiebat, hoſtem quem optabat heredem, metuebat vincere, ne pietatis diſpendio vinceretur.* Eodem animo, perſæpè Dauid fugiebat Saulem, quem abſque periculo potuit occidere, quia inimicis parcere regiæ dignitatis elogium eſt. Videat hoſtis armatam manum, & potentem ipſum profligare, quod in maieſtatis authoritatem redundat: at non videat inflictum vulnus, quod maximè ipſam deuenuſtat.

3. Id præcipuè intendebat Chriſtus Dominus (Lucæ 22. verſ. 36.) vbi diſcipulis ſuggerebat, vt tunica vendita gladios emerent. *Qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Diu. Ambroſius lib. 10. in Luc. ſic Dominum ſciſcitatur. *O Domine cur emere me iubes gladium, quo ferire me prohibes? Cur habere præcipis, quem vetas promi? Niſi fortè vt ſit parata defenſio, non vltio neceſſaria, & videant potuiſſe vindicare, ſed noluiſſe.* Succinit Hugo Cardinalis. *Factum eſt id, vt apparet non defuiſſe eis facultatem defenſionis, ſed patientiam prætuliſſe.* Vndè id, quod præcepit, paſſionis tempore Petrum exercere compulit, præcipiens, vt gladium mitteret in vaginam Ioan. 18. *Mitte gladium tuum in vaginam* Fruſtra gladium emere, & illum ſecum portare iubet, qui cũ inſtar iuſta defenſio, illum retrahere cogit. At hæc Chriſti erat æconomia: abſit gladius, ſed in vagina ſit: appareat, quod vindictam ſumere committimus, non propter armorum, & potentiæ defectum, ſed ob patientiam chriſtianam, quæ vltioni præponenda eſt: hoc enim glorioſum, & regium fidelium ſtemma eſt. Idipſum perſuadet, quod Chriſtus Dominus, poſtquam Petrum reprehendit, eo quod auriculam amputauit ſerui Principis ſacerdotum, qui cum alijs ſatellitibus ad comprehendendũ ipſũ venerat dixit Petro: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum.* Matth. 26. verſ. 23. Aduerbium *modò*, quod magnam energiam continet (vt adnotauit hic Caietanus) in Græco iungitur cum prima orationis particula, non cum ſecunda, ita vt legendum ſit: *An puta, quia non poſſum modo rogare Patrem meum, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Verùm ad quid tunc, maximè cum plurimas iniurias patiebatur, & ſub inimicorum erat manu, potentiam manifeſtat, & gloriatur poſſe de inimicis, innocato paterno auxilio, vindictam ſumere? Audi Caietanum. *Significauit per hæc, quod modò, hora, ac tempore paſſionis non minuitur facultas mea, ſed quidquid hactenùs potui, poſſum, ita quod non ex impotentia patior.* Hoc namque Dei, ac filiorum eius ingenium eſt, quod maximè nobilitatem eorum commendat, poſſe vindictam ſumere, & omittere, non in vltione, ſed in venia potentiam oſtendere. Vndè dixit Tertull. lib. de patientia. *Summum Chriſtianæ fidei Sacramentum charitas ſcholis, ac diſciplinis patientiæ eruditur.* Hoc vnum fidei Chriſtianæ ſacramentum eſt, ſummaque cæterorum, iniurias æquo animo ſuſtinere: quod ipſe Dominus altè docuit, vt nos ad honoris, & fortitudinis faſtigium eleuaret. Ideòque Chriſtus Dominus, cum magis ab inimicis conuitijs impetitur, pluſquam 12. legiones Angelorum ſibi præſtò adeſſe manifeſtat ad vindictam; vt oſtendat, ſe non ex impotentia; ſed ex fortitudine iniurias tollerare. Legio quælibet ſex mille ſex centos ſexaginta

ſex continet; vndè duodecim legiones conficiunt pluſquam ſeptuaginta duo mille, quibus omnium gentium lingua exprimitur:quod expendens Gloſſa ait: *Innuit autem non eſſe verendum, ſi contra IESVM omnes nationes inſurgant; enm multò fortiores ipſe habeat exercitus Angelorum*. Suæ fortitudinis, ac potentiæ oſtentationem fecit, vbi magis laceſſitur, vt innuat, nullam omnium inimicorum ſuorum eſſe potentiam, etſi totus mundus contra ipſum inſurgat, reſpectiuè ad eam, quam ipſe habet, atque tunc præcipuè manifeſtari, cum loco vindictæ indulgentiam iniuriarum largitur. Quia nihil eſt tam egregium ac poſſe, & nolle iniurias proſequi. Valer.Max. pulchrè Quintum Criſpinum inducit, cum Blado Campano colloquentem, quem in ſingulari vicerat duello. *Aliam* (inquit) *quæ te occidat, dexteram quære, quoniam mea te ſeruare didicit. Nam generoſum planè, & diuinum eſt, ſuperabili inimico parcere.* Hic enim toto aberrant cęlo, qui ſe degeneres exiſtimant, cum ab iniurijs ſibi illatis non ſe vindicant: nam hoc ipſo nobiliores redduntur, vtpotè qui patientia, quæ Dei virtus propria eſt, nobilitantur. Sic Oleaſter exiſtimauit, Moyſem Deum Pharaonis conſtitui, Exod. 7. verſ.1. *Vt non ſtatim Pharaonem occideret, ſed patientia quaſi Dei tulerit, & admonnerit*. Itaque. Deus Moyſem vicarium ſuæ patientiæ conſtituit, vt malum hominem offenſus ſuſtineret, & vt Deus patiens non occideret. Ideòque Moyſes Deus dicitur, quia Dei patientia ad ſufferendos hoſtes prædirus fuit. Vndè Tertullianus lib. de patien. ex ea, qua Chriſtus tot iniurias pertulit, eius diui-nitatem comprobari aſſerit: Sic enim ad Phariſæos loquitur: *Hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis: patientiá huiuſmodi nemo hominum perpetraret.* Eſt enim illa pluſquã humana virtus,nobiliſſimãq; indolẽ oſtendit. Quod arcanè ſignificauit Deus Iſaiæ c.48.populo Iſraelitico ſuggerens pręceptorum obſeruantiam. *Vtinam attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris*. Quid, quæres, commune habent pax, & iuſtitia cnm rapidis fluminibus, & agitato mari, vt ipſis conferantur? Velociùs quacunque re tranſit vnda: pax ergo adeò inconſtans, quæ pax erit? Quid vndis eſt mobiliùs, quas commouet tempeſtas? Quæ igitur iuſtitia iſta eſt, quam promittit Deus ijs, qui eius mandata ſeruant, quamque maximam, & pleniſſimam vocat? Etenim vt flumina, quo magis pluit, & longior eſt hiems, magiſque nubes cuſpidibus quatiuntur, eo magis creſcunt fluenta; & quandò maria magis ventis quatiuntur, magis extollnntur vndæ: ſic quò magis Chriſtiani feruntur iniurijs, ſi Dei legem obſeruare intendunt, non ſolùm non deprimuntur, ſed eorum patientia, & pax cnm inimicis inita magis eos extollit, & ad cœlos vſque euehit, & exaltat, eorum excellentiam, & nobilitatem commendans.

DISCVRSVS XII. MORALIS.

Parcendum inimicis, ſed eis non fidendum.

1. SI in minutiſſima fruſtra ſcindatur Adamas, totum perdit valorem. Semel fractus enſis non ſolidatur. Sic violata ſemel amicitia nunquam ad priſtinam integritatem reducitur: nam qui ſemel offendit, ſemper odit. Vt dicebat Tacit. in vita Agricolæ. *Proprium humani ingenij eſt, odiſſe quem læſeris*. In offenſore diffidentia, & in offenſo læſionis cicatrix ſemper manent, & illa odium gignit, iſta verò euomit ſanguinem, vbi opportuna ſe offert occaſio. Vndè ſapientèr conſulebat Seneca. *Nunquam fidelem credas cum tibi, quem ex inimico amicum habueris*. Quod ſi reconciliato amico fidendum non eſt; quomodò ab aperto inimico non erit cauendum? Rectè monebat Chryſoſtomus. *Inimici diligendi, ſed cauendi*. Solertèr vbi periculum ſemel imminet, etſi defeciſſe videatur, timendum eſt. Sic refert Plinius lib.8. cap. 28. vulpes in Thracia antequam loca rigentia, amnes, & lacus tranſeant, aurem ad glaciem priùs apponere, vt coniectent gelu craſſitudinem, & agnoſcant, an queant ſupra ipſum adire ſecuræ, prudenti diffidentia nos inſtruentes hoſtium cauere pericula, neque à nobis fidem ipſis eſſe adhibendam, antequam exploratas habeamus eorum latentes fraudes, aut animi ſinceritatem: nam ſæpè à ſpecie amica damna læthalia proueniunt. Qui reconciliatæ fidit amicitię ſępè ſe deceptum reperiet: nam aduerſa aura, & contraria fortuna adueniente, iterùm deficiet. Solidata concordia vas ęneum refert, quod hodiè ſplendet, & cras rubigine tegitur. Ideò Chriſtus Dominus diligere inimicos pręcepit, non ipſis fidere, voluntatem, & amorem præbere ipſis; non intellectum. Nec modò inimicos cauere licet, ſed nimiam erga amicos confidentiam reprehendit Sapiens Prouerb. 6. *Fili mi, ſi ſponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs ſermonibus*.

2. In ſecunda fortuna aduerſam expedit timere, & contra ipſam prudentèr armari, vt monebat Eccleſiaſt.cap.3.verſ.5. *Tempus ſpargendi lapides, & tempus colligendi*. At erit ne tempus colligendi lapides, vbi imminet iam periculum? Vbi hoſtis adoritur, & aperto Marte bellum aggreditur? Vbi inſtat iam certamen? Non inquam: ſed antequam arma admoueat aduerſarius, quando omnia ſunt tran-

Digitized by Google

tranquilla, & quieta: ne confidentia improuida inimicum armet, qui ex inexſpectato feriat? Audi D.Gregorium Niſſenum hom.8. in Eccleſiaſt.ad prædicta verba: *Eſt autem omninò intelligendum, quod quæ vitium perimunt cogitationes, hæ ſunt lapides, qui ab Eccleſiaſte funda rectè iaciuntur, quod ſemper mitti, & colligi: mitti quidem ad eum euertendum, qui contra vitam noſtram erigitur: colligi autem ad hoc, vt animæ noſtræ ſinus plenus ſit ijs præparatis, vt ad manus ſit, quod iaci poſſit in aduerſarium, ſi quandò nobis fuerit inſidiatus.* Prudens ſemper erit de inimico diffidentia, & ille ex templo illius cautela non opprimetur, qui prouidè lapides colligit, quibus ſe ab illius cautela defendat: nunquam enim tutum erit inermi manu manus cum inimico reconciliato conſerere. Nam ſæuior plaga ab amica manu infligitur. Lucæ 26. accedit proditor diſcipulus, vt IESVM traderet miniſtris: ille autem in manſuetudine cum ſimulato hoſte perſeuerans ſic ipſum beneuolè affatur: *Amice ad quid veniſti?* Quid? Adhuc Chriſtus ſubdoli collegæ nequitiam occultare prætendit, quod nefarij facti authorem amicum compellat, quaſi culpæ exors in illo eſſet? Scire proditionem diſſimulat, vbi iam omnibus innoteſcit? Non inquam: *Immò videtur Chriſtus his verbis declarare, ſcire ſe quorſum venerit Iudas*, ait hic Maldonatus. Verùm vndè id colligit locuples Commentator? Nam verba beneuolum erga diſcipulum Chriſti animum demonſtrant, dum amicus compellatur. Præſtaret inimicum vocare, vt omnibus teſtimonio Magiſtri pateret deteſtabile proditionis facinus ab ingratiſſimo diſcipulo perpetratum, ſi animus erat illud prodere. Nec eſt cur ad ironiam recurramus, & per antinomiam dicatur amicus, qui in ipſo facto inimicus deprehenditur: nam rerum conſtitutio, quæ tunc aderat, non patiebatur lepidam loquendi methodum. Vndè ergò Iudæ prauitas ex amici vocabulo detegitur? Enimuerò ex ipſomet amici inſidiantis nomine ſumma proditoris nequitia deprehenditur. Nec ſolet, nec poteſt, qui apertè inimicus eſt, tam lethalia damna inferre, ac ſimulatus hoſtis ſub amici ſpecie. Igitur vt Chriſtus Dominus exaggeraret quam immane facinus Iudas patrauerat, in ipſo facto amicum compellat, quo *videtur declarare ſe ſcire quorſum venerit Iudas*. Amicum proditorem vocat: *Amice ad quid veniſti?* Quaſi dicat: Crimen, quod moliris, adeò execrabilè eſt, vt videatur non palam ſæuientis inimici, ſed ſimulati amici. Vt ſcias me tuæ fraudulentiæ artis machinamenta penetrare, & non ex inopinato, ſed vltroneè prodi, amicum voco inimicum agnoſcens, quo nihil deteriùs excogitari poteſt.

3. 1.Reg.24.verſ.23. vix Dauid oram clamydis, quam præſciderat à veſtimento Saul in ſpelunca, ipſi oſtendit, conuictuſque Rex Dauidis beneuolentia filium nuncupauit, plorанſque dixit, Dauid iuſtiorem ſe eſſe, regnoque digniorem, cum addit textus: *Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca.* Vel vt vertit Batablus: *Aſcenderunt in arcem, in quam ſe recipere conſueuerant.* Res planè admiratione digna. Cur cum Saul deplorat, doletque de inimicitia præterita, & tot beneuolentiæ erga Dauidem ſigna tradit: ad arcem, vbi tutior conſiſtebar, Dauid mox ſe recepit? Reor, quia inimicorum compaſſiones velut æſtiuæ aquæ ſunt, & Sol hiemis, quæ durant, & facilè euaneſcunt, & potiùs fraudes exiſtimandæ ſunt, vt imparatos nos reddant, & faciliùs perimant. Ab ipſis igitur, qui ſemel iniuriam irrogarunt, euadendum eſt. Idipſum inuenies cap.26.eiuſdem lib.1. Regum, vbi Saul amicum fœdus inire cum Dauid intendens, hic ſe ab illius amicitia ſubduxit, veritus ne propria confidentia deceptus in illius incideret manus. *Et ait Saul: Peccaui, reuertere fili mi Dauid, quia non malefaciam tibi ampliùs, eo quod pretioſa fuit anima mea in oculis tuis hodie.* Quid exaggeratiùs ad perſuadendam Saulis dilectionem erga Dauid? At quid tunc Dauid? Auſculta textum ſequentis capitis 27. verſ.1. *Et ait Dauid in corde ſuo: Aliquandò incidam vna die in manu Saul Nonnè meliùs eſt, vt fugiam, & ſaluer in terra Philiſtinorum.* Vbi Caiet. *Manifeſtè timet aliquo die ſe occidendum à Saule.* Neque blanda inimici verba, neque pœnitentia tranſactæ inimicitiæ credenda ſũt: nam dum amicum os præſeferunt, inimicum cor in pectore geſtant: ideòque præcepit Deus, vt iniurias condonemus, & permittit, vt caueamus: aſperiùs enim foret præceptum, ſi fidendum inimicis iniungeret. Præcipit, vt diligamus, quia ſemper charitatis eſt actus: at noſtræ prudentiæ relinquit confidentiam, quaſi innuens imprudentèr aliquandò nos ipſis fidere: ideòque licitum eſſet, ſi id circumſtantiæ expoſtulant, ab ipſis cauere, ſicut fecerat Dauid.

4. Eandem Saulis, & cœterorum inimicorum ſimulatam amicitiam expendens Dauid dicebat Pſalm.57. verſ.5. *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, quæ non exaudit vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* At cur aſpidi, quæ ad incantationis verba aures habet obtuſas, inimico, qui ſibi blandiebantur amica ſpecie, comparat? Pulchrè Caiet. & eleganter exponit. *Aſpis* (inquit) *habet venenum naturale, & cum hoc, quod eſt ei naturale, præſenti incantatore deſiſtit quidem ab actu venenandi, non tamen ab habendo venenum: immò ne perdat poſſe venenari, obturat aurem ſuam. Tale intendit eſſe venenum Saulis, & ſuorum: qui etſi ad tempus præſenti voce Dauidis manſueti (nolentis ſcilicet occidere Saulem) deſtiterunt perſequi: non tamen perdiderunt venenum, ſed tanquam obturantes aures ſuas, ne vox illa penetret*

Digitized by Google

intima cordis eorum, poſtquam pertranſit velut tempus vox incantatoris, iterum redeunt ad venenum perſecutionis. Hucuſque Caietanus: Venenoſus anguis incantationis tempore venenum recondit, ſed non depouit. Hiemis tempore manibus abſque nocumento contrectatur, non quia caret toxico, ſed quia frigore rigeſcit, nec valet morſum imprimere: at verno tempore aduentante, ſi illum attrectes, venenum euomit. In reconciliato amico maleuolentiæ venenum non extinguitur, ſed præſentis commoditatis cupidus lædendi occaſionem expectat. Bellè Seneca epiſt. 42. *Multorum quia imbecillia ſunt, latent vitia: non minùs auſura cum illis vires ſuæ placuerint, quàm illa, quæ iam felicitas aperuit. Inſtrumenta illis explicandæ nequitiæ deſunt. Sic tu ſerpens etiam peſtifera tractatur, dum riget frigore. Non deſunt tunc illi venena, ſed torpent.* Cum tranquilla tibi omnia videntur, nocitura venena non deſunt, ſed latent, & quieſcunt, ideòq; tunc præcipuè cauendum eſt. Mare enim, cum ingruit tempeſtas, non eſt formidandum, nam tunc potiùs impauidum cor, & induſtria imperturbata neceſſaria ſunt; vbi tranquillum & peccatum videris, tunc maximè timendum eſt, quia nos reddit imparatos. Apertus inimicus potiùs excitat, quam decipit. Affectata tranquillitas inſpectatam ruinam molitur, & improuidè lædit, imparatumque facilè obruit.

DISCVRSVS XIII. MORALIS.

Ex naturæ, ac iuſtitiæ debito inimicis parcere tenemur.

1. QVamuis ante Euangelicam doctrinam antiquis dictum eſſet, *diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, Chriſto Domino id aſſerente: non tamen hoc quaſi à natura dictum puta: nam ipſa natura docet ex iuſtitia hoſtibus eſſe indulgendum, & naturali præcepto homines adueniam conſtringi, & ad iniurias condonandum teneri. Quod pulchrè ponderauit Chryſologus in Matth. 6. ſerm. 71. quibus deprecamur noſtra debita dimitti, ſicut aliena dimittimus: *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Ibid. verſ. 12. Quæ feſtiuè verſat, & tandem concludit. *Homo, penes te eſt poteſtas veniæ, in te eſt indulgentiæ ius.* Innuenes indulgentiam ab homine inimico exhibitam in aliquo iure fundari, & veniam porrigi iniurianti nil aliud eſſe, niſi ius ſuum illi tribuere: natura enim titulos habet, quibus nos premat, & vrgeat ad offenſas condonandum, & ipſamet iniuria quaſi ius eſt ad miſerendum.

2. 1. Reg. 15. verſ. 1. Dei præcepto admonitus, & ipſius nomine præcepit Sauli Samuel, vt hoſtes Amalecitas penitùs euerteret. Armata manu adoritur Saul hoſtiles acies, quas facilè profligauit, & tamen Agag Regem contra Dei mandatum viuum, & illæſum apprehendit. *Et pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & veſtibus.* Ibid. v. 9. Sanè admiratione dignum eſt, quod Saul vir ſanguinolentus, ad iras, vindictas, & implacabilia odia natus, contra Dei præceptum, imò contra innatam ſibi vlciſcendi inclinationem Regi Amalecitæ parcat. Cui Deus non pepercit, ſed cruenta morte perire præcepit audet parcere Saul? Ille ipſe, qui Dauidem hominem innocentem, benefactorem, reipublicæ proficuum perſequebatur, modò inimico Regi, qui ruinam Iſraelis moliebatur, indulget? Noſter Rangolius in comment. huius loci ſic putat difficultati ſatisfacere. *Vbi agitur noſtra cauſa, ibi ſeueri eſſe volumus ſupra modum; at ſi cauſa ſit Dei, ibi moleſtiùs, & lentiùs agimus. Quid hoc aliud eſt: quam nos ipſos Deo anteponere?* Rectè quidem. Seipſum Saul Deo præponebat, quia ex venia ſibi proficere credebat. Sed ad rem noſtram egregiè Ioſeph. lib. 6. anti. c. 7. reſpondet: *Seruare Agag decreuit, idque non ex Dei ſententia, ſed victus affectu proprio, inconceſſam miſerendi licentiam ſuo periculo ſibi vſurpans.* Pende illud, *victus affectu proprio*, in quo maxima energia ineſt: quaſi ex proprio, & connaturali hominis affectu, ex iuſtitia ſibi teneri videretur Saul ad parcendum inimico Regi. Etſi præceptum vrgeat vltionis: etiam in ſæuiſſimo homine, qualis erat Saul, adhuc naturale debitum inſtar, vt inimico parcat: & hinc indè vtroque debito agitato, tandem ius hoſtis, quo ſibi veniam exigebat, & naturalis inclinatio præualuit. *Victus affectu proprio.* Pietas humana ſic ad indulgentiam inclinat, vt Dei mandatum vindictam iniungens cogat tranſcendere: dum miſericordiæ diuinæ munus ſibi arrogat, cum iuſtitia non veretur pugnare, quia ex iuſtitia ad indulgentiam teneri præſumit.

3. Dauid de manſuetudine, & beneuolentia erga inimicos maximè gloriatus dicebat, Pſal. 141. v. 2. *Voce mea ad Dominũ clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus ſum.* Pro infenſiſſimis hoſtibus preces hic iugitèr fundebat, vt author eſt D. Chryſoſtomus ad hunc locum. Sed cur, dum pro inimicis orat, ad Deum voce ſua clamare ait? *Voce mea ad Dominum clamaui.* Quis aliena voce clamare dicitur? Qui clamat neceſsè eſt ſonum proprio ore, edere, & vocem formare: redundantèr igitur dictum videtur pro inimicis propria voce clamare. Audi Chryſoſtomum nouam philoſophiam edocentem. *Qui clamat aduerſus inimi-*

Digitized by Google

inimicos, *non edit vocem hominis*, *ſed feræ*, *ac ſerpentis*. Quaſi non naturalis ſit vox hominis iniurias vltione proſequentis; quia ex debito naturæ, & iuſtitiæ tenetur pro inimicis orare illorumque condonare iniurias: hæc enim vox hominis eſt. Qui minas, & iniurias pro iniurijs rependit, non hominis, ſed feræ, ac ſerpentis voce loquitur. Non ſolùm Chriſtianum, ſed naturale ius prohibet illatæ offenſæ vltionem ſumere; qui aliter agit, non homo, ſed fera reputatur: degenerat enim ab humanitate voce, & animo; qui iniurias vindicta exequitur. Impetus naturæ refutat vltionem, odium vertit in amicitiam, & ſæuas iras in blandam beneuolentiam. Hominis naturam mutaſſe videtur, & belluinam induiſſe feritatem, qui aduerſus inimicum ſæuit, non minùs quam qui ſine cauſa fratrem offendit. iniurias beneficentiam proſequi illuſtrior eſt vltio, vt dicebat Baſilius de Seleu. orat. 8. agens de Ioſeph, qui fraterna chatitate redundans, iniurias, quas à fratribus acceperat, beneficijs vindicauit. *Ioſephus inuidiam*, *venditionem*, *belluinamque immanitatem humanitatis obſequijs vlciſcitur*. Expende illa verba *humanitatis obſequijs*, animaduerſione digna. Etenim, quæ inimicis beneficia præſtantur, humanitatis obſequia ſunt, quia naturali debito ea conferre debemus: & humanitati non obſequi, ſed contradicere conuincitur, qui non benè pius in proximos iniuriam ambit vindictam ſumere.

4. In abditiori montis ſpelunca latebat Dauid, in quam neceſſitate compulſus intrat Saul, qui eius animam quærebat, vbi opportuna Dauidi ſe vlciſcendi offerebat occaſio. Suggerunt ipſius ſatellites, vt inimicum occidat, & vt ipſum prouocent ad vindictam, contra Dei voluntatem ire aiunt, ſi ipſum innoxium relinquat. *Et dixerunt ſerui Dauid ad eum*: *Ecce dies*, *de qua locutus eſt Dominus ad te*: *Ego tradam tibi inimicum tuum*, 1. Reg. 24. verſ. 5. Vindictam quaſi à Deo præceptam obijciunt ſerui vt Dauid, qui obedientiſſimus erat Dei præceptis, eam ſumeret, & inimicum occideret: & tamen ipſe non ſolùm à morte Saulis abſtinuit, ſed conſilium exprobrauit, & ſeruorum audaciam iam iam in Saulem irruentiũ cohibuit. *Confregit viros ſuos ſermonibus*, *& nõ permiſit*, *vt conſurgerẽt in Saul*. Ibid. v. 8. vbi iam videas in Dauide naturam cũ obedientia pugnare, obedientia enim exigebat, vt voluntati diuinæ obtemperaret; natura ad indulgendum inimico inclinabat. Quid ageret Dauid in tali rerum contrarietate conſtitutus? Si vindictam, omittit, rebellis contra Deum arguitur; ſi de iniurijs ſibi irrogatis vindicatur, ab humanitate degenerat. Verùm in hac contentione tandem natura præualuit, & minùs obediens voluit reputari, quam minùs in hoſtes pius. Obedientiam humanitati cedere maluit, vt à natura indulgendum eſſe inimicis adſtruat, & ne ab homine degeneret, homini ſibi infenſo contra Dei præceptum, vt exponebant ſerui, parcit,

DISCVRSVS XIV. MORALIS.

Iniuriarum venia ad Cœlum, *vnde deſcendit*, *via regia ducit*: *tantumque ex ea reportatur lucrum*, *vt non ſolùm omnium debitorum remiſſionem conſequatur*, *ſed cum perſecutoribus amicitiam conciliet*.

1. SVpra naturam ipſam ſeſe attollit, qui cum poſſit vindicari de iniurijs ſibi illatis parcit inimicis. Non de humana origine, ſed de cæleſti meritò gloriatur hæc virtus, quæ humanum tranſcendit faſtigium: in terra peregrinatur, quia patriam habet cæleſtem, vndè deſcendit. *Ignem veni mittere in terram*, *& quid volo niſi vt accendatur*. Dicebat Chriſtus Dominus Luc. 12. verſ. 49. *In cordibus fidelium*, addit Interlinealis. At quis iſte ignis erit? Quale hoc incendium, quo tantopere Chriſtus deſiderat hominum corda comburi, & flammarum cuſpide conflagrare? Audi Diu. Ambroſ. lib. de Iſaac, & anima cap. vltimo, vbi loquens de igne charitatis, dicebat: *Hunc ignem in terram miſit Deus IESVS*, *& refulſit fides*, *accenſa deuotio*, *illuminata eſt charitas*, *videbatur ſiquidem olim in lege veteri*, *Exod. 24. obumbrata*, *fumoque*, *& nebula abducta*. *Vndè*, *& quandò data eſt lex*, *mons*, *in quo tradita eſt*, *fumo opertus erat*, *& nebula obductus*. *Iam verò dum nebula operit terram*, *non videmus niſi ea*, *quæ nobis approximant*, *& propinquiora ſunt*; *quæ verò aliquo internallo à nobis diſtant*, *minimè percipimus neque diſtinctè cognoſcimus*. *Quo videtur reſpexiſſe Chriſtus Dominus*, *cum dixit*: *Audiſtis*, *quia dictum eſt antiquis*, *diliges proximum tuum*, *& odio habebis inimicum tuum*. Charitatis ignem, qui de cælo deſcendit, & iniuriarum neſcit vltionem, diſſeminare volebat, quo charitas potiſſimè illuminaretur: nam nebuloſa Iudæorum charitas non niſi ad amicos, parentes, filios, & propinquos extendebatur, quia imperfecta admodum erat: at in lege gratiæ, vbi dilectionis inimicorum præcepto magis ac magis irradiauit, non ſolùm ad amicos, & propinquos, ſed ad inimicos extenditur. Ignis iſte charitatis in terram mittitur, quia de cœleſti principio deriuatur, vbi aduerſarios amico fœdere diligere didicit. Meditare naturam illius ignis, qui de cælo ceci-

di-

Digitized by Google

dit ſuper altare ab Elia conſtructum, quod ſemel, iterum ac tertiò quatuor hydrijs aquæ perfuſum fuerat 3. Reg. 28. verſ. 38. Quid tunc? *Cecidit ignis Domini, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides pulueremque, & aquam, quæ erat in aquæ ductu, lambens*. Quis crederet poſſe ignem accendi in madefactis lignis, toties aqua perfuſis, & comburi tale ſacrificium vndequaque aqua per meatum? Solus cęleſtis ignis lapides deuorat, puluerem deglutit, aquam lambit. Solet aqua ignem extinguere, & illi inimica admodum eſſe, vtpotè quæ eius interitum cauſat: At ignis de cœlo miſſus oppoſitam, & inimicam aquam deuorat, & inuiſcerat, intimoque corde recludit, eam veluti pacis ſigno oſculans lambit: hunc Chriſtus venit mittere in terram, hunc ſatagit in cordibus fidelium accendi.

2. Diues ille, qui aduerſus Lazarum immitis extiterat à gehenna, vbi cruciabatur, ſuſpicit ſplendidam Lazari gloriam, & ita alloquitur Abraham, qui glorioſo ſinu fouebat nuper ærumnoſum mendicum. *Pater Abraham miſerere mei. & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Luc. 16. verſ. 24. Cur ad ſuam ſubleuandam indigentiam Lazarum expetit, in quem tam crudelis, & inhumanus extiterat? Plures cælicolæ in ſinu Abrahæ aderant, qui ei poſſent accurrere. Cur non aliquem eorum, ſed Lazarum quem offenderat, eligit ad ſui refrigerationem? Adhuc cæcutit inſanus epulo, ait Caietanus. *Aduerte prudens lector, verè impeditum intellectum iſtius diuitis apparere in hac petitione, dum petit Lazarum mitti ad ſui refrigerationem cui meminit ſe tam inhumanum fuiſſe.* Sed credo non ex impedito intellectu, ſed ex magna cæleſtis patrię cognitione hęc verba diuitem protuliſſe: ſciebat enim inimicorum dilectionem, & beneficam erga hoſtes voluntatem in cælo maximè vigere, vbi ſe originem habuiſſe gloriatur, & nullum alium inter cæleſtes ciues iudicauit aptiorem ad pręſtandum ſuæ indigentiæ auxilium, quam illum, quem plus erat proſecutus iniurijs, & inhumanitèr tractauerat. Hunc ergo ad ſui refrigerationem poſtulat, quem credebat à cæleſti politia, & doctrina non degenerem, nam ſuperna patria offenſas in blandam, ac beneficam beneuolentiam vertit: nec tantùm cæleſtem redolet originem erga inimicos Chriſtiana pietas, ſed etiam diuinam.

3. *Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt*, dicebat Chriſtus Dominus Matth. 5. verſ. 44. Cur non dicit, vt ſitis filij Dei veſtri, ſed Patris veſtri, nam hoc redundantèr dictum apparet? Si iam Pater noſter Deus eſt, antequam inimicos amore proſequamur, quid opus eſt inimicorum dilectio, vt eius filij efficiamur, cum Patris notio non niſi reſpectu ad filium perſiſtat? Audi Euthimium. *Filij Dei fiunt, qui per virtutem ſimiles ipſi efficiuntur, quantùm eſt hoc poſſibile: nam filij proprium eſt ſuo aſſimilari patri. Vt ſitis*, inquit, *filij Dei, non natura, ſed ſimilitudine, amando videlicet inimicos veſtros: quia, & ille contumelia affectus, tamen ob amorem ſolem ſuum oriri facit ſuper malos, ac bonos.* Inter filios eiuſdem patris ille à filij nomenclatura ablegatur, qui in faciei lineis in corporis ſtatu, in morum conuerſatione nimium diſcedit, & naturam, quam dedit origo, exter's filamentis obliterat: ille filius ſui patris dicitur, qui paternam figuram, numeroſque & indolis ſpecimen penitùs traxit. Ergo qui in inimicorum dilectione excellit, filius Patris ſui cœleſtis eſt, vtpotè qui præter naturam plaſmatis, proprietatem paternę tolerantiæ clariſſima imaginis ſimilitudine contraxit nam quo patientię tenorem plus obſeruat, eo perfectiorem filiationem participat, in eoque maximè cœleſti Patri aſſimilatur inimicis indulgens, quia ſicut Pater inimicos ita dilexit, vt eius vnigenitum daret, qui Verbum incarnatum eſt, medio quo inimicis omnibus fuit locutus. (*locutus eſt nobis in Filio* ad Hebræos) ſic Patrem diuinum omninò refert, qui inimicum diligit, illique verbum non negat, ſed amicè loquitur.

4. Hæc igitur virtus, quam cœleſtis patria genuit, & nobis communicauit, ad illam recto tramite reuertitur, & regalis eſt via, quæ ad cœlum ducit. Rectè expendit D. Ambroſ. ſerm. 12. in Pſal. 118. verba illa eiuſdem Pſal. vbi vt nos alliceret Propheta ad præcepta Dei ſectanda, planam, & apertam, nulliſque implicatam ambagibus eſſe dicebat: *Latum mandatum tuum nimis*. Sed planè hæc ſententia pugnare videtur cum illa, quam tradidit Chriſtus Dominus Matth. 7. *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam*. Si anguſta, & arcta nobis eſt ſemita, quæ ad cœlum pergit, ſi conterimur in illa, quomodò Propheta latum mandatum prædicat, & valdè latum? Fruere Ambroſio: *Ideò quia anguſta via latum mandatum neceſſarium eſt*. Quid illuſtriùs? Præmenda ſunt illa verba: *Ideò quia anguſta via, latum mandatum neceſſarium eſt*. Quæ energia ſunt plena: eſt enim nouæ legis via ita arcta, vt plures in ea inimicos Dei offendamus: ne autem à virtutis tramite diſcedamus, & coniunctiſſimos nobis abnegare præcipimur. Lucæ 14. verſ. 26. *Qui non odit patrem, & matrem &c. Non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Vt ergo non conteramur in arcta virtutis via, neceſſarium eſt, quoſcunque inimicos diligere, quo facto latum ad cœlum iter nobis ſternitur: quandoquidèm renuntiatis parentibus, qui nos impediant in via, inimici, qui nobis obuiam occurrunt, offendicula non ſunt: nam beneuolo animo amplexatis, ampla, & regalis nobis aperitur via, vt alacritèr curramus in patriam nullo retardante

dante impedimento: nam ea vis iniuriarum indulgentiæ ineſt, vt parcenti omnium delictorum venia negotietur.

5. Vt pacatiſſimos erga hoſtes nos redderet Chriſtus Dominus aiebat Matth. 6. v. 14. *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet, & vobis Pater veſter cæleſtis debita veſtra*. Mira inimicorum dilectionis retributio, quam vix Theologia admittere audebit: ergò fornicarius, ſeu in alio quocunque immani crimine perſeuerans, ſecurus eſt de venia conſequenda, ſi alijs remittat offenſas contra ſe factas? Veritas enim huius affirmatiuæ conditionalis. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittit, & vobis Pater veſter cæleſtis debita veſtra*, fundat, & fouet hanc illationem. Quid? Fomitem ne conſtituit Chriſtus delictorum veniam iniuriarum? Etenim nullus fœda crimina patrâre verebitur, dum certò ſciat pacatè ſe cum inimicis geſturum: quando quidèm omnium delictorum veniam ſibi promiſſam habet. Scitè Caietanus hæc perpendit: *Crediderim tamen ego, hominem, qui tanto Dei amore agitur, vt hominibus offendentibus ipſum remittat ex corde propter Deum, etiamſi in fornicatione perſeueret, tandem à Deo conuerti, ita quod Deus remittat ei omnia peccata ſua conuertendo cor eius ad veram pœnitentiam. Vndè non dicit Dominus: Remittit, ſed Remittet*. Nouit Chriſtus Dominus tam acceptum gratumque Deo eſſe ſacrificium iniurias condonare, quod ſine hæſitatione affirmat, Deum omnia parcenti crimina remiſſurum, quod ſolus potuit aſſerere, vtpotè qui ſolùs nouerat hanc ſpecialem prærogatiuam, & gratiam. Tam munificus eſt Deus in hoſtium amatores, vt pro cuiuſque iniuriæ remiſſione omnium ipſe remiſſionem polliceatur. Vberrimæ condonationis fructus aſſequitur, vt cumulatiùs muneretur, qui minimam offenſam remittit. Nec ſolùm Deum, quem habebat infenſum, ſed ipſummet iniuriantem indulgentia ſibi lucratur: quia cum ipſo amicitiam conciliat, & ex inimico amicum reddit.

6. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, dicebat Chriſtus Dominus Ioann. 15. verſ. 13. Quæ ſententia planè aduerſatur cum ea, quam Paulus habet ad Roman. 5. verſ. 8. Vbi exindè charitatem Chriſti commendat, & exaggerat, quia pro hominibus peccatoribus, & ſibi inimicis animam poſuit: *Commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis: quia cum adhuc peccatores eſſemus, pro nobis mortuus eſt*. Quam difficultatem attingens Bernardus inquit: *Tu maiorem habuiſti Domine charitatem ponens etiam pro inimicis tuis animam tuam*. Maior ergo dilectio videtur pro inimicis vitam ponere, quam pro amicis, ſiquidem amicorum dilectio homini cognata eſt: inimicorum verò amicitia, & beneuolentia peregrina eſt ab homine, & Chriſtianæ benignitatis abundantia. Quo ergo pacto dilectionem, quam Chriſtus commendat diſcipulis, vt animam pro amicis ponere non dubitent, maiorem omnium eſſe verè ſtabit? Egregiè D. Gregorius: hom. 27. in Euang. *Mori pro inimicis Dominus venerat, & tamen poſiturum ſe animam pro amicis dicebat: vt nobis oſtenderet, quia cum lucrum facere de inimicis poſſumus, etiam ipſi amici ſunt qui perſequuntur*. Vtrumque verùm, maiorem eſſe omnium inimicorum, & amicorum dilectionem: quia ipſa inimici dilectione ex inimico amicus redditur perſecutor. Non iam pro perſecutore certat, qui pro inimico animam ponit, ſed pro amico, nam ipſa dilectione ipſum lucratur, & ſibi conciliat. Quid mirùm, quod tribuat omnium delictorum remiſſionem virtus, quæ vxorali munere aduerſarios in amicos conuertit, & lucros commercio efficit beneuolos.

DISCVRSVS XV. MORALIS.

Iniuriarum venia, quæ non propter Deum, ſed ob alios reſpectus confertur, ſuſpecta eſt.

1. NOta proprietas Dei eſt, & de qua paſſim gloriatur, inimicis parcere, & ſibi irrogatas iniurias condonare. Quare quoſcunque actus, quibus iniuriæ remittuntur, ſibi arrogat, & qui ab ipſo effectiuè non procedunt, obiectiuè ſaltem oriri procurat, & propter ipſum fieri: non ſolùm quia hæc virtus ſolo Deo eſt digna, ſed vt ſecurlùs noſtris cordibus inſit, ac permaneat: hæc enim eſt emphaſis, qua Chriſtus Dominus præceptum de inimicis diligendis intimauit Matth. 5. verſ. 44. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*. Ly *Ego* magnam energiam continet, quaſi diceret: Propter me, qui præcipio, hæc peragenda ſunt: nam ſi non ita fiant, & me maiori gloria orbabitis, & vos in periculo reincidendi in odium eritis: nam iniuriarum indulgentia, quę non propter me, ſed propter alios reſpectus confertur, nimis periculoſa, & parum tuta reputabitur. Clementiſſimus Rex Dauid poſtquam à Saul tot iniurias, & perſecutiones fuit perpeſſus, coronamque, & regnum pacificè poſſidebat, vt ſe placatum oſtenderet, & iniuriarum oblitum, ſic ad Sibam alloquitur 2. Reg. 9. verſ. 1. *Putaſne eſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam propter Ionatham*, nihil reſpondit, ſed arcana taciturnitate ſiluit. Cui iterum Dauid: Ibid. verſ. 2. *Nunquid supereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſeri-*

cor-

cordiam Dei? Tunc autem Siba Regis quæſito reſpondit : *Supereſt filius Ionathæ, debilis pedibus*. Ibid. verſ. 3. Quem vocari iuſſit Dauid, & eum in priſtinam paternæ hæreditatis poſſeſſionem reſtituit, atque ad menſam ſuam ſedere conceſſit. Vbi meritò ambiges, cur cum primò Dauid perconraretur, ſupereſſet ne aliquis de domo Saul, vt ei parceret, ac benefaceret, Siba non reſpondeat, & vſque ad ſecundam interrogationem reſponſum differat, quod inurbanitatis indicium videtur, & à curiali homine alienum: nam non ſolùm Principis vocibus, ſed & nutibus ſolent aulici reſpondere, quo ſe promptiores famulatui oſtendant. Miror non ſolùm Sibæ ſilentium, ſed Regis tolerantiam. At vtriuſque ingenium, & ſagacitatem percallebis, ſi verba præcitata rrutines. Cum enim primò Dauid veniam, & miſericordiam ſuperſtitibus domus Saul pollicetur, non propter Deum, ſed propter Ionatham ipſi chariſſimus eam promiſit. *Vt faciam cum eo miſericordiam propter Ionatham*. Cum verò ſecundò iniuriarum remiſſionem offert, non propter Ionatham, ſed propter Deum id faciendum dicit. *Supereſt ne aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei?* Vt autem Siba motiuum veniæ non Deum, ſed aliquid humanum audit, neque reſpondit, neque filium Saul ſuperſtitem detegit, quaſi ſuſpecta illi eſſet illa miſericordia. Verùm cum ſecundò Dauidem audit veniam pollicentem propter Deum, ei reſpondere, & Miphiboſet propalare non dubitat, quaſi de ſua felicitate, & Regis gratia ſecurus. In quo, & Sibæ ſolertia, & Regis prudentia enituit: nam ille iniuriam non propter Deum ſed propter Ionatham condonatam infidam habuit, iſte verò cum videret ad primam interrogationem Sibam tacere, vt reſponſum differto ſilentio retentum acciperet, verba commutauit, & ſe propter Deum parciturum promittit: ſciebat enim ſeruus fidelis, & Rex ſanctiſſimus, quod iniuriarum remiſſio, quæ propter humanos reſpectus exhibetur, nimis fallax, & parum tura eſt reputanda.

2. Cum felix ille latro in crucis patibulo Chriſto aſſiſterer, quem tot iniurijs, & conuitijs offenderat, obnixè deprecatur, vt ei parcat, & ad ſuum regnum perducat: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum*. Luc. 23. verſ. 24. Varia huius repentinæ conuerſionis motiua Patres aſſignanr. Titus Boſtrenſis vnicum fuiſſe putat, deprecationem nempè, quam pro inimicorum venia audiuit. *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Lucæ 23. verſ. 34. In qua id venit ponderandum, quod cum Chriſtus Dominus in alijs operibus tanquam inferior Patrem deprecatus fuiſſet, & pro impenſo beneficio gratias egiſſet, vt cum Lazarum ſuſcitauit à mortuis (*Pater gratias tibi ago, quia exaudiſti me*) & paſſim alibi: hic eximia magnitudine, & maieſtate Patrem alloquitur ita, vt non deprecario videatur, ſed imperium, quo æqualitatem cum Patre demonſtrabat, non hominis oratio, ſed Dei voluntas iniurias condonandi. Hoc ſanè anſam præbuit latroni, vt ad ſpem veniæ conſequendæ erigeretur, & pro ea preces magna fiducia funderet. At quare non antea ſuę ſaluris ſollicitus perhibetur, cum fama, & fortè euidentia ipſi conſtaret, Chriſtum ſua doctrina, & miraculorum opinione alios peccatores ad ſe conuertiſſe? Cur vltimum diſpendium exſpectat, ibique ſe erigit, qui vſque tunc irreuertibilis apparebat? Crediderim, quia Chriſtum vſque ad illam horam purum hominem reputabat, & licèt ſuis deprecationibus quamplurimas iniurias condonatas vidiſſet, cum propter homines remitti crederet, ſuſpectæ ipſi videbantur: at cum Chriſtum non vt hominem veniam deprecantem audit, ſed vt Deum eam conferentem, & ſuggerentem Patri, quod propter ipſum tamquam Deum parcat, *Pater dimitte illis*. Quaſi de ſua ſalute, & venia ſecurus occurrit: *Domine, memento mei*. Quaſi diceret: Nunc quandò propter Deum iniuriæ remittuntur, vt mihi parcas deprecor, quo ſecurus de indulgentia remanebo. Accipe Titum Boſtrenſem ſic verſantem: *Aſt vndè hic, cum miracula, quæ circa crucem paulò poſt acciderant, nulla adhuc vidiſſet, ad mentem redit? Ex oratione, quam IESVS Chriſtus magna cum fiducia ad Deum tanquam ad Patrem tranſmittebat. Pater (aiebat) ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. nam & perindè cum eo loquitur, atque par cum pare, Patrem vocat, & magna cum libertate. Dimitte illis clamat, non enim dixit: Domine rogo te, vt hanc illis noxam condones, ſed ſimpliciter: Dimitte illis inquiebat.* Vbi igitur latro Deum non propter hominem, ſed propter ſe ipſum parcentem vidit, ibi ſuam veniam confidenter quæſiuit: nam etſi Deus ipſe ſit, qui parcit, cum non propter ſeipſum, ſed propter alios reſpectus condonat, quaſi dubitatur de ipſius indulgentia, & ſuſpecta habetur.

3. Dum Moyſes cum Deo in monte colloqueretur, vulgus Aaroni deos, qui ipſum ducant, inſtanter petit, conflato autem vitulo holocauſta ipſi obtulerunt, lapſi in deteſtabilem idololatriam. Quod cum Deus intueretur, nimis iraſcitur, & Moyſem præcipit ad populum deſcendere, eumque quaſi deprecatur, vt ſe populum punire permittat. Moyſes autem humilitèr orat, & vt veniam tanti ſceleris conſequatur, ſic Deum conuincere ſatagit. Exod. 32. verſ. 11. *Ne quæſò, dicant Ægyptij: Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra. Quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui. Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum dicens: Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cæli, & vniuerſam*

uerſam terram hanc, de qua locutus ſum, dabo ſemini veſtro, & poſſidebitis eam ſemper. Quibus auditis placatus Dominus, & indiguatione depoſita populo pepercit, & eum, vt minatus fuerat, non punite promiſit: *Placatuſque eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersùs populum ſuum.* Ibid. 14. Deſcendit Moyſes ad populum, & poſtquam illius ſcelera increpauit, ac viginti tria millia hominum interfecit, fratre in fratrem, & amico in amicum irruentibus, ſic remanentibus eloquitur. *Peccaſtis peccatum maximum: aſcendam ad Dominum, ſi quomodò qui vero eum deprecari pro ſcelere veſtro.* Ibid. verſ. 30. Reuerſuſque ad montem, ſupplex orauit Dominum, vt populi noxam condonaret. *Reuerſuſque ad Dominum, ait: Obſecro, peccauit populus iſte peccatum maximum feceruntque ſibi deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Ibid. verſ. 31. Magna valdè hinc oritur difficultas: nam ſi commiſſi ſceleris, cum primò Moyſes à monte deſcendit, veniam & indulgentiam ſecum portauit, quomodò nunc reuertitur, vt pro eadem venia deprecetur? Si indulgentiam ab ore Dei accepit, quorſum eam repetere ſatagit, & ad eam obtinen Iam ad montem aſcendit? Fortè ſe deceptum à Deo credit, & de illius vetacitate dubitat? Iniuriam ſemel remiſſam cur perſonæ irrogatæ iterum producit, & quaſi hæſitaſſet de placatione Dei, ſecundam indulgentiam procurat? At mira hic Moyſis ſolertia apparet: nam etſi iam remiſſionem, & indulgentiam obtinuiſſet, cum primò Deus illam præſtitit, non propter ſeipſum, ſed propter hominum reſpectus populo pepercit: nam cum Moyſes pro ipſa deprecatur, Abraham, Iſaac, & Iacob merita proponit, vt Deum placet, atque Ægyptios ipſum reputatutos ſeductorem, ſi populum interficeret in deſerto, quod omne, humanam attentionem præſefert: idque cum meditatus fuiſſet Moyſes, quaſi non tutus angebatur, tenens, quod iniuriæ condonatio non propter Deum, ſed propter alios reſpectus obtenta ſuſpecta eſſet, & parum tuta. Igitur ſic ſecum meditatur: Etſi Deus ſit, qui condonat: dum motiua non diuina ſunt, ſed humana, non ſatis mihi eſt: iterum ergò ad montem pergam, vt dum propter ipſum orem, quo ſecurus de venia exiſtam. Quare cum ſecundò Deum deprecatur pro populi indulgentia nulla humana motiua proponit, ſed ſimpliciter obſecrat: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Ac ſi diceret: Nolo vt propter repræſentationes primò factas populo parcas: propter te ipſum indulge, vt à tua præſentia ſecurus remiſſionis diſcedam.

DISCVRSVS XVI. MORALIS.

Ieiunium dæmonem fugat, cœleſtem vitam refert, ſanctitatis eſt compendium: intemperantia libidinis.

1. Virtutis robut, & munimen, quibus inimica vincitur manus ieiunium eſt: vndè ceruorū pedibus incedere gaudet Propheta. *Et ponet pedes meos quaſi ceruorū, & ſuper excelſa mea deducet me victor.* Hic v. 19. Quia vt aduertit D. Hier. *Ceruus ad odorem ſuū ſerpentem fugat.* Quod proprium ieiunantis hominis eſt, vt inquit Petrus Damian. opuſc. 51. cap. 22. *Serpens quanta ſit ieiunij virtus oſtendit: quia mox vt ſputum ieiuni hominis guſtat, protinus interemptus expirat. Non ergo ſerue Dei te pigeat ieiunare, vt moriatur ille, qui te cibo turgidum nititur deglutire, & abſorbire.* Quod quidem ex D. Ambroſ. lib. 6. in exameron. cap. 4. accepit: *Sputum hominis ieiuni ſi ſerpens guſtauit, moritur. Vnde quanta vis eſt ieiunio, vt ſputo ſuo terrenum ſerpentem interficiat, & multò magis ſpiritualem.* Idemq; habet Galenus, *ſputum ieiuni hominis ſcorpioni, & viperæ venenum eſt,* Quod cecinit ille alter Poeta:

> *Eſt quædam vt ſerpens Virginis quæ tacta ſaliuis*
> *Diſperit, atque ſeſe mandendo conficit ipſam.*

Qui igitur ieiunij armatura munitur, ſpiritum nequam fugat, enecat, ac ipſiuſque incurſibus liberatur: quod per translationem dixerat Dauid Pſalm. 68. verſ. 11. *Operui in ieiunio animam meam.* Vbi D. Ambroſ. epiſt. 7. ieiunij vim, & munimen agnoſcit: *Ergo qui non ieiunat, inquit, intectus eſt, & patet vulneri.* Et epiſt. 36. in idipſum latè ſe diffundit, & concludit. *Caſtra enim nobis ſunt noſtra ieiunia, quæ nos à diabolica oppugnatione defendant.* Et paulò infrà. *Murus quidem eſt Chriſtiano ieiunium, inexpugnabilis diabolo, intranſgreſſibilis inimico. Quis vnquam Chriſtianorum ieiunauit, & captus eſt? Quis ſobrius manſit, & victus eſt.* Succinit D. Baſilius de laudibus ieiunij: *Ieiunium armatura eſt ad confligendum cum impijs. Vndè Dominus non priùs in carne, quam aſſumpſerat, diaboli inſultus exceepit, quam eam ieiunio communiſſet.*

2. Iam ergo cum tanta vis ieiunio inſit, vt (dæmonem fuget, ac interimat. *Cum tanta*, vt dixit Tertull.) *ſit circumſcripti cybi prærogatiua, vt hominem præſtet Deo contubernalem, parem reuera pari.* Non mirùm ſi ipſum ad perfectionem cœleſtibuſque incolis coæ-

quet, ita vt beatitudinis gazas gerat: nam hæc eſt proprietas corporis ieiuni, mortalitatem deponere, & dotibus beatorum indui. Diù torſit ingenia, quod Deus mortem Moyſis ita abſconderit, vt mortalium nullus ſepulchrum eius agnouerit, & fide tantùm teneatur mortem ſubijſſe: cuius rei cauſam in monte cum Deo colloquium, à quo taliter fulgoribus irradiatus deſcendit, vt populus eum intueri nequiret, aliqui eſſe autumant. Sed cum multi ex antiquis Patribus hac eadem gratia fruerentur, Deumque alloquentem viderent, & nihilominùs tali priuilegio non fuerint donati, aliquid in Moyſe peculiare, quo hunc fauorem promeruit, cogitandum eſt, idque fuiſſe reor, per quadraginta dies pabulo caruiſſe, quibus beatam vitam didicit, & eius priuilegia acquiſiuit. Sunt enim proprietates Dei neque comedere, neque oculis corporeis videri. Et cauſa, cur Moyſi corpus non videtur: qui enim ſicut Deus non comedit, ſicut Deus non videatur. Et licet ieiunio diuinitatem inuiſibilem non acquiſierit, inuiſibilem mortalitatem acquirere neceſsè fuit, ideòque neque ſcitur eius mors, neque eius ſepulchrum videtur. Quia etſi ieiunium corpora non efficiat beata, efficit, quod beata videantur, & cœleſtia, quorum proprietas eſt, vt ſine pabulo viuant. Addubitant Philoſophi quiſnam ſit locus, & ſphæra elementaris ignis: ſunt, qui reputent, ignem, qui in terra moratur, elementarem eſſe, nec alium præter ipſum inueniri. At communis ferè omnium Philoſophorum opinio tenet, ſphæram ignis elementaris eſſe contiguam primò cœlo, quod lunæ vocatur, & eius concauum occupare, ita vt ſuperficies conuexa ignis ſuperficiem concauam cœli tangat. Scholis rationes huius ſententiæ mitto. Id ſolùm dubitarem, cur naturæ Author hæc ita diſpoſuerit, vt ad cœlum vſque ignem extulerit? Cur cætera elementa viuentibus hiſce, & ſublunaribus corporibus cohabitare voluit, vt eis inſeruire ut non ſolùm in prima corporum formatione, ſed in ipſorum conſeruatione? Terra enim, aer, & aqua neceſſaria ſimpliciter ſunt ad vitam ſuſtentandam, ignis autem non item. Cur nobilius ignis elementum non ad ſimiles functiones deſcendat, ſed tanquam cœlicola in ſuperno loco habitet? Crediderim, quia ignis elementaris in propria ſphæra non alitur, neque ad ſui conſeruationem combuſtibile indiget, ad talem puritatis, perfectionis, & actualitatis gradum illic peruenit, vt pabulo non indigeat, quare illo ſemper caret, & ieiunans ſubſiſtit: igitur ad cœlum eleuetur: quaſi enim naturali vi corpora ieiuna cœli ad ſe rapiunt, quia eorum vita non terrena, ſed cœleſtis reputatur, vndè aut cœlùm trahere, aut ab ipſo trahi neceſsè eſt.

3. Inter cæteras apparitiones, quas Deus coram hominibus fecit, illa ſemper erit admirabilior, quæ in Horeb monte Moyſi ſeſe obtulit, cum oues paſceretur. Oſtendit ſe ei Dominus in rubo flammis ardeſcente, cuius viror non comburebatur, quin potiùs ignis ipſum fouebat. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat quod rubus ardebat, & non combureretur*. Exod. 3. v. 2. Id autem videtur à Deo alienum quod vt Moyſem fauoribus proſequeretur, in igne appareret, nam vt Deum deterreret, videbatur aptiùs: naturaliter enim ignem formidamus, ab illiuſque approximatione fugimus, cum talis ſit naturæ, vt omnia exurat, & ad ſuam formam reducere tentet. Cur igitur in igne Dominus apparet, vbi Moyſis animum, & beneuolentiam ſibi conciliare intendebat? Auſculta naturam illius ignis: talis enim erat conditiouis, vt rubum illæſum conſeruaret, atque cum ad os cibum, quo nutriretur, haberet, illo ſe abſtinuit, vt ieiunatorem ſe oſtenderet. Hæc igitur diuinæ præſentiæ in illo aſſiſtentis fuit cauſa: nam talitèr corpora ieiunantia, & à cibo ſe abſtinentia Deum alliciunt, vt in illis cogatur permanere; quatenùs ſua præſentia illa beata reddat. Ignis ille non terrenus, ſed elementaris fuit, & vbi à cibo abſtinuit cœleſtis probatur originis: ita enim ieiunij virtus eleuat, vt, & corpora inſenſibilia ad cœleſtem patriam exaltet, vt eius proprietatibus gaudeant, quia pabulo carentia iam cœleſtia corpora reputantur. Vndè dixit Bernardus. *In carne præter carnem viuere, non humana vita eſt, ſed cœleſtis*. Igitur appareat Deus in igne ieiunante, vt huius virtutis excellentiam exaltet, & ad illius ſequelam excitet.

4. Non pudet ſubiungere obſeruationem ingenioſam cuiuſdam moderni præſenti inſtituto appoſitiſſimam. Poſtquam Chriſtus Dominus à funere victor reſurrexit, quadraginta diebus cum hominibus fuit commoratus, & tot diſtulit ſuum aſcenſum in cœlùm, quod myſterio non vacat. Quorſum, qui tot anxietatibus Patrem adire cupiebat, in terra demoratur? Cur humanitatem ſuam glorioſam non ſtatim ad ſuprema eleuat, obtento iam redemptionis fine, & conſummato, ad quod venerat? Reſtat ne aliquid peragendum, vt Patris obedientiam omninò exequatur? Reſtat quidem. Debebat Chriſtus cum hominibus commorari. *Vſque ad tempus præfinitum à Patre*. ad Gal. 4. verſ. 2. Adimplere debuit ſtatutum tempus: igitur quadraginta diebus poſt reſurrectionem permaneat, vt quadraginta dies, quibus in deſerto delituit, ſuppleantur, qui quidem in illius vita non computantur: nam cum in illis quadraginta diebus ieiunaſſet, à ciboque abſtinuiſſet non in hac vita mortali veniunt numerandi, ſed in beata, nam ieiunij vita non terrena cenſetur, ſed cœleſtis. Quare neceſsè fuit, quod poſt reſurre-ctionem

ctionem Chriſtus ſuppleret illos quadraginta dies ieiunij, quos ab hac vita mortali ademerat: virtus enim ieiunij beatam vitam æmulatur, imò, & diuinam. Vndè poſt prædictos ieiunij quadraginta dies acceſſit tentator, & dixit: *Dic, vt lapides iſti panes fiant*, Matth. 4. verſ. 3. ſibi perſuadens, Deum eſſe, qui tot diebus ieiunio erat deditus. Viderat Dæmon Ioannem vrbis delicias ſqualentis eremi habitatione mutaſſe, calcaſſe carnis mollitiem veſtis aſperitate, agreſti cibo mundi totam frænaſſe luxuriam, & tamen non dixit ei: *Si Filius Dei es*. At vbi Dominum vidit iugitèr ieiuuantem proclamat; *Si Filius Dei es*. Cur ita? Audi D. Chryſ. ſerm. 13. *Audiſtis, quid de ieiunijs ipſe ſentiat, & iudicet inimicus? Vidiſtis, quia iam non hominem, ſed Dei Filium credit, quem liberum à ventris conſpexerat ſeruitute? Senſit, ſenſit diabolus ieiunium cunctis virtutibus anteferri. Ioannem viderat, &c. At vbi Dominum vidit iugitèr ieiunantem proclamat. Si Filius Dei es*. Diuinitatis index, & virtutis compendium ieiunium eſt, quandoquidèm cogitationem, quam non excitarunt cæteræ virtutes de Chriſti ſanctitate, ſolùm ieiunium ſanciuit. Neſcit enim ieiunium cum diuinitate, & cęleſti patria non habere commercium.

5. Animaduerſione dignum eſt, quod Noe non niſi poſt quadraginta dies arcæ, in qua erat incluſus, ianuam aperuerit. *Cumque tranſiſſent quadraginta dies, aperiens Noe feneſtram arcæ, quam fecerat, &c.* Geneſ. 8. verſ. 8. Cur per tam longum tempus aperitionem arcæ diſtulit Noè, qui tam cupidus erat futuræ ſerenitatis, & ſciendi, an alluuionis aquæ eſſent imminutæ Albinus antiquus Doctor in quæſtion. in Geneſ. opportunè hic virtutem ieiunij agnoſcit. *Poſt apparentia* (inquit) *Cacumina montium quadragenarius numerus tribulationem ſignificat pænitentię, quo dicitur Noe poſt quadraginta dies: feneſtra arcæ aperuit ſignificat, ieiunio quadrageſimo Cœlum reſerari*. Adimpleto ieiunij tempore in illis quadraginta diebus adumbrato, nihil reſtat, niſi in cœlum tanquam in propriam patriam ingredi: nam tunc, & eius panduntur portæ, vt ieiuna corpora excipiat, & totus Deus illabatur in ipſa. Quam aptè hæc congruunt ſanctiſſimo Parenti Noſtro Franciſco de Paula, qui ob egregium ieiunium, & mirificam abſtinentiam velut ceruus velociſſimus ad montana conſcendit, dæmonum myriades fugauit, frequentiſſimum cum Deo habuit commercium, & Eccleſiæ prodigium miraculorum factus eſt. Vt enim D. Auguſt. ſerm. 33. ad fratres in eremo. *Elias tamdiù miracula fecit, quamdiù pane, & aqua refectus eſt: ſed poſtquam carnem comedit, & vinum bibit, in ſatieate miracula non legitur feciſſe*.

6. E conuersò autem ſicut ieiunium omnium virtutum eſt compendium, omnium vitiorum mors, quo epitecto illud inſigniuit Baſil. de Seleucia. orat. de ieiunio. *Ieiunium eſt omnium vitiorum ſepulchrum*. Intemperantia mors eſt virtutum, & vitiorum fomentum, præcipuè ſenſualis appetitus. Vndè D. Maximus intemperantiam in vſu epularum diſſertè vocat *Matrem, & matricem ſcortorum*. Et Tertullianus contra Phyſ. cap. 1. & vlt. magna animi contentione diſputat, & acutè concludit libidinem ſine gula, & intemperati animi vitio monſtrum eſſe. Et alias luxuriam vocat appendicem gulæ. Similiter D. Auguſt. ſerm. 56. de temp. ſcitè ait: *Irrigata corporis noſtri terra ſpinas libidinis germinabit*. Vndè lucem capit difficilis Pauli textus ad Hebræos 12. verſ. 16. Vbi Eſau ſcortatoris nomine deturpauit. *Ne quis fornicator, aut prophanus, vt Eaſu*. Mirum quod vocet Eſau ſcortatorem, aut prophanum, cum Moyſes in ſacris annalibus nihil ſimile de illo memoratus ſit, nec veriſimile appareat, ſacrum Scriptorem, qui alia de moribus Eſau minutim ſcripſit, id omiſiſſe. Vndè D. Chryſoſtomus, & Theophilatus præcitata epitecta ad præcedentia, quæ Apoſtolus exarauerat, referri autumant, cum non videant Eſau poſſe competere. Alij cum D. Thoma ſcortatorem vocari Eſau exiſtimant quia matrimnnium cum idolatris contraxit. Sed meritò ferè omnibus hoc placitum diſplicet: quia idolololatram ducere vxorem nõ eſt ſcortatorem eſſe, ſed inobedientem. Hanc dubitationem Thaſalius Monachus lib. 1. Epiſt. 320. propoſuit Iſidoro Ægyptio, & eam egregiè ſoluit. *Non mirùm id videri debet, cum enim conſtet intemperantem fuiſſe, atque ventris inglunie, ſaginaque obſtrictum, facilè potuit intelligi, eum libidinibus deditum, & prophanum extitiſſe, quod ex eo turpitudo ſcaturiat*. Intemperantiæ enim carnis illecebræ conſequentia eſt.

DISCVRSVS XVII. MORALIS.

Monaſticæ, & ſolitariæ vitæ elogia traduntur, à cuius perfectione qui deficit, impudentèr delinquit.

1. PLacuit propè huius operis finem vitæ religioſæ, quam immeritò profiteor, aliquas laudes depromere, quas cum ingenti gaudio ad calcem ſui vaticinij Propheta noſter prædicauit. *Et penet pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem*. Hic verſ. 19. Id eſt, per viam tutam, & à periculis liberam deducet me, vt ferè omnes commentantur:

Digitized by Google

nam cerui (vt inquit Eucherius in pſalm. 17.) cum venatores fugiunt, in excelſos montes properant, vbi tuti conſiſtunt, & innoxij. Quod de his, qui in religione degunt, capit Hieronymus in huius loci breui commentario. *Omnem mundanam ſolemnitatem contemplatione cœleſtium tranſcendere me fecit, victoriam eius, & triumphum, atque trophæum, canentem.* Illis enim, qui ſe à Babylonico ſæculi iugo ſoluunt, ceruorum Deus pedes ad velocitatem præſtat, vt pericula vitent, & Deo conſecrati alacri animo ſint, cum iam per planam ad cœleſtem Hieroſolymam incedant viam, quæ ſæcularibus ſcopuloſa, & implexa eſt. Quaproptèr in pſalmis canere, & aſſiduè celebrare diuinam bonitatem oportet ijs qui ſæculo renunciant, & de Babylonica tyrannide triumphant, quorum Deus à laqueo ſæcularium ſollicitudinum pedes liberauit, vbi pericula paſſim occurrunt.

2. Poſtquam cæleſtis Sponſa Deum, quem in lectulo ſuo habere credebat, non inuenit, impensè curat illum per vicos ac plateas exquirere; ſed fruſtra. *Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos, et plateas quæram quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni.* Cantic. cap. 3. verſ. 2. Cur qui ardentèr diligebat Sponſum, inueniri recuſat? Elegantèr D. Ambroſ. lib. de virg. *Non in foro Chriſtus reperitur: non eſt enim Chriſtus circumforaneus. Chriſtus enim eſt pax, in foro lites: Chriſtus iuſtitia eſt, in foro iniquitas: Chriſtus operator eſt, in foro inane otium: Chriſtus charitas eſt, in foro obtrectatio: Chriſtus fides eſt, in foro fraus, atque perfidia.* Itaque in foro (& idem puta quocumque alio loco, vbi prophanæ ſæcularium hominum curæ tumultuari ſolent) Sponſum quæſiuit Sponſa, & non inuenit: cum tamen pertranſiſſet vigiles cuſtodientes ciuitatem poſtquam ciuitatis non portas tantùm, ſed etiam negotia, & curas, tranſgreſſa eſt, atque ad ſolitudinem peruenit, Sponſum inuenit, dulciſſimumque illius proloquium promeruit. Vndè ipſius pulchritudine allectus dicebat Sponſus: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum?* Cantic. 3. verſ. 7. Ea ipſa, quam in ciuitate non agnouit, in ſolitudine maximè placet, & gratiſſima apparet. Vndè dixit Philo lib. de Abraham: *Natura enim comparatum eſt, vt qui Deum inuenire cupiunt, amicam ei ſolitudinem diligant.* Ideòque meritò idem auctor (libro quod deteriùs potiori inſidiatur) Cain dementiam irridet, qui ſe à facie Dei abſcondi poſſe in ſolitudine arbitrabatur: nam qui ad ſolitudinem abit, in Deum profectò incidat, neceſsè eſt. Et propterea vt fauoribus Deus cumularet Abraham, præcepit ipſi, vt à domo paterna exiret: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua; & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrauero tibi*, Geneſ. 12. verſ. 1. Perfectum Deus, & omni virtute exornatum reddere volebat Abraham, nam illi poſteà dixit Geneſ. 17. v. 1. *Eſto perfectus.* Vt ergo perfectus eſſet, à propria domo, & de cognatione egredi præcipitur: nam ibi perfectionem Deo gratam habere non poterat, vt annotauit Origenes epiſt. ad Rom. cap. 1. *Hoc vtique non diceretur, ſi in domo patris Deo placere potuiſſet.* Vigebant ibi ſæcularia negotia, idololatriæ error, parentum amor; procul ergo abire oportebat, vt perfectus eſſe poſſet, atque vt Dei præſentia potiretur, vt notauit Philo. Geneſ. 12. v. 7. *Poſtquam totam domum egreſſus eſt*, ait text. *viſum ei Deum.* Sic habetur cap. 12. *Apparuit Dominus Abraham.* Quem loquendi modum nunquam antè Scriptura tradiderat, vt aduertit D. Chriſoſt. hom. 32. in Gen. parum à principio. Voluit ergo Deus hominem ſolitarium, domum patris cognationemque relinquentem ſui viſione nobilitari, vt quo fauore, qua dilectione relinquentes paternam domum, & in ſolitudinem religionis abeuntes proſequatur, oſtendat.

3. Moyſi montanam ac ſolitariam vitam ducenti, & in deſerto oues Iethro ſoceri ſui paſcenti Deum apparuiſse mirandaque arcana manifeſtaſſe ſacræ produnt litteræ Exod. 3. verſ. 2. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, &c.* Cur in deſerto monte, vbi nullus aderat teſtis, ſecreta cæleſtia Deus reuelat? Oleaſter ad hunc locum. *Audis hic, quibus hominibus, & in quibus locis Deus ſua ſecreta reuelet? Nempè deſerta loca incolentibus.* Quoties deinceps Deus Moyſem de rebus altiſſimis erat inſtructurus, à caſtrorum tumultibus ſemotum ad montem vocabat, ibique totum diuinis intentum alloquebatur. Impediunt inferiorum rerum auræ animum cœleſtia meditantem, cum tamen qui vitæ huius onera abijciunt, veluti alati cœlum volare videantur, eiſque Deus perpetuus eſt comes. At cur in igne Deus apparet imò ignis nuncupatur? Sic Deuter. 4. verſ. 24. *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt.* Cur hoc nomen amat, qui aliud elementi reſpuit vocabulum, non enim aqua, aer, aut terra nuncupatur? Tempeſtiuè S. Anaſtaſius Synaita. lib. 4. in Exam. *Arbitror id fieri, quod ſolus ex rebus terrenis loca ſuperiora appetat, & perſequatur.* Surgit in altum ignis, quia ſuperior ſphæra ſibi locus eſt: exteræ contagionis non patitur commixionem, & ſolus in totius orbis vertice degit: idcircò in illo apparet Deus, quia cæleſtia petentibus præſtò adeſt. Id ipſum adumbrat rubus, in cuius medio Deus apparuit. *Eſt enim rubus* (inquit Lippomanus) *arbor ſterilis, & ſenticoſa, quam auis citra deplumationem intrare non poteſt, vt Hebræi dicunt, creſcens in deſerto, à quo nomine, & arbore mons Synai nomen accepit, in quo Dominus apparere dignatus eſt.* Ecce digna diuinæ inhabitationis arbor, quæ neque aliti ingreſſum præbet, quin plumas deponat: quod religionis

gionis

gionis arctum inſtitutum adumbrat, vbi omnes terrenæ curæ deponuntur, vt aditus ad Deum ſit apertus. Hæc reſpicit locus ille Pſalm. 70. verſ. 16. *Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini*, iuxta 70. verſionem legitur: *Quoniam non cognoui negotiationes*. Quaſi rerum terrenarum lucris ac curis intenti ad contemplanda magnifica Dei opera non admittantur. Vndè quia ab his liberum habebat animum Dauid, ad eorum contemplationem ingredi non dubitabat. Qui enim à ſecularibus negotijs ſe ſubducit facilè Dei myſteria percipit, ipſumque comitem habet, qui omnem aditum inimicis ſpiritualibus præcludit.

4. Prædixit Deus (Daniel. cap. 11.) miſeram ſtragem, & deplorandam ruinam, quam Rex Antiochus inducturus erat in terram Iudææ, ſub cuius perſona Antichriſtus latebat adumbratus, & tres tantùm ciuitates ipſi inſuperabiles futuras aſſignat: *Introibit in terram glorioſam, & multæ corruent: eæ autem ſolæ ſaluabuntur de manu eius Edom, & Moab, & principium filiorum Amon*. Cur ex ciuitatibus Iudææ, quas ſuperbus Princeps profligabit, hæ ſolùm à tyranni iugo immunes euadent? Quid ille vrbes peculiare habuerunt, vt ab inimico expugnatore liberentur? Audi D. Hieronymum, qui in Antiocho vrbes depopulantę Antichriſtum agnoſcit: *Antichriſtus Idumeã, & Moabitas, ac filios Amon ideſt Arabiã relinquet intactam, quia illuc ſancti ad deſerta confugiunt*. Referebant illæ ciuitates vitam religioſam, & ſolitariam, vbi nullus inimico patet acceſſus: quaſi ſoli Religioſi, & eremi incolæ de mundo triumphent, quia intra religionem, & monaſtica clauſtra arma deſunt diabolo, quibus abundant in ſæculo, vt ibi habitantes aggrediatur. Quod ſcitè admodum annotauit D. Ambroſius: ſerm. 35. in cap. Matth. 4. *Dic, vt lapides iſti panes fiant. O miſera*, inquit, *Satanæ, & extrema congreſſio. Diabolus in deſerto tentationis ſolida arma non inuenit, deeſt illi de paradiſo amænitas arborum, deeſt illi conſiliatrix Eua: deeſt illi pomorum ſpecioſa deceptio: quia non inuenit cibum, quem offerret eſurienti poſtulat in cibum, ſaxa mutari. Vndique excluſus, vndique defraudatus ad pauimenta ſe confert: ſatis enim manifeſtè oſtendit vaſtitatem ſibi eremi reſtitiſſe, cum putat propter inopiam rerum elementa poſſe conuerti. Putabat igitur in panem lapides commutari*. Tamen etſi in religioſa, & ſolitaria vita non ſint paradiſi deceptoriæ voluptates, in fructuum vbertate paradiſum refert, vt pulchrè aiebat Petrus Damianus: ſerm. 59. *Verè clauſtrum eſt paradiſus: hic prata virentia ſcripturarum: præterfluens lacrimarum vndoſitas, quam de puris affectibus amor ille cœleſtis eliquat: hic ſunt arbores erectiſſimæ chori ſanctorum, nullaque eſt, quæ non multa gaudeat fructus vbertate*. Etenim religioſa vita paradiſum inſtaurat, quia in ea delitiæ vberrimique fructus colliguntur.

5. Sed proh dolor! Quot ſunt, qui in hoc paradiſo delinquunt, qui in hac via tuta, & à periculis libera offendunt, qui in hoc perfectionis ſtatu peiores, quam in ſæculo efficiuntur. Sæpè quæ in iuuentute venerantur Religioſi incrementa virtutum ſenes abhorrent, & miſerè deperdunt. Qui mundialibus curis irretiti perfectionem ſequebantur in excelſo religionis ſtatu aliquandò degenerant, ſimiles Pardorum gentibus, quibus iuuentus cana eſt, nigra ſenectus. Hos meritò comparat S. Geminianus (lib. 4. epiſt. 38.) Miluis, qui in iuuentute magnas capiunt aues: in ſenectute autem vix muſcas, aut culices, degeneres oſtendentes viros, quibus in maiori ætate, & perfectiori ſtatu minor ineſt virtus. *Miluus in iuuentute differre à præda auium non videtur, ſed quantò plus viuit, magis ſeſe ſemper degenerem oſtendit, vndè ſecundum Ariſtotelem quoddam genus eſt Milui, quod in principio aues capit, tandem vix muſcas, & vermiculos, & tandem fame perit*. Tales iudicabis leues, & inconſtantes, qui in prima ætate virtutem colunt, in ſenectute autem impiè ſe gerunt, & virtutem in ſæculo partam deperdunt.

6. Hos quidem à bono in malum declinantes, & in peius ſemper abeuntes arguit Deus in populo Iſraelitico, qui poſt magnos in lege Dei prouentus indecorè defecit. Oſeæ 8. verſ. 9. *Quia ipſi aſcenderunt ad Aſſur, onager ſolitarius ſibi*. Aſſimilem onagro conditionem habuiſſe populum reprehendit: in quo autem populus onagri exprimat mores, & ingenium, obſcurum valdè eſt. Conſulendus Ælianus lib. de hiſt. animal. cap. 9. vbi de onagris, ſeu Aſinis Affricanis ait: *Mauri aſini primum vt ſe in viam dederunt, incredibili celeritate iter conficiunt, vt euolare, non excurrere videantur: deindè citò feſſi de via, & ſpiritus deficiunt, & pedum tarditate ad currendum conſtricti inſiſtunt, & acerrimas profundunt lacrymas, non tantoperè meo iudicio ob futuram mortem, quam ob pedum infirmitatem: quare vt captiui ad equos alligati trahuntur*. Vbi expreſſam videas imaginem Iſraelis, qui cum nimis immatura feſtinatione ad negatam voluptatem properaret, deficit tandem, & viribus, ac ſpiritu cadens, conſtrictus ad hoſtes, non iam ampliùs liber & ſtrenuus, adducitur. Similiter inſtabiles videas homines, qui à principio alacritèr inſequuntur virtutem, poſteà verò turpitèr eam deſerunt, & à dæmone victi ad ſua praua deſideria trahuntur: & miſerabilem deplores caſum eorum, qui in ſeculo benè morati extitere; ad religionem autem traducti efficiuntur praui. Quibus apprimè congruit, quod de eodem Iſraelitico populo dicebat Amos c. 8. *Occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis*. Ideſt, in meridiano Religio-

ligionis ſplendore, vbi virtutis radij magis vigent, deficiente repentè Sole, nox obrepet, & luci clariſſimæ vitij caligo denſiſſima ſuccedet. Qui in noctè ſæculi luce non erant deſtituti, intra clauſtra omninò obſcurantur: ſicut arbores, quas vidiſſe teſtatur S. Ioannes Climacus, quæ in terra ſterili, & ſalſuginoſa enatæ vberes afferebant fructus; ad fæcundam verò tranſlatæ, vbi dulciſſimæ aquæ laticibus irrigantur: ad limpharum torrentem ſteriles ſunt effectæ. Impudentèr enim delinquunt, qui à virtute Religioſi ſtatus ſemel deficiunt: quia perfectiſſimum Religioſæ vitæ inſtitutum propter ſuam excellentiam neſcit paulatim decreſcere. Qui ab illo cadit, ad ima deſcendere neceſſè eſt: vt dixit Ariſtoteles, *Corruptio optimi peſſima eſt*. Et Horatius: *Grauiori caſu decidunt turres*. Vndè dicebat D. Auguſtinus, lapſus nonnullorum ſuæ profeſſionis expertus epiſt.137. *Simpliciter fateor coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam: ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodò difficilè expertus ſum meliores, quam qui in monaſterijs profecerunt, ità non ſum expertus peiores, quam qui in monaſterijs ceciderunt*.

7. Iacobo à parentis domo fugienti, & per ſolitariam ſemitam incedenti apparuit Deus in illa celebri ſcala ſupra terrã innitente, cuius cacumen tangebat cęlum, & in cuius ſuprema extremitate innitebatur Deus: qua viſione inſtructus, cum in ſomnis accidiſſet, euigilans ait: *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam*. Geneſ. 28. verſ.16. Planè Deum agnouit, neque de illius conſortio dubitauit. Cum autem ipſemet Iacob à Meſopotamia remigraret. *Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane*. Geneſ. 32. At cum per totam noctem cum Deo luctaretur (vt probabilior fert Patrum ſententia) ac intra brachia complecteretur, illum prorſus ignorauit, vt ſatis perſpicuè indicant illa verba, quibus nomen certantis ſibi reuelari expoſcit: *Dic mihi quo appellaris nomine*? Cur Iacob in ſomnis, & noctis vmbris, eminùs quantùm à cœlo terra diſtat, ibi agnoſcit Deum ſuperiori ſcalæ extremitate innitentem; non verò cum è Meſopotamia redux tota noctè cum eo luctans mutuis amplexibus ſe ſe illi inſeruit? Cur modò quiſnam ſit, ſciſcitatur, qui lynceis oculis à terra Deum proſpexerat in cœlo? Ipſummet, quem tunc in tam longo interuallo agnouerat, modò ad amplexus vſque inter brachia ruentem neſcit? Meditabar olim ſic accidiſſe, quia Iacob è Meſopotamia remigrans cum vxorum familia, & filiorum copia matrimonij ſtatum figurabat, cęlibatus verò quandò ſolus à parentis domo fugiebat, & aſperam ſolitudinem peragrabat. Faciliùs autem celebs, & Religioſus Deum agnoſcit, quam is, qui mundialibus irretitur curis. Nunc mihi oppoſitum videtur: nam Iacob in toto vitæ curriculo Eccleſiaſticum, ac Religioſum virum adumbrabat, *Erat enim vir habitans in tabernaculis Seth*, vt ibidem habetur, & ſunt quamplures, qui in mundo degunt ſæcularibus ſolicitudinibus implexi Deum perſpicuè agnoſcentes, ipſum venerantes, ac reuerentes: ij autem ad religionem tranſlati, quandò ratione muneris, & ſtatus magis Deo adiunguntur, quotidièq; ipſum in manibus habent celebrantes, & in pectore excipiunt: minùs de illo ſapiunt, propter maiorem familiaritatem eum deſpiciunt, & ignorant. Ipſemet Iacob, qui in primæuis annis alto ſopore dormiens Deum agnouerat, cum iam increuerat, & cana ſenectute plus proficere tenebatur, magis, ac magis Deum ignorat. Huius autem de generis conditionis ſe expertum agnoſcens Propheta, lætatur, quod cerui naturam imitatur, qui quotannis cornua cum incremento renouat, neque in ſenectute à virtute iuuentutis degenerat. *Et ponet pedes meos quaſi ceruorum*. Hic verſ.19.

DISCVRSVS XVIII. MORALIS.

Cœleſtia anhelans terrena contemnit, & pericula deſpicit.

1. QVi ſurſum animam leuat, & à ſæcularibus curis abſtrahit, terrena cuncta ſpernere diſcit, quia ibi tantùm felicitatem veram agnoſcit, veramque ſecuritatem. Nihil eſt, quod timorem incutiat ad cœlum tendenti, nam illicò valet terrena quæque pericula ſuperare, & diſcrimina contemnere. Poſt ingentem mundi alluuionem generaleque naufragium explorare deſiderans Noe, an adhùc terra ſtagnaret aquis, & futuræ ſerenitatis ſigna apparent, arcam, qua erat incluſus, detexit; vt exindè terræ ſuperficiem proſpiceret. *Aperiens Noe tectum arcæ aſpexit, viditque, quod exſiccata eſſet ſuperficies terræ*. Geneſ.8. Suomet obſtare videtur Noe deſiderio: nam ſi animus erat inueſtigare, an terra adhùc aquis eſſet ſubmerſa, an ſaltem cacumina montium diſcooperta apparerent; cur arcæ tectum reſerat, & non potiùs ianuam terræ vicinam, & peruiam? Quo ingenio per tecti rupturam, quæ ſurſum aſpicit, & cœlum tantummodò demonſtrat, terram potuit videre diſcoopertam, & mortalium pericula non vltrà progredi? A cœlorum aſpectu terræ ſic ciuitatem arguere procurat? Ita equidem: nam qui terrena pericula vitare intendit, cœlum aſpiciat, neceſſè eſt; nam ibi & diſcrimina videbit, & paruipendet. Per tecti rupturam cœlum aſpicit; exindèque terram, quam videre prætendit, intuetur: quia oculos ad cœlum in præſſura leuare

uare, ars eſt ad pericula quæque ſuperanda, & mundialium rerum inanitatem deſpiciendam. Polare ſidus qui aſpicit, ſine offendiculo viam calcat, & terrena proterit.

2. Poſtquam Dominus diſcipulorum de primatu contendentium ambitionem repreſſit, illorumque ſocordiam exprobrauit, tandem eorum animos terrena ambientes promiſſione cœleſtis patriæ ſedauit. Luc. 22. verſ. 29. *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum*. At quorſum de cœleſti regno agit, cum illi de terreno tantùm contendant, & deſideria terrena cupientia cęleſtium promiſſione euertere conatur? Talis nè eſt mundialium rerum ambitio, vt supernorum promiſſione muneretur? Audi Caietanum. *Retrabit eos ab ambitione ex præmio præparato eis in cæleſti gloria, vt non ſolùm ex tanti temporis merito, ſed ex præparato tam excelſo præmio erubeſcant*. Vt diſcipulorum animos à ſæcularium ſolicitudine reuocaret, in cœlo paratas ipſis obijcit manſiones, vt illuc oculos conuertant, vbi vera felicitas perennat: nam qui ad ſupernam patriam oculos dirigit, neſcit non ſpernere terrena. Corda peritura ambientia ad cęleſtia eleuare procurat, non ſolùm vt à propoſito reſipiſcant, ſed vt talia deſideraſſe erubeſcant: nam pudor eſt ad cœli conſpectum, vbi mens de veritate bonorum eruditur, caduca non deſpicere, quæ cęleſtibus comparata inania ſunt, & pro nihilo reputantur. Vndè Dauid ſummam impiorum exaltationem, quæ ſumma vacuitas eſt, altè meditatus, dicebat Pſalm. 36. *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani. Et tranſiui, & ecce non erat*. Quid eſt, tranſiui? Ideſt, poſtquam eum conſideraui, cœlos aſpexi, cumque ibi oculos conuertiſſem, deprehendi omnia impiorum proſpera, & decora nihil eſſe, eaque tanquam inania, & inſubſtantialia deſpexi. A vertice, vbi eleuantur, ad cęleſtium meditationem tranſiui, & cuncta, quę poſſident, inania prorſus, & vacua reputaui. Nahum cap. 1. verſ. 10. locutus de ijs, qui ſecunda potiuntur fortuna, & temporalium rerum abundant copia aiebat: *Conſumentur quaſi ſtipula ariditate plena*. Mirùm, quod mundialium rerum amatores ariditate dicantur pleni. Planè implicata ſententia eſt, & quæ antinomiam importare videtur: nam rerum plenitudo abundantiam ſignificat? Ariditas autem omnimodam vacuitatem. Quomodò ergò inter ſe conuenient vacuitas, & copia inanitas, & plenitudo? Elegantèr Rupertus ibi. *Mirè dictum ariditate plena. Quid eſt ariditas, ſiue vacuitas? Ergò ſtipula hic dicitur ariditate plena. Non abſque ſenſus graui pondere ſic dixit ſciens ſpiritus, qui hunc mundum arguit, diuitum huiuſmodi falſam plenitudinem veram eſſe maciem*. Quaſi dicat: Spiritus in cęleſti ſchola eruditus ex ijs, quæ ibi didicit, vacuitatem rerum terrenarum arguit, & plenitudinem eorum, quæ ſub cœlo ſunt, falſam eſſe plenitudinem, & veram vacuitatem agnoſcit: cęleſtia verſans ſterilia cuncta temporalia reputat, quæ plenitudinis ſpeciem præſeferunt, ſed vix cęleſtium meditatione tanguntur, cum vacua reſonant, & inania. Coticola æternorum affricata fictum fulgorem detegunt, nulliuſque valoris apparent, & quamuis humanum cor ponderosè grauent, ipſa vanitate leuiora ſunt. Vndè dicebat Dauid Pſal. 4. *Filij hominum vſquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Nihil ſanè leuiùs vanitate eſt. Nihil futiliùs mendacio. Quo ergò pacto vanitate, & mendacio, quibus decipiuntur homines, illorum grauatur cor? Grauatus animo eſſe poteſt, qui nihil niſi vanitatem geſtat in corde? Crediderim ſic dictum, quia huius mundi bona, licet meræ ſint vanitates, grauant tamen humanum cor, eo videlicet, quod qui ad illa reſpiciunt, ineptum habent cor, vt ad cęleſtia veluti ad centrum eleuetur, & impedientia pondera excutiat, & deſpiciat: ſicut qui ſuperna meditatur, terrena omnia prorſus contemnit, ne grauetur, & tardigrado curſu ad cęleſtia eat? Ne in via retardetur, ſed feſtinantèr curſum perficiat, omnia peritura calcat, & deſpicit. De quo meritò gloriatur Vates, pedes ſe ceruorum habere agnoſcens, vt loca velocitèr aſcendat ſuprema, & cęleſtem viam carpat ſine impedimento. *Et ponet pedes meos, quaſi ceruorum*. Hic verſ. 19.

DISCVRSVS XIX. MORALIS.

Anima, vt fructum afferat, ſemper eſt colenda.

1. FErtilis ager, niſi aſſiduo renouetur aratro, nihil niſi ſpinas, & tribulos germinabit: ſic animæ cultura niſi iugis ſit, & aſſidua, nonniſi infructuoſas herbas, quæ virtutis ſegetem ſuffocent, affert. Horti peramæni euigilans cultor forcipe expedit quotidiè ſuperflua virgulta mirteti præſcindat, ne arma, & figuræ ex eo compoſita deformentur. Semper enim docet differre paratis, & incultus animus facilè quacunque negligentia deformatur. Nihil æther perflans in laxum velum efficit, nec ſegnis anima proficuè Deum ſuſtinet, vt elegantèr dicebat Chryſoſtomus hom. 34. in epiſtolam ad Hebræos: *Sicut in velum laxum ventus incidens nihil operatur: ſic etiam Spiritus Sanctus in anima remiſſa, & ſegni permanere non ſuſtinet. Et ſicut aranearum ſtamina flatus venti non ſuſcipiunt: ſic neque anima ſæcularis, nec homo animalis gratiam*

tiam

tiam poterit Spiritus Sancti ſuſcipere : nihil enim differunt ab iſtis flaminibus cogitationes noſtræ, ſolo viſu habentes conſequentiam, totius autem virtutis vacua permanent. Vt anima Deum ſuſtinere queat, & illo comite viam peragit, à ſegnitie longè eſſe oportet, aſſiduaque fatigatione excoli : nam vt dicebat Procopius ad cap.28.Iſaiæ. *Dei ſermo ſolet animas noſtras excolere, ſuoque tempore doctrina tanquam aratro renouare, & latentes earum cogitationes præſcindere.*

2. Numeri 8. verſ.7. pro Leuitis erudiendis hæc extat lex. *Leuitæ radant omnes pilos carnis ſuæ.* Cur radi præcipiuntur pili, non auelli? Præſtaret eos radicitùs extrahere, vt abradendi cura abijcerent, & tempus ad id munus inſumptum in diuinis laudibus inſumere. Optimè D.Gregor. lib.1. Moral. c.23. *Ipſi Leuitarum pili radi præcepti, non auelli : ſemper enim caro ſuperflua generat.* Licet Leuitæ perfecti eſſent, ex radice tamen originalis noxæ naſcitur, vt radices ſemper maneant in eorum carne infixæ, quæ penitùs auelli nequeunt : vndè ſemper de nouo vanæ pullulant cogitationes. Hæ igitur aſſiduè radendæ ſunt, quandoquidèm extrahi nequeunt : continua propriæ cogitationis nouacula ſuperfluitates, quæ ex originaria culpa ſerpunt, crebrò abradendæ ſunt, ne zizanijs creſcentibus decreſcat, & euigoretur animæ virtus, pro cuius ſalute tuenda nulli labori, nullique curæ parcendum eſt.

3. Huius aſſidue culturæ, & renouationis ſolertèt agricola erat Dauid, quandoquidèm nunquam à labore ceſſabat, ſed præ manibus opus ſuum ſemper habebat. *Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuam non ſum oblitus*, Pſalm. 118. veſ. 109. Quid eſt animam in manibus geſtare, & ex indè legis diuinæ non obliuiſci? Hugo Cardinalis. *In manibus, id eſt in operibus. Quaſi dicat : quæcumque facio, facio pro ſalute animæ meæ.* Alludit ſatis opportunè ad locutionem ſutoris, & aliorum artificum, qui vt ſignificent diligentem curam, quam erga commendata ſibi opera habent, ſolent dicere, præ manibus ea habere. *No la dexo delas manos.* Hiſpanè dices. Hoc igitur ſignificare voluit regius Pſaltes, cum dixit, à ſe animam nunquam derelinqui, ſemperque in manibus eam geſtare, ſemper de illa cogitare, ac eam excolere, vt perfectos hebeat indè prouentus, vt vberes reddat fructus, nulllo infructuoſæ herbæ vitio permixta. Perfecti enim viri de nullo alio, niſi de cultura animæ agunt. Vndè ægrotanti Ezechiæ ſic futura mors denutiatur. *Diſpone domui tuæ : quia morieris tu, & non viues.* Iſa. 38. verſ. 1. Mirum, quod Deus morituro Regi non ſuggerat, vt de ſeipſo potiùs diſponat, quam de rebus ſuis. Qui ſalutem animę tam ſolertèr deſiderat, & ſolicitè procurat, illius non recordatur, vbi mortis ſententiam pronuntiat, & de rebus tantùm perituris curam iniungit? Oleaſter difficultatem vidit, & ſoluit: *Quia ſanctus erat Ezechias. Tu verò quia peccator es, animam diſpone priùs, & poſteà tua.* Timorato viro, qualis erat Ezechias, non fuit neceſsè id præcipere, quod priùs ipſe fecerat : nam ſedulò toto vitæ tempore animam diſpoſuerat, ipſiuſque culturæ intenderat; ideòque de rebus tantùm ſuis diſponere iniungitur. *Sed tu*, inquit Auguſtin. ſer. 144. de temp. *Solam animam malam vis, optimam ſegetem deſideras, bonum equum, bonum famulum, vxorem caſtam, & pudicam, nec malam veſtem ſuſtinere potes.* De ſola anima non cogitas, ideòque ſæpè tibi ſuggerendum eſt, diſpone animæ tuæ, ne incultam, & vanis effectibus laſciuientem mors eam inueniat, inuicto labore, & aſſidua fatigatione impende in te ipſum curam, & operationem, vt nuſquam ſinè virtutum germine inueniaris, & ſterilem te mors arborem manifeſtet, quales illæ erant, de quibus lamentabatur Propheta ſpem dominorum decepiſſe. *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis. Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum.* Hic v.17.

DISCVRSVS XX. MORALIS.

Amor ſubditorum in Principem victorias parat.

1. LEthalitèr nutat ad ruinam Reipublicæ ſtatus, vbi ſubditorum erga Principem deficit amor, vbi beneuolentia erga Principem inſtabilis eſt. Hinc excidium Romani imperij auguratus eſt Tacitus. *Breues, & infauſtos populi Romani amores.* Sicut ex pia affectione popularis multitudinis firmam ſtare Rempublicam, & glorioſis nobilitari triumphis, aiebat Seneca lib. 1. de clem. cap. 4. Quia qui pro dilecto, & benefico Principe pugnat, pro ſeipſo certare arbitratur. *Suam itaque incolumitatem amant, cum pro vno homine denas legiones in aciem deducunt; cum in prima fronte procurrunt, & aduerſa vulneribus pectora ferunt, ne Imperatoris ſui ſigna vertantur : ille eſt enim vinculum, per quod Reſpublica cohæret, ille Spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt. Nihil ipſa per ſe futura, niſi onus, & præda, ſi mens illa imperij ſubtrahatur.* Verùs erga Principem amor veluti anima eſt militaris roboris, ardoris, & fortitudinis. Acerrimus propugnator cum ſit Regis dilectio, nihil non audet glorioſum, pericula deſpicit, vt victorias ſuo Principi reportet.

2. Geneſ. 14. verſ. 14. quatuor Aſſyriorum

rum

Digitized by Google

rum Regibus cum captus duceretur Lot, de ipſius captiuitate dolens Abraham, aduerſus victores ſe parat pugnaturum,& vt fortiori manu exiliat in vindictam, exuuiaſque auferat triumphatoris. *Numerauit* (inquit textus) *expeditos vernaculos trecentos decem, & octo, & perſecutus eſt eos.* His cinctus militibus, & Reges deuicit, & captum nepotem liberauit. Quis non miretur, quod tam exiguo bellatorum numero aduerſus magnum, & victoria ſuperbientem exercitum proceſſerit Abraham, victoriamque reportauerit paucis, & inexpertis militibus munitus? Cur non veteranos milites armauit, vt viriliter, & expeditè dimicarent; ſed vernaculos, & tyrones ad bella inſuetos, longèque numero hoſtibus impares? D. Chriſoſt. hom. 34. in Geneſ. *Aſſumpſit vernaculos, & qui cum Lot educati erant, vt beneuolè facerent, vtpote ſerui pro ſuo domino certantes: vt quemadmodum dux, ita, & milites non furore, ſed amore ad bellum vindicarentur.* Pende hæc vltima verba, *non furore, ſed amore ad bellum vindicarentur.* Non proſunt, ſed obſunt milites ad bellum coacti, & furore ſeuientes,qui more canum alligati,non Principis,& patriæ amore ducuntur. Conſultò Senatus noluit Romanus captos milites, quos ipſi offerebat Annibal,& quibus plurimum indigebat, poſt Canas victoriam admittere:quia qui vltro ſe hoſti obtulerūt,& mori pro patriæ amore in certamine recuſarunt,ineptos ad bella iudicauit. Solerter igitur Abraham paucos, ſed erga Dominum benè affectos, quāuis tyrones milites ad bella ſelegit: quia amore Principis armati, pauci, & inexperti milites plus efficiunt, quam ſine amore multi. Exiguus bellatorum numerus de formidabili, & numeroſo exercitu victoriam reportauit, quia non furore, ſed amore ducebantur ad bellum.

3. Præcepit Ioſue cap.1. v.5. Dei nomine militibus, qui ſupererant, decem millibus reuerſis, viginti duo millibus, vt omnes è fonte coram ſe biberent, addens velle Deum eiuſmodi ſigna diſcernere pugnaturos: *Qui lingua lamberent aquam, ſicut ſolent canes lambere, ſeparari ſeorſum.* Igitur flexis genibus alij ad fontem procubuere, & longo hauſtu auidiſſimè ſe irrigarunt: erat enim meridies, authore Ioſepho, ſolque incaleſcebat, & ardor ſitim accenderat. Alij ſtantes cauis manibus aquam ſumpſerunt, & more canum carptim lambebant, qui trecenti tantùm extitere: quos dux probauit ad pugnam, ceteris dimitti iuſſis. Quæ huius diſcriminis fuerit cauſa, non parum negotium faceſſit. Cur tam pauci ad tam ingentem inimicorum multitudinem expugnandam aſſumuntur, eo quod more canum aquam lamberent? Quod fortitudinis illud ſignum erat, vt exindè liceat dimicaturos fortiter, & numeroſas acies profligare augurari? Præclarè Origenes hom.7. in Ieſ. *Ideò hos trecentos more canum dictos bibere: quia hoc animal ſuper cætera animalia mortem dicitur proprij domini ſeruare, nec obliterari tempore, nec iniurijs eius, quo in eo fertur, affectus.* Quaſi innuat, illos fuiſſe electos, quia maiori erga Deum, & ducem amore erant prediti: nec enim poterat non reportari victoria, vbi, etſi pauci, fideles tamen, pugnabant milites: pauci namque bellantes, qui more canum benè affecti ſunt erga Dominum, illiuſque amore flagrant, de ingenti multitudine triumphant. Etenim vnus Mardochæus Eſther cap.2. verſ.22. quia Regem diligebat Aſſuerum, ipſum ab Eunuchorum liberauit gladiò. Ideòque Vates, quia in Dei amore plurimum profecerat, illiuſque ardebat dilectione, victorem ipſum ducturum, & trophæa reportantem præſagiebat, hic verſ. 19. *Et ſuper excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem.*

DISCVRSVS XXI. MORALIS.

Victorias de inimicis feliciter reportat oratio.

1. VIctorem ſe ab hoſtibus euaſurum præſagit Vates: quia diuinis meditationibus intentus non ceſſabat orationes cum cantico effundere. *Et ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem.* Hic v. 19. Etenim quæ à Deo incæpit oratio defluit in victoriam. Hinc Dauid in finem, & victoriam multos dedicauit pſalmos: quia præcariæ orationis robore victoriam ab inſidiantibus reportauit hoſtibus. Ideòque Propheta ſe oratione victurum ceruo comparat, propter elegantem illam ac ſymbolicam inuentionem, qua matutino tempore ceruus puriſſimum rorem hianti ore iucundè excipiens ſe reficit, & confortat ad prælium:deſignat enim huiuſmodi animal hominem religioni ac pietati deditum cupidèque, rebus omnibus ſpretis, diuinorum oraculorum ſuauiſſimis meditationibus, præſertim ſub aurora, quandò animus debet eſſe ſanioribus cogitationibus intentus, vacantem, quibus tanquam ſaluberrimo pabulo, & deſideratiſſimo rore meus noſtra cœlitùs roboratur, ac recreatur. Hoc inquam diuinæ meditationis rore depaſto iuſtus tanquam ceruus victoriam de potentioribus reportat inimicis.

2. Videns Rex Balac, quæ fecerat Iſrael Amorrhæo, & quod pertimuiſſent eum Moabitæ, dixit ad maiores natu Madian. Num. 22. verſ. 4. *Ita delebit hic populus omnes, qui in noſtri finibus commorantur, quomodò ſolet bos herbas vſque ad radices carpere.* Vndè concipere potuit Balac, omnes Amorrhæos à populo

pulo fuiſſe vincendos, & veluti herba à boue penitùs extirpandos? Quid bouino ore imbecillius, vt in illo fortitudo Iſraelis exprimatur? Enimuerò bos leniter lambendo paſcua pabulatur, & inermi lingua herbam depaſcit. Opportunè Orig. hom. 13. in Num. *Quia ſicut vitulus abrumpit ore herbam campi, & lingua tanquam falce ſecat quæcumque inuenit, ita populus hic ore, & labijs pugnat, & in verbis habet arma. Mittit ergo Balac ad Balaan, vt opponat verba verbis, & preces precibus*. Viderat Rex populum precibus ad Deum factis omnes ſuperaſſe hoſtes, victoremque ſemper euaſiſſe: ideòque experientia doctus, veluti bos in ore habet vim ad eradicandas herbas, in ore precantium robur agnoſcit ad ſuperandos fortiſſimos quoslibet inimicos: vndè armis diffidens, præcibus Balaam voluit illis ſe opponere, profitens orationi nullam vim, nullumque hoſtem poſſe reſiſtere: nam faſtus, & energia precantis vocis eſt, victorias feliciſſimè reportare.

3. Iſaias 41. verſ. 14. Apoſtolicos, ac fideles viros confortat Deus, nè periculis ſuccumbant, ſiquidem hoſtes potentiſſimos, & elatos contrituri ſunt. *Noli timere vermis Iacob, qui mortui eſtis ex Iſrael: ego auxiliatus ſum tibi, dicit Dominus, & redemptor tuus ſanctus Iſrael. Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans nouum: habens roſtra ſerrantia: triturabis montes, & comminues, & colles quaſi puluerem pones*. At quomodò non timebunt, ſi vermes ſunt, mortui? Armari nè poteſt imbecillitas vermis, aut mortis inanitas, vt contra potentiſſimum hoſtem præualeat? Quia vermes ſunt, non expaueſcunt? Imò ob id inimicum quemlibet formidabunt. Optimè Pagninus in Theſauro *Iſraelitas vermi comparat: quia vt illius robur nonniſi in ore ſitum eſt: ſic omne Iſraelitarum robur in oratione ſit poſitum*. Nihil ſanè fragilius, molliuſue verme eſt; ſed adeò efficax vis in eius ore adeſt, vt trabem rodendo atterat, & conſumat. Sic in fidelium ore deprecatione armato, oratione munitio maxima ineſt fortitudo, qua etſi mortui, & abiecti videantur, hoſtes triturans, & in puluerem redigunt. Supplex & præcaria orationis vis omnes humanas poteſtates ſuperat. *Noli timere vermis Iacob: poſui te quaſi plauſtrum triturans, habens noſtra ſerrantia*. Non minùs feruida oratio, & deprecatio confidens: ac roſtra ferrantia, ſuperbiſſimos expugnat hoſtes. Fuſis pro declamationibus potentiſſimi debellantur inimici. Plures Dauid narrantur victoriæ Eccleſiaſt. 74. Quod contriuerit inimicos vndique, quod extirpauerit Philiſthæum, quod occiderit Gigantem, quod ſuffocauerit Leonem, & Vrſum. Sed notanda ſunt verba, *In tollendo manum in ſaxo fundæ, deiecit exultationem Goliæ, vbi inuocauit Dominum omnipotentem*. Vbi oratio interpellebat, Deumq; aſſidua pulſabat, deprecutione, victor euaſit. Quod agnoſcens D. Chryſoſtomus homil. vlt. de Dauid, & Saule, dicebat: *Poſtquam enim miſit lapidem, eum (Gigantem nempè) precationis robore fuerat aggreſſus: quod Eccleſiaſticus dixit, deiecit exaltationem Goliæ*. Huic diuini auxilij inuocationi omnes victorias, quibus fuit nobilitatus Dauid, adſcribit D. Ambroſ. lib. 1. off. c. 35. *Nunquam niſi conſulto Domino bellum adorſus eſt: ideò in omnibus victor prælijs*.

4. Hoc ipſum à Deo acceperat Dauid promiſſione facta Pſalm. 131. v. 18. *Inimicos eius induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea*. Cur omnes Dauidis inimicos confundere Deus pollicetur, & quibus meritis fertur ad id? Caietanus ibi. *Et hoc etiam intellige ex Sion: quoniam ex cultu diuino in Sion confundere promittit Deus inimicos Dauidis: quod tempore Dauidis impletum eſſe conſtat, & tempore ſeminis eius confidentis in Deo, vt patet de Abia, Aſſa, Ioſaphat; & Ezechia; ſolus namque Ioſias videtur inter* Reges *Iuſtus ſuccubuiſſe inimicis, & hoc ideò, quia non conſuluit Dominum in illo bello, tanquam in hoc degenerauerit è Dauide*. Conſulto enim Domino, & precibus in eum fuſis felix fauſtuſque ſemper erit belli euentus, ſuæque victoriæ non conſulit, qui Deum omittit ante certamen conſulere, ſic Ioſuè verſ. 5. tria millia pugnatorum terga verterunt, corrueruntque triginta ſex homines in vrbis Hai expugnatione. Si autem inquiras, cur tam infeliciter pugnatum ſit? Auſculta Lyram ibi. *Idcirco Deum poſt mortem Ioſue conſultum ab Iſraelitis: quia experti fuerant malè eis accidiſſe, quando Ioſue, inconſultò Deo, miſit bellatores contra vrbem Hai*. Qui ad bellum procedens Deum conſulere negligit: vt fecerat Ioſue in obſidione vrbis Hai, meritò orbatur victoria, & terga indecorè auertit inimicis. Vt igitur fæliciora contingant in bello, & hoſtes expugnentur: Deum ante omnia obnixè deprecari oportet.

DISCVRSVS XXII. MORALIS.

Plerique hominum ad cœlum ire cupiunt, non per cœli viam, ſed per tartarorum iter.

1. CÆlum ſcandere nemo eſt, qui non optet, quia naturalitèr ab omnibus appetitur beatitudo. At diuerſis homines ſeſe implicant affectibus, nam non pergunt illuc, quò magis ire volunt, diuerſamque à deſiderio conficiunt viam, quia per terrenas, & multoties inferni ſemitas cælum

lum adire cupiunt. Quos acutè carpit Cyprianus de immortalitare. *Quid ergo oramus, adueniat regnum cœlorum, ſi captiuitas terrena delectat?* Miratur Sanctus Pater rem adeò repugnantem, homines, videlicet deſideria videndi Deum publicare, & aliundè mundanis rebus tenaciùs adhærere. Per pulchrè hos comparat Plutarchus ijs, qui in triremis remis incumbunt, nam magno impetu eò pergunt, quò verſa ferunt dorſa. Sic ſæpè nobis contingit: ad cælos oculos dirigimus, ſed ad terram nauigare intendimus æthera adire volumus, ſed per viam, quæ ducit ad barathrum.

2. Exod. 3. verſ. 181. præcepit Deus Moyſi, & ſenioribus Iſrael, vt Regem adirent Ægypti, & hæc ipſi intimarent, vt populum liberum dimitteret. *Dominus Deus Hebræorum vocauit nos ibimus viam trium dierum, vt immolemus Domino Deo noſtro. Sed ego ſcio, quod non dimittet vos Rex Ægypti, vt eatis, niſi per manum validam. Extendam enim manum meam, &c.* Totam Deus manum porrigere pollicetur, vt populum eruat, viamque trium dierum conficiat. Verùm qui tribus digitis terram ſuſtinet, opus habet manum extendere, vt eius populus tam breue iter faciat? Quorſum tantas vires Deus apparat populo peregrinaturo? Num vt Pharaonis frangat peruicaciam? Id littera innuere videtur. *Sed ego ſcio, quod non dimittet vos Rex Ægypti, niſi per manum validam.* Sed aliorſum interpretatur Rupertus illud. *Extendam manum meam, &c. Ad hoc autem*, inquit, *& manum validam erexit Deus, ad hoc inquam, vt Iſraelitæ eant non per viam terræ Philiſthini, ſed per ſolitudinem.* Sic populus percupiebat vel ad terram promiſſionis per prophanum iter incedere, vt neceſsè fuerit manum validam Deum erigere, ne populus per prophanam viam, ſed per ſolitudinem, & viam aſperam iter capiat. Nam eſtò homines ad cœlum ire cupiant, non ramen per cœli viam difficilem, & ſaxoſam, ſed per barathri iter planum, & latam viam carpere exoptant: non per ſolitudinem, & virtutis ſemiram, ſed per viam terræ Philiſthini, per latam viriorum viam ad promiſſionis terram ire contenduut.

3. Præripitur 3. Reg. 2. igneo curru in cœlum Elias, ſed non antea cœleſtia lumina ingreditur, quam ſeſe pallio exuat, quo erat indutus, illud enim diſcipulo ſpiritum petenti dimiſit: ad quem euentum D. Hieronymus lib. 1. in Geneſ. air; *Elias ad cœlorum regna non potuit ire cum pallio.* Communitèr hæc ſenteutia à recentioribus vſurpatur, vt diuitiarum pondus adſtruant, vel vt difficilem diuitum ſalutem oſtendant. Ego autem illam pendo particulam, *Non potuit ire.* Quare Elias pallio indutus cœlum adire nequiebat? Percontatus Chilon, quid eſſent diuitiæ? Reſpondit: *Theſaurus malorum, calamitatis æternæ viaticum.* Aptiùs illas viam æternæ calamitatis vocitaret, ſiquidem frequenter per viam diuitiarum incedentes (vt dixit Seneca) *Stygias vltrò quærimus vndas.* Si ergo temporalium bonorum abundantia via eſt frequenter ad tartarum, ſicut ad cœlum nuditas; poteſt ne aliquis ire ſine via, vel per viam tartari poteſt ad cœlum properare? Minimè. Elias ergo non potuit ire cum pallio, quia ſine via, ſeu per viam alienam incederet: igitur meritò ei adimitur pallium, vt viam ineat ſalutarem, vt per cœli viam, nempè, nuditatem, non per tartareum iter, quod frequenter diuitiæ ſunt, ad cœlum tendat. Non enim per latam, & planam damnationis viam, ſed per cœli iter arctum, & breue ad cœlum itur. Affinis textus ille eſt Canticor. 5. vbi Sponſa de ſua nuditate conqueritur. *Tulerunt pallium meum cuſtodes murorum.* Quinam murorum cuſtodiæ incumbuut? Angeli, nempè, celeſtis milites exercitus Eccleſiæ dimicantis. At num Angelis facinus dignum eſt Sponſam ſpoliare veſtibus; an potiùs latronis? Pulchrè D. Ambroſ. lib. 3. de virg. *Benè tollitur ei pallium, quæ ad Chriſtum appropinquat.* Benè inquam, quia in morem illius, qui errantem viam edocet, ablato pallio Angelorum pium miniſterium animam ad Chriſtum inueniendum conſtituit in via: quia non diuitiæ quæ frequenter ſunt calamitatis æternæ viaticum ſed nuditas, & paupertas via eſt, quæ ducit ad Chriſtum.

4. Longo itinere confecto, & Regi in preſepio nato à Magis obedientia præſtita. *Reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Matth. 2. cap. 5. verſ. 6. Dubio abſque per aliam viam ad patriam remeabant, ne quæſiti forſan ab Herode facilè inueniri poſſent, & contra cœleſte monitum ad tyrannum redire cogerentur: alia namque via fuit à Bethleem in Ieroſolymam, quam prætererierunt, quouſque paruum interrupto tramite recto idem iter reſumerent in ſententen tia Abulenſ. *Cum dicitur, quod per aliam viam reuerſi ſunt, eſt ſenſus: quod non redierunt ad Ieruſalem, vbi erat Herodes; ſed declinauerunt modicum, vt non intrarent Ieruſalem.* Hugo Cardinalis aliam prorſus viam aſſumpſiſſe purat, & moraliſſimè ad noſtram theſim verſat. *Si receſſit homo à paradiſo per ſuperbiam, debet redire per humilitatem: ſi per inobedientiam, per obedientiam: ſi per luxuriam, per caſtitatem. Veniſti* (adijcit ex Chryſoſtom.) *per viam luxuria ad Herodem, ambula de cætero per viam caſtitatis: veniſti per viam auaritiæ, ambula de cætero per viam eleemoſinæ: ſi enim per primam viam redieris, iterum ſub regnum Herodis vadis.* Stultiſſimum namque eſt per viam, quæ tendit ad Herodem ad Chriſtum ire velle, per barathri iter ad cęlum tendere: quò non niſi per viam aſperam itur. Sed proh dolor! quantis ſe homines implicant

Digitized by Google

deſiderijs, cupit inhoneſtus ad cœlum ire, ſed non per caſtitatem, quæ via regalis eſt, ſed per luxuriam, quandoquidem proximam peccandi occaſionem non deſerit. Quod quidem eſt velle ſimul, & nolle ire: nolle à ſe, ſed à Deo illic collocari. Ad eum modum quo laſciuus vitam produci cupit, ſed per luxuriam, quæ mortis iter eſt, atque adeò vult, & non vult vitam produci: non vult à ſe, ſed totaliter à medico. De quo non malè, neſcio quis.

Qui fragilem longè cupimus producere vitam.
Luxuria vitæ cur breuiamus iter?
Nolumus, & volumus produci tempora vitæ.
Nolumus à nobis; malumus à medicis.

Hanc hominis conditionem refugiens Vates, in cœli itineribus inſtructus, pedes ſe, inquit habere veloces ad ſuperandos montes, qui inter Babylonem, & Ieroſolimam interiecti ſunt, quia ad Ieruſalem eius patriam per aſperam, & montuoſam viam ire contendit: ſtultum enim eſſet per planum iter velle ad cęlum properare, vt ſtulti volunt ſæculi amatores. *Et ponet pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa mea deducet me victor.* Hic verſ. 19.

DISCVRSVS XXIII. MORALIS.

Quod pro Deo largimur, non minuitur, ſed cum ingenti lucro recipimus.

1. Vſuratium munus piè obit, qui pro Dei obſequio facultates ſuas diſpenſat, quarum non ſolùm non ſentit iacturam, ſed cum lucro ea reportat. Quæ donat, non amittit, ſed in poſſeſſione ſua retinet: etenim quæ à domo exire videntur, in domo remanent. Deuicto Philiſthæo, arma, quibus pugnauerat Dauid, in victoriæ monimentum, & facti gratitudinem attulit in Ieruſalem, ibique collocauit in templo. *Arma verò eius poſuit in tabernaculo ſuo* 1. Reg. 17. verſ. 54. Non leuem difficultatem verba hæc regalis hiſtoriæ ingerunt: nam conſtat ex cap. 28. eiuſdem libri, gladium Goliath, quo Dauid eius amputauit caput, in tabernaculo Domini in Ciuitate Noue in victoriæ memoriam fuiſſe aſſeruatum. *Ecce hic gladius Goliath Philiſthæi, quem percuſſiſti in valle terebinthi, eſt inuolutus pallio poſt Ephod.* 1. Reg. 21. verſ. 9. Aiebat Abimelec Dauid ab eo arma poſtulanti. Quo ergo pacto verùm erit, Dauid arma collocaſſe in tabernaculo ſuo, quod erat in Ieruſalem? Caietanus dupliciter nodum ſoluit. Primò autumans, hic eſſe ſermonem de omnibus armis Philiſthæi, excepto gladio, qui oblatus fuit in tabernaculo Domini, ibique in recordationem conceſſę victorię pendebat. Secundò exiſtimat, poſt triumphum translatum fuiſſe gladium ex Ieruſalem ad tabernaculum Domini: ideòque, inquit D. Hieron. in quæſtionibus Hebraicis. *Non eſt intelligendum, quod in ſuo poſuit tabernaculo, ſed in tabernaculo Domini, de quo tabernaculo poſteà illum ab Abimelec ſacerdote ſuſcepit.* Idem habet Lyranus hic, qui pro tabernaculo ſuo tabernaculum Domini intelligit, quia Dauid tempore victoriæ non plura habebat tabernacula. Iam ergo ambiges, cur exuuias certaminis, quæ in Dei tabernaculo collocauit Dauid, in tabernaculo ſuo poſuiſſe dicitur? Dubio abſque quia quæ in Dei tabernaculo ſacrauerat, in propria domo retinebat, vt eis tanquam proprijs, quando opus eſſet, vteretur. Ideòque quando gladio indiguit, in tabernaculo domini adinuenit, & ad manum ſeſe illi obtulit: quia quæ Deo dicantur, tenaciùs poſſidentur, nec oblata amittuntur, ſed ſecuriùs aſſeruantur.

2. Præcipiebat olim Deus Leuitic. 25. v. 3. terræ cultoribus, & ſatorum dominis, vt ſex annis fructus colligerent; ſeptimo autem, in quo erat iubileus, nihil de terræ prouentibus percipere, ſed ea pauperibus relinquere. *Sex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, colligeſque fructus eius: ſeptimo autem anno Sabathum erit terræ requietionis Domini: agrum non ſeres, & vineam non putabis. Quæ ſpontè gignet humus, non metes: & vuas primitiarum tuarum non colliges.* Per quod, vt inquit Theodoret: adductus a Gloſſa, humanitatis officia docuit: voluit enim Deus pupillos, viduas, & aduenas eorum fructuum eſſe participes, nullumque expertem beneficiorum, quæ ipſe contulit. Sed difficultas oritur ex verbis, quæ ſtatim textus ſubiungit. *Sed erunt vobis in cibum, tibi, & ſeruo tuo; ancillæ, & mercenario tuo, & aduenæ qui peregrinatur apud te: iumentis tuis, & pecoribus, omnia, quæ naſcentur, præbebunt cibum.* Si enim omnia pauperibus fore ſeptimo anno relinquenda præcepit; quomodò ea in cibum erunt ipſis dominis, ancillis, ſeruis, & pecoribus? Qui omnia largitur, nihil reſeruare neceſsè eſt. Ingenioſè Theodoretus. *Non prohibet Deus veſci eis, quæ ſpontè ſunt, ſed reponere in vſum proprium.* Enimuerò quæ in vſum proprium non reponuntur, ſed pauperibus erogantur, non amittuntur, neque nobis deſunt, ex illis enim veſcimur? ea ipſa, quæ alijs fruenda reliquimus, noſtra ſunt, nobiſque ad vſus neceſſarios inſeruiunt. Vndè D. Chryſoſtomus. *Si panem des, hunc habes ſolùm.* Frumenta pauperi erogata in propria horrea reponuntur. Deficient, quæ domi habentur, atque quæ pro Deo offeruntur, indeficienter permanent, & rehabentur cum ingenti lucro. Hinc

enim

enim Dauid de viro liberaliter propria bona largiente locutus aiebat Pſalm. 111. *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*. Vbi D. Chryſoſtomus: *Non dixit dedit, vel diſtribuit; ſed diſperſit, & eius, qui præbet, largitatem oſtendens, & rem ſementeri, nominans: qui ſeminant, diſpergunt, quæ ſunt repoſita*. Sed fortè qui ſic diſpergunt facultates ſuas in pauperes, quæ diſperſa ſunt, amittunt? Haud equidem. *Hoc eſt enim* (pergit Chryſoſtomus) *collectione meliùs*. (collectione inquam, quæ ex ſemine terræ ab agricola mandato ſperatur) *ita diſpergere meliùs eſt quam colligere. Diſperguntur pecuniæ, & colligitur iuſtitia: diſpergantur quę non manent, vt acquirantur manentia*. Elegantèr ſe diffundit in hoc argumentum Clemens Alexandrinus lib. 3. pedag. cap. 7. ad illa verba Cantic. 4. *Puteus aquarum viuentium*, quæ ſic pulchrè verſat. *Quemadmodùm quicumque putei ſcaturiunt, exhauſti in priſtinam menſuram reuertuntur: ita etiam elargitio, quæ eſt bonus fons benignitatis potum ſitientibus communicans rurſus augetur, & repletur, quemadmodum ad vbera, quæ ſuguntur, vel etiam vulgentur, ſolet lac confluere*. Nunquam enim ſine magno incremento donata egentibus bona non reuertuntur, vt annotauit D. Auguſt. lib. 1. de doctrina Chriſtiana ad illud, Marc. 6. *Et ſuſtulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos. Illi quinque*, ait, *& illi ſeptem erant panes, antequam inciperent dari eſurientibus: quod vbi fieri cœpit, cophinos, & ſportas ſatiatis tot hominum millibus impleuerunt*. Quibus adde illud eiuſdem Patris epiſt. 132. *Officium impertiendi meritum erit accipiendi*.

3. Luc. 19. verſ. 8. Zachæus publicanus, & diues vallè ab illicito fœnore theſaurum, conflauerat opulentum: conuertitur à Chriſto Domino, & ſtatim cogitat de reſtituendis opibus furto comparatis. Sed animaduerſione digna ſunt verba, quibus id efficere videtur. *Ecce, dimidium bonorum meorum, Domine do pauperibus, & ſi quem aliquid defraudaui reddo quadruplum*. Miraberis meritò, cur non priùs dixerit reſtituo creditoribus; & poſteà do pauperibus: ſiquidem priùs, & magis vrget obligatio ex iuſtitia, quæ reſtitutionem exigebat, quam liberalitas erga pauperes ex miſericordia: Priùs enim eſt ablata reddere proprio Domino, quam indigentibus accurrere. At etſi Neophitus eſſet Zachæus, recentèrque in doctrina Catholica educatus, altè perpenderat, quam eſſet fructuoſa in pauperes eleemoſina. Deſiderabat enim non ad æqualitatem, ſed quadruplum reddere, ſi aliquem defraudauerat. Vt ergo liberalior, & copioſior eſſet reſtitutio, & ſuppeterent bona ad tam profuſam reſtitutionem ingeniatur arbitrium perito fæneratore dignum, nempè, priùs effuſè eleemoſinas diſpenſare pauperibus, à quibus citiſſimè ſperabat cum fænore cumulare diuitias, vt poſſet non duplum, ſed quadruplum reſtituere: quia augendi opes artificium eſt eas priùs in pauperes diſtribuere. De quo maximè lætabatur Paulus Philippenſes in hac arte inſtructos aſpiciens cap. 4. verſ. 10. in hac arte inſtructos aſpiciens. *Gauiſus in Domino ſum vehementer: quoniam tandem aliquando refloruiſtis*. S. Antonius Patauinus verba capit de lætitia, quam habuit Apoſtolus eo quod Philippenſes in diuitijs refloruerant, ſicut anteà. *Quid refloruiſtis? Scilicet eleemoſinam dando*. At ſi Paulus docuerat bona abrenuntiare, & pauperibus elargiri, idque Philippenſes effecerant; quomodò in diuitijs refloruerant? Reflorere in opibus dicuntur, qui omnia abdicarunt, vt egentium inopiam ſubleuarent? Ita equidem. *Eleemoſinæ* (inquit opportunè Antonius) *ramis arborum ſimiles ſunt: ſicut enim arbor ramis ſuperfluis præciſſis meliùs fructificat: ſic, & qui de proprio eleemoſinam facit, Dominus reſiduum multiplicat magis*. Benè inquam, ſuperflua qui diſpergit, ad vberiorem ſe præparat frugē colligendam: ſicut inueteratis arboris ramis abſciſſis fæcundiores fructus afferet.

4. Id ipſum arcanè monebat Eccleſiaſtes cap. 11. *Da partem ſeptem, nec non, & octo: quia ignoras quid futurum ſit mali ſuper terram*. Sententia ſatis, vt apparet, implexa: imò quia homo ignorat, quæ euentura ſunt mala, ſeruare ſubſtantiam, & diuitias debet, vt habeat vndè viuat in tanto malo imminenti, & in aduerſa ſe tueatur fortuna. Rectè Lyra ibi. *Quia ignoras quod futurum ſit malum, & ab illo liberari poſſis per opera pietatis impenſa indigentibus. Quia ſicut prædictum eſt, pietas non ſolùm habet promiſſionem vitæ futuræ, ſed etiam præſentis*. Ergò omnia diſparge, ne quid tibi vnquam deſit. Da, vt habeas, qui nihil habes, quia nihil das. Si vis cenſum augere, & tibi in futura calamitate prouidere, omnia porrige, illaque ſecuriùs poſſidebis. Hinc enim rectè notarunt Origenes, & D. Thom. diſcrimen illud poſſeſſionis vineæ: nam Gentibus, & Iudæis locata fuit, *Locauit illam agricolis*, Matth. 21. verſ. 33. Fideli autem populo iam non locatur ſed datur, *& dabitur Genti facienti fructus*. Cur alteris data, alteris locata perhibetur? Audi D. Thomam. *Non dicit, locabitur, ſed dabitur: quia iam ex vinea datur fructus Deo. Qui eam colit, non dicitur mercenarius, aut colonus, ſed ei data vinea eſt cum verò fructus Deo non datur colonis locata eſt*. Vinea data dicitur, cum vberiores fructus Deo reddimus; locata, cum parum, aut nihil tribuitur: quoniam cum plura reddimus, habemus plura, illaque non vt coloni, ſed vt proprietarij poſſidemus; quantò enim largiùs bona in Dei obſequium diſpendimus, tantò ampliori iure illa capimus. Quæ retines ſolùm commodata, aut locata videntur; quæ ſpargis donata, in propria iura redacta, &

tran-

Digitized by Google

tranquilla ſecuritate ſunt poſſeſſa, non ſolùm in præſenti, ſed futura vita. Sic inquam certus, vt ad excelſa loca conſcendat, vngulas figit, vt aduertit hic D. Hieronym. homines deſignans, qui ſua bona pauperibus largiuntur, manumque porrigunt iacentibus, vt egſum conſcendant, vbi cum fænore, & lucroſa commutatione illis fruantur. *Et ponet pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa mea deducet me victor*. Hic verſ. 19.

DISCVRSVS XXIV. MORALIS.

Hoſpitalitas Dei virtus, & beatitudinis complementum.

1. Non modò hoſpitalitas erga pauperes, & humanitatis officia erga aduenas, & peregrinos homines ad Dei ſimilitudinem eleuat, ſed character ipſiuſmet diuinitatis quodammodò eſt. In hac pia beneficentia latet diuinitas, in Deumque, qui illam exercet, conſecratur, & ſupra humanitatis faſtigium creditur eleuandus. Redeuntibus ab Ægypto fratribus Ioſeph cum annona, quam ipſis liberalitèr porrexerat, aperto quodam ſacculorum, vbi triticum deferebant in ipſo quidem pretium pro illo exhibitum latens inuenerunt, & admirabundi dixere. *Quidnam eſt hoc, quod fecit nobis Deus?* Geneſ. 42. verſ. 8. Planè deſipiunt: nam non Deus, ſed piiſſimus Ioſeph, quos peregrinos, & aduenas perhumanitèr exceperat, quorum ventres impleuerat, ſaccos adimplenit, & latentèr in ipſis pecuniam repoſuit. Adhuc liuor, & inuidia ipſos tenet, quod ne in fratrem pietatis laudes refundant, ipſum non agnoſcunt liberalitatis authorem? Deum ipſis accurriſſe aiunt, ne grates inuiſo fratri rependant, illique deferant tam egregium opus? *Quidnam eſt hoc, quod fecit nobis Deus?* Verùm hæc non malitia cenſenda eſt, ſed euentus perſpicua cognitio: ſciebant enim fratrem erga ipſos miſericordem extitiſſe, nec ſolùm triticum, ſed pretium etiam reddidiſſe ipſoſque peregrinos recepiſſe hoſpitio, atque ideò ipſum exindè non hominem, ſed Deum eſſe putabant, ob idque Deum appellant: nam ita eſt Dei proprium indigentibus ſubuenire, ipſorumque ſubleuare egeſtatem, vt qui id faciat, in Deum quodammodò conſecretur. Hæc inquam virtus adeò excellit, vt non aliud niſi Dei nomen ipſa capiat. Promeruit Ioſeph Dei cognomen fratribus indigentibus annonam præbens: nam libentèr Deus miſeriam pauperis ſubleuanti nomen ipſi ſacrum porrigit. Nec ſolùm nomen, ſed, & ſeipſum diuendere non recuſat, vt auxilium indigentibus præbeat, & peregrinis requiem. Pulchrè annotauit Ambroſius, quod ex pretio pro Chriſti ſanguine exhibito, à Iuda proditore proiecto, & à Iudæis non admiſſo ager fuit emptus, vt peregrinis eſſet ſepulchrum. Matth. 27. *Emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum*. Et piè dixit, nunc agnoſco, quod ad peregrini quietem, & pauperis hoſpitium patietur ſed Deus diuendi, atque pretium proprij ſanguinis in hoc miniſterium præſtabit. Locum, vbi requieſcunt egeni, proprio ſanguine Chriſtus emit, vt hoſpitalitatis adimpleret officium; ſeque Deum oſtenderet: nam niſi hæc virtus in ipſo reluceret, non Deus crederetur.

2. Ducitur ad Martyrium Stephanus, & inter frangorem lapidum ipſum impetentium à latere æternæ dextræ, vbi ſedebat, ſurgit Chriſtus, ſtatque accinctus cum bellatore pugnaturus. *Ecce video cœlos apertos, & IESVM ſtantem à dextris virtutis Dei*. Actor. 7. verſ. 56. Cur non ſedens apparuit, vt diuinitatem, quam à Patre hereditauit, oſtendat? Nonnè ipſe Pater dexteram, vt Filio, & hæredi ſeſſuro offert. Pſalm. 100. *Sede à dextris meis?* Vt quid igitur non ſedit, vbi Stephanum in agone vidit? Surgit, ait ponderosè Petrus Damianus vbi eius adiutorio indigebat Stephanus, vt Deus, & æqualis Patri crederetur; nam ſi ſedens appareret, & in procinctu non eſſet, vt neceſſitati hominis ipſius auxillo indigentis accurreret, neutiquam Deus videretur. *Stat cum ſtante, cum bellatore bellatur, lapidatur cum lapidato nè Patre minor eſſe putetur*. Niſi enim neceſſitati, & indigentiæ Stephani opem præberet, & patienti compareretur Patri. Hæc inquam virtus diuina eſt, & quæ naturam Diuinam demonſtrat, beatitudinemque adimplet.

3. Quod Chryſologus maximè in Abrahę hoſpitalitate ponderauit, id fuit; quod non ſolùm peregrinos humano excipiebat officio, ſed ſeipſum peregrinum effecit, vt peregrinos reciperet. Ad id ipſi iniungitur, vt à propria patria exeat. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrauero tibi.* Geneſ. 12. Tanta enim auiditate hoſpitalitatem ſectauit, vt non ſolùm extorris patria, patria fuerit peregrinus, dum vixit; ſed in ſuperna patria non ſe beatum reputaret, ſi ab hoc pietatis ceſſaret munere. Guloſus ille epulo medijs in flammis conſtitutus, oculos eleuans Lazarum mendicum proſpexit in ſinu Abrahæ recumbentem. *Eleuans autem oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius*. Luc. 19. verſ. 23. Vt quid Abraham vleroſum pauperem in ſinu excipit iam beatus? Ibi nulla neceſſitas vrget, nulla miſeria affligit, quia à beata patria omnia releganter incommoda, neque aſcendunt ibi vllæ egeſtates.

tes. Pulchrè Chryſol.ſerm. de diuite, & Lazaro. *Et reuera fratres, parum ſe beatum credit, ſi in ipſa beatitudine ab hoſpitalitatis pio ceſſaret officio.* Etſi pauperes ibi auxilio non indigeant Abrahæ, ipſe tamen, vt beatus perfectè ſit, pauperibus indiget, quos in ſinu foueat: non enim ſe beatum crederet, ſi ab hoc pietatis munere vacaret in patria. Quid exaggeratiùs? Vel beatus ambit, vt benè ſe habeat in gloria, hoſpitalitatem exercere. Fortè ab hac poſthuma Abrahæ erga pauperes humanitate, quam in patria exercuit ſuperna, ad illam eleuatus pia hæc officia didicit Paulus: nam poſt raptum ad tertium cęlum, vbi arcana Dei penetrauit, infirmarij munus ſibi delegit. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Aiebat ſtatim 2. Corinth. 11. verſ. 29. Quid? Non aliud Paulus in Cœlo vidit imitandum, quod mox pauperes, & egenos ęgrotantes quærit, quibus auxilium præbeat? Cum primò à cęleſti patria deſcendit, pium hoc officium exercere curat? Ita equidem: hoc vnum in cœleſti gymnaſio monitum didicit, & à conſortio beatorum hauſit? quia hæc vna virtus beatitudinem adimplet, eiuſque ſectatores perfectè beat: etſi ibi neque infirmitas, neque dolor ſint vltra, pauperes nihilominùs huius egregię virtutis amatores fouent, ne gloriæ ſaporem amittant, & patriam pro exitio habeant.

DISCVRSVS XXV. MORALIS.

Cœleſtis Vrbs Ieruſalem arx eſt mortificationibus munita, & pænitentium patria.

1. SVperna beatorum habitatio metaphora munitiſſimæ arcis paſſim in ſacro eloquio deſcribitur: ſic Cantic. 6. *Terribilis vt caſtrorum* acies perhibetur, ac veluti ciuitas muro, & antemurali circumuallata. Aſt qui muri eam cingunt? Qui milites muniunt, & defendunt? Non inquam robuſtiſſimi, & potentiſſimi bellatores, ſed inermes, laſſi, & confracti, pœnitentes nempè, mortificationibus attriti, maceratione extenuati, & aſperrima vita languidi: his copijs cęleſtis patria cingitur, his propugnaculis circumuallatur, vt refugium ſit munitiſſimum ad ipſam confugientibus. Non lapidum robore illa excelſa ciuitas fulcitur, non bellicis inſtrumentis armatur, non exercituum roboratur fortitudine; ſed peccatorum pœnitentia munitur, & inſuperabilis conſiſtit. In cuius ſignificationem præcipiens Deus Moyſi terram Chananitidem conſiderare, fortiores ſex ciuitates in fugitiuorum refugium ſegregare iuſſit Num. 35. verſ. 6. *De ipſis autem oppidis, quæ Leuitis dabitis, ſex erunt in fugitiuorum auxilia ſeparata.* Vbi Laurent. Iuſtinian. de caſto connubio Verbi & animæ, in vna ex prædictis ciuitatibus pœnitentium patriam deſcribi arbitratur, qui peracta ſatisfactione ad cęleſtem ciuitatem confugiunt, vbi tanquam in tutiſſima arce, & propria patria excipiuntur protegendi. *Eſt pænitentia vna munitiſſimarum Ciuitatum, quas Dominus Moyſi mandauit ſegregari in ſalutem fugitiuorum.* Piè namque operando, & animoſa ſpe erecti pœnitentes ad ciuitatem illam confugiunt, & eam religioſa audacia expugnant, ſibique arrogant, & vt propriam patriam poſſident.

2. Libet in materiali ſtructura terrenæ ciuitatis Ieruſalem, quæ cęleſtis typum geſſit, illam meditari, quæ ſurſum eſt. Inter alios autem ſic eam deſcribit Ierem. cap. 31. verſ. 38. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & ædificabitur ciuitas Domino à turre Hananeel vſq; ad portam anguli, & exibit vltra norma menſuræ in conſpectu eius ſuper collem Gareb: & circuibit Goa, & omnem vallem cadauerum, & cineres, & vniuerſam regionem mortis.* Hanc ædificationem adhuc fatuè expectant Iudæi in aduentu Meſſiæ eſſe complendam. Hieronym. S. Thom. & ferè omnes Interpretes prædictam prophetiam non poſſe intelligi de ciuitate Ieruſalem, quæ funditus fuit deſtructa temporibus Titi, & Veſpaſiani, & poſteà à Zorobabel reædificata non permanſit, contendunt. Quare ad metaphoricum ſenſum recurrunt, & alij Eccleſiæ militantis, alij cęleſtis Ieroſolymæ ędificationem hic deſcriptam agnoſcunt. Difficultas huius loci in inueſtigatione conſiſtit vtriuſque portæ à Propheta deſignatæ: quæ namque illa eſſet, quæ Hananeel vocabatur, & illa altera, quę anguli nomine erat nota? Caſtrus oculatiſſimus illius ciuitatis inueſtigator ad hunc locum tradit: turrim Hananeel fuiſſe extructam inter duas portas ciuitatis, alteram, quę appellatur porta gregis verſus occidens, & ducebat ad vallē Ioſaphat, altera verſus oriens, quæ porta piſcium dicebatur, & (vt docet Hieronym. ad c. 1. Sophon.) ad Ioppen ducebat, atque mari erat proximior. *Dioſpolin ducebat, & Ioppen, & vicinior mari erat inter omnes vias Ieruſalem, per quam piſces immittebantur in vrbem.* Alia igitur porta carnis, alia piſcium vocabatur, & inter vtramque turris Hananeel erat extructa. *Turrem Hananeel* (ait Caſtrus) *in ea muri Ieruſalem parte ſitam fuiſſe, in qua erat porta piſcium, & porta gregis, quãuis propiùs ad portam piſcium: & eſt communis Hebræorum ſenſus, quod deſtructio illius ciuitatis, & primus aſſaltus à porta gregis, ſeu carnis incepit, & poſtea eius reædificatio, & inſtauratio murorum à porta piſcium.* Verùm quid hac prophetia, quę non tam materialem illam ciuitatem, quam cęleſtem Ieroſolimam reſpicit, innuitur, niſi cęle-

ſtem

ſtem illam patriam mortificationibus muniri, & pęnitentię eſſe arcem? Deſtructio namque & profligatio pergentium ad ipſam à carnis illecebris incipit, à porta carnis eam inuadit inimicus, & proſternit, & à porta piſcium, ideſt, à carnis maceratione, ieiunio, & abſtinentia extruitur, atque muri eius inſuperabiles inſtaurantur, vt pęnitentium patria ſit, & nimirum eorum ſudore, ac labore ædificata. Carnis voluptatibus ciuitas illa ab inimicis profligatur, & earum abſtinentia erigitur. Sic Hug. Card. *Duo ſunt arma inimici abundantia cibi, & delectatio corporis: & arma Chriſtiani abſtinentia, & maceratio carnis noſtræ.* Congruit autem cum pręlibatis id, quod addit Propheta. *Et circuibit Goatha, & omnem vallem cadauerum.* Vbi D.Hieron. *Vt conſideremus cineres, & pœnitentiam dicamus cum Dauid: Quia cinerem quaſi panem manducaui, & poculum meum cum fletu miſcebam.* Protrahatur ergo Ieroſolymæ ædificatio vſq; ad vallem pęnitentium, & cinere mortificationis aſperſum, atque ibi vt in propria patria carne afflicti commorentur, nam ipſis munitiſſima illa ciuitas ædificatur. Nec minùs congruit eiúſdem Hieronymi lectio. *Ædificabitur ciuitas à turre Hananeel, id eſt, à turre obedientiæ.* Obedientia namque propria pœnitentium virtus eſt, qui mandatorum obſeruantiæ ſtudent, propria membra crucifigentes, & carnem quaſi equum afflictione domantes, atque rationi fræno coercentes. Quidquid igitur in ciuitate beata reperitur, pœnitentiam redolet, illaque quaſi arx munitur. Vndè Dauid, vt animum humiliatum, & contritum cor pœnitentiæ malleo oſtenderet, pſalmum compoſuit 50. quem pœnitentiæ vocamus, & poſt varios affectus, quibus dolorem intimum cordis expreſſit, & indulgentiam deprecatur, concludit: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ieruſalem.* Mirum quod ſanctiſſimus Rex pro peccatorum venia exoret, & pœnitentis animi eiulatus exaudiri ſatagat, vt Ieroſolyma muris circumualletur. Cur ad huiuſmodi murorum ſtructuram innocentium merita non expetit, ſed pęnitentium lacrymas, & ſuſpitia? Homines deiecti, mortificationibus attriti, pœnitentia debiles, maceratione languidi murorum fortitudinem ſubſtituent, & ciuitatem vt tuto præſidio cingent? Ita equidem: nam cœleſtis ciuitas, quam meditabatur Dauid pœnitentia munitur, ruinæque Angelorum, quæ ipſi acciderunt hominum pœnitentijs reparantur. Accinit Carthuſ. *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ieruſalem. Id eſt, triumphanti Eccleſiæ te per ſpeciem contemplanti. Et ædificentur muri Ieruſalem: ideſt, ruina Angelorum malorum reparetur per ſaluationem hominum electorum. Studeamus ergo Chariſſimi cum S. Dauid veracitèr pœnitere, atque in omnibus non ſimulatam humilitatem complecti.* His igitur lapidibus ciuitas illa cœleſtis extruitur, atque Angelorum ruina reparatur.

4. opportunè cœleſtis Ieroſolymæ terrena typum geſit, quæ iuſtorum fuit patria, atque habitatio Regum, & Prophetarum, Dauidis, Salomonis Ezechiæ, Iſaiæ, Ieremiæ, Ezechielis &c. Hæc igitur regia, & ſancta ciuitas primò fuit ſita ea terræ parte, quæ myrrhæ plantis ſic abundabat, vt neceſsè fuerit, cum primò fuit extructa impenetrabiles myrrhæ montes ſecare ad eius tabernacula ædificanda, quin pars aliqua ſiue montium, ſiue vallium ſituationis, illius myrrha non abundaret; vndè per autonomaſiam tota ciuitas myrrhæ mons appellatur, ſecundum illud Cantic. 4. verſ. 6. *Vadam ad montem myrrhæ.* Adeò vt patrium myrrhæ ſolum crederetur, quia cœleſtem patriam referebat: nam *per myrrham amaram* (verba ſunt Charthuſiani) *ſignificatur auſteritas vitæ pœnitentialis, rigor iuſtitiæ, mortificatio carnis. Vadam ad montem myrrhæ: id eſt, eos mieſericorditer viſitabo, qui in arduis pœnitentiæ exercitijs occupantur, & rigori pœnitentiæ ſunt intenti, & ſeipſos ſalubritèr mortificare nituntur.* Igitur myrrhæum vndequaque ciuitas illa ſpirabat odorem, quia cęleſtem referebat, vt pœnitentium patria, & habitatio oſtenderetur? quaſi innocentes, qui eam ingrediuntur, non ciues videantur ſed aduenæ. Superna illa manſio, dulciſſima cum ſit, acerbiſſimam mirrham vndique redolet, nil aliud producit, niſi arbores amaritudinem diſtillantes: muri, & penetralia triclina mortificationes emanant, & per arduas pœnitentiæ montes myrrha paſſim pullulat. Ideòque Salomon in monte Moria, qui myrrhę mons vocabatur, cępit domum Dei ędificare, vt habetur 2. Paralip. 3. *Cæpit Salomon ædificare domum Domini in monte Moria.* Quia cum illud habitaculum Dei eſſet ſpeciale, empyriumque deliniearet, & cœleſte, meritò myrrhę, & pœnitentię vocabatur, vt pœnitentibus ſuperna ciuitas videatur extructa, vbi tanquam in propria patria, & domicilio commorantur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM,

QVÆ

IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR,

In quo *p*. paginam, *n*. marginalem numerum ſignat.

A

Abſtinentia. Vide Iciunium.

ANTE Diluuium ab eſu carnis omnes abſtinebant. p.75.n.2.
Epularum carnalium abſtinentia primam ſanctitaté redolet. p.76.n.3.
Sanctitatis eſt inſigne. ibid. n.4.
Nobilitatis eſt argumentum. ibid. n.5.
Statum innocentiæ inſtaurat. ibid. n 6.
Imaginem Dei cudit. ibid.
Angelicam reuerberat puritatem. ibid.n.7.& 8.

Abortus.

Dei ſeruitus gratiæ abortus,tot.diſcur.1. p.90.

Adam.

Pane ſuo dicitur veſci, quia illum proprio labore comparauit. p.60.n.2.

Adulatio, Adulator.

Vt alteri placeas alterum ſine cauſa ledere immane adulationis facinus, toto diſcurſ.7. p.130.
Quem publicè laudat Adulator, tacitè eſecratur. p.154.n.1.
Omnia principibus licerè conſulit. ibid.
Vmbræ comparatur. ibid.
Seruilé,& abiectũ animũ arguit adulatio. ib.n.2.
Qui blandè adulatur fidem ſuis dictis negotiatur. p.168.n.2.
Superioribus in ſtatu blandiuntur adulatores, in declinatione conuiciantur, toto diſc.1. p.190.
Solùm temporis differentia adulationem à detractione diſcriminat. ibid. n.2.
Fortunata adulatio ob mala facta coronatur, toto diſc.3. p.193.
Acteoni adulator confertur. ibid.
Etiam cum reicitur placet adulatio. ibid.
Vel Deum ipſum fallere tentat. ibid.
Adulationis incantamentum, vel ſanctorum manus, & linguam deuincit. ibid.
Catulos referunt adulatores. ibid.
Dum extimè adulator caput audientis linit oculos interiùs mentis excecat. ibid.
Omnes quibus indigent adulantur, toto diſcurſu 5. p.197.
Etiam bruta animalia paſcentibus dominis blandiuntur. ibid.
Vel plebeio, & deſpecto homini adulatur neceſſitas. ibid.
Qui omnium placitis ſe accommodat, vt omnibus placeat, & aduletur, meritò ab omnibus deſpicitur. p.487.n.2.3.& 4.
Geminatam adulator habet faciem, vt omnibus placeat. p.488.n.5.

Adulterium.

Adulterium, vel à Barbaris deteſtatum in barbariem degenerat, toto diſc.9. p.596.
Vel bruta animalia illicita tori commercia abhorrent. ibid.
Minùs deteſtabile erat Ægyptijs homicidium, quam adulterium perpetrare. ibid.
Grauioris criminis cum alienis vxoribus commixtio inter nobiles rea eſt. ibid.
Nobilitaté amittit,qui alterius adulterat torũ. ib.

Ambitio, Ambitioſus.

Ambitioſus aſcendere neſcit, dum ſuprema ſuſpirat ima deſpicit, toto diſc.2. p.86.

Ingratitudinis notam incurrit. ibid.
Inſerno ſimilis. p.174.n.7.
Quo magis conatur aſcendere ambitioſus, magis cadit, toto diſc.2. p.177.
Tam lubrica eſt ambitionis ſemita, vt vix deſiderijs pede tangatur, cum per eam gradiens labitur in ruinam. ibid.
Cadentes Gigantes dicuntur ambitioſi. ibi.
Ambitio clauda, & labilis vno tantùm pede nititur ambulare. ibi.
Vertiginem patitur ambitioſus. ibi.
Columbis, & Veſpertilionibus propter ſtultam elationem comparantur. ibi.
Cum cætera vitia citra condignum plectantur, ambitio ad extremum vſque punitur, toto diſcurſu 3. p.179.
Ad talionem Deus ambitionis pœnam retribuit. ibid.
Qui extrema ambitioſo faſtu petit in extremis punitur. ibid.
Ambitioſus cum aſcendere ſatagit Commilitonibus ſuis conſcendere pollicetur, quos poſteà ad ima demittit, toto diſc.5. p.183.
Semper decipit. ibi.
In dignitate vitia detegit, quæ celauerat. ibi.
Aliquando zelus publicæ vtilitatis potens eſt in ambientibus, ambitionis deprauatas, proprietates expurgare. p.199.n 4.
Ambitioſus bonorum perditione mulctatur, & dum non poſſeſſa quærit, poſſeſſa amittit toto diſc.1. p.206.
Ambitio quamuis aerea videatur, graui onere ambientem opprimit. p.10.n.3.
Qui ad faſtigium aſcendit, velociùs quam aſcenderat ad infimum delabitur. p.206.n.1.
Extra ſuos terminos tranſiliens, periclitatur ambitio. ibid.
Per imbecillem ſcalam aſcendit ambitioſus. pag. 207.n.3.
Negotioſa honoris ambitio, ipſa ſollicitudine inhonoratur, ſublimitate ipſa decreſcit, toto diſc.15. p.297.
Ambitioſi in aranea depicti. ibid.
Bracnys non meritis ſcandit ambitioſus. ibid.
Dum propriam excellentiam fauoribus negotiatur, propriam incapacitatem detegit. ibid.
Honoris priuatio ambitioſo mortis quoddam imò, & Inferni genus eſt, toto diſc.22. p.310.
Tam interijſſe dicitur, qui bonore, quam, qui vita priuatur. ibid.
Nullum nō vile agit ambitio, toto diſc.15.p.474.
Et ſi abiectiſſimum ſit officium, non ingratum exiſtimatur ei, qui alterius dignitatem geſtit occupare. ibi.
Turpitèr, & indecorè agit ambitioſus. ibi.
Dominationis ambitum filiorum vitæ præponunt ambitioſi. ibi.

Amor.

Amore læſo nullus infenſior hoſtis, toto diſc. 1. pag. 53.
Acerrimus accuſator. ibi.
Peccata contra Spiritum Sanctum, quia amor eſt irremiſſibilia dicuntur. ibi.
Ad arguendum de offenſis acutior ſapientia eſt. ib.
Offenſus in rabiem degenerat. ibi.
Vt Deus exaggeret ſuppliciorum acerbitatem, per amantium manus infligenda fore minatur. ibi.
Sine cauſa amare licet, non ſine cauſa odiſſe. pag. 55.n.1.
Amor ſe diſſimulat, vt ſecuriùs amantem poſſideat. p.100.n.1.
Odium, & Amor pictores ſunt. p.166.n.1.
Res vt ægritudine, amore pereunt, toto diſc. 4. pag. 261.
Riſus amoris ſardonicus eſt. ibid.
Præ nimio amore periclitatur vita. ibid.
Quæ vehementèr amamus, & ſi poſſeſſa, tanquam amiſſa optare debemus. ibid.
Poſſeſſio rei amatæ parit ipſius interitum. ibid.
Non ſemper amor probatur muneribus, ea negare ſæpè amor eſt. p.295.n.1.
Calcar amoris eſt, olim immanitèr offendiſſe, quem nunc peramanter diligis. p.354.n.3.
Amor docet natorum ſanguine matrem tingere manus. p.365.n.3.
Amor Dei erga Creaturas occaſum neſcit, & finem ignorat, toto diſc.3. p.366.
Diuini amoris flamma nunquam extinguitur. ibi.
Immenſurabilis eſt. ibi.
Ideò Filius, non Spiritus Sanctus carnem aſſumpſit, ne Dei amor diceretur occiſus. ibi.
Detrahit Deus ſuæ Sapientiæ nè ſuo amore detrahere videatur. ibi.
Vbi mors inſtat, amor accenditur, toto diſc 4. pag. 423.
Tenuiſſima læditur aura, toto diſc.10. p.466.
Magnus Amor Patriam vertit in exilium. pag. 493.n.4.

Amor Inimicorum.

Qui ſilet ad iniurias Deum habet defenſorem, toto diſc.8. p.325.
Difficultas ad parcendum inimicis hominem ignobilem, facilitas Dei naturam prædicat nobiliſſimam, toto diſc.3. p.395.
Iniurias ſibi illatas diù retinet homo, & eum à quo ſemel læditur, ſemper proſequitur odio. ibidem.
Non æquo animo ferunt homines ab eis conſolari, à quibus aliquod malum ſunt perpeſſi. pag. 396.n.2.
Qui pro inimicis orat humanam tranſcendit naturam ibid.
Qui ab alio iniuriè increpatur, nunquam cum illo conſentiet. ibid.n.3.
Deus pro inimicis facit, quod pro amicis non feciſſet. p.397.n.4.
Ex occaſione iniuriæ Deo irrogatæ nobilitant ipſius elementiam. ibid.
Quin obſtaret Diuinitas, cum periculo illum amittendi Deus Filium ſuum pro inimicis tradidit. ib d.n.5.
Diabolus non cognouit Chriſti diuinitatem, vſque dum

Quæ in hoc Volumine continentur.

dum ipſum pro inimicis orantem audiuit. ibid.
Indignè de Deo ſentit, qui inimicis ſua beneficia negaturum exiſtimat. p 398.n.6.
Dei laus eſt, & ſanctificatio iniuriarum indulgentia. ibid.
Poſſe, & nolle vindictam ſumere potentiæ, ac nobilitatis eſt apex, toto diſc.11. p.632.
Iniurias iniurijs rependere turpe eſt. ibid.
Magni animi eſt iniurias deſpicere, ibid.
Patientia fulgentiſſima victoria. p.633.n.2.
Non in vltione, ſed venia nobilitas oſtenditur, & potentia. ibid.n.3.
Parcendum inimicis, ſed eis non fidendum, toto diſc. 12. p.634.
Semel fracta amicitia non ſolidatur. ibid.
Ex naturæ ac iuſtitiæ debito inimicis parcere tenemur, toto diſc. 13. p.636.
Inimicus ius habet ad indulgentiam iniuriarum. ibid.
In beluam degenerat, qui iniurias vltione proſequitur. ibid. n. 3.
Iniuriarum venia ad Cęlum vndè deſcendit via regia ducit; tantunque ex ea reportatur lucrum, vt non ſolùm omnium delictorum remiſſionem conſequatur, ſed cum perſecutoribus amicitiam conciliet, toto diſc. 14. p 637.
Dilectionis inimicorum præcepto illuminata eſt caritas. ibid.
Benefica erga inimicos voluntas maximè in Cælo viget. p.638.n.2.
Dei filium, verbumque patris omnimoda ſimilitudine refert, qui verbum inimico non denegat, ſed amicè cum eo loquitur. ibid. n.3.
Latum ad Cælum panditur iter, dilectionis inimicorum mandato. ibid. n.4.
Tam munificus Deus eſt in hoſtium amatores, vt pro cuiuſque iniuriæ remiſſione omnium ipſe criminum remiſſionem polliciatur. p.639.n.5.
Ipſa dilectione ex inimico, amicus redditur perſecutor. ibid. n.6.
Iniuriarum venia, quæ non propter Deum, ſed ob alios reſpectus confertur ſuſpecta eſt, toto diſc. 15. p.639.
Vel Deus ipſe cum parcit, ſi non propter ſe ipſum parcat, non ſatis pepercisse videtur. p.640.n.3.

Amicitia, Amicus.

In amici morte, verbis vti in elegantibus, elegantia eſt. p.14. n.2.
Amicitia detrahit maieſtatem, qui illam ad ſecundos tantùm parat euentus. p.29. n.1.
Et ſi amicus deſinat benefacere ſuſtinendus eſt. p.30. n.5.
In animis amico fœdere coniunctis toto animo Deus complacet, exulat à diſcordibus, toto diſcur.6. p.30.
Non leui cauſa ab amicis recedendum, toto diſc. 5. p. 278.
Amicitia tardè admittenda, & coſtantèr retinenda. ibid.
Quæ ad commodum accedit non amicitia, ſed negotiatio eſt. ibid.
Niſi ex graui, & iuxta cauſa contra amicos bellum moueri non debet. p 279. n.3.
Contra amicum ſuſurrantibus non ſunt præbendæ aures. ibid.
Serui nequam efficiunt, vt amicitiæ inter Dominos reſcindantur. p.280. n.4.
Nulla debet eſſe arctior fratruum amicitia. ibid. n.1.
Nihil deteſtabilior, quam amicum os proferre, & inimicum cor geſtare, toto diſc. 7. p.282.
Neſcit generoſus animus ſimulatæ amicitiæ, doloſa officia patientèr ſuſtinere. p.283.n.2.3.& 4.
Qui amicitiæ larua ſe nimis introducunt, infidelitatis ſuſpicionem incurrunt, toto diſc.8. p.284.
Diù cogitandum eſt an aliquis in amicitia ſit recipiendus. ibid.
Amicus infidelis veluti adulterina moneta, cuius omnis fulgor eſt fictus. ibid.
Neſcit ceremonialitèr ſe introducere vera amicitia. ibid.
Nihil minùs ſignificant verba amicitiam affectantia, quam quod ſignificare videntur. ibid. n.2.
Qui de fide erga amicos publicè blaterat corde infidus reputatur. ibid.
Repellendi ſunt qui amicitiæ prætextu ſe nimis lateribus ingerere conantur. p.285. n.3. & 4.
Semel fracta amicitia non ſolidatur. p.634. n.1.
Nunquam fidelis credendus, qui ex inimico amicus efficitur. ibid.
Reconciliatus amicus venenum recondit, ſed non deponit. p.635. n.4.

Angelus.

Non audent Angeli ad præſentiam vnius hominis iuſti ſupplicia infligere. p.41. n.3.
Qui innatum animum nocendi habet, malus Angelus cenſendus eſt. p.92. n.2.
Vel verus Angelus terminos ſuæ commiſſionis tranſiliret, niſi impediretur. p.ibid.
A conſortio Angelorum Cælum puritatem duxit. p.303. n.4.
Angeli nos docent quanta reuerentia Dei ſacratiſſima templa ſint tractanda. p. 277. n.2.

Anima, Animus.

Qui de fortitudine blaterat animo puſillus eſt. p. 122. n. 1.
Perplexitas grauis animi cruciatus, toto diſcurſu 4. p. 142.
Magni animi eſt magna contemnere, & mediocra malle, quam nimia, toto diſc. 4. p.181.
Pudor eſt pro bonis ſpiritualibus animæ non præſtare, quæ pro perituris facimus, toto diſcurſus 11. p.601.
Fere omnes temporalium bonorum; pauci ſunt qui ſpiritualium ſentiant iacturam, toto diſcurſu 5. p. 623.
Anima vt fructum afferat ſemper eſt colenda, toto diſc. 19. p. 647.

Animal.

Maiora animalia minora deuorant. p.110. n.1.

Inter animalia; quæ, Ezechielis currum vehebant ſolùm bos in Cherubim tranſmutatur, quia proprio muneri iucumbebat. p.138. n.8.

Aquila.

Aquilæ ſuis prædis regiones determinant; pag. 68. n.3.
Pernicioſiſſimo impetu volant. p. ead. n.4.
Iouis Aquila quæ regalis dicitur carnes non attingit. p.75. n.1.
Aquilæ perfectiſſimus vir comparatur. ibid.
Ferè omnes aues in duratione ſuperat. p.93. n.2.
Inter omnes aues propter modeſtiam, & vrbanitatem præfecturam obtinet. p.400. n.1.
Se aquis frigidis immergés reiuueneſcit. p.516. n.1.

Arx.

Arces vt munitiores ſint ſupra rupes ſolent ædificari. p.136. n. 3.

Aſcenſio.

Chriſtus Dominus in aſcenſione docuit fideles palam agere de Regno Cælorum, toto diſcurſu 8. p.490.
Vehementi dolore à ſuis fuit auultus, toto diſcurſu 9. p. 492.
Niſi Patris obedientia inſtaret Cælum aſcendere recuſaret. ibid.
Tardigrado curſu renitentiam exprimebat. pag. 493. n.2.

Auaritia, Auarus.

Auaritia inſeruo comparatur. p. 174. n. 7.
Nullum non frangit auaritia vinculum, toto diſcurſu 10. p. 243.
Vinculum amoris patris ad filium, & filij ad patrem auaritia ſoluit. ibid.
Sibi ipſis homines auaritiam præſeferunt. ibid. n. 2.
Vinculum inter Deum, & hominem præſcindit. p.244. n.3.
Omnium iniquitatum eſt arx. ibid.
Auari ciues propter lucra fructus abſcondunt, aut inimicis deſerunt, toto diſc. 6. p.624.
Fidelitatem patriæ debitam rumpit auaritia. ibi.
Reipublicæ proditor eſt auarus. p.625. n.2.
Sæpè terra, quæ fructus obtulit fame perit propter ciuium auaritiam. p. ead. n. 3.

Aulicus.

Inter aulicos adulandi certamen eſt, quis eorum fraudulentiùs decipiat. p.167. n.1.
Semper aulicus eſt inconſtans. p. 320. n. 4.

Aurum.

Acutiora, & fortiora ſunt auri tela quam ferri, toto diſc. 6. p. 322.
Ingenuus quiſque ad indecorum auri deſcendit famulatum. p.323. n.2.
Non ſolùm audet humana conculcare iura, ſed diuinam temerare immunitatem. p. ead. n.3.
Deum cogere præſumit, vt à vindicta deſiſtat. pag. ibid. n. 4.

Auſter.

Reficit, & fouet planta, quas contraxerat Aquilo. p. 392. n.1.

B

Babylonia.

Chaldæorum fuit metropolis. p.251. n.1.
Primò eam Nembroht ædificauit. ibid.
Eius arcem bello primus Aſſiriorum Rex extruxit. ibid.
Perſia aliquando vocatur. ibid.
Ex lateribus eius muri fuerunt extructi. ibid.
Nabuchodonoſor tres murorum ambitus intra Babyloniam conſtruxit, & totidem foris cirumdedit. ibid.
Amedis, & Perſis igni fuit tradita. p.252. n.4.

Baptiſmus.

Remedium primæuæ culpæ eſt, ſed ingratum quia parentem deteſtatur. p.516. n.1.

Beatus.

Beati reputantur, qui immatura morte præuenti ſuorum mala non vident. p.22. n.1.
In lumine gloriæ ſe Deus precingit; vt Beati iuxta meritorum menſuram ipſum videát. p.259. n.3.
Guſtus Beatorum præſtantiſſimo ſapore reficietur in patria. p.459. n.1.

Bellum.

Bella quæ nos premunt, & hoſtibus tradunt, à noſtris ſceleribus oriuntur. p.236. n.1.
Non robur militum, ſed iuſtitia præualet in Bello. ibid.
Bellum maximè contra amicos non niſi ex certa, & iuxta cauſa moueri debet. p.279. n.3.
Bella gerere cum Deo vincere; ſinè Deo vinci eſt, toto diſc. 1. p. 555.
Criſpati, & Comati ad bella ſunt inepti, toto diſc. 6. p.577.

Beneficium, Benefactor.

Nocitura petentibus denegare beneficium eſt. pag. 12. n.1.
Plus indignationis vnius beneficij negatio negotiatur, quam gratitudinis plurium elargitio, toto diſc 6. p. 20.
Beneficia in ære exaranda ſunt, nè obliuionis iniuriam patiantur; in aqua iniuriæ, vt facilè dilabantur. p. 21. n.13.
Accepta Beneficia, & ſi prohibeamur, publicari tenemur. p.101. n.4.
Beneficiorum commercio vita munitur. p.102. n.1.
Beneficia ingratis excidunt, hærent iniuriæ. pag. 107. n.1.
Beneficiorum gratitudini non eſt, impoſita lex, neque illa indiget. p.263. n.1.
Etiam cum vitæ periculo obſeruanda eſt accepti beneficij gratitudo. p. ead. n.2.
Plerumque Deus beneficia contrahit, vt noſtræ vtilitati conſolet, toto diſc. 14. p.295.

Sæpè

Sæpè Beneficia negare amor eſt. ibid.
Ingentius Dei beneficium, ea tantùm nobis præſtare, quæ proficua ſunt. ibid.
Beneficij magnitudo ſæpè ingratitudinem, & obliuionem largienti negotiatur. p.296. n. 3.
Vult Deus minùs liberalis videri in beneficijs conferendis, vt plus commodo accipientis prouideat. ibid. n 4.
Monſtruoſum flagitium eſt, beneficium largitori inſidiari, toto diſc. 17. p. 101.
Nullum eſt odium pernicioſius quam quod reſulcat ex beneficijs collati pudore. ibid.
Prò beneficijs nocumenta rependere, & iniuria reſpondere abhorret natura, & diabolicam arguit malitiam. ibid. n. 2. 3. & 4.
Ingratis beneficia conferens ſupplicia Deus adauget, toto diſc. 18. p.303.
Non repenſa beneficia tortores ſunt ingratum animum cruciantes. ibid.
Ingrato animo beneficium non conferre beneficium eſt. p.ead.n.2.& 3.
Sic beneficia infortuna ſunt, vt tutiùs ſit aliquos offendere quam fauoribus proſequi, toto diſc.19. p.305.
Tot tela contra ſe quiſque parat, quot beneficia confert. ibid.
Qui beneficium lagitur patientia armari debet, vt ingratam retributionem ſuſtineat. p.ead.n.2.
Qui maiora confert beneficitia maiori cautela ſe debet muniri. p.306.n.3.
Quotquot beneficia Dei largitas in homines erogauit, tot contra ſe multiplicauit arma. ibid.
Plura Deus quam euulgat hominibus confert beneficia, toto diſc.7. p.428.
Veniam merito demeretur, qui poſt accepta beneficia delinquit, toto diſc.9. p.446.
Beneficia quæ conciliare debent amicos, inimicos multoties generant. ibid.
Malè acceptum beneficium vrget ad vindictam. ibid. n.2.
Pro beneficijs mala rependere ſpem aufert indulgentiæ. ibid.n.3.
Peccata contra benefactorem ex ſe ipſis indigna venia. ibid.n.4.
Magnis Beneficijs ſupplicia Deus compenſat, toto diſc.1. p.583.
Pænam inducit Deus, vt occaſio ſit vberioris beneficentiæ. ibid.n.2.
Beneficium præoccupare debet ſpem recipientis. pag. 620.n.1.
Ingratum eſt beneficium, quod inter manus donantis diù adeſit. ibid.n.2.

Bonum. Vide opes.

Qui terrena bona contemnit Deo dignus eſt. pag. 37.n.1.
Bonum publicum priuato eſt præferendum, toto diſc.11. p.112.
Moderatè Deus bona temporalia largitur. pag. 196.n.4.
Quod ab alijs aufertur, vt ipſis conferatur, bonum tantùm homines exiſtimant. p.205.n.3.
Bona quæ Deo derelicto acquiruntur, non proſunt ſed obſunt, toto diſc.1. p.225.
Sibi ipſis homines bona ſua præferunt. p.423.n.2.
Bona rapina comparata ignis ſunt, qui bona alia conſumit. p.246.n.1.
Bonorum dominium duorum eſſe non poteſt. pag. 253.n.1.
Bona Deo dicata non licet inprofanos vſus commutare. p.272.n.3.
Mundialium bonorum abdicatio mirabile Dei opus, toto diſc.11. p.185.
Ingens bonum quod minus eſt in malum tranformat. p 600.n.4.
Bona temporalia æternis ſunt poſponenda. pag. 602.n.3.
Ferè omnes temporalium bonorum, pauci ſunt qui æternorum ſentiant iacturam, toto diſ.5.p.623.
Terrena bona homines ſuſpirant, & ad Cæleſtia prægustata nauſeant. ibid.n.2.
Temporalia bona æternis præponunt. ibid.

C

Calumnia, Calumniator.

PLerumque calumnijs nobilitatur laceſſitus homo, toto diſc.1. p.105.
Laudibus alium deſtruere ſumma calumniandi ars. p.202.n.1.
A prauis Calumniari laudari eſt. p.279.n.2.

Calix.

Calamitatem magnam ſignificat. p.270.n.4.
Calicem de primo ad vltimum circumferri in conuiuijs, ſolemne eſt in ſcriptura. ibid.

Caſus, Cadere.

Qui alienis pennis volat citò cadit. p.100.n.5.
Proximorum caſus ſuos iuſti reputant, toto diſc. p.569.

Cauſidicus.

Cauſidici velut ſentes iuſtitiam ſepiunt, ſi lanam non deponas, ad eam non accedas, toto diſc.5. pag. 213.
Ne rota crepet, vngitur axis, Cauſidicos nè taceant vngere neceſsè eſt. ibid.
Non modo iura, & defenſores apud Cauſidicos venalia ſunt, ſed & ſilentium ipſum venale eſt. ibid.
Eorum lingua plurimum nocet, niſi funibus argenteis ligetur. ibid.
Ex litium longa procraſtinatione lucrum reportant. p.229.n.1.
Prolixam in litibus Cauſidicorum moram præſcindere magna Reipublicæ felicitas. ib.n.2.et 3.
In eorum manus incidens, in portis mortis verſari dicitur. ibid.
Legibus abutuntur, & prælia in Republica fouent. ibid.

Cœlum.

A conſortio Angelorum puritatum duxit. pag. 103.n.4.

Octauum Cælum, quod iu medio curſu renocatur, & ſuper Arietem, & Libram perpetuo agitatur, imperfectam pœnitentiam indigitat. pag. 145.n.2.

Cæli bomo, non Angelus clauicularius conſtituitur, vt benignum ſe præbeat pœnitentibus. pag. 158.n.2.

*Non proprio, ſed communi bono mouetur Cælum. pag.*202.n.5.

Facilis, & plana iam nobis via ad Cælnm eſt. toto diſc. p.480.

*Cælum anbelans terrena contemnit, & pericula deſpicit, toto diſc.*18. p.646.

Plerique bominum ad Cęlum ire cupiunt, non per Cæli viam, ſed per tartarorum iter, toto diſc. 21. p.649.

Si polare ſidus inſpiciamus, ſinè offendiculo ad Cælum curremus. ibid.

Neque nimio timore, neque ſpe nimia ad cælum itur, toto diſc. 4. p.563.

Cæſaries.

Capitis Cæſariem incognatorum ſepalcbrum inferebant gentiles, à quibns ſnmpſere bebrei. pag. 607.n.1.

Chaldei.

Propter ſuam in deuaſtando Ieroſolyma celeritatem pardi dicuntur. p.67.n.1.

*Pertinaciter Ieroſolymā expugnauerunt.*p.83.n.2.

Charitas.

A charitate, & politia degenerat, qui eſuriente propria Domo, in alias ſaa bona diſtribuit. pag. 18.n.2.

*Sic charitas vrget ad proximos ſubueniendos, vt cum facultates deſunt, ad miraculum recurrere compellat, toto diſc.*14. p.386.

Charitas in pauperes omnipotentiæ diuinæ eſt diſpenſatrix. p.387.n.2.&3.

Aliquando diſcordiam fonet Charitas. p.494. n.1.2.&3.

Chriſtus, Dominus.

Ægrè tulit Chriſtus Dominus tormentorum ſuorum acerbitatem malitiosè protrahi. p.39.n.3.

Differrè mortem procurabat, vt dilationis cruciamento crudeliùs torqueretur. p.40.n.5.

*Quod magis vult ſæpè nolle maniſeſtat, toto diſc.*7. p.100.

Iniurias ſibi irrogatas contrahit. p.108.n.5.&6.

*Suum in carne aduentum adeò diſtulit, vt magis ab hominibus baberetur iu pretio, toto diſc.*1. *pag.* 362.

Salutis noſtræ opus alius præter Chriſtnm præſtare non poterat. ibid.

Et angelicam, & humanam naturam Chriſti Domini incarnatio exbilarat. ibid. n.2.

*Vt legem finiret, circuncíſionis legem Chriſtus adimpleuit, toto diſc.*11. p.364.

Circumciſionis gladium in ſua carne confregit. pag. 365.n.2.

Sanguineus Circumciſionis fluxus in Chriſti Circumciſiones ſiſtitur. ibid.n.3.

Inter Chriſtum, & Abrahamum circumciſionis termini præfiguntur. ibid.n.4.

Octauo Natiuitatis Chriſti Domini die Sanguis Circumciſionis in aqua Baptiſmi conuertitur. pag. 366.n.5.

Suæ Sapientiæ Chriſtus detrahit, nè amore detrahere videatur. p.367.n.4.

Sedulo ſatagit dubitationem erga ſuum amorem præſcindere. ibid.n.5.

Cum dura verba loquitur ad miſericordiam properat. p.381.n.3.

Ab auſtro venire dicitur, ideſt à Betblehem pag. 390.n.2.

*Chriſtus Dominus nulla ex parte non ſanctus, & impeccabilis prorſus fuit, toto diſc.*1. p.392.

Etiam, vt à Beata Virgine ortum habuit. ibid.

Inuenenati ſerpentis imaginem ſumpſit. ibid.n.2.

Peccati tantùm ſimilitudinem admiſit. ibid.

Peccatorum verba, veluti in eebo in Chriſto reſpondent, ſed longè ab ipſo efformantur. ibid.

Pater filium generans per intellectum, quaſi oculos auertit a peccatoribus, & ſanctis tantùm intendit, ne aliqnid, quod peccatum redoleat iu æterna generatione concipiatnr. p.393.n.3.

Ceruorum binnulus à Ceruis naſcitur, ſed longè illis eſt velocior: Sic Chriſtns ex hominum genere natus, longè illis velocior fuit, quia nullum eum grauauit peccatum. ibid.

Vrbanitatis Chriſtus Dominus ſtudioſus fuit obſeruator. p.401.n.3.

Plus Chriſtum Dominum crucianit electorum paucitas, quam tormentorum multitudo, toto diſcurſus 4. p.407.

Mortem ante Incarnationem Chriſto intulit, paucos te ſanguinis participes fieri. ibid.n.2.

Et ſi multi ſint homines electi, non multi Chriſto videntur, niſi nullus excludatur. ibid.n.3.

Vnius tantùm hominis, tantum Chriſto excitauit dolorem ac omnium perditio. ibid.

*Crux Chriſti regni ac diuinitatis eius veritatem propalauit, toto diſc.*1. p.417.

Chriſti ſanguis in Cruce fecundior, toto diſcurſu 11. p.420.

Quo magis Chriſtus in Cruce fuit confractus, eo fragantiorem ſpirabat odorem. p.421.n.4.

Chriſtus Dominus poſt Reſurrectionem, terram ſuis diſcipulis diuiſit. p.432.n.5.

Vt quinque ſenſus bearet in patria, quinque plagas in corpore reliquit. p.460.n.4.

Chriſtus Dominus in Aſcenſione docuit, fideles, palam agere de Regno Cælorum, toto diſcurſu 8. p.490.

*Pluſquam mortem, ſuos relinquere ægrè tulit, toto diſc.*4. p.492.

Vehementi dolore à ſuis fuit auulſus. ibid.

Niſi Patris inſtaret obedientia Cælum aſcendere recuſaret. ibid.

Tardi-

Quæ in hoc Volumine continentur.

Tardigrado recurſu renitentiam exprimebat. pag. 493.n.2.
Captiuè inſtar humanitas ferebatur. ibid.n.3.
Ob nimium amorem patriam prò exilio habuit Chriſtus. ibid.n.4.
Reſurrectionis Chriſti Domini luces, & vmbræ traduntur, toto diſc.12. p.496.
In mundi exordio adumbrata Chriſti reſurrectio. ibid.
Reſurgens Chriſtus mortis eſuuias, in mortis manibus reliquit. p.497.n.2.
Quod paſſionis acerbitas intricauit, reſurrectionis iucunditas delectabile reddidit. ibid.n.3.
Dominum eſſe mortis oſtendit, vbi ſub mortis Imperio iuiſſe credebant Iudæi. ibid.
Nobiliſſimum inter omnia, miſterium fuit reſurrectionis. p.498.n.6.
In illo latebat noſtræ libertatis Chyrographũ. ibid.
Quantum in ſe fuit morti etiam, vt Deus ſeſe obtulit Chriſtus, & quodammodò defraudato deſiderio diſceſſit. p.557.n.2.
Tanti eſtimat hominis ſalutem, vt nihil reputet, quod pro ipſo pertulit. ibid.
Ipſe ſolus animam libenter poſuit. p.558.n.3.
Sic Chriſtus Dominus hominis ſalutem extimat, vt prò illa faciat quidquid pro ſua faceret, ſi indigeret, ſuamque reputet gloriam, toto diſcur.4. p.621.
Nihil haberet ſi hominum ſalute eſſet viduatus. ibid.
Ipſius dicitur hominum ſalus. p.622.n.2.

Chriſtianus.

Parum Chriſtiani nomen tibi proderit, ſi Chriſtiani opera non feceris, toto diſc.5. p.175.
Pudeat Chriſtianum ſibi blandire de nomine, cui non reſpondent mores. p.176.n.4.
Chriſtianorum ſcelera ad exteros non deſerenda, nè Euangelica ratio incontemptum impiorum deueniat. p.291.n.1.
Chriſtiani vel à vitijs abſtinere debent, ne ethnicos ad nefandas blaſphemias inducant, toto diſc.5. p.356.
Qui moribus Chriſtianæ, quam profitentur religioni contradicunt, Infidelium peccata quodammodò iuſtificant. p.357.n.2.
Ex religione quam contemnunt, maximè fidelium peccata ingraueſcunt. ibid.n.3.
Qui Chriſtiani nomen habet, & opera negligit grauiùs plectitur. ibid.n.4.
Palam gloriandum de Chriſtiano nomine. pag. 49 n 2. & 3.

Cinis.

Cinis exhomologeſis adiutor, diuinæ pietatis illex, & validiſſimus hoſtium expugnator, toto diſcur.11. p.603.
Cineris mortalitate iacto vitia profligantur. ibid.
Cui terra ſuppetias fert, ipſius recordatione magno robore munitur. p.604.n.3.
Validiſſimus a cineris cogitatione exurgit homo. ibid.
Vbi cinerem in mente homines verſant, ſuperbiam deponunt, & turgentes ſpiritus deyciunt. pag. 605.n.4.

Ciconia.

Parentes ſenio confectus ex vno climate in aliud transfert ciconia. p.536.n.1.
Elinguis eſt. ibid.
Deitatis fuit ſymbolum. ibid.

Ciuitas, Ciues.

Deſolata dicitur Ciuitas, quæ iuſtum Principem amiſit. p.40.n.1.
Bonus Ciuis, pro nullo emolumento patriam vendit. p.200.n.1.
Veluti Cælum non proprio, ſed communi bono debet moueri. p.202.n.5.
Seditioſus ciuis bellum, in Republica fouet, vt ex illo lucrum captet. p.459.n.7.
Mali ciues propter lucra fructus abſcondentes, aut inimicis deferentes rerum penuriæ cauſa ſunt, toto diſc.6. p.624.

Coma, Comatus.

Criſpati, & Comati, molles, & effeminati ad bellaque inepti, toto diſc.6. p.577.
Qui Calamiſtro criſpant comas impudicitiam maniſeſtant. ibid.
Terga effeminatè vertit in bello, qui totus eſt in nutriendis capillis. p.578.n.2.
Quem Deus creauit cum pulchritudine hominis, non vult, vt in femina ſe trasformet. ibid.n.3.

Compendium.

Del ſeruitus compendium vitæ, toto diſc.1. p.9.

Comitas.

Ingenuitatis, ac dignitatis illuſtrius ſtemma eſt. toto diſc.5. p.400.

Cometa.

Vulgus hominum aliquando ſtellas putat eſſe cometas. p.504.n.4.

Conſolatio.

Auctorem Deum agnoſcere noſtrarum calamitatum non parua conſolatio eſt. p.74.n.4.

Conſcientia.

Auditoris conſcientia optima ſermonis interpetratrix, toto diſc.15. p.388.
Interioris conſcientiæ habitus in vultu legitur. ib.
Qui ad verba generaliter dicta dolet, prauæ ſuæ conſcientiæ accuſator eſt. ibid.
Vnuſquiſq; iuxta propriam conſcientiam alienam interpretatur. ibid.n.2.

Concionator, vide eccleſiaſtes.

Concionator qui læta prædicat, gratiam, qui triſtia odium ſibi conciliat, toto diſc 11. p.50.
Cuiuſcumque ſint vitia reprehendere debet. pag. 51.n.4.

Ca-

Index Rerum,

Caueant nè Dei verbum vllis ęnigmatum difficultatibus obſcuretur, toto diſc.1. p.150.

Concionator ſit quod loquitur, toto diſc.11.p.152.

Apoſtolici concionatoris munus eſt, non blandiri, ſed obiurgare cuiuſcumque ſint crimina, toto diſc.3. p.154.

Non indiget Dei verbum acquiſitę ſapientiæ præſidio vt peccatorum animos fecundet, toto diſc.4. p.156.

Confeſſio.

Peccati confeſſio vnicum ſalutis medicamentum, toto diſc.6. p.358.

Pœnam peccati debitam anteuertit deuota confeſſio. ibid.

Peccata reuelare vitam, illa tegere mortem præſtat. ibid.

Qui in peccatorum gurgitem cadit, ſi os liberum habet, vt illa confiteatur ſaluabitur; ſin autem demergetur. ibid.n.2.

De gloria conſequenda nos reddit ſecuros peccatorum confeſſio. ibid.n.3.

Conuerſio, vide Pœnitentia.

Veræ conuerſionis inſigne tanquam amara faſtidire quæ dulcia arridebant, toto diſc.6. p.128.

Ad fortiùs per conuerſionem reſurgendum prodeſt aliquando corruiſſe, toto diſc.4. p.353.

Gloriatur Deus de animæ deperditæ conuerſione, toto diſc.3. p.558.

In peccatoris conuerſione maximè potentia Dei elucet. p.559.n.2.&3.

Conſilium, Conſiliarius.

Rebus ſunt adaptanda conſilia. p.15.n.1.

Conſilia retractare non leuitatis, ſed prudentiæ eſt argumentum. ibid.

Experti conſiliarij votum iuniori præponendum eſt. p.376.n.3.

Miniſtrorum Conſilia populus non intelligat. pag. 382.n.1.

Vt conſilia feliciter exequantur, alto ſunt retinenda ſilentio. p.383.n.4.

Magnatorum eſt vitium ſola authoritate praua ſua conſilia defendere, toto diſc.5. p.440.

Conſtantia compendium virtutis, & corona, toto diſc.5. p.143.

Confuſio.

Confuſionis, & pudoris ſupplicium ipſa morte, & gehennæ grauius eſt, toto diſc. 8. p.239.

Etiam in perditiſſimis hominibus confuſio ad delinquendum retardat. ibid.

Commiſſi ſceleris pudorem, non habere monſtruoſum eſt. ibid.

Qui beneficium confert non rogatus, munera multiplicat, quia confuſionem aufert. ibid.

Ex nuditate pudore ſuffundi, non minor pęna ingenuo viro eſt, quam mors. ibid.

Verecundia per ſe ſufficit ad ſupplicium. ibid.

Vt hominem Deus reuocet à peccato confuſione puniendum minatur. p.240.n.3.

Quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor. ibid.

Correctio.

Qui corrigendi habet poteſtatem etiamſi barbari & bruta animalia ſint, placidè ſunt audiendi. pag. 8.n.3.

Egregius modus corrigendi ſubditos, ferire delicta non perſonam, toto diſc.3. p.8.

Qui flagitia prodit, obdurationem, & impudentiam in delinquendo negotiatur. ibid.

Quia aliorum peccata corrigunt, meritò ſpiritu propbetiæ priuantur, nè occulta ſubditorum delicta detegant. p.9.n.2.

Ideò ligati deſcribuntur corrigentes, nè ſubditorum honorem lacerent, ſed vitia tantùm obijciant. ibid.

Qui ab alio corrigitur, nunquam cum eo conſentiet. p.396.n.3.

Cornu.

Potentiam ſignificat. p.415.n.2.

Diabolo, & morte veluti cornibus Ægyptum Deus ventilauit. p.417.n.4.

Coturnix.

Propè terram ſemper volat. p.76.n.5.

Ignobilitatis eſt hyeroglificum. ibid.

Conceſſio.

Non omnibus conceſſis potiri expedit, ne in prohibita dilabamur, toto diſc.4. p.116.

A conceſſis abſtinere ars eſt ad non conceſſa vitanda. ibid.

Crux.

Ponderoſam peccatorum grauitatem alleuiauit, vt à Chriſto Domino portarentur. p.11.n.5.

Crucis brachia aptè Cornua vocantur. p.416.n.5.

Crux Chriſti regni, ac diuinitatis eius veritatem propalauit, toto diſc.1. p.417.

Ab infamia Chriſtus Crucem redemit. ibid.

Ex cruce coronæ fabricantur, quibus Imperatorum tempora cinguntur. ibid.

Sceptrum regale eſt. ibid.

Regni Chriſti ludus ceſſauit in Cruce, & veritas illuxit. ibid.n.2.

Veluti Canis à baculo, quo fuit percuſſus, à Cruce, in qua fuit deuictus aufugit Dæmon. pag. 418.n.3.

Qui Crucem attentè inſpexerit, non poterit maieſtatem in ea pendentis non rimari. ibid.n.4.

Omnia Dei attributa in Cruce ſplendebant. ibid.

Quo magis humanitas in Cruce fuit attrita, eo ſplendidius emicuit diuinitas. ibid.n.5.

Non ſolùm diuina, ſed, & Angelica, & humana natura ad honoris faſtigium aſcenderunt in Cruce. p.419.n.6.

Cruce Chriſtus Cœlum arietauit, atque eius reſerauit valuas. ibid.n.7.

Chriſti Sanguis in Cruce fęcundior, toto diſcur.11. p.420.

Vbe-

Vberiores fructus Chriſtus in cruce attulit. ib.n.2.
Fecundiorem ſucceſſionem acquiſiuit, ibid.n.3.
Per Crucem totus inſtauratus mundus. p.421.n.5.
Crucis intuitu vberiora Chriſtus patrauit miracula. ibid.n.6.

Curioſitas.

Mentem excecat. p.352.n.3.

D

Dauid.

IN lectulo ſuo occubuit, quia aures muſica mulcebat. p.50.n.1.

Dedecus.

Aliena dedecora facilè, glorioſa geſta difficilè credunt homines, toto diſc.20. p.306.
Vt dedecora credantur non eſſe neceſſe teſtes producere; vt excellentiæ, non ſat videtur, ſi adducantur. p.307.n.2.3.

Deceptio.

Facillimè homo ſeipſum decipit. p.319.n.1.

Deſiderium, Deſiderare.

Anima à pluribus deſiderijs agitata grauitèr cruciatur, toto diſc.4. p.142.
Qui pia tantùm habent deſideria, & opera negligunt, ſterilibus arboribus conferuntur, pag. 144.n.2.
Quod quiſque deſiderat, id ſibi perſuadet, toto diſcur.4. p.319.
Verba non vt ſunt, ſed iuxta noſtrum deſiderium interpretamur. ibid.n.3.
Quod vehementer deſideratur, facillimè creditur. p.320.n.4.
Conſilia, quæ vera eſſe cupimus, facilè iactamur. ibid.n.5.

Detractio, Detractor.

Detractionis materia, ſæpè laudis materia efficitur, toto diſc.1. p.105.
Ignobilium proprium vitium eſt detractio, toto diſc.7. p.564.
Cyniphes referunt detractores. ibid.
Detrahere illegitimorum labes. p.565.n.3.

Deus.

Nihil Deo glorioſius, quam de ſapientibus triumphare. p.16.n.5.
Ad vnius beneficij conſpectum vult Deus nos omnium iniuriarum obliuiſci. p.20.n.1.
Non patitur Deus homines inconſtantes p.30.n.5.
Complacet in animis amicitia coniunctis, à diſcordibus exulat, toto diſc.4. p.30.
Lucem Deus in propria ſpecie laudauit, quia inimicis tenebris conciliatam aſpexit. p.32.n.6.
Difficulter Deo attendunt, qui humanis rebus adhæreſcunt, toto diſc.2. p.37.
Non audet Deus ad præſentiam hominis iuſti pœnam infligere. p.41.n.2.
Ad Deum non ſecurè itur, niſi per tritas ſemitas. p.49.n.4.5.
Æquiori animo Deus ſuas quam iuſtorum fert iniurias. p.67.n.2.
Etiam Gentilibus, & tyrannis artem, & fortitudinem confert, vt fidelium emendationi conſulat. p.89.n.4.
Veluti Chirurgus ſecat, & vrit. ibid.
Mortis hora quaſi Deo duplici indigemus, toto diſc.4. p.95.
Perſæpe quod minus vult, id ſe dicit velle Deus; & quod nolle dicit ipſū vult, toto diſc.7. p.100.
Vt poſtulata concedat, orationem expectat. pag. 102.n.5.
Vt auidius quæratur, ſimulat aufugere. ibid.n.6.
Obſequij exaggerator, offenſæ contractor eſt, toto diſc.2. p.107.
Ægerrimè fert Deus, vt ſegniter, & quaſi ex occaſione noſtræ ſaluti intendamus, toto diſcurſu 2. p.138.
Hominum iudicio ſe ſubijcit, vt apud ipſos ſua iuſtificetur cauſa, toto diſc 5. p.158.
Deos ſuos aliquo tempore dormire credebant Gentiles. p.313.n.3.
Durum Dei verbum lenitatis eſt omen, miſericordiæ vices cum iuſtitia reciprocat, toto diſcurſu 11. p.380.
Amor Dei erga creaturas occaſum neſcit, & finem ignorat. tot.diſc.3. p.366.
Triſtibus Deus leta ſemper ammiſce. p.380.n.1.
Non ſolùm ablata reſtituit, ſed inſperata concedit. p.382.n.5.
Deus pauperibus diues eſt, quia profuſiorem in eis largitatem oſtendit. p.388.n.1.
Vnus eſt Deus, vt faciliùs ſeruiatur, Trinus, vt abundantiùs benefaciat, toto diſc.10. p.408.
Deus, ſi non vnus eſt, non Deus eſt. ibid.n.2.
Naturæ vnitate obſeruantiam ſuæ legis negotiatur. ibid.
Dei opera mutuo ſe gignunt. p.413.n.1.
Cum ſupplicia Deus infert, quodammodò naturam mutare videtur, toto diſc.6. p.426.
Plura Deus quam eunlgat, hominibus confert beneficia, toto diſc.8. p.428.
Vel ſolo intuitu mundum labefactare valet. pag. 431.n.2.
Non pœnas reſpicit, ſed præmium. p.513.n.2.
Non latentèr, ſed palam quærendus eſt. p.534.n.1.
Non Deus punit, vt interimat, ſed vt illuminet, toto diſc.21. p.543.
Non minus ægrè Deus fert, quod illum tepidè quæramus, quam quod auertamur ab ipſo, toto diſcurſ.26. p.550.
Pugnare cum Deo vincere, ſine Deo vinci eſt, toto diſc.1. p.555.
Plus Deus noſtræ ſalutis ſolicitus eſt, quam nos, toto diſc.11. p.557.
Gloriatur Deus de animæ deperditæ conuerſione, toto diſc.3. p.558.
Tam, etſi Deus pientiſſimus ſit, in publica ſcelera maximè exardeſcit, toto diſc.5. p.575.

Index Rerum,

Magnis beneficijs ſupplicia Deus compenſat, toto diſc.1. p.583.

Pœnam inducit, vt occaſio ſit vberioris beneficentiæ. ibid.n.2.

Mundialium rerum abdicatio, mirabile Dei opus, toto diſc.11. p.585.

Dei cum Iuſtis de bonis operibus eſt concertatio: ipſis Deus illa attribuit, Iuſti Deo, toto diſcur.7. p.626.

Delictum.

Delicti publicatio fomes eſſe ſolet ad delinquendum. p.8.n.1.

Delicta vulneranda ſunt, ſed delinquentis perſona ſeruanda. ibid.

Delinquentium nomina, vt melius corrigantur tacenda. p.9.n.4.

Pudor eſt in delictum incidere, qui illud damnauit. p.104.n.1.

Etſi Deus cætera delicta diſſimulet, in puſillorum expilatione præceps fertur ad vindictam, toto diſc.6. p.215.

Delictorum Magiſtri prius, & grauius puniendi, toto diſc.5. p.321.

Diabolus.

Perfectos viros agriùs vexare procurat, vt præ triſtitia vincantur. p.20.n.5.

Vt nos perdat nouitates ſugerit. p.49.n.3.

Calamitatis Deum authorem eſſe celare ſatagit, vt nos præcipitet in diſperationem. p.73.n.1.

Mortis tempore duriſſimum bellum nobiſcum gerit. p.95.n.1.

Non homo à Dæmone, ſed Dæn.on ab hominibus ſumptibus ſaginatur, toto diſc.3. p.114.

In vitulo comedenti, qui nocumentum infert figuratur. ibid.

Fallitur, qui à Dæmonis ſeruitute aliquid emolumenti reportaturum ſperat. p.115.n.3.

Paſcere ventum dicuntur Diabolo famulantes. ib.

Sicut veſtis de ſuis ſumptibus tineam alit, ſic homo Diabolum. ibid.

Inquilin⸗s h bet homines. ibid.

Laborioſ ſemper offert. ibid.

Magis iuſtos, qnam peccatores Diabolus inſequitur, toto diſc.1. p.120.

Vbi ſpiritualia dona ſentit, ibi artem, & laborem impendit, vt illa ſuffuretur. ibid.

Cibus eius electus. ibid.

Duces mauult perdere, quam milites. p.121.n.4.

Callidi‥ra fraudis inſtrumenta occultat, vt incautos iuſtos apprehendat. ibid.n.5.

Sæpè Diabolus maiora mala nobis infert, cum poſt commiſſa ſcelera aditum ad alia præcludit, q a n cum denuò ad noua prouocat committenda toto diſc.4. p.125.

Vel cum bonum operatur exoſus eſt, quia proprio ſe ſubtrahit munere. p.137.n.3.

Magna Dæmonis tentatio, mortem diſtantem obijcere, toto diſc.5. p.169.

Subitò à paupertatis extremo, ad diuitiarum extremum tranſire, Diaboli eſt opus. p.196.n.3.

Dignitas, Dignus.

Non debet dignitas publico ſermonis iaculo deuenuſtari, toto diſc.1. p.6.

Optima ad honorem, perſonæ commendatio eſt. pag. 8.n.4.

Indignus à dignitate prætium, & exiſtimationem mutuat. ibid.n.5.

Sordida perſonæ conditio non obeſt, vt dignitati debitus deferatur honor. p.7.n.2.

Res maximi doloris eſt, quod dignioribus depreſſis, indigni ad dignitatem ſubleuentur, toto diſc.1. p.23.

Neque inſenſibilia patientèr ſubſtinent ignobilius, nobiliori præponi. p.24.n.2.

Vel Deus ipſe cauet creaturis præponere, quem ipſæ dignum non agnoſcunt. ibid.n.5.

Quod digno ſpreto, indignus ad dignitatem euehatur, non pœna hæc digno exiſtimanda eſt, toto diſc.5. p.42.

Benemeritum à dignitate arcere, gratia ſolet eſſe non ſupplicium. ibid.

Facilè à dignitate ruit, qui eam ſine meritis acquiſiuit, toto diſc.3. p.95.

Dignitati inſeritur, qui illam immeritò adipiſcitur. p.94.n.3.

Meritis claudus, citò à faſtigio dignitatis ruit. ibid. n.5.

Sedes dignitatis veluti indomitus æquus imperitum ſeſſorem excutit. ibid.n.6.

In ſtatu adulatio, in declinatione conuicium dignitatis eſt comes, toto diſc.1. p.190.

Licèt aliquandò vltrò ſe dignitati offerre. pag. 199.n.3.

Dignitatem concupiſcere non ſemper reprehenſibile, toto diſc.6. p.198.

Nemo ſe in dignitate perpetuare gliſcat, toto diſcurſu 7. p.217.

Non vt vxor perpetuò habenda, ducenda eſt dignitas. ibid.

Dignitas, quæ manns ligat imperandi renuenda eſt. ibid.n.2.

Qui alios ad dignitatem eleuant, liberam, & omnimodam iuriſdictionem illis debent tribuere. ibid.n.3.

Sine ſpe vlteriùs eam aſſumendi relinquenda eſt dignitas. ibid.

Qui nullas radices in dignitate mittit quibus in poſterum dominetur, ſuffragium Dei in electione habet. p.218.n.4.

Inter timoratos viros, dignitates vices ſuas habent. ibid.

Dignitas ſine meritis hominis, eſt titulus ſine homine. p.297.n.1.

Sine labore digni, & ſine brachijs ad dignitatem ſcandunt. p.298.n.1.& 2.

In æquameritorum lance, ad dignitatem cana ſapientia, iuniori eſt præferenda, tot. diſc.8. p.375.

Caduca ſenectus merito à dignitate repellitur. ib.

Inexpertus non eſt ad dignitatem erigendus. ibid.

Sapientia experientia prædita, opportunior regimini eſt. ibid.n.2.

Dignitas, quæ confertur digno, ab omnibus ha-

Google

habetur, toto diſcurſu 7. p.404.
Omnes remunerantur, cum ad dignitatem benemeritus eleuatur. ibid.
Quod benemerito donatur, omnes ſibi impenſum reputant. ibid.
Præmium merentis, ab omnibus poſſidetur. ibid.
Nullum non vile agit, qui dignitatem ambit, toto diſc.15. p.474.
Dignitas benemerito, etiamſi inimicus ſit conſerenda, toto diſc.7. p.488.
Humilis in dignitate aſper, & ſuperbus; nobilis blandus, & humilis, toto diſc.8. p.581.
Natiua humilitas non eſt in dignitate obliuiſcenda. p.609.n.2.& p.601.n.3.
Nefas eſt ante laborem dignitatem ambire, toto diſc.7. p.611.

Diſcordia.

Diſcordes animi cogunt aufugere Deum, & eos deſerere, toto diſc.6. p.6.
Ad arma Deus accedere recuſat, quia pugnæ diuiſiones inſtrumenta ſunt. p.32.n.5.
Diſcordia res paruæ creſcunt, maximæ dilabuntur. p.445.n.1.
Quandòque diſcordiæ, & diſſentiones bonæ, & optimè Reipublicæ, toto diſc.10. p.494.
A charitate aliquando oriuntur diſcordiæ. ibid.

Dilectio.

Res vt ægritudine dilectione pereunt, toto diſcur.4. p.261.

Diſſimulatio.

Parua diſſimulanda ſunt, magna plectenda, toto diſc.8. p.65.

Diuitiæ, Diues.

Vel ſolo viſu pauperis auarus diues ſuffocatur, toto diſc.,. p.72.
Nil tam timet diues, quam pauperis præces. ibid. n.2.
Diuites, & potentes, pauperes, & inualidos excoriant, & liguriunt, toto diſc.1. p.110.
Cibaria omnia ſolent diuites ſubripere pauperibus fame pereuntibus. p.111.n.3.
Veluti Milui paruulorũ rapinæ ſtudẽt. p.112.n.4.
Diuitijs honores deferuntur, toto diſc.3. p.124.
Pro numine habentur diuitiæ.ibid n.3.
Metalla non memorat Moyſes, ne diuitiarum curam excitet. ibid.
Denſum lutum vocantur diuitiæ. p.189.n.3.
Rapina comparatæ, incomportabile pondus poſſeſſori afferunt. ibid.
Tranſitus extremæ paupertatis ad diuitiarum extremum, inter opera Dei non computatur, toto diſc.4. p.195.
Diuitibus raptoribus, & inhumanis non deſunt, qui eos mordeant, & ſpolient, toto diſc.2.p.207.
Diuitias, quas deuorauit, cum magno dolore euomet Tyrannus. p.208.n.3.
Malè partæ diuitiæ authoribus longum merorem, hæredibus breue gaudium afferunt. ibid.
Diuitiæ, quæ Deo derelicto acquiruntur, non proſunt, ſed obſunt, toto diſc.1. p.225.
Breuiſſimo tempore durant rapina comparatæ. pag. 226.& ſeq.
Nuditatem afferunt. ibid.
Sæpè Deus hominibus, qui pro ditandis filijs malè agunt hæredes permittit, qui eorum bona diſperdũt, quin de ipſorum animabus curam habeant, toto diſc.4. p.231.
Diuitiæ rapina comparatæ, ignis ſunt, qui bona alia conſumit, tot.diſc.12. p.246.
Iniuſti raptores vbi cibum deferre autumant, ignem deferunt. ibid.
Veluti venenata potio opes malè acquiſitæ viſcera iniuſtum poſſeſſorem euomere faciũt. p.247.n.2.
Acutiora ſunt auri tela, quam ferri, toto diſcur.6. p.322.
Diues impunè delinquit, pauper inualidus pœnæ obnoxius eſt. tot.diſc.4. p.439.
Iudicem diues ſua craſſitudine hebetat. ibid.
Diuitem culpare audet nemo. ibid.
A lege pœnali diuites videntur immunes. ib.n.2.
Vel mortuus diues reueretur. ibid.
Mundialium rerum abdicatio mirabile Dei opus, tot.diſc.2. p.585.
Rerum mundialium abundantia, ſeminarium criminum eſt. ibid.n.2.
Vbi Chriſtum Dæmon vidit terrena bona deſpicere, Deum eſſe compertum habet. p.586.n.3.
Inſenſibilia arguunt hominum auaram cupiditatem. ibid.

Doctrina.

Qui letam doctrinam prædicat, gratiam; qui triſtem, odium ſibi conciliat, tot.diſc.3. p.50.
Subtiliori doctrina ſæpiùs ad Dei cognitionem capimur, tot.diſc.2. p.393.
Chriſtiana doctrina non renunciauit ingenio, ſubtiliter percipere miſteria gaudet. ibid.

Dolor.

In magnis doloribus ruſticum, ac barbarum apparere, elegantia eſt, toto diſc.2. p.14.
Immoderatus dolor, lacrymas ſubducit. p.20.n.3.
Nimius dolor quaſi impotentia eſt ad Dei mandata exequenda. p.19.n.2.

Dominus.

Pluribus Dominis ſeruire, intolerabile iugum. pag. 264.n.1.& p.408.n.2.
Vt Dei præcepta homines obſeruent, vnum eſſe Dominum qui præcipit, ipſis intimatur. pag. 454.n.4.
Qui pluribus Dominis ſeruire ambit nullum habet. p.488.n.4.

Donum.

Ad dona ſupernaturalia acquirenda quies animæ, & imperturbato neceſſaria eſt, toto diſcurſ.15. p.336.

Domus.

Qui propriæ Domus curam negligit infideli eſt deterior. p.18.n.6.
Neque pro Deo ſequendo, propriæ Domus cura eſt omittenda. p.138.n.5.
Qui Domus ſuæ curæ non incumbit, non homo, ſed ſpectrum eſt, toto diſc.1. p.314.

E

Ebrietas.

Eſt voluntaria inſania. p.464.
Contumeliæ, & deriſui exponuntur, qui ſe mero ingurgitant. p.174.n.5.
Ebrium aliquem efficere, idem eſt, ac ipſum inhumanitèr cruciare. p.268.n 1.
Magnam ignominiam ebrietas affert. p.270.n.4.

Eccleſiaſtes.

Caueat Eccleſiaſtes, ne Dei Verbum vllis enigmatum difficultatibus obſcuretur, toto diſcur. 1. p.150.
Non Theatralibus vtatur orationibus. ibid.
Veluti argentea tuba perſpicuè perſonare debet. ibid.n.2.
Phaleratis verbis audientium mentes non deturbet. ibid.
Non Ieiuna verba proferat. ibid.
Longos ſine fructu verborum frondes Deus abborret. p.151.n.3.
Sacer Eccleſiaſtes ſit, quod loquitur, toto diſcurſ. 2. p.152.
Eius verba, animi ſunt interpretes. ibid.
Opera verbis conjoncnt. ibid.
Cibo, quo alios paſcunt ſe debent nutrire. pag. 153.n.2.
Eorum vita, eandem ac verba exalet fragantiam. ibid.
Verbum Dei gladius anceps, vt vno ore audientes, altero Prædicatorem fereat. p.153.n.3.
Indignus prædicandæ veritatis miniſter eſt, qui opera non præſtat, quæ alios docet. p.154.n.4.
Apoſtolici Prædicatoris munus eſt, non blandiri, ſed obiurgare cuiuſcumque ſint vitia, toto diſcurſ.3. p.154.
Neque adulationem, neque maledicentiam incurrat. ibid.n.2.
Illibatis perſonis vitia carpere tenetur. ibid.
Veluti apes in peccatorum cordibus ſpicula figat. pag. 155.n.3.
Tanquam Columba gemitum pro cantu depromat. ibid.
Quaſi fulmen potentibus opponatur, vt venena vitiorum extinguat. p.156.n.4.
Non indiget Dei verbum acquiſitæ ſapientiæ præſidio, vt peccatorum animos fecundet, toto diſc.4. p.156,
Subtiliori, & obſcuriori doctrina ſæpius Eccleſiaſtes, homines ad Dei cognitionem capit, toto diſc.11. p.393.
Plus debet verbis ſignificare quam loquitur. ibid.
Quæ auditores acumine proprio percipiunt ipſos delectant. ibid.
Verbum Dei gladius acutus. p.594.n.3.&4.
Subtile, & ingenioſum Prædicatoris eloquium, meliùs à vitiorum ſtatione, homines remouet. ibid.

Eccleſia.

Eccleſia aliena à vectigalibus. toto diſc.1. p.271.
Ex animalibus, quæ Ioui in olimpia ara Sacrificabantur, miluus aliquid nunquam ſurripiebat. ibid.
Nullo Iure res ſacras in profanos vſus licet commutare. ibid.
Qui miniſterium inſeruiunt altaris, nulli præter Deum debent ſamulari. ibid.n.2.
Neque impius Princeps, de bonis Sacerdotum adhuc in publica neceſſitate audet aliquid extorquere. p.272.n.3.
Tributa non pendit Eccleſia. ibid.n.4.
Regni excidium Eccleſiæ Vectigalia, toto diſcurſ. 2. p.273.
Plurimi Principes tentantes templa expoliare, extemplò moriuntur. ibid.
Ingruente Religionis exitio, & Regio theſauro penitus conſumpto, Eccleſiarum opes licitè principibus impenduntur. ibid.n.2.
Ad miraculum Princeps recurrere debet priuſquam opes Eccleſiarum attingat. ibid.n.3.
Bonorum Eccleſiæ ſciſſio, ſciſſionis Regni prophetia eſt. p.274.n.4.
Non modò res ſacras diripere, ſed eas tangere mortem affert. ibid.n.5.
Eccleſiæ fortitudo ſemper inuicta, eo quod vnico eius innitatur ſponſo, toto diſc.24. p.547.
Veluti luna quamuis videatur deficere, nunquam deficit. ibid.
Inſulis comparatur. ibid.n.2.
In Arcturo, qui immobilis irradiat adumbrata. p.548.n.3.

Electio.

Qui nullas indignitate mittit radices, vt in poſterum dominari velit, ſuffragium Dei in electione habet. p.205.n.4.
Indignum præſulem eligere nihil eſt aliud, niſi araneæ telas, quæ facili negotio rumpuntur ordiri. p.297.n 1.
Electo ſat eſt dignitatem deferre, excluſo ad minùs laudes remittat. p.372.n.3.
In æqua meritorum lance cana ſapientia iuniori in electione eſt præferenda, toto diſc.8.p.376.
Cum dignus eligitur, omnes ad dignitatem eliguntur, toto diſc.7. p.404.

Eleemoſina.

Quod prò Deo elargimur non minuitur, ſed cum ingenti lucro recipimus, toto diſc. p.
Pauperibus erogatam eleemoſinam ad equalitatem Deus rependit, toto diſc.9. p.222.
Cum facultates deſunt, vt ſubueniatur pauperi ad miraculum recurrere libet, toto diſc.14. p.386.

Nemo

Quæ in hoc Volumine continentur.

Nemo ab erogandn eleemoſyna impoſſibilitnte naturali excuſatur. p.387.n.4.

Emendatio.

Citò puniri delicta emendationis eſt ars, toto diſc.3. p.39.

Equus.

Equi ad Euphratem procreati velociſſimi ſunt. pag. 52.n.3.

Error.

Vel in ipſis erroribus virtutis ſignn præſeferunt Sancti, toto diſc.1. p.347.

Exactor.

Quæ ſubditus prò ſubueniendo Principe offert, non ſunt ab exactoribus violenter extorquenda, toto diſc.4. p.211.

Intolerabilis eſt exactionis præda. ibid.

Non patitur Deus, qnod vltroneè offertur, flagellis exactores extrabere. ibid.n.2.

Supè mare nauigantibus in portu naufragium eſt, vbi exactorũ rapacitatẽ incurrunt. p.212.n.4.

Æthiopes.

Madianitæ, & Æthiopes idem ſunt. p.449.n.1.

Iudæi Æthiopes dicuntur. p.471.n.1.

Æthiopes pellibus armati ad belln procedebant. ibid.

Exceſſus.

Rarus miniſter eſt, qui in commiſſione non excedat, toto diſc.2. p.91.

Vel bonus Angelus, niſi impediretur, in commiſſione excederet. p.92.n.2.

Excellentia.

Cum alterius excellentiæ narrantur, pluſquam dimidium famæ addendum eſt, p.288.n.3.

Exemplum.

Ad ſuperioris exemplum operantur ſubditi. pag. 477.n.7.

Euchariſtia.

Silentio reueretur. p.313..n.7.

Et ſi Sacerdos vipera ſit venenata nd illius ſibilum Chriſtus renliter ndeſt in Encharistia. pag. 325.n.4.

In plenilunio agnus, qui Euchariſtiam referebat, immolabatur. p.369.n.3.

Chriſtus Dominus in Sacrnmento Euchariſtiæ non ſolùm inuiſibiles, ſed & viſibiles hoſtes expugnat, toto diſc. p.450.

Omnem à Cntbolico pectore Euchariſtiam depellit timorem. ibid.

Catholica arma ſub illius tutela robornntur. ibid. n.2.

Loco caſtrorum eſt. ibid.

Iuueniles vires nduerſus hoſtes præſtat. p.451.n.3.

Qui ipſnm oſculatur armatur ad bellum. ibi.n.4.

Reibellicæ fortnna ab illa dependet. ibid.

Fides Diuina in Sacramento altaris adeò trinmphat vt non ſolùm intellectum, ſed & ſenſus quodammodo in captiuitate redigat, toto diſcurſ. 2. p.452.

A deceptione ſenſus in boc Sacramento redduntur immunes. ibid.

Panem, & Chriſti ſubſtnntiam non ſimul latere in boc Sacramento, aliquo modo fatentur ſenſus. ibid.n.2.

Panis Euchariſticus triticum eſt liguſtro confectum, vbi tota panis ſubſtantia euanuit, remanentibus dumtaxat accidentibus. ibid.n.3.

Qnodammodo ſenſus in Euchariſtia ad percipienda obiecta ſuper naturalia eleuantur. p.453.n.4.

Amor vt homines ditet, Deum in Euchariſtia depredatur, toto diſc.3. p.453.

Vt iucundius ſit boc conuiuium, in materia à proprio Domino abſtracta adumbratur. p.454.n.2.

Pium latrocininm ſibi Chriſtus intulit, vt nos reficeret in altaris menſa. ibid.n.3.

Arte furandi piè abutitur Sacerdos Sacrum Eucbariſtiæ Sacramentum conficiens. ibid.n.4.

In almo Euchariſtiæ Sacramento duplex Cbriſti vita ſpecialis, & gloriæ, & redemptionis ſuſcipientibus qnodammodò confert, toto diſcurſ. 4. p.455.

Vitam quam accepit à Patre, Chriſtus in Sacramento altaris commnnicat. ibid.n.2.

Æternitatis diem largitnr. ibid.n.3.

Æternæ vitæ participes efficit ſuſcipientes. pag. 456.n.4.

Aliqnid pluſquam Bentitudo præſtnt Euchariſtin. ibid.n.5.

Pretinm libertatis, & redemptricem vitam quodammodò Chriſtus in Euchariſtia largitur, toto diſc.5. p.457.

Euchariſtin numiſma triticeum libertatis pretium afferens. ibid.

Chriſti facultates hereditario iure præſtat. ibi.n.2.

Eximium redemptionis noſtræ valorem Communicat. ibid.n.3.

Libertatem noſtram operatur. p.458 n.4.

Deum vrget vt debitn noſtra remittat. ibid n.5.

Cenſum peccati ſoluit. ibid.n.6.

Ad redempricis vitæ veritatem nos aduocat. pag. 459.n.7.

Non ſolùm anima, ſed & ſenſus Euchariſtiæ ſuauitate beantur, toto diſc.6. p.459.

Gnſtnm in Patria Euchariſtiæ ſnauitate ſatiandum eſſe, non improbabiliter aſſeritur. ibid.

In Euchariſtia verbum Caro efficitur, toto diſcurſu 7. p.461.

Verba prò facto ſupponunt. ibid.

Hoc ſacrificium verbis conficiendnm pnlchrè adumbratur. ibid.n.2.&3.

Hoſtia vociferationis propriè dicta. ibid.

Chriſtus Dominus in Euchariſtia realiter adeſt, to.o diſc.8. p.462.

Reali Chriſti ſnbſtantia anima in altaris menſa ſatiatur. ibid.

Lac vitæ neceſſarium præſtat. p.463.n.2.

Sub

Sub lactis forma concupiſcitur. ibid.n.3.
Non panis, ſed carnis Epitecta admittit. ibid.n.4.
Qui ad menſam Eucharisticam ſinè ea, quæ tantùm Sacramentum accet, puritate accedit inſanire videtur, toto diſc.9. p 464.
Indignè hunc cibum participant, iudicium proprium abſorbet. ibid.
Qui temerario auſu ad hanc menſam ſine puritate ſedet tanquam demens lapides iactat. ibi.n.2.
Temeritas. & inſania eſt irreuerenter hoc ſacrificium tractare. p.465.n.3.
Qui ſine decente ornatu ad Altare accedit, tanquam inſanus alligatur. ibid.n.4. &5.
Chriſti amor in Euchariſtia ſic delicatus eſt, vt vel tenuiſſima aura lædatur, toto diſc.10. p.466.
Vel Aere tranſeunte offenditur. ibid.n.2.
Pupillam oculi teneritudine refert. ibid.n.3.
Veluti flos leuiſſima aura languet. p.467.n.4.
Leui attactu prouocatur ad vindictam. ibid n.5.
Qui poſt Euchariſticam Cenam ſomno torpet, interitum ſibi parat. toto diſc.11. p.468.
Euigilare debet qui ab hac menſa ſurgit. ibid.
Qui ſemel ex agno Paſchali ſomno correptus comedebat, rurſus ex eodem agno comedere non poterat. ibid.
Quod diſcipuli Euchariſtico cibo vix aſſumpto dormiant propter illorum periculum dolet Chriſtus. ibid.n.2.
Corde vigilet, qui innoxium hoc pabulum inuenire deſiderat. ibid.n.3.
Qui ad hanc menſam recumbens non excutit ſomnum, lethalem morbum incurrit. p.469.n.4.
Ad Euchariſtiam non niſi in gratia accedendum, toto diſc.12. p.469.
Obſoletus arceatur ab hoc conuiuio. ibid.
Participans hunc Cibum, deſideria debet habere Cæleſtia. ibid.
Nihil terrena ſapiens conuiua afferat ad hanc cenam. ibid.
Indignus ſibi mortem infert in hoc conuiuio. pag. 470.n.4.

F

Fama,

Bona fama præcipuè in Superioribus adipiſcenda, & conſeruanda; mala autem nimis fugienda, toto diſc.9. p.286.
In mulierum fama, fama Principis eruditur. ibid. n.2.
Geſtorum turpium vindicta, mala fama patratoris eſt. ibid.n.3.
Præſentis potentiæ fama non extinguitur futuri eui memoria. ibid.
Fama pluſquam dimidium laudibus detrahit, vt vituperijs adaugeat, toto diſc.10. p.287.
Semper eſt mendax. ibid.
Parua malæ famæ ſcintillula, totus honor flagrat. ibid.
Cùm alteriùs dedecora audiuntur, famæ pluſquam dimidium detrahendum eſt. ibid.
Addendum pluſquam dimidium, cum excellentiæ narrantur. p.288.n.3.
Veris falſa addere ſolitat. p.289.n.4.
Inſita famæ cupido augendi rumores. ibid.
Non bona fama, crimen reputatur. ibid.
Homines non ex rei patrata merito, ſed ex patratoris famarem exiſtimant, toto diſc.13. p.384.
De quo obſcura fama habetur, nulla preclara geſta creduntur. p.385.n.4.
Illuſtrium factorum fama ad Celos vſque peruenit. p.391.n.5.

Fœdus.

Fœdera cum infidelibus inire impium, & periculoſum eſt. p.238.n.4.

Fel.

Pro vino accipitur, p 269.n.2.
Furorem ſignificat. ibid.

Felicitas.

Veluti vinum ſuauiter fallit, vt cum dedecore, & ignominia quem eleuauit a dignitate deijciat. pag.174.n.6.
Magnarum eſt virium felicitatis oueri non ſuccumbere, toto diſc.4. p.181.
Sicut nimio fructuum pondere frangũtur arbores, ſic homines immoderata felicitate. ibid.
Nimia felicitas Dei memoriam obliterat. ibid.
Animum corrumpit. ibid.
Carnis maceratione frenanda. p.182.n.2.
Potius à felicitate, quam à tribulatione timendum. ibid.n.3.
Præteritorum memoriam extinguit. ibid.
Non durat immoderata felicitas, toto diſc. 10. pag. 447.
Nemo aliena infelicitate eſt felix. p.627.n.1.

Fides, Fidelis.

Noua in fide fugienda, toto diſc.2. p.49.
Per inuſitatam ſeminam incedere fidem eneruat. ibid. n.4.
Iuſtus fide viuit, ſed non ex fide ſolùm. p.173.n.3.
Cor virtutum eſt, & iuſtificationis initium, velut ſcutum nos protegit. p.175.n.1.
Ad viuendum in fide neceſſè eſt benè operari. pag. 176.n.2.
Fides ſola filios Dei non facit, ſed poteſtatem tribuit, vt fiant. ibid.n.3.
Pudeat fidelibus de nomine gloriari cui mores non corriſpondent. ibid.n.4.
Amicorum, qui ſe nimis introducere tentant, ſuſpecta fides, toto diſc.8. p.284.
Non propinquitate loci, ſed cordis affectu probatur fides. p.285.n.5.
Nè paucorum fidelium defectu pateſiant, totus orbis inuertitur. p.318.n.2.
Fides humana ex auditu incerta, ex munerum acceptione mendax, toto diſc.7. p.373.
Teſtibus ex auditu non eſt adhibenda fides. pag. 374.n.2.
Eius qui munus accepit, ſuſpectum eſt Teſtimonium. ibid.n.3.

Digitized by Google

Quæ in hoc Volumine continentur.

Per nocturnam fidei lucem, meliùs quam in die indagatur Deus. p.394.n.2.
Quæ ad fidem, & Religionem pertinent, palam operanda. p.492.n.4.

Filius, Filia.

Fœlicitates Patribus promiſſæ adimplentur in filijs pag. 204.n.2.
Tota filiorum erga parentes cura ad id reducitur, quomodò eos ſepeliant. p.232.n.4.
Religioſi filij, quæ Parentes Deo dicarunt, non ſibi vſurpant. ibid.
Filius definitio eſt Patris. p.434.n.5.
Sæpè Deus hominibus, qui prò ditandis filijs mala agunt heredes permittit, qui eorum bona diſperdant, quia de ipſorum animabus curam habeant, toto diſc.4. p.231.
Vel vna ſola filia totam domum euertit, toto diſc.13. p.248.
Viris ſibi dilectis, rarò Deus plurimas dedit filias. ibid.
Ad honoris iacturam vna ſola filia pluribus equiualet. ibid.
Veluti oculi pupilla cuſtodienda eſt filia, quia ab ea numeroſa familia inhonoratur. p.249.n.2.
Neque breui vngue à materno ſinu debent diſcedere, nè periclitentur. p.250.n.3.

Finis.

A fine felicitantur virtutis principia, toto diſc. 27. p.551.

Fiſcus.

Nunquam fiſci mala cauſa eſt, niſi ſub bono Principe. p.192.n.1.

Fortitudo.

Qui de fortitudine gloriatur, animo puſillus eſt. pag. 122.n.1.

Fluctus.

Fluctuum decimus maximus dicebatur. p.169.n.1.

Fortuna.

Neſcit Deus cum aliorum detrimento alios ſecunda fortuna proſperare. p.210.n.4.
Vnuſquiſque intra fortunam debet manere ſuam. pag. 258.n.1.
Qui alienæ fortunæ inuidus illam æquare procurat periclitatur. p.259.n.2.
Maxima fortuna minima licentia eſt. p.501.n.1.
Quod proſpera excæcat, aduerſa illuminat. pag. 543.n.2.& 3.
In ſecunda fortuna, aduerſam timere expedit, & contra illam muniri. p.634.n.2.

Sanctus Franciſcus de Paula,

Sanctiſſimus parens Franciſcus de Paula regalis aquila carnes haud veſcens, toto diſc. 4. p.75.
Nonagenarius diſceſſit admirabilem à carnibus abſtinentiam obſeruans, ad quam ſuos aſſeclas voto adſtrinxit. ibid.
Primeuam Abelis ſanctitatem carnis abſtinentiæ reſculpſit. p.76.n.3.
Modico herbarum victu Characterem Sanctitatis cudit. ibid.n.4.
Carnes faſtidiens regiam nobilitatem expreſſit. ibid. n.5.
Innocentiæ ſtatum reſtaurauit. ibid.
Ad conſortium deitatis aſcendit. ibid.
Angelicam puritatem comparauit. p.77.n.7.& 8.
Vel vmbram carnalis cibi à ſuis relegare curauit. p.78.n.9.
Cœleſtem vitam ſibi, ſuiſque delegit. p.77.n.8.
Regalem nobilitatem, & profuſam miraculorum diſpenſationem humilitate acquiſiuit, toto diſcurſu 5. p.80.
Minimum ſe agnoſcens cum Eccleſiæ proceribus in ſanctitate contendere non recuſat. ibid.
Corde humilis, ſed animo fuit magnus. ibid.n.2.
Quia à puncto minimo ad extremum humilitatis peruenit, magnitudinis maximum attigit extremum, toto diſc.11. p.86.
Tantum Euchariſtiæ pabulo per quadraginta dies fuit enutritus. p.451.n.2.
Propter mirificam à cibis abſtinentiam Eccleſiæ prodigium, & miraculorum patrator factus eſt maximus. p.643.n.5.

Frater, Fraternitas.

Fratrum diſſenſiones difficiles. p.53.n.1.
Fraternitas, quæ concordiæ vinculum eſſe debet, plerumque diſcordiarum ſeminarium eſt, toto diſc.6. p.280.
Naturaliter inimicitiæ aduerſatur, & vltionem recuſat. ibid.
Fratres non externo Iudice, ſed interno amore ad concordiam redigi oportet. ibid.
Fraternus amor cum in odium degenerat, adeò implacabilis hoſtis eſt, vt ad eius confrigendam ferociam ingentia caſtra ſint neceſſaria. pag. 281.n.3.
Quis implacabilis hoſtis futurus eſt confrater ante adoptione efficitur. ibid.n.4.
Nullus ad puniendum fratrem aptior eſt gladius, quam frater. p.282.n.5.
Nocumentum, quod frater molitur in fratrem, nunquam lene. ibid.
Falſus frater ſpina dicitur. p.483.n.5.

Furtum.

Qui non habet vnde viuat, & viuit, & non laborat, aut viuit miraculo, aut furto, toto diſcur.5. p.60.
Qui ſine facultatibus guloſè cibatur, non temerè furto viuere iudicatur. ibid n.3.
Aliena furari, & eis vti tanquam proprijs potentiorum eſt ingenium, toto diſc.1. p.69.
Opes furto comparatæ fugaces ſunt. p.226.n.3.
Breuiſſimo durant tempore. p.227.n.4.
Ignis ſunt, qui bona alia conſumit, toto diſcur.12. p.246.
Vel ignoratum furtum in animo pacatiſſimo iras, & iurgia fouet. p.247.n.2.
Iucundiora ſunt, quæ furto poſſidentur. p.453.n.1.

Gau-

G

Gaudium.

GAudium,& voluptates terrenas magno pretio mereantur homines. p.116.n.5.

Garrulitas.

Regiminis inuerſio guberuatorum garrulitas, toto diſcur.12. p.382.

Gentiles.

Suis dextræ, & armis diuinitatem arrogabant. p.88.n.2.

Vel ſolo intuitu mundum Deos labeſactare credebant. p.431.n.2.

Gratia.

Dei ſeruitus compendium vitæ, & gratiæ abortus?toto diſc.1. p 90.

Gratiæ abortus perfectiſſimè partus. p.91.n.5.

Gratitudo.

Vt ſimus grati, non opus eſt Deum præcipere: ne grati ſimus: non ſat videtur, & ſi prohibeat, toto diſc.5. p.263.

Gratitudini non eſt impoſita lex. ibid.

Gratus animus vitam potiùs, quam gratitudinem vult admittere. ibid.n.2.

Grata beneficij reſponſio altero præcepto concurrente præualet. ibid.n.3.& ſeq.

Gloria, Gloriari.

De quo quiſque gloriatur, id illi deeſt, toto diſcur.11. p.122.

Spes gloriæ mærorem fugat, animumque tranquillat, toto diſc.12. p.411.

Ad gloriæ intuitum tardiores pedes plumeſcunt. ibid.

Cæleſtis gloriæ præmium cogitantes mandata omnia alacriter eſecuntur. p.412.n.2.

Laborum acerbitas ab infuſas ſpei gloriæ ſuauitate dulceſcit. ibid.n.3.

Ne gloriæ memoria à nobis excidat,delitias Deus ſummonet, toto diſc.1. p.478.

Facilis, & plana iam nobis ad gloriam via eſt, toto diſc.2. p.480.

Pudor eſt prò æterna gloria non præſtare, quod prò peritura facimus, toto diſe.2. p.601.

Ardua quæque aggrediuntur homines, vt humanam gloriam aſſequantur. ibid.

Vel pro gloria in enigmate oſtenſa acriter pugnandum eſt. p.602.n.3.

Gubernator.

Euerſio ciuitatis gubernatorum eſt diſſidium, toto diſc.12. p.382.

Gubernatorum frugalitas publicam calamitatem clamitet, toto diſc.9. p.240.

Populis, quibus præſunt, ſe in pompa debent conformare. ibid.

Publicè neceſſitatis tempore ſedebant præcingere. pag. 241.n.2.

Regiminis inuerſio gubernatorum garrulitas, toto diſc.12. p.382.

Gula.

Libidinis, & ſalacitatis eſt fomentum. p.643.n.6.

H

Habacuc.

EIus Patria, & genus ignota. Prolog.1.p.2. Suuamitidis fuiſſe filium, quem Eliſeus à morte excitauit, creditur. ibid.

Quo tempore, & ſub quo Regum prophetauit incertum eſt: probabilius videtur ſub Manaſſe Principe vaticinia detonuiſſe. Prolog.2. p.2.

Amplexum, ſeù luctatorem ſignificat. Prolog.3. pag. 2.

Bieunio poſt duarum tribuum exilium moritur.ib.

Tota eius prophetia ad Chaldæos præcipuè contorquetur. Prolog.4. p.3.

Quam ſit Deus afflictorum memor, mirificè in ſua prophetia oſtendit. ibid.

Temerè contra Deum loqui videtur. p.14.n.1.

Eius audacia eſtuantis, ac deſiderantis animi affectum videtur. ibid.

Heres.

Sæpè Deus hominibus, qui proditandis filijs mala agunt heredes permittit, qui eorum bona diſperdant; quin de ipſorum animabus curam habent, toto diſc.4. p.231.

Hiſpani.

A Vandalis infirmiſſimis hoſtibus expugnantur, vt vitiorum vi, non hoſtium robore videantur ſuperati. p.79.n.12.

Hoſpitalitas.

Hoſpitalitas Dei virtus, & beatitudinis complimentum, toto diſe.24. p.654.

Homo.

Hominum conditio eſt de Deo conqueri, ſi optata non aſſequantur. p.12.n.1.

Ægrè ferunt ſuorum errorum emendationem. pag. 16.n.5.

Ea hominum natura eſt, vt non tantam gratiam habeant, pro his, quæ illis tribueris, quantum dolorem pro his, quæ illis negaueris, tot. diſcurſ.6. p.20.

Incoſtantes in amicitia homines non patitur Deus. pag. 30.n.5.

Quæ ſua ſunt anhelantes, de aliorum eſitio non dolent. p.33.n.1.

Nemo hominem in tuto conſtitutus alterius ruinæ miſeretur. ibid.

Difficulter Deo attendunt, quia humanis rebus adhereſcunt, toto diſc.11. p.37.

Quia homines ad Deum, vt ipſe vult amore non accedunt, terroribus, minis, ac ſupplicijs facit, vt reſipiſcant, toto diſc.1. p.47.

Deum

Deum propter ipſius pietatem, impiè contemnunt, toto diſc.3. p.57.
Homo ad ſepulchrum accedens idem, ac in vita eſt per eſſentiam, ſed alter debet eſſe per gratiam. pag. 95.n.1.
Iniuriæ admodum exagerator, beneficij accepti contractor eſt, tot.diſc.3. p.107.
Non homo à Dæmone: ſed Dæmon ab hominibus ſumptis ſaginatur, tot.diſc.3. p.114.
Hominum iudicio ſe ſubijcit Deus, vt apud ipſos ſua iuſtificetur cauſa, toto diſc.5. p.158.
Homines non videntur habere, niſi quod alijs auferttur, toto diſc.3. p.209.
Qui de ſuis non curat, non homo, ſed ſpectrum eſt, toto diſc.1. p.514.

Honor, Honorare.

Honores diuitijs deferuntur, toto diſc.3. p.124.
Alterius egeſtatem ſubleuare, illum honorare eſt. ibid.
Nulla facilior, nullaque ſenſibilior iactura, quam bonoris eſt, tot.diſc.11. p.289.
Omnes ambiunt honoris ſtemmata. ibid.
In proprium dedecus nemo honoris cupidus conſentit. ibid.n.2.& 3.
Licet vulnus honoris curetur manet cicatrix. pag. 290.n.4.
Semel ſordidata opinio numquam expurgatur. ibi.
Honoris infamia veluti nodus ſericus, qui facilè efficitur, ſed difficilè ſoluitur. ibid.
Negotioſa honoris ambitio ipſa ſollicitudine inhonoratur, ſublimitate ipſa decreſcit, toto diſcurſ.15. p.297.
Honoris priuatio ambitioſo mortis quoddam, & & inferni genus eſt, toto diſc.22. p.310.
Magis honoris priuatione, quam geheuna cruciantur damnati. ibid.n.3.& 4.

Hora.

Hora mortis ita periculoſa eſt, vt quaſi Deo duplici indigeat, toto diſc.4. p.95.

Humilitas, Humilis.

Humilitas Regia, & potentiſſima virtus, toto diſc.5. p.80.
Quoſcunque proceres humilis ſuperat. ibid.
Corde humilis animo eſt magnus. ibid.n.2.
Sola humilitas veram nobilitatem cudit. ibid.n.3.
Quo quiſque eſt nobilior, eò magis humiliatur. pag. 81.n.4.
Miraculorum virtus patratrix ab humilitate procedit. ibid.n.5.& 6.
Deum cogit miracula efficere. ibid.
Qui ab extremo humilitatis aſcendere incipit, extremã aſſequitur magnitudinem. p.86.n.2.& 3.
Qui naturalem habet dignitatem, non recuſat per humilitatem ab illa deſcendere. p.123.n.5.
Humilitas oculatiſſima virtus, quæ ſuperbis abſconduntur, rimatur myſteria, toto diſc.3. p.351.
Intellectus acumine omnia penetrat. ibid.
Lac diuinarum reuelationum humilibus Deus adminiſtrat. p.352.n.2.
Sicut natura non patitur vacuum, ſic nec gratia humiles quin illis ſe infundat. ibid.
Humilis propriæ conditionis cognitio ne oculos mentis acuit. ibid.n.3.& 4.
Humilitas aſſecla prophetica virtus eſt. p.353.n.5.
Grandis poteſtas timeat: humilis à timore eſt ſecurus, toto diſc.2. p.570.

Hypocriſis.

Simulationem, & hypocriſim toto animo Deus abhorret, toto diſc.4. p.574.
Vulpi confertur hypocrita. ibid.
Nequit Deus ad res ſimulatas ſe accommodare. ibid. n.2.
Nè ſimulationem Deus incurrat, idem eſt ad intra, & ad extra. ibid.
Auſteritatem ſimulat hypocrita, vt carnis illecebris inſeruiat. ibid.n.3.
In ficulnea adumbratus. ibid.
Viperam refert. p.575.n.4.
Quod in cordis ſecreto latet, in facie Deus videre vult. ibid.

I

Iactatio.

De quo ſe quis iactat, id illi deeſt, toto diſcur.2. p.122.
Qui de fortitudine gloriatur puſillus animo eſt. ibid.
Veluti ſtrutiones blaterones ſunt, qui de perniciociſſimo volatu ſe iactant, cum tamen volandi non habeant facultatem. ibid.n.2.

Ieroſolyma.

Per antonomaſiam Ciuitas dicitur, ſicut Roma apud latinos. p.205.n.4.
Idem eſt, ac Mons pharam. p.390.n.2.

Illecebræ.

Nonniſi Deo auſpice, & acriter pugnante importunè carnis illecebræ ſuperantur, toto diſcur.4. p.588.
Carnis illecebræ hominem infamant. ibid.
Vel illecebrarum defenſio, & excuſatio aliquid impuritatis ſecum deferre videtur. ibid.
Victoriam indeclinando inimicam laſciuiam, ſibi tanquam mirabile opus Deus arrogat. ibid.n.2.
Carnis illecebræ ſic periculoſæ ſunt, vt quomodocumque concipiantur, noxium reſpirent contagium. p.589.n.3.
Magis quam infideles declinandi ſunt illecebroſi. ibid.

Illegitimi.

Patris famæ inſidiantur. p.565.n.3.
Procliues ſunt ad detractionem. ibid.

Imago.

Viuere dicuntur imagines, quæ omnibus numeris ſunt abſolutæ. p.390.n.4.

Index Rerum,

Impietas, Impius.

Nulla maior impietas, quam ob pietatem Dei, Deum contemnere, ob impietatem hominum, homines vereri, toto diſcurſ.3. p.57.

Iuſtorum mortem impij deſiderant, illorum vitam ærumnoſam detrectant. p.63.n 4.

Impij Regis domus deſertum Deo eſt. p.69.n.1.

Eadem qua delinquunt, impietate puniuntur impij. p.205.n.3.

Veluti mare impius, vt ſe purget, alios coinquinat. p.210.n.3.

Vltima impiorum ruina ipſorum loquacitati commendatur. p.383.n.3.

Imperium, Imperare.

Imperandi deſiderium non ſemper reprehenſibile, toto diſc.6. p.198.

Imperare ex ſuo genere opus laudabile. ibid.

Qui virtute præditus imperium recuſat, Deum conuincitur non amare. p.199.n.2.

Tam abſurdum eſt neminem velle imperare, quam omnes. ibid.

Qui imperare optat, bonus videri affectat. ibid.n.4.

Propter iniuſtitiam, & tyrannicam dominationem mutantur imperia. p.207.n.& p.208.n.2.

Impatientia.

Qui Deum ſuarum pœnarum authorem non agnoſcit, facilè ad impatientiam ſtimulatur, toto diſc.4. p.73.

Ingenium.

Ingenia quo illuſtriora, eò breuiora ſunt, toto diſc.1. p.83.

Mortuis annumerantur ingenioſi. ibid.

Niſi ſe ſtultum ſimulet ingenioſus, mortem non effugiet. p.84.n.2.

Ingenia liberalitèr educata faciliùs verecundia, quam metus ſuperat. p.240 n.3.

Infans.

Vt vita fruatur perfecta, decimum ante natiuitatem debet attingere menſem. p.90.n.1.

Infantes qui octauo menſe naſcuntur non viuunt aliter qui ſeptimo. ibid.n.2.

Somno ſopitus naſcitur infans. p.234.n.3.

Nè fontes vberum, quibus alitur, laceret, ſine dentibus naſcitur. p.279.n.2.

Inſipientia.

Quaſi ius eſt ad gratiam Principis promerendam. p.85.n.5.

Indoles.

Etiam in delictis generoſa ſolet indoles agnoſci. p.347.n.1.

Ingratus.

Ingratis beneficia excidunt, hærent iniuriæ. pag. 107.n.1.

Ingratis benefaciens ſupplicia Deus adauget, toto diſcurſu 18. p.303.

Gratum hominem ſemper beneficium delectat, ingratum ſemel. ibid.

Ingrato beneficium non conferre, beneficium eſt. ibid.n.2.& ſeq.

Generoſus animus ingratitudine ad benefaciendum non retardatur. p.368.n.1.

Infernus.

Inferni appetitus inexplebilis. p.174.n.7.

Ieiunium. Vide Abſtinentia.

Ieiunium Dæmonem infugat, cæleſtem vitam refert, ſanctitatis eſt Compendium: intemperantia libidinis, toto diſc.14. p.641.

Inimicum ſerpentem enecat. ibid.

Arx eſt, quæ nos à diabolica oppugnatione defendit. ibid.

Vitam Cæleſtem, & Diuinam emulatur. ibid.

Elementaris ignis, quia ieiunium obſeruat Cæleſtem habet ſferam. ibid.

Ieiuna corpora Deum cogunt in ipſa illabi. pag. 642.n.3.

Ieiunij dies in tempore mortalis vitæ non computantur. ibid.

Neſcit ieiunium cum Deo non habere commercium. p.643.n.5.

Omnium vitiorum eſt ſepulchrum. ibid.

Inimicitia, Inimici.

Tanta aliquorum hominum eſt prauitas, vt non iam ſuos, ſed & aliorum inimicos ob adulationem odio habeant, toto diſc.7. p.130.

Nulla eſt implacabilior, quam fratrum inimicitia, toto diſcurſ.6. p.280.

Nihil deteſtabilius, quam amicum os præferre, & inimicum cor geſtare, toto diſc.7. p.282.

Etiam ſuper inimicorum incommodis dolendum eſt. p.598.n.1.

Poſſe, & nolle de inimicis vindictam ſumere potétiæ, ac nobilitatis eſt apex, tot.diſc.11. p.632.

Parcendum inimicis, ſed eis non fidendum, toto diſc.12. p.634.

Ex naturæ, ac iuſtitiæ debito inimicis parcere tenemur, toto diſc.13. p.636.

Indigni.

Quod fauor, & præmium indignis conferatur, non ſat eſt, vt à ſuperioribus auellamur, toto diſcur.5. p.29.

Quod digno ſpreto indignus ad dignitatem eleuetur, non pœna digno exiſtimanda eſt, toto diſcur.5. p.42.

Indigni ipſa dignitate inhonorantur, toto diſcur.15. p.297.

Infirmitas.

In alienis infirmitatibus noſtras curare diſcimus, toto diſc.4. p.58.

Vnus humor omnes infirmitates cauſat, ſed pro diuerſitate locorum diuerſi ſũt morbi. p.98.n.1.

In-

Quæ in hoc Volumine continentur.

Infelix.

Infelix eſt, qui alieno malo non docetur, toto diſcur.4. p.58.

Summa infelicitas eſt, à virtutis tramite recedere, toto diſcurſ.27. p.551.

Nemo comparatus infelix. p.599.n.1.

Intellectus.

Si venalis eſſet, non haberet emptorem. p.15.n.1.

Cæcitas ſenſibilis intellectum acuit. p.47.n.1.

Vir magno intellectu præditus mortuis annumeratur. p.83.n.1.

Quod voluntas renuit, intellectus percipere recuſat. p.319.n.2.

Quæ peruia ſunt, faſtidit intellectus. p.393.n.1.

Intentio.

Bona intentio ignarum intellectum manuducit ad veritatem attingendam. p.316.n.1.& ſeq.

Inconſtantia.

Virtus inconſtans in vitium degenerat. p.143.n.1. & p.144.n.2.

Inconſtantes floribus autumnalibus conferuntur. ibid.

Inſulares.

Solent eſſe indomabiles, & malę beſtiæ. p.439.n.2.

Inuidia, Inuidus.

Nullum incurabilius, nullumque abiectius malum eſt inuidia, toto diſc.6. p.185.

Tam abiectum vitium eſt, vt quemlibet pudeat illud prodere. ibid.n.2.& ſeq.

Plus alienis bonis, quam proprijs malis cruciatur inuidus, toto diſc.8. p.202.

Aliquem apud inuidum laudare ipſum calumniare eſt. p.203.n 2.

Omni plaga dicitur percuſſus, qui inuiſi felicitatem vidit. ibid.n.2.

Plus alterius felicitate, quam gehenna inuidia tabeſcens cruciatur Dæmon. ibid.n.3.& 4.

Iniuria.

Æquiori animo Deus ſuas, quam iuſtorum fert iniurias, toto diſc.2. p.70.

Homo iniuriæ ſuæ admodum exaggerator, beneficijs contractor eſt, toto diſc.2. p.107.

Ingrato hærent iniuriæ, beneficia excidunt. ibid.

Iniurias ſibi irrogatas Deus extenuat. ibid.n.2. 3.& 4.

Qui ſilet ad iniurias, Deum habet defenſorem, toto diſc.8. p.325.

Conuitia patienter ſuſtinens creditorem habet Deum. ibid.

Sibi Deus iniuriarum reſeruauit vindictam. ibid.

Difficultas ad condonandum iniurias hominum ignobilem, facilitas Dei naturam prædicat nobiliſſimam, toto diſc.3. p.395.

Poſſe, & nolle de iniurijs vindictam ſumere potentiæ, ac nobilitatis eſt argumentum, toto diſcur.9. p,632.

Parcendum iniuriantibus, ſed eis non fidendum, toto diſc.12. p.634.

Ex naturæ, ac iuſtitiæ debito iniurias condonare tenemur, toto diſc.13. p.636.

Iniuriarum venia ad cælum via recta ducit, tantumque ex ea reportatur lucrum, vt non ſolùm omnium debitorum remiſſionem conſequatur, ſed cum perſecutoribus amicitiam conciliet, toto diſc.14. p.637.

Iniuriarum venia, quæ non propter Deum, ſed ob alios reſpectus confertur ſuſpecta eſt, toto diſcur.15. pag.639.

Irriſio.

Nihil grauius ingenuis viris, quam irrideri, toto diſc.7. p.187.

Morte iſpa acerbior eſt illuſio. ibid.

Vel mortuus ad irriſionis iaculum animatur, & conuitia ſentit. ibid.n.2.

Ab hora qua irridetur Chriſtus Dominus dicitur Crucifixus. ibid.

Vltimum patientiæ extremum, & tormentorum Corona eſt, conuitia tollerare. p.188.n.3.

Infernales cruciatus ſuperat irriſio. ibid.

Etiam inſenſibilia conuitia, & irriſiones ſentiunt. ibid. n.4.

Naturales vires ſuperat, irriſionem æquo animo ſuſtinere. ibid.

Iudæus.

Iudaica perfidia non niſi ignis flagratione punienda, toto diſc.13. p.471.

Ætiopes dicuntur Iudæi, quia eorum facies denigratæ ſunt, quando vitulum effecerunt. ibid.

Sub ouina pelle intus ſunt lupi rapaces, & ſub cortina Chriſti Moyſem adorant. ibid.

Debitus Iudæorum finis incendium, ibid.n.2.

Cauterio ignis eorum vlceri eſt medendum, vt totum Eccleſiæ corpus curetur. ibid n.3.

Fidei rore deſtituti flammis tradendi. p.472.n.4.

Vbi à Deo, & Chriſto eius receſſerunt, vaſa fictilia, quæ reformare non valent ſunt effecti. ibid.

Sabathum Iudæorum ritibus dicatum merito carebat manna. ibid.n.5.

Moyſis Domum, quæ Synagoga fuit ædificare maxima ignorantia. ibid.n.6.

Mortem deuorat Iudaica perfidia; toto diſc.14. pag. 473.

Mortuæ legi adherens veluti Coruus cadaueribus alitur. ibid.

Tanquam hyena, non niſi morte pabulatur. ibid. n.2.

Iudæorum peruicacia ipſis parat interitum. ibid.

Synagogæ ædificatio poſt Chriſti aduentum, non niſi mortem affert. ibid.n.3.

Chriſtum damnantes ad mortem, mortis Reos ſeipſos effecerunt Iudæi. p.474.n.7.

Iudæorum maxima infelicitas terram fodere, & fructum ex ea non colligere, toto diſc.1. p.617.

Omni genti intolerabiles ſunt. ibid.

In eorum labores gentes intrauerunt. p.618.n.2. & 3.

Fides in eorum cordibus exaruit, & ad gentium pectora tranſiuit. ibid.n.4.

Index.

Iudicium, æquitas, & conſtantia, anima, & rectitudo legum eſt, toto diſc.3. p.26.
Leges ſine anima, ſunt animæ ſiue lege. p.27.n.3.
Parua iudicis incliuatio magnum eſt periculum; ibid.
Iudicum ſalus in equilibrio poſita eſt. ibid.
Vbi Iudices inter ſe pugnant, haud poteſt conſeruari Reſpublica, toto diſc.1. p.35.
Non debent Iudices terminos ſuæ iuriſdictionis tranſilire. p.37.n.4.
Index qui citò punit ſimilis parcenti eſt, toto diſcur.3. p.39.
Iniqui Iudices, qui poteſtate ad opprimendum abutuntur, toto diſc.7. p.44.
Qui à legis præſcripto in ſupplicijs excedit, infamiam incurrit. p.45.n.2.
Poteſtas ad abſoluendum, poteſtati ad puniendum præponatur. ibid.n.3.
A crudeli Iudice poteſtatem adimere, ſingulare Reipublicæ beneficium. p.46.n.4.
Iudex, qui mortem infert, ſenerioris ſupplicij ſibi eripit materiam. ibid.
Magna debent Iudices corripere, parua diſſimulare, toto diſc.8. p.65.
Sæpè virgas in baculos vertunt, vt grauius quam par eſt percutiant. p.92.n.4.
In Hebræo populo non vngebantur Iudices, quia imponendi tributa non habebant facultatem. pag. 212.n.3.
Nihil præſtat, Iudicem eſſe in iuſtitia præſtantem, ſi inferiores miniſtri ſunt auari, toto diſ.2. p.228.
Non ſolùm Iudex lucra debet non quærere, ſed familiæ manus cohibere tenetur. ibid.n.2.
Qui iuſtitiam exercent, armari ſe debent, vt ſe defendant. ibid.
Tutius eſt inter inimicos iudicare, quam inter amicos. ibid.
Nec gratis quidem licet apud malos Iudices mori, toto diſc.3. p.229.
Lites citò dirimere, & officialium moras prolixas præſcindere, magna Iudicis prærogatiua. pag. 230.n.3.
Nihil in Iudice auaritia turpius, toto diſc. 11. pag. 244.
Crimina muneribus abſoluere nefarium Iudicis ſcelus. ibid.
Quæſtui deditus perfidus eſt Iudex. ibid.
Apud Romanos Capite puniebatur Iudex qui ob rem iudicandam pecuniam accepiſſe conuincebatur. ibid.
Veluti Piſcatoris arundo iniquus Iudex capto piſciculo manet rectus, ſi autem magnum extrahat, flectitur, & contorquetur. p.245.n.2.
Stateræ doloſæ comparatur. ibid.
Rectus Iudex, vel vultu terret clientes, nè munera offerre audeant. ibid.n.3.
Etiam munuſcula accipere cautum erat apud Romanos. ibid.
Index qui proprio muneri non incumbit, quaſi nemo reputatur. p.314.n.2.
Vel ignorans Iudex veritatem inueniet, ſi recto animo illam ſcrutetur, toto diſc.2. p.316.
Non bene audit in Indice bona intentio ſine litteris. ibid.
Inueniendæ veritatis cupidus illam amplectitur. pag. 317.n.3.
Bona Iudicis intentio veritatem inſcio intellectu explorat. ibid.n.4.
Quem damnat Index, eloquij ſuauitate mulceat. pag. 371.n.2.
Iudex niſi æquus ſit, iniquus erit, tot.diſc.8. p.405.
Neque ſuis parcat. ibid.
Dignus laude, qui cognationis amore iuſtitiam non adulterat. p.406.n.2.
Amor à Iudiciaria poteſtate arcendus. ibid.
Sine perſonarum diſcrimine ſententię ferendę ſunt. ibid. n.3.
Proprias debet Iudex obliuiſci iniurias, alienas vindicare. ibid.n.4.
Vix aliquis eſt Iudex ferreus, cuius acies à diuite non hebetetur. p.439.n.1.
Non hominis crimen, ſed conditionem ſolent Iudices damnare. ibid.n.2.
Facilè Iudices potentiorum authoritate aduerſus innocentes ſæuiunt. p.441.n.5.

Iudicium finale.

Incerta mortis, ac iudicij certitudo, toto diſc.6. pag. 171.
Iudicij dies in nocte venturus dicitur, quia ignotus eſt. ibid.
Furi comparatur, quia ex inopinato veniet. ibid.
Vltima Iudicij mora, & expectatio, vltima, & maior reproborum pœna. p.40.n.4.
Finale iudicium ita æquum erit, vt non ſolùm homines Deo, ſed Deus hominibus ſit rationem redditurus, toto diſc.1. p.162.
Etiam ipſe Deus ad maiorem iuſtificationem iudicabitur. ibid.
Stare tanquam reus ante hominum tribunal perhibetur Deus. ibid.
Vt Deus ſui ipſius rationem reddat, ſtatuitur dies vniuerſalis iudicij. ibid.n.2.
Tunc ſanctus pleno ore prædicabitur, cum hominibus ſatisfecerit. ibid.n.2.
De bonis malis conceſſis, quibus ad ſcelera ſeruntur, redditurus eſt Deus rationem. p.163.n.4.
Extrema iudicij dies adeò eſt formidabilis, vt peccatoribus nulla euadendi effulgeat ſpes, & iuſtis ſit cauſa formidinis, toto diſc.2. p.164.
Remedio pluſquam dormientes, damno pluſquam excitati erunt peccatores. ibid.
Ea ſolùm conſideratione, quod impiorum ſors potuit ipſis contingere contremiſcent iuſti. ibi.n.3. & ſeq.
Iuſtorum ærumnis extrema iudicij dies eſt ſolatium, toto diſc.3. p.166
Reſtitutionis dies vocatur extrema, quia omnia quæ nunc inordinata ſunt, ſuis reſtituentur locis. p.167.n.3.

Iudi-

Quæ in hoc Volumine continentur.

Iudicium.

Vt quiſque eſt ſic alios iudicat, toto diſc.7. p.64.

Hominum iudicio ſe Deus ſubijcit vt apud illos ſua iuſtificetur cauſa, toto diſc.5. p.158.

Oculorum perſpicua notitia incorruptum reddit iudicium. p.373.n.1.& 2.

Iugum.

Excuſſo Dei iugo mille alia accipimus grauiora, toto diſc.6. p.264.

Voluptati famulari grauiſſima ſeruitus. ibid.

Pluribus Dominis ſeruire, intolerabile iugum. pag. 266.n.3.

Iuſtitia.

Vigor iuſtitiæ languet vbi fauor, & munera vigent, toto diſc.3. p.26.

Iuſtitiæ vigor ſemper feruidus ſit, ſed nunquam præceps. p.39.n.1.

Virga iuſtitiæ quæ ſinè radice flores, & fructus producit, miraculo aut furto germinat. p.61.n.3. & 4.

Arma neceſſaria ſunt, vt iuſtitia in tribunalibus obtineatur, quia Aſtrea auara metamorphoſi in Palladem verſa eſt. p.228 n.2.

Iuſtitiam commutat, & inflectit aurum. p.244.n.1.

Iuſtitia alijs naſcitur non ſibi. p.405.n.1.

Vincula ciuitatis ſunt æquitas, & iuſtitia. p.585. num.1.

Iuſtus.

Magna calamitas Reipublicæ mors iuſti, eo quod ſuis precibus à vindicta Deum retrahit, toto diſc. 4. p.40.

Mundum ſupra ſe portant, & mundo equiualent. ibid.

Iuſtorum mortem impij deſiderant. p.63.n.4.

Nihil ſiniſtrum de alijs cogitat iuſtus. p.64.n.2. & p.65.n.5.

Equiori animo ſuas, quam Dei fert iniurias, toto diſc.2. p.70.

Iuſti moriuntur vt viuant: Peccatores vt moriantur, toto diſc.5. p.97.

Veluti arbores hiemales in radicibus vitam abſcondunt. p.98.n.4.

Iuſtorum ſocietas nunquam non vtilis, toto diſcurſ.8. p.102.

Non omnibus licitis potitur, nè ad non licita trahatur. p.116.n.2.

Acriùs iuſtos, quam peccatores diabolus inſequitur, toto diſc.1. p.120.

Veluti naues onuſtas iuſtos diabolus deprædari ſatagit. ibid.

Armari ſe debent, vt diabolo reſiſtant. ibid.n.3.

Perſeuerantes ſunt in virtute. p.144.n.2.

Aſtrologi videntur, quia ſemper de Cœlo agunt. pag. 161.n.6.

Ea tantùm conſideratione quod impiorum ſors potuit ipſis accidere, contremiſcent in die iudicij. p.164.n.2. & 3.

Iuſtorum ærumnis extrema iudicij dies eſt ſolatium toto diſc.3. p.166.

Vel in ipſorum erratis virtutis ſigna præſeferunt, tot.diſc.1. p.347.

Sicut pulchra corpora etiam in aduerſa valetudine antiquæ pulchritudinis veſtigia oſtendunt, ſic præteritæ virtutis ſancti ſigna in erroribus manifeſtant. ibid.

A ſanctorum defectibus perfectionis iter ediſcere poſſumus. p.348.n.2.

Defectus ſanctorum folia, quæ defluunt, nobis proficua ſunt ad ſanandas noſtras infirmitates. ibid. n.4.

Veluti ouis facilè ad viam reducitur iuſtus. pag. 349.n.5.

Non complacet in peccato. ibid.

In re virtutis piè audet, & impoſſibilia tentat, toto diſc.11. pag.410.

Proximorum lapſus ſuos iuſti reputant, toto diſc.1. pag.569.

Etſi homini propria pulchra, aliena fœda videantur: tamen iuſtus ſibi ipſi diſplicet. p.570.n.3.

Iuſti, ac perfecti viri ea eſt conditio, vt quot gradibus fauore aſcendit, tot propria abiectione deſcendat, toto diſc.6. p.609.

Pro nihilo terrena bona iuſtus habet. p.624.n.3.

Iuſtorum cum Deo de bonis operibus eſt concertatio: ipſi Deo illa attribuunt, iuſtis Deus, toto diſc.5. p.626.

L

Labor. Vide Tribulatio.

EX laboribus, quibus comparantur, æſtimantur res. p.363.n.3.& 4.

Non fas eſt ante laborē quieſcere, tot.diſc.7.p.611.

Vehementem dolorem excitat in bonis proprio labore partis alium luxuriari. p.618.n.2.

Latro.

Primus ſinè ſecundo dicitur bonus latro, quia malè viuens, benè moritur. p.63.n.6.

Laus.

Qui publicè laudat, tacitè ſolet deuenuſtare. pag. 154.n.1.

In laudibus fas eſt perſonas exprimere: in vituperijs nec ſignare licet. ibid.n.2.

Vel ſanctorum manus, & linguam deuincit laus. pag. 194.n.2.

Laudibus alium perdere, ſumma calumniandi ars. p.202.n.1.

Aliena probra facilè, glorioſas laudes difficilè credunt homines, toto diſc.15. p.306.

Tam auarus eſt homo laudis alterius, vt illius dubitatio pro fide ſupponatur. ibid.

Neceſsè eſt teſtes adducere, vt laudibus fides adhibeatur. p.307.n.2.3.& 4.

Laus pro re laudabili accipitur. p.391 n.4.

Lacrymæ.

Pœnitentiæ lacrymæ ignem amoris fouent. pag. 353.n.1.

Virginitatem reintegrant. p.355.n.5.

Leo.

Digitized by Google

Index Rerum,

Leo.

Propria veſtigia, ne inueniatur cauda delet. pag. 177.n.5.
Qui criſpiores habet iubas, ignauior eſt, & imbecillior. p.577.n.1.

Lex.

Primi legis fractores ſeuerius puniendi, toto diſcur.6. p.43.
In legum obſeruantia principia vitæ iaciuntur. pag. 253.n.1.& 2.
Superior qui ſubditis neceſſaria non ſumminiſtrat, legibus eos adſtringere non valet, toto diſcurſ.5. p.127.
Quandocunque Legiſlator legem adimplet, nullus ab illius obſeruantia creditur immunis. p.364. num.1.
Lex non multiplex debet eſſe, toto diſc.3. p.572.
Concernatæ leges licentia ſunt ad delinquendũ.ib.
Vt diuina lex, quæ vna eſt, obſeruetur, curat Deus ne aliquid ipſi addatur. ibid.n.2.
Legum paucitate mundus inſtauratur. p.573.n.3.
Qui plurimas leges condit, inobedientiam ſouet. ibid.

Lingua.

Sic lingua impudenter audet ad malitiam, vt Dei moderamine indigeat, toto diſc.10. p.379.
Vniuerſitas iniquitatis in lingua eſt. ibid.
Ad vitam ſpiritualem tuendam ſilere oportet. ibi.
Superflua loquacitas mentis vacuitatem denotat. ibid.
Bis ad limam, ſemel ad linguam verba ſunt trahenda. ibid.
Linguæ gubernaculum propter ipſius audaciam neque Angelo fidit Deus. ibid.n.2. & 3.
Semel Deus, & vnũ tantũm Verbũ locutus eſt. ib.
Longè difficilius intemperantia linguæ, quam aliud vitium, compeſcitur. ibid.

Lites, Litigioſi.

Qui lites, & iurgia ſouet, procul à dignitate relegandus eſt. p.25.n.1.2. & 3.
Vbi multæ lites, ciues ſe mutuo odio proſequuntur. p.39.n.1.
Nullum ingentius beneficium Reipublicæ præſtatur, quam breues terminos litibus præfigere. ibid.
In litibus maior ſolet eſſe expenſarum vſus, quam ſententiarum fructus. p.213.n.1.
Litigantes pro aduerſa ſententia, & pro morte ipſa pecunias ſoluunt miniſtris. p.229.n.1.
Diſpendio litis carere, non mediocre lucrum eſt. ibid.
Prolixam in litibus officialium moram præſcindere, magna Reipublicæ felicitas. p.230.n.2.

Lucrum.

Magna lucra damna ſecum afferunt. p.223.n.2.

Ludouicus.

Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare, ſolebat dicere Ludouicus Vndecimus Francorum Rex. pag. 219.n.1.

Luna.

Facilè decreſcit, & extinguitur, qui alienis fulgoribus micat. p.92.n.1.
Et qui ſolis iuriſdictionem ſibi arrogare ambit. pag. 141.n.3.
A ſolis collegatu decreſcit. p.184.n.3.

Lupus.

Lupi in veſpere, quia fame cruciantur, acerrimè ſæuiunt. p.72.n.2.

Lux.

Cæleſtes luces, quia nobilitate ſunt preditæ, humiliari non recuſant. p.81.n.4.
Dei ſupplicia lucem afferunt, toto diſc.21. p.543.

Luxuria.

Carnis illecebræ effæminatos reddunt homines. pag. 238.n.5.
Non niſi Deo auſpice carnis luxuria ſuperatur, toto diſc.4. p.588.
Mortis caſtitas; vitæ luxuria expers, toto diſc.6. pag. 591.
Ad ianuam templi Veneris funera vendebantur. pag. 592.n.3.
Sic luxuria ſerpit in proximos, vt commercium viri, ac mulieris, quamuis per iocum ſit, reus facti habeatur, toto diſc.7. p.593.
Raro ſinè vltimo luxuriæ periculo vir cum muliere ioculatur. ibid.n.2.
Aludo ſæpè ad impudentes concubitus deuenitur. pag. 594.n.4.
Palam conuincitur impudicus qui cum muliere in ſecreto conuerſatur. ibid.n.4.
Timenda cunctis luxuria, eo quod totam hominis vitam, & ſtudium ſorbet, toto diſc.8. p.595.
Toto animi ſtudio obſiſtere debet homo luxuriæ, quia totum hominem occupat. ibid.
Nihil hominis ad alia munera relinquit, ibi. n.2. & 3.
In belluam hominem degenerare facit. ibid.n.4.
Vel mortuis formidabilis eſt. p.630.n.2.
Intemperantia epularum luxuriæ mater, & fomentum eſt. p.643.n.6.

Lucifer.

Deſcendendo aſcendere tentauit. p.87.n.3.
Sed tamen aſcendendo deſcendit. p.177.n.2.
Ex ampla, & ſplendida magnitudine ad perexiguæ muſcæ paruitatem reducitur. ibid.

M

Madianitæ.

MArti dediti. pag.471.n.1.
Idem ac Æthyopes ſunt. p.449.n.1.

Magnitudo.

Animi magnitudo ab humilitate procedit. p.80. n.2. & 3.
Vera magnitudo omnes ambit extremitates; falſa autem

autem vnam tantùm, illamque ſuperiorem, toto diſc.2. p.86.
Magnitudo ſine proprijs meritis facilè ruitura, toto diſc.3. p.93.
Magnitudine res decreſcunt, toto diſc.10. p.447.
Magnitudinis terminus eſt decretionis initium. ibid.
Ingentior magnitudo prophetia eſt vltimi caſus. pag. 448.n.2.& 3.
Non indiget externo hoſte, vt ruat. ibid.

Magnates.

Quidquid in populis delitioſum eſt, magnates ſibi rapiunt. p.69.n.3.

Magdalena.

Detractionis materia Magdalenæ in materiam vertitur honoris. p.106.n.2.

Magiſter.

Scelerum Magiſtri prius, & grauius puniendi, toto diſc.5. p.322.
Aberrat, qui per virtutis viam abſque Magiſtro incedit, toto diſc.4. p.560.

Manſuetudo.

Placida manſuetudo fortior perſuaſionis energia eſt, toto diſc.4. p.399.
Ex accuſatore patronum facit. p.400.n.3.
Legem rebellibus imponit. ibid.n.4.

Maledicentia.

Adulationis notam incurrit, quia pluribus blanditur. p.154.n.2.
Adulatione eſt peior. ibid.

Malum, Malus.

Immane ſcelus eſt, ſine proprio commodo alijs malum inferre, toto diſc.2. p.55.
Infelix qui alieno malo non docetur, toto diſcur.4. p.55.
Sæpè diabolus maiora mala nobis infert, cum poſt commiſſa ſcelera aditum ad alia præcludit quam cum denuò ad noua prouocat committenda, toto diſc.4. p.125.
Reo vicinus eſt, qui malus reputatur. p.158.n.1.
Malorum contagium, vel ſanctos lædit, toto diſcurſ.5. p.562.
Maiora mala faciunt, vt minora pro bonis habeantur, toto diſc.1. p.599.
Præſens malum, imminens, quod ſuſtinetur, bonum facit apparere. p.600.n.3.

Malum, Punicum.

Euri flatibus tenacius ſuæ arbori adhæret. p.418. num.5.

Malitia.

Acrè inſurgit certamen inter Dei miſericordiam, & hominum malitiam, vt dum magis in Deum inſurgit homo, magis ad miſerendum Deus videatur exurgere, toto diſc.4. p.368.

Manus.

Sordes tergere non valet manus, quæ lutum tenet. p.104.n.1.
Vtroque pede claudicat, qui ad neutram manum inclinat, toto diſc.6. p.487.

Mandata.

Mandatorum obſeruantia vitæ auctuarium. p.90. num.1.

Manna.

Angelorum, non hominum dicitur panis, quia nullo labore illud compararunt. p.60.n.1.

Mater.

Maternus amor notius ſolet eſſe filijs. p.493.

Martyr.

A morte vitam mutuat. p.98.n.3.
Eius vulnera vitalia ſunt. ibid.

MARIÆ Deiparæ Conceptio.

Semper in gratia ſtetit, nunquam in originariam culpam cecidit Beata Virgo, toto diſc.1. p.504.
Communis caſus non ſentit ruinam. ibid.
Non filia, ſed amica dicitur, quia filiationis Adæ reatum non contraxit. p.505.n.2.
Lutoſam carnis peccato inuolutæ materiam abhorruit. ibid.n.3.
Neque venialem habuit noxam. ibid.
Lux gratiæ indeficiens ipſi adfuit. p.506.n.4.
Sub aſtrorum gratiæ benigno aſpectu concipitur, ne culpæ influxus eam aſpiciat, toto diſcurſ.2. pag. 506.
Iudicium Aſtronomicum de MARIA ferendum à gratia, non à natura petendum eſt. ibid.
Sub pulchro, & ſpecioſo climate concipitur. pag. 507.n.2.
Malignus Aquilonis halitus non ipſi nocuit. ibid.
Sub magno ſigno fuit concepta. ibid.n.3.
Nunquam eclypſim paſſa eſt. ibid.
Gratiæ lux in cœlo Marianæ puritatis ſemper extitit teſtis fidelis. p.508.n.2.
Theologica ſigna eam à peccato immunem oſtendunt. ibid.n.5.
Verbi incarnati gemella dicitur, quia ab vtero vnius decreti oriuntur ambo. ibid.
MARIÆ habitaculum vniuerſale culpę diluuium non ingreditur, toto diſc.3. p.509.
Generale periculum fuit MARIÆ præſidium. ibid.
Alcioni comparatur. ibid.
Omnem ad culpam aditum Spiritus Sanctus in MARIA præcluſit. p.510.n.2.
Non decertando, ſed deterrendo triumphum à ſerpente reportauit, vt nobiliori potiretur victoria, toto diſc.4. p.510.
Diabolus nunquam Mariam aggredi fuit auſus, quia iamet formidine erat deuictus. ibid.
Ne de præſumpta victoria diabolus gloriaretur, antequam MARIAM adoriatur, ab ipſa profligatus oſtenditur. p.511.n.2.
In ventre matris Chriſtus glorioſiorem didicit triumphum. ibid.n.3.

Siuè

Sinè pugna MARIA triumphauit, & à ſecuritate victoriam cecinit. p.512.n.4.
MARIA paradiſus ſemper virens, lux nunquam deficiens, toto diſc.5. p.513.
Flos ſeptus ab inimica manu non temeratus ibid.
Cæteris Adæ filijs areſcentibus, MARIA viret. ibid.
Hortus fuit bis concluſus propter integritatem animæ, & corporis. ibid.n.2.
Veluti amygdalina virga præpropera florum gratia amœnitate vernauit. ibid.
Niuis candorem, qui natiuus eſt, reſeruabat. ibid.
A primo conceptionis inſtanti illuxit. p.514.n.3.
In diebus cœli, qui occaſum ignorant, adumbrata. ibid.
Vt totus naturæ ordo in MARIÆ Conceptione videatur inuerſus, non tantùm capite, ſed, & pedibus coronatis incedit, toto diſc.6. p.514.
Non ſolùm iure naturæ, ſed gratiæ priuilegio Regina fuit. ibid.
Pedibus incedere corona redimitis, ſingulare MARIÆ elogium. p.515.n.2. & 3.
A pedibus oriri incepit. ibid.
Pedes habere coronatos, à ventre matris hæreditauit Chriſtus. p.516.n.4.
Nec leuem culpæ ſuſpicionem MARIÆ Conceptio patitur, toto diſc.7. p.516.
A Chriſto Domino fuit baptizata, quia authoritatem tantùm ab hoc Sacramento accepit. ibid.
Abſque capite in ſua Conceptione deſcribitur, quia nullam capitis culpam contraxit. p.517.n.2.
Inciſum habere caput perhibetur, quia omnibus à primò capite hæreditate poſſidendis renuntiauit. ibid.
Eius venter propter originariam puritatem laudatur. ibid.n.3.
Si dæmoni aliquando inſeruiſſet, indigna eſſet, vt in Dei matrem aſſumeretur. p.518.n.4.
Ex ſpineto ſentibus originalis culpæ vallato mollis roſa MARIA exurgit, toto diſc.8. p.518.
Lilio confertur. ibid.
In mare eius immutabilis puritas adumbrata. pag. 519.n.3.
Tanquam naturæ miraculum non ſuum, ſed filij odorem exhalauit. p.520.n.4.
Venenoſus ſerpens nunquam ad MARIAM accedere fuit auſus, tot.diſc.9. p.520.
Nociua dæmonum reptilia fugauit. ibid.
MARIÆ vbera inexpugnabilis arx, à qua arcentur inimici. p.521.n.2.
Culpæ vectigal non ſoluit. ibid.
Stellis non decoratur MARIÆ Conceptio, quia eas diabolus peſtilenti infecit contagio. p.521. num.3.
A MARIA nondum genita aufugit dæmon. ibid. n.4.
Ad eius conſpectum natiuum depouit venenum. ibid.
MARIA cerua à trifauci diaboli ore recedens. tot.diſc.10. p.522.
Neque veſtigia culpæ dæmon in Conceptione MARIÆ exoluit. ibid.
Immunis à periculo vidit aliorum naufragia. ib.
Terra fuit, in qua primi fructus ſapidiſſimi creuerunt. ibid.n.2.
Flos lucis in Conceptione propriæ dictæ. p.523. num.4.
MARIA palma ſemper virens, nunquam gratia viduata. tot.diſc.11. p.524.
Superna vis MARIAM ſubleuauit, ne ponderi originalis culpæ ſuccumberet. ibid.
E mortua radice virens pullulauit. ibid.
Nullum originalis innocentiæ folium ab illa cecidit. ibid.n.3.
Non vt lauaret, ſed vt fœcundaret, gratia illi fuit collata. ibid.
Cadendi periculum in MARIA Deus ante vertit. p.525.n.3.
Primæuæ culpæ nullam inciſionem admiſit. ibid.
In generatione ſpirituali nullum præter filium patrem agnoſcit. ibid.
Lactis fuit ipſi baptiſmus. ibid.n.4.
Vel ab vmbra originariæ culpæ receſſit. ibid.
Quoties MARIÆ puritas periclitari videtur, toties noua perfectione fulcitur, tot. diſcur.12. pag. 526.
In Conceptione, vbi cæteri periclitantur, Mariana puritas conſummatur. ibid.

MARIA concipiens, & pariens.

MARIA in Partu, & Conceptione Virginior. pag. 526.n.3.
MARIA flos in Conceptione, & in partu intemeratus, toto diſc.15. p.531.
Veluti apis ad flores, Verbum ad MARIAM acceſſit illibato ipſius pudore. ibid.
A ſeipſo Chriſtus paradiſum MARIÆ cuſtodiuit. ibid.n.2.
Copulam ab oratione ſalutans MARIAM Angelus abſtulit, vt nullam in Conceptione Verbi copulam inter venturá innueret. p.532.n.3.
Sicut flos odorem ſpirans venuſtatem non amittit, ſic MARIA Verbum concipiens, & pariens. ibid.n.4.

MARIA Purificata.

Legi Purificationis obtemperante magis ſua immunitas innotuit. p.527.n.4.

MARIÆ Cruciatus.

Cruciatus MARIÆ in morte Filij exaggerantur, toto diſc.17. p.534.
Filio compatiens omnium Martyrum tormenta collectiuè ſuperauit. ibid.
Cruciamenta Filij in dolore exceſſit. ibid.
Vltra humanitatem fuit paſſa. ibid.
Diris cruciatibus nos peperit. ibid.
Omnium matrum dolores ſuſtinuit. ibid.
Dei ſpeciali auxilio vitam in paſſione Filij non amiſit. p.535.n.3.
Chriſtus in Cruce, MARIA in Chriſto patiebatur. p.536.n.4.

MARIÆ Aſſumptio.

Vt Antipelargiæ legem adimpleret, Chriſtus mater-

Quæ in hoc Volumine continentur.

ternum corpus in cælum addnxit, toto diſc.1. pag. 536.

Vt cæleſtes manſiones occnparet, Chriſtus matrem ad æthera leuauit. ibid.

Debito filiationis Chriſtus ſatisfecit, matris corpus transferens in cælum. p.537.n.2.

Comes matris inſeparabilis Chriſtus eſſe voluit. pag. 538.n.3.

Indecens eſſet quod MARIÆ corpus in terra remaneret. ibid.

Vt iugi ſacrificio victimam offerat Deo Patri, altare ex terreno matris corpore in cælis collocauit. ibid.n.4.

Vel minimam huius altaris particulam in terra relinquere non patiebatur filiationis debitum. ibid.

Non ſecum Chriſtus matrem detulit in cælum, vt imperiali pompa, & nobiliori triumpho poſteà exciperetur. p.539.n.5.

Hominis ſola natura ſupra immortales ſpiritus exaltata ſuit in Virgine. ibid.

Ad cælum eleuatur, vt neceſſitates noſtras proſpiciat, toto diſc.19. p.539.

Homines in huius vitæ mare fluctnantes ad litus cæleſtis patriæ perducit. ibid.

Commnne mundi propitiatorium adeſt in cælo. ibid.

Vberiori auxilio à cælo terram fouet. p.539.n.3.

Aſcendit, vt omnem terram ſno patrocinio fæcundet. ibid.

Cum onere filijs alimenta prębendi præexcelſum locnm ſcandit. ibid.

In æthere tanquam columna nos dncit, & protegit. ibid.

MARIÆ Pietas.

A Deipara pietatem Chriſtus hauſit, ad ipſiuſque nutum munera diſpenſat, toto diſc. 16. p.533.

Ardorem diuinę iuſtitię temperauit. ibid.n.2.

Miſericordię matrem eſſe gloriatur. ibid.

Pietatis affectum affricarunt filio MARIÆ viſcera. ibid.n.3.

Iuxta MARIÆ voluntatem munera, & ſupplicia Deus diſpenſat. p.534.n.4.

Varia de MARIA.

In Pharam monte ſuit adumbrata. p.390.n.2. & p.392.n.1.

Nobilitatem virtutis generis nobilitati prætulit. p.423.n.4.

Voluit Chriſtus Dominus, vt omnis eius victoria Virgini matri tribueretur, toto diſc.13. p.528.

Alluminatrix dicitur. ibid.

Sinè MARIÆ conſortio hoſtes aggredi non expedit. ibid.n.2.

Gloria ex filij victoria reſultans in matrem redundat. p.529.n.3.

Vt debitum Matri rependeret, Chriſtus Euchariſtiam inſtituit, toto diſc.14. p.530.

Pia ergo filium MARIÆ officia iure ſuperſubſtantialem cibum exigebant. ibid.

MARIÆ filius Chriſtus in Euchariſtiæ inſtitutione volnit reputari, vt ipſi fuiſſe debitam innueret, ibid.n.2.

Niſi diuino cibo non poterant materna munera compenſari. ibid.n.3.

Non precibus, ſed iuſtitia MARIA Euchariſtiam impetrat. p.531.n.4.

Mendacium, Mendax.

Apud homines maximo mendacium, nullo veritas habetur in pretio, toto diſc.6. p.167.

Familiare omnibus eſt mendacium, veritas peregrina. p.168.n.3.

Quia mendacio non conſentiunt, facies ſuas homines dilacerant. p.169.n.3.

Niſi mendacij colores veritas induat, periclitabitur. p.167.n.1.& p.168.n.2.

Deceptionem, & mendacium in ſe patitur, qui in alios, molitur. p.222.n.3.& 4.

Nunquam mendacium impunitnm ne Deus, qnem deſtruere tentat, in illud conſentire videatur, toto diſc.13. p.293.

Seruile vitium mendacium eſt. ibid.

Veritatem adiunare mendacio iniuria illi eſt. ib.

Nihil ſnpplicij prætermittit Deus in mendacio. pag. 294.n.3.& 4.

Quo veritas timidior, eo mendacium eſt audacius. tot diſc.3, p.317.

Audacter, & ſine delectu loquitnr mendax. p.318. num.4.& 5.

Perlucet mendacinm ſi attentè inſpiciatnr. ibid.

Mentiri dicitur ager, quandò iu fructibus ſpei agricolæ non reſpondet. p.618.n.2.

Meritum.

Magnitudo ſine meritis facilè ruitura. tot. diſcurſu 3. p.93.

Merita ferè ſemper infortunata ſunt. p.27 n.1.

In æqua meritorum lance cana ſapientia iuniori eſt præferenda, toto diſcurſu 8. p.375.

Qui cæteros meritis anteit, primò reportet præmia. pag. 376.n.4.

Dignitas, quæ confertur benemerito, ab omnibus habetur, toto diſc.7. p.404.

Vltra merita, & promiſſa Deus mercedem rependit. p.428.n.2.& p.429.n.3.

Meritornm inæqualitati inæqualitas præmij debet correſpondere, ne rectus Reipublicæ ordo euertatur, toto diſcur.20. p.541.

Præmia merita fouent, & virtutes alunt, toto diſcur.8. p.613.

Res ſnmmi doloris eſt, æquales in merito feliciores contueri, toto diſc.8. p.627.

Si quem Deus benemeritum à munere excludit, laudibus extollit. ibid.n.2.

Merces. Vide Meretrix Præmium.

Ad meretrices cognoſcendas olim prophetia opus erat: nunc ad continentes, toto diſcur.5. p.589.

Olim meretrices pudicæ videri ſtudebant: nunc pudicæ meretrices apparent. p.590.n.3.

Antiquitus cautum fuit, meretrices detecta facie ambulare. ibid.

Meretricis cubiculum inferno confertur. pag.195. num.3.

Minimus.

Quoſcumque magnos ſuperat. p.101.n.1.
Qui ad punctum minimum humilitatis perueniunt, veram magnitudinem aſſequuntur, tot. diſc.2. p.86.

Miluus.

Paruulorum ſtudet rapinæ. p.112.n.4.

Miles.

Criſpati, & comati milites molles, & effæminati, ad bellaque inepti, toto diſc.6. p.577.
Nihil tam Deus abhorret, quam apparatum muliebrem in viro. ibid.
Terga effæminatè vertit in bello, qui totus eſt in nutriendis capillis. p.578.n.2.

Miniſter.

Sæpè miniſtri, qui à vectigalibus ſuas domus habent immunes, de aliarum ſubuerſione non dolent, toto diſc.7. p.33.
Miniſtrorum diffidium euerſio ciuitatis, toto diſcur.1. p.35.
Iuſtitiæ miniſter, qui citò punit, ſimilis parcenti eſt, toto diſc.3. p.39.
Miniſter, qui non habet, vndè viuat, & viuit, & non laborat, aut viuit miraculo, aut furto, toto diſc.5. p.60.
Ne eorum munera venalia fiant, miniſtris, quæ neceſſaria ſunt, debet largiri Princeps. ibid.
Rarus miniſter eſt, qui in commiſſione non excedat, tot.diſc.2. p.91.
Sæpè miniſtri iuſtitiæ, virgas in baculos vertunt, vt grauius quàm par eſt, percutiant. p.92.n.4.
Miniſter, qui ſine metu loquitur, quod ſentit, tanquam miraculum celebratur. p.148.n.3.
Quæ populi pro ſubueniendo Principe offerunt, non ſunt à miniſtris violenter extorquenda, tot.diſc.4. p.211.
Curiales miniſtri tamdiu cauſas tuentur, quamdiù munera accipiunt, tot.diſc.5. p.213.
Rarus eſt, qui munera non reſpiciat terrena, pag. 214.n.3.
Malleatori confertur curiæ miniſter. ibid.
Nihil refert præſtantiores miniſtros eſſe in iuſtitia præſtantes, ſi inferiores ſunt auari, toto diſcurſ.2. p.228.
Armari debent, vt iuſtitiam tueantur. p.229.n.2.
Adeò ſerpit auaritia in miniſtrorum inferiorum turbam, vt miraculum reputetur, aliquem ab ipſorum manibus innoxium euadere. ibi.n.4.
Nec gratis quidem licet apud malos miniſtros mori, tot.diſc.3. p.229.
Meliùs eſt petenti iuridicè tunicam, & pallium dimittere, quam in manus miniſtrorum incidere. ibid.
Qui forenſibus indigent miniſtris, in portis mortis verſari dicuntur. p.230.n.2.
Miniſtrorum frugalitas publicam calamitatem clamitet, tot.diſc.9. p.240.
In publicis neceſſitatibus debent ſuperfluam præſcindere pompam. p.241.n.3.
Tributa non Regi, ſed miniſtris inſeruiunt, maximè cum iniuſtè imponuntur, tot.diſc.1. p.253.
Non in Regis ærarium, ſed in proprijs domibus pecunias rapina extractas reponunt. ibi.n.2.
Ex Regijs opibus præclaras ædes conſtruunt, & amplas emunt poſſeſſiones. p.254.n.3.
Inter malos miniſtros iniuſta tributa ſparguntur. ibid. n.4.
Miniſtrorum bona prophetia ſunt ſpoliationis Regni. ibi.n.5.
Tanquam miraculum reputatur, qui ex bonis, quæ Regi extorquet, nullum ſibi commodum lucratur. p.255.n.6.
Sine miniſtrorum interuentu tributa de manibus ſubditorum accipere, magna Principis felicitas. ibi.n.7.
Miniſtrorum Deus conſilia corrumpi, & in vacuum laborare facit, vbi regnum euertere decreuit. p.256.n.1.
Miniſtri munera commutantes regnum euertunt. ibid.
Deprauata miniſtrorum conſilia æterna bella fouent. p.257.n.4.
Miniſtrorum garrulitas regiminis inuerſio, toto diſc.12. p.382.
Secretorum reuelatores peſtilentes ſunt miniſtri. ibid.
Regnum exitiali loquacitate perdunt. p.382.n.2.
Vt feliciter conſilia exequantur, alto debent retinere ſilentio. ibid.n.4.
Miniſter niſi æquus ſit, iniquus erit, toto diſcurſu 8. p.405.
Non eſſe creditur miniſter, qui quod debet, non operatur. p.425.n.3.& p.426.n.4.
Praui miniſtri ſola authoritate conſilia ſua defendunt, tot.diſc.5. p.440.
Arcana conſilia vxoribus non reuelent, toto diſcurſu 4. p 483.
Irreuerentia in regios miniſtros vltionem celerem expoſcit. p.495.n.2.
Sciat miniſter, quot gradibus fauore aſcendit, tot propria abiectione deſcendere, tot.diſc.6.p.609.

Miraculum.

Qui non habet, vndè viuat, & viuit, & non laborat, aut viuit miraculo, aut furto, toto diſcurſu 5. p.60.
Veluti miraculum eſt, mortem vitæ non aſſimilari. p.63.n.5.& 6.
Miraculorum effectiua virtus ab humilitate procedit. p.81.n.5.& p.82.n.6.

Mons.

Montes Principes ſignificant. p.391.n.3.
Æterni appellantur. ibid.n.4.
Hominum induſtria fiunt. ibid.

Miſericordia.

Acre inſurgit certamen inter Dei miſericordiam, & bo-

& hominum malitiam, vt dum magis in Deum inſurgit homo, magis ad miſerendum Deus videatur exurgere, toto diſc.4. p.368.
Multoties ira motiuum ſolet eſſe miſericordiæ, ibid.
Deus magis ſibi infenſis prius benefacit. ibid. num.2.
Criminoſæ culpæ impietas occaſio eſt profuſioris miſericordiæ. ibid.
Se manifeſtare ſatagit malitiam ſuperando.p.369, num.4.
Durum Dei verbum, lenitatis eſt omen, miſericordia vices cum iuſtitia reciprocat, toto diſc. pag. 380.
Rigoris verba præambula ſunt miſericordiæ ſigna. pag. 381.n.2.& 2.
Impetus iuſtitiæ peccatum miſericordiæ portum denuntiat. p.382.n.4.
Miſericordia non eſt ſeueritatis expers.p.443.n.1.

Mors, Mori.

Etiam ijs, qui ad mortem damnantur, citò plecti miſericordia eſt. p.39.n.1.
Mors iuſti magna calamitas Reipublicæ, toto diſcurſ.4. p 40.
Mors idea,& paradigma vitæ eſt, nonniſi miraculosè diſſimilis, toto diſc.6. p.62.
Qualis vita, finis ita. ibid.
Vmbra vitæ eſt illius imaginem fideliter referens. ibid. n.2.
Finis principio reſpondet. ibid.n.3.
Iuſtorum mortem impij cupiunt, ærumnoſam illorum vitam detrectant. p.63.n.4.
Inſtar miraculum eſt mortem vitæ non aſſimilari. ibid.n.5.& 6.
Primus ſinè ſecundo dicitur, qui malè viuens, benè moritur. ibid.
Mortis hora ſic periculoſa eſt, vt quaſi Deo duplici indigeat, toto dicurſ.4. p.95.
Imperium mortis ſibi Deus adſcribit. ibid.
Iuſti moriuntur, vt viuant: peccatores, vt moriantur, toto diſc.5. p.97.
Mortis arma peccatoribus, non iuſtis inſidiantur. ibid.n.2.
Magna dæmonis tentatio, mortem diſtantem obijcere, toto diſc.5, p.169.
Veluti nauigantes, qui interdum quieto mare abſorbentur, in proſpera valetudine plurimos mors aggreditur. ibid.
Mortis Deum extra Vrbem Romani conſtituebant, ne eius aſpectu hominum mentes diſturbarentur. ibid.
Noua vitæ ſpatia adhuc expirando falſa expectatione homines ſperant. ibid.
Incerta mortis, ac iudicij certitudo, toto diſcur.6. pag. 171.
Quia primo mors iuſtum occidit, debilibus nititur fundamentis. p.172.n.4.
Strictiſſimum mortis. & vitæ vinculum. ibid.
Mortis fames inſatiabilis. p.174.n.7.
Qui præ ſenectute ad mortem properat, iuuentutis delicta diſſipet. p.377.n.2.
Res cum propè mortem ſunt, magis placent, tot. diſc.4. p.423.
Mortis vicinitas rerum pulchritudinem adauget. ibid.n.2.
Vbi mors inſtat, amor accenditur. p.424.n.4.
A natiuitate moritur homo. p.429.n.3.
Lacrymabilis dolor, à vita mortem mutuare, toto diſc.9. p.430.
Mortis, ac cineris recordatio diuinæ pietatis illex, & validiſſimus hoſtium expugnator, toto diſcu. p.603.
In morte vel minima peccata nos præmunt, toto diſc.4. p.606.
Leuis noxa in mortis hora magna apparebit. ibid.t n.2.
Quodlibet peccatum pro pluribus ſupponet. ibid. num.3.
Mortis tempore crudelius diabolus ſæuiet. ibid.
Ii tantùm cum mortuis aliquo connectuntur vinculo, præſtantioraque opera miſericordiæ exercent, qui ſuffragijs eorum recordantur, toto diſc.5. p.607,
In cognatorum mortem mos fuit Cæſariem capitis deponere. ibid.
Cognationi, & amicitiæ renunciat, qui pia officia erga mortuos cognatos, & amicos non exercet. p.608.n.3.
Præclara miſericordia eſt defunctorum manibus parentari. ibid.n.4.

Mulier.

Paruum eſt pulchrum, magnum autem malum. pag. 250.n.3.
Mulierum bona fama diligentiſſimè facienda eſt. pag. 286.n.2.
Mulier varium, & mutabile genus. p.483. n.1.
Secreti eſt incapax. ibid.
Secretum quod Deus diuulgare decreuit, non viro, ſed mulieri commendat. ibid.
Nihil gratius mulieribus debet eſſe, quam intra propriam domú permanere, tot.diſc.25. p.548.
Variæ gentium artes, vt mulieres intra domum contineant. ibid.
Exitiales earum à domibus exitus. ibid.n.2.
Immobiles eſſe deberent. p.549.n.3.
Non hinc inde diſcurrant etiam pietatis prætextu. ibid.n.4.
Si quæ ſunt mulieres pudicitiæ cultrices, in ſermonis petulantia, & veſtimentorum profanitate impudentes apparent. p.589.n.1.
Vaticinio opus eſt, vt quæ pudicæ ſunt agnoſcantur. p.590.n.2.
Difficulter creditur caſta, quæ impudica in habitu apparet. ibid.n.3.
Commercium viri, ac mulieris, etſi per iocum ſit, reus facti habetur, toto diſc.7. p.593.

Munus.

Qui non merenti munera tribuit liberalis videri ambit. p.27.n.1.
Qui munera mercatur, ea diuendere ſibi licere putat. p.60.n.1.

Deo diſplicet quiſquis vt ipſi incumbat, à proprio ſe ſubtrahit munere, toto diſc.1. p.137.
Solus qui proprio muneri incumbit, pulchrè apparet. p.138.n.4.
Vnuſquiſque de ſuo agat munere, toto diſc.3.p.140.
Nemo, etſi præclaras habeat virtutes, ad munus non ſibi deputatum dignus eſt. p.141.n.4.
Deus non mutat, ſed perficit munera. p.147.n.3.
Etiam inter parentes, & filios munera amorem gignunt. p.296.n.2.
Crimina muneribus redimere, nefarium ſcelus. pag. 244.n.1.
Nihil eſt tam ſanctum, nihil tam munitum, quod non violari muneribus poſſit. p.245.n.2.
Etiam Deus muneribus flecti vulgo creditur. pag. 246.n.1.
Eloquentem linguam munera habent. ibid.
Non munera Deus reſpicit, ſed offerentis animum. p.266.n.1.
Muneris excellentia delinquentis peccata aggrauat. p.350.n.1.
Ex munerum acceptione fides humana mendax. pag. 373.n.1.
Munera benemerito, etiam ſi inimicus ſit, conferenda, toto diſc.7. p.488.
Cum diſcretione largienda ſunt munera, toto diſcurſ.8. p.566.
Qui plura munera in vno coacervat miniſtro, regnandi munere indignus eſt. ibid.
Meritorum habita ratione, non ſiderum influxu, aut ſimpathia munera ſunt diſtribuendo. p.567. num.3.
Qui munus à digno abſtulit, vt indigno conferat vxorem à proprio viro aufert. ibid.

Murmuratio. Vide Detractio.

Plerumque homo murmurationibus nobilitatur, toto diſc.1. p.105.
Cum alterius dedecora audiuntur, famæ pluſquam dimidium detrahendum eſt, toto diſc.10. p.287.
Murmuratio auget crimina, minuit bona. p.288. num.2.

N

Neutralitas.

QVi neutralitatem affectant, omnibus ſunt exoſi, toto diſc.6. p.487.
Qui geminatas habent facies, meritò ab omnibus deſpiciuntur. p.488.n.5.

Nomen.

Glorioſa nomina non niſi glorioſis geſtis acquiruntur. p.286.n.2.

Nobilitas, Nobilis.

Ciborum abſtinentia nobilitatis inſigne. p.76.n.5.
Auguſtior nobilitas ab humilitate eſt. p.80.n.3. & 4.
Sola nobilitas ſcie humiliari. p.81.n.4.
Minùs de nobilitate habent, qui plus de illa gloriantur. p.122.n.3.
Qui naturales habent nobilitatem, non verentur ad ima deſcendere. p.123.n.5.
Diuitiæ nobilitatem cudunt. p.124.n.1.
Non maiorum ſtemmata, ſed propriæ virtutes veram nobilitatem arguunt, toto diſc.3. p.422.
Moribus comprobatur nobilitas. ibid.
Prædeceſſorum trophæa Romani ſinebant abſumi, vt poſteri non de atauorum, ſed de proprijs gloriarentur geſtis. ibid.
Probati viri genus virtutis proſapia eſt. ibid.
Deformior eſt virtus, in quo nobilitas generis periclitatur. ibid.
Quantumuis homo ſit magnus, dummodò bonis moribus non eſt præditus, puſillus eſt. ibid.n.3.
Qui vitijs obtemperat, nobilitatem amittit. ibid.
Lunam in pedibus geſtare, nobilitatis fuit inſigne. p.423.n.4.
Auguſtior virtus à nobilitate eſt, toto diſ.1.p.433.
Parentum mores in generatione ebibit generoſa proles. ibid.
Non ſolum Dei præcepto, ſed generoſo ſanguine nobilis ad virtutem trahitur. p.434.n.3.
Vix nobilis eſt, qui fidelis non ſit. ibid.
Vbi ſanguinis claritas ſplendet, pietas maximè excolitur. ibid.n4.
Nobiles ſtudent Rempublicam ſeruare pacificam. pag. 435.n.6.
Qui nobilitatis habent ſtemmata, Principem reuerentur. p.500.n.5. & ſeq.
Nobiles ad aliorum laudes procliues, ignobiles ad vituperia. p.564.n.1.
Nobilis in dignitate blandus, & humilis; humilis aſper, & ſuperbus, toto diſc.8. p.581.
Plerumque nobiles à plebeis in virtute ſuperantur toto diſc.2. p.619.
Nobilitas ſuperbiam fouet. ibid.
Dei monita difficilè exequuntur nobiles. ibid.n.2.
Ad Dei verba aures obdurant. ibid.
Difficilius quam plebei Deum agnoſcunt. ibid.n.3.

Notarius.

Notariorum munus magnæ dignationis fuit apud Romanos. p.148.n.2.

Nouitas.

Nouitatem homines anhelant, vetera faſtidiunt. pag. 49.n.1.
Nouitates vt periculoſæ fugiendæ. ibid.n.2.
Vt nos perdat, nouitates ſuggerit dæmon. ibid.n.3.

Nox.

Noctis vigiliæ quatuor apud milites erant, ſingulæ in horas ternas diuiſæ. p.135.n.1.

Nuditas.

Nudos homines ſerpens horret. p.72.n.1.

Quæ in hoc Volumine continentur.

O

Obd ıratio.

PEccatoris obduratio Deum quodammodò fatigat, toto diſc.23. p.546.
Quaſi requieſcit Deus à contentione cum hominis obduratione. ibid.n.2.

Occaſio.

Ex occaſione Deum exquirere, non quærere eſt. pag. 139.n.3.
Qui cadendi occaſionem non aufugit, etſi non cadat, eccidiſſe videtur, toto diſc.9. p.629.
Ipſe ſibi imponit falſa teſtimonia, qui occaſionem non declinat. ibid.
Suſpicione qualibet indecora quiſque carere debet. ibid.
Vt occaſionem peccandi auertat, Deus miracula patrat. p.630.n.3.
Sic cadendi occaſionem pertimeſcere debemus, vt & impoſſibilem caueamus, toto diſc.10 p.630.
Vel mortuis peccandi occaſio periculoſa eſt. ibid. num.2.

Odium.

Tanta aliquorum hominum eſt prauitas, vt iam non ſuos, ſed & aliorum inimicos ob adulationem odio habeant, toto diſc.7. p.130.
Odium, & amor pictores ſunt. p.166.n.1.
Nullum eſt implacabilius fraterno odio, toto diſcurſ.6. p.280.
Nullum eſt odium pernicioſius, quam ex beneficij collati pudore. p.301 n.1.

Opes. Vide Bonum.

Delitias opeſque Deus ſubmonet, vt obſtinatam in peccando licentiam coerceat, toto diſc.1. p.478.
Fomes ſunt ad delinquendum. ibid.n.2.

Opini ɔ.

Vt quiſque eſt, ſic putat alios, toto diſc.7. p.64.
Bonam apud homines opinionem Deus habere ſatagit, toto diſc.5. p.158.
Parua malæ opinionis ſcintillula totus honor flagrat. p.287.n.1.
Opinio auget crimina, minuit bona. p.288.n.2.
Non bonæ opinioni pluſquam dimidium detrahendum eſt. p.287.n.1.
Semel ſordida opinio nunquã lauatur. p.290.n.4.
De opinione, quam quiſque habet, venit ſuorum operum opinio, toto diſc.13. p.384.

Oppoſitio.

Perſonarum diuinarum oppoſitio ad intra eſt, ad extra non niſi vnitas apparet. p.292.n.3.

Opus.

Aliorum opera niſi propria ſollicitudine comitentur, non proſunt. p.13-n.2.3. & 4.
Siniſtrè de alijs iudicat, qui ſiniſtra opera facit. pag. 64.n.1. & 2.
Qui malè operatur, loquendi amittit poteſtatem. pag. 159.n.3.
Niſi Chriſtiani opera feceris, parum tibi proderit Chriſtiani nomen, toto diſc.1. p.175.
Ad vincendum in fide neceſſè eſt benè operari. pag. 176.n.2.
Pauperes repentè ditari inter opera Dei non recenſetur, toto diſc.4. p.195.
Opera proximo exhibita ad æqualitatem Deus rependit, toto diſc.9. p.222.
Operis propoſitum pro ipſo opere ſupponit. p.267.
Operi pretium imponit affectus. p.274 n.6.
Vbicunque tempus limitatur, operari diligenter oportet. p.378.n.4.
Non perſona ex opere, ſed opus ex Perſona exiſtimatur, toto diſc.13. p.384.
Tunc ad Deum per ſimilitudinem aſcendimus, cum bona noſtra opera non infœcunda ſunt, ſed ſe mutuò gignunt, toto diſc.13. p.413.
Non licet plurimum in bonis operibus complacere de nobis ipſis diffidere multum prodeſt. p.414. num.3.
Nemo rectè operans erubeſcit. p.490.n.1. & 2.
Anticipata virtutum opera fructus Deo gratiſſimus, toto diſc.3. p.620.

Oratio, Orator.

Mauult Deus noſtram, quam aliorum orationem. pag. 13.n.3.
Orator, qui læta prædicat gratiam, qui triſtitia, odium ſibi conciliat, toto diſc.3. p.50.
Nec pueriles, neque improbæ, neque auſæ debent eſſe orat ris ſententiæ. ibid.
Sæpè Deus poſtulata negat, vt auidius rogetur. pag. 102.n.5.
Orator quid dicat, potiùs quam quomodo dicat, curare debet. p.150.n.1.
Verborum in oratione concinnitas non eſt ornamentum virile. ibid.
Oratio non debet eſſe theatralis. ibid.
Perſpicua ſit, ne interprete egeat. p.151.n 3.
Sic debet eſſe enodata, vt omninò non poſſit intelligi. ibid.
Oratoris verba animi ſint interpretes. p.152.n.1.
Qui ex munere pro peccatis populi orare tenetur, illius peccata ſibi imputet. p.570.n.3.
Victorias de inimicis feliciter reportat oratio. ibid.

Os.

In oſſibus ſecunda propagatio deſignatur. p.420 num.3.

P

Palma.

FAlſo maritari creditur. p.524.n.1.
Vitalem vita non in radicibus, ſed in ſummo habet. ibid.

Patien-

Patientia.

Authorem calamitatum Deum agnoſcere, ſtimulus ad patientiam. p.40.n.1.
Patentia Dei ſibi detrahit. p.163.n.4.
Patientia iu ſufferendis iniurijs ſulgentiſſima victoria. p.632.n.1.
Dei natiua virtus eſt. p.633.n.3.
Nobilitatis eſt argumentum. ibid.

Pater.

Plus de filiorum, quam de propria dolet iactura. pag. 231.n.1. & 2.
Veluti humor de radicibus aſcendit in herbam, ſic amor parentum in filios. ibid.
Liberis amiſſis bonorum iacturam non ſentiunt. ibid.
Vt filij pretioſis veſtibus induantur, ſurta, & debita contrahere non verentur. p.232.n.3.
Quomodò parentes ſepeliant, tantummodò curant filij. ibid.n.4.
Probus patre ab improbo non naſcitur filius. pag. 433.n.1.
Parentum mores in generatione ebibunt filij. ibid.
Maximè prouocant ad virtutem parentum exempla. p.434.n.4.
Virtus, quæ à parentibus in filios deriuatur, illuſtrior eſt. ibid.
Sordidi parentes ſordidos filios generant. ibid.n.5.
Parentum amor nociuus ſolet eſſe filijs. p.499.n.3.

Pauper, Paupertas.

Vel ſolo viſu pauperis auarus diues ſuffocatur, toto diſc.3. p.72.
Armari debet pauper contra diuitum inſidias. pag. 73.n.4. & 5.
Nullus hominis maior hoſtis, quam paupertas. ibid.
Pauperes excoriant, & liguriunt diuites, toto diſc.1. p.110.
Pauperum peccatis neque cauſam Deus, neque occaſionem præbet. p.163.n.4.
Tranſitus extremæ paupertatis ad diuitiarum extremum inter opera Dei non computatur, toto diſcurſ.4. p.195.
Pauperem ſubito ditari, opus diaboli. ibid.n.2.
Inter omnia ſcelera maximè Deum impellit ad vindictam pauperum expilatio, toto diſc 6. pag.205.
Parietes pauperum rapina extructi aduerſus raptorem vociferantur. p.224.n.5.
Sic pauperum nos vrget neceſſitas, vt cum facultates deſunt ad illam ſubueniendam, ad miraculum recurrere compellat, toto diſc.14. p.386.
De ſubuentione pauperum nemo impoſſibilitate naturali excuſatur. p.387.n.4.
Quaſi coacta omnipotentia ad ſubueniendum pauperibus accurrit. p.388.n.5.
Inualida paupertas rea criminis eſt. p.439.n.3. & ſeq.
Deſperata paupertas arma, & ſeditiones adminiſtrat. p.445.n.2.
Neque querimonias pauperibus relinquunt potentes, toto diſc.11. p.495.
Paupertas pugnandi ſolet eſſe vigor. p.571.n.2.

Peccatum, Peccator.

Peccatum etſi aereum videatur, ponderoſius plumbo ſentitur, toto diſc.4. p.10.
Contrarietatibus conſtat, nam leuitate grauat, & grauitate leuat. ibid.n.2.
Aere, quo ſe ſubſtollere tentat peccator, ad ima defertur. ibid.n.3.
Peccati aer, dum appenditur, magni ponderis inuenitur. p.11.n.4.
Pondus eſt vel Dei humeris incomportabile. ibid. num.5.
Peccatores, qui ad Deum accedere recuſant, plerumque terroribus ac ſupplicijs facit, vt reſipiſcant, toto diſc.1. p.47.
Siniſtrè peccator de alijs cogitat, quia ſiniſtrè operatur. p.64.n.1. & 3.
Parua peccata veniam, magna ſupplicia exigunt. pag. 65.n.1.
Iuſti moriuntur, vt viuant: peccatores, vt moriantur, toto diſc.5. p 97.
Sæpè diabolus maiora mala nobis infert, cum poſt commiſſa peccata aditum ad alia præcludit, quam cum denuò ad noua prouocat committenda, toto diſc.4. p.125.
Geographi ſunt peccatores, quia de terra ſemper agunt. p.ibid.n.6.
Pauperum peccatis neque cauſam Deus, neque occaſionem præbet. p.163.n.4.
Malum, quod peccator molitur in alios, in ſe vertit. p.222.n.3.
Peccatoris aures ita obtunduntur, vt neque voces validas valeat audire, toto diſc.5. p.233.
Peccatum non tantùm internos, ſed externos ſenſus hebetat, & euertit. ibid.
Qui peccatorem alloquitur, voce tubali indiget, vt audiatur. ibid.
Facilius eſt inſenſibilia vocem audire exhortantis, quam peccatorem. p.234.n.4.
Inter validiſſimas voces altè dormit peccator. ibid.
Pudeat, quæ pro peccato obtulimus, pro Deo non offerre. p.235.n.2.
Noſtra peccata nos exarmant: noſtra ſcelera nos expugnant, toto diſc.7. p.236.
Exanimes animos culpa reddit. p.237.
Veluti terra fulguri, noſtra peccata materiam præbent ſupplicijs. ibid.n.3.
Peccatores Dei iugum excutientes mille alia accipiunt grauiora, toto diſc.6. p.264.
Peccata, quæ extra templum caſus videntur, intra præcipitia ſunt, toto diſc.3. p.175.
Religioſorum peccata ad exteros non deferenda. pag. 291.n.1.
Ignorantia ſumitur pro peccato. p.347.n.5.
Ad fortius reſurgendum prodeſt aliquando in peccata corruiſſe, toto diſc.4. p.353.
Peccata ſemel remiſſa non reuiuiſcunt. p.447.n.5.
Ex circumſtantia beneficij accepti multum ingraueſcit peccatum. ibid.
Peccata præpediunt: exonerat virtus ad calcandam cœleſtem viam. p.480.n.2.

Obdu-

Quæ in hoc Volumine continentur.

Obduratio peccatoris Deum quodammodò fatigat, toto diſc. 23. p.546.
Nemo peccatorum deſperat. p.559.n.2.
Tametſi Deus pientiſſimus ſit, in publica peccata maximè excandeſcit, toto diſc.5. p.575.
Peccandi impudentiam maximè Deus abhorret. ibid.
Execrabile facinus, ſinè pudore de crimine gloriari. p.576.n.2.
Verecundia, qua peccatum committitur, in cauſa eſt, vt à corde citius exulet. p.577.n.3.
A iuſtorum cõſortio peior peccator apparet. p.601. num.6.
In morte vel minima peccata nos præmunt, toto diſc.4. p.606.
Qui peccandi occaſionem non aufugit, etſi non cadat, cecidiſſe videtur, toto diſc.9. p.629.
Sic peccandi occaſionem pertimeſcere debemus, vt impoſſibilem caueamus, toto diſc.10. p.630.

Pellis.

Pellibus armati ad bella procedebant Æthiopes. pag. 471.n.1.
Genij militares pelles ſunt. ibid.
Qui in pellibus quieſcunt, ſub cortina, id eſt aer dormire dicuntur, ibid.

Pœna.

Non pœna digno exiſtimanda eſt, quod illo ſpreto indignus ad dignitatem aſſumatur, toto diſc.5. pag.42.
Qui Deum ſuarum pœnarum authorem non agnoſcit, facilè ad impatientiam ſtimulatur, toto diſc.4.pag.73.
Pœna à Iudice impoſita ab vltione differt. p. 89. num.5.

Pœnitentia.

Veræ pœnitentiæ inſigne, tanquam amara faſtidire, quæ dulcia arridebant, toto diſc.6. p.128.
Mari irrequieto comparatur. p.145.n.2.
Ad fortius per pœnitentiam reſurgendum prodeſt aliquando corruiſſe, toto diſc.4. p.353.
Nitorem innocentiæ æmulatur pœnitentia. ibid.
Quod innocentia paulatim acquirit, ſubitò pœnitentia aſſequitur. p.354.n.2.
Pœnitentiæ lacrymæ ignem amoris fouent. ibid.n.3.
Virginitatem redintegrat pœnitentia. p.355.n.5.
Pœnitentes non peccaſſe dicuntur. ibid.n.6.
Præuiſa pœnitentia ad maiora Deus conferenda munera prouocatur. ibid.n.7.
Tepida pœnitentia non minùs quam peccatum Deum exacerbat, toto diſc.16. p.550.n.4
Cæleſtis vrbs Ieruſalem arx eſt mortificationibus munita, & pœnitentium patria, toto diſc. 25. pag.

Periculum.

Suo magno pretio homines emunt pericula. ibid. num.5.
Imminens vndequaque periculum grauis animæ cruciatus. p.142.n.2.
Qui cadendi periculum non aufugit, etſi non cadat, cecidiſſe videtur, toto diſc.9. p.629.
Vel veſtigia præteriti periculi obliteranda ſunt. ibid.n.2.
Etiam impoſſibile periculum cauendum eſt, toto diſc.10. p.630.
Vel mortuis periculum peccandi formidabile eſt. ibid.n.2.

Perplexitas.

Grauis animæ cruciatus, toto diſc.4. p.142.

Perſona.

Perſonarum Trinitatis oppoſitio ad intra eſt, ad extra non niſi vnitas apparet. p.292.n.3.
Non perſona ex opere, ſed opus ex perſona exiſtimatur, toto diſc.13. p.384.

Perfectio.

Quidquid ad vltimam perfectionem deuenit, ad exitum properat. p.8.n.1.
Non curſim, ſed data opera, & permanenter ad perfectionem itur, ibid. & p.135.n.1.

Perſecutio.

Qui alios ſine cauſa perſequuntur, non homines, ſed humanitatis monſtra ſunt, toto diſc.2.p.55.

Perdix.

Oua fouet non ſua. p.208.n.3.

Piſcis.

Primitias diuinæ benedictionis piſces detulerunt. pag. 79.n.13.
In ſeipſos graſſantur. p.109.n.1.
Maiores paruulos deuorant. ibid.
A piſcibus abſtinere, apud Syros, & Græcos pars ſanctitatis erat. p.118.n.2.
Ægyptij pro numine piſces colebant. ibid.
Bæotij piſcibus ſacrificabant, & ex eis ſacrificium dijs offerebant. ibid.
Piſces Neptuno ſacros nefas erat violare. ibid.

Populus, Plebs.

Propter Principes populi, & propter populos Principes viciſſim pœnas luunt, toto diſc.16. pag. 299.
Minutus populus inquieta ſchiſmata in Republica & Religionibus ſeminat. p.436.n.6.
Quolibet plebeio homine turbato, totus populus poſt ipſum vadit. p.444.n.4.
Famelicus populus, & deſperata paupertas facilè ad arma, & ſeditiones conſurgit. ibid.
Plerumque plebei Nobiles in virtute ſuperant, toto diſc.2. p.119.
Facilius quam proceres Deum agnoſcunt. ibid.n.3.

Placatio.

Non minùs ſtolidi ſunt nonnulli in adhibendo placationis genere, quam impij in deſerendo Deum, toto diſc.7. p.266.

Po-

Index Rerum,

Potentia, Potens.

Potentiorum contentione laceratur lex. p.23.n.2.
*Aliena rapere, & eis vti tanquam proprijs, proprium potentiorum ingenium, toto diſc.*1. p.69.
*Non niſi cana ſenectus potentes virtutem edocet, toto diſc.*18. p.340.
Auara potentis cupiditas nunquam ſatiatur. pag. 69 n.2.
Auguſtior potentia ab humilitate eſt. p.451.n.5. & 6.
Pauperes, & inualidos excoriant, & ligiriunt potentes, toto diſc 1. p.110.
Potentiæ incrementum ſcelerum ſolet eſſe occaſio. pag. 111.n.2.
Potentes veluti flumina intolerabile incrementum capiunt. ibid.
Impunè delinquunt potentes, toco diſc 4. p.439.
*Sola authoritate praua ſua conſilia defendere potentiorum eſt vitium, toto diſc.*5. p.440.
*Mala facere, & queri, potentiorum ingenium, toto diſc.*2. p.495.
Et lædendi, & conquerendi ſibi arrogant facultatem. ibid.
Iniurijs bella adiungunt. ibid.n.2.
Pauperculorum querimonias offenſas ſuas reputant. p.496.n.3.
Nec vocem quidem afflictis relinquunt. ibid.n.4.
*Grandis poteſtas timeat; humilis à timore eſt ſecurus, toto diſc.*2. p.570.
A poteſtate ſæpè imbecillitas oritur. ibid.
In lubrico verſatur poteſtas. ibid.
Perturbationibus eſt obnoxia. ibid.
Periculis ſubeſt. p.572.n.4.

Præmium.

*Æqualitas præmij excidium Reipublicæ, toto diſcurſ.*20. p.541.
Præmium ſtrenuos alit, & multiplicat viros. ibi.
Cum vnitate fidei ad munera obeunda perſonarum debet eſſe in Eccleſia diſtinctio. ibid.n.2.
Verbum Diuinum carnem non aſſumpſit in omnibus indiuiduis, ne omnes homines æqualis eſſent dignitatis. ibid.
Præſtaret benemeritos impræmiatos relinquere, quam indignos æqualiter honorare. p.542.
Omnis confuſio à Republica relegatur, cum vnuſquiſque ſuum locum occupat. ibid.
Superiorum gratia plus merentibus impenſa ingenium eſt amplificandi principatum. ibid.
*Non fas eſt ante laborem præmium accipere, & quieſcere, toto diſc.*7. p.61.
Neque Deus ipſe ante laborem quieſcit. ibid.
Præmium labori debet correſpondere. ibid.n.2.
Iuſtè repellitur à præmio, qui nondum labores guſtauit. p.612.n.3.
*Præmia alunt virtutes, toto diſc.*8. p.613.
Mercedis ſpe ærdua quæque aggreditur homo. ibid.
Præmia benemeritis collata ſemina ſunt ad propagandos benemeritos. ibid.n.2.
Præſens calamitas à futuro præmio dulcedinem mutuat. ibid.n.3.
*Res ſummi doloris eſt, æquales in merito feliciores contueri, toto diſc.*8. p.627.
Neque ſanctus valet æqualem feliciorem in præmio videre. p.628.n.4. & 5.

Preces.

Preces voce barbara depromptæ potentiores eſſe ſolitant. p.15.n.4.

Princeps. Vide Superior.

*Apud Principes in fortuna ſolet eſſe ſapientia, felix ſtultitia, toto diſc.*4. p.27.
Suæ iuriſdictionis terminos non tranſiliat Princeps. p.37.n.4.
Quæ Principes tyrannicè rapiunt, iure ſua eſſe dicunt. p.67.n.1.
Homunculi, & inſipientes Principum gratiæ ſemper fruuntur. p.85.n.5.
In obiurgandis Principum erratis publico ſermonis iaculo haud vtendum. toto diſc.1. p.6.
Non eſt collimanda in ſacri ſolij verticem reprehenſionis ſagitta, quin prius in alios deuoluatur. ibid.n.2.
*Iniquus Princeps qui poteſtate ad opprimendum abutitur, toto diſc.*7. p.44.
Debet Princeps neceſſaria miniſtris tribuere, ne eorum munera venalia fiant. p.60.n.3.
*Apud bonos Principes quique ſunt mali, arguuntur: apud malos ij ſolùm, qui ab eis diſſentire videntur, toto diſc.*6. p.98.
Ergà Principes vnicum tantum ſolet eſſe vitium, ab eorum voluntate diſſentire. p.99.n.3.
Principi diſſimulare ſæpè expedit, decipere nunquam. p.102.n.6.
*Ingenuos viros mancipia reputant Principes. Bonum publicum priuato debent præferre, toto diſc.*2. p.112.
Modeſtè vtendum eſt Principũ gratia. p.117.n.4.
Beneuolentia, quam ipſi meruerunt à populo, à Deo proſequuntur. p.158.n.1.
Eorum, quæ præcipiunt, rationem reddere non tenentur. p.159.n.3.
Qui verũ dicat Principibus deeſt. p.167.n.1. & 2.
*Principes tributa auferentes, & regna firmant, & arctius ſubditos efficiunt tributarios, tot.diſcurſ.*2. p.192.
Nunquam niſi ſub bono Principe Fiſci mala cauſa eſt. ibid.
Subditorum bona poſſidet Princeps, qui per violentiam tributa non extorquet. p.193.n.3.
*Quæ populus Principi offert, ſpontaneè ſunt tribuenda, toto diſc.*4. p.211.
Principis nomine indignus eſt, qui vel cum ſuo periculo ſuos ab iniurijs non tutatur, toto diſcurſ. p.219.
Scuti, & turris vocabulo inſignitur Princeps, quia ſuos protegere tenetur. ibid.
Iniuriæ ſubditis irrogare Principi inſcruntur. pag. 220.n.3.
Timore correptus Princeps meritò à regno deponitur. p.221.n.5.
*Nihil præſtat Principem eſſe præſtantem, ſi prauos habet miniſtros, toto diſc.*2. p.228.

Tri-

Digitized by Google

Quæ in hoc Volumine continentur.

Tribnnal, in quo inratur Priuceps, horologium vocatur. ibid.

Principibns ſubuenire tenentur ſubditi iu publicis neceſſitatibus, tot. diſc.1. p.235.

Etiam impoſſibilia ſunt te.tauda, vt egenti Principi ſnbueniatur. p.236.n.3.& 4.

Principes compati ſubditis debent. p.242.n.4.

Tributa iniuſtè impoſita non Principi, ſed miniſtris inſeruiunt, tot.diſc.1. p.253.

In ſubditornm bona Princeps uon habat dominium. ibid.

Sine iuſta cauſa non licet Principi vectigalia ſubditis imponere. ibid.

Commodis, quæ in Republica vetant, carent Principes. ibid.

Magna Principis felicitas, tributa de manu ſubditorum ſinè miniſtrorum interuentu accipere. p.255.n.7.

Neque impius Princeps de bonis Sacerdotum audet aliqnid extorquere. p.272.n.3.

Plurimi Principes ſpoliare templa tentantes exemplo moriuntur. ibid.n.4.

Licet Principibus Regio theſauro conſumpto, & ingruente religionis excidio, Eccleſiarum opes pro iuſta defenſioue impendere. p.273.n.2.

Ad miraculnm recurrere debent, antequam Eccleſiarum bona tangant. ibid.n.3.

Princeps Eccleſiaſtica bona ſciudens regnum dilacerat. p.274.u.4.

Pius Priuceps amarius reputat religionis excidium videre, quam mori. ibid.n.6.

Bona ſama in Principibus adipiſcenda, & conſeruanda, mala antem nimis fugienda, toto diſc.9. p.286.

Inſatiabiliter proſperam ſui memoriam ambiant. ibid.

In mulieris fama Principis eruditur. ibid.u.1.

Sciat Princeps, fama præſentis potentiæ non extingui ſuturi æui memoriam. ibid.n.3.

Iuſta timoris cauſa in Principe, non iuſto calamum videre ipſius geſta ſcribentem. pag.287. num.4.

Propter Principes popnli, & propter populos Principes viciſſim pœnas luunt. toto diſc.14. pag. 299.

Grauins quam in ſeipſo Princeps puuitur in ſubditis. ibid.n.2.

Principis crimina noxio exemplo ſerpunt in popnlos. p.300.n.4.

Princeps, qni de ſnis non curat, non homo, ſed ſpectrnm eſt. p.114.n.1.

Quamdiù Princeps ſuo muneri non vacat, non eſſe reputatur. p.315.u.3.& 4.

Princeps, qui infidelibns blaſphemandi præbet materiam, orbatur filijs. p.356.n.1.

Comitas in Principe illuſtrius ſtemma eſt, toto diſc.5. p.400.

In ciuili politia, & vrbanitate edncandus eſt Princeps. p.401.n.2.

Principis erudelitas, & odium gignit, & regnum euertit, tot.diſc.6. p.402.

Neqne excubia, neque tela tam vigilanter Principem cuſtodiunt, ac ſubditorum amor. ibid.

Clementia inexpugnabile Principis munimentnm. ibid.

Plus debet manſuetudine illnminare, qnam rig.re combnrere. ibid.n.2.

Clementia in Principe praeat iuſtitiam. ibid.

A verbis virnlentis, & ſuitiam ſpirantibus abſtineat. p.403.n.3.

Corona benemerito Principi exhibita ab omnibus habetnr. p.405.n.3.& 4.

Quos Princeps erexit miniſtros, nan præcipitanter deſtruat. p.418.n.5.

Quæ ipſi incumbnnt, per ſeipſum exequatnr Princeps. tot.diſc.5. p.424.

Amor ſubditorum in Principem victorias parat, tot.diſc.20. p.648.

Priuceps, qui non ſua, ſed alterius vota ſemper expectat, à ſeipſo recedit. ibid.

Corona Principi, tantum competit. ibid.

Ad id naſcuntur Principes, vt rem nnmmariam per ſeipſos procnrent, ne ærarij panpertate cogantur vectigalibus onerare populos. ibid. nnm.2.

Superſinè diadema fulget in Principe, qni titnlum ſine exercitio portat. p.255.n.6.

Non eſſe creditar Princeps, qui officio ſuo non incumbit. ibid.

Principes in montibus adumbrati. p.432.n.3.

Is, qui in expugnatione hoſtium fortiter dimicarunt, præmia largiatur Princeps, toto diſc.2. pag. 435.

Qui propter gloriam Principis incommoda ſuſtinet, ab illo eſt remnnerandus. p.436.n.3.

Laceratis in bello militibus præmia ſinè importuna poſtulatione largiatur Princeps. ibid.

Illos, qui ſuis voluptatibus inſerniunt, munerare ſolent Principes. p.437.n.5.

Sciat Priuceps planè regium eſſe, & diuinum pœnas non reſpicere, ſed præmium, tot. diſc. 3. pag. 437.

Per ſeipſum beuefacere, per alios punire debet. ibid.

Subditornm ſcelera Principibns imputantur, toto diſc.6. p.442.

Paucorum ſupplicio omnes terreant. p.443.n.1.

Qui debita ſeueritate non vtuutur, meritò deponuntnr à regno. ibid.

Princeps, qui impnnita flagitia relinquit, rebellionem contra ſeipſum couſpirat. p.444.n.4.

Ardua negotia non reuelet vxori. p.485.n.3.

Principes omnes reuerentnr, maximè qui nobilitatis habent ſtemmata, toto diſc.14. p.500.

Deo comite inimicos ſuperat, ſine illo ſuperatur, tot.diſc.1. p.555.

Cum diſcretione munera largiatur Princeps, toto diſc.8. p.566.

Qni plura munera in vno coaceruat miniſtro, indignus mnuere regnandi eſt. ibid.n.2.

Non aliter ac qui vxorem à proprio viro ſubripit, facit Princeps, qni mnnera à benemeritis aufert. p.567.n.3.

Meritorum habita ratione, non ſiderum influxu,

aut ſimpathia, munera conferat. ibid.
Suſpicionem ſimoniacæ infectionis incurrit Princeps, qui indignis tradit gubernandas Eccleſias. ibid.
Malus Princeps impios: bonus pios iuxta ſe habet miniſtros, tot.diſc.7. p.579.
Neque in bello, neque in pace quidquam bonum continget, niſi Princeps optimis miniſtris exornetur. ibid.n.2.
Egregia Principis laus, eximios apud ſe habere miniſtros. p.580.n.3.
Iniuſti dedecus, peſſimos fouere. ibid.n.4.
Sciat Princeps, malos ciues, qui propter lucra fructus abſcondunt, aut inimicis deferunt, rerum penuriæ cauſam eſſe, tot.diſc.6. p.624.

Prophetia.

Multoties vocatur onus, quia eos premit, & aggrauat, aduerſus quos vaticinatur. p.2.n.1.
Non extrinſecus ſit, ſed interiori homini reſpondet. p.36.n.3.
Prophetia humilitatis eſt comes. p.353.n.5.
Notarij munus Prophetis commendatur. p.143. num.2.

Prohibitio.

Non omnibus conceſſis expedit potiri, ne in prohibita dilabamur, toto diſc.4. p.116.
Prohibita ſemper cupimus. ibid.
Multa Deus permittit, vt paucorum prohibitorum obſeruantia prouideat. ibid.
Qui non prohibita veretur, prohibita formidat. pag. 117.n.2.
Quod prohibetur, placet, quod licet, ingratum eſt, tot.diſc.3. p.587.
Ex prohibitione venuſtatem, ex permiſſione faſtidium res accipiunt. ibid.

Procurator.

Regni tutores, & procuratores ob nulla commoda debent ipſum non ſeruare, tot.diſc.7. p.200.
Veluti Anſeres fidelitatem mittenti regno ſeruent, neque auro patriam vendent, & vectigalibus grauent. ibid.
Vnius regni procuratoris honor totius regni ſolet eſſe excidium. ibid.
Vt nouos titulos ſibi adaugeant, proditores eſſe Reipublicæ non verentur. p.201.n.2.
Bonum publicum priuato debet præſerre. ibid. num.3.& 4.
Veluti cæli non proprio, ſed communi bono moueantur. ibid.

Probrum.

Aliena probra facilè, glorioſa geſta difficilè credunt homines, tot.diſc.20. p.306.

Pudicitia.

Mortis pudicitia: vitæ impudicitia expers. pag. 59.n.1.
Pudicus de imperio mortis triumphum reportat. ibid.
Non ſentit mortis iniurias. ibid.n.2.
Nulla doloris ſigna in eius morte audiuntur. pag. ibid.
A mortis vulua iterum nouam vitæ accipit vſuram. ibid.
Pudicitiæ vindex, & obſeruator nunquam mori reputatur. p.592.n.3.

Pudor. Vide Confuſio.

Punire. Vide Supplicium.

Parua peccata diſſimulanda ſunt: magna punienda, tot.diſc.8. p.65.
Non Deus punit, vt interimat, ſed vt illuminet, tot.diſc.21. p.543.

R

Rapina. Vide Furtum.

QVæ rapina comparantur, difficulter reſtituuntur, toto diſc.21. p.308.

Regnum.

Regni tutores ob nulla commoda debent ipſum non ſeruare, tot.diſc.7. p.200.
Vnius honor totius regni ſolet eſſe excidium. ibid.
Lethaliter regnum nutat ad ruinam, cum vel remedia non occurrunt, vel quæ occurrunt, non proficiunt, & corrumpuntur, toto diſc. 2. pag. 256.
Non tam armis, quam ſapientia, & conſiliorum dexteritate conſeruantur regna. ibid.
In perituro regno, vel remedia obuia omittuntur. ibid.
Regni excidium Eccleſiæ vectigalia, toto diſc. 2. pag. 273.
Bonorum Eccleſiarum ſciſſio ſciſſionis regni prophetia eſt. p.274.n.4.
Regia crudelitas regnum euertit, tot.diſc.6. p.402.
Naturalis in regnis ſucceſſio electiuæ præfertur. pag. 514.n.1.

Religio, & Religioſus.

Religioſorum noxæ ad exteros non deſerendæ, ne Euangelica ratio in contemptum imperitorum, & improborum deueniat, tot.diſc.12. p.291.
Vel poſſibilitas mendacij à religioſo viro releganda eſt. ibid.
Eorum defectus notos facere, immane facinus. pag. 161.n.2.
Si aliqua inter perſonas religioſas irrepſit oppoſitio, veluti diuinarum Perſonarum ad intra ſit, & ad intra remaneat: ad extra nonniſi vnitas appareat. p.292.n.3.
Dedecet religioſos viros in tribunalibus de dignitate contendere. ibid.n.4.
Non ſunt palam reprehendendi. p.293.n.5.
Monaſticæ, & ſolitariæ vitæ elogia traduntur, à cuius perfectione qui deficit, impudenter delinquit, tot.diſc.17. p.643.
Qui ſæcularibus renunciauit curis, perpetuum Deum comitem habet. p.644.n.2.
Qui paternam domum deſerunt, vt Deo in religione vacent, ipſius dilectione, & fauore nobili-

bilitantur. ibid.
Facilè Dei myſteria percipit, qui mundi curis non irretitur. ibid.n.3.
In religione nullus inimico patet acceſſus. p.645. num.4.
Arma deſunt diabolo, quibus religionis incolas aggrediatur. ibid.
Verè clauſtrum eſt paradiſus, vbi fructus, & delitiæ ſpirituales exuberant. ibid.
Lacrymabilis dolor, eſſe aliquos, qui à perfectione religioſi ſtatus degenerent. ibid.n.5.
Sunt nonnulli in religione, qui à virtute deficiunt, quam in ſæculo ſectabantur, ſimiles Pandorum gentibus, quibus iuuentus cana eſt, nigra ſenectus. p.646.n.7.
Qui à perfectione religioſi inſtituti cadit, ad ima deſcendit: quia corruptio optimi peſſima eſt. pag. 645.n.6.
Nec meliores inueniuntur, quam qui in religione profecerunt, nec peiores, quam qui in illa defecerunt. ibid.

Minimorum Religio.

Quia in charitate fundatur, nullam patitur perſonarum inæqualitatem. p.78.n.10.
Vel vmbræ epularũ carnaliũ renunciauit. ibi.n.9.
Suos profeſſores miraculosè alit. ibid.n.10.
Regnum poſſidet cæleſte, quia de terrenis vitijs triumphauit. p.79.n.12.
Diuinæ benedictionis, & complacentiæ primitias detulit. ibid.n.13.

Reprehenſio. Vide Correctio.

Vitia non verborum lenocinio, ſed acri voce ſunt reprehendenda. p.50.n.1.
Nullius, qui peccata cruente reprehendit, nomen ſcitur. p.51.n.4.

Remuneratio.

Remunerationis ſpes laboris eſt ſolatium. p.411. num.1.

Reſpublica.

Gubernatoribus inter ſe pugnantibus Reſpublica ruit, toto diſc.1. p.35.
Non ſolùm Reipublicæ prodeſt, qui publica munera obit, ſed qui ſuo exemplo mores inſtruit. p.40.n.1.
Iuſtorũ receſſu Reſpublica periclitatur. p.41.n.3.
Æque perniciosè res ſe habent in Republica, cum vel omnes imperare volunt, vel nemo. p.52.n.1.
Quotieſcunque in Republica vnuſquiſque, vt ſibi placet, incedit, nec plebeius à nobile diſcriminatur, euertitur. p.259 n.2.
Ex nociua, quam vnuſquiſque habet in Republica, licentia ad immoderatè viuendum, quam plurima oriuntur flagitia. p.290.n.5.
Quandoque diſſenſiones bonæ, & optimæ Reipublicæ, tot.diſc.10. p.494.
Æqualitas præmij excidium Reipublicæ, tot.diſc. pag. 541.
Mali ciues propter lucra fructus abſcondunt, aut inimicis deferunt, Republica fame pereunte, tot.diſc. p.624.

Res.

Res, vt ægritudine, dilectione pereunt, tot. diſc.4. pag. 261.
Rei amatæ parit deſtructionem amor. p.262.n.4.
Ex labore, quo comparantur res, exiſtimationem capiunt. p.363.n.3.& ſequen.
Homines non ex rei patratæ meritò, ſed ex patratoris fama rem exiſtimant, tot.diſc.13. p.384.
Res cum propè ſunt ad interitum magis placent, tot.diſc.4. p.423.
Magnitudine r[illegible]ſcunt, tot.diſc.10. p.447.
Idem eſt rem e[illegible]ductam ad reſtim, atque ad ineuitabilem [illegible]ortem. p.554.n.2.

Reſtitutio.

Difficulter reſtituit, qui aliena rapuit, tot.diſc.21. pag. 308.
Cum graui nauſea, & dolore, quæ rapta ſunt, reſtituuntur. ibid.
Ablati reſtitutio fruſtra exquiritur. ibid.n.2.
Adeò eſt hominibus difficilè aliena reddere, vt vel ſola inclinatio ad id faciendum Deo placeat. pag. 309.n.3.
Etiam cum nocumenta afferunt malè poſſeſſa, illa reſtituere homines recuſant. ibid.n.4.

Rex. Vide Princeps, Superior.

Veram eſſe ſapientiam ſe quaſi non ſapientem reddere, dicebat Philippus Secundus Hiſpaniarum Rex. p.65.n.3.
Impij Regis domus deſertum Deo eſt. p.69.n.1.
Quidquid pulchrum in bonis ſubditorum eſt, ſibi Reges vſurpant. ibid.n.3.
Quæ Reges tyrannicè rapiunt, iure poſſidere dicunt. p.70.n.4.
Cauſis Eccleſiaſticis non ſe debent immiſcere. pag. 140.n.1.
Ideò in populo Hebræo vngebantur, quia imponendi tributa habebant facultatem. p.211.n.1.
Apud Hebræos idem eſt regnare, ac erubeſcere. pag. 240.n.3.
Regum ſucceſſio in dies in deteriorem ſtatum vadit. p.600.n.3.

Riſus.

Herba, quæ in Sardorum inſula naſcitur, comeſta riſum efformat, quo ridentem enecat. p.261. num.1.

Rixa.

Qui rixas, & litigia fouet, procul debet eſſe à dignitate, tot.diſc.2. p.25.

S

Sacramentum.

NEque Sacramenta ſuſcipientibus, neque ipſis Sacramentis peccata Sacerdotis officiunt, tot.diſc.7. p.324.

Sacerdos.

Sacerdotes nulli præter Deum famulari debent. pag. 271.n.1.

Eorum bona à vectigalibus immunia. p.272.n.3.

Flagitia ſacerdotum ipſis, non Sacramentis, neque Sacramenta ſuſcipientibus officiunt, tot.diſc.7. pag. 324.

Vipera, quæ alijs vitam præbens ſeipſam interimit, malus eſt Sacerdos. ibid.

Quamuis ſacerdotis manus lepra ſit ſordida, mirabilem Sacramenti altaris conuerſionem efficit. ibid. n.2.

Etſi Sacerdos vipera ſit venenata, ad illius ſibilum Chriſtus realiter adeſt in Sacramento Euchariſtiæ. p.325.n.4.

Dolendum maximè de Sacerdotum caſibus, quia eo periculoſiores ſunt, quo dignitas eorum eſt præſtantior, tot.diſc.2. p.350.

Sacerdotes ſe ſordibus ſæcularibus immiſcentes efficiunt, vt ſæcularium peccatorum non recordemur. ibid.n.2.

Ex ſecularium conuerſione maximè Sacerdotis peccata ingraueſcunt. p.351.n.3.

Super ſacerdotum erroribus plurimum Deus dolet. ibid.n.4.

Sacrificium.

Bæotij piſcibus ſacrificabant, & ex eis ſacrificia conficiebant. p.118.n.2.

Vngulas ad ſacrificium portare curat Moyſes, vt rapacitatem, à populo auferat. p.143.n.4.

Non ſacrificia Deus reſpicit, ſed offerentis animum. p.287.n.1.& ſeq.

Sapientia, Sapiens.

Sapientes, qui Rempublicam tuentur, proindèque in vita exaltandi ſunt, nonniſi poſt mortem honorantur, tot.diſc.14. p.337.

Frequenter ſapientia caret præmio: ſtultitiæ nunquam deeſt, tot.diſc.4. p.27.

Odioſa Regibus ſolet eſſe ſapientia. p.28.n.4.

Sapientes inter mortuos computantur. p.83.

Niſi ſe mortuos ſimulent, mortem non effugient. pag. 84.n.2.

Laboribus ſunt obnoxij. ibid.n.4.

Sæpè ſapientia ad aſſequendam dignitatem impedimentum eſt. p.85.n.5.

Non indiget humanæ ſapientiæ induſtria verbum Dei, vt aridos peccatorum animos fæcundet, tot.diſc.4. p.156.

Nihil proficiunt contra Dei voluntatem humanæ ſapientiæ conſilia. p.256.n.1.& 2.

Salus.

Abnegare ſe debet, qui ſaluti animæ ſtudet, tot.diſc.6. p.128.

Ægerrimè fert Deus, vt ſequiter, & quaſi ex occaſione noſtræ ſaluti intendamus, tot.diſc.2.p.138.

Via, qua Deus dirigit, quærenda ſalus, tot.diſc.6. pag. 146.

Miſerè ruit, qui per viam non ſibi deſtinatam ſalutem quærit. ibid.n.2.

De ſalute ſecurus eſt: qui à munere proprio non recedit. p.147.n.3.& 4.

Ita Deus corripit, vt noſtræ ſalutis curam habeat. pag. 361.n.5.

Salutis noſtræ opus alius præter Deum præſtare non poterat. p.362.n.1.

Plus Deus noſtræ ſalutis ſollicitus eſt, quam nos, tot.diſc.2. p.557.

Tanti æſtimat Chriſtus Dominus hominis ſalutem, vt pro illa faciat, quidquid pro ſua faceret, ſi indigeret, ſuamque reputet gloriam, tot.diſc.4. pag. 621.

Sanguis.

Omnia ſubſidia vitæ neceſſaria ſanguis dicuntur. pag. 252.n.2.

Sanctus. Vide Iuſtus.

Sæpè clamant, & non exaudiuntur ſancti, non quia Deus amicos ſuos audire nolit, ſed quoniam peccata eorum, pro quibus orant, vindictam celerem expoſcunt, tot.diſc.1. p.12.

Nihil prodeſt Sanctorum deprecatio, niſi noſtris bonis operibus comitetur. p.13.n.2.

Maximè in ſanctos diabolica tentamenta graſſantur, toto diſc.1. p.120.

Vel in ipſorum erratis virtutis ſigna ſancti præſeferunt, tot.diſc.1. p.347.

Vrbanitati non renunciarunt ſancti. p.400.n.1.& 2.

Malorum contagium vel ſanctos lædit. tot.diſc.5. pag. 562.

Scriptura, Scribere.

Phœnices figuras animalium pro litteris in ſuis ſcripturis exarabant. p.148.n.2.

Apud Romanos *triplex ſuit ſcribendi vſus.* ibid.

Scriptura Libri Muti in cauernis Montis Sacri propè Granatam reperti, quæ nondum legitur, ſatis mirabilis eſt. ibid.

Varia materiæ ad conficiendas ſcripturas deſeruire ſolebant. ibid.n.3.

Ex corticibus arborum, ex palma, & maluarum folijs volumina ad ſcribendum efficiebant Ægyptij. ibid.

Mos etiam fuit ſcribendi in tabulis cera illitis. ibid.

Antiquiſſimus eſt pugillarium vſus ad ſcribendum, eorumque materia varia. ibid.

Commodiùs ex ebore ſcripturæ tabulæ poliebantur. pag.149.ibid.

Quæ perennaturæ ſunt ſcripturæ, in plumbo exarantur. ibid.

Plumbeæ laminæ in cauernis Montis Sacri apud Granatam repertæ Apoſtolorum temporibus, ſi ipſis adhibenda eſt fides, ſcriptæ videntur. ibid.

Dei lex ſaphiro fuit ſcripta. ibid.n.4.

Decurſu temporis in hædinis pellibus, quas pergamenas, vocant, in vrbe Troadis primùm inuentis ſcripturæ fieri ſolebant. ibid.

Babylonij in coctilibus laterculis leges, & inſtituta ſcripſere. ibid.

Sedi-

Quæ in hoc Volumine continentur.

Seditio, Seditioſus.

Quia diuites cibaria rapiunt, oritur ſeditio in populis. p.111.n.3.

Seditioſus ciuis bellum in Republica fouet, vt ex illo lucrum captet, tot.diſc.8. p.145.

Deſperata neceſſitas arma ad ſeditionem adminiſtrat. ibid.

In ſeditionibus infimæ plebis homines ad munera publica eleuantur, veluti paleæ furenti aura. ibid. n.3.

Qui facta ſeditione in Republica neutram ſequitur partem dignus eſt, vt honoribus priuetur. pag. 487.n.1.

Sententia.

Velox ſententia reo indulgentia eſt, tot. diſcurſ.2. pag. 36.

Pueriles, improbæ, & auſæ ſententiæ Oratorem dedecent. p.50.n.1.

Nullam authoritatem habet ſententia, vbi damnat, qui damnandus eſt. p.104.n.1.

Senſualitas. Vide Luxuria.

Sæpè ſenſuales homines proprias etſi pulcherrimas faſtidiunt vxores, & alienas quamuis illiberales auidè deſiderant. p.587.n.2.

Nonniſi Deo auſpice, & acriter pugnante carnis ſenſualitas ſuperatur, tot.diſc.4. p.588.

Tam periculosè ſenſualitas ſerpit in proximos, vt commercium viri, ac mulieris, etſi per iocum ſit, reus facti habeatur, tot.diſc.7. p.593.

Senſus.

Portæ mortis dicuntur externi ſenſus. p.453.n.4.

Senectus, Senex.

Pudeat ſenectutem à vitijs non abſtinere, tot.diſc.9. p.377.

Senex luxurioſum portentum eſt. ibid.

Nihil eſt turpius, quam ſenex viuere incipiens. ibid.

Stolidorum animalium ſenectus hominum reprehendit ſenectutem. ibid.

Senile corpus laſciuientis ætatis flores debet recondere.

Senes ſibi ipſis tantùm viuere debent. ibid.n.2.

Sic ſenes ad virtutem debent eſſe procliues, vt ſuperfluum videatur Deum eos ad pœnitentiam excitare: quia in ipſis tempus pro voce clamat. ibid.

Vitæ emendatio à finibus debet incipere. ibid.

Serpens.

Nudos homines horret. p.72.n.1.

Mox vt ſputum ieiuni hominis guſtat, expirat. pag. 641.n.1.

Sepulchrum.

Homo ad ſepulchrum accedens idem, ac in vita eſt per eſſentiam, ſed alter debet eſſe per gratiam. p.95.n.1.

Seruitus.

Dei ſeruitus compendium vitæ, & gratiæ abortus, tot.diſc.1. p.90.

A die, qua Deo inſeruire incipimus, vitæ noſtræ tempus computatur. ibid.n.4.& 5.

Fallitur, qui à dæmonis ſeruitute aliquid emolumenti reportaturum ſperat. p.114.n.2.

Diabolo ſeruientes paſcere ventum dicuntur. pag. 115.n.3.

Dato, non accepto pretio miſerè ſe ſubdunt homines ſeruituti. p.116.n.5.

Voluptati ſeruire, grauiſſima ſeruitus. p.264.n.7.

Pluribus Dominis ſeruire, intollerabile iugum. pag. 405.n.2.

Seruus.

Dominis aſſimilantur ſerui, illorumque virtutem participant. p.103.n.3.

Serui nequam efficiunt, vt amicitiæ inter dominos reſcindantur. p.280.n.4.

Sermo.

Auditoris conſcientia optima ſermonis interpretatio, tot.diſc.15. p.388.

Simulatio. Vide Hypocriſis.

Toto animo fugienda, & deteſtanda, tot. diſc.8. pag. 282.

Nunquam impunita. p.294.n.4.& ſeq.

Silentium.

Indicium eſſe ſolet reuerentiæ, ac timoris. p.313. num.7.

Vitam ſpiritualem tuetur. p.379.n.1.

Conſilia ad regimen ſpectantia alto ſunt retinenda ſilentio. p.382.n.1.& p.383.n.4.

Spes.

Aliquandò timorem inducit. p.161.n.5.

Pendula ſpes ſolicitam fidem reddit. p.171. n.1.

Spes gloriæ mærorem fugat, animumque tranquillat, tot.diſc.12. p.411.

Beatitudinis ſpes quodammodò beat. p.412.n.3.

Singularitas.

Quam amabilis, quamque pernicioſa ſit ſingularitas, oſtenditur, tot.diſc.19. p.341.

Neque ſpe nimia, neque nimio timore ad cælum itur, tot.diſc.6. p.563.

Spiritus Sanctus.

Peccata contra Spiritum Sanctum irremiſſibilia dicuntur, quia amor eſt. p.53.n.2.

Arguere dicitur mundum de peccato, quamuis à voluntate procedat, quia offenſa voluntas criminosè omnia inſimulat. p.54.n.3.

Carnem non aſſumpſit Spiritus Sanctus, ne Dei amor diceretur occiſus. p.367.n.3.

Nunquam iudicaturus dicitur, quia proprietate perſonali amor eſt. p 406.n.2.

Sol.

Solis iam iam cadentis dulcius eſt lumen. p.423. num.1.

Societas.

Iuſtorum ſocietas ſemper vtilis, tot.diſc.8. p.102.

Tam potens bonorum ſocietas eſt, vt naturam tranſmutare videatur. p.103.n.2.

Cæli à ſocietate Angelorum puritatem duxere. pag. p.161.n.4.

Famuli à dominorum ſocietate virtutem mutuant. p.104.n.5.

Malorum ſocietas vel ſanctos lædit, tot. diſc.5. pag. 562.

Etiam mortuus creditur à prauo conſortio. ibid.

Noxio contubernio vnius delictum in omnes ſerpit. ibid.n.2.

A prauo conſortio timet Angelus coinquinari. ib.

Vel Dei ſanctuarium, imò & ipſe Deus pollui dicitur praua ſocietate. ibi.n.3.

Subditus.

Rei petitæ negatio ſubditis malignantis naturæ eſt. p.22.n.6.

Non in perſona, ſed in delictis vulnerandi ſunt. pag. 8.n.7.

Ne eorum delicta detegantur, ſpiritu prophetiæ priuantur ſuperiores. p.9.n.2.

Licet ſubditis de violentia ipſis illata Principe conqueri. p.13.n.2.

Niſi neceſſaria eis ad victum tribuantur, ab obedientia cenſentur immunes, tot.diſc.5. p.127.

Quæ ſubditus pro ſubueniendo Principe offert, non ſunt violenter extorquenda, tot.diſc.4. p.211.

Vel neceſſitatibus oppreſſi debent ſubditi in publicis neceſſitatibus Principibus ſubuenire, tot. diſc.6. p.235.

Subditorum mos, Præſules impetere, qui eos rectè viuere compellunt, tot.diſc.3. p.481.

Supplicium.

Quia homines ad Deum amore non accedunt, ſupplicijs, & terroribus facit, vt reſipiſcant, tot. diſc.1. p.47.

Luci, & aquæ ſupplicia conferuntur. p.48.

Miſerè perit, qui in aliorum ſupplicijs propria non præcauet, tot.diſc.4. p.58.

Plus dolet, quam ſupplicium, à ſceleriori puniri. pag. 104.n.1.

Inter omnia crimina maximè Deum impellit ad ſupplicium tenuiorum expilatio, tot. diſc. 6. pag. 215.

Cum ſupplicia Deus infert, quodammodò naturam mutare videtur, tot.diſc.6. p.426.

Planè regium, & diuinum eſt, ſupplicia non reſpicere, ſed præmium, tot.diſc 3. p.437.

Impunitas vitia fouet: ſupplicium auertit, tot. diſc.7. p.443.

Acriùs ſupplicium omnibus metum incutit. ibid.

Non infert Deus ſupplicia, vt interimat, ſed vt illuminet, tot.diſc.21. p.543.

Veluti fulgura vulnera afferunt, & lucem. ibid.

Magnis beneficijs ſupplicia Deus compenſat, tot. diſc.1. p.583.

Suffragium.

Ille præſtantiora miſericordiæ opera exercet, qui ſuffragijs mortuorum recordatur, tot. diſc. 5. pag. 607.

Superbia, Superbus.

Quo magis ſuperbus aſcendere conatur, magis cadit, tot.diſc.2. p.177.

Sinè gradibus deſcendit, altitudinemque cum profundo commutat. ibid.

Sat eſt deſideraſſe faſtigium, vt præcipitium incurrat ſuperbus. ibid.n.2.

Cadentes Gigantes opportunè dicuntur ſuperbi. ibid.

Ad innuendam eorum exiguitatem à longè à Deo videri dicuntur. p.178.n.3.

Fumo, qui creſcendo decreſcit, conferuntur. ibid.

Inſtabilis eſt ſuperbia, quia vno tantùm nititur pede. ibid.

Vertigine laborant ſuperbi. ibid.

Columbis, & veſpertilionibus propter ſtultam elationem pulchrè comparantur. p.179.n.4.

Cum cætera vitia citra condignum plectantur, ſuperbia ad extremum vſque punitur, tot. diſc. 3. pag. 179.

Duplex ſuperborum eſt genus; alterum ſuperbiam habet, etſi illam non faciat: alterum illam operatur. ibi.n.2.

Superbiam facientibus Deus abundanter ſupplicia infert, quia nihil parcit, & ad talionem pœnam retribuit. ibid.

Superbus dum aſcendere ſatagit, commilitonibus ſuis conſcendere pollicetur, quos poſteà ad ima demittit, tot.diſc.5. p.183.

Semper decipit. ibid.

Bonorum perditione mulctatur ſuperbus; & dum non poſſeſſa quærit, poſſeſſa amittit, tot.diſc.1. pag. 206.

Plus honoris priuationi, quam morte, & gehenna, cruciatur ſuperbus, tot.diſc.22. p.310.

Superbis de ſe magna ſentientibus nutrimentum ſpiritualium reuelationum Deus ſubtrahit, tot. diſc.3. p.351.

Superfluum.

Superflua natura non appetit. p.195.n.1.

Qui non abſtinet à ſuperfluis, citò indiget neceſſarijs, tot.diſc.3. p.528.

Superflua quæque, quia nociua, præſciudenda ſunt. ibid.

Nec quid nimis agendum eſt. ibid.

Deus ſuperflua non dare ſuis pollicetur. p. 259. num.3.

Immoderati ſumptus miſeram indigentiam afferunt. ibid.

Nec beatis Deus ſuperflua largitur. ibid.

Ex ſuperfluitate in victu, & veſtitu quam plurima in Republica oriuntur flagitia. p.260.n.5.

Superfluis ſumptibus dediti ſubditi vectigalia Principibus pendere non valent. ibid.

Quæ in hoc Volumine continentur.

Superior. Vide Princeps.

In obiurgandis ſuperiorum erratis publico ſermonis iaculo haud vtendum, tot.diſc.1. p.6.

Qui clauum tenet, non publico ſermonis clauo figendus eſt. ibid.

In ſacri ſolij verticem non eſt collimanda reprehenſionis ſagitta, quin prius in alios deuoluatur. ibi.n.2.& ſequen.

Superiorum peccata non detegenda, & adhuc naturales defectus occultandi. ibid.

Latenter, & oculorum nutibus corrigendi. ibid.

Præſulis defectus, ſi fieri poteſt, virtutes appareant. p.7.n.6.

Quicunque ſit ſuperior, maximo honore proſequendus eſt, tot.diſc.2. p.7.

Etiam barbaris, dum præſunt, obedientia præſtanda. ibid.

Etſi infamia laborent, colendi ſunt. ibid.n.2.

Vel brutum animal, quod nos dirigit, non verberandum. p.8.n.3.

Prælatura optima ad honorem perſonæ commendatio. ibid,

Etſi ſuperior dum perſonam agit priuatam, deſpicabilis ſit: dum præeſt à loco exiſtimationem mutuat. ibi.n.5.

Vitia, non perſonam ſubditi debet in correctionibus ferire ſuperior, tot.diſc,3. p.8.

Correctionis fructum perdit, ſi palam ſobditorum flagitia prodat. ibid.

Prophetiæ dono meritò priuatur ſuperior, ne occulta ſubditorum delicta detegat. p.9.n.2.

Rugeat vt Leo, vt ſubditi reſipiſcant, ſed non mordeat. ibid.

Delicta ſubditorum puniat: ſed honorem ſeruet innocuum. ibid.n.3.

Veluti peritus armorum magiſter ſignet, non lædat, ne ſanguinis honorem effundat. ibid.

Neſciat ſubditus perperam à ſuperiori exiſtimari: ne in delictis obſtinetur. ibid.n.4.

Licet ſuperioribus ſuis prius beneſacere, quam exteris, tot.diſc.4. p.17.

Natura non patitur ſuperiorem, quem meritis excellentiorem non agnoſcit. p.24.n.2.& 3.

Dolendum, quod mãſuetis, & ſedatis viris depreſſis, rixoſi, & turbulenti rerum publicarum potiantur, tot.diſc.2. p.25.

Concordiam ſuperior tueri tenetur.ibi.n.4.& ſeq.

Apud ſuperiores infortunati ſolent eſſe ſapientes. pag. 28.n.3.& 4.

Diſſerta politia ſæpè non amicis munera conſerunt. p.29.n 1.& ſequen.

Superioribus inter ſe pugnantibus Reſpublica ruit, tot.diſc.1. p.35.

Suæ iuriſdictionis terminos non tranſiliant. p. 37. num.4.

Citò puniens ſuperior ſimilis parcenti eſt, tot. diſc. 3. p.39.

Iniqui ſuperiores, qui poteſtate ad opprimendum abutuntur, tot.diſc.7. p.44.

Debet ſuperior miniſtris neceſſaria tribuere, ne eorum munera venalia fiant. p.60.n.1.

Parua diſſimulet, magna plectat, tot.diſc.5. p.65.

Tota illius ſcientia in diſſimulatione conſiſtit.ibid.

Sinè propijs meritis ad dignitatem aſſumptus facilè ruit, tot.diſc.3. p.93.

Meritis claudus præceps trahitur ad ruinam. pag.94. n.5.

Apud bonos ſuperiores quicunque ſunt mali, arguuntur: apud malos ij ſolum, qui ab eis diſſentiri videntur, tot.diſc.6. p.98.

Qui ſuperioris partes ſequitur, in merita vitia commutat. ibid.

Vnicum tantùm erga ſuperiores vitium eſt, ab eorum voluntate diſſentiri. p.99.n.31.& p.100. num.5.

Illius gratiam habere, mereri eſt. ibid.n.4.

Bonum publicum priuato debet præferre ſuperior, tot.diſc.2. p.112.

Superioris gratia modeſtè vtendum. p.117.n.4.

Qui ſubditos legibus adſtringere vult, & punire, eis neceſſaria ad victum debet tribuere, tot. diſc.5. p.127.

Neque pro Deo fruendo à ſubditorum cura ſe ſubtrahat ſuperior. p.137.n.1.& 2.

Eorum, quæ præcipit, rationem reddere non tenetur. p.159.n.3.

In ſtatu adulatio, in declinatione conuitium comitantur ſuperiores.tot.diſc.1. p.190.

Vel ipſa delicta adulantur clauum præfecturæ tenentibus. ibid.n.2.

Nemo ſe in præfectura perpetuare gliſcat, tot. diſc.7. p.217.

Succeſſori liberam, & omnimodam iuriſdictionem relinquat. ibi.n.2.

Non ducat dignitatem tanquam vxorem. ibi.n.1.

Pallium ſucceſſori iterum non aſſumendum dimittat. ibid.n.3.

Non mittat in præfectura radices. p.117.n.4.

Superioris nomine indignus eſt, qui vel cum ſuo periculo ſuos ab iniurijs non tutatur, tot. diſc.8. pag. 119.

Suſurrantibus aures non præbeat, ne fideles frangat amicitias. p.279.n.3.

Bonæ famæ ſit cupidus, tot.diſc.9. p.286.

Subditorum defectus non palam reprehendat. pag. 288.n.2.& 3.

Maligno exemplo ſuperiorum peccata ſerpunt in ſubditos. p.299.n.2.& p.300.n.4.

Propter ſubditorum peccata plectuntur ſuperiores, tot.diſc.16. p.299.

Superior qui de ſuis non curat, non homo, ſed ſpectrum eſt, tot.diſc. 7. p.314.

Non homo integer reputatur, qui ſuorum curam negligit. ibid.n.2.

Quamdiù ſuperiores ſuo muneri non incumbunt, quaſi nihil reputantur. p.315.n.3.& 4.

Superior, qui ſubdito poſtulata denegat, bona verba conferat, tot.diſc.7. p.371.

Veluti medicus parti dolore affectæ adulari debet. ibid.

Cui non præſtat, quod petit, eloquij præſtet ſuauitatem. ibid.n.2.

Qui manum habet ſeueram, vocem blandam habere debet. p.373.n.5.

Ama-

Amaris operibus amara verba non admiſceat. ibid. n 6.
Placida manſuetudo fortior in ſuperiore perſuaſionis energia eſt, tot.diſc.4. p.399.
Veluti ſtilla blandè debet irrigare ſubditorum animos. ibid.
Pro conuitijs laudes rependere, artificium eſt reducendi ſubditos. ibid.n.2.
Quaſi miraculum eſt, aliquem ſeueritate ſuperioris proficere. p.400.n.3.
Superioris manſuetudo rebellibus ſubditis legem imponit. ibid.n.4.
Comitas in ſuperiore illuſtrius ſtemma eſt, tot. diſc.5. p.410.
Liberalis vrbanitas digna eſt, vt præfecturam obtineat. ibid.
Superior in ciuili politia, & vrbanitate educandus. p.401.n.2.
Chriſtus Dominus vrbanam politiam ſuperiores docuit. ibid.n.3.
Potiùs ad miſericordiam, quam ad rigorem ſuperior debet eſſe propenſus, tot. diſc.6. p.402.
Palma, quia ſuperior eſt cæteris plantis, dulciorem fructum omnibus affert. ibid.n.2.
A verbis virulentis, & ſæuitiam ſpirantibus abſtineat ſuperior. p.403.n.3.
Etiam in infenſiſſimos hoſtes dedecet eſſe crudelem. ibid.n.4.
Dignitas, quæ ſuperiori benemerito confertur, ab omnibus habetur, tot.diſc.7. p.404.
Quæ ipſi incumbunt, per ſeipſum exequatur ſuperior, tot.diſc.5. p.424.
Abſens reputatur, vbi à ſuo munere retrahitur. pag. 425.n.3 & pag.426.n.4.
Iis, qui pericula, & incommoda propter ipſum non horrent, præmia largiatur, tot.diſc.2. p.435.
Subditorum ſcelera ſuperioribus imputantur, tot. diſc.6. p.442.
Crimine carere non poteſt ſuperior, qui ſubditos habet criminoſos. p.443.n.4.
Seueritate ſe debet armare, vt peccandi licentia compeſcatur. ibid.n.1.
Sciat ſuperior impunitatem vitia fouere, ſupplicium auertere, tot.diſc.8. p.443.
Aduerſus rebelles, & indomitos maximè debet accendi. p.444.n.2.
Nimis indulgens meritò à dignitate deponitur. ibid. n.3.
Qui ſubditos rectè viuere compellit, ab ipſis impetitur, tot.diſc.3. p.481.
Arcanè ſuperior forma dicitur, & ſubditus materia: quia quantumuis forma perfecta ſit, noua materia ſemper appetit. ibid.
Subditi intra legis præſcriptum detenti conuitia in ſuperiores iactant. p.482.n.3.
Subditorum oculos in ſe habent intentos ſuperiores. ibid.
Armis inpigent, vt ſe à ſubditorum telis tutantur. ibid.
Subditi veluti vrticæ ſuperiores pungunt. ibid.
Superiorum munus dura ſeruitus, tot.diſc.5. p.485.
Angariati propriè dicti. ibid.
Electus ad dignitatem ex ingenuo efficitur ſeruus. ibid.n.2.
Laboribus, & vigilijs eſt obnoxius. p.48 n.3.
Veluti mancipium denigrata facie ad ſeruitutem deſtinatur. p.16.n.4.
Sciat ſuperior quandoque ſeminare diſcordias, vt prauorum ad malum vnio diſſoluatur, tot. diſcur.10. p.494.
Vel inuitos ſubditos in via virtutis educare ſatagat, tot.diſc.13. p.498.
Subditorum mores ſuperiorem efformant. p.499. num.4.
Inutilia à ſubditis ſemina euellat. ibid.n.5.
Omnes ſuperiores reuerentur, maximè, qui nobilitatis habent ſtemmata, tot.diſc.14. p.500.
Superior nullus ad quietem multiplex ad laborem, tot.diſc.15. p.501.
Qui multis præeſt, pro multis laborare debet. pag. 502.n.3.& 4.
Sciat ſuperior æqualitatem præmij excidium eſſe Reipublicæ, tot.diſc.20. p.541.
Superiorum gratia plus merentibus impenſa ingenium eſt amplificandi principatum. p.542. num.3.
Adeò eſt detractionibus obnoxia ſuperiorum vita, vt omnium oculi ad ipſorum manus impensè attendant, tot.diſc.22. p.544.
Subditi tanquam Chiromantici ſuperiorum manus attentè, & malitiosè ſcrutantur. ibid.
Munera cum diſcretione conferat ſuperior, toto diſc.8. p.566.
Malus ſuperior impios: bonus pios iuxta ſe habet miniſtros, tot.diſc.7. p.579.
Sic debet ſplendeſcere nitore virtutis, vt etiam ij, qui anteà videbantur ſancti, impuri in eius conſpectu appareant. p.600.n.5.
Natiuæ humilitatis non obliuiſcatur. p.609.n.2.

Struthio.

Qui volandi non habet facultatem, de perniciſſimo volatu gloriatur. p.122.n.2.

Syrus.

Non patiebantur Syri piſces, aut Columbas lædi. p.118.n.2.

T

Templum.

Peccata, quæ extra templum caſus videntur, intra præcipitia ſunt, tot.diſc 3. p.275.
Templorum maieſtas etiam apud Ethnicos, & Paganos venerabilis fuit. ibid.
Antiquitus cadauera intra templa ſepeliri propter eorum reuerentiam fuit cautum. ibid.
A templorum ſanctitate grauitatem flagitia mutuant. ibid.n.2.
Lapſus quilibet in templo præcipitiũ eſt. p.376.n.3.
Dei ſacratiſſima templa magna reuerentia tractanda, & illorum iniuria maxima pœna plectenda, tot.diſc.4. p 277.
Illibata sẽper templorum puritas ſeruanda eſt. ib.
An-

Digitized by Google

Angeli nos docent, quanta reuerentia Dei templa tractari debent. ibid.n.2.
Vel criminis ſuſpicio à templo relegenda eſt. ibid. num.3.
Delicta intra templum perpetrata ſeueriſſimè Deus corripit. ibi.n.4.
Nefas eſt in templo Deo ſacro locum eſſe idolis. pag. 350.n.2.

Tempus.

In Dei famulatu non inſumptum non vitæ tempus computatur. p.90.n.4.

Tentatio.

Aduerſus iuſtos maximè diaboli tentationes graſſantur, tot.diſc.1. p.120.

Terra.

Rectè valentibus ſtabilis, vertigine laborantibus mobilis iudicatur. p.64 n.3.
Stare dicitur, quia non alieno nititur ſuſtentaculo. pag. 94.n.4.

Teſtis.

Teſtibus ex auditu non eſt adhibenda fides p.373. num 1.
Is, qui munera accepit, ſuſpectus eſt teſtis. p 374. num.3.

Timor.

Etſi quandoque naufraget, plerumque Dei timor portum feliciter attingit, tot.diſc.5. n.370.
Amorem, & fidem ſolet extinguere timor, licet aliquando amare doceat. ibid.n.2.
Cultus Deo exhibitus abſque timore non ipſi placet. ibid. n.3.
Timor fundamentum ſalutis eſt. ibid.
Præ timore terra in Chriſti morte concutitur, incapacem ſe tanti hoſpitis agnoſcens. ibid.
Neque nimio timore, neque ſpe nimia ad cælum itur. tot. diſc.6. p.563.
Moderatus timor fortitudinem inducit. ibid.
Qui trepidationis motu tenetur, difficulter reuoluitur, vt miſericordiam deprecetur. ibid.
Spei delatatione laxatæ timore vires reficiuntur. ibid. n.2.
Infirmitas timoris audaciam gignit. p.564 n 3.

Tranſgreſſio.

Primi legis tranſgreſſores ſeueriùs puniendi, tot. diſc.4. p.43.
Vnius tranſgreſſio cæteris quaſi licentia eſt ad delinquendum. ibid.

Trinitas Diuinarum Perſonarum.

Deus vnus eſt, vt faciliùs ſeruiatur, Trinus, vt abundantius benefaciat, tot.diſc.10. p.408.
In lege naturali, & ſcripta Trinitatis myſterium abſcondebatur, tempore autem Euangelij manifeſtè oſtenditur. ibid.
Cum beneficia Deus largitur, Trinum ſe in perſonis manifeſtat. p.409.n.3. & p.426.n.1.
Ad poſtulata obtinenda maximè conducit inuocatio Trinitatis. p.409.n.4.
Beatiſſimam Trinitatem impensè dæmon abſcondere ſatagit. p.410.n.5.

Tribulatio.

Sæpè magna tribulatio facit, ne homines ita facilè vacent Dei laudibus, tot.diſc.5. p.19.
Non caſu, aut fortuna, ſed Dei conſilio tribulationes nobis contingunt. p.74.n.2.
A tribulatione eripi idem eſt, ac iterum generari. pag. 360.n.4.
Tribulatis Deus adeſt. p.478.n.2.
Niſi tribulationis ſtimulis pugnamur, nunquam Dei recordatio in nobis erit. p 479.n.3.
Tribulatio mentem illuminat.tot.diſc.21. p.543.
Dei erga homines amor tribulationes ſunt. p.544. num.4.
In tribulatione ſolatium eſt alios grauiora mal ſuſtinere. p.599.n.2

Tributum.

Reges tributa auferentes, & regna firmant, & arctiùs ſubditos efficiunt tributarios, tot. diſcur.2. p.192.
Dura ſeruitus hominibus tributa ſoluere. ibid.
Tributorum impoſitio iuſtiſſimo eſt penſanda in licio. ibid.
Proficuas, numeroſas atque obedientes familias producit Princeps, qui tributa remittit. ib.n.2.
Vt ſigillata mancipia ſubditos habet à vectig. libus ſolutos. ibid.
Depopulantur populi tributorum multitudine vt famem Fiſci, & Exactorum expleant. & miſera ſeruitute redduntur ad ſubueniendum Principi impotentes. p.193.n 3.
Quæ ſubditus pro ſubueniendo Principe offert, non ſunt violenter extorquenda, tot.diſc.4. p.211.
Tributa Principi denegare ſpecies rebellionis. ib.
Oleum ſapiat tributorum impoſitio leniter perungendo, ne ſubditi clamoribus cælum tundant. pag. 112.n.3.
Fræno comparatur tributum. ibid.
Vel neceſſitatibus oppreſſi debent ſubditi in publicis calamitatibus Principibus tributa ſoluere, tot.diſc.6. p.235.
Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine tributis haberi queunt. ibid.
Veluti terra, quæ ſoli præſtat vapores, quibus ipſam tueatur, ſubditi vectigalia pendant, vt ab hoſtium incurſionibus protegantur. ibid.
Etiam impoſſibilia ſunt tentanda, vt Principi extrema neceſſitate laboranti ſubueniatur. pag. 236.n.3. & 4.
Tributa non Regi, ſed miniſtris inſeruiunt, maximè cum iniuſtè imponuntur. toto diſc.1. p 253.
Eccleſia à tributis aliena, toto diſc.1. p.271.
Regni excidium Eccleſiæ tributa, toto diſ.2. p.273.

Vani-

V

Vanitas.

A Liquorum hominum vanitas lautiſſimè alit exteros, domeſticis fame pereuntibus. p.17. uum.2.

Qui vanitatem ſectatur, eructat mendacia, & in dolos effunditur. p.625.n.2.

Venia.

Veniam demeretur, qui in aliorum ſupplicijs propria nou præcauet. p.59.n.2.& 3.

Vitia fouet venia, ſupplicium auertit, tot. diſc 7. pag. 443.

Indignus venia eſt, qui poſt accepta beneficia delinquit, tot.diſc.9. p.446.

Vectigal. Vide Tributum, Verbum.

Verborum lenocinium Concionatores dedecet, tot. diſc.4. p.156.

Verbum Dei nullis ænigmatum difficultatibus obſcurari debet, tot.diſc.1. p.150.

Gladius anceps dicitur, vt vno ore audientes, altero Prædicatorem feriat. p.153.n.3.

Verba, & vita Prædicatoris eandem debent exhalare fragrantiam. ibid.n.2.

Nou eget humani eloquij præſidio verbum Dei, vt aridos peccatorum animos fœcundet, tot. diſc. 4. p.156.

Veluti ros abſque induſtria terram fouet. ibid.

Acquiſita ſapientia præſidium recuſat. ibid.

Vel Ethnicus Dei verbum reueretur. p.157.n.3.

Valorem, & auctoritatem infundit. ibid.n.4.

Qui à prætenſo repulſam patitur, bona excludentis verba audiat, tot.diſc.6. p.371.

Durum Dei verbum lenitatis eſt omen, tot. diſc. 11. p.380.

Gladius anceps, & acutus ſit Dei verbum. p.394. num.3.

Veſtis.

Veſtes pretioſis ſculptæ lapidibus ad ſiderum ſplendorem referimus. p.415.n.1.

Verecundia.

Ingenia liberaliter educata faciliùs verecundia, quam metus ſuperat. p.240.n.3.

Verecundia ſoror eſt continentiæ. p.589.n.1.

Via.

Via, qua Deus dirigit, quærenda ſalus, tot. diſc.6. pag. 146.

Qui à via ſibi conſtituta recedit, deprædari vult. ibid.

In via pro noſtro libito aſſumpta offendicula occurrunt. ibid.n.2.

Vinum.

Mala, quæ ſecum adducit, pulcrè deſcribuntur. pag. 174.n.6.

Apud Hebræos ijs, quibus capitale ſupplicium erat inferendum, vinum aromatibus conditum propinabatur. p 269.n.3.

Tempore vinum exiſtimationem acquirit. p.621. num.3.

Veritas.

Sine ſimilitudine non facit fidem. p.47.n.3.

Apud homines nullo veritas, maximo mendacium habetur pretio, tot.diſc.4. p.167.

Qui veritatem dicat Principibus deeſt. ibid.

Niſi mendacij colores induat, periclitatur veritas. p.168.n.2.

Qui veritatem loquitur, aduena & peregrinus reputatur. ibid.n.3.

Vt hoſtis veritas ab omnibus excipitur, mendacium omnibus familiare eſt. ibid.

Vel in ſeipſis non patiuntur homines membra, quæ veritatem exponunt. p.169.n.3.

Veritatem mendacio adiuuare, iniuria illi eſt. pag. 293.n.1.

Quo veritas timidior, eo mendacium eſt audacius, tot.diſ.3. p.317.

Perſæ ſemper filijs ſuggerebant veritatem loqui. ibid.

Qui à veritatis ſcopo aberrare non vult, cum magna moderatione loquitur. p.318.n.2.& 3.

Victoria.

Deo comite victoria de inimicis reportatur: ſinè ipſo indecorè vincimur, tot.diſc.1. p.555.

Virginitas.

Mortis expers reputatur virginitas, tot. diſc. 6. pag. 591.

Nulla doloris ſigna in morte virginis audiuntur: quia non patitur iniurias mortis. ibid.n.2.

Virginitatis vindex creditur ſemper viuere. pag. 592.n.3.

Virga.

Punitionis virga oculos acuit. p.47.n.1.& 2.

Iuſtitiæ virga, quæ ſine radice flores, & fructus producit; miraculosè germinat. p.61.n.3.& 4.

Ad grauius percutiendum multoties iuſtitiæ virga in baculum vertitur. p.92.n.4.

Virtus, Virtuoſus.

Egregiæ virtutes infortunatæ, & moribundæ, tot. diſc.1. p.83.

In proprium Damnum inſurgunt virtutes. p. 84. num.4.

Virtus obtenta, quaſi non poſſeſſa deſideranda eſt. p.139.n.2.

Conſtantia compendium, virtutumque corona, tot. diſc.5. p.143.

Virtus inconſtans arboribus citò pullulantibus comparatur. p.144.n.2.

Proſperitas virtutis in fine eſt. p.145.n.3.

Vel in ipſorum erratis virtutis ſigna ſancti præſeferunt, tot.diſc.1. p.347.

Sit homo in re virtutis piè audax, & impoſſibilia tentet, tot.diſc.11. p.410.

Summa virtutis perfectio per non tritas conſiliorum ſemitas incedit. ibid.n.2.

Ad plus teneri quam ipſi præcipitur, arbitratur virtutis ſtudioſus. ibid.

Pia temeritate virtus vltra vires audet. p.411. num.3.
Etiam impoſſibilia aggreditur. ibid.n.4.
Nonniſi cana ſenectus potentes virtutem edocet, tot.diſc.18. p.340.
Sic excolendæ ſunt virtutes, vt mutuò ſe, & perpetuò gignant, tot.diſc.13. p.413.
Artificium augendæ virtutis eſt ipſam culpam reputare. p.414.n.2.
Virtutis graduum non habenda ratio, vt ſemper in inferioribus eſſe credamus. ibid.n.3.
Qui in virtute proficere deſiderat, nihil cogitet proficere. ibid.n.4.
Non maiorum ſtemmata, ſed propriæ virtutes veram nobilitatem cudunt, tot.diſc.3. p.422.
Anguſtior virtus à nobilitate eſt, tot. diſcur. 1. pag. 433.
Virtus aſpectu difficilis, veritate facilis. p. 480. num.2.
Virtutis facilitas damnabit reprobos. ibid.n 3.
Non Deus, ſed homo virtutis viam arctam, perditionis verò latam facit. p.481.n.5.
Non latenter, ſed palam quærenda virtus. p.490. num.2.& ſeq.
Summa dementia,& infelicitas eſt,à virtutis tramite recedere, tot.diſc.27. p.551.
Non initium, ſed finis laudatur virtutis. ibid.
A fine felicitantur virtutis principia. p. 552. num.2.& 3.
Aberrat, qui per virtutis viam abſque ductore incedit, tot.diſc. 4. p.560.
Non à Deo immediatè in virtute inſtruimur. ibid. num.2.
Spiritualibus vti magiſtris, maximè Deo arridet. pag. 561.n.3.
Impensè Deus curat, vt intelligamus quam ſit nobis neceſſarium ſpirituales habere magiſtros. ibid. n.4.
Præmia alunt virtutes, tot.diſc.8. p.613.
Virtute roborantur animi,delicijs,& voluptatibus langueſcunt, tot.diſc.9. p.614.
Animoſitatem inducit virtus. ibid.
Facilè inimicas vires eneruat. p.615.n.4.
Anticipata virtutum opera fructus Deo gratiſſimus, tot.diſc.3. p.129.
Sera virtutis comparatio maximè Deo diſplicet. pag. 621.n.3.
Summa infelicitas, à virtute in iuuentute parta in ſenectute deficere. p.645.n.5.& ſequen.
Perfecta virtus neſcit paulatim decreſcere.ibi.n.4.

Vita, Viuere.

Qui non habet, vnde viuat, & viuit, & non laborat, aut viuit miraculo, aut furto, tot. diſc. 5. pag. 60.
Dei ſeruitus compendium vitæ,tot.diſc.1. p.99.
Velut nauigantes, qui in mari quieto abſorbentur, in proſpera valetudine interdum vita periclitantur. p.169.n.1.
Vitæ nona ſpatia falſa expectatione homines ſperant, veluti vmbram declinatam longæuam vitam ſibi pollicentur decepti. p.170.n.2.
In ſenectute iuuenari, magna dæmonis tentatio. ibid.n.3,
Ne homo de vita lenocinetur, ſuam Deus quaſi ſub contingentia collocat. p.171.n.2.
Vitam ſine alterius detrimento peragi, ſumma laus. p.209.n.1.& 2.
Qui turpiter viuunt,laborant, vt alios eadem turpitudine inficiant. p.321.n.1.
Lacrymabilis dolor, à vita mortem mutuare, tot. diſc.9. p.430.
Diſſolutior vita gratior eſt, quam temperata. pag. 481.n.1.
Vitæ ſolitariæ elogia traduntur,tot. diſc.17.p.643.

Vitium.

Non verborum lenocinio, ſed acri voce reprehendenda ſun vitia, tot.diſc.3. p.50.
Nullum vitium intra ſe manet, ſed in proximos ſerpit. p.130.n.1.
Qui vitijs inſeruit, geminata ſibi imponit dominia. p.264.n.1.
Pudeat ſenectutem à vitijs non abſtinere, tot. diſcur.9. p.377.
Impunitas vitia fouet, ſupplicium auertit, tot. diſcur.7. p.443.
Sine Magiſtro diſcuntur vitia. p.560.n.1.

Vnio.

Vel cæca Gentilitas, vbi non eſt vnio, Deitatem non agnoſcit. p.31.n.2.
Longè Deus exulat ab animis vnione carentibus, tot.diſc.6. p.30.
In puncto minimo adeſſe Deus recuſat, quia vnione caret. p.31.n.4.
Perſonarum Trinitatis oppoſitio ad intra eſt, ad extra nonniſi vnitas apparet. p.292.n.3.
Vnionem diſſoluere ſolet charitas, tot. diſcur. 10. pag. 494.

Voluntas.

Sæpè quod magis cupit, nolle manifeſtat, tot. diſcur.7. p.100.
In ipſa repulſa largiendi aliquandò rimatur voluntas. p.101.n.3.
Voluntas Dei efficax nullo valet irritari conſilio. pag. 257.n.1.& 2.

Voluptas.

Mundi voluptates nos alliciunt. p.424.n.4.
Voluptatibus langueſcunt animi, virtute roborantur, tot.diſc.9. p.614.

Votum.

Tenaciter vnuſquiſque ſua vota, etſi ſtulta ſint, defendit. p.15.n.1.

Vxor.

Timeat vxor maritum offendere, ne in manus offenſi amoris incidat. p 55.n.4.
Miraculosè videas floribus ornatas vxores, quarum mariti radices in terra non habent. pag.61. num.3.

Digitized by Google

Vxor, quæ in Deum peccat, ſuſtinetur: quæ in virum ſuum ſtatim plectitur. p.70.n.2.
Diligenda vxor, ſed illi graue negotium non pandendum, tot.diſc.4. p.483.
Nec labiorum nutus videat, ne interiora rimetur. ibid.
Vel ſanctiſſima vxori ſecretum non eſt aperiendum. p.484.n.2.
Ardua gubernationis conſilia vxori celari oportet. p.485.n.3.
Nihil gratius, dulciuſue nobili vxori, quam in domo ſponſi ſui permanere, toto diſcur. 25. pag. 548.
Sæpè homines, etſi pulcherrimæ ſint, proprias faſtidiunt vxores, & alienas, quamuis illiberales, auidè cupiunt. p.587.n.2.
Qui vxori neceſſaria ad victum non ſubminiſtrat, tacitè licentiam impertitur ad delinquendum. pag. 128.n.5.

LAVS DEO,

ATQVE S. P. NOSTRO FRANCISCO DE PAVLA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google